


EX LIBRIS
TYCHE. FORTUNA.
WALTHER W. LEHNERT

ISAACI

CASAVBONI

DE REBVS SACRIS ET ECCLESIASTICIS

EXERCITATIONES XVI.

Ad Cardinalis BARONII *Prolegomena in Annales, & primam eorum* partem, de DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI Natiuitate, Vita, *Paßione, Aßumtione.*

AD IACOBVM, Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Hiberniæ, &c. *Regem Sereniſsimum.* 6 fl

LONDINI
Ex officina Nortoniana apud Ioan. Billium.
cIↄ. Iↄ. C. XIIII.
Cum privilegio Regis.

Emtum Lugduni in Batavis, Ao. CIↄIↄCXLV. M. Godeschalcus Durpius.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, *JACOBO*, DEI Gratia Magnę Britannię, Hibernię *&c.* REGI, *Fidei defensori.*

QVOD omnium optimè tua Majestas nouit, Rex Serenissime & potentissime, Veritatis à Deo hominibus manifestatæ ea natura est, id fatum; vt quum vinci ab hostibus suis nequeat, carere tamen hostibus non queat. Scripturę sacræ, & omnium seculorum experientia, cujus testis historia, dubitare nos ea de re non sinunt. In illis audimus Iesum Christum Dominum nostrum de se dicentem, *Ego sum via, veritas, & vita*; vt verendum non sit, ne aliquando victa Veritas ad extremum deficiat aut intereat; quæ Dei viuentis Filium, Deum verum, habeat auctorem, assertorem, vindicem. At rursus in oraculis diuinis legimus, Iesum Christum nominari à Spiritu Sancto, ore Simeonis prophetæ, *Signum cui*

contradicitur, positum εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν, vt propter illum & per illum, alij in ruinam præcipitent, alij de morte transeant ad vitam. Quò etiam pertinet Pauli Apostoli diuina disputatio, docentis è veteris Testamenti prophetijs, Christum esse *lapidem offensionis, petram scandali*. Sed & Apostolorum princeps Petrus sollicitè fideles admonet, vt ab insidijs Satanæ caueant sibi; illum enim vt leonem rugientem imminere, cupidum pios deglutiendi, & vniuersæ Ecclesiæ Dei perdendæ; quod salua cœlestis Veritatis sinceritate ab illo fieri non potest. Iam & historiæ omnes de Ecclesia Christiana, (quæ est sedes, στύλος, καὶ ἑδραίωμα Veritatis;) scriptæ, Prophetarum vaticinijs plane concinunt, fidemq; illarum ex euentu comprobant: admirabili varietate casuum refertæ, quos experiri Ecclesię contigit: quum à prima illius institutione, neque externi neque interni hostes vllo vnquam tempore ipsi defuerint, qui ad illam perdendam, & vel nomen ipsius, si fieri potuisset, de memoria hominum delendum, nullam vim, nullum dolum, nullas denique artes sinerent inexpertas. Sed enim Veritas, φηγὸς ὡς ἀβάπτιστος, omnes aduersarum tempestatum fluctus decumanos eluctata, etsi interdum latitans, & minus aliquando in oculos aliud agentium mortalium incurrens; semper tamen victrix, ad hæc secula durauit; duratura sine dubio, ad seculorum vsque finem, & de omnibus suis inimicis plenissimum tandem & gloriosissimum triumphum reportatura. Porrò ex omni illa prope infinita hostium copia, qui sub signis merentes Principis hujus mundi, bellum veritati ἄσπονδον, atque implacabile indixerunt; haud equidem scio, an infestiores ei sint vlli alij, quàm sunt duo hominum

genera, qui diuersis, imò in speciem contrarijs, illam modis aggredientes, & cursum ipsius omni conatu impedientes, detrimentum ingens Ecclesiæ persæpe attulerunt. Eos intelligo, Rex Serenissime, & sapientissime, qui aut opinione sui inflati καινοφωνίας doctrinasque nouas inducere; aut studio capti præpostero defendendæ antiquitatis non veræ, ipsam Veritatem, qua nihil antiquius, oppugnare totis viribus sunt conati. Siue Annalium replicare memoriam, tua Majestas voluerit; siue ad hæc nostra tempora oculos referre; inueniet profectò, non gladios, non equuleos, non flammas, non vngulas, non craticulas, non θεομαχίας, aliáue vlla priscæ crudelitatis instrumenta, Ecclesiæ tantum vnquam nocuisse; quantum ei nocuerunt, hinc nouarum opinionum auctores, illinc præposteri antiquitatis ψευδωνύμου defensores. Quæ duo hominum genera, quum videantur inter se opposita, penitus dissidere, atque adeo affectibus, vt plurimum, ducantur contrarijs: si quis tamen propius rem spectet, in effectu consentire, vtrorumq; conatibus eódem recidentibus, facilè intelliget. Nam quid est antiquitas non vera, nisi latens sub larua nouitas? aut quæ vetustas contra Veritatem stare potest: quum sit extra omne dubium, id verius esse, quod prius: id prius, quod à principio? Itaque hæreses non minus arguit nouitas, quàm reuincit Veritas. Primis statim nascentis Christianismi temporibus, quantus amor nouitatis, hominum mentes, velut afflatas quodam pestilenti sidere, & inuaserit & insederit: quis pruritus φιλοκαινίας multorum ingenia titillauerit: quæ licentia sit passim vagata fingendi fabulas ineptissimas, & horrendarum opinionum portenta: quàm multæ

denique

deniq; hæreſes ex aruo Eccleſiæ fructificauerint, degeneres veritatis, grano & mendacio ſylueſtres: teſtes ſunt Simon Magus, Menander, Saturninus, Baſilides, Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Valentinus, Marcion, Montanus, & ſimilia his alia Satanæ mancipia; quorum ſtultiſſima & fœdiſſima ſomnia hoſtes fidei fidelibus adſcribebant, eóque nomine apud imperitos & veritatis ignaros ſanctiſſimum pietatis Chriſtianæ nomen infamabant. Quippe cupiditas nouandi, hæc ſecum mala ſemper trahit; Chriſti inconſutilem tunicam lacerat; ſectas nouas parit, & ſtatim multiplicat; pernitioſiſſimum denique ex ea ipſa re ſcandalum generat; quod Eccleſiæ, etſi immerenti, in opprobrium vertens, paleas leuis fidei ex area Chriſti facit auolare; poſitos verò extra Eccleſiam in ſua perfidia indurat, & ruentes propria ſponte in ipſum pernitiei barathrum, magis magiſq; impellit: quod primis illis Chriſtianiſmi ſeculis vſu veniſſe, & hiſtoria vetus, & pij Patres innumeris ſuorum ſcriptorum locis nos docent. Nec minus tamen Eccleſiæ Dei priſcis temporibus obfuerunt, paganorum hominum clamores aſſidui & importuni, religionis ſuæ & cærimoniarum à majoribus acceptarum antiquitatem ſtultè jactantium, doctrinæ verò Euangelicæ nouitatem pari ſtultitia objicientium. *Quanto venerabilius ac melius,* dicebat Cœcilius orator paganus apud Minutium Felicem, *antiſtites veritatis majorum excipere diſciplinam, religiones traditas colere, Deos, quos à parentibus antè imbutus es timere, quàm cognoſſe familiarius, adorare: nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere?* Similli mè Symmachus ſcribens ad Valent. Theodoſ. & Arcadium Auggg. *Si longa ætas,* inquit, *auctoritatem religionibus faciat, ſeruanda*

uanda eſt tot ſeculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos. Sera & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Non eſt facile dictu, quantum olim pijs hominibus fuerit laboris exantlandum, vt hunc errorem cæcutientium paganorum animis penitus inſitum, illis eximerent: declarant id ſatis ſuperq; tot Apologiæ, aliáq; ipſorum ſcripta longe doctiſſima, in eum maxime finem elucubrata, vt demonſtrarent, eam religionem quæ à DEO OPT. MAX. eſſet inſtituta, alias omnes tempore anteuertere; neque ipſam poſt cæteras natam videri debere; ſed ex ea cunctas per prauam æmulationem fuiſſe deriuatas. Tandem igitur, etſi ægre id quidem, & non niſi poſt aliquot ſecula, vinci neſcia vicit Veritas: falſa antiquitas veræ conceſſit; Gentium aniles ſuperſtitiones euanuerunt: & per totum orbem terrarum ſalutaris nuntij vox, inuito Diabolo, eſt audita. Enimuero antiquus ille humani generis hoſtis, etſi in ſuis miniſtris ſæpe vincitur; ipſe tamen animo non vincitur: neque mentem mutat, ſed propoſiti ſui ſemper tenax, cum hac non ſucceſſit, aliâ aggreditur viâ: janua excluſus, per poſticum ſubrepit: tunc maxime Eccleſiæ Dei metuendus, cùm res illi humanæ rident & blandiuntur ſucceſſus. Non potuerat Satan impedire, quominus cœleſtis Veritas ad omnes Europæ, Aſię, Africæ prouincias perueniret: mutata igitur conſiliorũ ratione, id agere cœpit, ne populi quos reſpexerat Oriens ex alto, ſementem quam ipſe Chriſtus ſeminauerat, quanta par erat diligentia cuſtodirent: deinde nimium ſecuris Paſtoribus Eccleſiarum illudens, bonæ tritici ſementi, zizania, vt erat à Domino prædictum, clam per nocturnas inſidias induxit. Quid multa? ira Dei tan-

dem

dem eſt accenſa, & cœlo delapſa Veritas, hoſtibus domitis, à domeſticis ſuis neglecta, alibi penitùs eſt amiſſa, alibi vix lacinia eſt retenta. Ne de Africæ aut Aſię Eccleſijs dicam, quæ vel extinctę ſunt dudum, vel quum eſſent quondã florentiſſimæ, nunc ſunt afflictiſſimæ : in noſtra hac Europa quid acciderit, quantopere ſit labefactata ſinceritas verę religionis, quibus quantiſq; nouitatibus aſtu Diaboli ſit corrupta, ne illi quidem poſſunt ignorare, qui magno redemptum velint, id ab omnibus ignorari. Vni Deo debitus cultus, creaturis variè & multifariam eſt communicatus. Cerimonię, ſub quarum onere jam inde à temporibus B. Auguſtini gemebat Eccleſia, mirum in modum ſunt multiplicatæ : quúmq; dixerit Dominus, ſe in ſpiritu & veritate fore colendum; quam ob cauſſam Apoſtoli & prima ætas res externas ad Dei cultum adhibuerunt pauciſſimas : è contrario ſic ad externa hominum mentes ſunt traductę, vt in ijs pleriq; mortalium religionis proram & puppim, & ſalutis ſuę ancoram ponerent. Inde illa ſacrarum reliquiarum vltra legitimum modum veneratio : ipſa quidem etiam prius vſurpata, ſed aliter, alióque fine, & parcius. Inde illa in pręſidio Sanctorum poſita fiducia, & tam ſollicita eorum inuocatio. Inde ille quem hodie videmus, cultus imaginum & adoratio : quę nouitas initio cùm induceretur, Orientem & Occidentem inter ſe commiſit, & aliquamdiu etiam colliſit. Inde alij numero infiniti ἐθελοπερισσοθρησκείας, vt vocem Epiphanij vſurpem, & nouarum ſuperſtitionum noui ritus. Quarum innouationum tot & tantarum, ne aliquid ſuboleret populis Chriſtianis, inaudita prius Satanę fraude, diuina eloquia non ſolùm laicis, ſed etiam cleri maximę

parti

parti sunt adempta : eóque tandem peruentum est furoris, vt grex Christi, Testamentum Christi, Pastoris illius sui boni, neque domi curaret, vel auderet legere, neque publice lectum aliena lingua, posset intelligere. Accessit tot malis cumulus ingens, dominatio terribilis vnius, in Ecclesiam pretioso sanguine Christi liberatam, ab aliquammultis seculis introducta. Sedes enim Romana, quæ prima inter Patriarchales quondam satis habebat censeri; Domina Ecclesiarum esse atque agnosci dudum est cùm voluit. Et Ro. Pontifex, postquam potestatem suam in rebus spiritualibus ad vltimum fastigium perduxerat; pertæsus fortunæ suæ, quasi nihil dum egisset, ad temporalem dominationem animi mentem conuertit. Cui vbi semel inhiare cœpit, nunquam ex eo prius conquieuit, quàm in illud culmen sublime terrenæ potentiæ vidit se euectum, vnde postea Imperatores, Reges & Principes, longe infra se positos, superbe despicere, & quoties luberet, aut rebus ipsius expediret, pedibus posset conculcare. Has pœnas longe grauissimas, Ecclesiarum in Europa Principes populique dederunt, non diligenter vindicatæ Veritatis aduersus Satanę molitiones. Lux Euangelica versa est in tenebras; veræ pietatis aurea simplicitas, in superstitiones Libycæ arenæ instar numero carentes; Libertas Christiana in horrendam seruitutem: Ecclesiæ jura omnia, cum ipsis Imperatorum ac Regum coronis, vnius Monarchæ tiaræ sunt subjecta; qui dandi & auferendi imperia regnáque, instituendi & destituendi Mundi potestates, jus sibi vni & soli vindicat. Sileo nunc alias calamitates omnis generis, & dirissima bella, quibus toties concussa est Europa, dum passim neglecta, & in

profundum demersa latet Veritas. Sed ô vim illius admirandam, ô consiliorum Dei abyssum altam! Quo maxime tempore artes cœlesti Veritati contrariæ regnum in Europa obtinebant, cœpit illa vim suam exerere. Post longam siquidem malorum inenarrabilium tolerantiam, post diuturnos gemitus, quos doloris justi magnitudo pijs exprimebat, post exspectatam per tot secula reformationem in Capite & membris, toties promissam, nunquam præstitam; reperti sunt ad vltimum, qui patientiam rumperent, & ad veritatem ex intimo pectore anhelantibus duces se præberent. Nihil jam dico, quales illi viri fuerint, quid spectarint, quid egerint: hoc dicam, quod negari omnino haud potest; ex ipso rerum euentu, luce meridiana clarius constare; diuinitus fuisse illos excitatos, si nihil aliud, certe ad hoc vnum efficiendum; vt qui supremum in Ecclesia dominium, & plenitudinem potestatis sibi vindicabant, tandem, si pote, euigilarent, in sese descenderent, déq; religionis Christianæ varijs corruptelis, quas longa dies inuexerat, & de querimonijs omnium tota Europa Principum ac populorum, serio inciperent cogitare. Quod si ea tum mens fuisset Rom. Pontifici, vt sui admonitus officij, vinci se pateretur quà expressis, quà tacitis precibus Imperatoris, Regum, Principum, tot nationum, ipsius adeo Ecclesiæ: neque toties spes illorum esset elusa, qui aliquam saltem tolerabilem ab eo reformationem exigebant & sibi spondebant; certum est, non fuisse res religionis in neruum, vt euenit, erupturas. Non esset facta hæc, necessaria illa quidem, sed nihilominus lamentabilis Ecclesiarum in Europa, scissura: singulæ nationes priuatim sibi consulere, & operi manus admouere,

cessante

ceſſante Roma, non fuiſſent coactæ: inſtauratæ religionis primitiuæ, & mundatæ domus Dei, ad alios non eſſet gloria tranſlata: poſtremò populi Chriſtiani, quorum hodie alij reformationem adhuc præſtolantur, alij ſe ſaltem aliquam adeptos lætantur, diuiſi in ſeſe, & in funeſtas factiones diſtracti, integrum jam ferme ſeculum Imperatoris Turcarum negotium non agerent; neq; ad celerem ſuam ruinam, cum æterno nominis Chriſtiani dedecore, Deus omen auertat, ſuis ipſimet ſibi manibus, proh dolor! viam munirent. Nunc quum admonitiones, preces, ſupplicationeſq; omnes omnium intolerabili plane ſupercilio à Rom. Pontifice ſemper ſint ſpretæ; quum in eos qui vel ſolum legitimæ reformationis nomen auderent vſurpare, flamma & ferro ſemper vbiq; ipſo auctore ſit ſæuitum; quid per Deum immortalem, illi facerent, quos Veritas è denſiſſimis tenebris emergens, ceu nouus aliquis Sol, pulchritudine ſua & majeſtate admirabili ceperat, & ad ſui amorem ac deſiderium, non aliquibus igniculis, ſed flagrantiſſima veræ pietatis flamma incenderat? Plane vim & efficaciam illius Deæ ignorant, qui admiratores ejus & cultores, inter viuicomburia, & omnes ſuppliciorum ideas potuiſſe inveniri ſolent mirari. Vtinam potius agnoſcerent, opus reformationis, quo nullum neq; majus neq; nobilius inceptum, à multis ſeculis fuit inchoatum, non ſine numine fuiſſe ſuſceptum. Vnde enim niſi à Deo, tantus ille zelus tot hominum, tot populorum, quo repente correpti, poſthabitis rebus omnibus humanis, ſpreto omni metu, cultum diuinum miris modis deprauatum, ad priſtinam formam reuocare, pro ſua quiſque virili, ſunt conati? At non aſſecuti ſunt omni

 fortaſſe

fortaſſe ex parte, auctores reformationis, quod tota mente, tota voluntate optabant. Eſto: nam omnia magna opera, quę per homines Deus fecit, ſuos progreſſus admodum aliquando lentos reperiuntur habuiſſe: verùm illud certe ſunt conſecuti, ſicut illorum vnus Cardinali Sadoleto reſpondens ſcribebat, *vt à Pontificis Rom. tyrannide ſe vindicarent, & paullo meliorem Eccleſiæ formam apud ſe conſtituerent.* Non poteſt paruum hoc videri, niſi ijs, qui ignorant, (etſi quis hoc poteſt ignorare?) quot potentiſſimi Imperatores, quot Reges magni, aut Principes late dominantes, ſuperioribus ſeculis crudeliſſimè atq; ignominioſiſſimè à Papis habiti, poſtea imperijs ſuis dejecti, & ad malorum extrema ex alto ſuarum dignitatum faſtigio detruſi, ac ceruices demum ſuas Papę ſubijcere & calcandas prębere coacti; diem illum videre auidiſſimê deſiderarunt, qui ipſos & populos ipſorum à tam dira ſeruitute liberaret. Fruſtra: quia nondum ê tenebris reuocatę Veritatis lux Europæ affulſerat: de qua dixit Dominus, *& cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Scit hoc omnium optimè, IACOBE Rex maxime, propria experientia edocta Majeſtas tua. Sciunt & tuorum regnorum omnes ordines, populique vniuerſi; immortales Deo æterno gratias & habere & agere obſtricti, niſi hominum ingratiſſimi volunt cenſeri; quod diuinæ hujus promiſſionis fidem in ſeſe ſint experti, & quotidie experiantur. Tu, quod pleno jure hodie regnas, quod non es fidelis, id eſt, vile mancipium Papæ, quod feudatarius illius non audis, neque precariò regnum obtines, tanquam procurator hereditatis alienæ: quod tibi cum reuerendo tuo Clero conuenit, neque aut tu ab illo tibi metuis,

aut

aut ille à te sibi; quod curam instituendorum pastorum, diuidis cum tuis Episcopis, & partem tibi debitam, quæ ad temporalia spectat, intrepide tibi vindicas; partem alteram curæ, quæ spiritualia attingit, ipsis relinquis; hæc omnia quæ verum te Regem probant, & sine quibus Regis quidem imaginarium nomen obtinere potuisti; rem ipsam & vim nominis non potuisti; hęc, inquam, omnia, agnitę cœlesti Veritati tua Maiestas, pro eo ac debet, fert accepta. Tu regnum Dei quæsiuisti: illa & spem ejus tibi fecit, rationemq; certam illius consequendi ostendit: & hoc amplius, ista omnia tibi adjecit. O amicum Principipibus numen, & omni studio ab illis atque sollicitudine colendum! Vbi nunc illa tempora, cum è tuis majoribus, gloriosissimæ memoriæ Regibus, vnus superstitione cæca ductus, zelum habens, sed non secundum scientiam, vltro nulla re cogente regnum suum Gregorio III. Rom. Pontifici fecit vectigale? aut cum Rex alter, propter aduersa casuum in desperationem adductus, Innocentio III. à quo exagitatus fuerat, cedere jure regnorum Angliæ & Hiberniæ, & partibus villici Rom. Pontificis cogitur esse contentus? ô temporum cæcitatem horrendam! ô Petri successorem, factis suis Petrum egregie referentem! Ingemuerunt tanto casui tanti Principis, tam tristi, tam fœdo, non solum Barones proceresque illius, & quantum fuit subditorum; sed etiam Regũ ac Principum tota Europa prudentissimus quisque atq; optimus: súntque adeo relatæ in literas ad perpetuam memoriam voces, quas ad tam immanis exempli nuntium, eorum nonnulli ediderunt; testes iustissimæ ipsorum indignationis simul & stuporis. Sed ipsius

Regis

Regis illius infelicis vox extat apud ſcriptores illorum temporum, digniſſima quam mente alta Principes omnes recondant; *Poſtquam,* dixit ille, *Deo reconciliatus, me ac mea regna, proh dolor! Rom. ſubieci Eccleſiæ, nulla mihi proſpera, ſed contraria omnia aduenerunt.* Quid dicam de præſenti Cleri tui & vniuerſi populi, ſi cum illis temporibus hæc comparentur, beatiſſima conditione? Non jam, vt olim, Epiſcopi electi trans Alpes currere, & ſuam confirmationem vi pecuniæ ingenti à Papa redimere neceſſe habent. Non amplius pallij jus auri pondere magno eſt illis emendum. Romam accurrere ſingulis triennijs, aut quoties liberet Rom. Pontifici, hoc eſt, quoties nummos Anglicanos ſitiret, nulla nunc illos cogit neceſſitas. Non jam illa cura, vt quondam, Angliæ tuæ Epiſcopos ſollicitat, vt beneficia optimæ notæ Italicis hominibus conferant; *in quibus beneficijs,* (verba ſunt Matthæi Pariſienſis,) *nec jura, nec pauperum ſuſtentatio, nec hoſpitalitas, nec diuini verbi prædicatio, nec Eccleſiarum vtilis ornatus, nec animarum cura, nec in Eccleſijs diuina fiunt obſequia, prout decet, & moris eſt patriæ; ſed in ædificijs ſuis parietes cum tectis corruunt, & penitus lacerantur.* Non metuit hoc tempore Dominus Archiepiſcopus Cantuariæ, ne Papales bullæ ad ſe afferantur, quæ ipſi nuntient, *ſe ſuſpenſum à beneficiorum collatione, donec trecentis Romanis in primis beneficijs vacantibus, fuerit prouiſum;* ſicut accidit anno Do. MCCXXXIX. Edmundo Archiepiſcopo, miſſis bullis à Gregorio IX. idque ex pacto, quod inierat Papa cum ciuibus Romanis, parum illi tunc cupientibus. Controuerſiæ Eccleſiaſticæ in Anglia exortæ, è vetuſtiſſimo canone, cujus etiam B. Cyprianus meminit, in Anglia terminantur.

Exactores

Exactores denarij Petri, item aliarum contributionum, visitatores, procuratores & firmarij Romani, venditores indulgentiarum pro modo opum; dispensatores votorum, & legitimationis institores ad suscipiendos ordines; Caursini fœneratores, Romæ degentes, sed qui omnia in Anglia agebant ferebant, dum Papæ congerebant pecunias; bullarum delatores ad nouas extorsiones; ingeniosi muscipulatores, (sic historia nominat) qualis aliquando Petrus Rubeus fuit, & sæpissime alij, emungendæ pro Papa pecuniæ artifices solertissimi; & similes his aliæ sexcentæ nocendi artes, inenarrabili erga tuos Anglos, Rex Serenissime, beneficio Veritatis, nomina hîc sunt jam inaudita, & prorsus absque superiorum seculorum monumentis esset hodie incognita. Sed ne Legatus quidem à latere vllus amplius rapinas per Angliam exercet; quod plurimi olim fecerunt: nonnulli tanta cum auri fame, vt de illorum vno Ottone à Gregorio IX. misso, legatur, ipsum postquam toto triennio, detestandis artibus pecuniam vndique corrasisset: tandem cùm discederet, non tantum pecuniæ in toto hoc regno reliquisse, quantum ipse partim jam miserat Romam, partim abiens auferebat. Et sunt tamen ista præ alijs malis leuia, quæ tuorum regnorum populi à Curia Rom. per aliquot secula continua esse passi, ab illorum temporum consentientibus historicis narrantur. Verè enim *hortus deliciarum Papis fuit tum Anglia, & puteus inexhaustus*, sicut venuste aliquando Innocentium IV. legimus illam nominasse. Taceo impræsentiarum vera animi bona, admissæ reformationi imputanda; quæ pluris tua Majestas, pro sua pietate, facit, quàm omnia terræ vniuersæ regna. Vnius Dei

sine

ſine ſocijs aut collegis, ſinceram adorationem: Beatæ Virginis & Sanctorum, ſine ſuperſtitione venerationem: pacem conſcientiæ apud Deum, per fidem in merita & mortem Chriſti: non vt ceſſent fideles à bonis operibus: apage hanc inſaniam: ſed vt poſtquam omnia fecerit aliquis, ſeruum ſe inutilem agnoſcat, neque ex ſuis meritis ſumat vnquam fiduciam, oculos in cœlum attollendi: conſolationem inenarrabilem ex aſſiduæ lectione & jugi meditatione Scripturarum: non vt illas ex proprio ſenſu fidelis interpretetur: ſed vt ijs, quæ habent perſpicua, (habent autem, ſi credimus Patribus, omnia ad ſalutem neceſſaria,) & conſentientibus primorum Eccleſię Doctorum expoſitionibus, animum ſibi muniat aduerſus tot falſas opiniones, quę pro antiquis fidei articulis hodie incautis obtruduntur: ſacroſanctę Euchariſtię ex inſtitutione ac juſſione Domini, ſecundum mille annorum atque amplius continuam in Eccleſia praxin, ſub vtraque ſpecie perceptionem: confirmatum denique animum aduerſus illa quondam terribilia excommunicationum fulmina; quæ ſæpe in innocentes Principes Papę olim ex humanis cauſſis potius quàm diuinis, quod nemo ignorat, vibrarunt: vt cùm vniuerſos hujus regni populos ſub diro (ita credi jubent Papę, & tunc credebatur) anathemate, integros ſex annos, menſes tres, & dies XIV. Innocentius III. olim tenuit: qui, ſi vel vnum diem tot innocentes animas eo in ſtatu detinuiſſet, rationem facti à charitate paſtoris alieniſſimi, Chriſto Paſtori paſtorũ nunquam eſſet probaturus; ſiquidem Papalium excommunicationum ea vis eſt, quæ Romę jactatur. Hujuſcemodi admiranda bona ſunt, tam futurę vitę, quàm pręſentis,

experiendo

experiendo Majeſtati tuæ comperta, quæ poterant Principes populique omnes Europæ ſibi polliceri, & Deo ceptis adeo ſanctis aſpirante, conſequi; ſi collapſæ pietatis primæuæ inſtaurationem, quam votis communibus tamdiu omnes optauerant, ſæpe etiam popoſcerant, communi item opera procurare conſenſiſſent. Sed nunquam ita bene cum humano genere eſt actum, vt inoffenſo pede magna & laudabilia incepta procederent. Nimirum inter cætera mortalitatis incommoda, iſtud etiam venit cenſendum: quod ad præclara, alta, & ſalutaria quæque rarus aut lentus, etiam inter prudentes intervenit conſenſus: ad minus honeſta, ne dicam pernitioſa, vltro & concordes populi accurrunt. Inde eſt, quod Reformationis opus arduum & plane heroicum, multi Principum, ceu negotium, in quo nihil ſibi neque meteretur neque ſereretur, neglectui habuerunt; plures totis ſe viribus illi oppoſuerunt; pauci quidam inuſitata animi magnitudine capeſſerunt. Multos dulce venenum conſuetudinis, quę & ipſa inter inimicos Veritatis nomen ſæpe profitetur ſuum, (propterea B. Chryſoſtomo tyrannis nominata,) à tam præclara cogitatione auertit. Qui ſi Tertullianum in conſilium adhibuiſſent, aliter profectò ſenſiſſent. Verè enim illi dictum, *Dominus noſter Chriſtus Veritatem ſe non conſuetudinem cognominauit*. Sed & S. Bernardus ad Eugenium ſuum recte & ex vero; *Quid non euertat conſuetudo? quid non aſsiduitate duretur? quid non vſui cedat? Primum tibi importabile videtur aliquid: proceſſu temporis ſi aſſueſcas, iudicabis non adeo graue; paullo poſt & leue ſenties; paullo poſt nec ſenties; paullo poſt etiam delectabit. Ita paullatim in cordis duritiam itur, & ex illa in auerſionem*, id eſt;

*** Apoſtaſiam.

ἀποστασίαν. Quod igitur multorum acquieſcit animus in tot ſuperſtitionibus, & cultu Dei tantopere deprauato, vis conſuetudinis hoc facit. Quod non pauci hodieq; Principes Romanę tyrannidis terribile jugum patienter ferunt, multi ne ſenſum quidem illius habent: id quoque vis conſuetudinis facit. Ita euenit illis fortuna, qua nulla deterior, miſeros eſſe, neque ſuam miſeriam ſentire. Multis quoque Principibus & Rebuſpub. in ea deliberatione fuit fraudi, quod perſuaſum haberent, Religionis reformationem ad ſuam curam nihil quicquam pertinere. Non enim cogitabant, id ſibi ab ijs conſilij dari, quos non verus zelus domus Dei, ſed vtilitatis ratio ducebat. Quantum enim ciuilium omnium poteſtatum intereſt, in meliorem formam Eccleſiam Dei reſtitui; tantum Papæ & omnium quorum fortunæ à Papa ſunt aptæ & pendent, intereſt, nihil moueri. A Iulio Cæſare priſtinæ libertatis reſtitutionem petere aut expectare, poſtquam ille ſemel Remp. euertit & occupauit, ſtultum & ridiculum fuiſſet. Rectè quidem illud dicitur, non eſſe Principum aut ciuilium magiſtratuum, leges nouas de cultu Dei conſcientijs ferre, aut propria Sacerdotum obire munia: ſed vtinam conſiderare Principes vellent, aliud eſſe Sacerdotem agere, ex ambone Scripturas interpretari, Sacramenta adminiſtrare, in nomine Chriſti ligare & ſoluere: aliud auctoritate ſuâ proſpicere, vt quæ ſunt Sacerdotis agat Sacerdos, atque id ritè, vt eſt à Deo juſſus. Has partes in Eccleſia Dei jam inde à principio pij Principes ſibi ſemper vindicarunt. Quorum exemplum tu hodie, Rex Sereniſſime, piè inſequeris ac ſapienter: quicquid blaterent non magis tui quàm ipſius Veritatis hoſtes conjurati. Noua, in-

***   fanda,

fanda, execranda Theologia iſta eſt, quæ docet curã ſubditorum pertinere ad Principem, tantum quatenus homines ſunt, non quatenus Chriſtiani. Ejus contrarium tua Majeſtas in quodam ſuorum ſcriptorum, è ſacris literis ita doctè & ſolidè probauit; vt pudorem ea diſputatio aliter dictitantibus debuerit incutere. Religionis aut neglectæ aut reſtitutæ decus dedecúſue, diuina eloquia Regibus non aſcriberent; ſi ad illorum officium ejus rei cura non pertineret: neque Spiritus Sancti teſtimonio Rex Ioas laudaretur, quòd ſacras oblationes in vſus non legitimos abſumi quum videret, Quæſtorem ſuum Sacerdotibus impoſuerit, cui rationes tenerentur illi reddere, qui ordinariam adminiſtrationem à Deo acceperant. Conſtantinus Magnus, Theodoſius, Iuſtinianus, & omnes pij Imperatores, negotijs religionis quàm diligenter ſe immiſcuerint, quis ignorat? Hiſpanorum hiſtoriæ Regem commemorant Reccaredum Wiſigothum, qui miſeratione diuina factus orthodoxus de Arriano, veram fidem in regno ſuo circa annum Domini noſtri DLXXXIX. curauit recipiendam. Ipſe igitur Synodum cogere, ipſe intereſſe, ipſe tridui jejunium Epiſcopis indicere, ipſe confeſſionem ſcribere, & firmandam Synodo exhibere. Idem fuit & majorum tuorum veterum Angliæ Regum, ante exortum doctrinæ Hildebrandinæ, conſtans & perpetuum judicium. Adgarum Regem, qui circa annum Chriſti CMLIX. habenas regni ſuſcepit, celebrant hiſtoriæ Anglicanæ, non ſolum vt Principem pium, sed etiam de conſeruanda pietate ſollicitum. Is Rex, in oratione quadam ad Eccleſiarum & monaſteriorum Patres, hæc verba inter cætera habuit: *Sed &*

meæ ſollicitudinis eſt, Eccleſiarum miniſtris, gregibus Monachorum, choris virginum, & neceſſaria procurare, & paci eorum & quieti conſulere; de quorum omnium moribus ſpectat ad nos examen: vt referunt Albertus Riewalenſis, in epiſtola *ad illuſtrem Normannorum Ducem, poſtmodo Regem*; & Gulielmus Riſhanger in Chronico: nam Parſonius Ieſuita, cùm (da veniam obiter hoc notanti,) *nos* mutauit in *vos*, magna ea perfidia fuit, & conſcelerati in ſuos Principes odij certum argumentum: *nos* enim habent omnes antiquæ membranæ, quas probitate & doctrina vir inſignis Robertus Cotton mihi nuper oſtendit. Extat etiam Synodus Prouincialis Regis ejuſdem juſſu coacta, quam Dunſtanus celeberrimæ tunc famæ Epiſcopus deſcribens; Adgarum in procemio dilaudat, *vt regali officio ea in re functum, veluti paſtorum Paſtorem*. Sed ex omnibus machinis, quas inimicus ille humani generis, ad impediendam religionis Chriſtianæ inſtaurationem admouit, atque etiamnum admouet: duæ illæ ſunt præcipuæ & hodie efficaciſſimæ, quas olim ad conuellendam Chriſtianiſmi inſtitutionem fuiſſe admotas, paullò ante dicebamus; amor videlicet nouarum opinionum, & præpoſtera falſæ antiquitatis aduerſus veram defenſio. Ad primos tumultus propter Eccleſiæ reformationem excitatos, examina ſceleſtiſſimorum hæreticorum repente emerſiſſe, qui piorum quietem ſollicitarent, & eorum exiſtimationem apud τῶν ἔξωθεν macularent, vltro confitemur & dolemus. Sed qui eo nomine auctores veræ reformationis, aut Eccleſias ab illis inſtitutas, quarum extant Confeſſiones, in vnius corporis harmoniam redactæ, in invidiam vocant; ij parum Chriſtiano

animo

animo (ne dicam aliquid grauius) artes veterum paganorum imitantur, & ipſorum calumnias aduerſus doctrinam Chriſti, non ſine offenſione Dei maxima, reuocant ex Orco. Quin potius cogitant, diſpoſitiones diuinas, & decreta conſtare ſemper ſibi, æterno fixa clauo. Placuit ſemel æternę prouidentiæ, peculiarem ſibi populum hoc genere tentationum exercere. Si naſcens Eccleſia, & deinceps omnium ſeculorum, huic ærumnę fuit obnoxia; cur hodierna, è ſuperiorum temporum tenebris exurgens, & veluti renaſcens, poſtularet ab eadem conditione ſe eſſe immunem? quo jure? quo priuilegio? Tunc aliquid dicerent aduerſarij Proteſtantium; ſi ex eorum corpore nemo extitiſſet, qui ſectas nuper exortas vel in Germania, vel in Polonia, vel vbiuis locorum, ſeriò confutaret. Nunc quum in nouos hæreticos nemo acrius memoria noſtra involarit, quàm ſit factum à viris noſtrarum partium primarijs; quæ, obſecro, hæc iniquitas eſt, Reformationi ex ijs ſectis invidiam commouere; quas vt radicitus extirparent, & auctores & aſſertores Reformationis tantum grauiſſimorum laborum ſuſtinuerunt? Memini, Rex θεοσεβέστατε, quum ante biennium paruus quidam liber, horrendarum hęreſeon plenus, ab hæreticis neſcio quibus Polonis Racouiæ eſſet editus, & quidem auguſto nomini tuo inſcriptus: poſteaquam in tuas manus is libellus deuenit, & tua Majeſtas pauca in eo inſpexit; quanta cum deteſtatione & ſcriptum Satanicum, & ejus auctores, certiſſimam Satanæ progeniem, ſis execratus: ſeuerè in illos animaduerſurus, ſi tui juris & poteſtatis fuiſſent. Arrianum in ſua perfidia obſtinatiſſimum, qui in vinculis diu detentus reuocari ad ſanam mentem,

nulla

nulla ratione potuerat, flammis vltricibus tua Majestas, impatiens injuriæ factæ Domino nostro Iesu Christo, Deo ἀκτίστῳ, jussit tradi. Nouis opinionibus in vicinis regionibus super natura Dei nuper exortis, quo studio, qua instantia tua Majestas sese opposuerit, testis est vniuersa jam Europa. Necdum tamen scio, quæ est iniquitas hominum, an poterit impetrari à Catholicis Romanis, vt Ecclesiam tuorum regnorum, & alias quę cum ea idem sentiunt, in eandem criminationem non involuant, cum pessimis quibusque memoriæ nostrę hæreticis, Anabaptistis, Libertinis, Suuenchfeldianis, Valentinianis, Arrianis nouis, Semiarrianis, Tritheitis, & Socinianis. Sed quicquid vel hęretici moliantur, vel hostes Reformationis calumnientur; nunquam tamen neque hi, neque illi efficient, vt fides Catholica & orthodoxa, quam sectantur Protestantes, (quantum quidem ipsis è Dei verbo cognitum est,) apud Deum τὸν καρδιογνώστην cum perditissimorum hominum delirijs, in eadem sint caussa. Quod si pręter scandalum tot sectarum, ne inter pręcipuos quidem Reformationis duces per omnia potuit conuenire, cur adeo miremur? homines vtique erant; via, quam insistebant, & in qua verum cupidè quærebant, angusta: solet autem iter angustum rixas transeuntium concitare: quum illa diffusa & patens via, elogio Scripturarum damnata, ne populos quidem collidat. Quid? nonne in seculorum omnium historia Ecclesiastica simile potest obseruari? nonne Basilius Magnus & Gregorius Naz. vt alios taceam, ejusmodi querelis & epistolas & alia sua scripta complerunt? Et tamen adhuc illis temporibus, stabat suum jus, & in Ecclesia summa auctoritas

Concilijs

Concilijs vniuerſalibus: quæ etſi cogi ſemper non poterant: ſemper tamen fas fuit pijs hominibus ſpe ſaltem conſolari ſeſe ejus remedij, quod ſolum ad componendas controuerſias & hæreſes auctoritate Eccleſiæ debellandas, cum Scripturæ docuerunt, tum priſci Patres agnouerunt atque vſurparunt. Nunc vero, quàm mutata eſt, bone Deus! ratio temporum? Dominus & Monarcha Eccleſiæ eſſe creditur ſolus Papa: errare in fide ſolus non poſſe: ſupra omnes mundi poteſtates, & ipſa vniuerſalia Concilia ſolus eminere. Quo igitur hodie Concilia, niſi ad inanem ſpeciem? Solus ergo imputet ſibi Papa, quod medendi Eccleſiæ malis, aut veteribus aut recentibus, quæ illam mirè deformant, diſtrahunt, & lacerant, neque ratio neque ſpes vlla in terris hodie pijs hominibus ſit relicta. Sedenim præſcriptum eſt videlicet jamdudum aduerſus omnes Nouatorum reformationes; neque aliud jam reſtat, niſi vt Antiquitas contra Nouitatem vindicetur. Ita enim hodie Pontificiæ Monarchiæ, & religionis ab aliquot ſeculis deprauatę acerrimi patroni dictitant: qui à ſe diſſident, turbulentos eſſe Nouatores, teterrimos hæreticos. Sunto ſane hęretici, ſi Nouatores: omnis enim hæreſis nouatio eſt circa fidem. Sed qua fronte hæc criminatio in Reformationis auctores, aut aſſertores hodie confertur? qui à centum fere jam annis hoc vnum clamant; Reddite populis Chriſtianis primam fidem; reddite primitiuæ Eccleſię ritus; deſinite nuper inventa, aut certe poſt ſemel traditam fidei regulam, pro credendis neceſſariò, & quidem ſub anathemate, gregibus magni Paſtoris obtrudere, & VINCIRE. Qui in Reformatione inſtituenda hanc ſibi

legem

legem dixerunt, ne vlla in re ſcientes prudentes à vera antiquitate, aberrarent; hoc eſt, ne extra Scripturas, quibus nihil habet Eccleſia Dei antiquius, fidei regulam quærerent. Qui totis ingenij viribus eò collimarunt, vt fides quam inſtaurabant, illa ipſa eſſet fides, cujus auctor ſolus Chriſtus, Apoſtoli præcones, vetus Eccleſia propagatrix, priſci illius Doctores, defenſores. Ea eſt fides, ad quam Paulus Corinthios revocabat, vt labefactatam inter illos doctrinam de ſacra Euchariſtia, in integrum reſtitueret. *Ego*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ea eſt fides, ad quam idem Apoſtolus etiam Galatas reuocabat, tanta contentione affirmans, aliud nullum eſſe Euangelium, niſi illud, quod ipſe eis prædicauerat: nihil dubitans Spiritu Dei plenus, etiam de cœlo venientibus Angelis anathema dicere, ſi aliquid aliud doctrinę fidei adijcerent, παρ᾽ ὃ παρελάβετε, præter illa quæ ab ipſo Galatæ acceperant. Ea eſt fides, ad quam alter Apoſtolus S. Iudas omnes omnium Eccleſiarum fideles reuocabat: cum pullulantibus inter ipſos jam tum hæreſibus, hortatur pios ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις, *vt fortiter decertent pro fide*; qua autem fide? *ea quæ ſemel tradita fuit ſanctis.* ô diuina verba, numero illa quidem pauciſſima; ſed ſenſu vberrima? quæ vel ſi ſola eſſent in Scripturis, recte expenſa, hodiernas de fide controuerſias tollere, & Eccleſijs pacem reddere, ſi mens pleriſque mortalium non eſſet læua, ſint idonea. Volumus ſcire, quæ ſit vera fides? Ea eſt auctore Iuda Apoſtolo QVAE SEMEL FVIT TRADITA. Volumus fidei regulam tenere, *quæ*, vt olim dicebat Tertullianus, *vna omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis?* ſequamur Iudam, & illo docente

cente discamus, illam demum esse veram regulam fidei, QVAE SEMEL FVIT TRADITA. Volumus hodie scire, quum tot jactentur fides, Pontificis Rom. Lutheri, Caluini, & cujus non? quæ sit omnium certissima, quam defendere, sit veram antiquitatem defendere; quam oppugnare, sit meram nouitatem inducere? Confugiamus ad sacram ancoram, & discamus a Iuda Apostolo, illam demum esse veram fidei antiquitatem, QVAE SEMEL FVIT TRADITA. Hoc & Tertullianus volebat, cum in libro de velandis virginibus scribebat, *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum.* de ea enim veritate sentiebat, quam Iudas appellat *Fidem traditam* SEMEL. de qua etiam magnus ille scriptor in libro de Præscriptionibus dicebat, *Principalitas* (ea est vera antiquitas) *veritati, posteritas mendacitati deputanda: id enim esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* rectissiméque idem docet, parabolam Christi seminantis & Diaboli postea sterilis fœni adulterium superinducentis, doctrinarum distinctionem figurasse, id est veram antiquitatem asseruisse aduersus posteriores quasque hæreses. Hoc & beatus Martyr Cyprianus volebat, cum in Epistola ad Cæcilium, errantes in religione, *ad radicem atque originem traditionis Dominicæ, omnibus nouellis & humanis traditionibus valere jussis jubebat reuerti.* Hoc deniq; & Patres illi volebant, qui *de rebus fidei aliunde suadere neminem posse* aiunt, *nisi ex literis fidei*, vt loquitur Tertullianus: qui οὐδὲ τὸ τυχὸν, *ne minimum quidem*, quod ad fidem pertineat, aliunde peti debere nisi è Scripturis præcisè de-

 finiunt,

finiunt, vt Cyrillus Ierosolymorum Episcopus in quarta Catechesi: qui fidei euersionem esse confirmant, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, *aut prætermittere, & quasi irritum facere aliquid quod sit scriptum, aut aliquid non scriptum inducere,* vt Basilius Magnus, in libello de fide. Et verissime ille quidem: nam vt est apud Magistrum Cyprianj in Præscriptionibus, *Nobis nihil ex nostro arbitrio* INDVCERE *licet: sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio elegerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod* INDVCERENT *elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt.* Et B. Chrysostomus alijque Greci Patres subinde admonent; Nihil hodie, post semel à Christo traditam fidei regulam posse quemquam παρεισφέρειν, *noui aliquid inducere sine peccato*; nam ea est verbi Græci vis, quo & Chrysostomus & alij Patres in eam rem vtuntur. Iccirco & Gregorius Naz. in Athanasij epicedio orthodoxam fidem ἔγγραφον εὐσέβειαν nominabat, *pietatem Scripturis comprehensam*; hæresim vero Arrianam ἄγραφον καινοτομίαν, *nouitatem extra Scripturas inductam:* & è tribus Vincentij Lirinensis regulis, quę jam in ore sunt omnibus, prima est, *Quod fuit a principio.* Hæc & similia his sexcenta, quæ in Scripturis & Patrum monumentis in eam sententiam passim leguntur, si diligenter apud se, vti par erat, expenderent inimici Reformationis, quam ejus auctoribus Nouitatem objiciunt, eam in sinu suo reperirent: essentque omnino ijdem, excitatis à Deo viris in commune bonum æquiores; faciléque intelligerent, non posse eos sine insigni calumnia damnari vt Nouatores, quibus, etiamsi non semper ex destinato proposita fluxissent, a-

nimum

nimum tamen fuiſſe conſtat, fidem illam ſemel traditam, & poſtea humanarum inuentionum mole pene obrutam in lucem reuocare, & verè, quod iſti hodie jactitant, nec præſtant, primæuam antiquitatem, contra poſteriorum ſeculorum Nouitatem vindicare. Quid ? audebunt ne inſtauratæ hoc ſeculo Veritatis inimici dicere, doctrinam de adempto populis calyce extra caſum neceſſitatis, de accidentibus ſine ſubſtantia, de concomitantia, de cõmunione ſine cõmunicantibus; de ſacrificio Chriſti, non per cõmemorationem & repræſentationẽ ejus quod ſemel eſt peractũ in cruce; ſed verè & realiter, omnibus ſacrificij proprietatibus ſeruatis; de cultu imaginũ hodierno; de picturis Trinitatis, vel potius Τετράδος jam, poſtquam in picturas Trinitatis admiſſa B. eſt Virgo; de indulgentijs & ſimilibus quiſquilijs ad extrahendas animas è Purgatorio; de abſoluta neceſſitate ſeruandi ſigilli Confeſſionis, ſi vel fides ipſa Chriſtiana, vel totus mundus in periculum adduceretur, vt affirmat Ieſuita Henricus Henriquez: hæc, inquam omnia, & ſimilia his doctrinæ Romanæ capita innumera, audebuntne dicere, eſſe illam Iudæ Apoſtoli ſemel traditam fidem ? Nam Papæ quidem Monarchiam, poteſtatem Imperatores & Reges inſtituendi deponendique, & tam de coronis illorum pedibus ludendi, (quod Cœleſtinus olim fecit referente & laudante etiam Baronio) quàm de capitibus ſtatuendi; nullum eſt dubium, quin dicturi ſint tantæ nouitatis defenſores, eam eſſe illam ipſam Iudæ Apoſtoli, ſemel traditam fidem. Dicturi ſanè; ſed quomodo probaturi ? Enimuero digna res eſt, quam pij omnes veris lacrymis defleant; extare hodie eruditos

homines, qui posteaquam semel in animum induxerunt, omnes posteriorum seculorum nouitates, imò etiam nouissima quæque inuenta defendere, in eas angustias coguntur, vt clarissima Scripturarum verba torquere in alienissimos sensus non vereantur. Non metus Dei, non analogia fidei, non consentientes veterum Patrum expositiones, non aliquis suę existimationis respectus, quam apud Deum & homines veri amantes, miris modis traducunt & maculant, ab hoc proposito potest eos auertere. Igitur quum multa à paucis retro seculis Papæ sibi vindicent jura penitus noua; omnium defensio in paucissimis Scripturę verbis, sed maximè in illo vnico, PASCE, interpretandi subtilitate reperiuntur esse fundata. Monarchæ ergo & Reges in Ecclesia esse volunt & sunt hodie Papæ. Quare? quia dixit Petro Christus, *Simon Bar-Jona, Pasce oues meas*, id est, Baronio interprete, *supremum in Ecclesia dominium tibi assere*; Bellarmino autem, *regio more impera*: ceu vellet hic Cardinalis ex professo contradicere voci Christi apud Euangelistas; *Reges Gentium dominantur earum, vos autem non sic.* Quanquam ne hisce quidem adeo perspicuis verbis, suus defuit tortor, qui ex illis argumentum pro dominatione Papę absoluta in Orbem terrarum vi magna torquendo exprimeret: sic enim illa nuper Gaspar Scioppius in Ecclesiastico suo exposuit capite XLVII. *Lex Christi*, inquit ille, *potestatem qua Reges Gentium dominantur, penitus tollit, & inter Christianos exerceri prohibet. Matth.* XX. neque dubitat homo furiosus, illam infinitam in Principes tyrannidem Papę, hoc Scripturarum loco & similibus fulcire. Sed redeo ad verbum PASCE. Mirantur verè pij,

Papam

Papam hoc ſibi vindicare, vt ſit ſummus judex in controuerſijs fidei, quę fuerunt olim partes Conciliorũ ex Dei verbo: ſed hoc jus Papę aſſerit Bellarminus è vocula *Paſce*. Mirantur tribui Papę ἀναμαρτησίαν & quod ne poſſit quidem in fide errare. ſed hoc probat Bellarminus, eo argumento, quia dixit Chriſtus Petro, *Paſce oues meas.* Mirantur tribui Rom. Pontifici jus per tot ſecula inauditum, ferendi leges in Eccleſia, quę conſcientias fidelium obligent: imò etiam, vt quibuſdam placet, fidei articulos nouos: ſed hoc quoq; Bellarmino eodem argumento facile probatur. Mirantur quicunque ſunt Scripturarum aut Patrum lectioni innutriti, illum theſaurum ſuperfluentium meritorum Chriſti, & Sanctorum, quem pro libitu diſpenſat Papa. Sed deſinant mirari, & accipiant auctoritatem è Scripturis; quia dixit Chriſtus Petro, *Paſce:* nam ita docet Bellarminus in libris de indulgentijs. Mirantur & indignantur quicunque perduelles ſuorum Principum, vnctorum Dei, non ſunt, audere Papam dicere, corruptum à ſuis adulatoribus, licere ſibi, imperia transferre, ſubditos ſacramento fidelitatis abſoluere, deniq; Reges facere non Reges; ſed hoc jus Pontificum eliciunt Bellarminus & alij è vocabulo *Paſce.* Nec deſunt, qui ex eodem illo verbo colligant, Rom. Pontificem jus habere coërcendi etiam pœnis temporalibus, etiam mortis, Principes ſibi immorigeros; vt Becanus Ieſuita, aduerſus quem juſta nuper ira Sorbonæ exarſerat, & alius item Ieſuita Suarius; homo in alijs literis non ſine laude verſatus; in Eccleſiaſticis verò antiquitatibus planè infans: in Euangelica doctrina ne infans quidem: cujus librum aduerſus tuam, Rex Sereniſſime Monitoriam ſcriptum, vidimus nu-

per,

per, propter Satanicas hæreſes quibus ſcatet, & in legitimos Principes plus quàm Diabolicam audaciam, in ignem publicè conjectum. Nec tamen pudet prodigioſarum nouitatum reum, neque Chriſti, ſed Hildebrandi diſcipulum, eam quæ in tuis regnis obtinet fidei formulam, vt parum antiquam exagitare: tuamq; adeo Majeſtatem, cujus ſcripta omnia, in ſumma pietate maximam primæuę antiquitatis reuerentiam ſpirant, in ea epiſtola, qua omnes Europæ Principes aduerſus illam concitat, quod Nouatoribus aurem præbeat, petulanter excuſare. Scilicet Ieſuita Suarius, & ſimiles ei nouarum hęreſeon patroni, de Pauli exemplis, quæ modò commemorabamus, aut de Iudæ præcepto, *decertate fortiter pro ſemel tradita fide*, aliquando apud ſe diligenter cogitarunt. Enimuero, Rex doctiſſime & Deo chariſſime, parum eſt, quod hodierni partium illarum diſputatores, qui nouitatum Nouatorumque omnium profiteri odium videri volunt, de vera antiquitate in lucem & vſum Eccleſiæ reuocanda, nihil quicquam cogitant; præ eo ſtudio, quo ferri illos cernimus, ipſam rerum antiquarum memoriam, & primitiuæ Eccleſiæ auream quà in fide, quà in ritibus ſimplicitatem, tenebris opprimendi, & obliuione ſempiterna obruendi. Nam quum ipſorum Theologia nouorum dogmatum plena, atque inſtitutorum in priſca Eccleſia inauditorum, præſidio veteris hiſtoriæ eſſet deſtituta; initio Reformationis facile erat, vel vnico illo argumento, *Non ita fuit à principio*, cujus vſum Chriſtus ipſe ſuos docuit, etiam ab obſtinatiſſimis Eccleſiæ Rom. defenſoribus, plurimarum deprauationum ingenuam exprimere confeſſionem. Non enim poterant vel audebant, id negare

gare

gare esse verius & melius, quod probaretur antiquius. Prima ex omnibus Europę nationibus Germania post literarum παλιγγενεσίαν, & ad inquisitionem Veritatis vexillum ausa proponere; & ad veram Ecclesiæ antiquitatem è tenebris eruendam, exemplo suo pręire. Notæ sunt tuæ Majestati, quę dicuntur Centuriæ Magdeburgicæ, à viris quibusdam doctis in eum maximè finem contextæ, vt quę fuerit Ecclesię fides per singula secula, quæ disciplinę forma exterior, quæ mutationes illi acciderint, ob oculos hominibus ponerent. Etsi autem in partibus operis illius luculentissimi, desiderari possunt non pauca, vel propter τὴν ἀμετρίαν τῆς ἀντιλοχῆς, semper inimicam Veritati, vt jam olim querebatur Basilius: vel quia vnus è primarijs illius incepti auctoribus, magnę potius quàm bonæ apud viros pios fuit famæ: summam tamen instituti laudabilem, & Ecclesiæ nostris temporibns apprime fuisse vtilem, nemo alienarum vigiliarum judex æquus negauerit. At non ita judicarunt Rom. Monarchiæ hodierni patroni: qui probè intelligentes, quantum suę caussę detrimentum notitia accurata veræ antiquitatis, è priorum seculorum caligine emergentis, esset allatura: id ex eo ceperunt curare, idque adeo etiamnum studio omni curant, & mira diligentia satagunt; vt nouitatibus quas tuentur, ab historicis monumentis apud posteros parata sit defensio. Ac quoniam nulla ejusmodi historia primorum temporum extabat, quę ipsorum scopo admodum faueret; rerum Ecclesiæ memoriam retexere, & nouam illi faciem dare instituerunt, suáq; industria efficere, vt quę in vetustis historijs ipsi optabant inuenire, neque inueniebant, id in nouis & à se retextis posteritas sit repertura. Quo in

propofito,

propoſito, quum multorum ex illis partibus docto-rum hominum induſtria deſudauerit; vnus tamen Cæſar Baronius, magnis ſuis laboribus poſtea Cardinalatum meritus, omnium priorum luminibus facile obſtruxit; vir ejus eruditionis, tantę diligentiæ, itáq; neceſſarijs plerîſque prępſidijs ad opus quod parabat inſtructus; vt mirum videri non debeat, tantam ipſi ſuas in eo genere lucubrationes apud omnes nationes nominis celebritatem peperiſſe. Narrat ipſe, juuenem ſe à Philippo Nerio, Congregationis Oratorij fundatore, poſteaquam Magdeburgenſium Centurię Romam erant allatæ, fuiſſe deſignatum, cujus humeris componendę Hiſtorię aduerſus illas Centurias comparatæ, prouincia imponeretur. Annos igitur, non decem, quo ſpatio temporis elephantorum partus eduntur, ſed ter decem, ei ſtudio ſub Nerij ductu operam nauaſſe, priuſquam aliquid ederet. Orbem vniuerſę hiſtoriæ à primordijs Eccleſię ad noſtra tempora in Congregationi illi conſuetis exercitationibus ſepties repetijſſe, & abſoluiſſe, dum ad ſuſceptum opus ſeſe accingit. Quo diligentiæ nouo exêmplo, in contexenda Eccleſiæ hiſtoria vniuerſali, & ijs omnibus, quæ per totum Orbem Chriſtianum geſta ſunt memoria digna, in vnius narrationis ſeriem & formam Annalium digerendis, ea perfecit, de quibus ante ipſum perpauci cogitauerant, nemo ſimile quid vnquam ediderat. Eò magis dolendum, virum ſui ſeculi facile primarium, in opere tam nobili, communi hodie multorum vitio, partium ſtudio, ita licenter indulſiſſe; vt cujus πολυαναγνωσίαν, πολυμάθειαν atque induſtriam, neque mirari neque prædicare ſatis poſſumus; ejus fidem innumeris in locis vel inuiti cogamur deſiderare

derare

derare. Bonus cum primis auctor Polybius, in officio historiographi describendo dicebat; illum qui ad scribendam historiam se accingit, siquidem ad veram laudem iter affectet, omnium priuatarum charitatum, atque adeo patriæ suæ obliuisci debere, vt ab affectibus liber, vni possit litare Veritati. Hoc saluberrimum & necessarium præceptum, quia prorsus contempsit Baronius, oblitus planè in scribendo, se personam induisse conditoris Annalium, non patroni ejus caussæ quam probabat; euenit ex ea re, vt Historia, quæ inter paganos audiebat testis Veritatis, inter Christianos facta sit testis atque instrumentum falsitatis. Nam quod res arguit manifestissimè, Cęsar Baronius quando ad scribendum animum appulit, non id sibi negotij credidit dari, vt faciem veteris Ecclesiæ, qualem inveniebat quà in Scripturis, quà in Patrum & historiarum antiquissimis monumentis, & qualis verè fuit, penicillo suo simpliciter exprimeret: sed potius, vt talem ei fingeret σοφίᾳ quadam κακοσυνθέτῳ, vt est apud Epiphanium, & perpetuis in primo præsertim tomo anachronismis, qualē Romanæ Ecclesię susceptum patrocinium postulabat. Omnes hodiernæ de negotio religionis controuersiæ ad duo hæc capita, nisi fallor, commodè possunt reuocari; doctrinam de dogmate, ritibusue, & de Rom. Pontificis potestate ac Monarchia. In vtroque horum capitum, eam rationem tenuit Baronius, vt omissa quæstione de voluntate Domini, & vera antiquitate, omnia sine exceptione defenderet, quæ hodie & à paucis seculis, Romæ sciebat probari: in quo etsi subtilem artem interdum adhibet, quam nos

appellamus κρύψιν Baronianam, plerumque tamen animi ſui mentem ita palàm præ ſe fert, vt puerum eſſe, vel cæcum oporteat, qui Annales hos legat, & conſilium auctoris non intelligat. De Tranſſubſtantiatione, Concomitantia, genere ſacrificij Chriſtianorum, vera ejus natura atque vſu, calyce laicis adempto, Scripturis populo ablatis metu hæreſeos, lingua in ſacris non intellecta, traditionum etiam recentium auctoritate, invocatione Sanctorum, imaginum adoratione, (ſic Baronius millies appellat, in nono prȩſertim tomo,) cultu reliquiarum, Purgatorij credendi neceſſitate, indulgentijs, denique de tota ratione & modo legitimi cultus diuini celebrandi, & ſuperſtitionibus infinitis in eum admiſſis, integrum fere jam ſeculum inter Pontificios & Proteſtantes acerrimum eſt certamen: his, negantibus vllam earum rerum primis Eccleſiȩ ſeculis fuiſſe notitiam, & illum ex ore ipſo Chriſti manantem gladium aſſiduê rotantibus, A PRINCIPIO NON ITA FVIT: illis, ad tot nouitatum defenſionem, neſcio quas ratiunculas in contrarium afferentibus. Sed Baronius rationem inuenit, quȩ è manibus Proteſtantium telum illud in quȩſtionibus de fide ignitum excuteret, omnia ſequiorum ſeculorum inuenta colore imbuens venerandæ antiquitatis. Nam & in reliquis tomis crebram harũ obſeruationũ mentionem inijcit; & quia non ignorabat veram antiquitatem inſtitutorum Eccleſiaſticorum, ab ipſo Eccleſiȩ principio debere originem habere; jam in primo, qui vitam Domini in terris, & jacta Eccleſiæ fundamenta prima continet, nihil planè iſtorum eſt

ab

ab eo prætermiſſum. Romani verò Pontificis Monarchiam, & illud infinitum imperium, ita aſſiduê omnibus ingenij viribus, εὐκαίρως ἀκαίρως, propugnat, vt optimo jure aliquando Petrus Pithœus Galliarum ſingulare lumen dum viueret, vbi primos tomos inſpexiſſet, dixerit; *non Annales Eccleſiaſtici, ſed de poteſtate Papæ*, verum nomen iſtis Baronij lucubrationibus futurum. Qui vir optimus ſi poſtremos tomos vidiſſet,quid dicturus fuit? Nouæ enim illius & horrendæ, ac Principibus Papam agnoſcentibus funeſtæ doctrinæ, quę ſacris illorum ceruicibus Dominum imponit, abſolutæ poteſtatis Monarcham; quæ vitę & necis ipſorum dat illi poteſtatem; quæ ſubditos fidelitate ex jure diuino & humano debita abſoluit, & quoties lubet Pontifici, aduerſus vnctos Dei armat, nullus temere animoſior patronus Baronio, ne inter juris quidem Canonici interpretes, vęnalitia Paparum mancipia, poteſt reperiri. Pontificum vt quiſque in Imperatores aut Reges impotentiſſimè & ferociſſimè ſæuijt; ita plurimùm à Baronio laudatur: & quia Hildebrandus inter primos hujus hæreſeos auctor, aſſertor & propagator fuit; iccirco perfectiſſimi Papę ideam huic Nerij diſcipulo videtur abſoluiſſe, & miris elogijs prædicatur. Hic eſt Gregorius Septimus,qui Monarchiam Papalem in ſuis ſcriptis tam accurate defendit: qui elementa totius illius Satanicæ doctrinę breuibus quaſi aphoriſmis eſt complexus, qui in ejus epiſtolis leguntur, & Dictatus Papę nominantur: qui praxin ejuſdem furioſæ doctrinę dum exercet furioſè, cœlum terrę miſcuit, & cædibus horrendis Germaniam atque Italiam compleuit. Ille Pontifex à Gulielmo Rege Anglię,

quem Conquæstorem vocant, pecuniam & fidelitatem cùm exegisset; princeps generosissimus de pecunia facile annuit, de fidelitate plane abnuit: hoc non magis Hildebrando olim displicuit, quàm Baronio illam historiam describenti: persuaso nempe ex illius Pontificis dictatibus, *Vnum esse in terris nomen, videlicet Papæ.* Quemlibet Episcoporum Regem esse, & in regno cujusuis Regis plus ipso posse debere, cognitionibus illius intercedere, sententias de plano posse facere irritas, sæpissime in singulis fere tomis pronuntiat. Principes qui res Ecclesiasticas attingunt, vbiq; maledictis incessit; ausus etiam Reges veteres Francorum eam ob caussam comparare *latronibus in sylvis*, anno Domini, DCCCLV. Principum fideles consiliarios, qui jura suorum Regum aduersus Curiam Rom. defendunt, locis innumeris teterrimæ damnat hæreseos: neque aliud occurrit frequentius in posterioribus tomis, quàm hęreseos Politicorum dirissima detestatio. Magistratus ciuiles omnes & Præsides prouinciarum Episcopis ita reddit obnoxios, vt ab illorum nutibus velit ipsos pendere; alioquin è tribunalibus suis statim detrahendos ab ipsis Episcopis; sicut ait factum in Andronico ab Episcopo Synesio; lapsus in ea historia, justo Dei judicio, plus quàm pueriliter ex imperitia Græcæ linguæ, vt sæpe alibi: Henrico IV. augustæ memorię Principi, triumphatori omnium suorum hostium; sed de quo, ô seculi infamiam! Hildebrandina doctrina triumphauit; tomum nonum dedicans, exigere à tanto Principe non erubuit; non vt *comiter* Papæ *Majestatem coleret*, quæ fuit formula, quam olim exigebant Romani à sibi subditis Rebusp. & Principibus; ac ne *obsequium* quidem tantum-

tantummodo, vocem his moribus fortaſſe tolerabilem; ſed vt *humili quoque ſeruitio Chriſti Vicarios coleret*: quaſi non eſſetis vos quoque Reges, in regnis veſtris Dei vicarij: quorum Majeſtatem imminuere, crimen eſſe apud Deum, per quem ſolum vos regnatis, longè maximũ, ante exortam hanc nouam doctrinam nemo vnquam dubitauerat. Nulla inter Papas & vllum Principum ſuperioribus ſeculis rixa interuenit; quæ non ita deſcribatur in Annalibus, vt ex ipſa narratione, lector qui narrantis fidem ſequetur, non ſit collecturus, omnium criminũ & ſcelerũ, quæ in hominem cadunt, maximum eſſe, Papæ cæcam obedientiam non prȩſtare. Neq autem refert, qualis ſit Papa: nam quum ipſa rei veritas etiam illos, qui Pontificem Ro. ceu terrenũ Iouem colunt, & Deũ etiam nominant; (ita ſæpe inter cæteros appellat Pius Bononienſis, orator ſuperioris ſeculi non obſcurus, in orationibus Romæ habitis, Bononiæ editis;) coegerit fateri; ſediſſe in illa Sede aliquando Papas quinquaginta, ſerie continua per ſpatium annorum CL. ſibi ſuccedentes, non Apoſtolicos, ſed Apoſtaticos, inquit Genebrardus Proteſtantium hoſtis furioſiſſimus, in Chronico, ſeculi decimi initio: ſi quis tamen Imperator aut Rex aut Synodus legitima, auſa fuit vel peſſimo illorum obſtrepere, vt factum eſt Iohanni XII. *monſtro nulla virtute redempto*; ſtatim ejus conſilij auctores, vt perditorum perditiſſimi lacerantur in his Annalibus. Quid plura? Omnia Europæ regna, omnes inſulæ, (tuæ cum primis Anglia & Hibernia) ſi fidem habemus Baronij hiſtorijs, ſunt Ro. Pontificis: quod non dixit quidem ille primus, ſcio; ſed in monumentis peſſimorum ſeculorum inuentum ſtudioſè adnotauit,

&

& interdum, extra oleas euagans, confirmauit : vt cum in anno Domini MXCVII. tanta contentione & inſtantia regnum Siciliæ à Rege Catholico repetit ; certo indicio, Papas, ni vires deeſſent, vi & armis repoſcituros, quæ Baronius verbis tam enixê repoſcit. Cujus Annales eò periculoſiùs in manibus juuentutis & rudium veritatis lectorum verſantur: quo majore arte ſcopum ſuum in primis præſertim tomis diſſimulat. Nam Bellarminus, Becanus, Suarius, & id genus diſputatores, nudo, quod aiunt, capite veram antiquitatem religionis & jura Principum inuadentes atque oppugnantes, minus videntur metuendi ; vt qui aperto Marte rem gerant, & vel ipſis titulis librorum ſuorum Principum ſeſe hoſtes profiteantur. A Baronio verò ſcriptionem Annalium promittente, quis ſibi metuat ? aut quis vidit hiſtoriographum argumentoſum ? atqui multæ ab eo narrationes ita artificioſè concinnantur, vt ad nouum aliquod dogma hodie controuerſum, animis legentium inſinuandum, plus Baronij narrationes, quàm Bellarmini argumentationes ſint valituræ. Papam eſſe ſupra Concilium, nouitium eſt inuentum Doctorum ex Hildebrandina ſchola ; pro quo Bellarminus & alij pugnant argutijs, quæ apud mediocriter imbutos doctrina Euangelica non multum ponderis ſint habituræ. Baronij vero Annales cui non hoc perſuadeant ? In anno Chriſti trigeſimo tertio, referens hic Cæſar hiſtoriam, quæ narratur Matthæo, capite XVI. ſic illam concinnat, vt qui Papæ mentionem nullam faciat, hoc tamen illi jus ſtratagemate aſſerat vaferrimo. Fingit Concilium habitum eſſe à Chriſto & Apoſtolis ; in quo vult datum eſſe exemplum

emplum Conciliorum deinceps habendorum; idque etiam alibi repetit. In hoc igitur Concilio, cui interest & præest Christus ipse, solus Petrus articulos de fide condit, & quid sit credendum *solus clauum figit*, ait Baronius; & addit de alijs Apostolis, *vt nihil ferme jam esset opus consulere cæteros tunc Apostolos*. Quis igitur ex hac historia, (figmentum veriùs dixerim) non statim colligat, Papam Petri in omnia jura successorem, habere solum potestatem condendi articulos fidei, & de Concilijs omnibus statuendi vt volet? quod alibi tot locis palàm defendit Baronius. En tibi, Rex sapientissime, quanto astu in his Annalibus historia etiam Euangelica ad rationes Paparum inflectatur. Sic cum in anno XXXIV. Petrus magna contentione demonstratur fuisse Apostolorum princeps; non quomodo Patres illam vocem Petro attribuerunt, coryphæum ejus sacri chori, & ordine primum fuisse ipsum significantes; sed dominator & Monarcha; cum etiam affirmatur, illum regio more imperantem, Paulo & cæteris Apostolis præcepisse, ceu dominum subditis suis, quam partem Ecclesiæ vellet quemque ipsorum curare; facile intelligit tua Majestas, quam vim hæc narratio apud vulgus imperitum, imò etiam apud omnes Principes, qui de veritate historiæ parum fuerint solliciti, sit habitura, vt jugum tyrannidis Romanæ minus deinceps grauentur. Transsubstantiationis hodiernũ dogma, prorsus veteribus ignotum, vt defendant Bellarminus et alij tractatores Controuersiarum, omnem mouent lapidem: nemo tamen illorum negat, nomen saltem recens esse inuentum. Baronius verò historiam institutæ

tutæ Cœnæ Dom. commemorans in anno XXXIV. inter prima verba prolixæ diſputationis de eo argumento, Tranſſubſtantiationem nobis oggerit; repertã ſibi, credo, in aliquo Euangeliſta, quem nobis Tranſalpinis, quibus non patet Vaticana, nondum videre contigit. At quàm longè alio ſpiritu ducebantur Baſilius, Gregorius Naz. & alij veteres Patres; qui voces ΤΡΙΑΣ & ΟΜΟΟΥΣΙΟΣ, etſi clariſſimis Scripturarum teſtimonijs contentas, & ſacri Concilij Niceni auctoritate firmatas, vſurpare vix audebant; *parcentes*, inquit Baſilius, *vti nominibus, quæ non extant in Scripturis totidem literis*. Sed hæc olim fuêre: nunc alij ſunt mores ejus quæ ſe iactat ſolam eſſe Eccleſiam Catholicam, ſolam Eccleſiam. Scripturas ſacras à laicis non eſſe attingendas, apertè quidem non docet Baronius: manifeſtè tamen illam doctrinam inſinuat in illo ipſo anno. Imperatorem, Reges & Principes habere jus vocandi Concilij in ſuis ditionibus, ſemper Eccleſia vetus credidit: & eo jure tam Auguſti Ro. quàm Reges Francorum, & omnes Principes Chriſtiani, nemine repugnante, conſtanter ſunt vſi, priuſquam periret de rebus Pudor. Baronius, vt cucurbitis perſuadeat jam inde à Concilio Niceno I. ſolum Papam id jus habuiſſe, quas adhibet machinas, modò tectas, modò apertas? quarum vt hæ ſunt inuerecundiores, ita illæ periculoſiores: Lectori enim incauto, & ad cognoſcendam antiquitatem ſimpliciter intento obrepunt, & velut ex inſidijs Veritati latus confodiunt. Sed deficiat me dies, & ego patientia tua, Optime & Clementiſſime Principum, nimis impudenter abutar; ſi omnes rationes explicare hoc loco aggrediar; quibus vera antiquitas

tiquitas ſtudio defendendæ modicæ vetuſtatis in his Annalibus diſſimulatur, obſcuratur, & quantum fieri poteſt, aut obruitur, aut hodiernæ doctrinæ ſubtiliter accommodatur. Quanquam, ſi æquis ponderibus rem volumus æſtimare, non tam profectò conditori Annalium, quàm ipſi Pontifici & Romanæ Curiæ culpa deprauatę hiſtoriæ venit aſcribenda. Nam Baronius quid ageret? Fateretur irrepſiſſe in Eccleſiam Romanam tractu longi temporis, multas corruptelas, & quæ fuerunt à Domino prædicta infelicia lolia? Atqui per Romani Pontificis ἀναμαρτησίαν, & nunquam errandi in fide priuilegium, hoc illi Romæ integrum non erat: vbi non δουλεύειν τῇ ὑποθέσει grande fuiſſet nefas, & Inquiſitioni obnoxium. Fateretur Monarchiam Papæ, recens eſſe inuentum, cujus neq; rem neque nomen meliora Eccleſiæ ſecula nouerunt? Atqui hoc illi non permittebat Rom. Sedis Theologia; quæ tota ad hunc ἔρωτα δυσέρωτα dominationis quà ſpiritualis, quà terrenæ jampridem eſt comparata. Referret ſuas lucubrationes ad concordiam inter Principes & populos Chriſtianos ineundam, Eccleſiæ veram antiquitatem tam his quàm illis partibus ſine fuco & fallacijs imitandam proponens? Scilicet hoc Papa ferret, qui Barbarum Turcam in interiora jam Europæ admiſſum, vaſtantem omnia ferro atque incendijs, & deletis Eccleſijs plebes integras in captiuitatem abducentem, ſiccis oculis videre poteſt; vt Principibus & gregibus Dominicis inter ſe diuiſis ad pacis conſilia ducem ſe præbeat, & de eo jure quod iniquiſſimè vſurpat nonnihil remittat, inducere in animum non poteſt. Quod igitur Ariſtidi apud Athe-

****** nienſes

nienses olim legimus vsuuenisse; qui in rerum suarum administratione justissimus semper habitus, vnde illi Iusti cognomen; in gerenda tamen publica re multa contra ius & æquũ designauit: πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, sicut solitus fuit ipse dicere, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένην: *quod rationibus patriæ sese accommodaret, quæ multa iniustitia opus haberet*: id ipsum Card. Baronio videtur Romæ accidisse: qui probitate, iustitia, & studio veritatis, vt accepimus, in priuata vita non mediocrem adeptus laudẽ, in scribendis Annalibus, dum cupidè nimis caussæ sui Pontificis inseruit, discedere à se coactus, superiorũ virtutũ ne vmbrã quidẽ retinuisse, plurimis locis deprehenditur. Sed veniã tandẽ ad me, & cuius maximè rei gratia hic sermo est institutus, breuiter expediã. Ego, Rex Serenissime, cùm ante plures annos Baronii percurrens Annales, consilium illius, quale hactenus exposui, animaduertissem, & in historia Ecclesiastica grauissimas passim hallucinationes deprehendissem: optare ingenti cupiditate cepi, vt Veritati pessimè interdum à discipulo Nerii acceptæ, seculo hoc tam erudito ne deesset patrocinium: sed potius, vt è numero prope infinito doctorum hominum, quos nostra hęc ætas in omnibus Europæ regionibus tulit, aliquis existeret, gloriæ Dei zelo succensus, qui veram antiquitatem aduersus nouitates Baronianas generoso animo susciperet defendendam. Mouebat me cum primis illa quoque ratio, apud animum quidem meum momenti longè maximi; quod concordiæ desiderio, bonorum omnium cordibus, siue harum siue illarum partium, altè impresso, scopum istum Baronianum intelligebam vehementissimè aduersari. Quamdiu enim Principes populique Christiani sibi sinent persuaderi,

studium

ſtudium primæuæ pietatis inſtaurandæ, meram eſſe nouationem ; defenſionem verò inuentionum humanarum & recentiorum, ipſiſſimam eſſe religionis à Chriſto traditæ antiquitatem : indubitatum eſt, & omni certo certius haberi debet, (errant grauiſſimè qui aliter judicant, & neſcio quæ media conſilia ſectantur, quæ nulla ſunt) ineundæ concordiæ, nullam amplius neque rationem neque ſpem in terris omnino ſupereſſe. Quò magis optabam, reperiri aliquem immunem, quantum fieri poſſet, ab illo inſano partium ſtudio, cui indulgent hodie tam multi, qui ad legendum cum fructu opus Baronianum juuentuti & minus cautis lectoribus viam muniret. Atque in hac dudum mihi ſuſcepta ſententia, mirifice poſtea ſum confirmatus, quando viros doctrina, probitate & pietate excellentes, idem planè mecũ ſentire, idem optare, cognoui. Ne longum faciam, quia ceſſabant meliores, ventum eſt ad me : & quam ego operam ab alijs expectabam, eadem cepta eſt à me exigi : neque id Gallorum dumtaxat meorum quotidiano prope conuitio, dum eram in patria ; ſed etiam præſtantiſſimorum Theologorum aliorumque hortatibus, qui ea ſuper re, ex Anglia tua, Germania, ipſa etiam Italia, literas ad me dederunt creberrimas. Etſi autem incepti tam ardui magnitudo, virium mearum tenuitas, & neceſſariorum prę-ſidiorũ carentia, ad hęc, occupata opera in alijs literis pro mea virili excolendis ; juſtę mihi cauſſæ fuerunt, cur morẽ gerere amicis recuſarẽ ; tantũ tamẽ cohortationes frequentes bonorũ apud me valuerũt ; vt qui induci nõ poterã, quãdiu fui in Gallijs, vt operi manũ admouerẽ ; inductus ſim tamẽ, vt de Hiſtoria Eccleſ.

illuſtranda dies noctéſq; cogitarem. Inter hæc rebus humanis Henricus Magnus eſt exemptus, & vnius parricidæ ſcelere æternùm deteſtando, nutantibus Galliarum fatis, omnium Gallorum fortunæ in periculum præſentiſſimum ſunt adductæ: mihi quidem tam inopinatus, tamque immanis caſus, tantum rerum præſentium ipſiuſque, adeò vitæ faſtidium attulit, vt qui nullam ſine literis vitalem vitam hactenus credideram, libris tunc temporis renuntiarem. Tenebat me annos jam plurimos incredibile quoddam deſiderium, florentiſſimum hoc regnum tuum inviſendi, Eccleſięque Anglicanæ, quam ex fama & libris tacitus dudum venerabar, formam cognoſcendi; multò autem magis dexteram tuam, Princeps Principum decus, contingendi, & illas tot tantaſque virtutes, ſapientiamque altam, propiùs inſpiciendi, quas in tua Majeſtate Orientis hodie atque Occidentis populi ſtupore defixi admirantur. Cujus voti ad exitum ducendi facultas quum ſemper mihi antè defuiſſet, occaſionem rerum in Gallijs inquietarum magis quàm turbatarum, duxi arripiendam, vt priuſquam redirem cum Muſis in gratiam, huc excurrerem. Non eſt hîc commemorandi locus, quantum me aut beatus tuorum populorum ſtatus, aut Eccleſiæ tuæ pręſens felicitas, aut denique tuæ Majeſtatis inexplicabilis humanitas, & illa invſitata virtutis abſolutę ſpecies, me ceperint: certè cùm Rex Chriſtianiſſimus & Regina Mater, Princeps ſapientiſſima, feciſſent mihi poteſtatem commorandi in tua aula & Majeſtati tuæ inſeruiendi, quamdiu id ipſe non nolle videreris: non inuitus & patriæ charitatis, & conſuetudinis amicorum, quos habeo Lutetię & in alijs Galliæ partibus neque

obſcuros

obſcuros neque paucos, ad tempus ſum oblitus. Hîc primùm Rex Sereniſſime, beneficio tuo immortali, fruſtra mihi per tot annos optatam occaſionem ſimul & facultatem adipiſci contigit, res veteris Eccleſiæ, omiſſis alijs curis omnibus, pro ingenij viribus & copia eruditionis, ſi qua illa in nobis, illuſtrandi, quæque dudum in eo literarum genere eram commentatus, in lucem proferendi; atque eâdem operâ Baronianos Annales ad Veritatis amuſſim examinādi, & veram Antiquitatem contra Nouitatem aſſerendi. Quo in opere ſanè arduo & virium, fateor, non iſtarum, an hoc aſſecutus ſim Dei ope, ſtudio & vigilijs meis, vt Eccleſiæ aliquid meæ lucubrationes ſint profuturæ, meum non eſt dicere: tuum eſt Rex pijſſime, idemq; doctiſſime, judicare & ſtatuere. Mihi hoc vnum bona conſcientia pofiteri licet, ſummam voti mei in hac ſcriptione verſantis, hanc fuiſſe; vt Iudæ Apoſtoli præcepto obtemperans, pro fide ſemel tradita decertarem, & falſo creditæ antiquitati laruā detraherem. Quod ſi vitam Dominus IESVS dederit, cęteros quidē tomos ſtrictim percurrere fert animus; primū verò, vt in quo ſolo legitimæ victoriæ certa ſpes eſt poſita, religio mihi fuit, non quanta maxima poterā diligentia examinare. Nam ſi probatū ſemel fuerit, initio naſcentis Eccleſiæ omnia illa fuiſſe incognita, quæ hodie fidei articulis inſeruntur, ac propterea in controuerſiam vocantur, conclamata eſt cauſſa Pontificia: cui penitus euertendæ, vel illa ſola Filij Dei verba, NON SIC FVIT A PRINCIPIO, aut Iudæ illud vnicum SEMEL, abunde ſint ſuffectura. Accipe igitur Rex Sereniſſime, quod ſupplex offero Majeſtati tuæ, multis nominibus

bus tuum opus : quod rudi cogitatione in Gallijs informatum, in regno tuo, tuis præsidijs, tuis auspicijs inchoatum, & aliqua saltem ex parte ad vmbilicum perductum, in clientelam tuam, si pateris, gestit recipi: vt augustissimo nomini tuo honoríque inscriptum & consecratum, meæ in aula tua moræ diuturnioris, animíque mei non ingrati, apud præsens & ventura secula extet monumentũ. Tuum est Rex sapientissime, propriè tuum, de nostris cum Baronio disputationibus cognoscere & sententiam ferre: qui literarum disciplinarúmque omni genere supra hominũ fidem quum sis excultus, orbémq; adeò scientiarum mente illa tua ignea complexus teneas; præcipue tamen pietatis primęuæ studio te esse accensum, non solum dictis factisque, sed etiam scriptis doctissimis comprobasti. Tuum est, propriè tuum, si quis pro fide semel tradita decertet, Majestatis tuæ vmbra illum protegere: Fidei enim Defensor audis: quem gloriosum titulum, illi potissimum ex omnibus inimicis tuis tibi invident, qui in proximorum seculorum nouitatibus acquiescentes, ad primitiuæ Ecclesiæ tempora, quæ est demum vera antiquitas, neque ipsi volunt, neque alios patiuntur oculos attollere. Bellarminus enim, Becanus, Suarius & ille infamis parricidarum patronus Andreas Cretensis Iesuita, totúsq; adeò ille grex scriptorũ infrunitorum, qui ad impugnationem Epistolæ tuæ Monitoriæ omnibus ingenij viribus tantopere incubuerunt; quo alio genere armorum nisi antiquitatis ψευδωνύμου vana specie instructi, in certamen descenderunt? Tuum est, propriè tuum, pro veteris Ecclesiæ disciplina pugnantes regij clypei quem pro sin-

ceræ

ceræ pietatis defensione gestas, vmbone propugnare. Qui Ecclesiam habeas in tuis regnis partim jam olim ita institutam, partim magnis tuis laboribus ita instauratam, vt ad florentis quondam Ecclesię formam nulla hodie propiùs accedat, quàm tua, inter vel excessu vel defectu peccantes mediam viam secuta. Qua moderatione hoc primum assecuta est Ecclesia Anglicana, vt illi ipsi qui suam ei felicitatem invident, sępe tamen ex aliarum comparatione illam cogantur laudare: deinde, vt etiam in remotissimis terris positæ Ecclesię, communione jungi cum tua vehementissimè cupiant. Quod nuper magni beneficij loco vidimus enixè petijsse vnum è Patriarchis Orientis, cujus literas, itemque vnius Episcoporum Asiæ, ad illustrissimum Pręsulem Dominum Cantuariensem, prudentissimè scriptas & antiquam pietatem redolentes, magna cum voluptate ante paucos dies legebamus. Postremò tuum est bellorum Domini fortissime imperator, (nam cujus potius?) doctrinę Hildebrandinæ fundamenta euertentes, quod hoc libro strenuè factum est, & caussam Principum, pio animo contra Nouatorum genus pessimum agentes, in numeros tuos referri jubere: qui vnus hodie Regum ac Principum caussę Regiæ patrocinio suscepto & de hæreseos illius defensoribus nobilissimo parto triumpho, cæteris tui ordinis Principibus exemplum dedisti, quid facere illos oporteret, si dignitatem suam, si subditorum suorum vtilitatem, si communem salutem sibi curæ esse, apud Deum & homines vellent facere testatum. Oro veneror que Deum Patrem, per Iesum Christum, illum vnicum mundi Saluatorem, & omnis bonæ donationis auctorem; vt te Rex Serenissime,

nissime, vnicum hodie rei Christianæ columen, quàm diutissimè lex humanæ naturæ feret, seruet incolumem: tuam Majestatem suo Spiritu verè ἡγεμονικῷ regat, dirigat: inclytam sobolem tuam & nunc & semper in posterum, omni maximarum benedictionum suarum genere quàm largissime cumulatam, regnorum tuorum sceptra pie, pacate, beate, quod tu nunc facis, olim moderantem, recenti semper laude præstet florentem. AMEN. AMEN.

SERENISSIMÆ MAIESTATIS TVÆ

humillimus & submissisimæ deuotionis seruus,

Isaacus Casaubonus.

PROLEGOMENA, IN QVIBVS DE BARONIANIS ANNALIBVS CANDIDE ET φιλαλήθως disputatur.

Lectori Christiano & φιλαρχαίῳ, salutem in Domino.

QVum sacræ Theologiæ ea sit dignitas, vel potius maiestas, candide & pietatis antiquæ studiose Lector, vt reliquæ omnes scientiæ necesse habeant ipsi ancillari: non omnes tamen disciplinæ eodem modo, vel pari gradu, illi inseruiunt: sed earum nonnullæ sunt, interioris, vt sic dicam, admissionis, arctiore quodam vinculo Reginæ illi & Dominæ suæ coniunctæ. Quo in numero, censeri debere Historiam præsertim Ecclesiasticam, satis superque vel illud arguit; quod à primis Ecclesiæ Christianæ temporibus, quale per singulas ætates Theologia, tale etiam Historia fatum semper est experta: simul floruerunt; simul iacuerunt: incrementum aut decrementum simul acceperunt. Tribus primis seculis, quæ Ecclesiæ infantia, & tempus innocentiæ dici possunt; Christiani homines in praxi veræ pietatis, magis quàm ipsius scientiæ theoria, fuerunt occupati. Hinc fidei hostium persecutiones, illinc sanctorum zelus & stupenda constantia, magis quàm exculta insigniter scientia Theologiæ, tempora illa nobilitarunt. Idem planè de Historiæ studijs dicamus licet; Tatianus enim, Theophilus, Clemens Alexandrinus, Iulius Africanus, & si qui alij ad genus hoc eruditionis animum applicuerunt, ij de Historia Ecclesiastica, magis videntur cepisse cogitare, quàm ad eam spartam ornandam seriò se accinxisse. Historiæ illorum temporum, Acta Martyrum erant: quæ non sunt Historia Ecclesiæ, sed pars duntaxat illius. Tempore Constantini Magni, mutata Orbis Romani facie, Ecclesia, quæ fugere & latere, vt plurimum, aut omnes malorum ideas perpeti hactenus fuerat coacta, in libertatem vindicata, rebus omnibus florere subitò est visa. Vt iure merito hoc seculum cum duobus sequentibus, ἀκμὴ τῆς ἐκκλησίας, flos ipse Ecclesiæ, & ætas illius aurea queat nuncupari. Hæc illa sunt beata secula, quæ Athanasios, Hilarios, Basilios, Gregorios, Ambrosios, Hieronymos, Chrysostomos, Augustinos, Cyrillos, & similia lumina tulerunt: à quibus quantopere

ſcientiæ Theologiæ fuerit illuſtrata, dicere nihil attinet. Hic fuit fructus illius pacis & felicitatis, quam ſub Imperatoribus Chriſtianis Eccleſia Dei eſt conſecuta. Quum igitur Theologica ſtudia vbique tunc florerent; Hiſtoria quoque Eccleſiaſtica, hactenus planè ignorata, cepit efflorescere, tanquam fructus alter pacis ſub pijs Auguſtis longè vberrimus. Primus imperante Conſtantino Euſebius Cæſarienſis, ſui ſeculi ſine controuerſia vir eruditiſſimus, ad ſcribendam Eccleſiæ Catholicæ Hiſtoriam καθολικὴν *& vniuerſalem animum appulit: primus certè, quod affirmat ipſe libri primi initio, manum operi admouit, & orſus à natiuitate Domini, rerum geſtarum ſeriem ad ſua vſque tempora ſingulari diligentia pertexuit. Euſebij exemplum poſtea ſecuti ſunt, qui hodieque extant; quique ab Euagrio ſoli nominantur, Sozomenus, Theodoritus, Socrates, & poſt hos ipſe Euagrius: cuius Hiſtoria in anno deſinit Imper. Mauritij decimo, Domini ſexcenteſimo, tribus demptis, vel paullo plus. Poſt ſeculum ſextum quàm ſit paullatim vnà cum temporum conditione immutata prior forma Theologiæ, nemo poteſt veteris memoriæ peritus ignorare. Magni viri, quales priora ſecula viderant, aut nulli aut admodum rari apparent. Scripturæ minus diligenter tractantur, minus ſimpliciter exponuntur. Res externæ, miracula, imagines, reliquiæ, Sanctorum cultus, ac tandem vnius Papæ dominatio & Monarchia, prioris religionis inſtitutis ſuccedunt. Igitur qualis fuit iſtorum temporum Theologia, talis & Hiſtoria. Nam & in hiſtoricis monumentis, miracula, vt plurimùm vtramque paginam conficiebant, vel à Sanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquijs edita: atque vt ſupremum Eccleſiæ Monarcham Theologi agnoſcebant; ita multi Hiſtoriam ſcribere profeſſi, Rom. Pontificum ſucceſſiones, Antipaparum ſchiſmata, aut nouas artes à Papis excogitatas, firmandæ potentiæ ſuæ, literis mandare; id verò erat Hiſtoriam ſcribere Eccleſiaſticam. Soleo dubitare, debeámne illa ſecula* καιροὺς τερατολογίας *an* ἀγνοίας *nominare: fuit ſanè illorum temporum & imperitia meliorum literarum magna, & miraculorum benigna copia; verorum ſine dubio multorum, ſed & falſorum nihilo pauciorum. Secuta eſt tandem, Dei immortalis nunquam tacendo beneficio, literarum* παλιγγενεσία: *quam ratio temporum excepit adeò varia, adeóque è contrarijs mixta; vt non facile ſcias gratulari ſuperiori ſeculo & huic noſtro iure meliore queas, an vicem dolere. Poſtquam è denſiſſimis tenebris lux literarum emerſerat; omnes artes, omnes ſcientiæ & diſciplinæ, ipſa imprimis ſacra Theologia, breui tempore ita ſunt excultæ, ornatæ, auctæ, vt eo nomine florentiſſimo cuique priorum ſeculorum, quod proximè eſt elapſum videatur poſſe anteponi. Sed hanc felicitatem infelicitas nihilo minor ex diſſenſione in cauſſa religionis eſt comitata. Qua ex re natæ ſunt inter populos Europæ diſcordiæ implacabiles, odia plus quàm Vatiniana, bella diriſſima, & nullum non malorum genus. Inde illa nomina prius nunquam hoc ſenſu audita, Pontificiorum & Proteſtantium. Inde ſtudia partium, non ſolum in vita hominum, ſed etiam in ſcriptis palàm dominantia. Inde vnius & eiuſdem religionis Chriſtianæ duplex & multum diuerſa Theologia: in maximi quidem momenti capitibus doctrinæ, arcano prouidentiæ diuinæ beneficio, vt plurimum, conſentiens; in alijs diſſidens, & in mutuam perniciem coniurata. Quod de Theologia hodierna diximus, de Hiſtoria Eccleſiaſtica dictum puta: nam & hodie non minus quàm olim, vtriuſque idem eſt fatum. Ergo etiam in Hiſtoriam ſtudia partium penetrarunt; & Veritas, quam homines pagani, ſolius naturæ ducti inſtinctu, pronuntiarunt, vnicam eſſe legem Hiſtoriæ; victa ſtudijs partium, aut ſi ita mauis, rationibus vtilitatis, in rerum antiquarum narrationibus, pro affectibus narrantis, aut expreſſa, aut ſuppreſſa, aut aliquo mangonio corrupta reperitur. Quare quum hodiernis de religione Controuerſijs, quæſtio de Antiquitate interueniat: videas alios, quibus nihil eſt antiquum, niſi quod ipſi pro ſuo arbitrio prius iudicauerint orthodoxum: alios contra, omnia velle eſſe antiqua, quæ ipſis placent; vel ſi ante pauca ſecula, vel ſi heri aut nuduſtertius fuerint inuenta. Quod ſi hic morbus*

bus ἐπιδήμιος plebeia tantum & vilia ingenia occupaſſet, minus id eſſet dolendum: nunc quum viri primarij & excellente doctrina præditi eodem animi morbo deprehendantur laborare, quis Eccleſiæ vicem non doleat? Nam ſi in quæſtione de eo quod antiquum eſt aut recens, quæ facti, vt ſic dicam, quæſtio eſt, & τοῦ ὅτι, conuenire inter doctos non poteſt; magna ſcilicet ſpes reſtat, in quæſtione τοῦ διότι, aut de mente Scripturarum poſſe inter eos conuenire. Ne alios nunc commemorem, noſtra memoria in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ collectione aut illuſtratione verſatos, quos fama obſcura recondit; quis neſcit Cardinalem Baronium, operam in eo genere literarum adeò inſignem poſuiſſe, vt omnibus ſua diligentia palmam præripuerit? Hic enim eſt, qui primus omnium, totius Orbis Chriſtiani res geſtas, præſertim autem quæ ad Eccleſiam pertinebant, in continuam ſeriem annorum ſic digeſſit, vt ſi vnius vrbis Faſtos concinnaret: qui neſcio vnde ex abdito, tam multa planè prius ignota primus prompſit in lucem; qui antiquorum Epiſcoporum in magnis vrbibus ſucceſſiones; veterum hæreſeon originem, progreſſum & finem; tempora Eccleſiæ, ſiue tranquilla, ſiue turbulenta, tam accurata diligentia explicuit: qui denique merita ſua in Eccleſiam, ſi immoderato partium ſtudio non corrupiſſet; dignus erat ſine controuerſia, cui omnes & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem vnquam attigerunt, aſſurgerent & faſces ſubmitterent. Sed vir eruditiſſimus quando ad ſcriptionem ſe accingebat, de approbanda fide ſua ex æquo omnibus, ſicuti par erat fidelem hiſtoricum, adeò nihil cogitauit; vt contra, id ſummo ſtudio videatur egiſſe, ne qui in negotio religionis alia ſequebantur caſtra vllum vſquam æquitatis veſtigium in ſuis ſcriptis reperirent. Adeo in defenſione illarum partium quas probabat, totus eſt vbique. Hiſtoriam profeſſus, non ſolùm Theologum, ſed etiam perſæpe diſputatorem è ſchola agit. Locos communes à narratione hiſtorica digrediens ſæpiſſime contexit; præſertim in primo tomo. Proteſtantes paſſim nullo diſcrimine, conuitijs, maledictis, & infandis calumnijs inceſſit. Iura Principum, quæ à paucis ſeculis obtentu religionis imminui cœperunt, ita cupidè quoties datur occaſio contrahit, arrodit, euertit, vt natum in Regno noſcere nequeas; educatum, altum & auctum Romæ, facile agnoſcas. denique ita ſe geſſit Baronius totis XII. ſuorum Annalium tomis, vt qui dubitari nollet, præcipuum ſibi ſcopum fuiſſe, Papalem Monarchiam ſtabilire, amplificare, & ad cœlum vſque euehere. Sed fallor fortaſſe iudicij, & quam in alijs moderationem deſidero, ipſe non præſto. Sanè cum non ita pridem in Epiſtola ad Frontonem Ducæum de hoc Baronij ſcopo aliquid parcè & modeſtè dixiſſem; repertus eſt Romæ infamis quidam parricidarum patronus, nouum è Creta prodigium, Andreas Ieſuita, qui negaret rem ita habere vt dixeram: idque eo maximè argumento confirmaret; quod è tam vaſta mole Annalium ne vnum quidem locum afferre potuiſſem, vnde fidem dictis facerem. Equidem nebulonis infamis calumnias tanti non penderem, vt vllam ipſius rationem habendam arbitrarer; niſi eſſet certiſſimum, è tot lectoribus horum Annalium, oppidò paucos eſſe, ac fortaſſe pauciſſimos, qui iuſtum illorum pretium norint, quiue ſatis intelligant, quid in ijs laudandum, quid excuſandum, quid ne excuſandum quidem. Atqui certiſſimum illud eſt; quemadmodum ſumuntur à conuerſantibus mores, & quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt; ita lectorum animos, ex ijs quæ legunt, voluntatem & iudicium formare. Eam ob cauſſam nos, quibus in hoc opere ſuſcipiendo propoſitum fuit, (ſicut in epiſtola ad Regem Sereniſſimum pluribus expoſuimus,) lectori minus in his literis exercitato viam munire; quò certiores fructus ex horum Annalium lectione poſſit recipere: priuſquam ad rem aggredimur, faciendum duximus, vt noſtrum de hoc ingenti opere iudicium, candidè quidem & libere; ſed abſque liuore aut alienæ gloriæ obtrectatione, paullò accuratius exponeremus. Enimuero pie Lector, quum tota hominum vita inter errores volutetur, & ſcire hominum, vt Sapientes olim pronuntiarunt, nihil ſit; cur adeò mirum tibi videatur, in opere tam arduo, tam

vario, tam longo, multa inueniri nota culpæ digna? Non hominis, sed humanæ naturæ vitium est, errare, falli ac decipi: doctorum autem errores modestè indicare, non est iniuriam illis facere; sed Deo suam gloriam asserere, qui solus ἀναμάρτητος; *& de humano genere præclarè mereri; occasionem errandi, secuturis alioqui malè præeuntes, amouendo. Equidem ad hanc disquisitionem, etsi atrocibus maledictis scelestissimi nebulonis è Creta prouocatus, eam animi æquitatem adhibebo, vt suspicionem inuidiæ vel malignitatis &* κακοηθείας, *non sim reformidaturus. Vt ad rem accedamus; profitetur Baronius in fronte primi tomi, fuisse sibi propositum, quando opus hoc instituit, non solum res gestas Ecclesiæ stylo condere, vel etiam Imperatorum, Regum ac Principum, quæ essent cum Ecclesiasticis coniuncta: sed hoc amplius, temporis rationem, quantum fieri posset exactam inire; quæcunque in Historiæ explicatione obscura & interpretationis luce indigentia occurrerent, illa omnia elucidare; Monarchiam Ecclesiæ visibilem, semper in Ecclesia conspicuam demonstrare, & Religionis Christianæ in eadem fide propagationem. Vides incepti magnitudinem, varietatem & difficultatem. Nam ad historiographi partes implendas, vel primum caput erat suffecturum; secundum pertinet ad Chronographum, cuius munere fungitur Baronius non rarò: tertium Philologi aut critici operam desiderat, non historiographi: quartum caput & quintum, vti quidem in his Annalibus tractantur, ad partes spectant Theologi. Vt igitur legitimum operis huius pretium intelligamus; id videndum est, quàm bene vnus homo Baronius tot personas, quas ipse sibi imposuit, in opere suo gesserit: Historiographi officium, (inde enim ordiemur) in his tribus fere est positum, diligentia, iudicio, fide. Nam & diligentia in colligenda scribendorum materia, opus est non vulgari: & iudicio non minore, vt videas quibus credas; fides autem in eo spectatur, vt in narratione historiæ, nudam veritatem exponas, siue illa tibi probentur quæ gesta sunt, siue improbentur. fingere enim quæ cupias fuisse facta, & pro rebus gestis ea narrare, poeticæ licentiæ optimè conuenit; ab historicis expositionibus est alienissimum. Quod igitur ad diligentiam attinet; ea verò in Baronio tanta fuit, vt vix desiderari maior queat. Retulit ille in suos Annales, non solum quæcunq; à prioribus omnibus historiographis, siue Græcis, siue Latinis erant commemorata: sed etiam quæcunq; apud Patres aut alios cuiuscunque generis scriptores sparsim leguntur ad res Ecclesiæ pertinentia. Neq; fuit ei satis, auctores vulgo notos & publicatos in consilium adhibere; sed celebriorum plerarumq; bibliothecarum forulos vel ipse, vel per amicos, est scrutatus, vt ad plenam rerum Ecclesiasticarum cognitionem, nihil quoad eius fieri poterat, prætermitteret. Hoc vt magna dignum laude; ita illud iure non laudes, quod rerum copiæ intentus, delectum sæpe nullum habuit veri aut falsi; pertinere ad suum officium ratus, vt in Annales falsa interdum non minus quàm vera comportaret. Multa ergo passim commemorat è libris Apocryphis aut fabulosis scriptoribus, quæ non dubitabat esse falsa; eo tantùm fine, ne quid à quoquam dictum fictúmue prætermitteret. Exempla adeò sunt passim obuia, vt illa adnotare non sit opus. In anno verò Domini LII. num. 11. narraturus de ijs quæ Paulus Athenis gessit meram ex Hilduino fabulam; excusatione hac suum factum tuetur:* quæ quidem licet non in omnibus nobis probentur; tamen ne quid subtraxisse ab auidis legentium animis videamur, hic eadem voluimus descripsisse: quum alioqui sic comparati simus, vt velimus pauca potius, sed solida, certáq; fide constantia persequi, quàm multa congerere, quæ fide vacillent ac nutent. *Vbi planè Baronius vetus dictum tollit,* video meliora proboq; Deteriora sequor. *nam postremis verbis legem proponit, quam sequi debuerat; prioribus ostendit, non fuisse propositum sibi in condendis Annalibus legem illam seruare: quod & alibi non semel profitetur; vt in anno XXXIV. 192. vbi postquam è falsis Pilati Actis ineptum figmentum recitasset, subijcit hæc:* qualia autem sint ea omnia, fides apud auctores remaneat: nos

verò

verò sic ponimus, ne quæ ab antiquis sunt enarrata, inconsultè prætermisisse videamur. *Hic iure aliquis miretur & caussam quærat, cur Baronius operi tam graui adeò putidas interdum fabulas inseruerit: de ijs loquor fabulosis narrationibus, quas ipse improbat: sunt enim aliæ non minus fortasse aniles, quas propterea inseruit, quia fidem illis habebat; de quo postea dicendum. illas verò priores quod non prætermiserit, duplici ratione factum ab eo videtur; nam præter studium immodicum nihil quicquam prætermittendi, de quo diximus; etiam illa ratio potuit ipsum mouere; quod non ignoraret, multorum è suis partibus ingenia hodieq; in hac tanta literarum luce, anilibus fabulis ita delectari, vt ne historiam quidem Ecclesiasticam ab illis esse repurgatam, æquo animo essent passuri. Neq; verò inanis erat hic Baronij metus; quod euentus comprobauit. Nam ex ijs qui post ipsum scripserunt, non pauci in eo laborarunt, vt fabulas vel apertè vel saltem silentio damnatas à Baronio, ab obliuione vindicarent. Vide, si lubet, quæ obseruamus de Christophoro à Castro Iesuita Hispano, Exercitatione prima, diatriba XV. Sed multò diligentius hoc ipsum conatus est postea præstare Hispanus alius, Iohannes de la Puente, ex ordine Prædicatorum; cuius recentem librum nugacissimarum nugarum, & reprehensionum Baronij sæpe iniquissimarum plenum, nuper Oxonij in illustri Bodlæana Bibliotheca non sine risu & iusta indignatione percurrebam. Est obseruare in his Annalibus & aliud nimiæ diligentiæ peccatum, non sanè leue. Cupiditas enim immoderata omnia trahendi ad propositum suum, quæ vsquam legerat, Baronium sæpissime adegit, vt inepta quædam & absurda Annalibus insereret. In Apparatus num. 27. & 28. multa prodigia commemorantur è Suetonio, Dione, Plinio, alijs, quasi fuissent signa aduentus Domini: quum eiusmodi portenta singulis fere annis à Liuio cæterisq; historicis commemorentur: neq; dubium sit, pleráque illorum esse mera ludibria, quæ non possunt nisi absurdissimè ad Christi apparitionem referri. In anno primo num. 15. narratur, Augustum, qui Iudæos prius uehementer oderat, cognito Aduentu Christi, vehementer illos cepisse amare: quæ mera est hallucinatio, è cupiditate nata referendi in Annales beneficia Augusti in Iudæos: quod vt commoda occasione faceret, miraculosam illam mentis mutationem in illo Principe coactus est fingere, sicut suo loco ostendimus. In anno XI. Lex Papia Poppæa prolixè exponitur; quæ ad commendationem vitæ asceticæ, quàm obtorto collo trahatur, dictum est in Exercitatione octaua. In XVI. narratur mors Augusti. ibi igitur ex ijs quæ per iocum maximus ille Princeps fecerat, occasio sumitur disputandi prolixè de pallio, & de præstantia linguæ Latinæ. quo nihil importunius, neq; absurdius fieri poterat. In XXXI. 70. exponitur historia paralytici per tegulas demissi, Lucæ V. 19. meminerat Baronius legisse apud Ciceronem de Antonio per tegulas quondam demisso. locum igitur Ciceronis adnotat: sed tam absurdè, vt nihil queat magis, sicut ostendimus. In XXXII. 14. tractatur præceptum Domini, quo vetatur battologia in oratione: Baronius eò refert quæ legerat de comam iactantibus: absurdissimè prorsus, & ineptissimè. Sic quia legerat apud Dionem Legionem Ferratam in Iudæa stationem aliquando habuisse; non dubitauit scribere Centurionem, cuius habetur mentio Matth. VIII. 5. unum ex eius legionis fuisse Centurionibus. in quo ratio ipsum quantopere fugerit, declaratum est Exerc. XIV. In XXX. 37. ab aquis fontis Siloæ transitur ad fluuium Sabbaticum. occasio nempe quærenda erat Plinium reprehendendi; quem nos tamen rationibus defendimus non vanis. Locum Suetonij de Syriacis legionibus, quæ solæ nullam Seiani imaginem inter signa coluerunt, frigidissima coniectura ductus proposito suo accommodat, in anno XXXIII. 48. In proximo anno, 95. vt referret quæ legerat de poculis myrrinis ad vinum ἐσμυρνισμένον, cuius fit mentio in passione Domini,*

quàm

quàm multa, quàm grauia peccauerit, piget dicere. In XLIV. 60. *illa tot mirabilia, quæ Romanis dicuntur accidisse ad Petri aduentum Romam, quis neget certissimum esse argumentum illius de quo loquimur studij immoderati, trahendi omnia ad historiam Ecclesiasticam? num. 74. caussa affertur, quare Paulus se nominauerit* ἔκτρωμα partum abortiuum, *I. Cor.* XV. 8. *è Suetonio Tranquillo abortiuos Senatores Ro. commemorante: quò si respexisse Paulum existimauit, mirè illum ratio fugit. In* XLV. 24. *de osculo pacis Christianorum disserens, & de poetarum osculis sermonem exorsus, non sensit delapsus ad osculi genus, inter amantium nequitias nequissimum, quod* χύτραν *vocabant. addit autem,* nullum vnquam de his legimus penes Christianos exemplum: *quorsum igitur illas fœditates inter sanctissima Ecclesiæ instituta? In* LXI. *affert coniecturam suam, videri Paulum è carcere liberatum Romæ, propter gaudium publicum è cæde Agrippinæ matris Neronis: & in sequente ait, cùm in Apocalypsi* III. 18. *datur consilium Laodicenis, vt vestes albas sibi parent; putare se allusionem esse factam ad lanas Laodicensium nigras, quarum Strabo meminit; quæ coniecturæ mihi quidem videntur niue Gallica frigidiores. In anno* XCVIII. 9. cerdones *apud Iuuenalem interpretatur de Christianis; & poetæ hanc vult fuisse mentem; tunc perijsse Domitianum, quando Christianis ceperat esse metuendus. Sed quem inueniet, cui hoc persuadeat? In* CLXIV. 11. *Tatiani locum ad Crescentem philosophum Cynicum refert, quo pantomimorum gesticulationes & motus loquaces venustissimè &* γραφικώτατα *describuntur. est autem ille error tantus & adeò manifestus, quum loquatur ibi Tatianus de ludis Paganorum, vt excusari non queat. Sed vir eruditissimus, præ nimia diligentia, & illo studio de quo diximus, nusquam non isto modo peccat. Iudicium in historico variè potest considerari; nos hîc de scriptorum delectu agimus, ad quem habendum, scripturo de Ecclesiæ rebus præsertim antiquissimis, iudicio opus non mediocri. Nam quum pauci adeò scriptores verè antiqui &* γνήσιοι *ad nos peruenerint, qui prima Ecclesiæ secula descripserint; euenit tamen, vt de rebus illis vetustissimis plurima mentio reperiatur apud scriptores posteriores, & vt plurimum fabulosos aut nimium credulos. Sed & vniuersa Ecclesiastica historia, etiam proximorum seculorum, fabularum figmentis mirè est inuoluta; vt sæpissime sit difficillimum per obseptum iter tot difficultatibus ad veri cubile peruenire. Neq; hoc non vidit Baronius; cuius ea de re, & nominatim de Actis Martyrum & Martyrologijs tanta licentia sæpe deprauatis, querimonias in primo tomo & fere in singulis legere est grauissimas. Idem igitur plerosq; ex illis fabulosis scriptoribus, qui tanti hodieq; à multis fiunt, & damnat & reijcit à suis Annalibus, sicut virum grauem decebat. Eius generis sunt, Dorotheus, Prochorus, Abdias, Meliton, epistola sub nomine Hieronymi ad Paulum & Eustochium de transitu Mariæ, item alter eidem magno Patri attributus liber, de natiuitate Mariæ, Augustino ascriptus sermo* XXXV. *de Sanctis, Acta Andreæ, & alij plurimi. Sed & auctoribus alioqui non pænitendis, vel etiam præclaris, propter* τὸ φιλόμυθον *aut incuriam secernendi veri à falso fidem meritò & prudenter derogat: vt Orosio, Gregorio Turonensi, Cedreno, Metaphrastæ, Damasceno in libris de imaginibus, & id genus non paucis. Magna hæc est, quis neget? laus Baronij: sed quæ longè maior futura erat, si constitisset ipse sibi, neq; adeò varium se in hac parte præbuisset; sicut ostendemus, cùm de Critica illius dicemus. Fidei quoq; laudem neq; adimere Baronio, neq; tribuere sine exceptione possumus. Diligentia illa tanta qua vsum ipsum indicauimus, & tot auctorum reiectio, quos ipse à suis sacris arcuit, luculentè declarant, non habuisse ipsum susq; deq; falsa pro veris tradere. Sed enim amor veritatis & susceptum ab eo patrocinium parum omnino inter se conueniebant. Vnde factum, vt toties in Baronio fidem desideremus,*

deremus, quoties ille historicum exuit, vt indueret patronum. Rectè olim exacti vir iudicij, Dionysius Halicarnasseus dicebat; in ferenda sententia de aliquo historico cum primis spectandam esse τὴν διάθεσιν τοῦ ξυγγραφέως, *quomodo animatus ad scribendum accessisset: Vix enim, ac ne vix quidem, fieri potest, quin scriptio affectum animi prodat. Propterea Græci historias in quibus scribentium affectus eminent, elegantissimè comparant speculis* διαστρόφοις, παρέχεσι, *&* ἐπεσχημένοις, *quæ res oppositas non referunt quales sunt, sed corrupta forma, vel colore non suo, vel figura aliena. Cum igitur Baronius Romanæ Ecclesiæ splendorem respiciens, Dominum* IESVM *nobis describit Cœnatorijs magni pretij indutum, & ad S. Eucharistiæ institutionem vestimenta adhuc pretiosiora assumentem; cum stabiliendæ Papæ Monarchiæ Petrum inducit Monarcham inter Apostolos agentem, Paulo & ceteris collegis sua pensa assignantem, denique regio more imperantem; cum Rom. Augustos facit veniam vel auctoritatem Concilia indicendi à Ro. Pontifice petere: cum inducit Concilia vniuersalia confirmationem suam à Papa expectantia, quasi aliter nihil foret actum: cum similia his alia sexcenta nobis narrat, meritò fides eius laborat: quia res non exprimit, quales inuenit, sed* διαστρόφως, παρέχεως, ἐπεσχημένως *Pertinent etiam ad auctoris* διάθεσιν, *& affectibus corruptam mentem, illa horrenda conuitia, quæ passim toto opere iaciuntur in Protestantes, quos nunquam aliter, pro sua modestia Christiana, nisi* hæreticos *aut* Nouatores *appellat; aliquando*, impios Epicureos, *vt in anno XXXIV.272. interdum* à Simone mago ortos, *XXXV.24. pari ratione, vt cum alibi auctores reformationis nominat* sine sacris Scripturis Theologos. *Ridiculè istud quidem.* Hoc Ithacus, velit, & magno mercentur Atridæ. *In anno Domini DCCC. commemoratur Sergius, Manichæus hæreseon horrendarum pater, præcursor Antichristi Mahometis. Ibi scribit Baronius;* videant Nouatores & recognoscant suum ipsorum Catechistam Diabolum, qui eadem quæ ipsos docuit Sergium per Manichæam, & erubescant suam ipsorum intuentes originem & auctorẽ. *deinde ait à Diabolo didicisse Protestantes Hagiomachiam; & credere etiam laicis Scripturam: quum Ecclesia Catholica nemini vnquam Scripturas, nisi Theologis commiserit legendas. Sed hæc postrema affirmatio de Ecclesia vetere Catholica mendacium adeò infandum & apertum continet, vt nemini mediocriter sano possit esse dubium, etiam præcedentes calumnias ab eo esse profectas, qui est pater mendacij. In anno MCXVIII. describuntur fanatici errores Basilij, Bongomiliorum auctoris. Reiecit libros Moysi, septemque tantum diuinæ Scripturæ libros recepit. Deum humana forma præditum dixit. Mundum creatum ab Angelis malis. Michaelem Archangelum fuisse incarnatum. Eucharistiam esse Dominicam orationem. Omnes orationes præter Dominicam vaniloquia esse. Suos omnes concipere Verbum* Dei, *& parere sicut B. Virgo peperit. Nullam esse resurrectionem præter pœnitentiam. deinde postquam dixit iussu Imp. Alexij crematum esse portentum illud hominis, addit:* Quo supplicio afficiendos Nouatores cum Basilio sentientes, candidus lector iure consentiet. *In anno MCXXVI. Tanchelini apud Antuerpienses hæretici furores infandi, quibus vix simile aliquid habet Mahometana superstitio, describuntur: tum autem subijcit hæc Baronius.* Videant nostri temporis Nouatores quibus præcursoribus gloriari possint, & quos se suorum dogmatum habere Patriarchas exultent. Eant post eos, quos omnium nefandissimos tunc & semper Ecclesia deuouit atque damnauit. *Scit Deus & vniuersus mundus, hæc non magis vera esse, quàm illa erant, olim aduersus Christianos iactata, de stupris promiscuis in conuentibus nocturnis: de cane ad candelabrum* alligato*: de adoratione asini. Planè qui spiritus ista olim paganis, idem illa Baronio, & similia illis sexcenta, quæ in eius Annalibus leguntur, suggessit. Sed Baronium Romæ viuentem à Diabolo fuisse deceptum, minus miror: nuperum verò illius* Epitomatorem Spondanum, *qui*

inter

inter Protestantes fuit educatus, quem, nisi fallor, ego vidi Geneuæ cum alijs fratribus literis operam dantem; etiam auxisse Baronij errorem, quis non stupeat? aut quis non intelligat, quàm diræ illum miserum Furiæ agitent? In anno CMXCVI. facta mentione Matthæi Parisiensis, quo nemo vixit vnquam neque Papismi superstitionibus addictior, neq; rapinarum horribilium, quas Papæ in Anglia exercuerunt, fidelior testis & expositor: affert Baronius coniecturam suam; nisi, inquit, probra illa fuerint additamenta potius eius qui edidit Nouatoris hæretici hominis; quum peculiare sit illis libros quos potuerint deprauare. de hæreticis vero nomine sic dictis, assentior Baronio. sed si libros veteres deprauare, certa est hæreseos nota; quis tam impudens erit, qui negare audeat certissimos illos esse hæreticos, qui tot hodie artibus veteres Patres mutilant, deprauant, expurgant? res omnibus nota: de qua si Deus volet, plura alibi dicentur à nobis. Neq; verò difficile erit probare, consarcinatores Indicum Expurgatoriorũ bellum cum auctore Scripturarum, cum Patribus, cum omnibus bonis, cum ipsa deniq; Veritate nefarium quotidie gerere. Quid ipse discipulus Nerij? an ille penitus ab hoc crimine integer? an difficile est loca veterum auctorum obseruare, in eius Annalibus deprauata in gratiam Papæ, contra fidem veterum exemplarium? Sed eo omisso, de Matthæo Parisiensi breuiter respondeo. Coniectura Baronij, quæ & à Bellarmino nuper est allata, vana, falsa, ridicula est. Extant in hoc regno vetera exemplaria eius scriptoris, quæ vanissimæ vanitatis eam coniecturam arguant. omnia enim illa habent, propter quæ fides editoris hodie in dubium vocatur. Habeo ipse iam in meo museo codicem Matthæi, in membranis descriptum eleganter, è Regis Serenissimi Bibliotheca promptum; eius vetustatis, vt credatur ille ipse liber esse, qui ab auctore in Bibliotheca S. Albani fuerat dedicatus. In eo codice nullam nos adhuc diuersitatem obseruauimus, quod ad illa attinet, quæ de Paparum rapinis scribuntur. Extant etiam in Bibliothecis Anglicanis alia eiusdem auctoris scripta nondum edita, vt Historia minor, & de vitis Abbatum S. Albani; in quibus similia vel etiam grauiora de rapacitate Romanorum lamentabiliter describuntur. Legi ipse nonnulla eius generis in vetusto libro, vitas Abbatum illorum continente, quem mihi in sua libraria ostendit inter plurimos alios scriptos manu libros præstantissimos, eximia vir probitatis & eruditionis, Robertus Cotton, Bruceus, Baronettus. Non igitur illa sunt à Protestantibus Matthæi libris inserta; sed iustissimas illas querelas rei veritas extorsit ab homine alioquin, vt dicebamus, superstitiosissimo. Quare falsissima est Baronij & Bellarmini coniectura. Omitto alias Baronij calumnias. Taceo breuitatis studio, iudiciorum temeritatem viro graui indignissimam. Omnia, siue læta, siue aduersa, quæ Principibus, vel populis, vel etiam priuatis hominibus euenerunt; non alia ex caussa fere in his Annalibus produntur orta; nisi ex aliqua aut obseruantia insigni in Papam, Ecclesiamue Rom. aut contumelia vel iniuria. In anno Domini CCCCXLIX. 27. Theodosius pius Imp. Imperio & vita priuatur. quæ caussa? Plus iuris vsurpauerat in procuranda εὐταξίᾳ Concilij œcumenici, quàm Principibus doctrina Hildebrandi attribuit. Anno DXVIII. grauissimo terræ motu concutitur Dardania. meruerant enim, ait Baronius, qui toties à Gelasio Papa, & Hormisda moniti non paruerant. Iustiniano imperante multæ Ro. Imperij prouinciæ à Barbaris vastatæ sunt, aut deletæ. nimirum postquam in Siluerium Ro. Pontificem fuerant violentæ manus iniectæ, ait Baronius, DXL. 43. nam vitia hominum eius ætatis teterrima, hæreses passim grassantes, Vigilij Papæ execrabilem improbitatem Baronio descriptam, Deus scilicet non attendebat. Anno DLIII. Totilas perit: Narses victoriam adipiscitur longè maximam. quare? simulac Ecclesiæ capiti debitus honor impertitur, à Deo rependuntur bona cuncta,

inquit

inquit, Baronius. Quod Galliam & Britanniam populi Septentrionales inuaserint, & cladibus olim affecerint, non factum id ex illis caussis, quas Saluianus Massiliensis & Gildas Sapiens exposuerunt; sed quia vel cum Papa non communicabant, vel nescio quid aliud simile admiserant. Similium his iudiciorum pleni sunt isti Annales. In quibus etiam leges, Ecclesiam Anglicanam hæreseon alluuione nostra memoria esse absorptam. *Cur autem id?* simulac denarium Petri soluere desierunt, *ait Baronius DCCXL. 15. Possem commemorare testimonia plurima veterum historicorum Angliæ, qui superioribus seculis sæpe factum queruntur, vt propter inenarrabilem Paparum rapacitatem fides in hoc regno fere deficeret. Sed hæc mitto, & in proposita disputatione pergo. Personæ legitimi Chronographi gerendæ, quàm parum idoneus fuerit Baronius, non esset difficilis probatio; nisi hoc ab exercitatissimis in ea doctrina viris sæpe iam esset demonstratum. Fatemur nos quidem, non parum in eo positum fuisse operæ à conditore Annalium, vt constaret ipsi certa annorum ratio: neque inficias imus, quædam etiam in illa parte fuisse ab eo eruditè obseruata: cæterum vel in ipso capite annorum Domini constituendo, falsissimas ipsum sibi finxisse aliquando hypotheses, clarè demonstratum est, Exercit. prima, & sæpius alibi, dum pro Iosepho illi respondemus. De philologi & Critici persona, quam sibi Baronius induit, latus esset dicendi campus; nisi multa me vt orationis vela contraham admonerent. Magna proculdubio cupiditas bene merendi de sacrarum antiquitatum studiosis, illum impulit, vt duram hanc prouinciam vltro, in contexenda historia, nouo exemplo, susciperet. At vellem humeros suos priùs consuluisset, vt exploratis viribus suis cognosceret, quid illi ferre valerent, quid recusarent. Nam illustrare nascentis præsertim Ecclesiæ instituta, historiæ Euangelicæ his Annalibus insertæ lucem fœnerari, scripta Patrum & aliorum scriptorum obscura illustrare, & explicare, nemo profectò potest, qui Hebraicæ Græcæq; linguæ peritia, & omnium veterum antiquitatum notitia non sit quàm instructissimus. Quùm igitur testimonijs scriptorum Hebraicorum & Græcorum hic præsertim tomus primus sit refertissimus; quærat iure aliquis, an parem tanto incepto cognitionem illarum linguarum, & antiquæ eruditionis copiam Baronius habuerit. Atqui hoc singulis fere paginis isti Annales clarissimè negant; testimonia exhibentes, quæ luculentissimè demonstrent, illorum auctorem, neq; Hebraicæ literaturæ, neque Græcæ vlla notitia fuisse præditum. Satis hoc probatum est in his Exercitationibus, locis quàm plurimis, vt dubitari de eo nequeat. Anno XXXIV. 89. tractans locum ex Actis, V. 37.* ὡς *exponit* πέραν; *neq; intelligit ad eam sententiam quam probabat, tam esse ineptum* πέραν *quam* ὡς. *A. XXXVI. 4 agens de loco ex Actis VII. 58. ob non intellectam vocem* νεανίας *quantos in simpulo fluctus mouet? ea est dictio, quæ apud Iosephum non intellecta, ad falsam & ridiculam de annis Herodis opinionem Baronium adegit, vt probatum est à nobis. A. LVI. 16. exponitur mira subtilitate vox* ἐξομολόγησις. ἐξ, *inquit,* præpositio idem est quod foris, & ὁμολογία quod est, vt declarat Suidas, confessio. *de præpositione, est puerilis error: nam si* ἐξ *in compositione significat semper* foris, *vt postulat expositio Baronij; igitur* ἐκνήφειν *erit* foris vigilare: *non vt nos putabamus, è somno transire ad vigiliam.* ἐκπνέειν *erit* foris spirare, *neque poterit domi aliquis exspirare, quia* ἐκ *significat* foris. ἐκπειράζειν *non erit grauiter aliquem tentare, sed* foris tentare. *itaq; domi nullus erit* ἐκπειρασμὸς, *nulla* ἐξέμεσις, *ac ne* ἐξομολόγησις *quidem. Sed beat nos, cum aduocata Suidæ auctoritate probat rem valdè ignotam;* ὁμολογία *est* confessio. *A. LVII. 61. in verbis Pauli 1. Cor. IX. 5. vrget, quod non sit adiectus articulus: sed nemo Græce peritus illi concedet* ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν *non posse per Hellenismum rectè exponi, circumducere aliquam mulierem, quæ mihi sit & soror in Christo & vxor. De vera sententia nihil pronuntio: de locutione Græca tantum loquor. Sic*

statim Philip. IV. 3. Σύζυγε vult esse proprium nomen: quod etsi quidam è Græcis Scholiastis ante illum dixerunt; vix tamen per Hellenismum potest admitti, propter vocis γνήσιε proprietatem. A. L IX. 7. verba Pauli ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, Phil. I. 13. cum inuenisset exposita à V. I. in omni Prætorio: non animaduertit, omne ibi positum esse pro totum. deinde hoc errore admisso sanè puerili, alium excogitauit ipse plus quàm puerilem. Vult sensum esse, actum esse de caussa Neronis, non solum coram Nerone, sed & apud collegium Pontificum, atque vt ipse loquitur, in omni Vrbis Prætorio. quàm hæc ridicula? A. C LXXV. 5. ignorat Sympherusa verum esse nomen piæ Martyris, συμφέρουσα: sæpe enim Græcis nomina propria fiunt à participijs, vt Alexamenus: vel vt fere scribitur, Symphorusa, aut Symphorosa; συμφοροῦσα à συμφορεῖν, quod diuersum est à συμφέρειν. Baronius nomen inauditum Græcis hominibus σύμφορος nobis profert, quod analogia confutat & reijcit, & simul quicquid ibi scribitur. Sed Baronius hoc ius sibi persæpe vindicat, vt Græcarum dictionum ex ingenio suo numerum augeat. Inde est ὕσιος, vocabulum quo Græcæ linguæ opes auxit, in anno CCCLIX. 89. Inde Τελεμάχιος, à τέλος & μάχη, nomen Martyris, qui spectaculo gladiatorum finem imposuit, vt ait ad primũ diem Ian. in Martyrol. Si legisset vnquam Baronius nomẽ illud apud Græcos τηλεμάχιος, vt apud Theodoritum, lib. V. cap. 26. abstinuisset à coniectura tam absurda. Ad diem XXII. Septẽbris, decimationis, pœnæ militaris, facit mentionem, & ait à Polybio vocari δεκασίαν. quis malùm, decepit virum bonum, & ei persuasit vocem illam quæ apud Græcos non legitur, esse probum verbum Polybianum? Origenistæ orthodoxos olim irridentes Pelusiotas per contemptum vocabant, vt auctor est Hieronymus ad Pammachium, aduersus Iohannem Ieros. & ad Pamm. & Oc. de erroribus Origenis. ipse conuitium explicat, Pelusiotas nos appellant & luteos. πηλὸς lutum. πηλουσιώτης luteus. Sic apud Latinos conuitium erat, lutum es. Persius, Vdum & molle lutum es. hoc est ad verbum, πηλὸς εἶ, vel πηλουσιώτης. Ita nos quidem existimabamus: sed Baronius in anno CCCXIII. corrigi Hieronymi codices iubet & scribi Pilosiotas, non autem Pelusiotas, vt deprauatè legitur, inquit. Vide quid sit Romæ esse: nam nos Transalpini hæc mysteria ignorabamus. Quod Gallicè vocamus, vne copie, exemplar ex alio descriptum; Græci appellant ἴσον, vel ἐξ ἴσου. quæ voces leguntur initio multorum Actorum aut epistolarum, in collectionibus Conciliorum. Sic plane Latini, à pari: vt initio aliquot epistolarum Zosimi Papæ in anno CCCCXVII. & Hormisdæ in anno DXIX. dicunt pro eodem & à paribus. quod non intelligens Baronius quàm insigniter operam ludos facit, & in anno DXCI. 4. & in MLXXIV. 61? Vel hæc pauca satis ostendunt quàm imparatus à Græca literatura ad scribendum se contulerit pater Annalium: quem in Exercitationibus probauimus Græcos scriptores non nisi ex aliena fide tractasse: ac proinde toties in eo errasse, quoties parum fidelem nactus esset interpretem. Quid autem interest, malè ipse vertas, an malam versionem probes? Omitto dicere de literis Hebraicis, quarum peritiam quantam habuerit conditor Annalium ostendimus Exercit. XIII. diatriba 37. & sæpe alibi. Spectare ad Critici officium veteres putarunt, etiam illud, vt de auctoribus veris aut falsis posset pronuntiare. Baronium in hac quoque parte multa vidisse, & de multis scriptoribus præclarè iudicasse iam diximus. Sed nos quod in his Annalibus deprehendimus dissimulare non possumus. Obseruamus enim locis innumeris, ipsum vbi de exaltatione Papæ agebatur, aut alia re simili quam ipse cordi habebat, legitimæ Criticæ oblitum, narrationes suas vtilitati accommodasse. Hinc illa iudiciorum varietas, imo iniquitas aliquando tanta, vt nihil supra. Decretales primorum Paparum est vbi videtur ὀβελίζειν, & cum viris bonis & doctis sentire, qui illas respuunt; sæpius tamen pro illis in arenam descendit, non funda quidem ornatus, sed maledictis, quibus inuadit quos per antiphrasin amat Nouato-

res

res appellare. Clementis Constitutiones, vt liber apocryphus & οὐ γνήσιος seuerè damnatur, XXXII. 18. *alibi non semel defenditur & laudatur. alicubi etiam ad Turrianum Lector reijcitur, qui pro tuitione earum Constitutionum ad insaniam vsque declamauit. Acta Concilij Niceni I. quæ ex Arabico scilicet versa pro legitimis obtrusit idem Turrianus,* mera somnia esse *pronunciat Baronius doctè & verè,* CCCXXV. 63. *sed quoties eadem illa in Annalibus citata inueniuntur? Metaphrasten, & similes fabularum hamaxarios sæpe reijcit, sæpe laudat, sequitur & propugnat idem Baronius: non enim exuerat illum παραδοξολογίας amorem, qui tot in Historiã Ecclesiasticã fabulas inuexit. Dialogos Gregorij Magni vt fabularum plenos perstrinxerat vir grauissimus Melchior Canus, cui etiam alij sunt assensi: at Baronius quas & quàm graues eo nomine pœnas exigit à Cano? Acta Syluestri maiore studio damnet an excuset non possum dicere. Sed excusando nihil agit: semper enim ὁ περκτὴς τοῦ λυτροῦ περιγίνεται. Donationem Constantini, quæ etiam in Græcorum nonnullorum libris habetur, falsam esse & τοῦ πονηροῦ κόμματος, vis veritatis expreßit ex ore Baronij: laudo: sed illud non laudo; quod inuidiam criminis falsi transfert in Græcos, & ait,* Quicquid id est, timeo Danaos vel dona ferentes, *in anno* CCCXXIV. 118. *at quæ hæc iniquitas,* quæue hæc barbara morem Permittit patria, *vt eius scripti inuidia onerentur Græci, cuius argumentum Ecclesia Romana mordicus defendit, & quod scriptum tot Papæ, qui errare non solent, pro legitimo instrumento Imperatoribus toties obiecerunt? Et tamen audet Baronius in anno Domini* MXLV. *tota corporis sui mole in Balsamonem insurgens, vt illum prosternat, prostratum iugulet, omnes palæstræ artes adhibere. quas autem adferat aduersus ipsum ratiunculas, non est huius loci expendere. Accedamus ad caput vltimum de ijs quæ scribuntur in his Annalibus ab eorum auctore, Theologi personam gerente. Cuius enim nisi Theologi est, de Scripturis & earum obscuritate, de Traditionibus, de Sacramentis, de Imaginibus, de Angelorum cultu, de Reliquijs, de Ritibus in synaxibus & celebratione Sacramentorum, & cæteris religionis capitibus hodie controuersis longas disputationes instituere, loca Patrum cumulare, & cum diuersa sentientibus serram reciprocare? Hoc igitur paßim in hoc primo tomo quum faciat Baronius, Theologi personam in eo agnosco, Historiographi desidero. In huiusmodi autem omnibus disputationibus ad quem ipse scopum collimarit, ostensum est in epistola ad Regem Serenißimum: ad quem autem collimare potius debuerit, si Veritati & Ecclesiæ Dei, paci ac tranquillitati voluisset ire consultum, vti par erat, ostendimus* Exercit. XVI. *diatriba* 28. *Refero ad Theologicas Baronij disputationes & illa omnia, quæ de Romano Pontifice & illius dominatione Monarchica paßim vbique totis his* XII. *tomis tam accuratè disseruntur. Nam & in prima operis parte Euangelicam historiam suis narrationibus intexens, vt è doctrina Christi illius institutionem hodiernis opinionibus congruentem asserat; & mox vt Petrum fuisse verum Ecclesiæ Monarcham probet, non minore contentione Baronius laborat, quàm vel Bellarminus, vel quiuis alius hodiernorum eius caussæ patronorum. Sed & in totis deinceps Annalibus, id semper cura agit præcipua, vt continuationem & amplificationem Papalis potestatis, & praxin perpetuam Hildebrandinæ doctrinæ, quantum potest, ob oculos hominum proponat. Sed spiritualem fortasse dumtaxat potestatem Romano Pontifici attribuit Baronius: imò verò & spiritualem & temporalem dominationem ita amplam Papis vindicat; vt per eius doctrinam Imperatoribus, Regibus & Principibus, nihil restet aliud, nisi Romano Pontifici* SERVIRE *& ad iussa eius humiliter capessenda, maturè sese componere.*

Hoc

Hoc vt ita esse isto loco breuiter demonstrem, adigit me fides qua omnes Christiani obstringuntur erga suos Principes; & ea fidelitas ac deuotio, quam præstare teneor Regibus Christianissimis: quorum sacrosancta Maiestas nisi per Hildebrandinam doctrinam euiluisset, duos maximos Principes Henricum III. & Henricum Magnum pari scelere ac fere simili pacto non luxissemus exstinctos. En igitur pie Lector, doctrinæ illius Principibus funestæ capita pauca è multis ex Annalibus Baronianis in tuam gratiam collecta.

SACERDOS quilibet maior Rege: quia politicus Principatus sacerdotali est subiectus. *Hoc axioma passim asseritur in his Annalibus. maximè autem in anno Domini* LVII. 18. *ibidem*, 31. & 32. *sunt hæc verba.* Cum igitur Rex quantumlibet Christianus, non nisi inter laicos adnumerandus sit, sacris Ministris minorem gerere ordinem certum est. *Mox.* cum quæ à Deo sunt, ordinata sint; politicum Principatum sacerdotali esse subiectum, nulla potest esse dubitatio. *Eò spectat, quod in anno Domini* XXXIV. 293. *verbis Petri palàm abutens, docet sacerdotium esse in Ecclesia institutum, coniunctum cum Regia dignitate: ac propterea Regiæ dignitatis insignibus videri omnes Apostolos vsos.* PAPA judex supra omnes potestates à Deo constitutus. *In anno* CCXVI. *cur Papa Rom. dicatur summus Pontifex hanc rationem adfert*: quia à Deo rerum diuinarum humanarumque arbiter constitutus, judiciaria potestate super omnes effulgeat. *quò igitur illæ distinctiunculæ*, directè indirectè, propriè impropriè, *& similes*, τερθρεῖαι, *tantum ad fallendum excogitatæ?* SACERDOTES & Episcopi jus habent antiquandi leges Imperatorum contrarijs legibus. *A.* CCLVII. 15. illud planè consideratione & obseruatione dignissimum, Episcopos nullam habuisse rationem quarumcunque legum ciuilium, quæ aliqua ex parte officere & impedimento esse viderentur Ecclesiasticis functionibus: quin eas contrarijs legibus editis, irritas prorsus redderent, ac penitus abolerent. *In anno* CDI. 60. hic velim lector consideres, Episcopum omnium miserabilium personarum esse iudicem competentem; suique juris esse malè ab aliquo judicata rescindere, etiam si Princeps esset, qui injustã sententiam protulisset. *Sæpe repetit, Sacerdotes judiciariam potestatem accepisse ex institutione Christi, vt* LVI. 28. *Imperatores autem, quando suis legibus ius illis attribuerunt iudicandi, nihil noui eis contulisse; sed id tantum confirmasse, quod è iure diuino poterant sibi vindicare, vt in* CCCXVIII. 64. *idem tamen in anno* CCCXIV. *Principibus aliquanto æquior. In anno* CCCXXXVI. 18. *affirmat auctor*, non esse Imperatorum in Episcopos ferre sententiam, sed tantum, à Concilio antè latam executioni mandare. *In anno* CCCLXXXVII. 11. 12. 13. *prolixè conatur probare*, Sacerdotes ex jure diuino nihil debere Regibus pendere, quibus ipsi sint superiores. *Axioma est Baronij* Præsidibus prouinciarum præsidere Episcopos, qui jus habeant sententias illorum rescindendi, si ipsis libuerit: *hoc sæpe repetit: sed in anno* CDXI. *etiam exemplo id confirmare nititur. Ait à Synesio Episcopo Andronicum Pentapoleos præfectum* fuisse à tribunali depositum, in quo in Deum & homines multa deliquerat. *Sed est error* θεήλατος *insanùm magnus. Locus Synesij est in epistola* XC. συγνοῦ βήματος αὐτὸν ἐξειλόμεθα, *id est*, è subsellio pænitentium ipsum exemimus. *narrat ibi Synesius, se pænitentia Andronici seria adductum, vt omnibus modis ei faueret.* συγνὸν βῆμα, subsellium mæstum *est locus pænitentium, qui separatim ab alijs in Ecclesia stabant aut sedebant. Sequitur apud Synesium*; καὶ τ᾽ ἄλλα ἐλάττους αὐτῷ παρὰ πολὺ τὰς συμφορὰς ἐποιήσαμεν. etiam cæteras calamitates ipsi multò reddidimus leuiores. *an hoc est detrahere præfe-*

tum

ctum de tribunali? Vanissima igitur est illa Baronij gloriatio. Quanta hæc auctoritas Episcoporum? vt malè iudicantes Præsides cessare imperent: id enim affirmat Synesius. *Sed exemplum est falsum: falsa igitur doctrina. Aliud axioma:* Papa solus potest dare imperium: ad cuius consecutionem nihil refert filium esse Imperatoris, nisi placeat Papæ. *Ad hanc doctrinam stabiliendam magna pars horum Annalium refertur. Clarissima verba sunt, quæ afferemus ex anno MCLIX.* 7. Fridericus Imperator si consuluisset Annales, haud certè progenitoribus suis acceptum tulisset imperium, sed tantum Apostolicæ Sedi: sine cuius nutu nihil prodest genitum esse ex Imperatore, vt quis possit fieri Imperator: sed tantum quod elegerit, vel eligendum concesserit ipse Papa. *Vt instituere, ita destituere Imperatorem tam facile potest Rom. Pontifex, quàm descendit imber cum pluit. In anno DCCC.* 15. *habetur hoc effatum:* Hanc potestatem esse in Ecclesia Dei, & in ipso Pontifice primariò residere, posséq; ipsum si caussa postulet, Apostolica plenissima potestate, infestum Ecclesiæ Regem, siue Imperatorem deponere, inq; loco ipsius iustum & pium sufficere, ex Dei verbo, iure diuino, & lege naturæ, necessaria assumptione probari, exploratissimum est. *Puto sanè Romæ, & vbicunque hæresis Hildebrandina impune viget, id quod ait Baronius esse exploratissimum: sed magna Deo gratia, quod maior & melior pars Orbis Christiani, in qua censentur etiam supremarum Galliæ Curiarum Patres amplissimi, & è Romano-Catholicis optimus quisq; & Protestantium tot populi, non id quod Baronius dicit; sed eius planè contrarium habent pro exploratissimo. Accipe aliud oraculum;* Duo gladij sunt Papæ, tam materialis quàm Spiritualis; & hoc negare hæresis est. *Doctrina est Baronij ijsdem verbis enuntiata, in anno MLIII.* 14. *Iam igitur habent Protestantes quod lætentur, non solos se hæresin sapere: sed omnes illos qui Papæ duos gladios non attribuunt. Quis autem Christianus ita insanit, si paucissimos excipias, quibus rectum rationis vsum morbus animi nescio quis eripuit? In anno DCCLI. de translatione regni facta in Gallijs ita scribit:* Francorum Monarchiæ bene consulturus Ro. Pontifex, Francorum regnum quod sub Regibus Merouingijs inertibus, & nouissimè sub Hilderico Stupido periclitaretur, Apostolica auctoritate, in Pipinum Caroli Martelli filium, Carolomanni germanum, post obtentas aduersus diuersos hostes sæpe victorias, transtulit, eumq; Regem creat, ipso Hilderico anno sequenti deinceps detruso in monasterium. *Hæc narratio ita nuda, quàm falsa sit, & Monarchiæ Francorum à Deo solo institutæ, quantum afferat præiudicium, virorum prudentium est diligenter expendere: sicut & illa accuratè ijs consideranda, quæ scribit idem, DCCLXX.* 24. *maximè autem quod ait in CMXII.* 34. Reges Francorum Papæ subditos esse, cuius iussa capessere debeant. *Est & illud vnum è scitis Baronianis;* Imperatorem debere Ro. Pontifici inseruire, vt eius auctoritas sarta tecta præstetur. *sicut dicitur in CCCCXLV. item hoc:* Imperatori non satis suppetit juris ad Regem aliquem eiectum regno, restituendum, nisi interueniat voluntas Papæ; *in anno DCCCIX.* 34. *item istud:* Præsides prouinciarum tenentur jussa Paparum exsequi, non adscripto PLACET, sicut fit hodie. *Colligit hoc Baronius ex historia falsa, in anno CDXIX.* 8. quod quidem, *inquit*, illud primum ostendit, inseruisse Præsides prouinciarum, & qui illis parebant milites Ro. Pontificibus, in exsequendis Apostolicæ Sedis sententijs; tantùm abest vt eas impedirent, vel remorarentur, vel vt Apostolicis ipsis literis Placet subscriberent, arrogarent. *Quum tomus XI. Annalium, propter repetitum tanta contentione regnum Siciliæ à Rege Catholico, à fidelibus eius ministris censuræ fuisset*

 subiectus

subiectus: Baronius hoc & similibus factis Papæ Maiestatem autumans imminui, iniuriam vltus est hisce verbis MCLXXXVI. 24. dictu nefas, horrendum factu, quod infelicissimis nostris temporibus, probata à Rom. Pontifice scripta ministri regij redigere audeant sub censuram, vt ea à librarijs vendi non sinant, nisi ab ipsis impetrata licentia, quam etiam interdum pro arbitrio negent, atque prohibeant ne vendantur. Hoc Baronius dicit esse alteram clauium Petro adimere, & grande nefas admittere. Igitur quum omnia Europæ regna, omnes Principatus sint Ro. Pontificis, vt tanta cura demonstratur in his Annalibus: si Papam libido incesserit, vel occasio inuitarit, vt vnum aliquod è suis regnis velit repetitum ire, & liber aliquis in eum finem scriptus, ipsi fuerit probatus, Rex ille à quo regnum repetetur, vel eius ministri, si ausi fuerint mutire contra, scelus videlicet admittent dictu nefas, horrendum factu, iudice Baronio. O cœlestis Veritas exorere, & Reges magnos libera ab hac tetra seruitute. In anno DCLXXXIII. conditionem nostrorum temporum lamentatur, eáq; appellat miserrima tempora. an propter supremum Dei numen tam negligenter hodie à multis cultum? aut propter blasphemias, quas impij quotidie in Deum Patrem, Iesum Filium Dei, Spiritum Sanctum & B Virginem & alios Sanctos quotidie euomunt? minimè. accipe caussam: quibus nihil sollicitius, vigilantius ac vehementius Præsides prouinciarum agant, quam vt Ecclesiasticum tribunal solitarium reddant. Incipiunt tandem Reges & Principes euigilare. Hinc illæ lachrymæ. Querela de Præsidibus prouinciarum affinis est querela de Regum consiliarijs, quos Baronius indigetat Politicos, Nouatores, Hæreticos, & quidem aliquando teterrimos hæreticos. vt desinant Lutheri & Caluini discipuli ijs appellationibus gloriari, quum videant hodie tam multis eas communicari. Anno DCCCLXII. 3. ita eos compellat: Huc adeste Politici Nouatores, qui in controuersiam admodum friuolè reuocatis, num summus Pontifex potuerit Francorum regnum ab Hilderico Stupido in Pipinum transferre. ait autem eo loco, posse Episcopos etiam hæreditarium regnum in alios transferre. A. DCCLII. 8. negat Reges vllum penitus in rebus Ecclesiasticis jus habere. & subijcit; vnde erubescant Politici Nouatores, cùm Ecclesias subijciunt Regibus. Circa annum DCCCLXX. in caussa Hincmari Rhemensis, & Hincmari Laodunensis, Hadrianus II. literas Manlianas scripsit ad Carolum Caluum. Carolus Hadriano respondet ea epistola, quæ hodiéq; extat; non minus tanto digna Rege, quàm illa Hadriani erat legitimo Petri successore indigna. Quid ad hæc Baronius? Libere dicam; ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἀνεκτῶς. Audet erga Regem optimum, quod non ausus Michael Archangelus erga Diabolum; κρίσιν ἐπιφέρει βλασφημίας. Carolus Caluus, inquit, ista dicens nec capillum habuit in capite rationis. quasi haberent pilum boni viri, qui aduersus vnctos Dei os aperiunt ita petulanter: tum autem viris probis & eruditis, eiusdem cum ipso religionis, qui in suis scriptis eius lucubrationis fecerant mentionem, inclementer dicit & conuitia ingerit. Fateor non probari Baronio in anno MCLXXVII. quod Alexander III. Friderici Imp. prostrati ad pedes suos, ceruices pede presserit & calcauerit. sed addo; propterea de illo facinore fœdo liberius ab eo pronuntiari, quia non putauit esse veram historiam. Nam si putasset rem gestam fuisse, laudasset proculdubio, non reprehendisset. Quare enim Alexandrum III. vituperaret pedibus Imperatorem suum calcantem; qui Celestinum III. pedibus ignominiosissimè & nequissimè ludentem corona Imperatoria, non veretur laudare, & factum tam immane defendere? Sed Baronius cùm adeo pertendit non debere fidem haberi narrationi de ceruicibus Imperatoris à Papa calcatis, aut ignorat aut dissimulat lamentabilem illorum tempo-

temporum infelicitatem, quando & Papæ & ministri Paparum Reges etiam maximos impune ludibrio habebant. Narrat Matthæus Parisiensis in anno Dom. M. CCXIII. *Pandulphum subdiaconum & Papæ in Anglia legatum,* pecuniam, quam in arram subiectionis Rex Iohannes contulerat, sub pede suo conculcasse, Archiepiscopo dolente & reclamante. *Sine caussa igitur Alexandri factum adeò miratur Baronius : nam* Quid domini facient, audent cùm talia serui? *In anno* DCCXXX. 5. *negat hæreticos Principes sini debere in Ecclesia regnare; & Gregorium II. dilaudat, qui eius rei exemplum primus dedit. Sed vúltne aliquis certò cognoscere, quo fuerit Baronius animo erga Imperatores ac Reges? accipiat eius rei luculentam demonstrationem. In anno* CDXCI. *narrat è Suida, Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum aliquando Imperatorem Anastasium de fide habuisse suspectum : igitur minitabundum compellasse ipsum in hæc verba :* Sin secus feceris, resectâ tua comâ, in triumpho ducam te cum populo. *hoc exemplum prorsus insigne est, & cui nullum legatur simile. ausum esse non iam Papam, sed Archiepiscopum Constantinopolitanum, tanta contumelia Imperatorem afficere, vt minaretur, se illum propria auctoritate tonsurum & in monasterium aliquod inclusurum. Non puto esse aliquem Dei timentem virum, qui audaciam Patriarchæ non detestetur. miserrima enim futura est Regum atq; Imperatorum conditio, si hoc exemplum admittitur. Ego hîc tragœdias à Baronio expectabam, vel eo saltem nomine, quod tantum ius alius præter Papam sibi vindicat. Ille vero exultat ad hoc factum & ita scribit :* hæc cùm dixit Euphemius, planè exauctorationem ei comminatus est : siquidem idem erat recidere Imperatoris comam, quod in ordinem monachorum redigere ad pœnitentiam, vt de pluribus factum legitur. Vidisti quanta sibi auctoritate sacerdotij sumat Euphemius, vt abrogationem imperij magna animi celsitudine intrepidus publicè comminatus fuerit Imperatori? quod timens ille, ab hæreticorum cœtu ad tempus saltem abscessit, simulans se esse Catholicum. *Quis hæc legit, & non agnoscit Baronij in Principes animum? Sed Deus caussam Principum aduersus illum fortiter hoc loco vindicauit. mira enim* θεοβλαβεία *exultabundus ille animus fuit hic percussus. Historia falsa est : locus Suidæ, vt tale aliquid ex eo posset exprimi, præcipuis verbis, pessimo exemplo, fuit truncatus : deniq; in crimine falsi manifestò deprehensus hæret, non dicam Baronius, sed is qui hunc Baronio locum suggessit. Suidas expressè notat, Anastasium, quando hæc ad illum Euphemius, fuisse silentiarium. Zonaras explicat, de eodem Anastasio loquens,* τῶν χαμαιζήλων ἦ τοῦτο ἀξιωμάτων, Silentiariatus erat vna è vilissimis dignitatibus. *En facinus indignum : quod de abiectissimæ conditionis homine narrant historiæ, id Imperatori tribuere, & de eius falsa contumelia adeò impotenter triumphare. At fraus illius, à quo hunc locum Baronius accepit, insignis & quouis supplicio digna. Sustulit enim è verbis Suidæ ista,* ὁ μετὰ ταῦτα βασιλεύσας, is qui postea regnauit. *si postea; non igitur tunc, quando id illi accidit. bis autem habentur apud Suidam illæ voces; in* Ἀναστάσιος, *& in* σατεία. *Eat nunc parricidarum patronus Andreas Cretensis Iesuita, & dicat defuisse mihi, quando ad Frontonem scribebam, facultatem vel vnicum ex Annalibus locum proferendi, quo probarem Baronium Principibus minus æquum fuisse, Papæ nimis addictum. Atqui non pauca loca seligi ad eius rei demonstrationem queant : sed libri multi quamuis prolixi de eo dumtaxat argumento possint confici. Quæ quum ita sint, neminem arbitror pium & prudentem iri repertum, quin vltro fateatur, non sine magno periculo eius Historiam in manibus iuuentutis, aut corruptorum superstitione lectorũ, hodie versari. Videmus quot machinæ quotidie labefactandæ Principum aucto-*

ritati,

ritati, adhibeantur. Videmus quàm multi, in Italia, Hispania, Germania, ipsa etiam in Gallia, vel aperte vel per cuniculos id propositũ vrgeant. Videmus qui sint illius Cerbereæ doctrinæ fructus. Parricidæ pietatis obtentu armant se in suos Reges: ferro, igne, puluere vnctorũ Dei vita appetitur: supplicium ex eo crimine martyriũ vocatur: parricidarũ caussa Romæ sine pudore defenditur: parricidæ conuicti & confessi cælis inseruntur. ô tempora! ô mores! Non dico Baronij Annales crimen illud nefariũ & horrendum palàm docere. Quid iuuat? si Hildebrandum cum suis dictatibus tollit in cælum: si dirissima quæque Paparum in Principes facta deprædicat: si sacerdotes vult esse Regum Reges: si hæresin esse pronuntiat, & quidem teterrimam, aut negare duos gladios esse Papæ, (non quo sensu olim Bernardus, sed quo sensu vtrũq; sibi à paucis seculis Papæ vindicarunt:) aut pro Regum defensione aduersus Curiam Romanam audere hiscere. Magnam igitur, meo quidem iudicio, laudem meretur vir ille dignitatis primariæ, & erga Reges Christianissimos fidei compertissimæ; qui Galli hominis, horum Annalium nuperi Epitomatoris, ad Senatus Parisiensis amplissimos Patres nomen nuper detulit; quod Epitomen suam contexens, pernitiosissimæ huius hæreseos venenum, quasi aliud agens populis Galliarum propinasset, sicut est ab ipso perspicuè demonstratũ. Post cædem infandam duorũ Regũ Christianissimorũ, quos dira illa doctrina exstinxit; cessare aut periculũ dissimulare, si alijs nationibus licet; nobis certè Gallis non licet; nisi antiquæ maiorum nostrorum gloriæ fidelitatis exquisitæ erga Reges nostros cogitamus renuntiare. ὃ μὴ γένοιτο οὐδ' ἔσται. Me vt hoc potissimum tempore istud opus susciperem, illa cum primis caussa impulit; (scit Deus scrutator cordium:) quod memoriæ Henrici Magni, non malè parentaturum me credidi, si doctrinã, cuius pestem ipsi experiri contigit, pro mea virili refutare conarer atque infamare. Initio igitur, cum ante biennium ad scribendum seriò animum cepi appellere, illa solummodò attingere consilium erat, quæ ad iura Principum pertinent. Quòd postea ne illa quidem prætermiserim, quæ ad hodiernas spectant de religione controuersias; studio factum est illustrandæ pro viribus antiquitatis Ecclesiasticæ, etiam in illa parte. Baronium igitur præeuntem κατὰ πόδας sequens, occasionem habui multa in eo genere mihi obseruata in lucem proferendi. Quædam breuiter attigi: quædam paullò vberius tractaui; vt doctrinam de sacrosancta Eucharistia: de qua dum vestigia Baronij premo, tres scripsi disputationes: vnam de varijs eius Sacramenti apud veteres appellationibus: alteram de Transsubstantiatione: tertiam de genere Sacrificij Christianorum: conatus primorum seculorum doctrinam, non minus candide & ἀφελῶς, quàm accuratè exponere. Prima disputatio habetur in Exerc. XVI. reliquæ duæ propter typographi festinationem, quia erant longiusculæ, edi nunc non potuerunt. Quoniam autem Cardinalis Baronius in primo operis sui tomo, capita hodiernarum Controuersiarum pleráque omnia putauit sibi tractanda: ideo & nobis imitandi eius exemplum necessitas incubuit. Inde illa tam luculenta rerum copia, de quibus aut iam egimus in hac priore parte; aut restat deinceps agendum σὺν Θεῷ in posteriore. Ita enim visum commodius diuidere quæ rescripsimus ad primum tomum. In priore multa ex Euangelica historia occurrerunt tractanda: posterior nascentis Ecclesiæ formam quà internam, quà externam, si fauerit ceptis Iesus Christus ὁ Σωτὴρ, accuratè descriptam complectetur. Quod superest, peto à te obnixè pie & candide Lector, persuadeas tibi, me ad hoc genus studiorum, in queis à prima iuuentute optimus parens me educauit, quæque ipse amaui, & pro facultate colui semper, etiam cum in alijs literis videbar esse totus; non leuitate animi, non studio dumtaxat gratificandi cuiquam mortalium, non deniq; humani alicuius commodi

spe

ſpe deflexiſſe: verùm eius vnius mercedis cupiditate, vt in timore DEI, veræq́ antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione & proficerem ipſe magis magiſq́ in dies; & alijs, ſi quos forte eadem cupiditas tenet, viam à Card. Baronio prius munitam, magnis meis laboribus, redderem aliquanto munitiorem, & planiorem. Diſcordias augere, nunquam fuit animus mihi. Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω. *iter ad concordiam indicare, id verò tota mente, tota voluntate, ſi poſſem, vellem. Faxit Deus immortalis, vt & meæ hæ, & aliorum omnium, qui in ijſdem literis excolendis deſudant, lucubrationes, ad ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, Eccleſiæ ædificationem, & noſtram omnium ſalutem, ſemper dirigantur.*

γένοιτο. γένοιτο.

Londini a. d. VI. *Non. Martias,*

CIↃIↃCXIV.

Ἑνὶ Θεῷ δόξα καὶ χάρις.

Hvgonis Grotii in Is. Casavboni Exercitationes Baronianas, Carmen.

Annales docti nimium seruire Baronî
Qui legis, & Romæ quale probatur opus,
Credere ne propera : multo vigilata labore
Pagina ; sed nutu sub dominantis erat.
Auctoramentum non est leue, purpura : pridem,
Pontifices verum non didicêre pati.
O Pietas vbi mersa lates ? quis fortis & acer,
Qui contra sæclum commodet ora tibi ?
Viuimus addicti studijs ; spes, ira, cupido,
Turba, metus, regnum religionis habent.
Pars Vnum toti cupiens imponere mundo,
Hoc vt fas doceat, nîl putat esse nefas.
Alma, licet nolit, testis tamen esse Vetustas
Cogitur, & contra se facit ipsa fidem.
Seu solio vitáque simul depellere Reges,
Vertere seu pretio jusque piumque libet,
Antiquos habitus nuper donare repertis,
Hoc iter ad famam diuitiásque patet.
Altera pars studium, nimium quoque, fassa nouandi
Hoc libertatem puráque sacra vocat.
His cur displiceant ritus moresque recepti
Causa satis magna est, quod placuêre prius.
Tantis pressa malis Virtus, quæ falsa profari
Semper, & interdum vera tacere vetat,
Nunc huc, nunc illuc flens & miserabilis ibat
Diua, sibi nullas questa vacare manus.
Sæpe alios frustra, diuine Casaubone : sed non
Illa tuam frustra sollicitauit opem.

Non

Non tibi, ait, rubros apices promittere possum,
Sed nec opes: præda est hostibus illa meis:
Nec mihi parua tamen merces, mens conscia recti,
Gratáque posteritas, & Deus ipse fauens.
Audieras : pares: nec te mala terruit ætas
In pacem bellum quæ sine pace gerit.
Cedat Athenæus juuenilis gloria: cedat
Scipiadæ sapiens in fera bella comes:
Cedat & ipse etiam mundi descriptor, & omne
Quicquid Roma tui, Græcia quicquid habet.
Hoc tanto majus, quanto est animosius: illa
Doctrinæ fuerant, hoc pietatis opus.

In easdem.

TEmporis hæc longum series repetita per æuum
Baronio, (Isacia tela retexta manu)
Hactenus imposuit magnis, multosq; per annos
Credita, pœne Sacris imminuensque fidem.
Enthea dum cæcis vult & θεόπνευστος haberi,
Luce patet læsi larua retecta lupi:
Materia ingenij referens vestigia prisci
Digna Casaubonia quæ varietur acu.
Grande decus patriæ, Regísque orbísq; Britanni:
Consona quem sequitur sacra corona ducem.
Musarum in terris soboles pœne vna superstes:
Cætera cultorum crimine turba iacet.
Non tibi Mæcenas, non quisquam à Rege secundus
Contigit: Augusti numine tutus ouas.
Inuita inuidia stadium decurre senectæ
Pontificum hostis atrox, hostia grata Deo.

David Barclaius.

ADMONITIO
AD LECTOREM.

QVVM varijs è locis significatum nobis esset, optare multos, vt quæ proferebamus testimonia è Græcis scriptoribus, ea in Latinum sermonem verteremus: morem qui hodie à multis eruditis seruatur, nos quoque in his Exercitationibus secuti, Græcis, vt plurimum Latinam versionem nostram subiecimus. Quod si aliquando factum non reperitur, sciant minus exercitati in Græcis, propterea nos interdum id institutum non tenuisse; quia mentem loci subijciendi, nostris verbis prius expresseramus. Piguit igitur rem eandem sæpius repetere. Interdum etiam cum plura in eundem finem testimonia afferebantur, vbi vnum aut alterum transtuleramus, à cæterorum versione posse nos supersedere existimauimus. Si quæ præterea occurrent non Latinis verbis exposita; sciat Lector consulto consilio id factum à nobis; acuendæ iuuenum, præsertim S. Theologiæ studiosorum, cupiditati, Græcos Patres in sua lingua legendi: quod spondeo illis, sine fructu & honestissima voluptate nunquam facturos. Errata typographica in fine adnotantur, quæ quidem obiter nobis erant obseruata. Æquus lector, & illa emendabit, & si quæ alia ipse deprehenderit: neque mirabitur, in opere tam vario operas quæ meam manum sequebantur, aliquando cespitasse. Pag. 269. 4. scribe, nec Paulus. In Epistola ad Regem Ser. & Proleg. hæc corrige. P. 28. 11. accusare, non excusare. p. 43. vlt scr. quod s. p. 49. 44. percipere. p. 52. 36. Paulam.

EXERCITATIO PRIMA

AD
CARD. BARONII
ANNALES;

In
APPARATVM
eiusdem.

ISAACI CASAVBONI EXERCITATIO I.

AD CARDIN. BARONII APPARATVM IN ANNALES SVOS.

I. *Vtrum de salute per Christum, & notitiæ Christi ante ipsius aduentum necessitate, idem omnes Patres senserint, quod affirmat Baronius. Expenduntur Clementis Alexandrini quædam loca. B. Augustini vera sententia. B. Chrysostomi duriora quædam dicta ex alijs eiusdem Patris locis illustrantur & explicantur. Iustini Martyris locus expenditur. Λόγος. Iobij & Euthymij dicta quædam notantur.*

VErissimum est, quod initio Apparatus sui scribit illustrissimus Cardinalis, Cæsar Baronius; ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam salutem esse consecutum, nisi à CHRISTO, & per CHRISTVM: posséque non immeritò ea ratione Christianos dici illos omnes, qui etiam ante Christi aduentum & ἐνσάρκωσιν, vel in populo Dei, vel apud Gentes facti sunt salutis participes. Huius veritatis demonstratio è sacris literis adeo facilis est & certa, vt paucos hodie putem esse Christianos, qui ea super re dubitent. Nam quod magnus Erasmus, Ludouicus Viues vir doctissimus, & non nemo etiam è Protestantibus; cum primis verò atq; omnium animosissimè Andradius Lusitanus, aliter aliquando pronuntiarunt, & persuadere

alijs sunt conati; explosa est dudum ea sententia, & à doctissimis vtriusque partis Theologis, veris & solidis argumentis confutata. Sed quod addit Baronius; apud veteres quoque Patres omnes, semper hoc fuisse in confesso: id verò si accipiatur simpliciter & sine vlla exceptione, an satis certum sit, equidem vehementer addubito. Neque enim negari videtur posse, doctrinam de iustificatione peccatoris, & caussa meritoria salutis, primis Ecclesiæ temporibus, & fere ante diuini ingenij virum B. Augustinum, vix satis dilucidè fuisse expositam. Constat sane, apud vetustissimos Patrum, & nonnullos etiam posteriorum, eiusmodi sententias interdum occurrere, quæ, nisi benigna interpretatione molliantur, superiorem Baronij affirmationem labefactare sint idoneæ. Pauca è multis exempla hoc loco proferam. Clemens Alexandrinus, inexhaustæ doctrinæ vir, affirmat, Iudæis legem Mosis, Gentibus Philosophiam, ante Christi aduentum, & eam quam ipse appellat vocationem vniuersalem Iudæorum & Barbarorum in populum vnum, ad salutem suffecisse. Sic enim ait libro VII. Στρωματέων, Centonum, quas licet Varias lectiones appellemus: Ἰουδαίοις μὲν νόμος, Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς (τοῦ Χριστοῦ) παρουσίας· ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλῆσις ἡ καθολικὴ εἰς περιούσιον δικαιοσύνης λαὸν κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν. & libro eodem iam ante dixerat, Deum non à certo quodam tempore, (putà, ex quo missus est in terras Filius Dei) verùm ab æterno προσωποληπτὴν non esse; imò contra, absque acceptione aut discrimine personarum, omnibus mortalibus viam ad salutem patefecisse. Etsi autem fatetur eo loci Clemens, notitiam Dei, quam habuerunt Gentes, fuisse ἀμαυρὰν & obscuram: non tamen dubium, existimasse ipsum, potuisse homines per illam Dei cognitionem seruari. Iccirco tot locis Legem & Philosophiam duo Testamenta appellat, ab eodem Domino diuersis populis, in eundem finem tradita. Eodem libro: Καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἠβούλετο ὁ Θεὸς, τοὺς προφήτας διδοὺς· οὕτω καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους, οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινε. *Quemadmodum volebat Deus Iudæos seruari, cum Prophetas illis dabat; sic & Græcorum probatissimos quosque, proprios ipsis in sua lingua Prophetas excitando, prout ipsi Dei beneficium capere poterant, ab hominum vulgo secernebat.* Solet etiam idem alibi Legem & Philosophiam appellare βαθμοὺς καὶ ὑποβάθρας τῆς κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίας, *gradus & quasi scalas Christianæ philosophiæ.* rectè & verè: si appellatione philosophiæ illud intellexit, quod Paulus nominat τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *quod notum est Dei*, Rom. I. 19. opera nempe Dei, quæ mortales ad Creatoris aliquam notitiam possunt perducere, & amplioris cognitionis desiderium, si mens ipsis

ipsis non læua, in eorum animis ingenerare. Cæterùm Clemens Philosophiæ nomine eiusmodi notitiam intelligit, per quam ad iustificationem impij posset perueniri. Affirmat hoc disertè libro primo eiusdem operis: καθ᾽ ἑαυτὴν, ait, ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας. *Philosophia quondam* PER SE *Græcos iustificabat.* Atqui operum Dei contemplatio ad notitiam Christi, sine quo nulla salus, Act. 4. 12. neminem, opinor, vnquam deduxit. Credendum sane, etiam ante natum è B. Virgine Dominum, alios quoq; salutis factos esse participes, *paucos, qui vel apparent in Scripturis, vel in genere humano latent,* vt ait B. Augustinus in epistola XCIX. ad Euodium Episcopum; sed illud quoque simul credendum, neminem vlla vnquam ætate ad spiritalem Ierusalem pertinuisse, *nisi cui diuinitus reuelatus fuerit vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; qui venturus in carne, sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est,* ait idem Augustinus, De ciu. Dei, lib. XVIII. cap. XLVII. & in epistola XXVIII. ad Hieronymum, verba illius sunt: *Certus sum, non esse animam vllam in genere humano cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Caute igitur accipiendum, quod apud nonnullos Patrum legas: Christi notitiam ijs qui natiuitatem ipsius & οἰκονομίαν præcesserunt, non fuisse necessariam. Perspicuis hoc affirmat verbis B. Chrysostomus aliquot locis. In Matthæum, hom. XXXVIII. τί οὖν; ἠδικήθησαν οἱ πρὸ τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ; οὐδαμῶς. ἐνῆν γὰρ καὶ μὴ ὁμολογήσαντας τὸν Χριστὸν τότε σωθῆναι. οὐ γὰρ τοῦτο ἀπῃτεῖτο παρ᾽ αὐτῶν· ἀλλὰ τὸ μὴ εἰδωλολατρεῖν. *Aliquis dicet: Quid ergo? illisne facta est iniuria, qui ante Christi aduentum vixerunt? Nequaquam: tunc enim etiam sine confessione Christi poterat aliquis seruari: quippe hoc ab illis non exigebatur: sed vt ab idololatria abstinerent.* Mox: τότε εἰς σωτηρίαν ἤρκει, καθάπερ ἔφθην εἰπὼν, τὸ τὸν Θεὸν εἰδέναι μόνον· νυνὶ δὲ οὐκέτι· ἀλλὰ δεῖ καὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ γνώσεως. *Solùm Deum nosse ad salutem tunc temporis satis erat: nunc id non sufficit: quin hoc amplius notitia Christi est necessaria.* Non multo post: οἱ τὸν Χριστὸν οὐκ ἐγνωκότες πρὸ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας; εἰδωλολατρείας δὲ ἀποστάντες, καὶ τὸν Θεὸν προσκυνήσαντες μόνον, καὶ πολιτείαν ἀποδειξάμενοι ἀρίστην, ἁπάντων ἀπολαύσονται τῶν ἀγαθῶν. *Fruentur*, inquit, *omnibus vitæ æternæ bonis, etiam illi, qui Christum, ante ipsius incarnationem non norunt; sed ab idololatria sese abstinuerunt, Deum vnum adorarunt, & vitam, quàm fieri poterat, optimam vixerunt.* Hæc & similia his alia dicta duriora interpretatione commoda candido lectori sunt mollienda; ne aut aliquam extra Christum salutem impie somniemus; aut de tanto Ecclesiæ Doctore, cum sciolis nonnullis, secius opinemur. Atqui Chrysostomus cùm ita loquebatur, de clara & perspicua, atque vt Scholastici loquuntur, explicita Christi notitia,

sentiebat:

ſentiebat : non de obſcura, ænigmatica, & figuris inuoluta, qualem Adamus, Patriarchæ, & pij deinceps omnes, è vaticinijs de venturo Chriſto, & ſymbolis typiſque legalibus, aut peculiari reuelatione ſunt conſecuti. Probo ex alijs viri ſanctiſsimi illius locis, hanc fuiſſe ipſius mentem. In Iohannis verba I. 10. *& mundus eum non cognouit*, diſertè ſcribit Chryſoſtomus, omnes pios & Deo charos, etiam ante Domini aduentum in carne, ipſum cognouiſſe : οἵγε τοῦ Θεοῦ φίλοι, inquit, καὶ θαυμαστοὶ, πάντες αὐτὸν ἐπέγνωσαν καὶ πρὸ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας. Id mox demonſtrat ex verbis Chriſti Lucæ X.24. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis.* Nam quia ignoti nulla eſt cupido ; colligit ex eo recte, iſtos qui diem Domini videre deſiderabant, ſciſſe illum venturum, & in ipſum crediſiſſe. deinde illi obiectioni Gentilium, cuius tot Patres meminerunt ; Si Chriſtus eſt ſalutis auctor, cur ille tamdiu ceſſauit ? cur tam ſerò aduenit ἀντιληψόμενος τῆς σωτηρίας ? ſic docet reſpondendum ; ὅτι καὶ πρὸ τούτου ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ προενόει τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ γνώριμος τοῖς ἀξίοις ἅπασιν ἦν. *Dominus etiam ante aduentum ſuum erat in mundo, & creaturarum ſuarum curam gerebat, fuitque notus* OMNIBVS *qui digni erant.* Legat pius lector quæ in eam ſententiam pluribus eo loci diſputantur. Iuſtinus verò Martyr, illo ipſo Apologiæ II[æ]. loco quem affert Baronius, vt illam de qua diximus obiectionem ſoluat, ea ſcribit, quæ an commodiorem interpretationem admittant haut ſatis ſcio; etſi non videtur id animaduertiſſe Baronius. Τὸν Χριστὸν, inquit, πρωτότοκον εἶναι τοῦ Θεοῦ ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν, λόγον ὄντα οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε· καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν. οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς· ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ Ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. Iuſtini mens eſt. Malè nouitatem doctrinæ Chriſtianis obijci, quum eius auctor ſit Chriſtus, primogenitus Dei filius : quippe Dei Λόγος, Verbum, ſiue potius Ratio, (iſtud enim menti Iuſtini accommodatius) cuius ſit particeps vniuerſum genus hominum : ac proinde non hodie atque heri cepiſſe exiſtere Chriſtianos in mundo, ſed à principio ſemper & vbique fuiſſe. Chriſtianos enim cenſeri debere, quicunque μετὰ λόγου, *cum ratione*, vitam inſtituerint : quales fuerunt, inquit, apud Græcos Socrates & Heraclitus ; inter Barbaros Abraham, Ananias, Azarias, Miſael, Helias, & alij multi. Similis huic locus eſt & in Apologia priore, quem ſubijciam. Χριστὸς καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους ἐγνώσθη· λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐστὶν, ὁ ἐν παντὶ ὤν, καὶ διὰ τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι᾽ ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γενομένου καὶ διδάξαντος ταῦτα. *Chriſtus etiam à Socrate ex parte eſt agnitus.* Λόγος *enim Ratio, ſiue Sermo erat atque eſt, qui eſt in quouis hominum, & ille eſt, qui partim*

per

per Prophetas futura prædixit, partim per ſeipſum hæc docuit, poſtquam ſeſe ipſe iiſdem perpeſsionibus reddidiſſet obnoxium, quibus & nos ſumus. Langus illa, ὁ ἐν παντὶ ὤν, vertit, *in vniuerſitate rerum exiſtens.* ſed errauit; niſi ſcriptum inuenit ἐν τῷ παντί. verùm ea lectio ferenda non erat. nam Iuſtinus id vult, quod in ſuperiore loco dicebat, Chriſtum eſſe λόγον, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε, *rationem, cuius ſit particeps omne humanum genus.* meminit huius τοῦ λόγου participationis Origenes, & gradus varios illius explicat prolixè, in Iohannem tomo ſecundo. Porrò è ſuperioribus Iuſtini verbis duæ propoſitiones eliciuntur, eruditorum Theologorum animaduerſione dignæ. Prior eſt: Ante Chriſti aduentum & Iudæos & Græcos, ſiue Gentiles, qui ſecundum rationem viuerent, Chriſtianos fuiſſe, ac proinde ſeruandos. Altera prioris cauſſam continet: Hominem λογικὸν dici, id eſt, rationalem, ſiue ratione præditum, quia particeps eſt λόγου ἤτοι Χριστοῦ, *Rationis*, aut *Verbi*, quod eſt Chriſtus. De priore propoſitione ſatis antè dictum: poſterior res plus quàm toto genere diuerſas, λόγον τὸν οὐσιώδη καὶ ἐνυπόστατον, hoc eſt, ſecundam ſemper adorandæ Trinitatis perſonam, & λόγον, ſiue rationem humanam, manifeſta & periculoſa homonymia confundit. Vt non ſine cauſſa eximius Dei ſeruus Baſilius in explicatione primorum verborum ex Euangelio Iohannis, monuerit; cauendum eſſe ab homonymia vocis λόγος, ne in fraudem incidamus. Ὅρα, inquit, μή ποτέ σε παραχρούσηται τὸ ὁμώνυμον τῆς φωνῆς. Hæc viri ſummi admonitio, in legendis veterum Patrum ſcriptis adprime eſt neceſſaria: multa enim in illorum monumentis occurrunt, ad vocis huius illuſtrationem, eleganter, ingenioſe, addam & vtiliter pro tempore excogitata; quæ tamen doctrinam parum ſolidam contineant. Sic accipienda ſunt, quæcunque ab illis proferuntur ex antiquis Philoſophis, vt probent etiam ſapientibus inter Gentes Verbum fuiſſe notum, quod celebrat Iohannes. Adfert Cyrillus libro ſeptimo contra impium Iulianum, hunc Platonis ex Epinomide locum: ἐν ᾧ διεξέρχεται τὸν αὐτοῦ πόλον, ζωαποτελῶν κόσμον, ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν. Ecce habes hîc λόγον, per quem ait Plato factum eſſe mundum aſpectabilem. Videtur dicere idem cum Iohanne; & hoc eſt quod Cyrillus ait: cæterùm, ſi rem penitius ſpectemus, λόγος Platonis, id eſt ratio illa, quam ait à Deo ſummo adhibitam in conditu mundi, longe eſt aliud, quàm Verbum Chriſtus apud Iohannem, & ille λόγος ἐνυπόστατος, ſolis notus iis, quibus ſacra Scriptura innotuit. Talia multa habentur apud Patres; in quibus homonymia poſſit parum cautis imponere. Sic cùm Iobius ſcriptor antiquus & eruditus, cauſſam affert, cur humanam naturam Filius aſſumſerit, non Pater, aut

Spiritus

Spiritus Sanctus: quia Filius sit ὁ λόγος, quem homo quum amisisset, ait, necessarium fuit ad sanandam ἀλογίαν τῷ λόγῳ in terras venire; parum abest, quin ludere illum potius in re grauissima existimem, quàm serium Theologum agere. Euthymius verò Zygabenus, cum ad Euangelium Matt. IX. 13. quare non venerit Christus ad vocandos iustos, rationem attulit hanc; *quia iusti ipsi sibi ad salutem sufficiebant*: nisi hæc illi verba exciderunt aliud agenti, & aliter sentienti, quàm sit parum firma superior illa Baronij asseueratio luculente palàm faciunt.

II. *De interpretatione recta vaticinij Iacobæi;* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Silo. *Error Baronij & multorum è Patribus, qui de regno perpetuo in tribu Iuda oraculum exposuerunt. Confutatur ea opinio breui compendio historiæ populi Iudaici. Patrum securitas in ijs quæ non sunt fidei. Cyrilli Alexandrini errores ἐξ ἀνιστορησίας. An Assamonæi è tribu Iuda per vxores orti. Locus è I. Maccabaico. Latinus interpres notatur. Baronij inanis distinctio inter* Viri Iudæ, *&* Viri Iuda. *Patrum testimonia contra perpetuum regnum tribus Iudæ. Iustini locus insignis affertur, corrigitur & illustratur. Scopus vaticinij Iacobi, & quomodo referatur ad Christum. Eusebij expositio. Prærogatiua tribus Iudæ etiam sine regno.* IVDAEAE *&* IVDAEORVM *appellatio. Aichmalotarchæ & Patriarchæ Iudæorum. Theodoreti affirmatio parum certa. Euentum prophetiæ illius, non ad regnum Herodis restringendum esse, sed referendum ad seruitutis Ro. iugum, quod fuit principium vltimæ illorum captiuitatis. Confutatur figmentum de Herodis regno illegitimo & legitimo. Gradus calamitatis Iudaicæ ab initio subiectionis ad deletam Vrbem.*

APPARATVS, Num. III.

TOtius Baroniani Apparatus argumentum præcipuum ac fere vnicum est, certa demonstratio temporis illius, quo Seruator mundi, ὁ Θεάνθρωπος Iesus Christus, & missu Patris, & sponte propria in terras venit. Quod argumentum, quum plura theoremata, & vt loquebantur veteres I. Cti. visiones diuersas, contineat; recte atque ordine vir eruditissimus ab eo potissimum capite est auspicatus; quo docetur, tunc aduenisse Regem Messiam, quando edita iam olim vaticinia de futuro eius aduentu, erant adimpleta. Promissiones de Christo venturo leguntur in veteri Testamento, vel simpliciter factæ, sine vlla temporis designatione: vt cùm Serpenti, audientibus

Adamo & Eua dictum eſt, *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*, Gen. III. 15. & Abrahamo credentium omnium patri, *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes*, Geneſ. XVIII. 18. & alia his ſimilia apud Moyſem & Prophetas, præſertim autem in libro Pſalmorum, quamplurimæ: vel cum aliqua denotatione temporis; cuiuſmodi illæ ſunt, quas Euſebius toto libro octauo Demonſtrationis Euangelicæ enarrat. Inter omnes autem huius generis prophetias, quæ ſimul cum re tempus adſignificant, inſignes ſunt, illa Iacobi omnium prima, quæ extat Geneſeos capite XLIX. 10. in elogio ac benedictione Iudæ, & Danielis hebdomadæ. Baronius prætermiſſis Prophetæ Danielis hebdomadibus cæteríſque omnibus vaticinijs, quæ habent χρόνου προσημασίαν, ſolum profert Iacobæum, quod ita narrat Moyſes: *Non auferetur ſceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat Silo.* vel vt habent Septuaginta, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ· *donec veniant, quæ repoſita ſunt ei.* & ita legunt B. Cyprianus aduerſus Iudæos, & B. Auguſtinus contra Fauſtum, alijque Patres. Latinus interpres, *donec veniat qui mittendus eſt.* Alij è priſcis Græcis, ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται. *donec veniat cui repoſitum eſt.* Videntur hæ verſiones vocis Hebraicæ שלה quæ obſcuriſſima eſt, teſte etiam doctiſſimo quoque Rabbinorum, plurimum inter ſe diſcrepare: itaque impius Iulianus apud Cyrillum hanc diuerſitatem interpretationum notauit: ſed non ita eſt: conſentiunt enim Chriſtiani omnes interpretes, & veterum etiam Hebræorum plerique omnes, Meſſiam intelligi. Porrò in declaratione huius oraculi, & explicatione euentus iſtius prophetiæ, quum diuerſæ ſint doctorum hominum, quà veterum, quà recentiorum ſententiæ; Baronius eos ſequitur hoc loco, qui regnum perpetuum Iudæ exiſtimant promitti, ad Chriſti aduentum ſerie continua, aut non niſi ad tempus interrupta, duraturum. *Opportunum ſane tempus*, ait Baronius; *defecerat enim (quod erat in ſacris oraculis) de tribu Iuda & domo David regium ſceptrum atque ducatus: non in Sedechia, (quod Iulianus dicebat) ſed in Aſſamonæis, poſtquam rerum ſumma apud Hebræos redacta ad Herodem.* Antiquiſſimus huius ſententiæ auctor inter Chriſtianos, quod meminerim, eſt Origenes; qui in homilia XVII. in Geneſin, Iacobi prophetiam explicans; *Conſtat*, inquit, *vſque ad natiuitatem Chriſti non defeciſſe principes ex genere Iudæ, nec duces de femoribus eius, vſque ad Herodem regem; qui ſecundum hiſtoriæ fidem, quam Ioſephus ſcribit, alienigena fuiſſe, & per ambitionem in regnum Iudæorum dicitur irrepſiſſe.* Dixi inter Chriſtianos; quia Doctores pleroſque Iudæorum non aliter ſolitos id vaticinium interpretari, Paraphraſtæ antiquiſſimi arguunt. Omitto Onkeli interpretationem, quæ eſt in omnium manibus. Ionathan ſic: *Non ceſſabunt Reges &*

Præsides ex domo Iuda, & Scribæ docentes legem ex semine eius, vsque ad tempus, quo veniet Rex Meßias. Ierosolymitana verò sic: *Non deficient Reges de domo Iuda, neq; Scribæ doctores Legis de filijs filiorum Iudæ, vsque ad tempus, quo veniet Rex Meßias ; cuius est regnum, & ei subycientur tandem omnes Reges terræ.* Origenem multi Patrum sunt secuti, vt Ruffinus, qui in libro de benedictionibus Patriarcharum, ipsa Origenis verba transscripsit; Theodoretus, Quæstionibus in Genesin,& in expositione Hebdomadum Danielis : item Isidorus Hispalensis, Beda, alij multi. B. Augustinus contra Faustum Manichæum lib XII. cap. XLVII. *Sunt literæ certißimæ,historiæ ipsorum quoque Iudæorum,quibus ostenditur, primum alienigenam Regem fuisse in gente Iudæorum, quo tempore natus Christus est. Ita non defuit Rex de semine Iudæ, donec venirent quæ reposita erant.* Sumunt huius interpretationis auctores pro concesso & vero, in tribu Iuda regnum Dauidicum semper viguisse, quod ad vltimum Assamonæorum Antigonum, quem Romani securi percusserunt, & Hyrcanum ab Herode exstinctum, durauerit ; ita vt in Herode ipso demum ceperint Iudæi Principi alienigenæ parere. Epiphanius clarè contra Ebionæos: κατὰ διαδοχὴν διήρκεσεν ἀπὸ τοῦ Ἰούδα, καὶ ἀπὸ τοῦ Δαβὶδ τὸ βασίλειον, καὶ οἱ ἐκ τοῦ Ἰούδα ἄρχοντες καὶ Πατριάρχαι· μετέστη δὲ τὸ βασίλειον εἰς ἀλλόφυλον Ἡρώδην. Hanc vero hypothesin aperte cum sacris literis pugnare, ac proinde falsissimam esse, clarè liquet. Historia enim sacra, in stirpe aut tribu Iudæ nullum prodit Regem ante Dauidem, nullum post Sedekiam. A morte Iacobi & edito hoc vaticinio, ad regni Dauidici principium,anni intercedunt præter propter sexcenti triginta sex : quanquam Eusebius ponit in hoc interuallo, ὅλα ἔτη ἐγγὺς τοῦ χίλια, *annos integros fere mille.* Toto illo tempore populi Iudaici nullus Rex fuit præter vnum Saulem, Dauidis decessorem ; qui non erat è tribu Iudæ, sed Beniamini. Moses & Iosue, qui post exitum ex Ægypto primi ad clauum Reipublicæ illius sederunt,alter post alterum, tribules tribus Iudæ non fuerunt ; sed ille quidem Leuiticæ, hic verò Ephraimiticæ. Inter Iudices quorum secuta est dominatio, vnum atque alterum non negâmus fuisse ex illa tribu, Othonielem videlicet atque Abesanem, siue Ibtsanem, vt habet Hebraica veritas. Sed neque regium fuit horum imperium; neque tribus Iudæ magis proprium propter hos duos, quàm cuiusuis aliarum tribuum propter eos Iudices, qui ex illis sunt orti : putà, tribus Manassæ, propter Gedeonem ; aut Dan, propter Sampsonem. Iudicum πολιτείαν, (quæ Eusebio dicitur μοναρχία, *vnius imperium,* & distinguitur ἀπὸ τῆς βασιλείας) excepit regium imperium. Quemadmodum autem inchoatum esse regnum in tribu Iudæ à Dauide, nemo dubitat ; ita finem habuisse in

Iechonia

Iechonia & Sedekia post annos quadringentos septuaginta quinque (nec discrepat Iosephus Iudaici belli extremo libro sexto) ambigi non potest. Vterque horum Nabuchodonosori Regis temporibus in Babyloniam captiuus est abductus: Iechonias anno Nabuchodonosori octauo, Sedekias, decimo nono: quæ vltima captiuitas est, in qua Ierosolyma cum Templo Solomonis diruta sunt & conflagrata. Eo tempore defecit regnum in stirpe Dauidica, vt Iechoniæ prædixerat Ieremias XXII. 30. *Non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Idem vaticinium apud Ezechielem; vbi expresse dicitur, neminem è regia stirpe ad Christi aduentum fore regnaturum. Locum paullo obscuriorem Septuaginta Seniores sic expresserunt, XXI. 27. οὐδὲ αὐτὴ τοιαύτη ἔσται, ἕως οὗ ἔλθῃ ᾧ καθήκει, καὶ παραδώσω αὐτῷ. Rectè Septuaginta Hebraicam vocem היה verterunt per verbum futuri temporis, ἔσται, ex vsu familiari sacræ Scripturæ. Latinus interpres, *Et hoc non factum est, donec veniret*, (Hebraica veritas, *hæc non futura est donec veniat*, id est, corona regni Dauidici de qua loquitur, non restituetur in integrum, *donec veniat) cuius est indicium & tradam ei.* Postrema verba de Christo, Glossa quam Ordinariam vocant, & omnes eruditi interpretes accipiunt. Lyranus refert ad Nabuchodonosorum, sane perabsurdè: sed viro doctissimo fraudi fuit, vt videtur, Latina versio minus commoda. Hoc verò testimonio quid firmius afferri potest aduersus illam de qua agimus interpretationem? Nec potest opponi facta Dauidi promissio, de firmando in æternum eius solio, II. Samuelis VII. 13. Psalmo LXXXVIII. & alijs locis. Conuenit enim inter eruditissimos quosque interpretum, promissionem illam in Christo filio Dauidis τὸ κατὰ σάρκα, esse adimpletam. Sed redeamus ad historicam demonstrationem. A laxata captiuitate edicto Cyri ad instaurationem murorum nouæ vrbis per Nehemiam, circa annum Artaxerxis Memoriosi vigesimum consummatam, anni intermedij reperiuntur centum quadraginta septem. Sunt qui existiment, per totum illud spatium temporis duos solum duces habuisse populum Dei, Zorobabelem & Nehemiam. Verùm fuisse & alios præter istos duos, recte obseruauit Iosephus Scaliger, ex illis verbis Nehemiæ v. 15. *Duces primi qui fuerunt ante me grauauerunt populum.* Legimus apud Rabbinos, vt in Seder Olam Zuta, Zorobabelem successorem habuisse filium Mesulam & nepotes, primò Hananiam, deinde Barachiam, postea Hasadiam. Sed Rabbinis in historia etiam sacra, (nam in omni alia talpis vt plurimum cæciores sunt) quam parum fidei sit tribuendum, ignorat eruditorum nemo. Vtut sit, concedimus vltro in Zorobabele reuixisse

quodammodo, non Dauidis quidem regnum, ſed tribus Iudæ (in qua ſtirps Dauidica) aliquam dignitatem: quam tamen non manſiſſe diu in eodem ſtatu, res ipſa arguit & hiſtoria certa. Nam ab eo quem diximus Artaxerxis Mnemonis anno ad Alexandri Magni aduentum Ieroſolyma anni numerantur dumtaxat tres & quinquaginta. Apparet autem ex hiſtoria, quæ apud Ioſephum libro XI. capite VIII. de Pontifice maximo Iaddus ſiue Iaddua, (hic putatur eſſe Iaddua filius Ionathanis nominatus Nehemiæ XII. 11.) qui Alexandro proceſſit obuiam, ſummam rerum iam illo tempore penes Sacerdotium fuiſſe. Quæ poteſtas per Aſſamonæos in eo ordine adeo eſt firmata, vt tandem Iudas, qui & Ariſtobulus, Pontifex maximus, regimen illius Reip. in formam regni mutauerit, & diadema capiti impoſuerit. Vide Ioſephum libro XIII. cap. IX. Tenuere poſteri Ariſtobuli regiam poteſtatem ad Pompeium vſque plenam & ſolidam. Ille quum rem tolleret, vmbram tamen regij imperij ipſis reliquit; atque illi poſtea ſeruarunt, quamdiu per Romanos & Herodem licuit; à quo & regnum Aſſamonæis eſt ereptum, & genus extinctum. Euſebius formam Reip. Iudaicæ ſub imperio Sacerdotum ait fuiſſe ex ariſtocratia & oligarchia temperatam; eamque duraſſe à reditu ex captiuitate ad Pompeium. Hiſt. Eccleſ. libro primo, cap. ſexto. Ex hoc breui Iudaicæ hiſtoriæ compendio, luce clara fit clarius, falſam eſſe & abſurdam Baronij & aliorum ſententiam; qui è vaticinio Iacobi regnum tribus Iuda ad Chriſtum vſque duraturum hariolantur. Probauimus enim, neque ante Dauidem, neque poſt Iechoniam & Sedekiam vllum fuiſſe. Quare impius Apoſtata Iulianus, cùm probare conaretur, nihil pertinere Iacobi hanc prædictionem ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, hoc inter alia Chriſtianis obijciebat, quod regnum Iudæ in Sedekia defeciſſet. Erat facilis reſponſio, & ea quidem ſolidiſſima, è certis atque indubitatis Scripturarum teſtimonijs, de promiſſo Rege Meſſia, qui è ſtirpe regia Dauidis erat naſciturus: ſed qui ſomniabant regni terreſtris perpetuam in tribu Iudæ ſucceſſionem, expedire ſe aliter non poterant, niſi vt falſam hypotheſin falſis argumentis tuerentur. Verba ſubijciam beati Cyrilli, è libro octauo operis eximij, quod aduerſus Iulianum ſcripſit. *Quomodo ceſſaſſe dicit regnum Dauid in Sedekia, quum Zorobabel, vt dixi, poſt captiuitatis tempus in regni ſolio conſederit, fueritque è tribu Iuda, & Dauid; transmiſſumque ſit per poſteros illius ſceptrum, vſque ad regnum Herodis, qui ex matre quidem fuit Iudæa, ſed ex patre alienigena?* Vel hic locus tanti Patris, & Theologi adeo præſtantis, fidem fecerit, viros ſanctiſſimos & doctiſſimos, Patres dico Græcos & Latinos, in hiſtoria, & ijs quæ fidei non

ſunt,

ſunt, grauiter interdum hallucinari: ſiue quod maioribus intenti curis, inquirendæ harum rerum veritati non vacarint: ſiue quod primos librorum ſacrorum interpretes, (qui non potuerunt, iter nemini prius tritum ingredientes, non in multis cæſpitare) ἀβασανίστως aut non ſatis diligenti adhibito examine, ſint ſecuti. Negat Cyrillus regnum in Sedekia defeciſſe; atqui hoc nos modò è ſacra pagina demonſtrauimus. Ait Zorobabelem in regni ſolio ſediſſe; atqui Rex nunquam fuit Zorobabel: neque debet ducatus populi, qualis ante fuerat Iudicum, poſtea Aichmalotarcharum, aut Patriarcharum, de quibus ſumus dicturi, cum regno confundi. Ait in Zorobabelis poſteris ſceptrum regium ad tempora vſque Herodis duraſſe: atqui tribus Leui Pontifices, per aliquot vltima ſecula regnum obtinuerunt, non autem regia ſtirps è tribu Iuda. Poſtremò ne id quidem verum eſt, quod Herodem matre Iudæa vult natum. Nam quis vel ignorat vel dubitat Cyprum, (quæ alijs Cypris & Cyprine) vxorem Antipatri, Herodis matrem, Arabiſſam fuiſſe non Iudæam? Sic enim Ioſephus, lib. XIV. capite XII. & Belli Iudaici libro primo, cap. ſexto. Euſebius in Chronico Græco Scaligeri, & Latino Hieronymi in numero MDCCCCLXXXIII. Pſeudohegeſippus libro primo, cap. XXII. Quod à nonnullis affertur, Aſſamonæos paternam quidem originem duxiſſe è tribu Leui, ſed maternam è tribu Iuda, vnde vxores petere fuerint ſoliti: ac propterea inter tribules tribus Iudæ recte cenſeri: id vero quanti fieri debeat, & pueri prope ipſi videant. Et mirum eſſet profectò, tam inane commentum Baronio viro eruditiſſimo probari potuiſſe: niſi quod falſæ δουλεύων ὑποθέσει, vt loquitur Philoſophus, ad falſa neceſſariò adigebatur amplectenda. At quis credat Iudaicorum peritus inſtitutorum, Pontifices maximos illorum temporum è tribu ſua vxores nunquam duxiſſe, verùm ex aliena ſemper, & quidem ſemper ex eadem, nempe Iudæ? aut vnde hoc didicit inauditi epicherematis auctor, ſiue is fuit Lyranus, ſiue Abulenſis? de nonnullis facilè aſſentiar: de omnibus affirmare in tanto auctorum omnium ſilentio, facinus eſt doctis hominibus indignum. Paulo verò Apoſtolo quid reſpondebit Baronius, claris verbis neganti accidiſſe vnquam, aut etiam potuiſſe accidere, vt qui è tribu Iudæ eſſet, aut alia quàm Leuitica, miniſtraret altari? ad Hebræos VII. 13. 14. Adde huc Iudaici iuris regulam, quæ in Talmud, Iuchaſin & alijs Rabbinorum libris frequenter occurrit, & vel ſola huic figmento refellendo ſit ſatis. Sic enim illi: משפחת אם אינה קרויה משפחה *familia matris non vocatur familia*: hoc eſt, genus maternum habetur pro nullo. quam etiam ob cauſſam frequens eſt in Talmud & libris Talmudicis

dicis illa locutio de eo qui masculam prolem nullam habuit, etsi filias habuerit plurimas, בו נגמר היחס *in eo genus est consummatum*, siue extinctum. Vide Iuchasin pag. v i. de Iosua. Locus è primo Maccabæorum, v. 63. à Baronio in hanc rem allatus, apud Latinum interpretem, quem solum ipse, vt sæpe alibi, consuluit, palàm est corruptus, sicut etiam Serarius Iesuita fatetur. Legitur in editione Græca Romana & alijs, καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν σφόδρα: *cum ipse Iudas, tum eius fratres gloriam magnam sunt consecuti.* ἀνὴρ pro αὐτός; quanquam etiam aliter potest exponi, ex vsu voculæ Hebraicæ איש, quæ varie admodum solet vsurpari. Latinus interpres, *& viri Iudæ magnificati sunt*: è mutila & corrupta lectione Græca; cuiusmodi multa in illis libris posse obseruari, sciunt & fatentur omnes neque indocti, neque cerriti. Baronius, quia *viri Iuda* hic editum, non *viri Iudæ*; satis certum id voluit esse argumentum, cur de tribu Iuda, non de duce Iuda Maccabæo, locus sit intelligendus. Quasi verò apud Latinum interpretem aliud significet *viri Iudæ*, quàm *viri Iuda.* Doceret igitur nos cur inter ista discrimen statuere debeamus, quum inter *Iosaphat Regis Iuda*, & *Iosaphat Regis Iudæ*, & similia his sexcenta in eadem interpretatione nullum statuatur. Tandem igitur explodatur vaticinij Iacobæi interpretatio, quæ historiæ sacræ quum manifestò repugnet, defendi omnino haut potest; nisi velimus certæ & exploratæ veritati ὁμόσε χωρεῖν. Porrò etsi multi Patrum historicæ ἀκριβείας minus curiosi illam expositionem sunt secuti; non defuerunt tamen, qui aliter interpretarentur. B. Ambrosius in Euangelium Lucæ libro III. regnum Dauidicum in Iechonia desijsse, rectè scribit. *Iechonia regnante*, ait, *Iudæam Babylonij vastauerunt, neque postea vnquam de semine eius regnum quisquam in Iudæa potuit obtinere. Postea enim populus de captiuitate dimissus, sub Sacerdotibus & Tetrarchis fuit.* Eiusdem in libello de benedictionibus Patriarcharum verba sunt: *Et ideo donec ille veniat, non deficiet dux ex Iuda, vt vsque ad eius ortum regalis successionis fides incorrupta seruetur.* Mox: *Ergo hoc dicit Patriarcha; seruabitur in Iudicibus vel Regibus Iudæorum intemeratæ successionis hereditas, donec veniat cui repositum est.* Videtur à sese discedere & transire in communem sententiam. Sed non facile mihi persuadeo Ambrosium aliud sibi hîc velle, quâm quod dixerat Commentarijs in Lucam: quum præsertim illum locum è suis Commentarijs ipse hîc laudet. Obseruandum igitur, aliud esse, *seruari successionem regalem*, hoc est, stirpem regiam, quæ ius habet regnandi, vtut iam actu non regnet: aliud regnum durare, & Reges actu regnantes: quòd illa prior interpretatio ponebat. Iustinus Martyr, scriptor vetustissimus omnium, quorum extant hodie illius vaticinij

interpretationes,

interpretationes, in dialogo cum Tryphone Iudæo, longe aliter quàm Origenes & qui illum secuti, mentem oraculi exponit. Vult enim, non ante natum Christum in Herode, vt Iudæorum nonnulli dictitabant, quos refellit ipse, id fuisse adimpletum; sed post natum & cruce affixum Messiam; cum vrbe capta, & domo secunda solo æquata, omnis simul est deleta Reip. Iudæorum forma ac species, tam ciuilis quàm sacra. B. quoque Athanasius in libro de incarnatione Verbi Dei, Iacobi prædictionem breuiter attingens, à Iustini mente non abludit. Quoniam autem locus ille Iustini est eximius in hoc argumento, describam eius verba, & faciam ea Latina. Sic igitur ille post allatum Moysis locum è XLIX. Geneseos: Ὅτι οὖν οὐδέποτε ἐν τῷ γένει ὑμῶν ἐπαύσατο οὔτε προφήτης, οὔτε ἄρχων, ἐξότου ἀρχὴν ἔλαβε, μέχρις οὗ οὗτος Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ γέγονε καὶ ἔπαθε, οὐδ' ἀναισχύντως τολμήσετε εἰπεῖν, ἢ ἀποδεῖξαι ἔχετε. καὶ γὰρ Ἡρώδην, ἀφ' οὗ ἔπαθε, (alij, ἐφ' οὗ: sed neque hanc lectionem fert veritas historiæ: non enim sub Herode passus est Christus: neque ἀφ' οὗ pro *post quem*, vt quidam vertendum putarunt, fert Hellenismus. Videntur tollenda; nisi Iustinus alibi mentem habens, vt fit, ἐφ' οὗ ἔπαθε scripsit, pro ἐφ' οὗ ἐγεννήθη, *sub quo natus est*, quod omnino postulat historia:) Ἀσκαλωνίτην γεγενῆσθαι λέγοντες· ὅμως ἐν τῷ γένει ὑμῶν λέγετε ἀρχιερέα· ὥστε καὶ τότε ὄντος ὑμῖν κατὰ νόμον τοῦ Μωσέως (deest hoc loco vox ἀρχιερέως, quam in suis codicibus Perionius interpres videtur reperisse:) καὶ προσφορὰς προσφέροντος, καὶ τὰ ἄλλα νόμιμα φυλάσσοντος καὶ προφητῶν κατὰ διαδοχὴν μέχρις Ἰωάννου γεγενημένων· ὡς καὶ ὅτε εἰς Βαβυλῶνα ἀπήχθη ὁ λαὸς ὑμῶν πολεμηθείσης τῆς γῆς, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἀρθέντων μὴ παύσασθαι· (deest verbum λέγετε; aut è superioribus repetendum; quod nimis durum.) ἐξ ὑμῶν προφήτην, ὃς Κύριος καὶ ἡγούμενος καὶ ἄρχων τοῦ λαοῦ ὑμῶν ἦν. τὸ γὰρ ἐν τοῖς ὑμῶν προφήταις πνεῦμα καὶ τοὺς βασιλεῖς ὑμῶν ἔχριε καὶ καθίστα. μετὰ δὲ τὴν τοῦ Ἰησοῦ τοῦ ἡμετέρου Χριστοῦ ἐν τῷ γένει ὑμῶν φανέρωσιν καὶ θάνατον, οὐδαμοῦ προφήτης γέγονεν, οὐδέ ἐστιν· ἀλλὰ καὶ τὸ ἔτι ὑμᾶς ὑπὸ ἴδιον βασιλέα ἐπαύσατο. *Desiisse vnquam Prophetam aut Principem in genere vestro, ab ipso illius principio, ad illud vsque tempus, quo & natus & passus est hic Iesus Christus, neque vos ea estis impudentia, vt dicere audeatis, neque possetis demonstrare. Nam etsi Herodem, quo regnante natus est, Ascalonitam fuisse dicitis; tamen ipsi hoc quoque dicitis, fuisse tum in genere vestro Pontificem maximum; adeo vt fuerit tum vobis secundum legem Mosis Pontifex maximus, qui oblationes offerret, & reliqua instituta legalia seruaret; manente etiam vobis successione Prophetarum ad Iohannem vsque. Similiter vt cùm populus vester in Babyloniam est captiuus abductus, terra bello occupata, vasis sacris sublatis, negatis desiisse è genere vestro* (vel, *inter vos*) *Prophetam, qui dominus, dux, & princeps populi vestri esset. Nam spiritus qui erat in Prophetis Reges vobis*

vngebat

vngebat & constituebat. At postquam Iesus Christus noster in genere vestro apparuit, (extitit, natus est) *& mortuus est, Prophetam neque habuistis amplius, neque habetis: quin etiam, quum proprio Regi prius pareretis, id quoque cessauit.* Locum eximij scriptoris protuli integrum, quia plane est eximius. Nam vnde melius intelligemus, quæ fuerit primis illis Christianismi temporibus, inter doctos recepta vaticinij huius interpretatio? Expendamus igitur accuratè sancti Martyris sententiam. Ante omnia obseruandum, ita oraculum exponi, vt licet soli Iudæ id videatur dari, euentus tamen oraculi ad fratres omnes, & vniuersum populum è XII. tribubus exoriturum, pertineat. Quæ interpretatio non solùm recta est, verùm etiam prorsus necessaria. Nam quis non videt ea quę admirabili hac prophetia prædicuntur, non ad Iudam propriè omnia, sed ad cunctas tribus pleráque ex æquo spectare? Prædicit Iacob Spiritu Dei plenus aduentum Messiæ; *donec veniat Silo*: vocationem Gentium; *& ipse erit exspectatio Gentium*: Iudaicam politiam cuius tum fundamenta iaciebantur, olim finem habituram; *recedet sceptrum & dux*: postremò tempus designatur quando Messias venturus; *prius quàm recedat sceptrum de Iuda, & dux de femore eius.* Annon hæc omnia ad omnes tribus in commune spectabant? Ea namque fine prædicuntur, non vt vna aliqua tribus tantorum mysteriorum cognitione gaudeat; sed vt fideles omnes qui in singulis tribubus erant nasci turi, aut in easdem à Gentibus transituri, spe & fide Christum Christique bona, prout ferebat temporum ratio, apprehenderent, & aduersus ærumnas miseræ huius vitæ solatium inde caperent. Fide enim iusti viuebant, quæ est ἐλπιζομένων ὑπόστασις. inquit Apostolus ad Hebræos, XI. I. Quare certo certius est, quatuor illas quas recensuimus, admirandas & verè θεοπνεύστους prophetias, non in vnius Iudæ aut tribus Iudæ gratiam à Spiritu Sancto per Iacobum esse editas: sed in commune bonum omnium tribuum & vniuersi populi Iudaici, quandoque futuri. Notitiam spiritualis doctrinæ ita primis parentibus & populo Iudaico temperauit imperscrutabilis Dei prouidentia; vt quum vnicuique seculo tantum eius largiretur, quantum satis esset; paullatim & velut per certos gradus ad pleniorem cognitionem fideles promouerentur. Non secus ac fieri in ijs videmus, qui è profundis tenebris prodeunt in claram lucem. neque enim semel & ἀθρόως eorum oculi totum Solis iubar admittunt; sed paullatim & vt loquitur Aristoteles, ἐκ προσαγωγῆς. Adamo fuit satis, scire exoriturum quandoque è semine Euæ, qui genus humanum ex illa calamitate eriperet, in quam Serpentis fraude inciderat. Hæc fuit primorum parentum mensura fidei: quæ paullatim in viris pijs postea secutis incrementum

crementum cepit. Abrahamo verò hoc amplius dedit Deus, vt fœdus cum illo iniret, & factam generi hominum promiſſionem de venturo Saluatore, ad prolem ipſius reſtringeret, dato ipſi hoc oraculo; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et quum eius ſatu duo populi eſſent exorituri, declarauit Deus immortalis Abrahamo, in vtro è duobus populo factæ promiſſiones forent euenturæ. Eodem pertinuit, quod è duobus Iſaaci filijs Eſauo & Iacobo; alterum ſe elegiſſe Deus Iſaaco ſignificauit; vt eo pacto fides ipſius de adimplendis olim promiſſionibus diuinis, & mittendo Meſſia, fieret confirmatior. Ita paullatim progrediebantur fideles ad clariorem lucem. Sed inſigne cumprimis eſt incrementum, quod cepit cognitio doctrinæ ſpiritualis, per hanc qua de nunc agimus Iacobi prophetiam: in qua primùm videtur Dᴇᴠs Oᴘᴛ. Mᴀx. addidiſſe ad priores prophetias de Chriſto venturo, temporis circumſtantiam. quæ adiectio quanti momenti eſſet ad firmandam piorum fidem, quid attinet dicere? Quare etſi plura capita ſermo ille Iacobi continet; quorum nonnulla ad præſentis vitæ ſtatum pertinent; velut cum Zabuloni prædicitur futurum, vt in diuiſione terræ Cananææ, ducenteſimo quadrageſimo quarto anno poſt futura, ora maritima eius tribui contingat: cum Iſſacharo, fore vt eius poſteri otium ignobile in agrorum cultura traducant: præcipuus tamen illius ſcopus fuit, confirmare in animis liberorum & augere acceptam de Meſſia notitiam; quæ illis temporibus piorum fuit Theologia. Iccirco tanta cura liberos conuocat, & attentionem illorum ſibi parat; ea dicturum ſe ſtatim initio profeſſus, quæ eſſent euentura, באחרית הימים ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, id eſt, populi Iudaici temporibus nouiſſimis. Hoc ſancti Patriarchæ erat ἔργον; cætera, vt ſic dicam, præ vno hoc πάρεργα. Etſi autem Iacobi vaticinantis vox ad Iudam dirigebatur; præcipua tamen vaticinij capita ad omnes fratres & eorum poſteros in commune ſpectaſſe nemo non videt. Quid ergo? dicet aliquis: nihilne in hac prædictione Iudæ proprium? imò verò aliquid fuit, atque id momenti longè maximi. Primum illud eſt, quod ſicut olim Abrahamo & poſtea Iſaaco indicauit Deus immortalis, cùm vterque illorum duos filios haberet, ex vtro Meſſias eſſet oriturus: ſic nunc idem Deus per os Iacobi liberis eius ſignificat, quis ex omnibus eſſet electus, vt ex eius poſteris Chriſtus naſceretur. Non obſcure enim ſignificatur, idque poſtea ſemper Iudæis eſt creditum, ex Iuda oriturum Meſſiam. Deinde illud in Iacobi prophetia Iudam propriè attingit, quod præcellentia dignitatis & iura primogenituræ, quod ad honorem, Rubeno primogenito adempta, in Iudam transferuntur. Adimuntur primogenituræ iura Rubeno illis verbis, אל תותר μὴ πλέον ἔχε:

ne excellito poſthac eo iure quod tibi ordo naſcendi dederat. Id ius pręcedente verſu Iacobus appellauerat elegantiſſimè, יתר שאת ויתר עז πλεονέκτημα ἀξίας, πλεονέκτημα ἰσχύος, *præcellentiam dignitatis, præcellentiam roboris*: quem ſenſum Latinus interpres illis verbis expreſſit, *prior in donis, maior imperio*. nunc cùm dicit Iacobus eiuſdem originis verbo vtens, אל הותר ne excellito ſupra fratres, ius prius illi aufertur. Idem ius tribuitur Iudæ illis verbis, *adorabunt te filij patris tui*. Primogenituræ iura erant, portio bonorum amplior, Deuter. xxi. 17. & inter fratres præcellentia. Bona quæ Rubeno debebantur, Iacob tranſtulit ad Ioſephum; honorem in Iudam deriuauit; vt exprimitur Chronicorum lib. 1. capitis quinti initio. Vbi obſcurè cauſſa honorati Iudæ oſtenditur, לנגיד ממנו *quia ex illo dux*, nempe Silo, Rex Meſſias. Vis porrò decreti huius ſiue ordinationis ea fuit, vt deinceps inter fratres Iuda ſemper excelleret, & tribus Iudæ inter omnes dignitate potior eſſet. Stupendam Dei prouidentiam hîc licet admirari; qui illam tribum, ex qua naſciturus erat Meſſias, voluit ἐπιπολάζειν, & eximio quodam honore inſigniri; non quia à primogenito duceret originem; ſed ob id ipſum, quia Chriſto originem erat datura. Quis autem piorum dubitare poteſt, eo potiſſimum fine hæc ita conſtituta eſſe, & patefacta, vt populus Iudaicus ex ijs quæ videbat oculis ſuis ad meditationem τῶν μὴ φαινομένων & adhuc latentium excitaretur? dignitas enim tribus Iudæ, typus fuit & quaſi pignus atque arrhabo regni Meſſiæ. Quæ vel maximè ratio videtur impuliſſe veterum nonnullos, vt figmentum illud excogitarent de regno in tribu Iuda, ad Chriſti aduentum ſemper manſuro. At longe aliter Iuſtinus, vt ſequentia docebunt. Cæſarienſis verò Euſebius, vir longe doctiſſimus, & in omni hiſtoriarum genere exercitatiſſimus, in accuratiſſima huius oraculi explicatione, quę extat libro octauo Demonſtrationis, figmentum illud validiſſimis rationibus confutat, ex hiſtoria petitis. Probat non propriè ad Iudam ſpectaſſe hoc oraculum, ſed ad omnes Iudęos: neque verò vllum hîc regnum promitti Iudę, aut eius ſtirpi; quę per ſecula plurima regno caruit; & quando regnauit, breue admodum tempus vniuerſo populo & xii. tribubus imperauit: ſtatim enim poſt filium Dauidis ſecutam eſſe diuiſionem, quę partem multo maximam ſtirpis Iudę imperio ſurripuit: ſed quandam dignitatis pręſtantiam tribui Iudę promitti, quam ſemper poſtea obtinuerit. Et hanc appellat quidem Euſebius φυλὴν βασιλικὴν, *tribum regiam*; ſed reſpectu maximè Regis Meſſię. Vocat etiam ἀρχικὸν ἀξίωμα, tribus illius pręſtantiam; non quia penes illam ἀρχὴ & dominatio fuerit; contrarium enim ipſe demonſtrat: ſed quia inter omnes tribus ſingu-

lari dignitate & nominis celebritate excelluit. Colligit igitur Eusebius è Scripturis huius quam dicimus dignitatis tribus Iudę testimonia. Vt cum Numerorum II. 3. & X. 14. in castris ponendis, cęteris anteponitur: cum in eodem libro XII. 17. in ordine offerentium, prima illa reliquas anteit: cum Iosuę cap. XIV. in diuisione terrę non expectat sortis euentum; sed ἀκληρωτὶ omnium prima suę portionis cernit hereditatem: cum mortuo Iosua, libri Iudicũ initio, ducatus belli ipso ore Dei tribui huic defertur: cum toto Iudicum tempore, licet nati in alijs tribubus Iudices Remp. administrarent; generalis tamen quędam honoris prerogatiua penes hanc remansit. Εἰ δὲ, ait, ἐκ διαφόρων ἐδόκουν εἶναι φυλῶν οἱ κριταί, ὅμως καθόλου ἡ τοῦ Ἰούδα φυλὴ τοῦ παντὸς ἔθνους ἡγεῖτο. Addit, post solutam captiuitatem pręfuisse Zorobabelem; & quod in libris Paralipomenon, vbi exponitur genealogia omnium tribuum, agmen ducat hęc Iudę, id quoque ad illius honorem pertinere contendit Eusebius: qui ad tempora citeriora propterea non descendere se ait; quia certi de illis pronuntiari nihil possit: τῷ μηδὲ φέρεσθαι θείαν βίβλον ἐξ ἐκείνου καὶ μέχρι τῶν τοῦ Σωτῆρος χρόνων: *quod à reditu ex captiuitate ad tempora Seruatoris nullum extet sacrum volumen.* nam libros Maccabaicos etsi magni semper fecit vetus Ecclesia, non tamen inter sacros & primę notę canonicos, retulit. Sequitur post hęc apud Eusebium memorabilis obseruatio de appellatione Iudęorum & Iudęę tunc primum cepta vsurpari, cùm regiam potestatem, quam in Sedekia tribus hęc amiserat, Pontifices maximi ceperunt sibi vindicare. Notat hoc etiam Iosephus libro XI. cap. V. sed obiter; rem cum primis meo iudicio obseruatione dignam, & quę procul dubio accidit non sine numine. Quum Achaia Gręcię prouincia non magna, sub Romanorum inuasionem vniuersę Gręcię nomen dedisset: putauit Polybius eius rei caussam sibi esse quęrendam. Nos putabimus temere accidisse, vt post reditum à captiuitate omnes omnium tribuum Abrahamidę vocarentur Iudęi, & terra tota IVDAEA, vel γῆ Ἰούδα, *terra Iudæ*, vt in Maccabaicis non semel? Ego verò non dubito, prouidentia diuina factum, vt ad priores huiusce tribus prærogatiuas, hæc accederet: idque illo potissimum tempore, quo rerum potienti tribu Leui, videbatur tribus Iuda obscuranda, neque alio iure quàm communi omnium censenda. Qua ratione multo factam esse hanc illustriorem constat. Eusebius igitur tanti hoc æstimat; vt qui disertè scribat, à reditu ex captiuitate ad Christum, (quod tempus ipse facit annorum quingentorum) solos Pontifices regimen obtinuisse, οὐδένα δὲ ἐκ τῆς τοῦ Ἰούδα φυλῆς, *è tribu verò Iuda ne vnum quidem*: tamen propter appellationem hanc non dubitet pronuntiare, imperium quodam-

modo illius fuisse. Affert Romanorum exemplum, quorum dicitur, ait, imperium; etsi plerique eorum qui res tractant, atque adeo ipsi Imperatores, non sint origine Romani. Denique Eusebij sententia est; quod à tribu Iuda omnes XII. appellationem communem inuenerint, rem esse admiratione dignam, & quæ proculdubio euenerit, vt huic Iacobi de Iuda oraculo fides constaret. θαυμάζειν ἄξιον, ait ille, ὅπως δώδεκα οὐσῶν τῶν παρ' Ἑβραίοις φυλῶν, ἐξ οὐδεμιᾶς ἄλλης, ἢ ἀπὸ μόνης τῆς Ἰούδα, ἡ τοῦ ἔθνους εἰσέτι νῦν ἀναγορεύεται προσηγορία· οὐδ' ἑτέρως, ἢ διὰ τὸ τῆς προφητείας λόγιον, τῇ τοῦ Ἰούδα φυλῇ τὸ ἀρχικὸν περιάψαι ἀξίωμα. Huc etiam referendum, quod tribus quæ in Babylonia remanserunt, ducem sibi præponere soliti, quem vocabant ראש גליותא Αἰχμαλωτάρχην, Caput siue principem captiuitatis, & semper è tribu Iudæ eum eligebant. Manauit enim ab antiquissimis temporibus institutum, quod semper deinceps in eo tractu seruatum, manet hodieque in vrbe Bagded; vbi Aichmalotarcha semper est è tribu Iuda, (sic illi quidem volunt videri) sicut scribunt cum alij Rabbini, tum prolixe admodum Beniaminus Tudelensis in Itinerario. De antiquitate instituti licet facere coniecturam vel è Chronico Hebræorum, quod Minus vocant. Non obstat historia de Hyrcano captiuo, qui è tribu Leui, Iosepho narrata, libro XV. cap. 11. quippe eius facti peculiaris fuit ratio & ius extraordinarium. Nam alioquin certissimũ est, Caput Babylonicæ captiuitatis, quem Aichmalotarcham licet appellare, non potuisse tunc creari, nisi è tribu Iuda & familia Dauidica. Et obseruant Rabbini differentiam inter hunc & Nasi, id est Synedrij Principem in terra sancta; quod Aichmalotarcha Babylonius necessario crearetur è posteris Dauid; quum Nasi multorum Rabbinorum opinione, è qualibet tribu potuerit institui. Vide Zacuthum in Iuchasin folio XVII. b. Caussa ibi affertur, quia in Aichmalotarcha putabant Iudæi hanc Iacobi prophetiam compleri. Atque hanc fuisse veterum Doctorum apud Iudæos sententiam docet Moses Ægyptius libro vltimo Iad cap. quarto. vbi etiam habetur huiusmodi sententia: *Rase Galiuth Babel*, id est, *Aichmalotarchæ Babylonij locum Regis obtinent: iusque ipsis competit dominandi in populum Israel omni loco, velint nolint: quia dictum est, Non recedet sceptrum ex Iuda; ecce Aichmalotarchas Babylonios.* Hæc Moses. Porrò vt in partibus Orientis Aichmalotarcham Iudæi τῆς πάλαι διασπορᾶς Principis loco habuerunt, ac nunc etiam habent, qui aut est, aut saltem esse creditur è tribu Iuda & stirpe Dauidica; sic prorsus ὡς τῆς ὑστέρας διασπορᾶς, hoc est Iudæi qui Ierosolymis fuerunt superstites, & per omnes mundi plagas sunt diuisi, Patriarchas habuere, quibus parerent, ceu legitimis Principibus, & à Dauide ortis: qui quidem non creabantur, sed nascebantur.

bantur. Legant ſtudioſi quæ de huiuſmodi Patriarchis fusè narrant Origenes περὶ ἀρχῶν, libro II. cap. primo; B. Epiphanius in diſputatione contra Ebionæos, & Theodoretus in Ἀτρέπτῳ ſiue dialogo primo. Quo in loco, vt hoc obiter dicam, Theodoretus vere negans, vt equidem arbitror, è tribu Iuda fuiſſe reuera, qui pro talibus vulgo haberentur à Iudæis: illud, opinione mea parum verè adijcit, iſtos omnes è ſtirpe Herodis, non Dauidis fuiſſe prognatos. Atqui ſcimus progeniem Herodis vniuerſam intra ſeculum vnum aut paullo plus, fuiſſe extinctam. Vt taceam de perpetuo odio Iudæorum in Herodem ſiue viuum, ſiue mortuum. B. Cyrilli Ieroſolymitani in Catecheſi XII. quo loco de hoc Iacobi agit vaticinio, verba ſunt: εἰ ἔχουσι τὸν ἐκ γένους Ἰούδα καὶ τοῦ Δαβὶδ, οὔπω ἦλθεν ὁ προσδοκώμενος· αἰσχύνομαι γὰρ λέγειν αὐτῶν τὰ πρόσφατα περὶ τῶν καλουμένων παρ᾽ αὐτοῖς νῦν Πατριαρχῶν, πράγματα, ὅ τι τούτων τὸ γένος, καὶ τίς ἡ μήτηρ· καταλιμπάνω δὲ τοῖς εἰδόσι. *Si habent Iudæi*, inquit, *Principem è genere Iudæ & Dauidis, nondum venit qui exſpectabatur: nam res illorum recentes, quod ad illos attinet quos Patriarchas vocant, genus illorum quodnam ſit, quæ mater, pudet commemorare. Scientibus igitur illa relinquo.* Secundo loco obſeruandum in Iuſtini interpretatione, ipſum verba vaticinij *ſceptrum & Legiſlator*, non exponere de perpetua aliqua ſucceſſione Regum è tribu Iudæ: ſed in genere de omnibus Reip. Iudæorum rectoribus, Regibus, Magiſtratibus atque etiam Sacerdotibus. Erant Iudæi qui dicerent, in Herode Magno adimpletum eſſe à Iacobo editum oraculum: quod ille factus eſſet Rex Iudææ, qui è tribu Iuda non erat, ſed Aſcalonita; hoc eſt, non à prima origine Iudæus, verùm proſelytus. Iſtos Iudæos refellens Iuſtinus, claris verbis negat potuiſſe dici oraculum Iacobi prius euentu confirmatum, quàm omnis penitus & ciuilis magiſtratus, & ordo hierarchicus fuerit deletus, hoc eſt, ante ſolo æquatam vrbem. Hæc Iuſtini ſententia eſt, quam ipſe ducto à captiuitate Babylonica argumento confirmat: quod tamen an huic loco ſatis conueniat, non iam quæro. Illud tantum volo, conſtare ſancti huius Martyris teſtimonio, eius ætatis viros doctos non exiſtimaſſe, aut certe non omnes, in Herode Magno Iacobi vaticinium fuiſſe adimpletum. Tertio loco obſeruetur, quomodo Iuſtinus illa verba, עד כי יבא in ſua interpretatione accipiat. Nam quum poſſet verti rectè, *donec veniat*, vt tempus denotetur proximum aduentui Meſſiæ, ſiue ante, ſiue poſt: Iuſtinus ita accepit, vt ex mente illius vertendum ſit, *donec venerit*. Sane aliquando ſic locutio illa neceſſariò accipienda, vt Num. XX. 17. עד אשר נעבור גבלך rectè LXX. ἕως ἂν παρέλθωμεν τὰ ὅριά σου. Vulgata, *donec tranſeamus terminos tuos*. planè ἀκύρως, pro *tranſierimus*. actio enim denotatur perfecta atque abſoluta.

ta. ſic accepit hoc loco Iuſtinus, qui oraculi euentum prius vult extitiſſe, quàm Chriſti aduentum. Sed quum vtroque modo phraſis Hebraica poſſit accipi, hiſtoriæ conuenientius eſt, quod habet Latina verſio, *donec veniat*. Omnino ſicut prior captiuitas temporibus fuit diuiſa, neque ſemel ac ſimul tota contigit; ſed primo Manaſſes Rex eſt abductus, II. Paralipom. ſiue Chron. XXXIII. 11. deinde Ioakim anno quarto regni ſui, primo Nabuchodonoſori, II. Paralipom. XXXVI. 6. tertio Ioachim, qui & Iechonias, anno octauo Nabuchodonoſori, II. Regum XXIV. 12. II. Paralipomen. XXXVII. 10. quartò Sedekias, anno Nabuchodonoſori XIX. ibidem. ita prorſus eueniſſe in ſecundi Templi deſtructione hiſtoria demonſtrat. Atque hoc miror neque à Iuſtino eſſe animaduerſum, neque ab ijs vulgo obſeruari, qui oraculi complementum in eo articulo ponunt, quo Herodes declaratus eſt Rex à Romanis, vel quo regnum ipſe adijt. Vnde poſtea illorum error inſanùm magnus manauit; quos nihil pudet, in hac luce literarum, è ſpurciſſimis Annianarum fabularum lacunis, & fœdiſſimis mendacijs, tempora Herodis diſtinguere in tyrannicum regnum & legitimum: adeoque cæcutiunt viri aliàs doctiſſimi, vt non intelligant, regnum Herodis; ſi mores illius & facta ſpectentur; totum fuiſſe tyrannicum à principio ad finem: ſi tempora comparentur, in ipſo fine magis quàm in principio. Nam quæ tyranni facta crudeliora eſſe poſſint ijs quæ paullo ante mortem, & moriens tetra illa & dira bellua deſignauit? Tres filios ſupplicio affecit: è ſingulis familijs ſingulos, aut fortaſſe etiam plures concluſit in Circo, poſt obitum ſuum occidendos; infantes denique bimulos totius Iudææ, aut alicuius certè partis Iudææ, crudelitate inaudita iuſſit iugulari. Hæc ſunt Herodis, legitimi iam Regis, ſi ſuperis placet, præclara facinora: quibus paria in toto ſuperioris vitæ illius ſpatio non poſſunt ſententiæ huius patroni deprehendere. Sin autem ad ius regnandi reſpiciatur; negamus nos, ad illud ius, quod initio Herodes accepit à Romanis, vllam poſtea factam eſſe acceſſionem. Scimus ſcribere Ioſephum, libro XVII. cap. tertio, Herodem non multo ante obitum, fidem populi Iudaici iureiurando ſibi obſtrinxiſſe: ſed qui illo loco abutuntur ad ſtabiliendam diſtinctionem de qua locuti ſumus, vt dicam ingenue quod ſentio, pudendum errorem admittunt. Audiamus Ioſephum: παντὸς τοῦ Ἰουδαϊκοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκων, ἦ μὴν εὐνοῆσαι Καίσαρι, καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασιν, οἵδε οἱ ἄνδρες οὐκ ὤμοσαν, ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχιλίοις, *quum vniuerſus Iudæorum populus iureiurando fidem obſtrinxiſſent, fore vt ſemper Cæſaris & Regis imperio bene cuperent; ſoli Phariſæi, quorum erant ſupra ſex millia, iurare recuſarunt*. En argumentum Achilleum! populus Iudæorum

iurauit

iurauit Herodi, se fidelem ei futurum; ergo tunc primum regnum illius cepit esse legitimum, quod hactenus fuerat Tyrannis dumtaxat. Omitto quærere, quàm sit rationi consentaneum, vt populus qui bello victus libertatem multo antè amiserat, & Romanis seruire dudum inceperat, Regem sibi imponat, & regnandi ius illi conferat. Omitto dicere, Iudæos cùm illud iusiurandum præstiterunt, non libera voluntate id fecisse; Herodem enim omnes oderant; sed tyranni metu fuisse adactos. Illud scire velim, cur istius sententiæ auctores non idem de Augusto statuant? Nam Iosephus vtrique fidem datam ait, non soli Herodi. Cur ergo præstitum iusiurandum Augusto pariter & Herodi, & quidem verbis ijsdem, (sic enim Iosephus narrat) aliud circa Herodem operatur, aliud circa Augustum? vterque alienigena, vt quidem istis placet: vtrumq; tantundem iuris habere in regno Iudaico Iudæi proculdubio existimabant. Sed redeat oratio illuc vnde diuertit: Nos igitur, vt diatribæ huic tandem aliquando finem imponamus; interitum Reip. Iudæorum, quem ante tot secula Iacobus prædixerat, alio tempore existimamus incepisse; alio esse promotum; alio denique esse consummatum. Cepit calamitas Iudæorum anno ante natum Seruatorem sexagesimo; quando populus antea sui iuris, seruitutis iugum subire est coactus à Pompeio, libertate adempta, & ditionis virtute partæ iactura multatus; ius successionis regiæ, quæ diu iam obtinuerat, Romanorum cessit libidini; vt postea semper necesse fuerit, eum accipere Regem, quem Romani imposuissent: tributa cepta sunt exigi, & quidem sine modo: religio multifariam est violata; cum quidem Pompeius locum nemini mortalium peruium, præter summum Pontificem, idque semel in anno, Sancta, inquam Sanctorum, irrupit. Istud nos facimus principium calamitatis Iudaicæ. Iosephus verò sic rem narrat, quasi consummata tunc non incepta fuerit Iudæorum pernicies. Sic ille libro XIV. cap. VIII. Τούτου τοῦ πάθους Ἱεροσολύμοις αἴτιοι κατέστασαν Ὑρκανὸς καὶ Ἀριστόβουλος πρὸς ἀλλήλους στασιάσαντες. τήν τε γὰρ ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. καὶ τὴν χώραν ἣν τοῖς ὅπλοις ἐκτησάμεθα τῶν Σύρων ἀφελόμενοι, ταύτην ἠναγκάσθημεν ἀποδοῦναι τοῖς Σύροις· καὶ προσέτι πλείω ἢ μυρία τάλαντα Ῥωμαῖοι ἐν βραχεῖ χρόνῳ παρ' ἡμῶν εἰσεπράξαντο· καὶ βασιλεία, ἡ πρότερον κατὰ γένος ἀρχιερεῦσι διδομένη, τιμὴ δημοτικῶν ἀνδρῶν ἐγένετο. Ait Iosephus, illo tempore Iudæos libertatem amisisse, & Romanorum subditos esse factos: deinde mala recenset quæ ex eo sint passi: Rabbini vltimam hanc suam captiuitatem appellant (*captiuitatem Edom*, hoc est Romanorum. Ejus tempora quomodo distinguant, nihil attinet hoc loco explicare. Illud non prætermittendum, quod principium illius in eo tempore

constituunt,

cõstituunt, quo ceperunt Romanorũ esse subditi. In Iuchasin pag. xv. narratur fœdus ictũ ab Assamonæis cum populo Ro. deinde additur. ובטלו הברית ומשם ואילך היו משועבדים לרומיים ואז התחיל גלות אדום *Tunc cessare fecerunt (ruperunt) fœdus Romani; & ex eo ac deinceps fuerunt subditi illorum Iudæi. Atque tunc incepit captiuitas Edom.* Auxit verò calamitas, & vnus quasi gradus ad pernitiem vltimam est factus, anno post natum Dominum circiter decimo; cum Archelao Viennam relegato, Iudæa in formulam prouinciæ est redacta: quod quam vim habeat, peritis rerum Romanarum satis est compertum. Ab eo tempore nullus vnquam postea Iudææ neque Rex fuit, neque Ethnarcha: planéque tum accidit, quod modò Iustinus dicebat; & Iudæi sic propriè dicti, ὑπὸ ἴδιον βασιλέα ἐπαύσαντο εἶναι, *proprio sibi Regi desierunt esse subiecti.* Nam quod Eusebius & eum secutus Baronius, Agrippam iuniorem Regem vltimum Iudæorum appellant; quasi ille Ierosolymorum Rex fuerit; mera est virorum eruditissimorum hallucinatio. Fuerunt quidem & senior Agrippa & iunior, Reges Iudæorum; sed non Ierosolymorum, neque τῶν κυρίως λεγομένων Iudæorum; de qua distinctione alio loco erit dicendum. Herodes Antipas & Philippus, neque Reges vnquam fuerunt, sed Ethnarchæ; id quoque non Ierosolymorum, sed adiacentium regionum. Vera Iudæa, amoto Archelao, in formulam prouinciæ, sicuti dicebamus, redacta, Syriæ accessit; cepitque tum in eam mitti, qui vocabatur Procurator Cæsaris in Iudæa, vel etiam Procurator Iudææ, de quo multa inferius. Tum etiam facta est per Quirinium census descriptio; non qualis antè, cùm Dominus noster natus; sed diuerso fine, ad populi illius vexationem intendendam; qui propterea furere tum & ad arma prosilire. Vide Iosephum libro XVIII. cap. III. Vltima fuit clades, vrbe diruta, & destructo Templo, ab incarnatione Filij Dei, anno Dionysiano septuagesimo. Hæc est illa admiranda Dei Opt. Max. in pœnis peccatorum exigendis lentitudo, de qua toties Prophetæ, & ipse etiam Iesus Christus in pulcherrima parabola de vinea & vinitore apud Matthæum XXII. 33. atque alios Euangelistas.

III. *Confirmatur allata superiore diatriba expositio oraculi Iacobæi. Quid Patres impulerit, vt in Herode adimpletum vaticinium dicerent. Errores multi semel admissi, deinceps sine examine retenti. Iudæos ante Herodem alienigenis fuisse subiectos. Romani semel subacta Iudæa veri eorum Reges. Herodem non fuisse* ἀλλόφυλον *probatur. Proselytorum iura & conditio apud Iudæos. Idumæi fratres Iudæorum. Iudæorum inuidia aduersus Proselytos. Appellationis* IVDAEORVM *&* IVDAEAE *varia*

varia vſurpatio. ἔθνη *de Chriſtianis.* Ἰσονομία *Iudæorum indigenarum & aduenarum, ſiue Proſelytorum. Refellitur Deſpoſynorum fabula apud Africanum & Euſebium.* φαντασίαι. *Locus Ambroſij animaduerſus. Refutantur ſolidè, qui ex Ioſepho aſſeruerunt Herodem fuiſſe* ἀλλόφυλον. *Ipſe varijs locis illuſtratur. Photij error inſignis caſtigatur. Scaliger defenſus contra Serarium.*

Apparatvs, Num. V.

EX ijs quæ modò diſſeruimus ſuper genuina oraculi Iacobæi interpretatione, colligitur neceſſariò, expoſitionem illam eiuſdem vaticinij, quam Card. Baronius eſt ſecutus, dupliciter falſam eſſe. Nam primò, falſum eſt, perpetuum quoddam regnum in tribu Iuda ſemper manſiſſe: deinde illud non minus, in Herode Magno demum hanc prædictionem eſſe adimpletam. Nos contra probauimus, regnum quidem Iudæ non promitti in ipſius tribu perpetuo ad Chriſtum vſque duraturum: ſed huic quidem tribui dignitatis quandam præcellentiam; cunctis verò tribubus, Reipublicæ aliquam fore inter ipſas formam, donec adueniat Silo; quod hiſtoria, oraculorum ex euentu rerum interpres optima, egregiè, vt oſtendimus, confirmat. Probauimus prophetiæ complementum præcipuè quæri debere, באחרית הימים in nouiſſimis populi Iudaici temporibus; quando illius pars multo maxima crudeli morte extincta, eſſe deſijt; qui autem cladi ſuperſtites remanſerunt, id eſſe deſierunt quod erant, nempe populus ille Dei περιούσιος; facti tum vere, quod olim prædixerat Oſeas, Lohammi, *Non populus meus*, & Lo-ruchamah, *Abſque miſericordia*: planeque tum genti Iudæorum euenit, quod Spiritus Sanctus per Iſaiam dicit alibi, ſane quàm elegantiſſimè, יחת מעם ita enim fracta & contrita eſt, vt deſineret eſſe populus. Quum igitur conſtet, editam à Iacobo ſortem ex ijs eſſe exponendam, quæ miſeris Iudæis tempore illo acciderunt; quis non intelligit rationi adprime conſentaneum eſſe, vt defectum, ſiue ἄρσιν καὶ ἀφαίρεσιν ſceptri & Legiſlatoris accipiamus de Rep. Iudæorum, tum penitus euerſa? Quin ipſa oraculi verba, niſi ἐθελοκωφοῦμεν eò nos planiſſimè ducunt. שבט enim *virga* ſiue *ſceptrum*, pars eſt Reip. primaria, penes quam ſumma rerum, & vt appellat Ariſtoteles, τὸ κύριον τῆς πολιτείας. alibi Regis periphraſis eſt, התומך שבט ὁ σκηπτοῦχος, *is qui tenet ſceptrum.* vt Amos 1. 5. מחקק ſiue Legiſlator eſt Reip. pars altera, Magiſtratus & Iudices, & qui dicuntur Græcis Nomothetæ. Ariſtoteles nominat τὰς ἀρχὰς καὶ τὸ δικάζον. Iudæ appellatione in hoc oraculo populum vniuerſum Iudæorum intelligi, mirum non eſt; ſed prorſus εὐλογώτατον: vel propter eius tribus dignitatem; vel

vel quia norat Spiritus Sanctus, qui per Iacobi os loquebatur, fore vt tempore illo quo hæc erant euentura, omnium tribuum commune nomen esset, populus Iudæ, siue IVDAEI; & terræ, IVDAEA vel γῆ Ἰούδα: quam nominis assumptionem multis post seculis, diuino consilio factam esse, vt de huius prophetiæ fide luculentius constaret, cum Eusebio credimus, cuius locum antè protulimus. Hæc etsi ita sunt perspicua, vt nihil queat magis; quoniam tamen non vnus Baronius, sed omnes interpretes, quà veteres, quà recentes, oppidò paucis dumtaxat exceptis, consentiunt, in Herode Magno demum esse hanc prophetiam adimpletam; age πατροπαράδοτον istud interpretamentum breuiter expendamus. Sancti illi pijque viri, qui diras inter persecutiones ad expositionem sacrorum voluminum primi animum appulerunt; quum scirent prophetias omnes veteris Testamenti in Christo esse adimpletas; gnari sub Herode illum esse natum; ex eo statim collegerunt, & Danielis Hebdomadas, & Iudæ istud vaticinium ad Herodem esse referendum. Et qui persuasum haberent, semper post captiuitatem aliquem è posteris Zorobabelis & stirpe Dauidica Regem extitisse ad natum Christum, aut mox nasciturum; neque ignorarent Herodem regnum Iudæorum occupasse, quod nihil quicquam ad se pertineret; ex his præcognitis hanc elicuerunt conclusionem: Herodem vere illum esse, ad quem superiores prophetiæ pertinerent, vtpote hominem alienigenam, & alieni regni inuasorem. Hæc sententia ab insignibus pietate & doctrina viris profecta, vbi semel est admissa, sine vlla controuersia aut examine, apud omnium ætatum eruditos, præter admodum paucos, vt de Iustino fusè probauimus, semper deinceps obtinuit. Nam in ijs quæ historica sunt, neque ad fidem proprie spectant, id ipsum plane videmus accidisse in Patribus, quod de primis Philosophis obseruat idem Iustinus in dialogo cum Tryphone; vt videlicet posteriores sequerentur priores, securi examinis: atque vt cum S. Martyre dicam, συνέβη τοῖς πρώτοις ἁψαμένοις τῆς παιδείας ταύτης, καὶ διὰ τοῦτο ἐνδόξοις γενομένοις, ἀκολουθῆσαι τοὺς ἔπειτα, μηδὲν ἐξετάσαντας ἀληθείας πέρι· καταπλαγέντας δὲ μόνον τὴν καρτερίαν αὐτῶν, καὶ τὴν ἐγκράτειαν, καὶ τὸ ξένον τῶν λόγων, καὶ ταῦτα ἀληθῆ νομίσαι, ἃ παρὰ τοῦ διδασκάλου ἕκαστος ἔμαθε. Quis iam paullo eruditior cui hoc non sit compertum? Multas Cæsar Baronius, ne alios commemorem, eiusmodi hallucinationes & ablepsias in Annalibus suis erudite obseruauit, & docte confutauit. Multas quoque Iosephus Scaliger in sexto de Emendatione temporum, & longe plurimas in Eusebianis Notis. Extat etiam eiusdem viri, non minus modestiæ quàm eruditionis plena & lectu dignissima in eam rem disputatio in eiusdem operis Prolegomenis.

Quum

Quum igitur ſatis ſuperque demonſtrauerimus, humanitus hallucinatos eſſe Patres, qui in vltimo Aſſamonæorum Hyrcano regnum Iudæ defeciſſe prodiderunt : cur dubitemus etiam illud eſſe falſum, quod ſimul docuerunt, de adimpleta in Herode primùm Iudæ prophetia ? Nam ſi Aſſamonæi ad tribum Iudæ nihil pertinebant ; falſum eſt in eorum interitu regnum Iudæ defeciſſe. Et verò defecerat multis ante ſeculis in Sedekia, vt probauimus. Si in Hyrcano regnum Dauidis non defecit ; quid admodum pertineat regnum Herodis ad complementum prophetiæ Iacobi, equidem non intelligo. At fuit alienigena Herodes, & in eo cepit primùm populus Iudaicus Regi alienigenæ parere. An fuerit Herodes ἀλλόφυλος, mox videbimus. illud palàm falſum, imò falſiſſimum eſt ; primum fuiſſe Herodem alienigenam Principem, qui ſuo ſceptro Iudæos ſubiecerit. Cum Herodi regnum à Romano Senatu eſt delatum, auctoribus Antonio & Auguſto, annus iam agebatur viceſimus octauus à capta Vrbe per Pompeium. Tunc libertas Iudæis erepta ; ipſi facti tributarij ; Aſſamonæi de gradu ſemel deiecti, eam ſemper deinceps ſubire coacti perſonam, quam Romani imponerent. Rex Ariſtobulus captus, Romam abductus ; ipſe tandem veneno ſublatus ; filius Alexander ſecuri percuſſus ; Hyrcanus honore nominis regij denegato, Pontifex à Pompeio eſt creatus. Obſecro, quando iſta Iudæi patiebantur, ſubditi erant Romanorum, an non ? Falſum eſt ergo, & dictu abſurdum, alienigenæ imperium Iudæos in Herode primùm eſſe expertos. Romani enim, indigenæ, credo, non erant, ſed ξένοι τῆς διαθήκης, ac penitus extranei. Ridiculum eſt, Herodem fuiſſe alienigenam clamitare ; de Romanis tacere, in quorum poteſtate Herodes erat, non minus quàm aliquis è prouinciarum Præſidibus. Fuit hæc Romanorum ſiue moderatio, ſiue aſtutia ; quod ſubactis à ſe Regibus regnorum quę amiſerant, adminiſtrationem non rarò permittebant. Tacitus in Agricolæ vita prudenter & verè de parte Britanniæ Cogiduno datæ, vt ibi regnaret : *Vetere*, ait, *ac iam pridem recepta populi Rom. conſuetudine, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & Reges*. Huiuſmodi regna κτήσει erant populi Romani : Χρῆσις ad fiduciarios Reges pertinebat. Romani hos Reges, ſi ita erat libitum, inſtituebant : eoſdem quoties erat libitum deſtituebant, vt in Archelao Herodis filio apparuit. ipſe quoque Herodes ne par fortuna ſibi eueniret, magno ſæpe in periculo ac metu eſt verſatus : inſigniter verò bis : ſemel poſt victum Antonium : Ioſephus libro XV. cap. IX. iterum, quando ab Arabe Syllæo grauiſſimorum criminum apud Auguſtum poſtulatus, odium illius incurrit. Ioſephus, libro XVI. cap. XV. Quare etiamſi concederemus Herodem

non minus fuiſſe alienigenam, quàm Romanos; abſurda tamen nihilominus eſſet illorum ſententia, qui prophetiæ euentum ad vnum Herodem peculiariter reſtringunt. Sed an reuera Herodes ἀλλόφυλος & alienigena? Omnino, ſi verum quærimus, & propriè loqui volumus, Herodes alienigena non erat, ſed Iudæus, & vt grauiſſimus ſcriptor illorum temporum ipſum appellat Strabo, libro XVI. ἀνὴρ ἐπιχώριος, *homo Iudæorum popularis*. Opponuntur duo iſta גרי ἀλλόφυλος & Iudæus. Iudæi ſunt appellati, & qui verè naſcebantur è ſemine Abrahami, & qui fiebant Iudæi: quos proprio nomine, cùm ad ſacrorum Iudaicorum communionem admittebantur, גרים dicebant, Hellenistę *proſelytos*. Sed quemadmodum hodie, Iudęum, vel Turcum aut Tartarum, poſtquam ſacro lauacro fuerit tinctus, Chriſtianum & eſſe & dici rectè, ac vel maximè propriè, nemo ſanę mentis negauerit: ſic olim alienigenę, qui ἐξ ἀλλοφυλισμοῦ ad Iudęorum religionem migrabant, poſteaquam erant circumciſi, & reliquis ſacris initiati, veri Iudęi cenſebantur. Quare in Targum Eſtherę capite octauo, & ſępe in libris Rabbinorum, verba התגייר & התיהד pro eodem accipiuntur; quorum illud *proſelytum fieri* ſignificat; hoc, *fieri Iudæum*. Sic apud Patres χριστιανοῦσθαι & χριστιάνωσις, de ijs qui nomen Chriſto dederunt. Fateor iuris aliquam differentiam fuiſſe inter proſelytum & γνήσιον Iudęum: vt apud Romanos alia fuerunt Quiritium iura, alia Latinorum; item ſociorum ac prouincialium. Sed eum qui eſſet proſelytus, negare fuiſſe Iudęum; perinde eſt, vt ſi quis Æquos & Volſcos neget fuiſſe Romanos; quia extranei quondam Romanis fuerunt, & poſtea Latinitate ſunt donati, non iure Quiritium. Hoc ſi verum eſt in ijs ipſis qui fiebant ex alienigenis Iudęi; multo vtique magis verum erit in eorum liberis & nepotibus. Et ſi in ijs verum eſt, qui ex alijs nationibus fiebant Iudęi; multo magis in Idumęis: de quibus extat Dei pręceptum apud Moſem, Deuteron. XXIII. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt.* propago nempe Iſmaelis, filij Abraham. Herodes igitur, qui patrem Antipatrum, & auum Antipam, & fortaſſe etiam plures è maioribus, factos ex Idumęis Iudęos, & vt ipſi loquebantur, מתיהדים ἰουδαϊωθέντας habuit, quo iure cenſeri queat ἀλλόφυλος? Nam quod τὸ ἀρχῆθεν Iudęi, natos è proſelytis ſoliti proſelytos appellitare & γειώρας; quod etiam nomen גר per contemptum aliquando vſurparunt; non tam ex iure legitimo hoc factum, quod proſelytos cęteris Iudęis in omnibus fere, certè ἐν τοῖς κυριωτάτοις, & quę maximi momenti erant, ęquabat: quàm è maleuolentia & inuidia: quorum affectuum ſimilia exempla in omnibus Rebuſpub. licet obſeruare. Et Athenis enim & Romę, & vbique locorum, ſemper τὸ

ἐπέγερτοι

ἔγγραπτοι & adſcriptitij ciues contempti, ac fere exoſi eis fuerunt, qui à primis generis auctoribus ortos ſeſe iactarent. In Scripturis opponuntur aliquando גר *peregrinus* aut *proſelytus*, & אזרח הארץ αὐτόχθων, *indigena*, vt Exodi x i i. 19. vbi ex æquo tam his quàm illis agni Paſchalis eſus imperatur : qui fuit cultus vni Iudæorum genti proprius. In libris vero Rabbinorum aliquando opponuntur גרים בלבד & בני הורין, ἢ μόνοι προσήλυτοι, καὶ ἢ εὐπατρίδαι καὶ λαμπροί. *qui duntaxat ſunt proſelyti* & qui antiquæ ſunt proſapiæ, quos *albatos* ſiue *candidatos* appellant. Scimus etiam, doctorem quendam, cuius diuina ſententia & vel Moſe ipſo digna (non defuerunt qui Hilleli eam tribuerent, ut eſt in Iochaſin pag. x i x.) extat in Pirke Aboth cap. v. ſub finem, à Rabbinis cæteris appellari Rabbi Bag Bag peregrinitatem illi obijcientibus, quod ex vtroque parente Gero, ſiue Giora, id eſt, proſelyto eſſet ortus. neque ignoramus prouerbium vetus, quo monebantur qui Iudæi erant ab origine prima, vt vel ad decimam vſque generationem à proſelytis ſibi cauerent. Verum hæc & ſimilia his alia, ex æmulatione & inuidia profecta, nequaquam euincunt, proſelytos, & multo minus proſelytorum filios aut nepotes, Iudæos non eſſe, aut non verè dici. Nos apud Ioſephum obſeruamus, Iudaei appellationem aliquando latius capi, aliquando anguſtius. Quando late accipitur, omnes complectitur eiuſdem originis & religionis, aut ſaltem religionis, ſocietate iunctos, Ieroſolymitanos, Galilæos, Peraitas, Idumæos, Alexandrinos, Babylonios, & omnes qui Philoni & alijs dicuntur ἢ ἐκ τῆς διασπορᾶς, de quibus multa dicemus, ſi Deus voluerit, ad annum Domini x x x v. Quando anguſtius id nomen ſumitur, ciues dumtaxat Ieroſolymitanos complectitur, & illas decem Toparchias, quæ Plinio enumerantur libro i i. cap. x i v. & Ioſepho, Iudaici belli lib. i i i. cap. i v. vbi non decem, ſed vndecim recenſentur ſiue Toparchiæ, ſiue κληρουχίαι. in quarum medio Vrbs ſancta eminebat, vt in clypeo vmbilicus. Sic accipe Antiquit. libro x v i i. cap. x i i. vbi à Galilæis, Idumæis, Ierichuntinis, Peraitis, vltra Iordanem colentibus, & alijs, qui ad feſtum Pentecoſtæ celebrandum conuenerant, ſeparantur αὐτοὶ Ἰουδαῖοι, hoc eſt, Ieroſolymitani, qui ſoli videri volebant genuini Iudæi, & in his ipſe ſcriptor Ioſephus. Quare in ſimillimo huic loco Belli Iud. libro i i. cap. v. in gemina hiſtoria, vel potius eadem, cæteris Iudæis, qui feſti gratia venerant in vrbem, opponitur ὁ γνήσιος ἐξ αὐτῆς Ἰουδαίας λαός; hoc eſt, germanus & purus putus Iudæorum populus, in ipſa Iudæa, ſic proprie dicta, vrbe inquam & Toparchijs Ieroſolymorum natus. Sic ſæpe in Nouo Teſtamento Ivdaea anguſta ſignificatione capitur, vt Lucæ i i. 4. &

i i i.

III. I. at in capite I. 5. vbi appellatur Magnus Herodes Rex Iudææ, lata ſignificatione accipiendum, ſicut apud Strabonem & alios. Non diſſimile poteſt obſeruari in appellatione *Gentium*: nam quum dubitet nemo, Chriſtianos eſſe non Gentiles, quicunque fuerint baptizati & ſacrorum myſteriorum facti participes : Paulus tamen conuerſos ad fidem Chriſti & veros iam Chriſtianos, aliquando appellat *Gentes*, non ex eo quod iam erant, ſed quod fuerant ; vt Galat. II. 12. de Petro Apoſtolo, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιε. Hoc ſenſu feremus Herodem ἀλλόφυλον dici ; vt intelligatur ex Idumæis in Iudęos tranſſcriptus : & regnum Herodiadarum cum Rabbinis appellabimus מלכות הגרים *regnum Proſelytorum*. Ipſum quidem Herodem aut patrem vel etiam auum fuiſſe alienos à populo Iudaico, & vt Hebręi loquuntur, *Goijm*, ideo non concedimus ; quia abſurdiſſimum eſt, & à iure atque inſtitutis Iudęorum veterum alieniſſimum ; hominem proſelytum cui omnia fere iura ſacra & profana cum veris Iudęis erant communia ; ijs accenſere qui à Rep. Iudęorum erant alieni & Goijm aut Gentes illis dicebantur. Quare non eſt ferendus error Baronij, qui Herodem, non ſolum alienigenam appellat, ſed etiam Gentilem. Neſciebat videlicet Baronius inter *Gerim* & *Goym* quàm latum eſſet diſcrimen. Quo iure eſſent proſelyti inter antiquos Iudęos, declarat Philo, in libro De monarchia. Scribit ille, Moſem admiſiſſe ad Remp. ſuam, πάντας τοὺς ὁμοιοτρόπους, omnes eos qui moribus ijſdem atque inſtitutis vellent viuere. εἴτε φύντας ἐξ ἀρχῆς, εἴτε καὶ ἐκ τοῦ μεταβάλλεσθαι πρὸς τὴν ἀμείνω τάξιν, κρείττους γεγονότας, *ſiue ab origine prima nati eſſent Iudæi : ſiue mutatione facta & tranſitu ad potiorem ordinem, ſeipſis euaſiſſent meliores*. Addit, iſtos poſteriores dictos fuiſſe proſelytos ἀπὸ τοῦ προσεληλυθέναι καινῇ καὶ φιλοθέῳ πολιτείᾳ, *quod ad nouam & Deo charam Remp. acceſſiſſent*. Moyſem verò, ἰσοτιμίαν ἅπασιν ἐπηλύταις μεταδοῦναι, καὶ χαρίσασθαι ὅσα καὶ τοῖς αὐτόχθοσιν, *æquabilitatem iuris omnibus aduenis* ſiue *proſelytis*, *tribuiſſe*, *eademque omnia ipſis conceſſiſſe*, *quæ indigenis*. In Iudaico iure hanc obſeruo differentiam inter proſelytum & antiquum Iudęum : quod in Synedrium Proſelytus adoptari non potuerit ; quia non niſi nobiliſſimos è Sacerdotibus, Leuitis & reliquo populo, atque in Lege exercitatiſſimos in Synedrium allegebant ; vt fusè docet Moſes Ægyptius, libro vlt. Iad, cap. II. de proſelyto verò ita ibidem ſcribitur ; poſſe eum qui ſit GER, ſed cuius mater ſit Iudęa, adoptari in numerum Senatorum. Ex his ſequitur, proſelytum vbi ſemel in numerum Iudęorum ciuium fuerat adſcriptus, non potuiſſe alienigenam dici, niſi quomodo Paulus Apoſtolus Chriſtianos è Gentibus, vocabat Gentes, vt modò dicebamus. Patres qui magno conſenſu plerique omnes Herodem ἀλλόφυλον prodiderunt ;

runt ; partim Africanum perperam preeuntem sunt secuti ; partim Iosephi mentem non sunt assecuti. Iulius Africanus scriptor admodum antiquus, seculo tamen toto & amplius Iosepho minor, in epistola ad Aristidem, cuius partem magnam describit Eusebius, Histor. Eccles. lib. primo, cap. VI. tractans de Christi genealogia, vt aliquam obscurissimæ quæstioni lucem afferret, longum sermonem commemorauerat, auditione acceptum, cuius laudabat auctores Iudæos quosdam è Nazaris & Cochaba, Domini nostri cognatos, vt ipsi quidem videri volebant ; eamque ob caussam Δεσποσύνους eos fuisse vocitatos, ait idem Africanus, quasi dixeris, *heriles cognatos*. Continet is sermo narrationem de Antipatro Herodis Ascalonitæ ἱεροδούλου filio, Herodis Magni patre ; qui ab Idumæis latronibus captus, patre Herode lutra soluere scilicet non valente, diu inter Idumæos hæserat ; omitto cætera, quæ apud Eusebium legi possunt. Hanc lepidè compostam narratiunculam, Patrum multi auidè arripuerunt, Eusebius, Epiphanius, Ambrosius, alij ; & facilitate vsi nimia, quam in hac luce literarum excusare debemus, non imitari ; meram fabulam pro vera historia lectoribus suis obtruserunt. Nam sermonem hunc istorum Iudæorum Desposynorum, pluris facere non debemus, quàm sexcenta similis monetæ scripta ; quæ illa prima secula produxerunt in lucem, plena fabularum, plena apertissimorum mendaciorum : sed quę tamen apud viros bonos & pios, verùm incautos, in magno aliquandiu pretio fuerunt. Huius generis erant, vt pauca delibem ex ingenti sylua, *Christi Euangelium secundum Ægyptios* ; item aliud, *secundum Hebræos*, quorum testimonijs non semel etiam Clemens Alexandrinus vtitur. *Pauli* ἀναβατικόν, de quo Epiphanius contra Caianos : *Iohannis Apostoli ad Parthos epistola*, cuius B. Augustinus meminit : *Chami Prophetia* : *Mosis Apocalypsis* : *Eliæ Apocrypha* : item *Ieremiæ Apocrypha* : *Matthæi Apostoli* Παραδόσεις, apud veteres scriptores Ecclesiasticos passim : necnon alij libri sexcenti, quos si recensere velim, dies me deficiat : & erit nobis in hoc opere non semel de ijs habenda mentio. Sed ea quidem omnia quæ hactenus recitaui, longa dies καλῶς ποιοῦσα aboleuit, & posteriorum exercitatiora in talibus iudicia : cum primis verò auctoritas Concilij Romani, & Gelasij Papæ : cuius insigniter salutare decretum extat in Decreto, distinct. XV. quo libri huius farinæ plurimi & recensentur & damnantur. quædam tamen hodieque manent, iudicio omnium qui aliquid in literis vident, ψευδεπίγραφα, & in eundem censum referenda : vt, *Petri* περίοδος, *Clementis Recognitiones*, *B. Virginis epistolæ aliquot* : *Pauli* item *ad Senecam*, & *huius ad illum epistolæ*, & multa alia. Noli dubitare illum Desposynorum sermonem, quem Africanus stylo

suo

ſuo dignum iudicauit, tale aliquod fuiſſe ſcriptum apocryphum, vel ſolummodo traditionem ad libidinem fingentium excogitatam. Vt nulla iuſta cauſſa afferri queat, cur de rebus Herodis ex illa dubiæ fidei & auctoris incerti narratiuncula, certiora nos putemus poſſe cognoſcere, quàm ex hiſtoria Ioſephi, ſcriptoris vernaculi, cuius amor veri notiſſimus, fides conſtantiſſima ; niſi quid illi fortaſſe humanitus errare contingat ; quæ exceptio locum hîc non habet : cui ad penitus cognoſcenda illa de quibus ſcribebat, omnia præſidia abunde ſuppetebant. Nam aut ex Actis publicis illa deſcripſit, aut ex oculata fide : & quod maximè in hac hiſtoria conſiderandum ; qui cauſſam nullam habuit, cur gratia corruptus in exponendo Herodis genere mentiretur : multas & grauiſſimas, cur odio illum plus quàm Vatiniano proſequeretur ; ſicut fecere alij omnes Iudæi ; quorum fabulas & putida figmenta de Herode in libris Rabbinorum eſt legere. quædam eius generis narrat Petrus Galatinus libro I V. cap. V I. Valde igitur mirum eſt, tot pios Patres illius narratiunculæ apud Africanum non deprehendiſſe vanitatem. Id eo impenſius equidem admiror, quia ipſe Africanus, etſi vult videri auctores ſuos πάντως ἀληθεύειν, *omninò veraces eſſe* ; abſtinere tamen non potuit, quin illa ipſa ſcribere ſe dubitanter certiſſimis indicijs oſtenderet. Sunt hæc illius verba : τοῦ Σωτῆρος τοῦ κατὰ σάρκα συγγενεῖς, εἴτ' οὖν φανητιῶντες, εἴθ' ἁπλῶς ἐκδιδάσκοντες, πάντως δ' ἀληθεύοντες, παρέδοσαν καὶ ταῦτα. B. Ambroſius Commentario I I I. in Lucam, iſta verba ſic vertit. *Fertur ab his, qui ſiue argumentati, ſiue ſimpliciter docentes, & vere adſtruentes, tradiderunt nobis.* quid hic ſignificet vox *argumentati*, ſcio eſſe neminem qui ſciat. ego puto in voce Græca rarioris vſus hæſiſſe aquam Ambroſio. Ruffinus vertit, *ſeu ſtudio tanti ſeminis demonſtrandi* : audacter, vt ſæpe alibi. Græce periti non ignorant, φανητιᾶν, nihil aliud eſſe, niſi velle videri, & gloriam appetere, ſiue γλίχεσθαι φανερὸς εἶναι. ſic βασιλειᾶν, cum apud alios, tum apud Ioſephum, Belli Iud. lib. II. cap. ſexto. φρενητιᾶν apud Epiphanium pag. 285. ἐπιδεικτιᾶν apud Theodoritum Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. I V. & multa eius formæ apud Græcos ſcriptores. Africanus igitur, cauſſam cur illi Iudæi iſta memoriæ tradiderint, ancipitem ponit ; vel quod gloriæ cupiditas eos titillauerit ; vel quod veritatem ſimpliciter exponere voluerint. Si Africano ſatis liquido conſtitiſſet, de ſermonis huius fide, an putamus illum ita ambigue fore locuturum? Sed dubitationem ſuam longe apertiùs in fine declarat, poſt totum ſermonem expoſitum. Ait enim : εἴτ' οὖν οὕτως, εἴτ' ἄλλως ἔχει, σαφεστέραν ἐξήγησιν οὐκ ἂν ἔχοι τις ἄλλος ἐξευρεῖν, ὥς ἔγωγε νομίζω. *Igitur ſiue hæc ita ſe habeant, ſiue aliter, planiorem certe interpretationem nemo inueniat, vt equidem puto.* Vides

Africanum

Africanum plane inter dubiæ fidei narrationes hanc quoque habuisse; quam ideo vocat μὴ ἐμμάρτυρον, *nullis testibus firmatam*; neque aliam caussam affert mox cur illam retulerit, nisi hanc, τῷ μὴ κρείττονα ἢ ἀληθεστέραν ἐξήγησιν ἔχειν εἰπεῖν: *quod nullam posset afferre expositionem meliorem aut veriorem.* Statuant nunc æqui Iudices, vtrum sit satius, istorum Desposynorum ἀδεσπότοις sermonibus fidem habere, an Iosepho; cuius historia in omnibus suis partibus verissima, (si pauca excipias; nam & Iosephus homo erat:) ac certissima semper est habita. Et de Africano quidem hactenus. Sed fuerunt nonnulli è Patribus, qui propterea Herodem crediderunt alienigenam, quia id memoriæ Iosephus prodidisset. In his omnium primus Origenes, eo ipso loco, quem superiore diatriba recitauimus. *Constat*, inquit, *Herodem Regem, secundum historiæ fidem, quam Iosephus tradidit, alienigenam fuisse.* Id primi illi Doctores dubio procul ex eo colligebant, quod Iosephus Antipatrum Herodis patrem appellet genere Idumæum, ὁ γένος Ἰδουμαῖον, Iud. belli, lib. primo, cap. IV. & Antiq. lib. XIV. cap. II. vbi etiam Nicolaum Damascenum notat, qui vt Herodi gratificaretur, scripserat eum εἶναι γένος ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων, τῶν ἐκ Βαβυλῶνος εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀφικομένων: *ducere originem è primariis viris inter illos Iudæos, qui Babylone venerunt in Iudæam.* alibi Iosephus Herodem appellat *Idumæum semijudæum*, libro XIV. cap. XXVI. scribitque de eo non semel, regnum Iudæorum ipsum occupasse, quod nihil ad se spectabat. Vnum è multis locum adnotabo. Libro quinto, cap. IV. Cleopatra Alexandræ verbis queritur, apud Antonium, Herodem factum esse Regem τῆς οὐδὲν προσηκούσης ἀρχῆς, *regni nullo iure ad se pertinentis.* Et Patres quidem ex istis properanter lectis, Herodem fuisse alienigenam concludebant. Ego verò, quod pace ipsorum dixerim, constanter affirmo, & hæc & alia his similia in Iosepho loca, totidem esse certa & inuicta argumenta aduersus eorundem sententiam: vt ex quibus necessariò sequatur, omnino fuisse Herodem non alienigenam, sed Iudæum, ex opinione quidem certe Iosephi. At Idumæum, inquies, vocat, non Iudæum: imo verò, eo ipso prodit fuisse Iudæum, quia vocat Idumæum. Vt si quis Nitiobrix aut Aquitanus dicatur, ea ipsa appellatione Gallus esse indicatur. Hoc rationibus certissimis demonstrauit in Notis Eusebianis vir genere, ingenio & doctrina illustrissimus, Iosephus Scaliger: quem locum studiosi lectores, si lubet, adeunto. Omnium argumentorum præcipuum illud est, quod suggerit ipse Iosephus libro XIII. cap. XVII. narrans quomodo Idumæi sint facti Iudæi, integro fere seculo ante regnum Herodis: ὥστε εἶναι, inquit, τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους: *adeo vt ex illo tempore Idumæi sint Iudæi.* Nam qui renuntiassent

proprio gentis Idumææ Deo, (Coze ipsi nominabant, teste Iosepho lib. XV. cap. XI. vbi de Costobaro loquitur:) qui ritus prioris idololatriæ antiquassent, circumcisionem & vniuersum veri Dei cultum admisissent, vt ibi testatur Iosephus, cur non censerentur Iudæi? quum præsertim à prima origine fratres Iudæorum essent, quod ante dicebamus. Strabo & Idumæam partem Iudææ facit, & Herodem Idumæum vocat Iudæorum ἐπιχώριον. Ammonius eruditissimus Grammaticus, vt obseruauit & Scaliger, alijs verbis idem dicit cum Iosepho; & inter cætera, Idumæi, inquit, ἐκλήθησαν Ἰουδαῖοι. In Chronico Templi secundi de Antipatro Herodis patre dicitur, fuisse עקרו primam generis illius originem, non è filijs Israel: & tamen ipse Antipater ibidem appellatur איש אחד מגבורי ישראל *vnus è fortibus Israel.* Si pater Herodis Israelita, quanto magis filius? Scribit Iosephus lib. XIV. cap. XIV. quando Iulius Cæsar in Ægypto periclitabatur, tumultum fuisse exortum inter Iudæos Ægyptienses & illos qui è Iudæa suppetias Cæsari venerant; quem sedauit Antipater; pacatis, inquit, Iudæis Aegyptiensibus κατὰ τὸ ὁμόφυλον, *quod ex eadem gente cum ipsis esset:* Iudæus nempe: non ergo ἀλλόφυλος. Eodem libro cap. XIX. mortuus Antipater hoc elogio afficitur: *fuisse excellente pietate, iustitia,* καὶ τῇ περὶ τὴν πατρίδα σπουδῇ, *charitate erga patriam.* an pietatem appellat Iosephus, cultum dei Idumæorum Coze? nugæ. intelligit enim veram erga verum Deum Iudæorum pietatem. quæ autem patria hic dicitur, nisi Iudæa? Nam etiam Ierosolyma patriam suam Idumæi appellabant. & Belli Iud. lib. IV. cap. XVI. Idumæi vocant vrbem sanctam, κοινὴν πόλιν sibi & vniuerso nomini Iudaico vrbem communem: sæpeque in illa historia, & Idumæi suam Ierosolyma appellant metropolin; & Iesus quoque Pontifex Idumæos compellans, non dubitat etiam ipse, Ierusalem nominare ipsorum metropolin. In contentione orta Cæsareæ inter Syros & Iudęos, de qua Iosephus lib. XX. cap. VII. Iudęi principem locum sibi vindicant, διὰ τὸ τὸν κτίστην τῆς Καισαρείας Ἡρώδην αὐτῶν βασιλέα γεγονέναι τὸ γένος Ἰουδαῖον: *quod conditor Cæsareæ Rex Herodes fuisset genere Iudæus.* Extat libro XV. cap. XIV. concio Herodis ad proceres Iudęos, quos ita compellat; ἄνδρες ὁμόφυλοι. quo iure si ipse erat ἀλλόφυλος? sunt enim contraria ἀλλόφυλος, extraneus, diuersę gentis; & ὁμόφυλος, qui ex eadem gente, popularis. Glossę veteres: ὁμόφυλος, *tribulis, congrex, gentilis.* Nec quenquam moueat, quod in eadem concione dixit Herodes, τὸ γένος ὑμῶν. *genus vestrum:* non autem *nostrum.* Nam & Iosue qui Moysi successit, eodem genere loquendi vtitur, libro quinto, capite primo: ἐκτραπέντων δὲ εἰς ἑτέρων ἐθνῶν μίμησιν, ἀποστραφήσομαι τοῦ γένους ὑμῶν· *Si vos conuerteritis ad imitandos*

mores

mores Gentium, Deus à genere vestro auertetur. Iudæus ergo Herodes, si quid Iosepho credimus. Et errant manifestò, qui Nicolaum Damascenum eo nomine reprehensum à Iosepho putant, quod Herodem prodidisset Iudæum: de quo Iosephus ne cogitauit quidem: sed propterea reprehendit ille Nicolaum, quod antiqui generis nobilitatem illi tribuisset. Iosephi enim sententia hæc est: Herodem à prima stirpe Idumæum fuisse; sed cuius maiores facti essent Iudęi, quando Idumęi per Alexandrum Regem effecta est pars Iudææ. de patre igitur illius & auo Antipa semper loquitur, vt de hominibus Iudæis, qui potentia excellerent, & opibus maximis; vt libro XIV. cap. II. & cap. XVII. sed qui tamen inter Iudæos priuati censerentur, hoc est, alieni à familia sacerdotali & regia. Nam apud Iudæos illis temporibus, latente & quasi sepulta stirpe Dauidica, vna res erat quæ genus nobilitaret, nempe Sacerdotium, aut potius Pontificatus. Scribit Iosephus statim initio vitæ suæ; ὥσπερ παρ᾽ ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτω παρ᾽ ὑμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης. *quemadmodum apud vnam quamque gentem certum est aliquod argumentum nobilitatis; sic apud Iudæos Sacerdotium nobilitat.* Qui igitur è familia Sacerdotali non erant, vtut opibus & potentia florerent, obscuri, ignobiles, & priuati censebantur, atque vt Hebræi loqui amant, עם הארץ *populus terræ*: & eiusmodi domus plebeiæ ac priuatæ dicebantur: sicut in Romanis historijs omnes appellantur *priuati* præter Imperatorem. Non obstat, quod alia notione aliquando *priuatus* opponitur, non Regi aut Sacerdoti; sed ei qui politico aliquo munere fungatur. Nam & apud Latinos eadem est vocis illius in diuersa significatione vsurpatio. Sic accipe apud Iosephum initio libri XV. vbi opponuntur οἱ ἰδιωτεύοντες, *priuatam vitam agentes*, & οἱ ἐν προαγωγῇ, *qui ad honores sunt promoti.* Hæc notio domui Herodis non conuenit; propter magna & diuersa munia quibus functi sunt pater & auus Herodis, vt narrat Iosephus. Atque hæc est vera interpretatio illorum Iosephi locorum, vbi Herodi obijcitur δυσγένεια, & quod regnum occupauerit nihil ad se pertinens: ex quibus locis, si modò illa rectè intelligantur, certissima probatio sumitur eius quod probare intendimus, Herodem non fuisse alienigenam. Age, quædam expendamus. Iosephus lib. XIV. cap. XII. mala enumerans quæ Iudęis euenerunt, postquam Romanæ seruitutis iugum subierant, illud ponit præcipuum; quod regnum ante Sacerdotibus per generis successionem proprium, δημοτικῶν ἀνδρῶν ἐγένετο, *transijt ad homines plebeios.* & in extremo libro eadem querela repetitur sic: μετέβη ἡ βασιλεία εἰς Ἡρώδην τὸν Ἀντιπάτρου, οἰκίας ὄντα δημοτικῆς καὶ γένους ἰδιωτικοῦ, καὶ ὑπακούοντα τοῖς βασιλεῦσι. Apparet Iosephi illa scribentis πάθος & indignatio: rem enim eandem,

quod proprium iratorum, sępe repetit. Non satis illi fuit dicere translatum esse regnum ad hominem *è domo plebeia ortum*; sed addit, *è genere priuato*: ne id quidem satisfacit indignationi; cumulum igitur adijcit, *quod genus Regibus ante parebat*. Appello fidem & iudicium tuum Lector; censen' Iosephum, si Herodem credidisset alienigenam, id fuisse isto loco prętermissurum? Nam quanto res est tristior & indignior, alienigenæ parere, quàm ei qui fuerat aliquando priuatus? Quando Iulius Cæsar Remp. occupauit, iure potuerunt queri Romani, parere se ei qui priùs fuerat homo priuatus, qui superiorum temporum Consulibus solitus antea parere; qui etiam nobilitate generis multis ciuibus esset inferior: sed hoc tamen tolerabilius quàm Hannibali Pœno subijci, aut Tigrani Armenio, vel Arminio Germano. Atqui nunquam Romani ita odio habuerunt alienigenas, vt Hebræi eos quos vocabant גוים & execrabantur. adeo vt ne oleo quidem alienigena vterentur; sicut est apud Iosephum, libro XII. cap. III. & Iud. belli libro II. cap. XLIII. Cum vrbem obsidebant Herodes & Sosius, Rex Antigonus concionem habuit ad populum, hortans, vt extrema pati vellent, priusquam Herodi regnum contra fas traderent, ἰδιώτῃ ὄντι, ait, καὶ Ἰδουμαίῳ. τοῦτ' ἔστιν ἡμιιουδαίῳ· δέον τοῖς ἐκ τοῦ γένους παρέχειν ὡς ἔθος ἐστὶν αὐτοῖς· duas rationes affert Antigonus, cur non sit Herodi regnum tradendum; quia sit homo priuatus, & quia Idumęus, id est, semijudęus. deinde caussam reddit, cur ad se regnum spectet; quod sit è genere Sacerdotali. Quis putet Regem tam necessario tempore taciturum fuisse, quod vim maximam erat habiturum? Sed nesciebat profectò Antigonus Herodem esse alienigenam. Nam quod eum vocat *Idumæum semijudæum*, frigidum est, neque ex eo sequitur, vt iam ostendimus, non fuisse Iudęum: sed est hostis irati conuitium, illi simile apud Homerum: Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί. & Virgilium, *O Phrygiæ, neq; enim Phryges.* Sic apud Iosephum lib. XIV. cap. XXVIII. Sosius captum Regem Antigonum, & ad genua sibi accidentem vocat *Antigonam*. Eodem capite senex quem Herodes ad mortem adigebat, & immanem suorum liberorum cędem, pręter humilitatem generis Herodi nihil exprobrat. πόλλα. inquit, περὶ τούτων ὀνείδισε τῷ Ἡρώδῃ εἰς ταπεινότητα. Magna Herodis felicitas, si fuit alienigena, quod hoc nemo ex illius inimicis sciuit. ne Iosephus quidem hoc profectò sciuit; qui cap. II. lib. XIV. hoc tantum de illo dicit, metuisse illum sibi ab Hyrcano, qui Pontifex Maximus erat, & Rex, διὰ τὸ μὴ κατ' ἀξίαν αὐτὸν ἄρχειν· *quod Rex esset Herodes illo loco indignus.* cur non ita potius? quod regnum inuasisset, quum ne indigena quidem esset, verum extraneus. Omnino ita erat dicendum. At Iosephus

ſephus mire conſtat ſibi. Itaque in elogio mortui Herodis lib. XVII. cap. X. hoc tantum leges; ἐξ ἰδιώτου βασιλεὺς καταστάς, *factus è priuato Rex.* Libro XV. cap. XIII. memorabilis hiſtoria habetur de Manahem Eſſeno, qui Herodi adhuc puero, ludum literarium petenti, factus obuius, regnum illi prędixit: ait ibi Ioſephus, Herodem ętate puerum, ſed prudentia canum, hoc tantum illi reſpondiſſe, *Memento priuatum eſſe me:* ἀνεμίμνησκεν ἰδιώτης ὤν. ergo etiam Herodes ipſe alienigenam ſe eſſe ignorauit. Infelici Mariammę, ſanguinis & ſpiritus regij fœminę, linguę petulantia fatalis fuit, vt narratur in decimaquinta hiſtoria. Hęc inter iurgandum cum ſceleſtiſſima Salome, Herodis ſorore, ſolita in mariti genus omnia probra effundere, quę muliebris impotentia & ira ſuadebant. Cur igitur Mariamme peregrinitatem exoſo marito non obijcit? cur non appellat Antipatridas גרים ἀλλοφύλους? At nihil eiuſmodi de illa Ioſephus: cuius verba ſunt libri XV. capite IV. τὴν ἐκείνων ἐξωνείδιζε δυσγένειαν, *ſuam illis ignobilitatem exprobrabat.* nempe quod è familia ſacerdotali, & regia non eſſent. iterum cap. XI. ἐπὶ δυσγενείᾳ διεχλεύαζε, καὶ κακῶς ἔλεγε. Ex ijs quę hactenus recitauimus è libris Ioſephi, certiſſimè conſtat, Origenem & alios Patres, qui vt Herodem demonſtrarent alienigenam, nobiliſſimum hunc ſcriptorem in partes vocarunt; veram illius mentem nunquam percepiſſe. Quam hallucinationem, vt in primis illis ſcriptoribus facile excuſamus: ſic in Photio, viro alioquin doctiſſimo, ferendam non cenſemus. Illi è paucis locis obiter inſpectis, quum ad alia maiora properarent, in errorem ſunt inducti. Photij culpa inexcuſabilis: qui ex inſtituto ſummam recitans eorum, quę legerat apud Ioſephum; ſententiam aliunde hauſtam, quę pugnat è diametro cum hiſtoria Ioſephi, Ioſepho, mira prorſus incogitantia, impingit. Sic ille in tmemate CCXXXVIII. de Herodis aduentu Romam loquens, quando illi regnum eſt delatum. ἐποιεῖτο γνώμην τῷ τῆς γαμετῆς ἀδελφῷ, Ὑρκανοῦ δὲ θυγατρὸς παιδί, εἴ πως δύναιτο, τὴν βασιλείαν καταπράξασθαι· αὐτῷ γὰρ ἀνέλπιστον ἦν παντάπασι ταύτην περιελθεῖν, ἀλλοφύλῳ ὄντι. *Herodes id animo voluebat, vt vxoris fratri, Hyrcani ex filia nepoti, ſi vlla ratione poſſet regnum impetraret: nam ſibi quidem parandi quoquomodo regni, nullam omnino ſpem habebat, qui eſſet alienigena.* Hic ego Photij nomen inter falſarios defero, & poſtrema verba contra Ioſephi mentem verbis Ioſephi eſſe adiecta, contendo. Facit Ioſephum dicere, iccirco deſperaſſe Herodem ſe poſſe regnum ſibi impetrare à Romanis, quia eſſet extraneus, hoc eſt, non Iudæus. Ioſephi verba ſunt, libro XIV. cap. XXVI. τοῦτο μέγιστον ἦν τῆς Ἀντωνίου περὶ Ἡρώδην σπουδῆς, ὅτι μὴ μόνον αὐτῷ τὴν βασιλείαν οὐκ ἐλπίζοντι περιεποιήσατο· οὐ γὰρ εἰς ἑαυτὸν ἀνέβη ταύτην αἰτησόμενος· οὐ γὰρ ἐνόμιζεν αὐτῷ τοὺς Ῥωμαίους παρέξειν·

τοῖς

τοῖς ἐκ τοῦ γένους ἔθος ἔχοντας αὐτὴν διδόναι. Prædicat Iosephus magnum Antonij erga Herodem studium: qui quidem nihil tale speranti regnum conciliasset. Herodem enim non venisse Romam ea mente, vt sibi regnum peteret. Quæ autem ratio, cur ad regnum iter non affectaret? Accipe caussam: *Non enim putabat illud sibi Romanos tradituros; quia regna ijs deferre soliti essent, qui è genere forent regio.* Vides quam mala fide & verba Iosephi & sententiam Photius recitet. Atque hoc non semel diligens lector, in eo præstantissimo scriptore, si attendat, obseruabit. Solet enim nonnunquam pugnantes inuicem sententias diuersorum auctorum, vni alicui tribuere, & integras narrationes hoc pacto confundere. Sic paullo ante de eodem Herode & patre Antipatro loquens, Iosephi & Africani narrationes, aut vt melius dicam, illius narrationem, huius fabulam, in vnum κυκεῶνα miscet perperam: quod in homine tam erudito, & qui Iosephi sententiam referre profiteatur, non culpa est, sed, prope dixerim, flagitium. Accidit autem hic error Photio, quod acceptam auditionem à prioribus de alienigena Herode, ad veritatis obrussam exigere nunquam curasset. Id verò à Iosepho Scaligero ante aliquot annos, quum, ob veritatis studium, esset factum: verissimam præstantissimi viri obseruationem ita excepit Nicolaus Serarius, vt non solum falsam eam voluerit videri, sed etiam impiam & homine Christiano indignam. In eum finem liber ab eo scriptus est, qui hallucinationum, puerilium & sophisticarum argutiarum plenus, auctorem prodit, non illum quidem indoctum; sed ab eo candore & æquitate, quæ viros doctos, maxime Christianos, decet, vehementer alienum. Tuetur Serarius vulgatam sententiam, quam probauimus esse falsissimam; certe à Iosephi mente ita alienam, vt nihil queat magis. Quare mirari nemo debet, falsam opinionem tuentem, multa scripsisse falsa & absurda: quod ex comparatione eorum quæ hac & superiore disputatione disseruimus, æqui lectores facile deprehendent; vt alia confutatione non sit opus. Sed bene est; vicit tandem veritas. Nam post Scaligerum reperti sunt in ipsa Italia viri docti, qui non solum id ipsum affirmarent, quod primus Scaliger obseruauerat; sed multo etiam progrederentur longius. Vide Annales Sacros Augustini Tornieli Nouariensis, Congregationis S. Pauli, in anno MMMMXVIII. neque tamen quisquam, opinor, inuentus, qui propterea Tornielo impietatis dicam diceret; quod Scaligero fecerat Iesuita Serarius. Adeo parum hodie in vsu est prouerbium Hebræorum oppidò venustum; אל-הסתכל בקנקן אלא במה שיש בו μὴ λογίζου τὸν πίθον ἀλλὰ τὸ ἐν αὐτῷ. *Ne respicias dolium, sed quod est in dolio.*

IV. Obiectiones

IV. *Obiectiones è Iosepho duæ proponuntur, & soluuntur. Prior: Herodem Gentilibus magis fauisse quàm Iudæis. Probatur, maximæ coniunctioni odia succedere vehementissima. Altera: Herodem vita prodit non Iudæum, sed Gentilem. Probatur, Iudaicæ originis certa argumenta esse ab eo edita: cæterùm originem male probari argumento à vita. Digressio aduersus Andream Eudæmono-Iohannem, origine Christianum, sed quem facta quouis pagano deteriorem arguant: in qua mendacia infanda scelestissimi Iesuitæ solide refutantur.*

TOt argumentis firmatæ sententiæ obiectiones duæ proponi solent, & quidem ex Iosepho: quas certo consilio in hunc locum reiecimus. Sunt igitur, qui opinionem vulgatam hac argumentatione confirment. Herodes, auctore Iosepho, Græcis & Gentilibus potius fauit, quàm Iudæis: fuit igitur non Iudæus, sed Gentilis potius, & omnino alienigena. Qui sic disputant, ij neque locum Iosephi, neque humani ingenij naturam satis videntur attendisse. Iosephi verba sunt libro XIX. cap. VII. in laudatione Regis Agrippæ: ἐκείνῳ γὰρ πονηρὸν ἦν ἦθος ἐπὶ τιμωρίαν ἀπότομον, καὶ κατὰ τῶν ἀπηχθημένων ἀταμίευτον. Ἕλλησι πλέον ἢ Ἰουδαίοις οἰκείως ἔχειν ὁμολογούμενος. Ait Agrippam moribus fuisse præditum, qui moribus Herodis nullo pacto essent similes. *Nam huic*, inquit, *natura erat prona ad vltionem & in ea inexorabilis: vt qui in vexandis quos habebat exosos modum nullum seruaret: quique adeo fateretur, maiorem sibi ad Græcos quàm ad Iudæos esse adiunctionem.* ita Marcus Tullius Græcam hanc locutionem alicubi exprimit. Non dicit Iosephus simpliciter Herodem fuisse Græcis coniunctiorem quàm Iudæis, & amasse illos vehementius quàm istos: sed affectum Herodis ostendens, caussam eius affectus simul exponit. Quæ autem eius affectus caussa? Non sane quam isti volunt: sed quod exosos Iudæos habuerit, homo in odijs semel susceptis vehementissimus. Ex his colligi non potest, Herodem non fuisse Iudæum: imò contrarium potius colligas. Nam Iosephus, summæ improbitatis vult esse argumentum, quod Herodes studium erga Gentiles maius præ se tulerit, quàm erga Iudæos. Si Gentilis fuisset Herodes, & Ascalonita Philistinus, vt habet fabula Desposynorum; quis iure mirari hoc potuit? atqui Iosephus rem ita narrat, vt improbissimam Herodis naturam velit ex eo colligi. Ipsa quinetiam odij vehementia in Iudæos, Herodem potius demonstrat fuisse Iudæum, quàm Gentilem. Quippe humanum ingenium, ita est natura comparatum, vt maxima odia, non fere nisi inter eos qui fuerint coniunctissimi reperiantur. Sicut post amara vinum videtur dulcius; & aqua prius calefacta frigus postea melius contrahit, si in puteum

teum demittatur, vt docent in Problematis suis Aristoteles & Alexander: sic acerrima odia, vt plurimum, intensissimo amori amant succedere. Probat hoc Philosophus in septimo Politicorum, cum alijs rationibus, tum etiam veterum sapientum auctoritate, quorum fuerunt hæc prouerbia: Οἵ τοι πέρα στέρξαντες, οἱ δ' καὶ πέρα μισοῦσι. *Inter quos amor fuit vehementissimus, inter eos sunt odia vehementissima.* & χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν, *bella inter fratres sunt difficilia*, id est dirissima. Egregie Tacitus primo Annali, *Quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum sunt apud infensos.* Huc etiam pertinet, quod Græci dicunt, τὰς τῶν γειτόνων ἀδικίας βαρύτατον κότον ταμιεύειν. *mutuas inter vicinos iniurias odiorum grauissimorum caussam existere.* quod multis probamus exemplis in nostris ad Polybium Commentarijs. Porrò quam acres odiorum caussæ inter Iudæos & Herodem intercesserint, ex historia notius est, quàm vt hoc loco sit repetendum. Sed aiunt alij, vitam Herodis, qualis à Iosepho est descripta, Gentili & alienigenæ conuenire, non Iudæo. Respondeo; istud argumentum & falsum esse ex parte, & penitus ἀσυλλόγιστον: ac proinde nihil concludere. Falsum; quia etsi perditissime vixit Herodes; quædam tamen fecit, quæ Iudæum fuisse ipsum demonstrent. Narrat Iosephus lib. XV. cap. XII. Herodem quum multa patraret contra Hebræorum patria instituta; hac excusatione apud suos populares Iudæos vti solitum, quod iussus illa faceret, & ex Imperatoris mandato, non propria sponte aut instinctu. Ἰουδαίοις, ait, ἀπολογούμενος ἔλεγε, μὴ καθ' αὑτόν, ἀλλ' ἐξ ἐντολῆς καὶ προσταγμάτων ταῦτα ποιεῖν. eundem tamen Cæsari & Romanis imputasse, quod præ sua erga nomen Romanum obseruantia, leges atque instituta patria insuperhaberet. Hæc historia, vt sceleratissimum fuisse Herodem euincit, qui ambitioni suæ omnia postponeret humana diuinaque iura: ita non fuisse ipsum alienigenam satis aperte probat. Multo vero magis, quod narrat Iosephus libro XIV. cap. XXVIII. in historia captæ Vrbis per Sosium Romanum, & ipsum Regem. Eo namque tempore Herodes & vere Iudæum se præstitit, & zeli Iudaici quo flagrabat magnitudinem certissimis rerum argumentis comprobauit. Nemo aliter sentiet, qui historiam illam legerit. Sed est etiam ἀσυλλόγιστος ista argumentatio, & nihil concludit; quia sæpe absurdissimum est, è genere vitæ de origine facere iudicium. Pontifices Caiaphas & Anna, qui Dominum nostrum condemnarunt, annon Iudæi erant? Quid illa turba, quæ clamauit, Tolle, Tolle, Crucifige, Crucifige? certe omnes isti Iudæi; & tamen vel Herode ipso deteriores. Iudæi, inquam, isti ortu & ἐν φανερῷ: multum vero differre Iudæum ἐν φανερῷ & Iudæum ἐν κρυπτῷ, docet nos Apostolus, ad Rom. 11. 28. 29. Hinc adeo

adeo eſt, quod etiam inter Chriſtianos multi ſemper fuerunt, & nunc cum maxime ſunt, quos mores, dicta, facta, ſcripta Gentiles aut Turcas eſſe potius arguant, quàm Chriſtianos. Ne vetuſtiora exempla repetam, Iohannes Caſtellus, non ſolum Chriſtianis natus erat parentibus; verum etiam, quod nemo ignorat, diſcipulus erat Ieſuitarum. Rauaillacus prodigium illud hominis, ſceleratorum vltima linea, genere & profeſſione Chriſtianus erat. Auctores puluerariæ coniurationis, qua nihil magis horribile Diabolus vnquam excogitauit, Chriſtiani omnes erant, Catisbeius, Percius, Digbeius, alij: partim etiam Ieſuitæ, Garnetus, Gerardus, Teſmondus. Græculus Cretenſis Andreas Eudæmono-Iohannes, animoſiſſimus ille parricidarum patronus, laniénæ Pariſienſis cupidiſſimus laudator, prodigium è mendacijs & ignorantia conflatum, non ſolum Chriſtianus audit: ſed eſt etiam Ieſuita, & Miſſas Romę quotidie, vti fama eſt, celebrat. Hic eſt ille parricidiorum in Reges & Principes vnicus magiſter, qui ad cętera ſua ſcelera, nuper adiecit immanitatis plus quàm Turcicæ facinus execrandum. Nam qui obiectis à me criminibus, veri reſpondere nihil poſſet; non ſolum in me conuicia falſa, abſurda, ridicula, & furentis Cretis rabiem dumtaxat prodentia, effudit: ſed etiam Arnaldi Caſauboni, venerandi parentis mei, ante tot annos fato functi, pretioſam apud omnes bonos qui norant, memoriam, contra ius Gentium; ſpreto anathemate, quod veteres Hebræorum ſapientes in male de mortuo loquentem pronuntiarunt; denique contra ipſorum etiam Paganorum inſtituta ac leges, impiè ſollicitaret ac Diabolico mendacio iret infamatum. Fingit ſceleſtus Cretenſis, & audet affirmare qua impudentia eſt, patrem meum, rei capitalis damnatum, laqueo vitam finijſſe. ô furiam! ô immanitatem plus quam Turcicam! nam etiamſi ita eſſet, (eſt autem falſiſſimum, vt demonſtrabimus) quæ hęc eſt barbaries, in cineres iam pridem conditos furorem exercere ſuum? filio caſum patris, licet fabula non eſſet, exprobrare? Neſcit ſceleſtus neſcit, quid ſit diſcriminis inter ἀτύχημα & ἀδίκημα. Sed vide mihi Cretici huius prodigij ἐξήλατον amentiam. Quum enim ter figmentum hoc ſuum repetat, vt paucos ante dies narrabat mihi Oxonij Iohannes Prideaux, vir doctiſſimus & pietatis eximiæ: (ego ſancte iuro, me paucis paginis inſpectis, putida & aperta mendacia flocciſeciſſe & nunquam legiſſe:) crimen tamen quod patri impingeret, ne fingere quidem vllum potuit. Elogium puniendi non recitat: non locum, non tempus indicat: crudum mendacium, vt fuerat ſibi à Satana inſpiratum, contentus euomere. En quales exquiſitioris pietatis magiſtros patria Iouis edat: vrbs ſepticollis ſinu ſuo excipiat, educet, foue-

F at.

at. En qualia mendacia auctoritate Censurę suę Princeps Aquauiua soleat comprobare. Pater meus, vir pietate, probitate & prudentia inter paucos insignis, anno superioris seculi octuagesimo sexto, Diæ, vel vt veteres nominabant, Deæ Vocontiorum, in Delphinatu, ipsis anni noui Kalendis morbum contraxit: inuasitque eum febricula, lenta quidem, verùm continua. Quum medici, atque imprimis Laurentius Videlius Auenionensis; (sed qui religionis variè corruptæ reformationem ante multos annos erat amplexus) in ea arte eximius, & veteri amicitia patri meo coniunctissimus, nihil periculi, & omnia signa ad salutem esse, confirmarent: ipse tamen ex quo primum decubuit, instare sibi fatalem horam intellexit; & qui de exitu morbi non dubitaret, vxorem suam, matrem meam, pijs alloquijs sæpe est consolatus. Sexto Kal. Febr. pater testamentum condidit: quod excepit notarius, vti vocant, Apostolicus, cui nomen Cheysieu. Scribendo testamento adfuerunt, A. Podianus (du Pui) Prętor vrbis; qui paullo post peste extinctus, ingens sui desiderium ciuibus suis reliquit; L. Videlius, R. Bruierius, I. Draco, alij viri primarij, amici patris, quorum nomina in tabulis testamenti leguntur. Kalendis Februarij, Dei nomen inuocans, & delictorum veniam petens, sine vllo cruciatu, placide in Domino obdormiuit: nactus, si quis mortalium, quam frustra sibi optabat Christum ignorans Augustus, εὐθανασίαν. Adfuit ęgrotanti, & beatam animam (sic opto & spero) Creatori suo reddenti, pia mater, singularis exempli fœmina, Iohanna Rousseau: quę annos fere triginta, sine vlla vel leuissima querela, vixit cum ipso coniunctissime: adfuerunt & filię duę, Sara & Anna, sorores meę; gener etiam, Petrus Chabanæus, cum duobus ex ipso nepotibus, Petro & Isaaco. Ego solus liberorũ, quę mea fuit infelicitas, aberam; quòd quadriennio antè, Francisco Porto, & Gręco & Cretensi; sed quem sincera pietas, virtus excellens, & singularis doctrina, bonis omnibus venerabilem reddebant; in Gręcarum literarũ professione Geneuę adolescens successeram. Adfuerunt præterea ægrotanti frequentes ciues, cum Dienses, tum Chrestenses; qui belli caussa Chresta, siue Crista, (id oppidum est vicinum in Episcopatu Valentinensi, cuius olim Dia caput erat, nunc membrum) Diam concesserant: item è nobilitate Reformata prouincię illius quàm plurimi: quum forte eo tempore frequentissimus Protestantium conuentus Dię ageretur. Elatus est IV. Non. Febr. succollantibus ciuibus honestissimis. Deduxerunt funus omnes ciuitatis ordines, & nobilium ac cęterorum qui ad publica negotia conuenerant, pars maxima. Luxerunt patrem, & diu desiderarunt, omnes pij, probi, ac prudentes viri. In his fortissimus heros, & gloria

rerum

rerum geſtarum toto Orbe notiſſimus, Leſdiguerius, & vniuerſa nobilitas : in qua præcipuos amicos habuit, Cugium, Gouuernetium, Bellofortium, Poetium, Dumaſium, Conſium, Chailarium : qui omnes, aut liberi eorum, etiam nunc ſunt in viuis. Chailarius tunc admodum iuuenis, ad Pontificios poſtea tranſijt : idem tamen Arnaldi Caſauboni nomen ſine honore vſurpare, ne nunc quidem ſolet : memor arctiſſimæ amicitiæ, quæ olim patri meo cum ipſius parente, viro magno, & cum Pedegrotio eiuſdem patruo, interceſſit. Obijt ὁ μακαρίτης anno climacterico, ætatis ſuæ ſexageſimo tertio. Ego literis Videlij x v. Kal. Martij ſcriptis, quas à Theodoro Beza mihi traditas ſeruo, de obitu optimi parentis factus certior ; dolorem meum paucis verbis ἀπλάστως teſtatus ſum, in Commentarijs ad Strabonem, quos tum ſcribebam, libro quinto, pag. L X X X I V. Qui ſi Cretenſis huius impoſtoris impudentiam, furorem & ſcelus præuidere potuiſſem ; vitam patris mei literis mandaſſem, & ingentia Dei Opt. Max. erga ipſum beneficia enarrans, omnibus Cretenſibus, omnibus Ieſuitis os obturaſſem ; & de vniuerſo nomine Caſaubonio bene eſſem meritus. Neglexi hactenus hoc officium, conſcius modeſtiæ & verecundiæ patris mei, quæ fuerunt in illo admirandæ. Nunc quia pietas id iubet, ne de veritate impune inimici Dei triumphent ; faciam tandem, volente Domino, quod ante multos annos factum oportuit ; & importunam ac truculentam hanc feram, verę narrationis telis vndique confodiam. At tu, Chriſtiane Lector, criminatione ab vna cognoſce omnes. Nam quid de toto libello Cretenſis Ieſuitæ iudicandum ſit, vel ex hoc vno potes ſtatuere. potes dico ? imò, ſi quid in te candoris, ſi quid veræ pietatis, omnino debes. Gemina quippe fabulæ huic ſunt omnia, pari ſcelere ficta, pariter falſa. Neque verò exſpectet hic aliquis, vt ad frigida illa conuitia reſpondeam ; *Quod ſim hæreticus Caluinianus*: quaſi ſit rabulæ huius & hæretici Bellarminiani, de vere antiqua fide iudicare ; quam aut nunquam didicit, aut vnà cum lingua Græca Græculus Apoſtata obliuioni tradidit. *Quod ſim Græcarum literarum & omnis eruditionis imperitus.* Sed quis feret cæcum, de coloribus ? *Quod Latinis Græca immiſceam.* Nouum crimen Caie Cæſar. Hoc tamen malo, quàm ſi diceret, me defendendo parricidas, ad noua parricidia Caſtellis, Catisbeijs & Rauaillacis, Deus omen auertat, iter munire. Nolo eruditorum noſtri ſeculi, Turneborum, Lipſiorum, Scaligerorum exemplo factum tueri. Nolo Panigarolæ conciones in medium afferre. Taceo morem multis alijs concionatoribus partium Romanarum hodie vſurpatum, qui apud indoctam plebeculam Latina, Græca, aliquando & Hebraica recitant, ſæpe, (Latina præſertim) ſine

 interpretatione.

interpretatione. Certe olim Cicero ad Pomponium Atticum Græce doctum, ita scripsit, vt ego ad Frontonem Ducæum Græci sermonis intelligentem. *Quod parum in Logicis exercitatus sim.* Melius istud nouit Iulius Pacius, V. C L. Iurisconsultus & Philosophus insignis; qui me adolescentem in studijs Iuris ciuilis & philosophiæ Aristotelicæ, non solum publicis recitationibus, sed etiam priuato labore instituit: qui multis annis prius quam suum in Organum ederet doctissimum Commentarium, mihi & Petro Perillæo affini meo, & P. Pineto, eruditissimis olim adolescentibus, quorum prior etiam nunc viuit, verbis fere totidem illum dictauerat. *Quod inter operas typographicas domus Stephanicæ creuerim.* ego verò si ita esset, laudi id mihi vertendum contenderem. Nam ex illa domo, ceu ex equo Troiano, multos prodijsse excellente doctrina viros, facile possem probare. Sed mentitur Cretensis: nam ego iuuentutem meam non corrigendis chartis typographicis exegi; sed bonis artibus discendis, & omnis generis auctoribus diurna nocturnaque manu peruolutandis. Verum hæc & similia his missa faciens, illa potius hoc loco breuiter attingam, quæ vt maioris momenti sunt, ita calumniatoris impudentiam & immanitatem melius produnt. Ait igitur Alàstor, p. 168. *patris mei memoriam me infensum Magistratibus reddere.* Sed quid ego fecerim, quod meum erga Magistratus animum infensum prodat: quam doctrinam defenderim Regibus & Principibus exitiabilem: hoc vero non docet Cretensis. Cur tacuit? cur mihi pepercit? Enimuero concurrant in vnum omnes Cretenses; capita conferant omnes Loiolæ discipuli; ipsum si voluerint Diabolum (rem futuram non nouam) in consilium adhibeant: nunquam tamen in actionibus aut scriptis meis aliquid inuenient, quod huius criminis vllo pacto affinem me queat reddere. De patre vero meo quàm impudenter mentiatur Cres impudentissimus, quid attinet dicere? satis hoc ex ante dictis liquet. Pater meus, vitæ vir integerrimæ, & Magistratibus omnibus eum semper honorem ac reuerentiam submissè exhibuit, quam ex Dei verbo didicerat illis deberi: & ipse vicissim, vbicunque vixit, semper Magistratibus Dei timentibus vixit apprime charus. Nunquam ille sibi à Magistratu metuit. Nunquam illi Magistratus, ne diuersarum quidem partium, aut diem dixit, aut vllum omnino negotium facessijt: fecitque etiam hic, vt vere dictum videatur, *Sui cuique mores fingunt fortunam,* quod de Attico viro prudentissimo, olim scriptum. Pericula quidem magna, quod erat necesse in bellis ciuilibus, pater sæpe adijt: sed quæ omnibus essent communia, quos pietas erga Deum compellebat, vt Romanæ Ecclesiæ deprauationes optarent esse emendatas: ex propria caussa nullum

nullum vnquam. Ex omnibus autem periculis, ex omnibus lanienis, Dominus noster IESVS CHRISTVS, pro sua inexhausta bonitate, & infinita in suos seruos, quamuis inutiles, clementia, semper ipsum eripuit. Sit eius nomen in secula seculorum benedictum. Ruit igitur Creticum enthymema : & tam falsum consequens, quàm falsum antecedens. Sed nonne monstro simile est, de fide aduersus magistratum audere mutire Iesuitam? illum inquam Iesuitam, studiosissimum parricidarum patronum, cuius scripta omnia eò spectant, vt legitimi Magistratus, Reges ac Principes, simulac ex arce Capitolina intonuerit, de solijs deturbentur suis, & fulmine percussi, Castellis, Catisbeijs, Rauaillacis tradantur conficiendi? Nam *executio ad alios pertinet*, ait Card. Bellarminus Iesuita : quorum verborum vim probe intelligere se, amplissimi Ordinis Patres, fremente Roma, Lutetiæ ostenderunt. Sed & Becanus Iesuita alius nuper, quid lateret mysterij in verbis Bellarmini satis superque declarauit. Proferat simile aliquid è meis scriptis Alastor Cretensis; & ego Principum omnium atque Magistratuum odio me dignissimum esse vltro confitebor. Ait; *epistolam ad Frontonem meam, perfidiæ meæ, mendacitatis & auaritiæ fore perpetuum monumentum.* Imò verò, epistola illa, quæ parricidarum magistros, quæ omnes alios eiusdem mentis profanos homines, Hildebrandi plenos, adeo cruciauit; meæ fidei erga vnctos Dei, & humillimæ subiectionis: mei propter cædem Henrici Magni (quem sua nimia clementia, & hominum doctrina Hildebrandina imbutorum scelus inexpiabile perdiderunt) inenarrabilis mœroris & luctus : mei denique in auctores pulueraríæ coniurationis iustissimi odij, & totius illius humanam fidem supergressi sceleris, acerrimæ detestationis, perpetuum dum literæ erunt, manebit monumentum. Perfidiæ suspicio in morum meorum simplicitatem non cadit. Quod alicubi ait hic nebulo, *multum me Iesuitis suis debere, quibus fidem non seruauerim* : tam verum est, quàm patrem meum, qui piè in lectulo suo, inter suos obijt, laqueo vitam finisse est verum. Egóne vt fidem meam Iesuitis vnquam adstrinxerim? Non hoc credent qui me norunt; neque existimo esse vllum in Gallijs tam perfrictæ frontis Iesuitam, qui hoc ausit dicere. Cogor hîc repetere, quod pluribus alibi exposui. Lutetia discedens, quando in Angliam veni, rogatus sum à Frontone Ducæo, vt Serenissimo Regi vellem significare, hominum ordinis Iesuitici præclaram esse erga ipsum voluntatem : daturosque ipsos operam in posterum, vt ne quid à suis proficisceretur, quod ipsius Maiestati meritò displiceret. Postquam in hanc aulam veni, quæ mihi dixerat Fronto Regi declaraui. Post paucos oppidò dies literas ab eodem Ducæo accepi, quibus impense

rogabar,

rogabar, vt Apologiam pro Iesuitis recens editam Regiæ Maiestati commendarem: librum enim esse eximium, in quo sincera mens & innocentia Iesuitarum clare demonstraretur. Mox vt ad Serenissimum Regem accessi, inueni ipsum illam ipsam Apologiam inter epulas legentem. Non diu in regijs manibus liber est versatus, priusquam incideret ipsius Maiestas in illa loca, vbi pulueraria coniuratio, ceu ficta fabula irridetur, & Garnetus cæterique inauditi sceleris complices cœlis inseruntur. Fateor, nihil temere accidisse mihi vnquam magis præter exspectationem: non quia Iesuitarum doctrinam & alienos à Regibus animos ignorarem: neque enim sermones mihi exciderant memoria, quos paullo ante Binetus Iesuita mecum habuerat: sed persuasus Frontonem & probum & prudentem virum esse, epistolam eiusmodi fore ad me scripturum non arbitrabar, quam adeo manifeste refutaret liber quem commendabat. Hæc est caussa cur illam ad Frontonem epistolam scripserim: in qua peccatum aliud esse à me nondum equidem animaduerto; nisi quod doctrinæ parricidialis infamiâ paucos notaui: ipsam Societatem, quantum res patiebantur, criminis conscientia liberaui. En perfidiam meam; en crimen. Veritus sum, ne si Marianæ, Becani, Bellarmini, Emanuelis Sa & paucorum id genus doctrinam vniuersæ Societati adscriberem, iniquus viderer. Sed hoc Romanis Iesuitis, vti video, displicet; qui caussam paucorum illorum à caussa totius Societatis diuelli non ferunt. Age, morem posthac istis Patribus geramus, & si ita volunt sunto per me omnes Marianæ, omnes Becani, omnes rabiosi Cretenses.

Inuitum qui seruat idem facit occidenti.

Interim quod ait hic Alastor, multum me Iesuitis debuisse; id ego mendacium cæteris simile esse contendo. Cum Societate illa nihil mihi fuit vnquam commercij. cum vno aut altero eius ordinis colui amicitiam. Officia humanitatis si quæ ab ijs accepi, audebo dicere vices me semper rependisse, & quidem, si potui, ex Hesiodi præcepto αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λῷον. Fateor, si vel ego vel vxor mea, constantissimæ pietatis fœmina, (etsi Katharis nonnullis aliter aliquando, sed sine caussa, est visum;) væunalem habuissemus conscientiam; potuisse nos aliquid antesignanis Iesuitarum quibusdam debere. Huius verò generis officia quum ego & vxor pari robore animi, (Deo immortali sit laus) semper detestati simus; quid ego Iesuitis debere potui, plus quàm illi mihi? Quo tempore propter Castellum discipulum suum Iesuitæ exulabant, Henricus Magnus me, è commendatione summorum virorum, non merito vllo meo, sibi notum, Lutetiam acciuit, & liberalitate sua fouere instituit: neque vnquam postea ipsius voluntas

erga

erga me, aut mutata fuit, aut imminuta. Quum ſemel atque iterum veniam ab eius Maieſtate humillime petijſſem, in locum aliquem ab interpellatoribus liberiorem, quò ſtudijs meis conſulerem, concedendi: ſeuera, ſed admirandæ bonitatis teſte, (hei mihi! cur ego tam indulgenti Mæcenati meo fui ſuperſtes?) preces meæ ſunt repulſæ. Nihil fingere me illuſtriſſimi ampliſſimiſque dignitatibus in aula Gallica præditi Proceres, probe norunt: omnium verò optime, qui meas preces ſemel deferens, ſimiliter eſt repulſus, illuſtriſſimus Toparcha, Dux Sullius. Tanti Regis & tot Procerũ beneuolentia ſubnixus, Ieſuitarum gratia facile ſemper potui carere. Qui ſi vel maxime alijs præſidijs fuiſſem deſtitutus; nunquam tamen ita fui rerum imperitus, aut væcors; vt eorum ope vti vellem, quorum molitiones, quò me ſtatione deijcerent, non ignorabam. Quando fidei meæ regia Bibliotheca eſt commiſſa, quid illi commenti non ſunt, vt ne hoc fieret? Poſſem hic μακρὰν Ἰλιάδα σκαιωριῶν contexere; quas ne videar ad animum vnquam reuocaſſe, miſſas facio. Poſſem doctiſſimi cuiuſdam viri, & inter Ieſuitas ſuas non obſcuri, epiſtolam proferre, qua de nonnullis eorum in Germania & Belgio odijs Vatinianis, gratis ſuſceptis, & varijs conſilijs aduerſus meam exiſtimationem initis, ante annos quatuor, certior fiebam. Sed neque ego hæc admodum curaui; & omnes meorum inimicorum technas ſpernendo, meaſque ſpes omnes in Dei miſericordia collocando, ſemper hactenus ſuperaui. Mendacitatem quod mihi Cretenſis obijcit, antiquum ſcilicet obtinet, ac ſceleſtus ſceleſte mentitur. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Verùm ignoſcimus Cretenſi: penes quem mentiendi palma quum ſit hodie; veritus eſt, credo, ne ad alium fortaſſe, tam chari ſibi artificij gloria tranſiret. Sed auarus ſum, ait Cacodæmon Ieſuita, & fiſco regio per fœdam adulationem inſidias ſtruo. Nimirum de animo ſuo meum Græculus metitur, & impudentiſſimè etiam hîc mentitur. Putat me ſpe neſcio cuiuſdam lucelli adductum, eam epiſtolam ſcripſiſſe. Reſpondeo paucis verbis, ſed veris. Si propter illam ſcriptionem, quam conſcientia, officij mei ratio, parricidialis doctrinæ deteſtatio, & veri Chriſtianiſmi ſtudium ac zelus mihi expreſſerunt, nummo teruntio, quod quidem ipſe ſciam, factus ſum auctior: maneant mihi peccata mea, neque ſanguine pretioſo Ieſu Chriſti abluantur. Sereniſſimus Rex Iacobus, de cuius admirabili præſtantia, quicquid Demoſthenes aliquis aut Cicero dixerit, minus fuerit; neque delectatur adulatoribus; neque falſas affectat laudes, qui abundat veris. Ego autem ad adulationem comparatus à natura non ſum.

Priuſque cœlum ſidet inferius mari, Tellure porrecta ſuper:

quàm

quàm artem illam infamem, in iuuentute & totius anteactæ vitæ curriculo mihi ignoratam, senescens addiscam. Quis autem Græculo persuasit auarum esse me? quo argumento? Si auarus essem, diues essem. Atqui Iesuitarum est, non meum, quocunque venerint, rei faciendæ operam strenue mox dare; insanas substructionum moles excitare; & Regibus ipsis inuidendas opum gazas, non quæro iam quibus artibus, cumulare. Scit hoc Italia, scit Gallia, scit Polonia; & quæ iam terrarum plaga hoc nescit? Quoties, quàm multi Episcopi hoc sunt questi? quot cæterorum Ordinum Societates magno suo damno istorum industriam sunt expertæ? Mihi ne rebus necessarijs egendum esset, Dei benignitas hactenus prospexit: idque rationibus ijs vt plurimùm, de quibus à me, ne per somnium quidem cogitatum vnquam fuerat. Cæterùm opes meæ, octo liberi sunt, & libri: alias ego diuitias non habeo. Si quid diligentia & parsimonia matrisfamilias seruatum est; magna id ex parte, aut lites iniquæ, aut meorum quibus nunquam defui, aduersa fortuna absumpserunt. Vere vt dicere possim, plus mihi à meis deberi, quàm ipse iam in potestate habeam. Hæc mea auaritia est. Pietatem & veram virtutem, Deo sit laus, ab vtroque parente, potui discere: rem facere & pecuniam sordide amare, ab ijs discere non potui: quos propter purioris religionis constantem amorem, auitis opibus lapsos, in tenui re, frugalitate & prudentia splendorem pristinum vidi semper retinere. Verum hæc melius ex ijs æqui lectores cognoscent, quæ de vita & obitu patris mei, necessitate iam compulsus, vt dixi, breui, fauente numine, sum publicaturus. Præuertat nunc pietas erga Deum, cuius gloriæ lucubrationes hæ nōstræ sunt dicatæ, pietatem erga meos affectus. Interim mendacium tam insigne, insigni loco confutatum esto. Igitur è diuerticulo in viam.

V. *Herodiani. Eorum de Herode error, probat ipsum non fuisse alienigenam. Obiectio è Iosepho soluitur. Eius locus expenditur. Genebrardi error. Serarij hallucinationes. Herodiani à quo Herode instituti & nominati.*

APPARATVS, Num. V.

HErodianos ait Baronius, quum viderent defecisse regnum in stirpe Iuda, euentu diuini oraculi impulsos credidisse, Herodem Messiam esse, vnde nata secta Herodianorum. Equidem, ex omnibus quæ de hoc genere hominum prodiderunt veteres, probabilius nihil video, quàm quod Tertullianus, Epiphanius & plures alij scribunt; pro Messia Herodem ab illis esse habitum & cultum. Sed

quod

quod ait Baronius, cum alijs multis, in eam perſuaſionem iſtos veniſſe; quod extincto regno Iudæ, Herodes alienigena Rex eſſet factus: id vero & falſum eſt, vt antea ſatis ſuperque probauimus; & præterea longe abſurdiſſimum. Nam ſi Meſſiam iſti præſtolabantur ante Herodis regnum, Iudæi vtique erant: ſi Iudæi, quis credat potuiſſe illos eo furoris deuenire, vt pro Meſſia hominem alienigenam, aut omnino alium, quàm Iudæum è tribu Iuda, & ſtirpe Dauidica agnoſcerent? Poterantne iſti ignorare tot tam expreſſe Dauidi factas promiſſiones? Erat quidem iam tum multis modis verbi diuini recta intelligentia obſcurata & corrupta: ſed multo tamen minus, quàm ſit hodie in illo diuinitus excæcato populo. Quære tamen hodie à quolibet Iudæo, qualem Meſſiam exſpectet, & vnde oriturum? Reſpondebit ſtatim, Iudæum omnino, è tribu Iudæ, & quidem è progenie Dauidis naſci illum oportere. Quomodo igitur antiquiſſimis illis temporibus de eo potuit vlla eſſe dubitatio? Quare aut Iudæi non fuerunt iſti Herodiani; quod tamen à tot grauibus Patribus affirmatum Baronius in dubium non vocauit: aut hæc eorum de Herode Meſſia peruerſa opinio, perſpicue euincit, Herodem vere Iudæum fuiſſe. Si quis obijciat, etiam Ioſephum vaticinium de Chriſto traxiſſe ad Veſpaſianum, qui tamen Iudæus non fuit. Reſpondeo; longe aliud eſſe, aliquod diuinum oraculum accommodare alicui Principi; aliud dicere, hunc Principem eſſe illum Meſſiam, qui in prophetia Iacobi promittitur, & dicitur futurus exſpectatio Gentium: qui tot alijs locis clarè adeo deſcribitur, etiam hodiernis Iudæis fatentibus. Obſeruabamus ad Suetonium, & Ioſephum & alios eius temporis Iudæos, qui exiſtimarunt imperium Veſpaſiani in ſacra pagina fuiſſe prædictum, videri reſpexiſſe ad prophetiam quæ habetur Micheæ capite quinto. ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅς ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. *Ex te egredietur Dux, qui regat populum meum Iſrael.* pertinet quidem hæc prædictio ad Chriſtum, vt docet Matthæus capite II. ſed quia ſequitur apud Micheam, iſtum qui egreſſurus erat è Iudæa, dominationem ſuam vſque ad vltimos terræ fines producturum; videntur & Ioſephus & alij exiſtimaſſe, hoc oraculum non ſolum ad Regem Meſſiam pertinere, verum etiam ad Imperatorem Veſpaſianum. Hic enim eſt mos Scripturarum, vt quæ de Meſſia leguntur edita vaticinia, de Dauide, vel Salomone, vel aliquo alio intellectu primo & literali, qui eſt fundamentum omnis legitimæ interpretationis, ſint exponenda; de Chriſto verò ſecundario, ac ſæpe allegorico vel anagogico. Adiuuat coniecturam noſtram vox ἅμα, *ſimul*, qua ibi vtitur Ioſephus. Locus eſt Belli Iud. libro VI. cap. XXXI. ἐδήλου δ' ἅμα τὴν περὶ Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν,

ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. *Simul hoc oraculum ſignificabat Veſpaſiani principatum, qui in Iudæa declaratus eſt Imperator.* Quid eſt SIMVL? niſi quod obſcure videtur innuere, hoc vaticinium habere & aliam magis arcanam ſignificationem. Sed nolo diſſimulare, ſuſpicari me, ita potius ſcripſiſſe Ioſephum, ἐδήλου δ' ἄρα. *nempe ſignificabat oraculum.* periti ſermonis Græci agnoſcent familiarem Herodoto & alijs hiſtoricis in tali re locutionem. Verùm etiamſi ita ſcribatur, nihil hic locus illos iuuabit,qui putant Herodianos,Iudæi quum eſſent,& Herodem pro Meſſia haberent, credidiſſe, eundem fuiſſe alienigenam : quod probauimus,nullo colore veritatis poſſe defendi. Bahal Aruk,vt obſeruat doctiſſimus Druſius, putauit fuiſſe Græcos, neſcio vnde è deſerto ab Herode adductos, in cuius honorem inſtituerint תרבות conſuetudinem aliquam & inſtitutum religionis : (ſic dicitur religio Chriſtiana תרבות רעה vt apud R. Abr. Zacuthum pag. XXIII. b.) de quo inſtituto quædam obſeruat Scaliger, Notis Euſebianis, ad numerum MDCCCCLXXXIII. Genebrardus, quia legerat Herodianos ex quorundam ſententia fuiſſe Græcos ; putauit eos eſſe, qui apud Iuſtinum dicuntur Ἑλληνιανοί, *Græciani*, vel *Græcanici* : errore manifeſto; quum ibi diſerte ſcribat Iuſtinus,eos fuiſſe Iudæos : imò propterea tantum horum mentionem faciat, quia erant Iudæi & Abrahami filij. Locus eſt in dialogo cum Tryphone. Miratus ſum cum legerem apud Serarium, me alicubi ſcripſiſſe Herodianos fuiſſe Sadducæos : cuius opinionis ne per ſomnium quidem venit vnquam nobis in mentem. Sed eſt illius hallucinatio ; vt cum alibi Henricum Stephanum vocat generum meum ; qui vir clariſſimus, mihi erat ſocer. Quæri ſolet, quum tres fuerint Herodes in Iudæa,Reges aut Ethnarchæ,à quonam ex illis Herodiani nomen inuenerint. Sed graues cauſſæ ſunt, cur ne dubitari quidem debere putem, ab Herode Magno & nomen & originem iſtos habuiſſe. Verùm hæc ſodalitas in eius honorem inſtituta, manſit ſatis diu poſt mortem Herodis, vt ex Euangelijs & Perſio apparet. Non diſſimiles fuerunt apud Romanos ſodales Auguſtales, Flauij, Hadrianales, Æliani, Antonini, quorum in Tacito & tota hiſtoria Auguſta, & ſaxorum inſcriptionibus frequens mentio. hoc differebant, quod iſti poſt mortem Imperatorum, de quorum nominibus cognominabantur, inſtituebantur : Herodiani, vt videtur, viuo Herode ceperunt.

VI. *Baronij error, de Iudæa per Pompeium in prouinciæ formam ex parte redacta. Iosephus illustratur. Quando Iudæa in prouinciam redacta. & super ea historia veterum errores, Ammiani, Victoris, Eutropij.*

APPARAT. Num. VI.

PArum ex vsu Romani sermonis, & multo minus conuenienter historicæ veritati loquitur Baronius, cùm scribit *à Pompeio Magno Iudæam ex parte in formam prouinciæ redactam.* Nam quid illud est *ex parte?* Olim qui Romano imperio parebant, vt doctè explicat Strabo extremo opere, aut proprios Reges habebant, siue Pontifices regia potestate, aut proprios magistratus, & dicebantur liberæ ciuitates, aut Roma missos Præsides accipiebant: eæ nempe regiones, quæ redactæ in prouinciæ formulam fuerant. Hic actus legitimus non diuidebatur per partes. Iudæa à Pompeio subacta est & facta vectigalis: eadem tamen tunc nulla ex parte, neque vllo pacto facta est prouincia. Videtur etiam Baronius existimasse, Scaurum, Gabinium, & Crassum, Iudæam administrasse, velut vnam è prouincijs Pop. Ro. quod omnino falsum est. Nam hi Syriæ Præsides fuerunt, à qua separata Iudæa erat: quæ ex ordinatione Pompeij tradita Hyrcano Pontifici Maximo, regia cum potestate, etsi absque honore nominis. Quod autem hi rebus Iudææ se multum immiscuerunt; factum id propter turbas inter fratres, quas componi Romanorum intererat. Sic accipe verbum διέπειν apud Iosephum, quando scribit Iudaici belli lib. I. cap. V. Pompeium è Syria & Asia Romam repetentem, tradidisse Scauro Syriam Iudæamque διέπειν, vt illas regeret: nam propriè quidem Scaurus Syriæ prouinciæ est impositus; sed quia nondum composita Iudæa erat, etiam huius extra ordinem cura illi demandata. Iudæa propriè dicta circa annum Domini decimum in formulam prouinciæ primum est redacta, pulso in exilium Archelao. Iosephus extremo libro XVII. & initio sequentis. Philippi Tetrarchia, eo mortuo, hoc est post annum Tiberij XX. similiter prouinciæ Syriæ accessit, vt est auctor Iosephus libro XVIII. cap. sexto. Videtur & Vespasianus, deleta vrbe, reliquæ Iudææ partem aliquam redegisse in prouinciæ formam: non tamen totam. Nam Agrippa minor, vt legimus apud Photium, ad annum Traiani tertium & vitam & dominationem produxit. Hæc est historiæ veritas; quam sæpe negligunt non postremæ notæ scriptores. Ammianus Marcellinus libro XIV. *Palæstinæ regiones pari sorte Pompeius, Iudæis domitis & Hierosolymis captis, in prouinciarum speciem, Rectori delata iurisdictione, formauit.* quàm sint hæc falsa ex antedictis patet. Aurelius Victor in Vespasiano; *Bello Rex Parthorum Vologesus in pacem*

 coactus,

coactus, atque in prouinciam Syria, cui Palæstinæ nomen, Iudæique, annitente filio Tito. etiam hæc falsa sunt, neque vllam satis commodam interpretationem admittunt. Eutropius & Pæanius longe absurdius: sub Vespasiano primum Iudæam Romano accessisse imperio: quo nihil falsius.

VII. *Error Baronij & aliorum super Antigoni Regis supplicio.* σταυρὸς. σταυρῷ προσδεσις. πελεκισμός. ἀποσφάττειν. *Dionis locus exponitur. Discrimen inter supplicium more maiorum, & per securim exactum.*

Apparat. Num. VI.

De Antigoni Regis Iudæorum supplicio loquens Baronius, errorem errat multis etiam doctissimis viris communem. Putant esse dissensionem in illa narratione inter Iosephum & Dionem, & durius supplicium esse quod Dioni describitur; cui potius se assentiri Baronius ostendit. Sed falsa hęc sententia est, nata ex vnius voculæ σταυρὸς praua interpretatione. Auctor est Iosephus è Strabone, cuius locum affert initio libri XV. Antonium πελεκίσαι Antigonum Regem Iudæorum captiuum, hoc est, *securi percussisse*. Dio lib. XLIX. scenam eius supplicij pluribus explicans, Αντίγονον, ait, ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας· ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ρωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μετὰ τοῦτο δὲ ἀπέσφαξε. magno errore interpretes Dionis verterunt *cruci alligatum*. quæ mala versio Baronio fuit fraudi. Vertendum erat, *palo alligatum*, vel, *ad palum deligatum*, vt sæpe Liuius. nam σταυρὸς, vt toties obseruat Eustathius, est σκόλοψ, ὀρθὸν ξύλον, *palus, lignum erectum*. vnde ἀποσταυροῦν apud historicos passim, *palis cingere, vallos in circuitu figere*. Significat σταυρὸς & furcam. Glossarium: *Furcifer* σταυροκόμιστος, δικρανοφόρος. Si ita hîc accipias, possis referre ad illud quod vocabant Romani, supplicium more maiorum. Sed obstat, quod in hoc supplicio virgarum ictibus vita eripiebatur. Apud Suetonium quærenti Neroni quale esset genus pœnæ, quod supplicium more maiorum dicebatur, respondetur sic: *nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* At Dio in Antigoni supplicio tria distincte ponit; μαστίγωσιν, *virgas*; σταυρῷ πρόσδεσιν, *deligationem ad palum*; (cuius modum indicat Appianus in Ibericis, narrans quosdam seditiosos iussu Scipionis, εἰς τοὔδαφος πατταλοις προσδεθέντας ἀποτμηθῆναι, *palis ad solum deligatos capite truncatos fuisse:*) & ἀποσφαγὴν, *vitæ priuationem.* Vbi valde improprie locutus est Dio: nam ἀποσφάττειν est iugulare, quod hîc locum non habet. Melius Appianus ἀποτέμνεσθαι, *capite truncari.* proprium eius supplicij verbum

est

eſt πελεκίζειν, *ſecuri percutere.* neque aliud intellexit Dio : quare idem dicit cum Strabone & Ioſepho: qui Romani moris ſupplicium, in quo tria erant diuerſa, ab vnico illo, quod præcipuum erat, & vitam eripiebat, deſignarunt. Romanum morem deſcribit apud Liuium Virius Campanus libro XXVIII. *vt ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, ceruicem ſecuri Romanæ ſubijciam.* iterum eodem libro ; *nudi in medium protrahebantur, & ſimul omnis apparatus ſupplicij expromebatur : deligati ad palum, virgiſque cæſi, & ſecuri percuſsi.* omitto ſimiles locos : vbi vides tria illa de quibus diximus : duo priora pertinent ad αἰκίαν & ignominiam: tertium ad mortem & genus mortis : ſecuri enim, non gladio, nec laqueo vita eripiebatur. itaque πελεκισμὸν Græci totum ſupplicium nominant : quod quidem inter grauiſſima Romanorum ſupplicia ſemper eſt habitum. Dionis locum ita vertes : *Antigonum virgis cæſum, & ad palum deligatum, (quod in nullo vnquam rege factum fuerat) poſtea etiam occidit* : nempe ſecuri percuſſum. Porro Dionis obſeruatio eadem eſt quæ Strabonis apud Ioſephum : ἔδοξεν Ἀντώνιος πρῶτος Ῥωμαίων βασιλέα πελεκίσαι : *exiſtimatus eſt primus omnium Romanorum Antonius Regem ſecuri percuſsiſſe.* Non prætermiſit Plutarchus in vita Antonij : Multis, ait, Regibus regna ademit : ὧν (ita ſcribendum) Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαῖον, καὶ προαγαγὼν ἐπελέκισεν, οὐδενὸς πρότερον ἑτέρου βασιλέως οὕτω κολασθέντος. Nouitas huius exempli notatur Plutarcho, etiam voce προαγαγὼν ; quæ indicat Regem Antigonum, ad inſtar viliſſimi alicuius prædonis, productum fuiſſe in populi conſpectum. More Romano captiui Reges ſeruabantur ad triumphum ; idemque dies, vt ſcribit Cicero, *& victoribus imperij, & victis vitæ finem faciebat.* Die triumphi, cùm de Foro in Capitolium Imperator currum flectere ceperat, Rex triumphatus in carcerem deducebatur, laqueo ibi ſtrangulandus, aut gladio feriendus. Præter cæteros lege Ioſephum, Ἀλωσ. libro VII. cap. XVIII. Seruare antiquum inſtitutum etiam in Antigono, voluit Antonius : de quo Ioſephus, λαβὼν αἰχμάλωτον τὸν Ἀντίγονον δέσμιον, ἔγνω μέχρι τοῦ θριάμβου φυλάττειν. ſententiam mutauit, rerum nouarum apud Iudæos metu, & vt Herodi regnum ſtabiliret. Errat igitur Baronius, cum Antigonum actum fuiſſe in crucem non ſemel ſcribit.

VIII. Euſebij locus de Pontificibus maximis tempore Herodis, expenditur. Nicephori, Cedreni, & Sigonij error de Ananelo P. M.

APPARATVS, Num. VII.

RE cte obſeruat Baronius, legitimam Pontificum ſucceſſionem ab Herode fuiſſe conturbatam non vna ratione. Hoc argumentum

ſuſe perſequitur Euſebius, in octauo Demonſtrationis, de Danielis hebdomadibus prolixe diſputans. Ait verò Euſebius, Herodem ſpreta omni ex parte lege Moſis, hoc tantum ſeruaſſe, vt is quem faceret Pontificem maximum, Hebræus eſſet. Probat hoc auctoritate Ioſephi, atque in hunc modum ſcribit. Μάρτυς ἀξιόχρεως τούτων ὁ ἐξ αὐτῶν Ἑβραίων Ἰώσηπος, ὧδέ πως ἱστορῶν τὰ κατ' αὐτοὺς χρόνους ἐν ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας· τὴν δὲ βασιλείαν Ἡρώδης παρὰ Ῥωμαίων ἐγχειρισθεὶς, οὐκ ἔτι τοὺς ἐξ Ἀσαμωναίου γένους, (οὗτοι δὲ ἦσαν οἱ καλούμενοι Μακκαβαῖοι,) καθίστησιν ἀρχιερεῖς· ἀλλά τινας ἀσήμους, καὶ μόνον ἐξ Ἑβραίων ὄντας, πλὴν ἑνὸς Ἀριστοβούλου. locus Ioſephi extat libro XX. (non XVIII. ut ait Euſebius.) capite VIII. paullo aliter: ſed vnica eſt digna animaduerſione diuerſitas. Nam pro eo quod habet Euſebius, καὶ μόνον ἐξ Ἑβραίων ὄντας, apud Ioſephum ſcriptum eſt, καὶ μόνον ἐξ ἱερέων. lectio Euſebij habet hanc ſententiam: Herodem quoſuis admiſiſſe ad Pontificatum, qui modò eſſent genere Iudæi: at Ioſephus hanc: omnes in eum locum eſſe admiſſos, qui è genere ſacerdotali eſſent: hoc eſt, non ſolum Iudæi, ſed de tribu Leui, & quidem de familia Aaronis. Vides quantum ſit inter vtriuſque lectionis diſcrimen. vſuſne ſit Euſebius deprauato codice Ioſephi, an potius fefellerit illum ſua memoria cui fidebat, neſcio: ipſum certe (ſi ita ſcripſit, neque librarij culpa legitur in ipſius codicibus ἐξ Ἑβραίων, pro ἐξ ἱερέων,) grauiter hic erraſſe nullus dubito. nam hodiernam lectionem in illo Ioſephi loco, alij eiuſdem confirmant. Libro XV. cap. II. dicitur Herodes obſcuris hominibus detuliſſe Pontificatum, vt Ananelo, qui primus illam dignitatem poſt Aſſamonæos obtinuit, è Babylonia accitus. de hoc Ioſephus; μεταπεμψάμενος ἐκ τῆς Βαβυλωνίας ἱερέα τῶν ἀσημοτέρων Ἀνάνηλον ὀνόματι. obſcurum hominem fuiſſe ait, ſed tamen ſacerdotem, non ſimpliciter Hebræum, vt ait Euſebius, aut ipſius ſaltem librarius. capite tertio eum vocat Ioſephus οὐκ ἐπιχώριον, *non indigenam*: erat enim Babylone non in Iudæa natus. Nicephorus Patriarcha in Chronico, Ἀνάνηλος, ἀλλοεθνὴς, ὁ κατασταθεὶς ὑπὸ Ἡρώδου. Vox ἀλλοεθνὴς idem aliquando ſignificat, atque ἀλλόφυλος, *ex alia gente genitus, extraneus*. eo ſenſu ſi accepit Nicephorus, mira fuit illius in verbis Ioſephi, quem laudat, hallucinatio. neque vero dubium id voluiſſe Nicephorum; nam & Cedrenus ipſo antiquior errorem eundem errauit, & quidem Ioſephum ipſe quoque teſtem laudans. Ἡρώδης πρῶτος ἀλλόφυλον ἀρχιερέα κατέστησε, τὸν Ἀνάνηλον, ὡς Ἰώσηπος λέγει. Non obſeruauit hoc eruditiſſimus Sigonius, qui Ananelum vocat alienigenam in quinto de Rep. Hebræorum. atqui Ioſephus illo ipſo loco, ſtatim ſubijcit, è genere ſummorum Pontificum ipſum fuiſſe: ἦν Ἀνάνηλος ἀρχιερατικοῦ γένους. Ananelo ſubſtituit Herodes Ieſum Phabetis;

de

de cuius genere nihil Iosephus. ego non dubito fuisse sacerdotem, ex illa generali affirmatione Iosephi libro xx. cap. viii. huic substitutus est Simeon Ierosolymitanus; quem Iosephus non solum sacerdotem fuisse ostendit: sed alicuius etiam inter sacerdotes nominis: ἱερεὺς, ait, ἐν τοῖς γνωρίμοις. Denique, si diligenter obseruaueris, ex illis xxviii. Pontificibus maximis, qui post Assamonæos ad destructionem vsque Templi sederunt, ne vnum quidem inuenies, qui tantum fuerit Hebræus, vt ait Eusebius: omnes contra è tribu Leui, & ordine sacerdotali, cum initio ab Herode, tum postea à Romanis esse desumptos.

IX. *Tres Iudæorum sectæ. Refutantur qui Asidæos volunt fuisse quartam sectam. obiter ostenditur vitium codicum Iosephi Hebræi. B. Hieronymi locus de sectis Iudæorum expenditur. Nazaræi, Scribæ & Pharisæi, non orti ab Hillel & Samai.* Telphon. Tryphon. *Scribæ quomodo pars Pharisæorum. An Pharisæi omnia fato tribuerent, vt ait Baronius. Iosephi locus illustratur. Gelenius interpres notatur. item Genebrardus.* πολιτεῖαι ἀσκητῶν. πολιτεία *pro vexatione. Pharisæorum instituta in suis exercitationibus. Epiphanij locus illustratur & emendatur.* ἀγῶνα ἐνίστασθαι. σωματικόν τι παθεῖν. ῥύσις σώματος. ἐξονειρωγμός. *Veterum ascetarum & studiosorum inuenta ad minuendum somnum.* Embrimia *apud Cassianum.* βρίζειν. βριζῶ. *Locus è Tragœdia Christus patiens emendatus.* ἐμβρίμιον. *Pharisæorum duo ieiunia in hebdomade. Theophylactus contra Maldonatum defensus. Pharisæorum opera supra Legem.* τεσσαρακοντάς & πεντηκοντάς *apud Epiphanium. Locus Epiphanij de molli cultu Ascetarum.* ἐθελοπερισσοθρησκεία. Dosithei *hæretici. Locus Synesij de Iudæorum superstitione in Sabbati obseruatione, & in eo Baronij insignis hallucinatio. Variæ obseruationes veterum Iudæorum super cessatione Sabbati.* πυρεναυσεῖν. *Locus Epiphanij expenditur & illustratur. Propriæ Epiphanij voces contra puriorem Hellenismum.* ὕειν. ἀφαντοῦσθαι. πατεῖς *pro quauis regione.* φορτεῖν, *vexare.* ἀνείκαστος, *non congruens.* ἐξουδαρεῖσθαι, *vile reddere.* ἐπανότης. ἠκέναι. πεφθάρθαι. ἐξεῖν. ἔχει αἱ φερέσεις. *Osseni, Ossæi, Esseni. Locus Epiphanij de Hemerobaptistis.*

Apparat. Num. VIII.

SEquitur apud Baronium de sectis Iudæorum sermo prolixus: in quo equidem, fatebor enim, solidioris & exquisitioris eruditionis micam animaduerto nullam: nam & peccata aliena recitando facit sua; & præterea proprijs ipse culpis non caret. Recte tamen illud initio; quod Iosephum secutus, tres ait fuisse Iudæorum sectas præcipuas,

puas, Pharisæos, Sadducæos, Essenos. melius quàm illi, qui Asidæos superioribus adiungunt. nam hi inter hæreticos & sectarios Iudæos, non minus inepte atque insulsè nominantur, quàm Catholici olim inter hæreticos Christianos essent nominati. Proprie חסידים pij omnes, sancti & benigni vocantur; neque ea appellatio vlli societati magis fuit peculiaris, quàm vox boni aut ἀγαθοῦ. itaque liber extat inter Hebræos satis magnus, חסידים inscriptus, quo dicta & facta piorum sanctorumque virorum exponuntur, non autem Asidæorum dumtaxat: & apud Rabbinos familiare prouerbium est, לא עם הארץ חסידים quo significant, non posse filios terrę, id est imperitos & ignaros Legis, vere pios esse. Postea quum Reges vicini vexarent Iudęos & cuperent eorum religionem ire exstinctum, factę sunt eius populi duę partes. vnam constituebant οἱ ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους, vt eos appellat Iosephus libro XII. cap. XVII. viri pij, verę religionis retinentes; qui in libris Iudęorum passim חסידים nominantur. Eam vocem librorum Maccabaicorum auctor retinuit, vt propria quadam appellatione hanc populi partem designaret, ac dixit Ἀσιδαίους, *Asidæos*. alteram partem populi constituebant, qui in libro Regum domus secundę, Gorionidę & alijs vocantur, פושעים מישראל οἱ ἀποστατήσαντες ἀπὸ τοῦ Ἰσραήλ, impij, Apostatę & Legis proditores. Similes his sunt in antiquis Christianorum persecutionibus Traditores & Libellatici, apud B. Cyprianum & Augustinum. at Chasidim, siue Asidęis proportione respondent Catholici. Vt satis mirari stuporem illorum non possim, qui aliter ista acceperunt. Sed nos suspicamur locum Gorionidę libro IV. cap. XXIX. editionis Venetæ p. 48. col. 4. ex quo istorum natus error, esse corruptum. Nam si diligenter comparaueris locum illum cum Iosephi verbis libro XIII. cap. XVII. pag. 404. intelliges in historia quæ apud vtrumque scriptorem narratur, nullum esse locum alius sectæ hominibus, quàm Pharisæis & Sadducæis. vnde sequitur perperam scribi hodie, והחסידים pro והפרושים: nam vt per excellentiam pietatis & sanctimoniæ positum sit CHASIDIM pro Pharisæi, etsi scimus ita alibi loqui eum scriptorem; hic tamen, vbi discrimen exponitur quod est inter Pharisæos & Sadducæos, ferri non potest: & aliud suadent Græca Iosephi, vel quibus potius Gorionida vsus, Latina Ruffini. Nec vero mirum errasse hîc manum librarij; cuius alia quoque similia σφάλματα inter legendum adnotauimus. atque adeo in præcedente periodo, vbi de Sadducæis est sermo, fœdus error etiam in illa elegantissima editione est admissus. Ita ibi est editum: והפרושים היו באותם הימים אחרי הצדוקים ויתיו הצדוקים בישראל לחלק אחר omnes Hebraice docti intelligunt primam

vocem

voce esse deprauatam. Eruditissimus Munsterus legit חברושים per ב non vt in Veneta per ר & vertit; *& hi confusi fuerunt in diebus illis ab alia secta Sadducæorum.* spretis artis grammaticæ legibus, & procul adeo à mente auctoris, vt nihil supra. Quare Iosephus Scaliger, vt esset aliquis sensus scribi voluit, הכותים Cuthæi & Samaritæ. Sed non dubito, virum summum, si Hebræum scriptorem cum Græco contendisset, aliud fuisse iudicaturum: nam quanto est probabilius, vt scribatur literula vna in integrum restituta, והרכושים ac vertatur, *Et diuites erant in diebus illis sequentes Sadducæos; Sadducæi autem erant in Israel pars vna.* ex istis Iosephi, τῶν μὲν Σαδδουκαίων τοὺς εὐπόρους μόνον πειθόντων. *quum Sadducæi solis diuitibus suam sectam probarent.* contra de Pharisæis scribit Iosephus, stetisse ab ipsis τὸ πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, id est plebem: pro quo eleganter in Hebræo, דלת העם τὸ λεπτὸν τοῦ λαοῦ, *omnes tenuis fortunæ homines.* רכוש in puriore Hebraismo est nomen substantiuum, *opes, diuitiæ*: Galli retinent, *richesse.* apud Rabbinos nouorum verborum miros artifices, est etiam nomen adiectiuum. sic גאון *magnificentia & magnificus*: גנאי *turpitudo & turpis.* Sed hæc per occasionem dicta sunto. Redeamus ad Baronium; qui sermonem de sectis Iudæorum ordiens, B. Hieronymi locum profert è III. in Isaiam Commentario: quasi esset hodie cuiquam ignotum in antiquitatibus Ecclesiasticis vel mediocriter versato, & rerum Iudaicarum intelligenti, multa incomparabilem illum virum eo loco ex falsa auditione falsa tradere. Quare non debuit Baronius sine lapide Lydio omnia amplecti pro veris. Sed breuiter quædam adnotemus. Hieronymus igitur, in hæc verba Isaiæ è capite VIII. *Et erit in petram scandali duabus domibus Israel,* ita scribit: *Duas domus Nazaræi, (qui ita Christum recipiunt, vt obseruationes legis veteris non omittant) duas familias interpretantur Sammai & Hillel: ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, quorum suscepit scholam Akibas, quem magistrum Aquilæ proselyti autumant, & post eum Meir: cui successit Iohannan filius Zachæi, & post eum Eliezer; & per ordinem Delphon: & rursum Ioseph Galilæus, & vsque ad captiuitatem Ierusalem Iosue. Sammai igitur & Hillel non multo prius quàm Dominus nasceretur, orti sunt in Iudæa: quorum prior dissipator interpretatur, sequens prophanus: eo quod per traditiones & δευτερώσεις suas Legis præcepta dissipauerint atque maculauerint.* hactenus Hieronymus; sed vt vides aliena fide. narrat enim quæ acceperat ab auctoribus non optimis, Nazaræis hæreticis, semichristianis. Illud primò quàm frigidum, duas domos Israel, de quibus Propheta, esse familias Sammai & Hillel? dicerent saltem sectas duas nobilissimas innui, Pharisæos & Sadducæos, quomodo alibi explicat Hieronymus ipse, vt ad caput Matthæi XXII. Sed ille sensus est mysticus. cæte-

rum loquitur ibi Isaias de populo Iudaico in duas partes tum diuiso, atque vt ait auctor veteris Glossæ, de duabus tribubus & decem. aliter paullo Lyranus, sed in eandem sententiam. Cui vero persuadebunt Nazaræi Scribas & Pharisæos ex Hillelis & Sammai schola propagatos? paullo post dicunt ijdem, duos illos Doctores, non multo prius quàm Dominus nasceretur extitisse. quomodo igitur originem ab ijs Scribæ habuerunt, quorum in Veteri Testamento frequens adeo mentio? sed de Scribis mox. Pharisæi quoque tam recentes in populo Dei non fuerunt, vt paullo ante Christi ἐνσάρκωσιν dici queant cepisse. Iosephus libro XIII. cap. IX. Pharisæorum meminit, vt & Sadducæorum atque Essenorum in rebus Ionathæ Assamonæi, annis ante natiuitatem Christi minimum CXL. in Historia autem XVIII^{a}. cap. II. affirmat tres illas sectas, vel, sicut ipse appellat, φιλοσοφίας, cognitas fuisse Iudæis ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, *à temporibus admodum antiquis*. Videntur sane Pharisæi non multo iuniores fuisse Sadducæis: quorum de antiquitate, vt & Baithusæorum, (מינין proprie dici has duas familias quidam volunt:) constat ex auctoribus earum appellationum Saddok & Baitho, qui fuerunt discipuli & γνώριμοι Antigoni Sochæi, qui successit Simeoni Iusto. hic vero adeo antiquus, vt vulgo Hebræi, & in his Abraham Zacuth, eum perperam confundant cum Iaddua Pontifice, qui obuiam processit Alexandro, ante Domini nostri aduentum, annis circiter CCCXXX. Et est profecto verisimile Synagogam Templi secundi, simul ac desierunt Prophetæ, cepisse diuidi in factiones & sectas, quæ Rabbinis dicuntur, חלקים & כתות Ipsi quidem Hebræi, vere an falso, principium mali referunt ad Sanballatem Cuthæum, & Manassem aliosque eius generis Iudæos, vt explicatur in Iuchasin pag. XIV. 2. Etsi autem definire tempus præcise non possumus, quo nati Hillel & Sammai; quia tamen constat, istos esse qui dicuntur Iosepho Pollio & Sameas initio libri XV. & cap. XIII. atque alibi: constat etiam Hillelem fuisse Akibæ preceptorem, vt hic recte dicit Hieronymus; neque dubitatur natum Akibam circa primum annum Christi; tuto possumus inde concludere, falsò tantam illis antiquitatem tribui, vt ab illis sint orti Pharisæi. Falsum etiam est, vt dudum monuit Scaliger, Hillel significare *profanum*: in quo negari non potest, mire hallucinatum esse Hieronymum. non enim per ח scribunt hoc nomen Hebræi, חלל *profanauit*; sed הלל per ה *laudauit*. probabilius est quod sequitur, Sammai esse dissipatorem; שמם *dissipauit*, *vastauit*: tamen ne id quidem temere concedent Criticę Hebraicæ periti, vt docuerunt Scaliger & Drusius. Sequitur successio Doctorum ab Hillele ad deletam vrbem: qua in enumeratione multa illi sint suspecta necesse

ceſſe eſt, qui ſcripta Rabbinorum illorum contulerit, qui ſucceſſionem Kabbalæ ſiue ordinem מקבלים expoſuerunt, vt habetur in Pirke Auoth, Germine Dauidis, Iuchaſin, alijs libris. Videat ſtudioſus lector, quæ ſcribit Scaliger in Elencho Trihæreſij. Sed & ſuſpecta lectio eſt apud Hieronymum, *Delphon*. pro quo non ſine cauſſa conijcit doctiſſimus Druſius ſcribendum eſſe *Terphon*, aut *Tarphon*, vel quod vſitatius *Tryphon*. Delphon enim nullus quod ſciam vſquam comparet inter veteres Rabbinos, ne in Iuchaſin quidem. eſſe tamen nomen antiquum, ſcimus; nam in Eſtheris capite octauo nominatur inter alios Iudæorum hoſtes & Dalphon, vnus è decem filijs Amanis. Hieronymi loco ſubijcit hæc Baronius: *Ex his*, nempe Phariſæis, *qui Legi interpretandæ nauabant operam, Scribæ dicebantur; cæteri communi nomine Phariſæi.* Exiſtimauit Baronius, Scribas ſectæ Phariſæorum eſſe membrum: quo nihil abſurdius dici queat. nam Scribarum Legalium ordo fuit apud Iudæos ex antiquiſſimo inſtituto. ipſi quippe erant, qui Legem populo legebãt, in Templo & in Synagogis, ac ſi opus eſſet interpretabantur. propterea in Euangelijs Νομικοὶ dicuntur & Νομοδιδάσκαλοι. Ab ipſo Moſe quidam putant inſtitutos; alij à Dauide, è primi Paralipomenon capitibus XXIII. & XXVI. In ipſa captiuitate duraſſe Scribarum ordinem, argumento eſt magnus ille ſcriba Eſdras, qui legem reſtituit: quod non ab Eſdra ſolo factum eſt, verum ab alijs quoque pluribus, ſicut præclare diſputat Abraham Zacuth in Iuchaſin pag. LV. 2. Hoc verius, quàm quod apud Epiphanium legitur; Scribas eodem cepiſſe tempore cum Sadduceis: quæ eſt manifeſta ἀϊστορησία: niſi de genere peculiari quodam Scribarum placeat intelligi. E corpore Scribarum fuerunt qui ſequerentur Phariſæos, qui Sadducæos, necnon qui Eſſenos. quare non minus abſurdum eſt dicere Scribas alteram fuiſſe partem ſectæ Phariſaicæ; quàm ſi quis dicat Epiſcopos hæreſeos Arrianæ vnam partem confeciſſe: quia Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Nicomedienſis, Paulinus Tyrenſis, & plures alij Epiſcopi Arrio adhæſerunt. Sed Baronium & alios eiuſdem ſententiæ mouit locus Actorum XXIII. 9. οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. ſine cauſſa: neque enim ibi dicitur quod illi volunt: ſed denotatur conſenſus opinionum in aliquot capitibus doctrinæ; propter quem illi tum, & item aliâs ſtabant à Phariſæis. Quod ait Baronius, Phariſæos omnia tribuiſſe fato; errat. Nam è tribus ſectis illis, fato omnia tribuebant Eſſeni; libero arbitrio Sadducæi, fatum inane eſſe nomen ſine re affirmantes. Phariſæi mediam viam ſunt ingreſſi: fato quidem fieri omnia; ſed ita vt hominum liberum arbitrium non tollerent. Ioſephus illo ipſo loco qui à Baronio indicatur, hoc luculente docet,

lib. XVII. cap. II. Ait ille quidem, πράττεσθαι εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦσι. *credunt omnia fieri fato*: in quibus verbis substitit Baronius, vt fessus caballus in cliuo: at non Iosephus, qui addit, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται. δοκῆσαν τῷ θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ, καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετ' ἀρετῆς ἢ κακίας. hoc est; *quum dicant fato omnia fieri, voluntatem hominis non priuant impetu à se ipso pendente, hoc est, libera voluntate: quippe, sic Deo placitum esse, vt certo temperamento miscerentur in vnum fati decretum, & ratio humana, siquis vellet accedere aut cum vitio aut cum virtute.* Sic interpretamur locum aliquanto obscuriorem. Pro τῆς ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς, quod Hellenismus non admittit; scribendum, τῆς ἐπ' αὐτοῖς ὁρμῆς, nempe τοῖς ἀνθρώποις: impetu qui sit in hominis potestate. est periphrasis liberi arbitrij. Eandem κρᾶσιν fati & liberi arbitrij alijs verbis explicat libro II. Belli Iud. cap. XII. εἱμαρμένῃ καὶ θεῷ προσάπτουσι πάντα· καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι· βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἱμαρμένην. *Fato & Deo omnia attribuunt: & faciendi quidem iusta, aut iniusta, potestatem in hominibus vt plurimum esse: verum in singulis fati auxilium concurrere.* Ex his apparet, Iosephum, etsi simpliciter videatur pronuntiare, fieri omnia fato è sententia Pharisæorum: re vera tamen aliud dicere, & partim fato, partim libero arbitrio rerum euentum tribuere. quare idem, libro XIII. p. 394. Οἱ Φαρισαῖοι τινὰ καὶ οὐ πάντα τῆς εἱμαρμένης λέγουσιν εἶναι ἔργον· τινὰ δ' ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν· συμβαίνειν τε καὶ οὐ γίνεσθαι. *Pharisæi dicunt, quædam eorum quæ fiunt, non omnia, fati esse opus: quædam enim in hominum potestate esse, vt fiant vel non fiant.* Sine caussa docti quidam viri Iosephum inconstantiæ hîc accusant; quæ nulla penitus est, vtut in verbis quædam prima facie appareat contrarietas. Mirum vero Epiphanium seriam aduersus Pharisæos disputationem instituere; quod dicerent, iudicium fieri post mortem. negat enim ille consistere hæc posse cum ipsorum doctrina, qui fato omnia tribuant, libero arbitrio nihil. Videtur Epiphanius in quosdam Pharisæos incidisse, qui placitorum suæ sectæ parum gnari, hoc illi persuaserant. de antiquis certe Pharisæis tale quid suspicari nos Iosephus non sinit, scriptor accuratissimus, & quidem cum professione Pharisæus, tum affectu. Nam vt obiter hoc dicam, quod facit mox Baronius Iosephum de Pharisæis sic loquentem; *Genus hominum astutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infestum*: imposuit illi Gelenius interpres. at Iosephus sic: Φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν, προμηθεῖς, κἀκ τοῦ προὔπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι. *Isti Pharisæi vocantur, adeo potentes, vt Regibus cum primis possint resistere; ita prospicientes in futurum, vt etiam aperto bello Reges lacessant, iisque noceant.* nulla hic conuitia,

tia, quę de ſuo Gelenius addidit, contra fidelis interpretationis legem, & Ruffini exemplum; imperitiſſimi quidem, ſed eo tamen interdum fidelioris Gelenio interpretis; quoniam verba auctoris magis appendit. Sed hoc leue, præ aliorum quorundam interpretum licentia. vt cum Genebrardus in verſione ſua Gallica Ioſephi pro voce *Cleopatra* codicis Græci p. 689. poſuit *ceſte chiene* : & ſtatim, pro δίδωσιν αὐτῇ, *il donne a ceſte putain.* tantus inerat illi πικρολόγῳ Theologo conuiciorum amor : quod omnia eius ſcripta fœde arguunt. Subijcit mox Baronius, locum Epiphanij eximium, quo deſcribuntur, ait ille, tirocinia Phariſæorum: at melius Epiphanius πολιτείας μείζους appellat, inſtituta vitæ auſteriora, quàm quibus Scribę vtebantur. Quas vulgo dicunt Regulas monachorum, quę totius vitę degendę normam præſcribunt; eas Gręci Patres πολιτείας interdum appellant; vnde etiam πολιτεία ponitur pro κακουχία, & vexatione corporis ex pia deuotione, aut etiam ſuperſtitione: vt apud eundem pag. 529. καθέζεσθαι ἐν πολιτείαις καὶ νηστείαις ὑπερβαλλούσαις. ſic alibi. Apud Chryſoſtomum ſępe, vt hoc obiter moneam, πολιτείας nomine intelliguntur, quę ſolent Theologi bona opera appellare. Sic in homilia quadam in titulum libri Actorum; οὐ θαύματα, ait, ἀλλὰ πολιτεία, εἰς τὴν βασιλείαν εἰσάγει τῶν οὐρανῶν. *Non miracula, ſed vita, in regnum cœlorum introducit.* paullo ante; θαύματα καὶ σημεῖα, χωρὶς πολιτείας οὐκ ἰσχύσει πρὸς τὰ πρόθυρα χειραγωγῆσαι ἐκεῖνα. & de malis loquens, quibus dicturus eſt Dominus *Neſcio vos* : γυμνὰ τὰ θαύματα, καὶ οὐδαμοῦ πολιτεία. ſic paſſim. intelligit autem, quam appellat ibidem, πρᾶξιν ἀγαθὴν, *opera bona*, & βίον καθαρόν. Porrò non deſcribit hoc loco Epiphanius communem omnium Pharisęorum regulam; ſed priuata quorundam inſtituta, quę ſibi ipſi pręſcribebant ſeruanda. neque hoc initio tantum profeſſionis, vt ſilentium Pythagorę diſcipuli, quod credidit Baronius, qui propterea tirocinia vocat: ſed ἐπὶ ἤσκουν, *quoties exercebant.* quidam per totam vitam erant aſcetę, vt ille Barus eremita, cui per tres annos operam ait dediſſe Ioſephus in vita ſua; & monachi Chriſtiani veteres, qui montes & loca ſola toto vitæ curriculo incolebant, de quibus toties B. Chryſoſtomus, & ex profeſſo Palladius & alij : quidam per interualla, vt illi Scribæ de quibus præcedente ſermone dicebat Epiphanius, quemque eorum illo cultu quem ibi deſcribit fuiſſe ornatum, ἐν ᾧ χρόνῳ ἐνεκαρτέρει, ἢ παρθενίαν ἤσκειν; & iſti Phariſæi. Qui vitam ciuilem quum viuerent, & fere ad Rempublicam accederent; tempora ſumebant, aut ſemel in vita, aut fortaſſe etiam ſæpius, quibus ſe exercerent ijs quæ hîc narrat Epiphanius inſtitutis : ideo ait, τινὲς αὐτῶν, & ὅτε ἤσκουν. Primum commemoratur inſtitutum virginitatis aut continentiæ : ad quas

Phariſæi

Pharisæi nullo quum voto communi se obligarent, quod fecerunt postea ascetæ Christianorum ; vt quemque ceperat impetus, is sibi legem dicebat. Secundum institutum est, assiduitas orandi. Verba Epiphanij ita habent ; συνεχῶς δ' εὐχόμενοι πυκνότερον ἀγῶνα τοῦτον ἐνίσταντο. *Assidue orantes, frequentius hunc agonem instituebant.* dubito an agonem appellet totum tempus quo se exercebant, quadriennium, octennium, decennium : vt sit sensus: hæc tempora sæpe ab ijsdem esse repetita : an agonem hic dicat, corporis vexationem, quæ deinceps describitur. sed prius ostendit in quem finem corpus sibi male tractarent : διὰ τὸ δῆθεν μὴ σωματικόν τι παθεῖν, *ne videlicet corporale aliquid sibi contingeret.* Hæc caussa generalis est ; nam multa accidunt corporibus habitioribus & bene curatis, per quæ Iudæorum ascetæ pollui se credebant. Primo concupiscentiæ prauæ, quarum scaturigo dicitur Hebræis יצר הרע cogitatio mala, vel simpliciter יצר vt in dicto Ben Zomæ initio capitis IV. in Pirke Auoth : deinde quodcunque genus excretionis è corpore manantis. Nam vt de Essenis notat Iosephus, p. 729. καίπερ φυσικῆς οὔσης τῆς τῶν σωματικῶν λυμάτων ἐκκρίσεως, *licet naturalis sit sordium corporalium excretio ;* tamen quicquid esset vlla parte eiectum, eo se pollui autumabant : ac proinde frequentibus βαπτισμοῖς & lotionibus, quà interdiu, quà noctu sese purificabant. Sic accipiendum in hoc Epiphanij loco σωματικόν τι παθεῖν, quæ est honesta elocutio rei minus honestæ. qualis illa elegantissima apud Gorionidam, vanissimum alioquin scriptorem ; libro II. cap. nono, de eo quem laxa aluus vrgebat, דרך אנשים לי *via hominum mihi*, hoc est, πρὸς κοιλιολυσίαν εἶναί με δεῖ. Addit Epiphanius, ἢ κλαπῶσι δι' ὀνειράτων ἀνδῆ τιρίσιν σώματος ἀπεργαζομένων. hæc corruptissima sunt ; quod non animaduertit interpres ; multo autem minus Cardinalis Baronius. Scribendum est, vt monuit illustrissimus Scaliger, ἢ κλ. δι' ὀνειράτων ἀνδῆ ἔκκρισιν σπέρματος ἀπεργαζομένων : ita verte : *néue somnia furtim,* (id est, inuitis) *obrepant, quæ turpem seminis excretionem efficiant.* potest etiam legi ῥύσιν σώματος ; sic enim Moses τὴν γονόρροιαν, de qua multa in Leuitico, appellat זוב מבשרו L X X. Seniores ῥύσιν ἐκ τοῦ σώματος ; tacito nomine γονῆς aut σπέρματος. sed hic non γονόρροια significatur, quę species est morbi corporei ; sed ὁ ἐξονειρωγμός, quem Moses in Deuteronomio XXIII. 10. nominat קרה לילה casum nocturnum. Rabbini קרי apud quos ea de re multa leguntur. Ex omnibus namque pollutionibus huius pręcipua semper à Iudæis habita est ratio, tam ascetis, de quibus hîc Epiphanius, quàm etiam Sacerdotibus dum suarum ἐφημεριῶν vices obibant ; maxime autem à Pontifice maximo ; vt ostendit singularis historia apud Iosephum, libro XVII. cap. VIII. de Matthia Pontifice ;

qui

qui ea de caussa in diem vnum solennem sibi substituit Iosephum Elemi F. quæ etiam ratio fuit inter præcipuas, cur Pontifex maximus suum משנה siue סגן id est vicarium solitus sit habere, qualis Annas Kaiaphæ; de quo multa passim apud Rabbinos. Tertio loco sequuntur apud Epiphanium exempla κακουχίας. Primum exemplum est huiusmodi: καὶ οἱ μὲν σανίδας ἑαυτοῖς ἐφιλοκάλουν, σπιθαμῆς μόνης τὸ πλάτος, καὶ ἐπὶ ταύτης ἑαυτοὺς ἐπιθέσθαι κατὰ τὴν ἑσπέραν· ἵνα εἰ ὑπνώσειέ τις, καὶ καταπέσοι εἰς τοὔδαφος, αὖθις ἐγείρηται εἰς εὐχήν. *quorundam ea erat industria, vt tabulam sibi pararent, cui esset latitudo dumtaxat spithamæ vnius, siue dodrantis, in quam vespere sese deponebant; vt si quem somnus caperet, atque is in solum caderet, ad preces euigilaret.* Antiquissimum est, non solum Ascetarum, sed etiam studiosorum institutum, aliquid excogitare πρὸς τὸ ὑπνομαχεῖν, vt loquitur Dio Cassius, & quo breuiorem sibi somnum facerent. Omitto Platonis horologium nocturnum, de quo Athenæus libro quinto. de Aristotele narrat Diogenes, solitum ita se componere ad dormiendum, vt porrecto brachio pilam æream teneret, cui peluis ænea erat supposita; vt pilæ casu excitaretur. ὁπότε κοιμῷτο σφαῖραν χαλκῆν βάλλεσθαι αὐτῷ εἰς τὴν χεῖρα, λεκάνης ὑποκειμένης, ἵν' ἐκπεσούσης τῆς σφαίρας εἰς τὴν λεκάνην, ὑπὸ τοῦ ψόφου ἐξέγειροιτο. Tenuit idem institutum à præceptore acceptum Alexander Magnus; de quo Ammianus Marcellinus, libro XVI. *Alexander ænea concha supposita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam; vt cùm neruorum vigorem sopor laxasset, infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum.* Eodem pertinent quæ de Lycurgo oratore narrat Plutarchus in vita, ipsum, ὅπως ἐγείροιτο ῥαδίως καὶ μελετῴη, *vt facile excitaretur & meditationi vacaret*, in vili solitum quiescere lectulo, in quo nihil erat præter κώδιον & προσκεφάλαιον. *pellem lanatam & puluinar*: item quæ de Vlpio Marcello insigni belli duce narrat Dio in vita Commodi, & ex eo Suidas in Μάρκελλος: & quod idem Ammianus de Iuliano; cubuisse illum non in plumis, vel stragulis sericis; sed in tapete & σισύρα, siue sisurna, quò facilius somnum abrumperet. Sed longe ingeniosiora sunt, quæ de ascetis tam Iudæis quàm Christianis apud veteres legimus. Isti enim, sicut canonicam refectionis horam habuerunt, sic & canonicum somni tempus & mensuram, vt loquitur Cassianus. Igitur partim ad vexandum corpus, & eam quæ Patribus dicitur σκληραγωγία, partim ad minuendum somnum, fuerunt ascetis in vsu χαμευνίαι, humicubitiones, & στιβάδες χορτόστρωτοι. herba aut fænum loco culcitæ, mattæ, storeæ, psiathia, & mafortes aut melotæ ac similia his ad incubandum: item apud Cassianum embrimia, Collatione prima, capite vltimo: cuius vocis etymum negat se scire Scaliger, Elenchi capite XXV. quis autem scire

se

ſe poſtulet, quod neſciuit ille vir admirandus, quem in literis melioribus nihil fugiebat? ſuſpicabamur tamen nos, ἐμβρίμια dicta παρὰ τὸ βρίζειν, quod dormitare & ſomnum leuem capere ſignificat: proprie eſt, μετὰ τὴν βορὰν ἵζειν, poſt ſumptum cibum reſidere; & fortaſſe delicatis hominibus embrimia ſua fuerunt ad meridiandum; quales ſunt in noſtra Gallia grabati lautiorum è panno fere viridi conſtrati, magis ad quieſcendum per æſtum diei, quàm ad dormiendum: aſcetæ verò ſua embrimia faſciculis ſtipulæ farta, vel papyro, (vt apud Philonem de Eſſenis) aut duro tomento, vel ſimili materia, ſibi parabant, ad ſomnum nocturnum. Critici veteres illud Poetæ ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα: exponunt ἡσυχάζοντα, ἢ νυστάζοντα καὶ ὑπνοῦντα. inde Brizo dea ſomni, ſiue vt alijs videtur inſomniorum. Gregorius Nazianzenus, aut vt alijs placet, Apollinaris Laodicenus in Tragœdia Chriſtus patiens: Κεῖμαι πεδοστιβὴς γε χαμαιστρωσίᾳ Κ' οὐκ ἔβριζ' οὔτ' ἐκοίμησα. in editione Pariſienſi nupera perperam editum eſt παιδοστιβής. iterum ait miles è cuſtodia ſepulchri: Ἐγὼ γὰρ ὄμμ' ἄγρυπνον εἶχον εὐφρόνῃ, Κ' οὔτ' ἔβριζ' οὔτ' ἐκοίμησα. Apud Heſychium legimus ἐμβρέσιον dictum fuiſſe vile quoddam veſtis genus; quod fortaſſe aliquis putabit pro tapete aut culcita ſubſterni ſolitum, inſtar ſtorearum; atque inde dicta eſſe embrimia: ego verius puto, quod dixi prius. Igitur ad hoc inſtitutum ſpectat, quod narrat hic Epiphanius de Phariſæis aſcetis, tabulæ dodrantali, ſiue palmi vnius maioris, incubare ſolitis: quorum exemplum tranſiſſe ad primos Chriſtianorum monachos non dubito. Simillimum enim eſt, quod de ſua & Baſilij Magni matre, ſanctiſſima & admirandi exempli fœmina, B. Macrina, refert Gregorius Nyſſenus, in epiſtola lectu digniſſima ad Olympium aſcetam, nondum edita inter illius Patris opera, nobis aliquando magna cum voluptate lecta in Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca. Addit Epiphanius, διὰ τὸ ἄγρυπνον ἔχειν τὸν βίον; *eo fine, vt vitam agerent vigilantes quàm maxime fieri poſſet.* διὰ τὸ, dixit, pro eo quod erat vſitatius πρὸς τὸ. Sequuntur duo alia exempla aſceticarum inuentionum ad ſomnum breuiandum. Ἄλλοι δὲ κάχληκας συλλέγοντες, ἑαυτοῖς ὑπεστρώννυον, εἰς τὸ νυττομένους μὴ ὕπνῳ βαθεῖ φέρεσθαι· ἀλλὰ βιάζεσθαι γρήγορσιν ἑαυτοῖς προσαπορίζεσθαι· ἄλλοι δὲ καὶ ἀκάνθας στρωμνὴν εἶχον, διὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν. *Alij calculos littorales colligebant, eoſque ſibi ſubſternebant, vt ijs compuncti in profundum ſomnum ne inciderent: ſed vim ſibi facerent, & euigilandi cauſſam ſuggererent. Alijs in eundem finem pro ſtrato ſpinæ erant.* Subijcit Epiphanius de ieiunio, quæ eſt alia corporis afflictio, תענית Iudæis proprie dicta: νηστεύουσι δὲ δὶς τοῦ σαββάτου, δευτέραν καὶ πέμπτην. *ieiunabant bis in hebdomade, diebus ſecundo & quinto.* Huius duplicis ieiunij paſſim mentio eſt in libris Rabbinicis: præſer-

tim

tim in Tractatibus Tahanioth in Thalmud & Mose Ægyptio atque alijs qui ſcripſerunt compendia doctrinæ Thalmudicæ. Vide extremum libellum eius argumenti, qui editus eſt cum Seder Holam. Phariſæus apud Lucam, νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου. recte ibi Theophylactus exponit de feria ſecunda & quinta, ſiue vt loquimur hodieque Chriſtiani cum Paganis, die Lunæ & Iouis. Maldonatus ſcriptor maledicentiſſimus, qui eo nomine Theophylactum reprehendit ; ſi apud aliquem Proteſtantium, quorum obſeruationibus tot locis vtitur pro ſuis, hallucinationem huic ſuæ parem deprehendiſſet, quas verborum ampullas edidiſſet ? Addit Epiphanius ; ἀπεδεκάτουν δὲ τὰς δεκάτωσιν· τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδουν, τριακοντάδας τε καὶ πεντηκοντάδας, τάς τε θυσίας ἀσφαλέστατα, καὶ τὰς εὐχὰς ἀπεδίδουν. *Decimabant decimationem*, id eſt, *rem iam decimatam: primitias dabant : triceſimas & quinquageſimas, ſacrificia vtique & vota firmiſsime ſoluebant*. Qui præ cæteris pij eſſe ſtudebant, aut videri volebant, ij non ſolum ea implebant, quæ Lege Dei expreſſe iuberi putabant ; verùm etiam alia inſuper adijciebant, de quibus lege cautum non eſſet. Nota eſt diſtinctio inter חיוב debitum, & רבית לתורה auctarium legis, apud Rabbinos, inter opera & conſilia apud Patrum nonnullos & Scholaſticos ; item inter opera neceſſaria & ſupererogationis, quæ vocant. de vtroque genere hic Epiphanius è Phariſæorum ſchola. Præcepta ſunt, quæ ait de primitijs, de ſacrificijs & de votis. conſilia, quæ de decimarum decimatione. Nam quum decimarum modus lege Moſis eſſet præſcriptus ; erant qui vltra modum definitum penderent nomine decimarum aliquid, tanquam ſacrificia quędam נדבות ſpontanea & bonę voluntatis. de quibus Moſes in Deuteronomio & Leuitico non ſemel. Decimatio ſupra Legis pręceptum fiebat duobus modis ; vno, cùm etiam earum rerum decima pendebatur, quę Lege Moſis decimam non debebant. Hoc ſenſu dicit Phariſęus apud Lucam, ἀποδεκατῶ ὅσα κτῶμαι. ego nihil poſſideo cuius gratia decimam non pendam. & Dominus noſter exprobrat hypocritis, Scribis & Phariſęis, Matth. XXIII. 23. *decimatis mentham, anethum & cuminum*. altero modo cùm decimę pręſtabantur ad quarum præſtationem Lege non tenebantur. Tenebantur omnes Iudęi ad duas decimas. decimæ primæ præceptum extat Numerorum XVIII. 21. 25. hæc decima pręſtabatur Leuitis ad eorũ alimoniam & exhibitionem : ipſi autem Leuitæ huius decimæ decimam præſtabant Sacerdotibus. Altera decima imperatur Deut. XIII. 22. 23. & Leuit. XXVII. 30. 31. vbi etiam habes quibus rebus inſumeretur. pręter has duas decimas aliam pręſtabant Phariſęi, de quibus hîc Epiphanius. Illa verba, *triceſimas & quinquageſimas*, refero ad תרומות quæ ſeptuaginta Interpretibus

dicuntur ἀφαιρέματα, Latinus, *primitias*: ſed aliud *primitiæ* ראשית aliud Therumoth, oblationes & dona, quæ lege quidem erant imperata, vt Exodi xxv. 2. ſed abſque modi legitimi definitione. De his docent Rabbini morem ſeruari ſolitum, vt qui minimum donum darent, minus ſexageſima parte iuſtę æſtimationis frugum ſuarum non darent: qui autem liberaliter agere volebant, quadrageſimam penderent: qui neque liberali animo neque ſordido erant inſignes, intra hos terminos conſiſtentes, aut ad hos aut ad illos prout erant affecti propius accedebant. primorum oblatio dicebatur *Theruma oculi boni*; ſecundorum, *Theruma oculi mali*; poſtremorum, *Theruma mediana*, de quibus legant ſtudioſi diſſertationem Ioſephi Scaligeri. Hæc mirificè locum Epiphanij illuſtrant, quem neque interpretes intellexerunt, neque Baronius. hoc enim vult: Phariſęos in vtroque termino communes leges exceſſiſſe. liberalitatis, cum trigeſimam partem frugum darent, alijs quadrageſimam conferentibus: parſimoniæ, quod vltra quinquageſimam nunquam deſcenderent; cæteris ſexageſimam dumtaxat largientibus, quoties parce vellent agere. Sed mirum cur dixerit Epiphanius τριακοντάδας & πεντηκοντάδας potius quam τριακοςὰς & πεντηκοςὰς, ſicut leges Helleniſmi poſtulabant; ego ne aliquid hic ſubſit vitij vereor. Sequentia Epiphanij verba ita concipienda ſunt: Τῷ δὲ προειρημένῳ σχήματι τῶν γραμματέων προσήρχοντο. διά τοι τῆς ἀμπεχόνης, καὶ διὰ τῶν ἄλλων σχημάτων καὶ γυναικικῶν ἱματίων ἐν ταῖς πλατείαις, ἐν κρηπῖσι καὶ γλώτταις ὑποδημάτων προϊόντες: *Progrediebantur in publicum eodem cultu ornati cum Scribis, de quo ante dictum eſt: cum amiculis & alijs ornatibus ac muliebribus pallijs, crepidati & in calceis ligulatis in plateis procedentes.* Hic vero plane mihi aqua hęret, nec quid de hac ſententia dicam habeo. Nam quis non miretur, inter inſtituta propoſiti auſteri, quale hactenus deſcripſit Epiphanius, tribuere illum aſcetis Phariſęis muliebria, pallam fœmineam, crepidas & calceos vel ſoccos ligulatos? quomodo hæc mollities cum ſuperiore ſeueritate conſentit? Aut quis ignorat expreſſe cautum eſſe Lege Dei, ne viro muliebria geſtare fas eſſet, aut fœminę virilia? Deuteron. xxii. 5. neque hoc Rabbini prętermiſerunt, cùm Legem digeſſerunt in pręcepta, vt ipſi loquuntur, faciendi & non faciendi. Vide apud Moſem Maimonidem, quadrageſimum pręceptum inter negatiua. Quare aut ſtultiſſimi & inſulſiſſimi mortalium iſti aſcetę fuerunt; qui exquiſitiſſimam auſteritatem & ſanctimoniam quum profiterentur, tam impudenter legem Dei & maiorum pręcepta contemnentes, id ſibi licere putarunt, atque id publicè, de quo nemo aſotus luxu perditus, auſus eſſet ſub tecto domus ſuę cogitare: plane, vt ſi quis hodie Cappucinus aut Feuillantius, nobilis & delicatulæ

tulæ mulierculæ cultu ornatus, in publicum prodiret: aut Epiphanio mire imposuerunt Iudæi, qui hoc illi persuaserunt: quæ fuit sententia Iosephi Scaligeri, cui nos assentimur: eum vide in Elencho Trihæresij, capite XIII. Rabbini certe adeo simile nihil de ascetis Pharisæis narrant; vt contra affirment ea opinione sanctitatis illos fuisse inflatos, vt vel solo contactu communium vestimentorum pollui se crederent: sicut refert è vetustioribus Abraham Zacuth, Iuchasin folio XXII. 2. vbi inter cætera habentur verba quæ huc pertinent ista: בגדי עם הארץ מדרס לפרושים *vestimenta filiorum terræ*, id est, vulgi Legis imperiti, & eorum qui vitam sanctiorem non profitentur, *sunt conculcatio Pharisæis*, siue *ascetis*. Connectit Baronius superioribus Epiphanij verbis locum eiusdem è capite præcedente de Scribis; qui locus nonnulla quum habeat & obscura & animaduersione dignissima; petant studiosi quæ ad verborum illius illustrationem pertinent ex eodem illo τοῦ μακαρείτου Scaligeri pusillo quidem, sed nunquam satis laudato, libello, capitibus sexto & septimo. Porrò omnia hæc Pharisæorum instituta, quorum hypocrisin sæpe Dominus noster increpat, verbo iugulat vno Epiphanius, cum illa appellat, voce elegantissima, ἐθελοπερισσοθρησκείαν, q. d. cultum ex propria libidine excogitatum, ac proinde superfluum: alludens dubio procul ad locum Apostoli Coloss. II. 23. affinis est quam alibi damnat in superstitiosis quibusdam Christianis ἐθελοακρότητα δικαιοσύνης, opinionem iustitiæ positam in cultu ex humana voluntate excogitato, in Ancyrato, p. 475. In ijs quæ mox differuntur de Sadducæis, omisit Baronius illud, in quo fere vnico eius differentiæ cardo vertatur, quæ erat inter horum & Pharisæorum sectam. quum enim Pharisæi reciperent præter Legem scriptam traditiones בעל פה *ore traditas*, Sadducæi istas penitus reijciebant. Sed hæc vulgo nota. Quod ait Epiphanius, Sadducæos non seruasse integritatem doctrinæ sui ἐπιστάτου & magistri, qui & nominis auctor Sadoci: hoc quàm sit verum, queri potest: nam certum est Sadocum & Baithum fuisse discipulos Antigoni Sochæi; cuius pias sententias isti primi corruperunt, & aliouorsum trahentes, nouæ hæreseos fundamenta iecerunt. Quare Philastrius dicit ipsum *Sadocum hanc hæresin confirmasse*: melius dixisset, inuenisse. De Essenis reijcit nos Baronius in aliud tempus: nempe in annum Domini nostri LXIV. vbi quæstio agitatur de Essenis monachis: quam & nos, Deo volente, accuratè & φιλαλήθως ibi expendemus. Sebuæi & Gortheni vnde appellationes suas inuenerint, quæsitum est Iosepho Scaligero, Elenchi capite primo, & XV. ac XXI. Dosithei Baronio, & in codicibus Epiphanij Δοσιθέοι corrupte appellantur, qui Dositheani potius erant dicendi:

 siquidem

ſiquidem à Doſitheo Samaritano illis nomen. ſic tamen apud alios quoque ſcriptores, etiam Damaſcenum. In loco Syneſij, quem in ſermone de Doſitheanis affert, egregie & plane ioculariter hallucinatur Baronius. Qui quidem in eo primum fallitur, quod narrationem Syneſij putat pertinere ad hæreſin Doſithei, & illam furioſam potius quàm ſuperſtitioſam obſeruationem Sabbati, quam Doſitheo tribuit Origenes. Sabbati cultus ceſſatione operis, lex eſt fuitque ſemper communis omnium Iudęorum : ſed in eo differebant inter ſe, quod neceſſitatem legis, alij mollius, alij durius interpretabantur. Narrat Philo Iudæus Helleniſta, in libro Περὶ ἀποικίας, fuiſſe Doctores nonnullos, qui docerent τοὺς ῥητοὺς νόμους εἶναι σύμβολα νοητῶν πραγμάτων, *leges ſcriptas eſſe ſymbola rerum intellectualium.* Hi obſeruationem ſabbati ſecundum literam non magni faciebant : quos propterea reprehendit eo loci Philo, & hortatur vt ſententiam mutent. Contra alij Iudæi τῷ ῥητῷ nitentes, ceſſandum ſine vlla exceptione ſtatuebant, ac ne hoſti quidem iugulanti eſſe reſiſtendum. Temperauit hunc rigorem Matathias Maccabæus ; quo auctore decretum, vt hoſte vitam eripiente, inſuperhabere ſabbatum fas eſſet, vt refertur Maccab. libro primo, cap. II. 41. & Ioſephi libro XII. cap. VIII. nam ante hoc legis temperamentum, nulla erat dubitatio mortem oppetendam prius eſſe, quàm vt tentaretur defenſio die ſabbati ; quod in eodem libro VI. II. ita exprimitur : εὐλαβῶς ἔχειν βοηθῆσαι ἑαυτοῖς κατὰ τὴν δόξαν τῆς σεμνοτάτης ἡμέρας. Iſtud decretum habuit hanc vim, vt in præſentiſſimo vitæ periculo liceret non ceſſare. quod ſi hoſtis arietem ſtrueret, tormenta muris admoueret, cuniculos foderet, aut ſimile quid aliud moliretur, ceſſandum erat. Hoc iure vſi Iudæi, cum vrbs à Pompeio obſeſſa, vt obſeruat Ioſephus libro XIV. cap. VIII. & Ἁλώσεως libro primo, cap. V. & cum à Tito, eiuſdem operis libro quarto, cap. IX. quare idem ſcriptor pag. 367. ait, ſua ætate decretum Matathiæ tempore factum, durare : καὶ ἄχρι δεῦρο, inquit, μένει παρ᾽ ἡμῖν, ὃ καὶ σαββάτοις εἴποτε δεήσειε μάχεσθαι. Sed & ad alia quàm ad belli neceſſitates decretum illud pertinuit. Nam in vniuerſum pronuntiant Rabbini, omne periculum præſens vitę amittendę, impellere ſabbatum. ipſi dicere ſolent, מסכנות נפש דוחה שבת Ioſephus p. 670. id ita dixit, ὑπὲρ μόνου τοῦ σώματος ἀμύνονται ἐν τοῖς σάββασι. *pro ſolo corpore etiam in ſabbatis reſiſtere licet.* vbi *corpus* eſt quod Rabbinis *periculum animæ.* Igitur quum ægroto medicinam ſabbato propinare eſſet nefas ; ſi tamen pręſens vitę amittendę periculum ingrueret, opem ferre nihil vetabat. nam etiam bobus & iumentis in extremo periculo verſantibus, opem ferre ſe poſſe credebantur, vt auctor eſt Dominus noſter Lucę XIV. 5. ex quo apparet

veteratorium

veteratorium ingenium, & plus quàm diabolica malitia Iudęorum Doctorum aduersus Filium Dei viuentis. Et hoc quidem commune ius fuit Iudęorum. Sed non defuerunt, qui pristinum illum rigorem ἀπαρεμφασίστως seruarent ; vt de Dosithei sectatoribus refert Origenes περὶ ἀρχῶν, libro IV. cap. II. Isti verba Mosis vrgebant, Exodi XVI. 29. *maneat vnusquisque apud semetipsum ; nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Dicebat igitur Dositheus : *vnusquisque quo habitu, quo loco, qua positione ineunte die Sabbati fuerit inuentus, ita vsque ad vesperam debet permanere.* De Essenis Iosephus Belli Iud. libro II. p. 729. scribit, cessatione in die sabbati omnes Iudęos ab illis superari. & affert vt propria ipsis instituta, ὡς μὴ πῦρ ἐναύοιεν. *quod ignem sabbato non accendant :* οὐδὲ σκεῦός τι μετακινῆσαι θαῤῥοῦσι, *vas vllum loco mouere non audent:* οὐδὲ ἀποπατεῖν, *ne aluum quidem exonerare.* De primo exemplo, miror Iosephum proferre illud tanquam peculiare Essenorum : nam Philo Iudęus, illo quem supra indicaui loco, negat cuiquam fas esse die sabbati πυρεναυσεῖν : ita enim apud illum scribitur, p. 273. at in libro De vita Mosis, p. 467. ὅθεν ἀπαγορεύει πολλάκις ἐν ταῖς ἑβδόμαις πῦρ ἐναύειν. & verum est quod ait Philo; disertis verbis Lege Mosis vetitum esse, ne quis sabbato ignem accendat, Exodi XXXV. 3. & illis item locis, vbi cibus vetatur parari. In libris Thalmudicis πυρὸς ἔναυσις dicitur, הדלקת נר *accensio lucernæ*, de qua vide Mosem Ægyptium libro III. Halaka De sabbato, Perek quinto & sexto, vnde discas quatenus id sit licitum aut illicitum. Postremum exemplum in Iosepho, est necessaria quædam secundi consequentia ; quam explicat erudite Scaliger capite XXVIII. Ex hac disciplina illud euenit, vt spreto Matathię decreto, Iudæi non raro oppetere mortem præoptarint, quàm ad opus digitum exerere. Matthæus Paris in anno MCCLX. *Eodem tempore apud Theocesbery quidam Iudæus cecidit in latrinam ; sed quia tunc erat sabbatum, non permisit se extrahi, nisi sequente die Dominica, propter reuerentiam sui sabbati. quamobrem Iudæum mori contigit in fætore.* Similem historiam de alio Iudæo, qui in latrinas itidem die sabbati inciderat, narrat Munsterus ad caput XII. Euangelij Hebraici secundum Matthæum. Nunc locum Synesij expendamus, quem affert Baronius. Conscendit aliquando nauim Synesius in portu littoris Ægyptiaci, & vt videtur Alexandrini, Bendidio, vt Cyrenen patriam repeteret. Erant in naui nautæ XII. plerique omnes Iudæi ; gubernator ipse Iudæus, nec de plebe homo, sed νομοδιδάσκαλος, Doctor Legis. Non ita multo post quàm erat ora soluta, & sublata anchora, incipit flare ventus & vehemens & contrarius. Erat forte ille dies parasceuæ ; nos Veneris vocamus. Notum est Hebræos statim post Solis occasum diem sequentem inchoare. Gubernator

igitur

igitur ſimulac infra horizontem Solem ſe condidiſſe animaduertit, à gubernaculo manum amouet, & tanquam ceſſaturus totum diem ſabbati, cuius id erat principium, ad pedes tumultuantium vectorum proiectus, calcandum ſe illis præbet. Viſus eſt ex deſperatione id feciſſe. clamare igitur omnes, orare, obſecrare, ne animum deſponderet, ſed ſtaret ad clauum & munus obiret ſuum. ille contra manebat immotus, neque oculos à libro dimouebat, cuius lectioni ſedulæ operam dabat. Fuit inter vectores miles quidam γυνάδας, tam rigidæ gubernatoris ἀπαθείας impatiens: qui ſtricto gladio, mortem illi, niſi officio fungeretur, intentauit. ὁ δὲ αὐτόχρημα Μακκαβαῖος, ait ſcriptor venuſtiſſimus, (ſic apud Aelianum in Epiſtola Tryphæ, γέγονας ἡμῖν αὐτόχρημα Ἱππόλυτος; *factus es nobis germanus alter Hippolytus.*) οἷος ἦν ἐγκαρτερῆσαι τῷ δόγματι: ille tanquam germanus Maccabæus, paratum ſe oſtendit, vt dogma Iudaicum morte ſanciret. (ea namque vis eſt verborum Græcorum quam interpres Baronianus non eſt aſſecutus:) Vbi media nox aduenit, tum gubernator, ſuametipſius ſpònte, ſedem ad clauum occupat, *Nunc enim*, inquiens, *per legem licet: quoniam in manifeſtum vitæ noſtræ periculum res eſt adducta.* Syneſij verba: Μεσούσης δὲ ἤδη τῆς νυκτὸς ἀναστὰς εἶτα ἐπὶ ἑαυτοῦ πρὸς τῇ καθέδρᾳ γίνεται. Νῦν γάρ, φησίν, ὁ νόμος ἐφίησιν. ἐπειδὴ νῦν σαφῶς [illegible] ὑπὲρ τῆς ψυχῆς θέομεν. Ex hac narratione liquido conſtat, Iudæum hunc neque Doſitheanum fuiſſe, neque Eſſenum; ſed mediam quam diximus ſententiam probaſſe. omnia enim præ ſabbati religione putauit eſſe contemnenda, præter vnicum illum caſum, quem oſtendimus à Rabbinis dici ſolitum, *periculum animæ.* atque iſtud iuris Iudaici axioma, vel vt loquuntur I. C^ti^. regulam, eleganter Syneſij verbis gubernator exprimit, cùm ait, Νῦν σαφῶς ὑπὲρ ψυχῆς θέομεν, *Nunc verè adimus periculum animæ.* Baronius igitur hanc iſto loco hiſtoriam afferens, illud primum, vt dicebam, peccat; quod Doſitheanæ ſuperſtitionis putat hic eſſe exemplum: errore adeo manifeſto, vt etiam pueri ex ſuperiore narratione refellere queant. Alter error è priore natus, ſed longe deterior. Nam quum dicat Syneſius claris & perſpicuis verbis, gubernatorem ceſſaſſe tantum à principio noctis ad noctem eandem dimidiatam; tunc autem in ipſo ſabbato contra ſpem, nec ſine magna admiratione omnium, ad officium rediiſſe: Baronius tamen Syneſij mentem ita exprimit: *ſicque tota nocte cum ſequenti die vſque ad dimidium noctis ſedit Iudæus otioſus.* at quanta hæc licentia eſt? quàm prodigioſa? multa enim verba de ſuo adijcit: & quidem valde abſurde. nam ſi ceſſare volebat Iudæum toto ſabbato; cur ſaltem finito ſabbato ad opus illum non remittebat? quid attinuit fingere illum otioſum poſt exactum ſabbatum, ad medium vſque

que ſequentis noctis? Hæc quidem vis eſt. Sed pergamus. *Doſitheos,* ait Baronius, *monogamos fuiſſe, & nonnullos ex his virginitatem ſeruaſſe Epiphanius tradit.* Vereor ne coniecturam ſuam, non Epiphanij ſententiam de monogamis Doſitheanis narret hic nobis Baronius. Eſt in Græcis: καί τινες αὐτῶν ἐγκρατεύονται ἀπὸ γάμων μετὰ τὸ βιῶσαι· ἄλλοι δὲ καὶ παρθενεύουσι. *Quidam eorum continent ſe à nuptijs, poſtquam vixerint ---- alij etiam virginitatem colunt.* Hic nihil eſt vnde colligi queat Doſitheanos vixiſſe aut vna vxore contentos, quum per iura Iudæorum plures habere ſimul liceret; aut vnis nuptijs. vnde igitur habet Baronius? Expreſſimus autem verba Epiphanij, cuius codicem deprauatum eſſe res clamat. Cornarius ita vertit: *continent ſe à nuptijs poſtquam in nuptijs vixerunt.* Legi ergo voluit, μετὰ τὸ βιῶσαι ἐν γάμῳ. dicam ingenue quod ſentio, frigida & inſipida mihi videtur hæc viri docti coniectura. Poteſt legi, μετὰ τὸ χηρῶσαι: vt poſitum ſit χηροῦν pro χηρεῦσαι, non ſine exemplo. Senſus erit: iſtos ſemel viduatos morte coniugum ſuarum, de cætero nuptijs abſtinere. Poteſt etiam legi, & quidem minore mutatione, μετὰ τὸ υἱῶσαι, *poſt liberos procreatos.* Amant Græci vocem γάμος vſurpare pro συνουσία. quare non errauerit fortaſſe, qui Epiphanij hanc eſſe dixerit ſententiam. Doſitheanos vxoribus vti tantum vt liberos quærant: nam apud Iudæos ſpecies quædam erat ignominiæ, non procreaſſe liberos. Vbi autem hac, vt appellat Ariſtoteles, λειτουργία eſſent defuncti, & liberos nacti, præſertim filios; ab omni Venere abſtinere. υἱοῦν antiqua vox & proba, pro υἱοθετεῖν adoptare in filium, apud Aelianum ſæpe, vt obſeruat Suidas. Sed non eſt alienum à genio dictionis Epiphanij, vt eam vocem pro liberos generare vſurparit. Mirus enim paſſim in hoc præſtantiſſimo ſcriptore ſe prodit purioris Helleniſmi contemptus. Vt cum p. 42. ἀφαντοῦσθαι verbum nouum fecit pro ἄφαντος γίνεσθαι. cum πατρὶς poſuit pro regione: qui eſt hodie quorundam qui ſe Latine loqui errore magno putant, Barbarus idiotiſmus. p. 51. ἐπὶ τὰς ἄλλας πατρίδας τὴν πορείαν στέλλεσθαι. & p. 54. ἐν ταύτῃ τῇ πατρίδι, φημὶ δὲ Ἀσίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Γαλατίᾳ πάνυ ἤκμασε. cum φορτοῦν pro *vexare.* p. 200. de Adamo & Eua, οὔτε κρύος αὐτοὺς ἐφόρτου: cum ἀνείκαστος pro *non congruens.* p. 207. νηός φόρτον ἀνείκαστον ἐμβεβλημένης. cum ἐξευδαρβοῦσθαι pro *vile reddere.* p. 215. ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία πάντοτε τὴν μετάνοιαν οὐκ ἐξευδαρβουμένη. *vim pœnitentiæ non extenuans.* cum τὴν ἐπάνω ἐστηκυῖαν κεκτῆσθαι p. 285. pro *ſuperiorem locum obtinere.* cum p. 190. ἠκέναι pro *veniſſe.* cum p. 226. πεφθάρθαι & πεφθαρμένος voces vſurpat. cum ab aoriſto Attico ἐξέωσα, format verbum inſolens ἐξεοῦν, p. 312. cum verbo numeri ſingularis iungit plurale fœmininum: quod in ſolis neutris eſt vſu receptum, in ſoluta præſertim oratione: nam

Pindari

Pindari licentiam non nescimus. p. 458. ὁρᾷς πῶς ἔχει αἱ τῆς ἀληθείας φρέσεις καὶ ἀκολουθίας. & id genus sexcenta, si Deus dabit, alibi nobis notanda. Ossenos mox Baronius diuersos facit ab Essenis, Epiphanium secutus, qui Ossenos (alibi Ossæos idem vocat) è Nabatæa, Ituræa & Moabitide ortos prodit, & nomen interpretatur διὰ τῆς ἐκδόσεως τοῦ ὀνόματος στιβαρὸν γένος, *firmum & robustum genus hominum*, à radice Chaldaica aut Syriaca עשן quæ idem significat atque Hebræorum עז Nos scimus Essenos per varias in Iudæa & circa Iudæam regiones fuisse dispersos: neque satis idoneam caussam videmus, quando antiquas memorias excutimus, cur Epiphanius Ossenos ab Essenis diuersos faciat. Sequuntur apud Baronium de Hemerobaptistis quę legerat ipse apud Epiphanium. Sed non obseruat ille, neque hoc loco, neque in anno Domini XXXIII. vbi iterum eadem repetit, absurditatem scripturæ in Græco hodierno codice, quem & interpres Cornarius est secutus. Scribitur sic: ἔφασκεν αὕτη ἡ αἵρεσις ἄλλως πως μὴ εἶναι ζῆν ἄνθρωπον, εἰ μή τι ἄρα καθ' ἑκάστην ἡμέραν βαπτίζοιτό τις ἐν ὕδατι. *Dicebat hæc hæresis, nullo modo viuere hominem posse, nisi quotidie se aliquis lauaret in aqua.* Etsi habuit hęc secta sectatores fatuos, deliros, stultos: non temere tamen aliquis mihi persuadeat, ita fuisse illos ab omni rationis vsu alienos, vt vel putarent, vel profiteri auderent, se putare neminem posse viuere, quin quotidie lauaret. non enim profectò cæteros mortales quibuscum viuebant mortuos putabant. quid multa? ex re ipsa & narratione Epiphanij apparet deesse vnam vocem, & scribendum, ἄλλως πῶς μὴ εἶναι ζῆν καθαρῶς ἄνθρωπον, *nullo modo viuere hominem posse pure.* vel, ἁγίως, *sanctè.* Hæc vera est Hemerobaptistarum sententia; ac proinde emendatio quoque vera. Lege sequentia Epiphanij; & nota in illis voces ἁγνισμὸς, καθαρίζεσθαι, & καθαρισμὸς ἁμαρτημάτων. Sed non prætermittam viri præstantissimi, Iohannis Ouerallі sententiam, quam in familiari colloquio mihi communicauit. Putat enim ille, si ζῆν accipiatur, vt sæpe in Scriptura, pro peruenire ad salutem, nulla opus fore emendatione. Quot modis accipiantur in Scripturis *Viuere & Vita*, lege apud Chrysostomum homilia III. in eam ad Philippenses.

X. *Indicatur error Baronij & aliorum, nimium tribuentium vaticinijs Sibyllarum, Hydaspis, Mercurij Trismegisti & similium. Falsa illa esse demonstratur, quia mysteria Christiana ante Christum fuerunt abscondita: quæ tamen planissime explicantur in libro Mercurij, & Sibyllinis: quia veteres Græci nihil horum cognorunt: quia solemne fuit primis Ecclesiæ temporibus bono fine falsos libros fingere: quia eiusmodi scripta cum primum prodierunt fuere plurimis suspecta. Officiosa mendacia. Clemens Alex. notatur.*

notatur. Paulus in rebus fidei non usus testibus profanis. Acrostichis Sibyllina. Eusebius notatur. Cicero & Virgilius an norint Christum. Probatur librum qui sub nomine Mercurij Trismegisti circumfertur, falsum esse. Scopus fingentium. Vis veritatis. Quis fuerit Mercurius Trismegistus, quando vixerit: quæ & quàm multa olim illi attributa & inuenta & scripta. Græcorum Excerpta è libris Hermetis: item versiones. Salaminiaca. Hermaica. Diexodica. Physica. *Galeni & Plutarchi loca, de libris iam olim falso Hermeti adscriptis. Hermetis & Mariæ* Chymica. Astrologica *Hermetis. Rerum argumentis probatur librum Mercurio tributum esse* ψευδεπίγραφον, *è Platone & Scripturis concinnatum. Philosophia vetus Ægyptiorum. Excutitur primus sermo. Pœmander dicitur Pastor, Lux, Verbum, Filius Dei. Mens.* ὁ αὐθεντίας νοῦς. θεαρχία. Νοῦς ὁμοούσιος *Creatori.* Λόγος Κυρίου. *Conditus mundi apud Mercurium è Mose. Loci emendati. Ideæ. Deus* ἀρρενόθηλυς. *Creatio hominis è Mose. Lapsus hominis.* Crescite & multiplicate. *Reparatio lapsus hominis. Imitatio locorum Iohannis.* ἄνοδος *pro morte.* αἱ δυνάμεις. θεοῦσθαι. κηρύσσειν. δυναμοῦσθαι. ἐξουσία ἀθανασίας. συνοδεύειν τῇ πλάνῃ. *item alia è Scripturis. Hymnus ad imitationem formularum sacræ Liturgiæ.* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *ter aut ter ter.* λογικὰς θυσίας πέμπειν. δεκτὴ θυσία. *In quarto sermone, imago Baptismi. nomen ipsum* βαπτίζεσθαι. παλιγγενεσία. τὰ ὑστερήματα ἀναπληροῦν. *Locus de Deo è Platone. Locus Iustini emendatus. An Deus habeat essentiam. Græca opinio, Nihil interire, sed mutari. Hippocratis locus illustratur.* ᾅδης & φάος. οὐσία & φύσις. Generalitas. Chaos. παραδιδόναι εἰς ἀλλοίωσιν: *pro mori.* ἀφανές. *Probatur idem è stylo & dictione, atque historijs obiter memoratis. Phidias. Eunomius Locrus. Pythicus agon. Librum Trismegisti, neque ab Hermete eo sermone potuisse scribi; neque ex Ægyptio esse versum. Voces antiquis Græcis ignotæ,* αὐθεντία, ἀρχοντικὴ περιφάνεια, ὑλότης, οὐσιότης. *Etymologiæ vocum Græcarum apud Trism. Mores Græcanici. Xenophontis imitatio.*

APPARAT. Num. XVIII.

DIsseruit antea Cardinalis Baronius super vaticinijs de venturo Christo, veteri Testamento comprehensis: nunc de oraculis eodem spectantibus, quæ apud Gentes fuerunt edita, sermonem instituit. *Consilium Dei fuit*, inquit, *vt longe ante Christi aduentum, tantæ rei sacramentum Iudæis atque Gentilibus innotesceret.* Profert deinde vates Gentilium, per quos de his quæ ventura erant voluit ipsos Deus præmoneri, Mercurium Trismegistum, Hydaspem, atque Sibyllas. Hydaspis præter illa pauca, quæ ex illo afferunt Iustinus, (cui Hystaspes dicitur)

dicitur) Clemens, Lactantius, & si qui alij eius meminerunt, nihil extat hodie. De Mercurio Trismegisto & Sibyllinis oraculis quæ hodieque leguntur, negari non potest, in illis capita religionis non pauca, putà, de vno Deo, de sacrosancta Trinitate, de Verbo Filio Dei, per quem mundus fuit conditus, de nasciturо Christo è Virgine, de passione ipsius & cruce, de regeneratione per baptismum in vitam æternam, de futuro iudicio, & item alia, sic clare & perspicuis verbis inueniri exposita; vt vix ac ne vix quidem simile quid è tota Lege Mosis & Prophetis possit afferri. Ego vero suspicionem meam hoc loco dissimulare non possum. Nam equidem ingenue profiteor, omnia huius generis siue oracula, siue enuntiata, quo apertiora sunt, eo fieri mihi suspectiora. Moueor rationibus ijs, quas hic breuiter exponam. Iudicium esto penes Ecclesiam Dei, & intelligentes harum literarum viros. Ante omnia mouet illud me ; quod verbo Dei contrarium videtur, existimare, tam profunda mysteria Gentibus fuisse clarius proposita, quàm illi populo quem Deus Opt. Max. vt peculiariter suum dilexit, & suamet ipsius & fidelium suorum seruorum voce erudijt. Nisi quis forte dicat, Gentium vates, instar asinæ Balaami, ea dixisse quæ non intelligebant, (quod & Daniel, vir ille desideriorum, sibi aliquando accidisse commemorat, XII. 9.) non in præsentem vsum, sed vt seculis post futuris illa prodessent, & post rerum euentum partim æternæ prouidentiæ testimonium exhiberent ; partim ad Paganorum auctoritatem reuincendam valerent, vt docet B. Augustinus contra Faustum, libro XIII. cap. XV. Nam alioqui scimus quam exiles scintillæ veritatis priscis temporibus populo Iudaico illuxerint. Tota enim Lex per obscuros rerum futurarum typos ad Christum Iudæos deducebat, pædagogi instar, vt Paulus ait ad Galatas, III. 24. Itaq; idem Apostolus tempora ante Christum appellat χρόνους ἀγνοίας, *tempora ignorantiæ*, Actor. XVII. 30. sæpéque repetit, doctrinam de salute humani generis ante Christi incarnationem, fuisse *mysterium, quod absconditum à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius.* Coloss. I. 26. sic Ro. XVI. 25. *secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti.* & Ephes. III. 9. μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ. Hæc sacræ Scripturæ testimonia & his similia, quî stare possunt, si verum est, pleráque, & ea quidem præcipua doctrinæ Christianæ mysteria, etiam ante Mosem Gentibus fuisse proposita ? Nam Mercurium Trismegistum ante Mosem vixisse, siquidem certa sunt quæ de eo traduntur, nullum est dubium. Quare etiam auctor ille qui vel est, vel vult videri Trismegistus, postquam in sermone primo de creatione mundi & hominum, suo more disseruisset, de lapsu primorum

rum parentum, & via ad ſalutem poſt lapſum primis parentibus indicata; profiteri non dubitat myſterium ſe pandere mortalibus, quod ad eam diem fuiſſet occultatum: τοῦτό ἐστιν, ait, τὸ κεκρυμμένον μυστήριον μέχρι τῆσδε τῆς ἡμέρας. Quum igitur de baptiſmi inſtitutione palàm egerit idem, ſermone quarto, vt mox docebimus; quum etiam τὸν Λόγον Filium Dei eiuſdem cum Patre naturæ eſſe declarauerit, ſacrâ etiam Eccleſiæ voce ὁμοούσιον appellans; alia item non pauca tradiderit, quæ in Nouo Teſtamento longo adeo tempore poſt ſcripto, vt quidem iſti volunt, iiſdem ſæpe verbis expreſſa habentur: ſequetur, multo ante quàm per Moſem lex populo Dei traderetur, doctrinæ Euangelicæ pleraque capita Aegyptiis hominibus fuiſſe patefacta. Idem & de oraculis Sibyllinis dicendum, quæ IESVM CHRISTVM ſine ambagibus, aut ænigmatis, ipſo etiam nomine indicant, facta illius narrant, Iohannem Baptiſtam denuntiant venturum, & præconium illius, quale in Euangeliis habetur, commemorant. Quid? tam clarámne lucem Gentibus affulſiſſe, cùm adhuc populus ille περιούσιος in tam denſis tenebris iacebat? Me verò vt illud Epicharmeum vſurpem, Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν; etiam illud impellit, quod apud Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, & tot alios è Paganis curioſiſſimos omnium diſciplinarum ſcrutatores, eorum quæ hodie apud Mercurium iſtum aut Sibyllas miramur, nullum penitus extat veſtigium. Poſtremo illud quoque me vehementer mouet; quod videam primis Eccleſiæ temporibus quàm plurimos extitiſſe, qui facinus palmarium iudicabant, cœleſtem veritatem figmentis ſuis ire adiutum: quo facilius videlicet noua doctrina à Gentium ſapientibus admitteretur. Officioſa hæc mendacia vocabant, bono fine excogitata. Quo ex fonte dubio procul ſunt orti libri ſexcenti, quos illa ætas & proxima viderunt, ab hominibus minime malis, (nam de hæreticorum libris non loquimur:) ſub nomine etiam Domini Ieſu & Apoſtolorum aliorumque ſanctorum publicatos. quoſdam eius farinæ antea commemorauimus; ſed ibi nominatis alii prope infiniti poſſunt adiici. plurimos enumerat Gelaſius Papa in decreto ſuo & Romani Concilii, cuius antè meminimus. Quemadmodum autem iſtorum factum non poſſumus non grauiſſime reprehendere; ita iudicia illorum Patrum ſatis mirari non poſſumus, qui eiuſmodi ſcripta tanta facilitate receperunt, & ad fulciendam cœleſtis veritatis auctoritatem teſtimonia ex illis proferre non dubitarunt. Quis ignorat Iuſtinum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum & alios Patres, libros ſæpe laudare, quos iam nemo vel mediocriter ſtudiis Theologicis imbutus, dubitat Apocryphos fuiſſe, & quidem notæ aliquando non optimæ,

ac proinde iure optimo à Papa Gelaſio & Concilio Ro. poſtea eſſe damnatos ? Sed tempore opus erat, vt fraus detegeretur. Refero in hunc cenſum illa oracula Sibyllina, de quibus dixi. Nam quod Clemens Alexandrinus Paulum ipſum inducit, Græcos reijcientem ad libros Sibyllinos, & ad Hydaſpis oracula, vt de filio Dei veritatem inde hauriant ; traditio ea eſt, nulla fide digna. neque Baronio aſſentior illi narratiunculæ fidem eo argumento adſtruenti, quod etiam in ſcriptis Pauli Græci poetæ reperiantur laudati. Nam vbi de fide & doctrina cœlitus reuelata agitur, nunquam humanis teſtimonijs Apoſtolus vtitur. Euſebij diſputatio in vita Conſtantini ſuper vaticinijs Sibyllarum de Chriſto, non valde eum mouebit, qui ſingula cum iudicio expenderit. Cui enim perſuadebit Euſebius, illam acroſtichidem, quæ Ieſu Chriſti nomen præfert, viſam Ciceroni fuiſſe, & in ſuos libros tranſlatam ? aut quis illi aſſentietur, mortem Chriſti & paſſionem Virgilio fuiſſe probe notam ? niſi putamus homini Pagano, idolis ſeruienti, ante aduentum Chriſti fuiſſe reuelatum myſterium, quod diſcipulis ipſis Seruatoris noſtri, qui tertium iam annum illi operam dederant, inſtitutique ab ipſo fuerant, paucis diebus ante Domini mortem erat occultum & ignotum. Quod autem ait Euſebius, τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν, *pleroſque mortalium reÿcere teſtimonia Sibyllarum in cauſſa fidei*; non de Paganis ſolum accipi debet, ſed etiam de Chriſtianis viris eruditis & iudicij limatioris, quibus de fraude ſubolebat. Veriſſimè B. Auguſtinus, De ciuitate Dei, lib. XVIII. cap. XLVII. *Quæcunque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Ieſum gratia proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe confictæ. Ideo nihil eſt firmius ad conuincendos quoſlibet alienos, ſi de hac re contenderint, noſtroſque fulciendos, ſi recte ſapuerint, quàm vt diuina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Iudæorum ſcripta ſunt codicibus.* addit prudentiſſime : Iudæos propter hoc teſtimonium de ſedibus ſuis auulſos toto orbe fuiſſe diſperſos. Scio Origenem contra Celſum qui hoc nomine Chriſtianos acriter ſuggillabat, ad vetuſta exemplaria prouocare ; in quibus inueniantur. neque nos ſane negamus, multa diuinitus potuiſſe dici à Paganorum vatibus, non minus quàm ab aſina Balaami : illa tantum reijcimus, quæ arcana religionis noſtræ apertius explicant, quàm factum ſit vnquam à Dei prophetis. Scimus alioquin Auguſtini illo ipſo loco verba eſſe hæc : *Non incongrue creditur, fuiſſe & in alÿs gentibus homines, quibus hoc myſterium reuelatum eſt*, (nempe in genere & obſcure) *& qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt.* Quemadmodum autem multa fuiſſe inſerta carminibus Sibyllinis exiſtimamus, ad veritatis Chriſtianæ confirmationem : ita librum integrum, qui ſub nomine Mercurij Triſmegiſti circumferri

cumferri

cumferri ab aliquot seculis cepit, non veremur pronuntiare, & omni asseueratione confirmare, esse ψευδεπίγραφον: vtpote qui sit Christiani alicuius, vel vt dicam melius, semichristiani merum figmentum. Neque vero dubitamus id egisse auctorem, vt multa pietatis Christianæ dogmata, quæ ceu noua & prius inaudita reijciebantur, probaret ab vltima antiquitate sapientibus fuisse nota; & ab illo ipso Mercurio in literas fuisse relata, quem non solum Ægyptij, sed etiam Græci propter vetustatem & doctrinæ opinionem magnopere suspiciebant. Laudo propositum: consilium vehementer improbo, & toto pectore detestor. Facit enim Veritati iniuriam, qui falsi patrocinio, hoc est, ope Diaboli putat illam habere opus. Veritatem in rebus humanis & historia obrui nulla arte posse, nulla mortalium conspiratione, fidenter pronuntiat Polybius, magnus quidem scriptor; sed tamen Paganus. Nos erimus adeo ὀλιγόπιστοι, imò erga DEVM immortalem tam insigniter iniurij, vt veritatem ab ipso manantem, & ipsum illius verbum, de quo dictum est, cœlum & terra præteribunt; sed verbum Dei manet in æternum; nisi mendacio fulciatur, periclitari putemus? חלילה חלילה Absit, inquam, à pijs animis tanta amentia. Porrò quis fuerit hic Mercurius, aut quando vixerit, omitto hic quærere. Constat literarum & omnium scientiarum inuentionem ad istum referri solitam. Plato literas ait inuenisse, μνήμης καὶ σοφίας φάρμακον, in Phędro & Philebo. Cicero in III. de natura Deorum, *Ægypto præfuisse atque Ægyptijs leges & literas tradidisse.* Diodorus Siculus in primo, docuisse Græcos τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν, rationem explicandi sensa animi; ac propterea ἑρμῆν ab illis dictum. Iamblichus in primo de mysterijs auctor est, *Ægyptios scriptores, putantes omnia inuenta esse à Mercurio, suos libros Mercurio inscripsisse.* & sub finem eius libelli refert idem, scripsisse Mercurium, (hoc est, scripta sub nomine Mercurij extitisse) voluminum vigintiquinque millia: vel etiam auctore Menestheo, triginta sex millia quingenta & vigintiquinque. Ostendit vero Iamblichus librorum Mercurialium particulas, à Græcis Philosophis in Græcum sermonem fuisse translatas. eiusmodi fuerunt, quæ ipse SALAMINIACA nominat: *proinde*, inquit, *dogmata quæ in Salaminiacis sunt, breuißimam partem Mercurialium ordinationum continent.* Fuerint fortasse hi libri, quos B. Cyrillus in primo contra Iulianum Athenis docet fuisse compositos è Mercurialibus, & cum hoc indice publicatos, HERMAICORVM libri XV. nam Salamin est contra Eleusina, paruo interuallo ab Eleusine & Athenis seiuncta. Idem Cyrillus libro II. contra Iulianum laudat Hermetis ΔΙΕΞΟΔΙΚΑ in plures diuisa sermones; meminit & cuiusdam sermonis ad Asclepium: item alterius, cuius inscriptio,

Ἑρμῆς

Ἑρμῆς πρὸς τὸν ἴδιον υἱόν: quæ omnia magnam affinitatem habent cum libro qui extat hodie, vt tituli oſtendunt, & quæ ex illis deſcribit Cyrillus. At longe diuerſi erant argumenti quorum meminit Clemens in ſexto Centone: vbi dicit, multa quidem & alia ſcripſiſſe Mercurium; ſed præcipuos illius libros fuiſſe numero XLII. quorum toti XXXVI. vniuerſam Ægyptiorum philoſophiam continebant: ſex reliquos ad artem medicam pertinuiſſe. ΕΡΜΟΥ ΦΥΣΙΚΑ inuenio in Chronico Græco Euſebij; quod opus idem fortaſſe fuerit cum illis ſex libris Clementis. Meminit & Galenus in ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, librorum Mercurij Aegyptij, ad rem medicam & ὕλην ἰατρικὴν ſpectantium. Sic ille in Pamphili botanici reprehenſione. βοτάνης μέμνηται, ὥς αὐτός φησιν, ἀετοῦ. περὶ ἧς ὁμολογεῖ μηδένα τῶν Ἑλλήνων εἰρηκέναι μηδέν. ἀλλ' ἔν τινι τῶν εἰς Ἑρμῆν τὸν Αἰγύπτιον ἀναφερομένων βιβλίων, ἐγγεγράφθαι, περιέχοντι τὰς λϛ τῶν ὡροσκόπων βοτάνας· ἃς εὔδηλον ὅτι λῆροί εἰσι καὶ πλάσματα τοῦ συνθέντος. *Meminit plantæ, vt ipſe ait, Aquilæ: cuius fatetur ipſe neminem Græcorum vllam feciſſe mentionem: ſed in quodam libro ſcriptam extare, eorum qui ad Hermetem Ægyptium referuntur, continente* XXXVI. *plantas horoſcoporum: quas manifeſtum eſt, nugas eſſe, & eius qui librum compoſuit, figmentum.* Quo ex loco diſcimus, planos & circumforaneos nugiuendulos, vt pretium nugis ſuis conciliarent, de Mercurij Aegyptij nomine illas ſolitos eſſe inſcribere. Galenus vero quanti fecerit Mercuriales libros, qui inter Græcos circumferebantur, apparet, ex eo, quod nunquam illos legere ſit dignatus: quippe quum ea iudicaret eſſe, vt ait, figmenta è cerebris profecta eorum qui libros eiuſmodi componebant. Ne Plutarchus quidem Mercuriales libros pluris videtur feciſſe: quæ nunquam ipſum legiſſe, iſta arguunt verba, in libro de Iſide & Oſiride: ἐν ταῖς Ἑρμοῦ λεγομέναις βίβλοις ἱστοροῦσι γεγράφθαι περὶ τῶν ἱερῶν ὀνομάτων; *in libris quos vocant Mercurij, aiunt ſcriptum eſſe.* Extat in Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca liber Græcus hoc titulo, Ἱερὰ τέχνη, *Ars ſacra.* ſic dicitur ars χρυσοποιΐας, quæ aurum docet conficere: in eo codice varij auctores habentur, qui ante plura ſecula libros illo de argumento ſcripſerunt. Ibi igitur, non ſemel laudatum inueni Mercurium: tam verè procul dubio, quàm vere ibidem citantur Μαριὰμ καὶ αἱ Ἰουδαϊκαὶ γραφαί, *Mariam & ſcripta Iudaica.* Mariam autem eſt vel ſoror Moſis, vel glorioſiſſima Virgo Deipara. nam in Nouo Teſtamento, ſola ſic dicitur; quæuis reliquarum Μαρία. Sed & Aſtronomi diſciplinæ ſuæ auctorem prædicant Hermetem. & conſtat hodieque extare in eo argumento nonnulla ſub illo nomine. Poſtremò, quum omnes ſcientiæ atque diſciplinæ ab inuentione Mercurij Triſmegiſti Aegyptij crederentur profectæ; certatim omnes fere ſcrip-

tores

tores cunctarum scientiarum, aut gloriam illius celebrarunt, aut de eius nomine suis scriptis gratiam & famam quæsiuerunt. Quid igitur miramur, primis illis seculis nascentis Christianismi, quum tanta licentia libri falsis titulis inscripti quotidie fingerentur; extitisse aliquem sacris nostræ pietatis leuiter imbutum, qui hoc ipsum in scientia Theologiæ, & rebus fidei sibi putarit tentandum? Mihi hoc non adeo mirum videtur, vt mirari soleo eiusmodi scripta iam olim pro antiquis cepta esse haberi, & à nonnullis Patrum sic reperiri laudata, quasi essent verè illius antiquissimi Mercurij, siue Toth Aegyptij. Omnino huius generis sunt quæ hodie extant; è quibus excerptæ sententiæ, apud Iustinum, Augustinum, Lactantium, & alios reperiuntur. Sed & illa gemina his fuerunt, quorum meminit Cyrillus: nam vt ex ipsius testimonio constat, scopus eius qui illa finxerat, fuit, vt consensum Mercurij Aegyptij cum Mose in rebus sacris ostenderet. Nunc probemus certis argumentis, & vt loquitur Eusebius λευκοῖς ἐλέγχοις, librum qui hodie plerisque doctorum in delicijs & magno pretio est, tanquam verè Mercurij Trismegisti, ψευδεπίγραφον esse & merum πλάσμα. In examine libri alicuius duo spectari debent; ὁ πραγματικὸς τόπος, res ipsæ quibus de agitur; & ὁ λεκτικός, dictio, & quæcunque ad elocutionem pertinent. Nos igitur, quod ad prius, affirmamus, in eo libro contineri non Aegyptiacam Mercurij doctrinam; sed partim Græcam è Platonis & Platonicorum libris, & quidem persæpe ipsis eorũ verbis, depromptam: partim Christianam è libris sacris petitam. Quodnã philosophię genus in vsu olim fuerit apud veteres Ægyptios è libris Eusebij De præparatione Euangelica, & è loco eximio apud Origenẽ contra Celsum lib. VIII. & alijs priscis scriptoribus potest intelligi. At Pseudomercurij huius diuersa est genere toto philosophandi ratio: & res enim & verba scholam Platonis sapiunt; ijs dumtaxat exceptis, quæ miscet è libris diuinis. Ne temere videamur tot doctorum opinioni contraire, paucis demonstremus quod dicimus. Primo sermone narrat Mercurius, quæ edoctus fuerat à Pœmandro super natura rerum & creatione mundi. Pœmander hic siue Pastor, Christus est, qui apud Iohannem ait, ἐγώ εἰμι ὁ Ποιμὴν ὁ καλός. illi igitur tribuit partes erudiendi homines in veritate. Ait Pœmander de se: Τὸ φῶς ἐκεῖνο ἐγώ, νοῦς, ὁ σὸς θεός, ὁ πρὸ φύσεως ὑγρᾶς τῆς ἐκ σκότους φανείσης· ὁ δὲ ἐκ νοὸς φωτεινὸς λόγος, υἱὸς Θεοῦ. *Ego sum lux illa, Mens, Deus tuus; qui eram ante naturam humidam* (aquas) *quæ ex illis tenebris* primò *eruperunt*: (hoc est, ante mundi conditum) è *Mente procedens, verbum luminosum, filius Dei.* Non puto esse aliquem vere Christianum, qui opus habeat moneri, quo ex fonte ista sint deriuata. de nonnullis tantum admonebimus.

nebimus. Ego, ait Pœmander, ſum lux, τὸ φῶς. Chriſtus de ſe Iohannis VIII. 12. ἐγώ εἰμι τὸ φῶς. & Iohannes ipſe vocat Chriſtum τὸ φῶς, cap. pr. 4.5.8.9. Deus quoque dicitur habitare lumen inacceſſum, 1. Timoth. VI. 16. φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον. Cùm ait Pœmander ſe eſſe lucem, quæ exiſtebat antequam è tenebris aquæ ſepararentur; alludere videtur ad dictum Iohannis initio, καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει. ſed ſenſus tamen eſt diuerſus. quare illa potius loca reſpicit, quibus aſſeritur æternitas Filij Dei ante iacta mundi fundamenta. quid dicemus de illis? Λόγος υἱὸς θεοῦ? an ille caſcus Ægyptius Moſe antiquior, notum habuit Verbum Dei Filium? Quod autem ſe Pœmander vocat Mentem & ex Mente ſe ait procedere, è Platonis ſchola eſt, vbi frequens mentio eius vocis; quam primus Anaxagoras ad mundi conditum quum adhibuiſſet, dixiſſetque; Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα Νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. *Erant res omnes ſimul: deinde Mens venit & illas in ordinem digeſſit*, magna in admiratione fuit; οἷς γὰρ νήφων ἐφάνη παρ᾽ εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον, ait Philoſophus in primo Metaphyſico maiore. ergo etiam Platoni in Timæo & alibi Mens pro Deo ponitur: qui etiam ibi dicitur, ἡ πάντα διακοσμοῦσα αἰτία, *cauſſa omnia ordinans*, ipſo verbo Anaxagoræ. Initio ſermonis Pœmander de ſe, Εἰμὶ ὁ αὐθεντίας νοῦς, *Ego ſum ſupremæ poteſtatis Mens*, alludit ad loca Platonis in Timæo, vbi Mens, id eſt Deus, dicitur αὐτοκράτωρ, *qui plenum habet imperium*; & οὐρανοῦ τε καὶ γῆς βασιλεύς, *Rex cœli & terræ*. Αὐθεντία ſtatuitur ſupra Mentem; vt apud ſcriptorem Platonicum Dionyſium De diuinis nominibus, θεαρχία: vt cum ſcribit, τὸ ὑπὲρ νοῦν καὶ οὐσίαν τῆς θεαρχίας κρύφιον. In hymnis Syneſij celebratur & ἡ αὐτόσσυτος ἀρχά, & Νόος ὁ καταιβάτας ἐς ὕλαν. ſunt autem iſta omnia Chriſtianorum πλατωνιζόντων ænigmata de Deo Patre & Filio. Cùm Pœmander & Mentem ſeſe appellat, & ex Mente ſe ait ortum: eſſentiæ identitatem in Patre & Filio obſcure innuit. Non eſt quærendus longe interpres: ſequitur enim non multo poſt; ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἡνώθη τῷ δημιουργῷ Νῷ· ὁμοούσιος γὰρ ἦν. *Dei verbum vnitum eſt cum Mente fabricatrice mundi: erat enim illius coeſſentialis.* quid iſtis clarius? aut quo luculentiore teſtimonio poteſt demonſtrari, myſteria doctrinæ Chriſtianæ ſcriptori huius libri fuiſſe cognita? Quare ſi hunc dialogum Pſeudotriſmegiſti legerant Patres, cauſſa dici non poteſt, quin magna ſint vſi incuria, cum non animaduerterunt ab alio quàm ab homine Chriſtiano, vel certe verſato in libris ſacris & Patrum, proficiſci iſta non potuiſſe. Imprimis digna obſeruatione vox ὁμοούσιος illa ætate. Nam quia Iuſtinus in extrema cohortatione ad Græcos Mercurij huius meminit, & quædam ex hoc libro profert; ſequitur ex eo, vixiſſe patrem huius ſcripti, non multo poſt tempora Apoſtolorum.

Quare paris antiquitatis Patrem nullum possumus nominare, qui vocem ὁμοούσιος de Personis Trinitatis vsurparit. Itaque B. Athanasius in epistolà ad Africanos, & alibi quoque, vt probet etiam ante Concilium Nicenum pijs Patribus id verbi & cognitum fuisse & vsurpatum, Dionysios duos nominat, alterum Romæ, alterum Alexandriæ Episcopos, & Theognostum veterem Theologum. Si tam aperte vbique Christianum egisset Pseudomercurius, latere non potuisset: quod ille tamen voluit. Notabis etiam illa verba, Λόγος Κυρίου, ὁ δὲ Νοῦς πατὴρ Θεός. Mundi conditus initio huius sermonis primi adhibita imagine explicatur, quæ rem ipsam ob oculos ponat: in quo manifesta est & putida visionum propheticarum imitatio. Pœmander formam mutat: Mercurius luce quadam admirabili illustratur. Sequitur imago conditus mundi. *Tenebræ*, ait, *factæ sunt terribiles horrendæque, quasi in spiras obliquas collectæ, ex quibus humida natura est orta.* Legendum enim, φοβερόν τε καὶ στυγνὸν σκολιῶς ἐσπειραμένον, non σκολιῶς πεπειραμένον: quod ineptum est. vt & illud paullo ante, φησὶν, ἔμε πάλιν ἔχε νῷ σῷ. Scribe, φησὶν ἐμοὶ πάλιν· ἔχε νῷ σῷ ὅσα θέλεις μαθεῖν. *Dixit mihi iterum; concipe animo & serua quæcunque vis discere.* Istæ tenebræ quæ antecedunt κτίσιν mundi, è Genesi Mosis sunt acceptæ, initio libri. ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος καὶ σκότος ἐπέκειτο ἐπάνω τῆς ἀβύσσου. vnde etiam sunt ista sermone tertio, vbi iterum de principio rerum agitur: ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ καὶ ὕδωρ. & statim chaos ibi describitur sic; ἀδιορίστων δὲ ὄντων ἁπάντων καὶ ἀκατασκευάστων. quæ fere est interpretatio LXX. Seniorum, verborum Mosis *Tohu & Bohu* initio Geneseos. Pergit Pseudohermes in primo; λόγος ἅγιος ἐπέβη τῇ φύσει. *Verbum sanctum superuenit naturæ.* & mox: γῆ δὲ καὶ ὕδωρ κινούμενα ἦν, διὰ τὸν ἐπιφερόμενον πνευματικὸν λόγον εἰς ἀκοήν. *Tellus & aqua mouebantur, propter Verbum Spirituale, quod desuper ferebatur, vt audiri posset.* Palàm imitatur verba Mosis; καὶ πνεῦμα Θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος. *Spiritus Dei ferebatur super aquis.* ipsum verbum retinuit ἐπιφέρεσθαι, quo expresserunt Græci τὸ מרחפת Hinc etiam illa in sermone quarto, καὶ πνεῦμα λεπτὸν νοερὸν δυνάμει θείᾳ ὄντα ἐν χάει. Erant, ait, tenebræ & Spiritus tenuis, intellectualis, vi diuina manentes in ipso Chao. Atque hic obiter notabis, quomodo hic auctor intellexerit verba Mosis, רוח אלהים per quæ saniores Theologi Spiritum Sanctum, tertiam S. Trinitatis personam volunt designari. Sequitur non longe: εἶδες ἐν τῷ νῷ τὸ ἀρχέτυπον εἶδος, τὸ προάρχον τῆς ἀρχῆς, τῆς ἀπεράντου. *Vidisti in mente ideam primitiuam, quæ extitit ante principium infinitum.* Platonica hæc doctrina est de ideis, in Dei mente præexistentibus. res nota: nec minus quæ sequuntur de mundi fabrica ad existentis in Deo ideæ imitationem. Cùm statim ait, ὁ Θεὸς ἀρρενόθηλυς ὤν, *Deus est masculo-*

 fœminus,

fœminus, reuocat in mentem mihi, Valentini æones apud Epiphanium, quos ipſe appellabat eadem voce, tanquam ex vtroque ſexu mixtos. Ego non dubito cæteris Platonicorum ſpeculationibus hanc eſſe accenſendam. Itaque mellitiſſimus Platonicorum Syneſius ab ea non abſtinuit, qui in hymno tertio ita canit de Deo : Σπέρμα σὺ πάντων, Ῥίζα δὲ ὄρπαξ, Φύσις ἐν νοεροῖς, Θῆλυ καὶ ἄρρεν. contra apud Irenæum lib. primo, cap. x. ὁ ἀνεννόητος, καὶ ἀνούσιος, ὁ μήτε ἄρρεν, μήτε θῆλυ. Huc pertinet quod nonnulli veterum obſeruant, quia nullus in Deo ſexus, propterea Spiritum Sanctum, quæ eſt tertia S. Trinitatis perſona, Hebraice fœminino genere dici : Latine, maſculino : Græce, neutro. cuius obſeruationis meminit & Pſeudohieronymus De aſſumptione B. Mariæ. At paullo poſt cum ait, primos homines fuiſſe conditos ἀρρενοθηλέας, ad androgynos de quibus Plato in Sympoſio, credo, reſpexit. Sequitur creatio animalium, & poſt cætera animalia, hominis : qui locus Moſis imitatione conſtat. de homine ait ; ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ Νοῦς, ὢν ζωὴ καὶ φῶς ἀπεκύησεν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον. οὗ ἠράσθη, ὡς ἰδίου τόκου. περικαλλὴς γὰρ, τὴν τοῦ πατρὸς εἰκόνα ἔχων. *Mens, communis omnium parens, vita & lumen, hominem generauit, ſibi ſimilem : quem adamauit, vt proprium fœtum : erat enim homo perpulcher ; vt qui Patris imago eſſet.* Moſes : *Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem.* De amore Dei erga homines, multa afferri poſſent è Scripturis : ſed excellit locus Iohannis III. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Sequens diſputatio de amiſſa ab hominibus felicitate, in qua primo creati fuerant, Platonicorum ineptijs mire eſt inuoluta, neque eſt operæpretium illa myſteria euoluere : non enim id agimus. Duplex, inquit, propterea factus eſt homo ; mortalis propter corpus : immortalis, διὰ τὸν οὐσιώδη ἄνθρωπον : *propter hominem ipſum ſubſtantialem.* ἀθάνατος γὰρ ὤν, καὶ πάντων τὴν ἐξουσίαν ἔχων, τὰ θνητὰ πάσχει, ὑποκείμενα (ſcribe, ὑποκείμενος : ſed Ficinus aliter totam periodum legit :) τῇ εἱμαρμένῃ. ὑπεράνω οὖν ὢν τῆς ἁρμονίας, ἐναρμόνιος γέγονε δοῦλος. *Nam quum eſſet immortalis, & omnium rerum poteſtatem habens,* (hoc ſæpius dicit, ſumens è poſtremis verſibus capitis primi Geneſeos) *mortalia patitur, factus obnoxius fato. Igitur, qui prius erat ſupra harmoniam* (legem fati) *euaſit ſeruus & harmonia tenetur.* Hæc Pſeudomercurius de amiſſo priore ſtatu. quæ vbi dixiſſet, ſubijcit, hoc illud eſſe myſterium, quod hactenus latuiſſet occultatum ; loca illa Apoſtoli imitans, quæ initio huius diatribæ attulimus. Lapſum hominis ſequitur diuiſio androgynorum in duo corpora, marem & fœminam : quam inſulſiſſimam fabulam, è Platonis Sympoſio, vt dicebam, videtur tranſſcripſiſſe. Tunc creaturæ primò præceptum accipiunt, vt creſcant & multiplicentur. Verba

impoſtoris

impostoris sunt: αὐξάνεσθε ἐν αὐξήσει, καὶ πληθύνεσθε ἐν πλήθει πάντα τὰ κτίσματά μου καὶ τὰ δημιουργήματα. *Vos omnes creaturæ & opera mea crescite incremento, & multiplicamini multitudine.* sunt ipsa Mosis verba in versione τῶν Septuaginta; αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε, καὶ πληρώσατε τὴν γῆν. Notus est & locus Platonis in Timæo: Τὸ λοιπὸν ὑμεῖς ἀθανάτῳ θνητὸν προσυφαίνοντες, ἀπεργάζεσθε ζῶα, καὶ γεννᾶτε τροφήν τε διδόντες αὐξάνετε, καὶ φθίνοντα πάλιν δέχεσθε. Sed, vt dixi, Pseudomercurius ipsa Mosis verba apud Seniores retinuit: quod etiam alibi planissime fecit, de creatione mundi disserens. B. enim Cyrillus libro altero contra Iulianum, hæc profert è Mercurij Trismegisti Διεξοδικῶν sermone primo: *Omnium Dominus statim dixit, suo sancto & mentali, & vim condendi habente Verbo: Sit sol, & simul apparuit ignis, qui natura sursum fertur.* Vidimus conditum hominis, vidimus lapsum: videamus iam quæ philosophatur hic planus de reparatione lapsus. Dicit quosdam homines habere mentem, quosdam carere. monet τοὺς ἔννους, mente præditos, vt originem suam diligenter recognoscant: cogitent assidue se propter illicitum amorem statum priorem amisisse: quod si pie, caste, & sancte vitam instituant, se (Pœmander loquitur; quem diximus esse Christum:) illis adfuturum, & sua præsentia eos adiuturum, vt nacti plenam cognitionem Patri concilientur, atque illum semper deinceps laudent. Verba illius reddam: Ἀναγνωρισάτω ὁ ἔννοος ἑαυτὸν ὄντα ἀθάνατον, καὶ τὸν αἴτιον τοῦ θανάτου ἔρωτα, καὶ πάντα τὰ ὄντα. mox: ὁ ἀναγνωρίσας ἑαυτὸν ἐλήλυθεν εἰς τὸ περιούσιον ἀγαθόν. ὁ δὲ ἀγαπήσας τὸ ἐκ πλάνης ἔρωτος σῶμα, οὗτος μένει ἐν τῷ σκότει πλανώμενος, αἰσθητῶς πάσχων τὰ τοῦ θανάτου. *Qui amat, inquit, corpus suum natum ex errore amoris, hic sensibiliter patiens mala mortis, manet in tenebris.* agnoscet hic peritus Lector phrasim Scripturæ, μένειν ἐν τῇ σκοτίᾳ, de ijs, qui non perueniunt ad salutem; Iohan. XII. 46. Sic quum legisset Domini nostri verba, Iohan. XIV. 6. *Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me*: diuinam sententiam suis nugis inseruit: sed mutatis signis, quod fieri solet à furibus. Facit Pœmandrum interrogatum πῶς εἰς ζωὴν χωρήσω, *quomodo possum ego homo redire ad vitam?* sic respondere: ὁ ἔννους ἄνθρωπος ἀναγνωρισάτω ἑαυτόν. οὐ πάντες γὰρ ἄνθρωποι νοῦν ἔχουσι. παραγίνομαι ἐγὼ ὁ Νοῦς τοῖς ὁσίοις καὶ ἀγαθοῖς καὶ ἐλεήμοσι, τοῖς εὐσεβῶς βιοῦσι· καὶ ἡ παρουσία μου γίνεται βοήθεια, καὶ εὐθὺς τὰ πάντα γνωρίζουσι, καὶ τὸν Πατέρα ἱλάσκονται ἀγαπητικῶς. quorum verborum sententiam paullo ante protuli. Post hæc multis disputat Pœmander, se ab improbæ vitæ hominibus discedere, & τῷ τιμωρῷ ἐκχωρῆσαι δαίμονι, *cedere loco Diabolo*, quem vocat vindicem dæmonem & scelerum vltorem. Platonicus Synesius epistola LVII. vocat maleficas virtutes supplicijs exigendis à diuina prouidentia prefectas: Αἱ κακοποιοὶ, inquit, δυνάμεις ἐν κόσμῳ, συμπληροῦσι μὲν τῇ χρείᾳ τῆς

 προνοίας

παρανοίας· κολάζουσι γὰρ τοὺς ἀξίους κολάζεσθαι. multa ibi de illis philosophatur. Transit deinde Mercurius noster ad sermonem de morte, quam vocat ἄνοδον, *reuersionem ad loca superiora*; voce Platonicis familiari. Ait autem, eos qui bene vixerint, post mortem ascendere ad Patrem, & ab illo collocari inter τὰς δυνάμεις: sic enim appellat cum Scriptura quas Peripatetici & Academici vocant intelligentias: Theologi spirituales substantias; inter quas sunt quæ proprie dicuntur Δυνάμεις, Virtutes, Paulo Rom. VIII. 38. & sæpe in Sacris literis. Atque hoc appellat auctor iste θεωθῆναι, *fieri Deum*: quæ vox familiaris est pijs Patribus de hominibus pijs; sed alio sensu: qua de re multa alio loco, σὺν θεῷ dicturi sumus. apud Dionysiũ quem vocant Areopagitam, frequens est vocis huius vsurpatio: & aliquando non multo aliter quàm hîc. Sic autem iste: δυνάμεις γινόμενοι ἐν Θεῷ γίνονται. τοῦτό ἐστι τὸ ἀγαθὸν τέλος τοῖς γνῶσιν ἐσχηκόσι θεωθῆναι. & ita sæpe alibi, vt p. 21. p. 25. item 48. & 49. sed vide initium sermonis XII. Hæc quum edoctus fuisset Mercurius à Pœmandro, eadem alios docere statim cepit: ἦργμαι, ait, κηρύσσειν τοῖς ἀνθρώποις τὸ τῆς εὐσεβείας καὶ τῆς γνώσεως κάλλος: *incepi prædicare hominibus gloriam pietatis & cognitionis.* vox κηρύσσειν desumpta est ex Euangelio; vt illa, ὑπ' αὐτοῦ δυναμωθεὶς è Paulo. Sic in concione quam subijcit, ἔχοντες ἐξουσίαν ἀθανασίας, *habentes potestatem, vt fiatis immortales.* ex istis Iohannis I. 12. ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. Ibidem συνοδεύειν τῇ πλάνῃ, idem quod apud Petrum ἐν πλάνῃ ἀναστρέφεσθαι. & cum finita concione ait, οἱ μὲν αὐτῶν καταφλυαρήσαντες ἀπέστησαν, τῇ τοῦ θανάτου ὁδῷ ἑαυτοὺς ἐκδεδωκότες. *audientium alij subsannantes abscesserunt; illi nempe, qui viæ mortis sese dediderant,* imitatur Lucam Actorum XVII. 32. & vt in Actis dicuntur pij suas pecunias iecisse ad pedes Apostolorum: sic iste, quosdam audita concione proiecisse se ad pedes suos, petentes vt docerentur. οἱ δὲ παρεκάλουν διδαχθῆναι ἑαυτούς, παρὰ ποδῶν μου ῥίψαντες. Clauditur sermo primus hymno, quem canit Mercurius Deo. vbi formulæ vsurpantur propriæ Ecclesiæ, ἅγιος ὁ Θεός, & εὐλογητὸς εἶ πάτερ, è Scriptura notæ & antiquis Liturgijs. Quod autem nouies illa repetuntur, ἅγιος ὁ Θεός, mysterio non caret. Nam in veteri Ecclesia illa formula δοξολογίας, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ex Isaiæ VI. 3. vel semel vsurpabatur, vel ter: & vox Sanctus, vel ter iterabatur, vel ter ter. de quo notatu digna sunt verba Damasceni in libro De Trisagio: ἐπειδὴ τὸν Τρισάγιον ὕμνον ἐν ταῖς συνήθεσιν εὐχαῖς τρίτον φαμὲν, ἄξιον καὶ περὶ τούτου διαλαβεῖν· ὅτι οὐχ ἅπαξ τῷ Πατρί, καὶ ἅπαξ τῷ Υἱῷ, καὶ ἅπαξ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι τὸν Τρισάγιον ὕμνον προσάγομεν· ἀλλὰ κοινῶς τῇ ἁγίᾳ Τριάδι τὸν Τρισάγιον ὕμνον προσφέρομεν. Vide Germani Patriarchæ Constantinopolitani Theoriam mysticam. Cum ait Pseudomercurius δέξαι

λογικὰς θυσίας, & ſermone XIII. in hymno quem vocat ὑμνῳδίαν κρυπτὴν, vbi elucet manifeſtiſſime Dauidicorum pſalmorum imitatio, θεῷ πέμπω λογικὰς θυσίας, reſpicit verba Pauli ad Romanos XII. 1. παραστῆσαι τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. illa etiam in XIII. πέμψον δεκτὴν θυσίαν τῷ θεῷ, è Paulo mutuatus eſt, Philipp. IV. 18. θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ. Amat enim iſte planus, ſimul cum doctrina ſacra, verba quoque furari ſacræ Scripturæ. In quarto ſermone adumbratur baptiſmi inſtitutio mira imagine. Crater in medio deſtituitur, plenus τοῦ mentis : & monentur voce præconis homines, vt in eum ſeſe immergant. βάπτισον σεαυτὴν ἡ δυναμένη, ἡ πιστεύουσα ὅτι ἀνελεύσῃ πρὸς τὸν καταπέμψαντα τὸν κρατῆρα. *Intinge te ô anima, ſi qua potes in hunc craterem, tu quæ credis te redituram ad eum qui demiſit craterem.* Crater eſt baptiſterium : mens cœlitus demiſſa, eſt vis Spiritus Sancti immiſſa in aquam myſticam. Patres Græci appellant τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ πνεύματος, vt Cyrillus Hieroſolymitanus in Myſtagogicis, & alij. iſte rem diſſimulat, ſed verbum retinet. iterum mox : καὶ ἀγαθὰ βαπτισθῆναι βούλομαι ὦ πάτερ. ἐὰν μὴ πρῶτον τὸ σῶμά σου μισήσῃς ὦ τέκνον, σεαυτὸν φιλῆσαι οὐ δύνασαι. *Volo ô pater baptizari. Niſi prius corpus tuum oderis, fili, non potes te ipſum amare.* Ex Euangelio Iohannis XII. 25. hæc eſſe detorta, ſoli illi poſſunt ignorare, qui metu hæreſeos à Scripturarum lectione abhorrent. Sic enim hodie quibuſdam in locis viuitur. Alibi baptiſmum vocat παλιγγενεσίαν ex Paulo, ad Titum III. 5. φάσκων μηδένα δύνασθαι σωθῆναι πρὸ τῆς παλιγγενεσίας: *dicens neminem poſſe ſeruari ante regenerationem.* an eſt aliquis tam idiota, qui vocem Eccleſiæ non agnoſcat, aut quin recordetur loci Iohannis III. 5. Ibidem Mercurius iſte vates amphibolus, regenerationem oſtendit idem eſſe, ac ſupplere quod deeſt naturæ, phraſin Pauli vſurpans, τὰ ὑστερήματα ἀναπλήρωσον, 1. Corinth. XVI. 17. etſi in alia re. Similiter & Platonis non ſingulas tantum voces, verùm integras etiam ſententias ad verbum aliquando deſcripſit. Vt initio epiſtolæ Mercurij ad Tat: Θεὸν μὲν νοῆσαι χαλεπόν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατόν : quæ verba ex iſto ſcriptore proferunt Iuſtinus Martyr, in Parænetico (vbi perperam Ἄκμωνος ſcriptum, pro Ἄμμωνος :) & Cyrillus contra Iulianum, & ex Cypriano Auguſtinus, extremo libro ſexto De baptiſmo contra Donatiſtas. Locus Platonis notiſſimus eſt in Timæo : τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα λέγειν εἰς πάντας ἀδύνατον. M. Tullius vertit : *Atque illum quidem quaſi parentem vniuerſitatis inuenire difficile eſt ; & cum etiam inueneris indicare in vulgus nefas.* Vide quæ de hoc Platonis dicto philoſophatur maximus Theologus Gregorius Naz. oratione altera de Theologia. Refero ad doctrinam Platonicorum illam dubitationem, an Deus habeat οὐσίαν, initio ſermonis XII.

nam

nam & Origenes philoſophus Platonicus ſæpe magis quàm Theologus in ſexto aduerſus Celſum, quæſtionem illam mouet: ἀλλ' οὐδὲ inquit, οὐσίας μετέχει ὁ Θεός· μετέχεται γὰρ μᾶλλον ἢ μετέχει: & poſt pauca ſubdit, quærendum eſſe, num ſit potius Deus nominandus οὐσία οὐσιῶν, ἰδέα ἰδεῶν. Propterea in libro De diuinis nominibus Dionyſij, vt vocant, Areopagitæ, dicitur Deus, non ſimpliciter οὐσία; ſed elegantiſſime ὑπερούσιος οὐσία, *ſubſtantia omnem ſubſtantiam tranſcendens*. In hymno tertio τοῦ Πλατωνικωτάτου Syneſij leges hos verſiculos Περιούσιε νοῦ Κόσμου ῥίζα; & φύσις ἄφθεγκτος Τὸ προούσιον ὄν. Contra apud Irenæum Deus dicitur, ſed ab homine hæretico, ἀνούσιος, *inſubſtantiuus*, ſicut habetur in antiqua eius verſione. Sed de ea quæſtione an dicendus ſit Deus habere ſubſtantiam, legendi cum alij Theologi, tum Gregorius Naz. oratione XLIX. quanquam vel ſola vox ſacri Concilij Niceni auctoritate firmata, ὁμοούσιος, ei quæſtioni finiendæ ſatis eſſe ſobrijs hominibus debebat. Vnicum adhuc proferam dogma; non Platonis quidem aut Platonicorum proprium; ſed multorum Græcorum ſapientum commune: quod ita Aegyptius iſte ſcilicet Mercurius tractat, vt purum putum ipſum fuiſſe philoſophum, Græcorum diſciplinis, non autem veteris Aegyptiorum ſapientiæ myſterijs imbutum, vel ex eo poſſit intelligi. Fuit igitur opinio vetuſtiſſimorum Græcorum, nihil è rebus creatis perire, ſed mutari dumtaxat. mortem, inane eſſe nomen ſine re: nam reuera mutationem eſſe, quam vulgus dicit mortem: quippe nihil creatum interire, ſed formam aliam aſſumere. Hippocrates in libro De diæta, poſtquam probauit, συνίσταται τὰ ζῶα ἐκ δυοῖν, τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος, conflari animalia è duobus, igne & aqua, addit; ἀπόλλυται μὲν οὖν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων, οὐδὲ γίνεται, ὅτι μὴ πρόσθεν ἦν· ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διαλυόμενα ἀλλοιοῦται. Νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ᾅδου εἰς φάος αὐξηθὲν, γενέσθαι· τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος εἰς ᾅδην μειωθὲν, ἀπολέσθαι. *Igitur ex omnibus rebus perit nihil, neque naſcitur, niſi quod prius fuit: ſed inter ſe res mixtæ aut ſeparatæ aliæ fiunt.* vel, *alterationem patiuntur. Exiſtimatur vero ab hominibus, illud quidem, quod ex Ade in lucem excreuit,* (creſcendo peruenit) *naſci: id vero quod è luce in Adem imminutum fuerit,* (peruenerit) *perire.* Sentit Hippocrates, eſſe quandam materiam primam, indigeſtam & ἀόρατον, neque in oculorum ſenſum cadentem, ex qua fiant omnia, & in quam reſoluantur omnia illam materiam vocat ᾅδην, quaſi dicas, rem inuiſibilem; id enim eſt ᾅδης: ſicut res creatas & ex ea materia productas, vocat φάος. Quem dicit Hippocrates Adem, alij philoſophi nominabant οὐσίαν; (Ariſtoteles, primam ſubſtantiam:) & naturam, quod illi dicitur φάος, lumen vel lux. Apollonius Tyanæus in epiſtola ad Valerium: Θάνατος οὐδεὶς οὐδενὸς ἢ μόνον ἐμφάσει· καθάπερ οὐδὲ

γένεσις

γένεσις οὐδενός, ἢ μόνον ἐμφάσει· τὸ μὲν γὰρ ἐξ οὐσίας τραπὲν ἐς φύσιν, ἔδοξε γένεσις· τὸ δὲ ἐκ φύσεως εἰς οὐσίαν, κατὰ ταυτὰ θάνατος· οὔτε γινομένου κατ' ἀλήθειαν τινός, οὔτε φθειρομένου ποτέ. μόνον δὲ ἐμφανοῦς ὄντος, ἀοράτου τε ὕστερον· τοῦ μὲν διὰ παχύτητα τῆς ὕλης· τοῦ δὲ διὰ λεπτότητα τῆς οὐσίας. οὔσης μὲν ἀεὶ τῆς αὐτῆς, κινήσει δὲ διαφερούσης καὶ στάσει. Clarum eſt οὐσίαν appellare Apollonium, quem dicit Cous ſenex ἄδην. & φύσιν, quod illi eſt φάος. Seneca aliter, epiſtola XXXVI. *Cogita nihil eorum quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam ex qua prodierunt ac mox proceſſura ſunt, reconduntur, conſumi. Deſinunt iſta non pereunt.* Hic per rerum naturam intelligitur Hippocratis ἄδης, Apollonij οὐσία. Seruius vocat *generalitatem* in tertiam Aeneida. *Romani, ait, contra faciebant, comburentes cadauera, vt ſtatim anima in generalitatem, id eſt, in ſuam rediret materiam.* Poetæ interdum Chaos. Claudianus verò de raptu Proſerpinæ, cùm ita Orcum alloquitur,

Qui vitam letumq; regis: nam quicquid vbique
Gignit materies, hoc te donante creatur;

planiſſime ex Hippocratis mente loquitur. Multa in hanc ſententiam ſcribit M. Antoninus Imperator, in ſuis illis diuinis libris: vt pag. 186. Κόσμος ἀλλοίωσις, *mundus eſt mutatio*: & pag. 187. ὁ θάνατός ἐστι τοιοῦτος οἷον γένεσις, φύσεως μυστήριον. Ad hoc igitur Græcorum dogma ſæpe reſpicit fictus iſte Hermes Aegyptius. Primo ſermone, pro mori dixit, παραδιδόναι τὸ σῶμα εἰς ἀλλοίωσιν. quem autem vocat ἄδην Hippocrates, iſte per vocem ἀφανὲς exprimit. vt cum ſubijcit verbis ſuperioribus, καὶ τὸ εἶδος ὃ εἶχες ἀφανὲς γίνεται. in XI. εἰς ἀφανὲς χωρεῖ τὰ διαλυόμενα ibidem ait, ſingulis diebus partem mundi γίνεσθαι ἐν τῷ ἀφανεῖ, hoc eſt, vt vulgus loquitur, perire; vt Hippocrates, εἰς ἄδην μειοῦσθαι. Sic loquitur & Platonicus inſignis Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia, capite II. vbi ait mortem non eſſe τῆς οὐσίας ἀνυπαρξίαν, ſed potius τὴν τῶν ἡνωμένων διάκρισιν, εἰς τὸ ἡμῖν ἀφανὲς ἄγουσαν, τὴν ψυχὴν μὲν, ὡς ἐν στερήσει σώματος ἀειδῆ γινομένην. Maximus Scholiaſtes Dionyſij: τοῦτο τὸ ἀφανὲς τινὲς ἔφησαν εἶναι τὸν ἄδην· τουτέστι τὸν ἀειδῆ καὶ ἀφανῆ γινόμενον τῆς ψυχῆς χωρισμόν, εἰς τόπους ἀοράτους τοῖς αἰσθητοῖς. Initio octaui ſermonis rationem cur nihil pereat reddit hanc; quod mundus ſit animal æternum, Deus quidam ſecundus: omnia autem quæ ſunt in mundo partes eſſe illius; maxime autem hominem. Eandem rationem repetit in XII. vbi addit; ἡ διάλυσις οὐ θάνατός ἐστιν, ἀλλ' ἀκράματος διάλυσις· διαλύεται δὲ οὐχ ἵνα ἀπόληται, ἀλλ' ἵνα νέα γένηται. Sed totus liber hic eſſet tranſſcribendus, ſi ſingula vellem perſequi doctrinæ capita, quæ iſte falſus Mercurius è Græcis philoſophis in rem ſuam vertit: nam ſi excipias quæ deriuata ſunt è fonte Scripturarum, omnia illius inde ſunt. Venio ad elocutionem & τὸν λεκτικὸν τόπον, & hiſtorias obiter huic ſcriptori memoratas. Quum igitur

igitur constet Mercurium Aegyptium antiquissimis vixisse temporibus, & vt videtur, circa annum à conditu rerum bis millesimum, non potest ab eo scriptus esse hic liber; in quo Phidiæ statuarij fit mentio, p. 97. qui post exactos ab illo quod diximus tempore, annos mille quingentos floruit Athenis. Eunomij Locri citharœdi historiam tangit, p. 98. narratam Straboni libro v i. Clementi Alexandrino, Antigono, alijs. Hic Eunomus dicitur Pythijs ludis contra Aristonem Rheginum antagonistam suum fuisse coronatus. Pythicus vero agon Delphis multis seculis post Hermetis Ægyptij tempora institutus. Tum autem, si vere Mercurij esset hic liber, oporteret, vt vel ipse Greçe eum scripsisset, vel ex Ægyptiaco sermone aliquis vertisset. Nos vtrumuis horum firmissime negamus esse factum : prius, quia stylus huius libri alienissimus est à sermone illo quo Greçi Hermetis æquales sunt vsi. nam illa vetus lingua multa habuit vocabula, multas phrases, imò totius elocutionis ideam ab illa diuersissimam qua posteriores Græci sunt vsi. Hic nullum penitus vestigium antiquitatis, nullus χνοῦς, nullus πίνος τῆς ἀρχαιότητος, qualem præstantissimi veterum Criticorum etiam in Platone obseruant, nedum in Hippocrate, Herodoto & alijs antiquioribus. contra, multa hic vocabula, quæ ne vetustior quidem Hellenismus agnoscat eo qui vigebat circa natiuitatem Domini. Quis vetustiorum Græcorum vsus voce αὐθεντία pro potestate? quis illa dithyrambica vsurpauit, ἀρχοντικὴ περιφάνεια? quis priorum dixit ὑλότης, οὐσιότης, & id genus alia? Nego etiam ex alia lingua versa hæc esse : αὐτοφυῆ esse & Græce primitus scripta pertendo. Nulla vnquam versio tam feliciter elaborata fuit; quæ peregrinitatem non præ se ferret, & certis indicijs demonstraret. Hic nihil eiusmodi. omnia γνησίως Græca, & Hellenismo eius quam designaui ætatis, sua vbique constat ratio. Iam initio octaui obseruat auctor, cum prædicatur θάνατος de rebus naturalibus, non intelligendum esse de morte : sed θάνατος poni ablata α pro ἀθάνατος. quod etsi delirum est commentum; certissime tamen probat, Græce hæc fuisse scripta. alibi vocis βασιλεὺς etymum explicat, & in nono dicit, Εἰκότως κέκληται κόσμος· κοσμεῖ γὰρ τὰ πάντα. an βασιλεὺς κόσμος & κοσμεῖν voces sunt antiqui sermonis Aegyptiaci? Probat etiam validissimè scriptionis huius ingenuitatem & τὸ αὐτοφυὲς crebra ad mores Græcorum allusio. Alicubi moris meminit confugiendi ad statuas, qui viguit apud Græcos & Romanos. Quid sint τὰ διὰ δρυὸς μαντεύματα, quid πρυτάνεις, πρυτανεύεσθαι, βραβεῖα, ἔπαθλα, καλλίνικος. soli sciunt Græcæ historiæ & morum Græcanicorum periti. Quid dicemus de imitatione Græcorum scriptorum? Ostendimus enim, quàm multa in hoc libello obseruari possint ab attento lectore,

deſumpta αὐτολεξεὶ è libris ſacris Veteris aut Noui fœderis, vel Platonis, aut aliorum philoſophorum Græcorum. Ipſa periodus prima apertam Xenophontis imitationem habet. Xenophon Παιδείας libros ita orditur. Ἔννοιά ποθ' ἡμῖν ἐγένετο, ὅσαι δημοκρατίαι κατελύθησαν. iſte ſic: ἐννοίας μοί ποτε γενομένης περὶ τῶν ὄντων, καὶ μ. Falſum igitur eſt, imò falſiſſimum, quod iſte planus in epiſtola ad Ammonem perſuadere vult nobis ; à Mercurio prius Aegyptiaco ſermone iſta fuiſſe conſcripta. Falſiſſimum etiam eſt quod docti indocti videntur hactenus credidiſſe; aut ſcripta hæc fuiſſe à Mercurio Triſmegiſto, vetuſtiſſimo Ægypti ſapiente ; aut ex illius ſcriptis eſſe verſa. quorum vtrumque probauimus eſſe longe abſurdiſſimum.

XI. *An lege aliqua Chriſtiani vetiti fuerint oracula Sibyllina legere. Locus Iuſtini male à Baronio acceptus. Iuſtini affirmatio in dubium vocata. Sibyllas paganicam ſuperſtitionem ſemper ſuaſiſſe. Loca Vopiſci, Ciceronis, Ioſephi, & Dionis, contra Baronij mentem exponuntur.*

APPARATVS, Num. XX.

VAticinationum Sibyllinarum lectionem Chriſtianis olim fuiſſe legibus Paganorum Principum interdictam, duobus teſtimonijs probat Baronius. Nos de priore falli ipſum ſuſpicamur: de poſteriore ſcimus. Scribit Iuſtinus in Apologia 11ª. operâ malorum dæmonum & ſuaſu pœnam capitis fuiſſe conſtitutam, ſi quis Hyſtaſpæ Sibyllæ aut Prophetarum libros legeret. Quam potiſſimum legem reſpiciat Iuſtinus, dictu eſt difficile : ſed ex hiſtoria Romana ſatis compertum eſt, fatidicos libros omnes, & vt veteres appellarunt, fatales, legi promiſcue à quouis non potuiſſe : cuſtodiebantur enim à Quindecimuiris S. F. neque aperiebantur, aut nihil certe ex ijs in publicum proferebatur ſine auctoritate & iuſſu Senatus; quod M. Tullius, Liuius, Dio, alijque tradunt. Cauſſa huius occultationis fuit, ne priuati homines & factioſi, auctoritate Sibyllarum freti, aut in patrijs cærimonijs, aut in publica re aliquid nouarent. Quod aliquoties ſcimus tentatum : inſigniter vero circa annum Vrbis DCXCVII. cum de reductione Ptolemæi Auletæ Regis Aegypti eſt actum. Hæc lex non fuit Chriſtianis hominibus peculiariter poſita, neque poſt natum Chriſtum lata ; ſed iam inde à principio ſemper obſeruata, & ab ipſo Tarquinio, qui tres libros à Sibylla emit, triſti ſupplicio ſancita M. Atilij, qui inſutus culeo in mare fuit coniectus ; quod diceretur oracula Sibyllina ſuæ fidei commiſſa, (erat enim Duumuir S. F.) Petronio Sabino deſcribendos dediſſe. Male igitur Iuſtini mentem ca-

pit Baronius, qui ad Christianos restringit, quod ille in commune dixit de omnibus: θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν ἀναγινωσκόντων. *decretum est vt capite luerent, si qui legerent.* non dixit, *si qui Christiani legerent*: quomodo accipit Baronius. Sane si proprie ad Christianos illa prohibitio pertinuisset; non est existimandus Iustinus tam malus orator futurus, vt de lectione Sibyllinorum oraculorum apud ipsum Imperatorem gloriaretur. atqui subijcit ille: ἀφόβως δὲ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν ὡς ὁρᾶτε εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν. Sed quod libros Prophetarum & Sibyllinos iungit Iustinus, videtur pius martyr propterea id fecisse; quia nactus quædam vaticinia Sibyllarum, vera an falsa, de Christo, putauit totum volumen carminis Sibyllini, quod tanto studio Romæ seruabatur, & à cuius lectione omnes arcebantur præter Quindecimviros, eiusdem esse argumenti. In quo ratio ipsum quantum fugerit, nemo potest ignorare, qui res Romanas non penitus ignoret. Nihil enim vnquam ex illis libris prolatum, quo Gentium error, & ille insanus dæmonum cultus, non confirmaretur, aut etiam noua accessione impietatis non augeretur. Liuius lib. v. *Tristem hiemem, siue ex intemperie cœli, raptim mutatione in contrarium facta, siue alia qua de caussa, grauis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit: cuius insanabilis perniciei, quando nec caussa, nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex Senatusconsulto aditi sunt. Duumuiri sacris faciundis lectisternio tunc primum in Vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium, atq; Neptunum, tribus quàm amplissimè apparari lectis poterat, stratis, placauere. priuatum quoque id sacrum celebratum est.* Huiusmodi semper fuerunt omnia Quindecimuirorum responsa, postquam Sibyllinos libros consuluissent. quod si Iustino homini Syro Palæstino fuisset compertum; neque Sibyllina oracula cum Propheticis coniunxisset; neq; arte Diaboli factum dixisset, vt lege tam seuera eorum lectio prohiberetur; quod metueret, ne qui legerent ad notitiam peruenirent τῶν καλῶν. id est, veræ pietatis. hoc enim de propheticis quidem scriptis verissimum est: de Sibyllinis vero tam falsum quàm quod falsissimum. Alterum testimonium profert Baronius è Vopisco, siue potius ex Aureliani Augusti epistola apud Vopiscum, quæ sic incipit: *Miror vos Patres sancti, iamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis.* Marcomanni tunc omnia vastabant, etiam in Italia circa Mediolanum; vnde pauentibus cunctis, ingentes Romæ seditiones motæ, inquit Vopiscus. In hoc timore nonnulli è Patribus, vel quod præ cæteris superstitiosi essent, vel quod magis meticulosi, Senatum accusabant, quod cessaret consulere Sibyllæ decreta, & Apollinis beneficijs vti; sicut dixit apud Patres Vlpius

pius Syllanus, primæ ſententiæ Senator. Sed erant qui dicerent, fieri Imperatori iniuriam, cum de ſalute publica in ipſius cura & vigilantia non acquieſceretur. Iccirco ſcribit Aurelianus ad Patres hanc epiſtolam, lentitudinem ipſorum accuſans, quod libros Sibyllinos nondum inſpexiſſent. Ait Imperator, non eſſe Rom. Senatorum dubitare, an ad Sibyllas in aduerſis adeundum ſit: ſed Chriſtianorum potius, in quorum Eccleſijs Sibyllarum nomen nunquam audiebatur. Sciebat Aurelianus Chriſtianos ſui temporis non ſolitos dubitare, quoties aliqua premerentur calamitate, quò ſe verterent, quem Deum, vel quem diuûm opem poſcerent. Vnicum Deum Chriſtiani norant, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnicum Deum orabant, per ſolum Filium, Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum. Teſtatur hoc tota conſentiens vetuſtas. Omnium inſtar erit vnus Origenes, cuius adhuc propemodum cineres calebant, cum illa ſcribebat Aurelianus. Sic ille libro quinto contra Celſum. πᾶσαν δέησιν καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ. *Omnis petitio, omnis oratio, omnis ſupplicatio, & gratiarum actio ad Deum, qui ſupra omnia eſt, referri debet; per eum, qui eſt ſupra omnes Angelos, Pontificem Maximum, animatum Verbum, & Deum.* Sed de his accurate interius Deo volente. Hæc mens Aureliani fuit, quam vel eo ipſo ſatis declarauit, quod templum omnium Deorum Eccleſiæ Chriſtianorum oppoſuit: in qua preces & vota omnia ad vnum Deum referebantur. Itaque Baronij error ferendus non eſt. Locus Ciceronis ex ſecundo De diuinatione, quàm bene ad Meſſiæ Regis aduentum trahatur, Lectoris eſto iudicium. Res ita eſt geſta. Tenebat in poteſtate ſua Remp. Rom. Iulius Cæſar; ſupra leges omnes erat; vnus erat τὰ πάντα; & nomen Regis quum non haberet, rem habebat. Sed vt caret modo ambitio, parum illi videbatur regnare, niſi etiam Rex ſalutaretur. Eum igitur titulum vt aſſequeretur, varia ipſe conſilia, Antonius, & alij eius amici excogitarunt. Inter alia fuit hoc quoque politicum ſtratagema, vt loquitur Ariſtoteles. Parabat tum Cæſar bellum aduerſus Parthos, propter deletum paullo ante Craſſum & Craſſi exercitum, Romanis tum terribiles. Amici Cæſaris famam ſparſerunt, libris fatalibus contineri, vinci Parthos niſi à Rege non poſſe. Iidem cum Quindecimuiris egerunt, vt auctores eſſent Patribus, propter illud oraculum deferendi Cæſari nomen Regis. Omnia conuenerant, & in magno metu erant boni; cum interim Cæſarem mors occupat. Lege Suetonium in Iulio, capite LXXIX. Cicero igitur, qui paullo poſt cædem Cæſaris libros De diuinatione ſcripſit, ſic ait: *Sibyllæ verſuum interpres, nuper falſa quædam hominum fama dicturus in Se-*

natu putabatur; eum quem reuera Regem haberemus, appellandum quoque esse Regem, si salui esse vellemus. hoc est, si Parthos vincere ac proinde saluam Remp. vellemus. Hanc sententiam dicturus erat in Senatu L. Cotta Quindecimuir, postquam Sibyllinum oraculum recitasset. In ipso autem oraculo de Rege venturo nullum erat verbum, sed hoc tantum: Parthos vinci aliter non posse, nisi à Rege. Dio libro XLIV. Τῶν ἱερέων τῶν πεντεκαίδεκα καλουμένων, διαθροῦντων, ὅτι ἡ Σίβυλλα εἰρηκυῖα εἴη, μή ποτ' ἂν τοὺς Πάρθους ἄλλως πως πλὴν ὑπὸ βασιλέως ἁλῶναι. Ait, sparsos fuisse rumores à Quindecimuiris, quasi dixisset Sibylla, Parthos nisi à Rege vinci non posse. hoc solum Dio. deinde subijcit sententiam quam dicturi erant Quindecimuiri, atque vt ipse loquitur, ἔμελλον εἰσηγεῖσθαι. Baronius aliter accipit: sed proculdubio fallitur. Sicut mox, cum ait, Herodem sæpe Romæ vsum hospite Pollione, auctore Iosepho. Iosephus postquam dixisset Herodem Romam misisse Alexandrum & Aristobulum filios suos; τούτοις, ait, ἀνελθοῦσι καταγωγὴ μὲν ὁ Πολλίωνος οἶκος. *His, vbi Romam aduenissent, pro diuersorio fuit domus Pollionis.* quam diuersa hæc sententia ab illa quam hariolabatur Baronius? De prophetia quam Vespasiano aptat Iosephus, dictum est superius. De loco Dionis quem comparat cum verbis Suetonij è capite XCIIII. libri II. non possum illi assentiri: non enim puto Iulium Marathum ea prodigia respexisse, quæ narrat Dio: sed aliquod aliud nouum prorsus atque inusitatum: nam quid frequentius in historia Romana occurrit, tactis de cœlo statuis?

XII. *Locus Ciceronis contra Baronium expositus. Oracula quæ plane cessarunt circa natum Christum. Delphicum, desijt oracula reddere. Augusti cœna δωδεκάθεος, & in illa error Baronij. Oraculum de Christo falso dictum ab Apolline Augusto editum. Suidas & Nicephorus Callistus notantur. Fabula de B. Virgine Augusto visa. Miracula historiæ profanæ parum stabili coniectura ad Christum relata. Orosius.*

APPARAT. Num. XXV.

AB his progreditur ad alia mirabilia, quæ circa natiuitatem Domini Iesu, aut aliquanto prius leguntur accidisse. Ante omnia refertur illud; oraculum Apollinis Delphici tunc fuisse occlusum, nec vltra vsitata responsa dedisse. Videtur hoc dicere M. Tullius ijs verbis, quæ affert Baronius. Sed refellitur Cicero ab historia: nam post illa tempora, multi Delphis oracula leguntur petijsse. neq; vero desierant oracula eo loco reddi; sed desierant reddi versu. Extant duo Plutarchi libri affinis argumenti: alteri titulus est, περὶ τῶν

ἐκλελοιπότων

ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, in quo de ijs oraculis agitur, quæ penitus desierant : plurima siquidem omnino erant exhausta : in tota namque Bœotia, quæ olim μαντεῖα & oraculorum sedes plurimas habebat, sola restabat Lebadia, vnde sortes peterentur. Alteri librorum index est, περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν : quo rationem conatur afferre, cur Pythia antistes, oracula versibus desijsset reddere. Ait Plutarchus, Pythias suo tempore dedisse responsa καταλογάδην καὶ διὰ τῶν τυχόντων ὀνομάτων, *soluta oratione & vilibus verbis*. Sub finem libri ait, stultissimos illos esse, qui mutato Græciæ statu, accusent Apollinem, quod ipse quoque homines adiuuandi rationem mutarit. verba Plutarchi sunt. ὅθεν εὐηθέστατός ἐστιν, ὁ τῶν πραγμάτων ἑτέρων γεγονότων, εἰ μηκέτι τὸν αὐτὸν ἡμῖν τρόπον, ἀλλ' ἕτερον οἴεται δεῖν βοηθεῖν, ὁ θεῷ ἐγκαλῶν καὶ συκοφαντῶν. Est quidem futilissima hæc ratio, & inanissima, hominis retinendi prisci erroris studiosissimi, qualem fuisse Plutarchum scripta arguunt : sed historiæ veritatem ista declarant. Quare cum ait M. Tullius, *cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur?* ex historia exponi debent illa verba, *isto modo*, nempe ἐμμέτρως versu. nec minus tamen vera sunt quæ scribit Cicero de contemptu Delphorum : nam & Plutarchus idem ostendit. Quum igitur vel penitus vel saltem versu reddi oracula Delphis desiissent, quid dicemus de sorte illa hexametris versibus constante, quam mox ait Baronius Augusto fuisse editam? Ego vero Baronij iudicium in tota illa narratione nullus agnosco, sed magnam potius ἀκρισίαν. Ait de Augusto; *qui in cœna illa quæ* δωδεκάθεος *vulgo dicebatur, pro Apolline ornatus solebat accumbere.* quod semel factum est, & quidem clam, paucis conscijs, putat fuisse publicum institutum, quotannis repeti solitum. Verba Suetonij aliud sonant : *Cœna quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgo* δωδεκάθεος *vocabatur.* In sacris Romanorum multa fuerunt iustiore digna reprehensione quàm hæc cœna : & tamen illa qui vsurpabant quotidie, idque publice, fabulis subsannantium occasionem nullam præbebant : postquam semel in mores & ritus aliquid transierat. Hæc cœna Augusti secreto agitata, in fabulis fuit, & ab Antonio alijsque eius inimicis semper ipsi obiecta. non erat igitur, res moribus recepta, vt putat Baronius. Is narrat deinde Apollinem tribus versiculis respondisse Augusto ; qui Romam reuersus aram in Capitolio erexit, cum hac inscriptione, ARA PRIMOGENITI DEI. tum addit, *hæc Nicephorus & Suidas, quibus cæteri fidem adhibuerunt.* Suidas ante annos circiter quingentos scripsit; Nicephorus Callistus ante trecentos aut paullo plures. Luculentos verò scriptores, quibus de re tam antiqua fides habeatur. Nicephorus præsertim, auctor vanissimus, futilissimus, fabulosissimus, nec συγγραφεὺς, sed μύθων

καὶ

καὶ λήρων ῥαψῳδὸς merito ſuo dicendus : cui ipſe Baronius, quoties animum intendit, fidem omnem abrogat. idemque de Suidæ temeritate in probandis quæ palàm falſa erant, iure queritur non multo poſt, num. XXXVI. Quinam igitur illi cæteri, qui Nicephori fidem ſecuti? habent dubio procul ſimilem labra lactucam. Igitur inter alias fabulas quæ apud Suidam & Nicephorum leguntur, referri debet duplex hæc narratio de reſponſo Apollinis, & de ara Romæ poſita ab Auguſto. prioris non fuit auctor Suidas, neque Nicephorus, vt putat Baronius: ſed ipſe Euſebius in literas eam retulerat, vt apparet è Cedreno, qui ſicut obſeruatum Ioſepho Scaligero, & hoc & alia ſexcenta à Georgio Syncello accepit. Ipſum oraculum ita recte concipitur in Theſauro temporum;

Ἑβραῖος κέλεταί με Θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ὁδὸν πάλιν αὖθις ἱκέσθαι.

ἄπιθι λοιπὸν ἐκ δόμων ἡμετέρων. oraculum dimetrum eſt, non trimetrum, vt docti viri putarunt. Poſterior pars de ara, Euſebij non eſt: ſed à multo poſterioribus excogitatum id fuit; quos puduit acceptam à maioribus fabulam, vt rem ſuam familiarem, non tranſmittere ad poſteros auctiorem. Obliuiſcitur ſui Cardinalis Baronius quoties huiuſmodi auditiunculis ante pauca ſecula confictis, chartas maculat ſuas. Sed omnem fingendi licentiam ſuperat, quod ſequitur de B. Virgine, quam vidiſſe dicitur Auguſtus ſublimem in aere, infantem in vlnis habentem. Putidiſſimæ fabulæ vanitatem animaduertit Baronius: quem hiſtoriam ſcribere profeſſum, & quidem Eccleſiæ Chriſti hiſtoriam; æquum non erat tam aperta mendacia pro rebus geſtis lectoribus ſuis obtrudere. Ille tamen adhibita interpretatione commentum excuſare maluit, quàm, vti par erat, reijcere. noluit, credo, Baronius contra torrentem niti, & quod B. Baſilius dicit, κεκράγασι πρὸς ἄνεμον. Congeruntur deinde multa prodigia, quæ Suetonius, Dio, alij circa Cæſaris necem & Auguſti initia ſcribunt contigiſſe. Quæ ſi ad Seruatorem mundi pertinuerunt, vt Baronius ſcribit, cur non eodem & alia ſexcenta iſtis ſimillima referimus, quæ alijs temporibus eſſe viſa, Titus Liuius, Dionyſius Halicarnaſſeus, Iulius Obſequens, alij multi commemorant? Ego vero exiſtimo, iſtorum omnium prodigiorum quædam fortaſſe eſſe vera, pleraque falſa: neque dubito hoſtem humani generis per eiuſmodi præſtigias, & φαινόμενα, οὐκ ὄντα δὲ miracula, miſeris hominibus illuſiſſe. Vera miracula vnius Dei eſt præſtare, aut eius qui poteſtatem ab illo accepit: Diabolus ſi quæ per arcanam Dei permiſſionem edat miracula; nunquam ipſum ad bonum finem, ſed ad decipiendos homines illa referre notum eſt Dei timentibus. qua de

de re plura erunt dicenda, Deo propitio, in anno XXXIV. ad num. CCXIV. Cur igitur eiuſmodi præſtigias, quæ in hiſtoria paganica leguntur, ad Chriſti aduentum referamus? Non eget IESVS CHRISTVS Deus æternus Dei æterni Filius, Diabolo præcone: qui ſi quando laudes illius voluit vſurpare, audijt vocem plenam terribilis Maieſtatis, φιμώθητι, *Obmuteſce*. Oroſium ex quo multa in hoc ſermone deſcribit, ſcriptorem alioquin optimum & zelo domus Dei plenum, ſi nimiæ facilitatis in talibus credendis poſtulauerimus; non deerunt viri præſtantiſſimi & veri amantiſſimi, quorum exemplo factum tueamur: non rationes validiſſimæ, quibus ſanctum virum ταχυπειθίας, & nimiæ credulitatis, reum peragamus. Taceo rerum Romanarum ignorationem aliquando mirificam: etiam Baronio teſte non ſemel.

XIII. *Cauſſa diuerſitatis in genealogia Chriſti, apud Matthæum & Lucam, minus recte à Patribus expoſita. Chriſtus nullo pacto è tribu Leui. Nathan quis, in genealogia apud Lucam. Eliſabeta Mariæ cognata. Eli inter maiores Ioſephi. Nominis apud Iudæos è multis cauſſis fiebat mutatio.* Ἄπορα *Scripturarum. Tribuum* ἀμιξία. *Ius puellarum* ἐπικλήρων. *Locus è Scripturis apud Paraphr. Chaldæum & Lat. interpr. imminutus.* κλῆροι. *Locus Epiphanij.*

APPARAT. Num. XXX.

EXſpectabam in ijs quæ ſubijcit mox Baronius de genealogia Domini noſtri Ieſu Chriſti, dignum aliquid horum Annalium fama. Nam & nobiliſſima ea quæſtio eſt, & vetuſtiſſima, prorſuſque digniſſima quæ à pijs hominibus non ſegniter cognoſcatur. Atque hic erat verè ſuus illi diſputationi locus. Vbi enim potius, quàm in tantæ molis Annalium fronte? Conditor tamen operis, qui ſæpe in longe minoris momenti rebus neque verbis neque chartæ ſolet parcere, grauiſſimum argumentum vix leuiter attigit: & in illis ipſis quæ attigit, vt eruditis harum rerum intelligentibus ſe probaret, curaſſe multum non videtur. Quædam hic perſtringemus: nam de tota illa quæſtione accurate, ſi Deus volet, alio tempore ſumus acturi. Igitur diuerſitatis illius, quæ inter Matthæi & Lucæ deſcriptiones obſeruatur, cauſſam Baronius aſſignat è B. Auguſtino, quod *Matthæus, qui regiam in Chriſto perſonam inſtituerat inſinuare, naturales Chriſti ex Regibus Iudæorum generationes numerat: Lucas vero, ſacerdotalem in Chriſto perſonam oſtendere volens, generationes adoptionis Chriſti percurrit*: atque hanc fuiſſe ait Hilarij, & Iuliani Toletani, aliorumque ſententiam. Hoc quidem verum eſt: ſed potuítne Baronius ignorare, quod multos mediocriter doctos

doctos non fugit, rationibus parum firmis motos fuisse Patres, quicunque ita senserunt? Sciebant Dominum nostrum non minus Sacerdotem esse summum, quàm Regem verum. mouit hoc ipsos, vt ortum illum crederent tam è tribu Leui, quàm è tribu Iuda. Non cogitabant pij Patres, locum nullum è Mose aut Prophetis posse adferri, quo ita futurum prænunciaretur. Nam de tribu quidem Iuda & domo Dauidica, notissimæ sunt promissiones diuinæ. 1. Chronicorum XVII. 14. Psalmo CXXI. 11. Isaiæ XI. 1. sæpe alibi. de tribu Leui in tota Scriptura simile nihil. quare in Nouo Testamento Iesum Christum sæpe filium Dauidis videmus nominari: at filium Leui nunquam. Non cogitabant viri sanctissimi, eam sententiam diuinis oraculis repugnare manifestissimè. Docent Scripturæ quidem Christum Pontificem summum fuisse, non minus quàm Regem: at non è stirpe Aaronis: verùm על דברתי secundum ordinem Melchisedec. quod vaticinium Apostolus toto capite octauo ad Hebræos ita interpretatur, vt Leuiticum sacerdotium reijciat à Christo. Probat enim factam esse μετάθεσιν ἱερωσύνης, translationem sacerdotij; totoque genere differre ab Aaronico, ad tempus instituto, Melchisedecianum, sine fine duraturum. Legitur apud Epiphanium longa disputatio contra Nazaræos; in qua probat Ecclesiam accepisse à capite suo Christo & regiam & sacerdotalem dignitatem: regiam, quia ipse erat è tribu Iuda: sacerdotalem, quia ipse erat summus Pontifex, noui sacerdotij auctor, ἀρχιερεὺς ἀρχιερέων πρύτανις. at non dicit Epiphanius inde habuisse Christum suum sacerdotium, quod è tribu Leui genus traheret: etsi de commistione duarum tribuum sæpe alibi mentionem faciens. Enimuero Domini sacerdotium adeo fuit à Leuitico diuersum, vt ne vnum quidem Apostolum ex illa tribu sibi acciuerit. Postremò non cogitabant qui ita senserunt Patres, se dum absurdam sententiam tuebantur, ad multa cogi absurda. Velut cum Lucam dixerunt loco Solomonis Nathanem ideo posuisse; quia per illum regia dignitas ad posteros Dauidis fuisset transmissa; per hunc successio sacerdotalis. Dixerunt hoc multi: clarissime omnium Gregorius Nazianzenus: cuius verba subijciam de Salomone & Nathane Dauidis filijs:

— τῶν ὁ μὲν εἷλκεν
Ὥς τε ῥόου μεγάλου ποταμοῦ βασιλήϊον αἷμα·
Αὐτὰρ ὅγ' εὐαγέων τε φαεινοτάτων θ' ἱερήων.

sed quomodo Dauid sacerdotium Aaronicum in Nathanem filium transferre potuit, quo ipse nunquam est functus? nam locum hic habet iuris ciuilis regula; Testator ad heredem ius non transmittit, quod ipse nunquam habuit. Patrum vero illorum error fuit insignis, qui

putarunt Nathanem à Luca memoratum in Christi genealogia, eum fuisse Nathanem Prophetam, qui ad Dauidem missus à Deo: eumque errorem ipse B. Augustinus agnouit, & non semel retractauit. Mouit etiam Patres, quod Elisabeta Mariæ συγγενὴς Lucæ 1. 36. initio capitis eiusdem dicatur fuisse de filiabus Aaron. sed hoc ἀσυλλόγιστον, & nihil concludit. Nam si pater Elisabetæ vxorem sibi iunxit è tribu Iuda & cognatione B. Virginis: rectè quidem Elisabeta dicetur Mariæ cognata: at Maria è tribu Leui orta propterea dici non poterit. Sunt quos etiam illud moueat, quod inter Iosephi maiores vnus à Luca nominetur Leui. atqui nomina Patriarcharum communia fuisse omnium tribuum, non ignorant, qui Esdram saltem & Nehemiam attente legerunt. Quare falsum est, personas Lucæ memoratas, ad aliam tribum pertinere quàm Iudæ. Nominum diuersitas in descriptionibus duorum Euangelistarum, non satis firmum argumentum est, vt diuersas tribus ab illis existimemus describi: quum Iudæorum plerique duo nomina habuerint: & υἵωσις, assumptio in filium, filijque appellatio ex varijs caussis contingerent: putà vel natura, vel ex lege Mosis de semine fratri mortuo excitando; item adoptione, vel arrogatione: necnon propter affinitatem: nam gener socero filius dicebatur: adde successionem in regnum, vel priuatam hereditatem: nam etiam hi eorum filij censebantur, quibus successerant. Vt interim taceam, quod potuerunt & aliæ eius diuersitatis in nominibus apud Matthæum & Lucam esse caussæ. Nam esse quædam ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς, inexplicabilia in Scripturis, vt omnium disciplinarum, non inuiti, opinor, fatebuntur, omnes humanæ infirmitatis viri intelligentes: itaque prouerbium Rabbinorum in nonnullis necessario vsurpandum, & exspectandus Elias, qui duros atque hodie inextricabiles Scripturæ nodos soluat. Hoc melius, quàm de omnibus temere pronuntiare; quod illis solemne est, qui aliquid fateri se ignorare turpe ducunt: etiam in ijs rebus ad quarum indagationem præter nudas coniecturas humana industria nihil hodie potest afferre. Probat deinde Baronius, Euangelistas in genere Iosephi, simul & gloriosæ Virginis genus esse complexos: quod etsi verissimum est, atque adeo cunctis Christianis debet esse persuasissimum: non recte tamen ab illo demonstratur. Institutum de non miscendis tribubus, quod ipse existimat Iosepho necessitatem imposuisse, quia homo iustus erat, ducendæ vxoris, quæ esset è tribu Iuda; non imperatur absolute ea lege Mosis, quam laudat Baronius è capite vltimo Numerorum. Nam ibi Moses, non in vniuersum de omnibus fœminis loquitur: sed de illis dumtaxat, quæ in Atheniensium legibus ἐπίκληροι dicebantur & ἐπιπροίκοις opponebantur.

opponebantur. hæ dotem certam è bonis paternis auferebant ; illæ totam hereditatem in dotem adferebant. Nam vt ex orationibus Isæi & Demosthenis liquet, οὐκ ἐξῆν ταῖς ἐπικλήροις ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖν· ἀλλὰ προσῆκον ἦν αὐταῖς μετὰ τῶν χρημάτων τοῖς ἐγγυτάτω γένους συνοικεῖν. *Non licebat, inquam, virginibus* ἐπικλήροις *extra cognationem enubere: sed oportebat ipsas vna cum bonis proximo agnato nubere.* Neque solum Athenis gentis enuptio vetita, sed etiam in alijs Græcorum ciuitatibus. Diodorus Siculus libro XII. in Solonis & Charondæ legibus ita cautum hac de re fuisse testatur. Κελεύει ὁ νόμος τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τὸν ἔγγιστα γένους· ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν ἐπίκληρον ἐπιδικάζεσθαι τῷ ἀγχιστεῖ. vbi ius idem in viros & mulieres statuitur : vt proximus agnatus cum ea fœmina ad quam gentis hereditas est deuoluta, iudicio experiri possit, si nuptias ex lege recuset : & vice versa virgo aut mulier in casu simili. Simillima fuit lex Mosis, de qua in extremo illo capite Numerorum agitur : quod si intellexisset Baronius, ad omnia coniugia promiscue illam non extendisset. Satis hoc exprimitur illis ipsis verbis, quæ sunt in Annalibus descripta : sed multo clarius illis, quæ Latinus Interpres omisit Numerorum capite XXXVII. versibus octauo & nono. Quæ fuerit caussa illius omissionis nescio : obseruo tamen ijsdem codicibus cum Latino Interprete vsum & Ionathanem Vzielis F. in suo Thargum. Ex his sequitur, beatam Virginem, non solum eiusdem fuisse tribus Iuda cum Iosepho : sed etiam ex eadem gente & cognatione, nempe Dauidica. Itaque vere & docte Epiphanius contra scelestissimum hæreticorum genus Antidicomarianitas, scribit, Mariam Iosepho esse traditam, κλήρων εἰς τοῦτο διαναγκασάντων αὐτὴν ἥκειν : *quum iura hereditatis quam possidebat, eò ipsam adegissent.* significat enim Mariam fuisse Virginem ἐπίκληρον. Quod autem Epiphanius bona quæ tum beata Virgo obtinebat, κλήρους appellat, non κλῆρον ; videtur id innuere, vnâ cum patris hereditate etiam aliorum agnatorum bona ad ipsam fuisse deuoluta. Interpres Epiphanij horum verborum mentem non cepit. Atque hæc de istis impræsentiarum satis.

XIV. *Reijciuntur fabulæ posteriorum scriptorum, de B. Virgine, quas multi pro veris narrationibus obtrudunt. Locus Augustini de Traditionibus.*

APPARAT. Num. XXXVIII.

NÆ multum Baronio studiosi historiæ Ecclesiasticæ deberent, si ea diligentia, quam in exponenda natiuitate, vita & vitæ exitu sanctissimæ & gloriosissimæ Virginis MARIAE adhibuit, præstare potuisset, vt certi aliquid ijs de rebus hodie constaret. Nam quis

quis est IESV, Mariæ filij, cupidus sectator, qui veram historiam Deiparæ, matris Iesu, non sit maximi æstimaturus? non cupidissime excepturus? Sed neque diligentissimus Baronius, neque alij, qui nostra memoria in eodem argumento sunt versati, piorum, quos in rebus religionis simplex iuuat veritas, desiderijs satisfecerunt. Ratio autem cumprimis hæc est: quia vt certa ab incertis, vera à falsis, historiam à fabulis secernerent, Baronius quidem non satis, alij vero multo minus videntur curasse. Dederant Euangelistæ exemplum hac in parte, quod posteri vt sequerentur, religionis Christianæ non parum intererat. Illi de Virgine tantum nos docuerunt, quantum sciri erat ad salutem necessarium: è tribu Iuda & domo Dauidis eam fuisse prognatam: ex ipsa natum Messiam, sicut fuerat prædictum, non communi hominum lege nascendi; sed nouo miraculo, quod omnia superat miracula, per inumbrationem Spiritus Sancti. His addiderunt proximorum seculorum Patres, in recenti adhuc memoria, oppidò pauca: idque necessariò, vt hæreticos circa B. Virginis reuerentiam & cultum varie peccantes, alios excessu, alios defectu, confutarent; quod à magno Epiphanio diuinitus esse præstitum videmus. Insecutæ verò ætates Euangelicæ narrationi & ijs quæ prioribus temporibus fuerant comperta, alia sexcenta adiecerunt; nimis, vt res arguit ipsa, persæpe ingeniosæ ad fingendas eius generis narratiunculas, & Sanctos Dei non minus falsis & commentitijs fabulis onerandos, quàm veris laudibus ornandos. Id quo fine, quóue auctore sit factum, & quæ in religionis Christianæ ritus nouitas ex eo sit introducta, non iam quæro: erit deinceps alius, spero, ea de re dicendi locus. Factum quidem ita esse vt dixi, neque ambigi à quoquam potest, & præsens disputatio planissime demonstrabit. Vt ad rem veniam, obseruet Lector candidus Baronij industriam in concilianda fide narrationi suæ. Probat primum ex Epiphanio extitisse aliquam historiam & traditiones harum rerum. deinde vbi dixit, historiam perijsse, traditiones credi postulat, quas Ecclesia seruauit. Affert in eam rem locum B. Augustini, omnibus hodie lippis & tonsoribus notum. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum, rectissime creditur.* At quam iniquum est postulare, vt hodiernis de Virgine narrationibus omnibus fides habeatur, quia extiterit olim aliqua de ipsa historia, & traditiones item aliquæ? Extitit olim proculdubio vera aliqua historia de rebus Caroli Magni, Rolandi, & cæterorum virorum fortium, quos illa ætas tulit. an propterea credere nos æquum fuerit Pseudoturpini nænijs & eiusmodi fabularum scriptoribus, qui postea lingua Romansa, id est Romana corrupta

mera miracula memoriæ prodiderunt? Probet Baronius eam ipsam historiam, & illas traditiones, quarum meminit Epiphanius, integra fide fuisse seruatas, posteros nihil esse commentos, nihil finxisse, neque sincerum vas incrustasse. hoc amplius probet Baronius, Epiphanium illis ipsis historiæ & traditionibus quarum mentionem facit, fidem habuisse. Nam si quæ hodie iactantur veteribus fuerunt nota, vir Dei Epiphanius aut non illis multum tribuit, aut non eam certe conclusionem ex illis expressit, quam posteriora secula inde elicuerunt: adorationem nempe Virginis, qualem illi videmus hodie exhiberi. A quo Epiphanium fuisse alienissimum, vt si quisquam mortalium est hodie, scripta ipsius faciunt fidem, sicut alio loco perspicue demonstrabitur. Equidem mirari soleo vel nomen illius Patris ferre eos posse, qui à veteri fide & praxi Ecclesiæ longe adeo hac in parte recedunt. B. Augustini superior locus nihil ad rem: imò à proposito alienissimus est. Nam illud axioma, quod toties pius ille Doctor inculcat, præsertim in disputationibus aduersus Donatistas; locum habet in dogmaticis, aut in ritibus religionis, quorum custos est Ecclesia: non vbi de certitudine agitur historica multarum narratiuncularum, quæ hodie circumferuntur. Tum autem necesse est, vt traditiones ad quarum confirmationem hoc axioma adhibetur, à principio nascentis Ecclesiæ ipsi notæ, atque vsurpatæ fuerint: cuiusmodi erat illa consuetudo, quam tuetur Augustinus, libris de baptismo contra Donatistas: ac propterea *consuetudinem originalem* appellat, initio libri sexti: deinde, vt vbique in Ecclesia Catholica obtinuerint, idque semper, *non interrupta serie temporum, certa connexionis successione*, vt loquitur Augustinus, contra Faustum Manichæum, libro XXVIII. Præclarè enim & verè Iulius Rugerius, Papæ protonotarius, in opusculo de libris canonicis & apocryphis, pronuntiat, *Traditionem nullam vllius esse ponderis, nisi nullis temporum intercapedinibus, interruptam ab Apostolorum vsque temporibus. Inde enim necessum esse traditionem manare.* Has vero conditiones in proposito argumento reperiri, quis tam væcors, qui ausit affirmare? quum sit nemini dubium, multa hodie credenda de B. Virgine iactari, & imperitæ plebeculæ obtrudi, quæ primitiua Ecclesia penitus ignorauit. Quare certissimum est quod dixi, frustra & inconsulto consilio Baronium illius axiomatis Augustiniani hoc loco mentionem fecisse.

XV. *Confirmatur multis rationibus iudicium Baronij de libro qui falſo tribuitur B. Hieronymo, De natiuitate S. Mariæ. Chriſtophorus de Caſtro notatur. Locus è Biblijs falſo citatus, etiam nonnullis è Patribus.*

APPARAT. Num. XXXIX.

REcte Baronius iudicat, cùm Hieronymi eſſe negat librum oppidò inſulſum De natiuitate Sanctæ Mariæ, quem ſuperiorum ſeculorum imperitia maximo illi viro attribuit. Sed diſſimulatum ab eo nollem, ſummum virum Eraſmum, multo ante ipſum de illo partu ſuppoſititio veram ſententiam pronuntiaſſe. Eraſmi iudicium ſecuti ſunt Melchior Canus & Sixtus Senenſis, atque hoc loco Baronius. At vide quàm altas radices fabularum & mendacij amor in multorum animis egerit. Librum enim palàm impium auſus non ita pridem defendere contra horum virorum iuſtiſsimam cenſuram, Chriſtophorus de Caſtro Ieſuita Hiſpanus. ô tempora! ô mores! audere aliquem in hac luce literarum ſcriptum tueri, quod primò conſtat pſeudepigraphum eſſe; deinde à peſtilentiſsimo hęretico profectum; poſtremò nugarum & impietatum eſſe plenum. Titulum eſſe falſum, ſtylus arguit. nomen enim B. Hieronymi ementitur; quum nulla ſit toto libello periodus, quæ ignorantiam, ἀχρισιάν, fatuitatem eorum non palàm faciat, qui inter flumen aureum dictionis Hieronymianæ & cœnum lutulentum plani illius diſtinguere neſciunt. Nec refert, quod titulo adiecta ſunt nomina Chromatij & Heliodori, ad quos in veris libris ſcripſit Hieronymus. nam eiuſmodi fuerunt ſemper artes eorum qui fictos à ſe libellos magnis auctoribus adſcribebant: vt aliqua ſimilitudine veri mendacium obtegerent. Ab hæretico eam ſcriptionem eſſe profectam, cur dubitemus? ipſe doli fabricator palàm hoc profitetur. non enim libri auctor poſtulat haberi, ſed interpres dumtaxat. verus auctor Seleucus Manichæorum Apoſtolus, notiſsimus hæreticus. Hic eſt qui in libro B. Auguſtini de fide contra Manichæos bis vocatur *Leucius*, quod verè Baronius monuit. ſed & *Leontius* in principio eiuſdem libri appellatur. *In Actibus*, ait Auguſtinus, *conſcriptis à Leontio quos ipſi accipiunt.* intelligit autem eum librum, de quo Pſeudohieronymus iſte initio, *Quidam Seleucus, qui paſsiones Apoſtolorum conſcripſit, hunc libellum compoſuit.* fortaſſe ſcripſerat *Leucius*: nam etiam in epiſtola Gelaſij, vbi varie concipitur hoc nomen, prima ſyllaba ſemper abeſt. in Romana editione Decreti, *Leuticius* aut *Leutius* vt ibi adnotant docti viri. in tomis Conciliorum *Leucius*. Scio tamen Seleucum hæreticum legi apud Philaſtrium, & Seleucianos ab eo denominatos, apud B. Auguſtinum. Verba Gelaſij Papæ inſignia ſunt:

ſunt: *Libri omnes quos fecit Leucius, diſcipulus Diaboli, apocryphi.* En qualem ſcriptorem defendit Ieſuita. nam vt modò dicebamus, eius libelli quo de agimus, iſte, qui ſub Hieronymi latere voluit nomine, auctor non eſt, ſed interpres tantum. *Proinde*, ait, *vt in Hebræo habetur, verbum ex verbo transferre curabo.* iterum: *ſic narrationis ſtylum tentabo*, (fort. *temperabo*) *vt non alia dicam, quàm quæ aut ſcripta ſunt, aut conſequenter ſcribi potuerunt.* Impietas vero iſtius Pſeudohieronymi, excuſari ſaluo pudore non poteſt: nam quum fateatur, Seleucum, ſiue Leucium de doctrina Apoſtolorum multa eſſe mentitum; ea tamen defendit, quæ ſunt ab eodem hæretico ſcripta de virtutibus & miraculis eorum. Poterátne hic planus apertius oſtendere, nullam ſibi eſſe curam veritatis, neque vllum ſe inter falſum & verum ſtatuere diſcrimen? Addit de eo ipſo libro quem vertebat: *ita & hîc multa non vera de corde ſuo confingit.* quis furorem hunc ſanus non deteſtetur? fatetur librum ab hæretico ſcriptum: fatetur multa auctorem de corde ſuo confinxiſſe: & tamen amplectitur, vertit, obtrudit. Sed audiamus facti defenſionem egregiam: *Illud libere dico, quod fidelium neminem negaturum puto; ſiue hæc vera ſunt, ſiue ab aliquo conficta, ſacroſancta S. Mariæ miracula præceſsiſſe; maxima conſecuta fuiſſe; & iccirco ſalua fide, ab ijs qui Deum facere iſta poſſe credunt, ſine periculo animæ ſuæ credi & legi poſſe.* Impium hominem, & ſtulte delirum! Nam ſi valet hæc ratio, vt credi omnia debeant, quæ aliquis hæreticus aut fanaticus finxerit, quia Deus illa poteſt facere: quid eſt cur deliria Rabbinorum, aut etiam Mahometis, reſpuamus? etſi enim ſtupenda ſunt, & inſana figmenta, quæ in libris Rabbinorum aut in Alcorano recitantur; nihil tamen eſt adeo portentoſe excogitatum, quod, ſi omnipotentiam Dei reſpicimus, fieri à Deo non poſſe credi debeat. Apage à religione Chriſtiana adeo abſurdã, adeo impiam ſententiam. Accipe cumulum impudentiæ, furoris, ſceleris: Nam exemplo Matthæi Euangeliſtæ, ſi Deo placet, impoſtor iſte factum tueri audet. *Siquidem*, ait, *ſanctum Euangeliſtam Matthæum eundem libellum liquet compoſuiſſe*, (quid ſibi velit hac voce neſcio: non enim potuit Matthæus librum compoſuiſſe, quem ſcripſit Seleucus, ſiue Leucius, vt ipſe hic impoſtor paullo ante dixit.) *& in capite Euangelij ſui Hebraicis literis obſignatum appoſuiſſe: quod an verum ſit auctori præfationis & fidei ſcriptoris committo.* hæc Pſeudohieronymus. Chriſtophorus de Caſtro qui nihil hic inuenit quod reprehendat, quàm bene ſentiat de Euangeliſta Matthæo ipſe viderit. ego & Matthæo & ipſi Spiritui Sancto, atque adeo etiam B. Virgini iniuriam fieri contendo ab ijs omnibus, qui fidem vllam iſtis nænijs habent: maiorem ab ijs qui defendunt, quod facit ille Ieſuita. Obſeruent etiam pij lectores

impudentiam

impudentiam vel Leucij vel Pſeudohieronymi, cum falſam ſententiam Scripturæ affingunt, quam pro baſi fabellæ ſuæ ſubſternunt. Ait enim : *Scriptura dicente, maledictum omnem eſſe, qui non genuiſſet maſculum in Iſrael.* vbi vero hoc ſcriptum eſt ? Sterilitatem & ἀτεκνίαν in populo Iudaico fuiſſe probro verſam, præſertim in fœminis, didicimus è verbis Rachelis, xxx. 23. & ſimilibus narrationibus, vt de Eliſabeta Luc. I. 25. at voce Dei pronuntiatam eſſe in ſteriles maledictionem, quam iſte affert, falſum eſt. Non tamen neſcimus verba illa quibus de nunc agimus, reperiri etiam apud nonnullos Patrum, vt Hieronymum, Auguſtinum, & Damaſcenum De recta fide libro IV. cap. CI. ſiue vt eſt in Latinis libris XXV. & fortaſſe etiam Chryſoſtomus eò alluſit, cum ſcribit ſterilitatem maledictionem quandam fuiſſe & condemnationem : in ſermone II. de Anna. καὶ ἀρά τις ἦν, καὶ καταδίκη τὸ στεῖραν εἶναι καὶ ἄγονον. ſed quum ea verba nuſquam in totis Biblijs reperiantur, ne in Græcis quidem aut Latinis ; fateamur neceſſe eſt, falſo ea Scripturis tribui. ſententia autem ipſa, niſi fallor, originem habuit vel ex male acceptis Dei promiſſionibus, Exod. XXIII. 26. & Deut. VII. 14. quaſi ceſſatio benedictionis ibi promiſſæ, ſit argumentum maledictionis : vel è lacunis Rabbinorum aut hæreticorum. Extat veſtigium eius ſententiæ apud Mercurium Triſmegiſtum. nam & ille ſub finem ſecundi ſermonis, eum qui liberos non genuerit, non ſolum infelicem pronunciat ; ſed etiam impium & in Orco pœnis afficiendum. μέγιστον, ait, ἀτύχημα καὶ ἀσέβημά ἐστιν ἄτεκνόν τινα ἐξ ἀνθρώπων ἀπαλλαγῆναι· καὶ δίκην οὗτος δίδωσι μετὰ θάνατον τοῖς δαίμοσι. *Infortunium eſt maximum, imò impium factum, ſi qui non ſublatis liberis è numero viuentium diſcedat. atque ab eiuſmodi homine, dæmones poſt mortem pœnas exigunt.* At Gregorius Nyſſenus eandem tractans hiſtoriam de qua Pſeudohieronymus, longe aliter loquitur, in diem natalem Chriſti : *Habebatur*, ait, *matribus ex Lege quidam honor, quo carebant fœminæ quæ liberos nullos ſuſceperant.* quàm diuerſa hæc ſunt à narratione Pſeudohieronymi ? Ioachimum igitur Mariæ patrem, priuſquam liberos ſuſtuliſſet vetitum eſſe à Pontifice, ſtare inter fœcundos infœcundum, eiuſque oblationem fuiſſe eo nomine repudiatam, cui perſuadebit hic impoſtor ? qua lege Dei, quo exemplo factum hoc poteſt defendi ? niſi fortaſſe ſolus Ioachimus inter tot myriadas populi Iudaici repertus eſt ἄτεκνος, quod videtur iſte ſciolus ſtulte crediſſe. Falſum eſt etiam quod in eo libello dicitur, cum beata Virgo eſt concepta, Pontificem fuiſſe Iſſacharem. hoc quoque à Baronio recte animaduerſum, & è Ioſephi vera hiſtoria confutatum : defenſio Chriſtophori inepta eſt ; non de ſummo Pontifice auctorem locutum, ſed de alio neſcio quo. Atqui conſtat in ea locutione

tione quam ibi vſurpat Pſeudohieronymus, ſemper appellatione Pontificis intelligi ſummum Pontificem.

XVI. *Confirmantur alia duo Baronij iudicia.* Pſeudoeuangelium Iacobi. Rabbenu Hakkados. Antoninus *Conſul ante Chriſtum nullus. Chriſtophorus à Caſtro notatur.*

APPARAT. Num. XXXVIII.

CÆſaris Baronij iudicium etiam in eo vehementer laudo, quod teſtimonia è Pſeudoeuangelio Iacobi reſpuit: item illa quæ Galatinus profert è ſcriptis R. Iudæ Naſi, quem Hebræi honoris cauſſa vocant Rabbenu Hakkados, vel ſimpliciter Rabbi. Mihi nondum contigit librum, qui circumfertur ſub nomine huius Rabbini גלי רזיא poſſe nanciſci: ſed ex ijs quæ inde Galatinus deſcribit, & quæ de illo Magiſtro apud alios Hebræos legi, non dubito cæterorum doctorum ſimilem eum eſſe, & οὐδὲν ὑγιὲς de re tanta præſertim ab eo poſſe ſperari. Antoninus vt vere ait Baronius, (etſi craſſo errore in eius editionibus quas vidi legitur Antonius) nullus reperitur in Romanis Faſtis Conſul ante natum Chriſtum. neque audiendus Chriſtophorus à Caſtro, qui vt falſam & fatuam opinionem defendat, fugit ad ſuffectos Conſules. ſed hoc quoque ἀπίθανον: & ante ætatem Chriſti nomen illud Antoninus in Latinorum libris non occurrit. Diceret potius, nomina Antonius & Antoninus ſæpe confundi in libris Rabbinorum: vt apud Abraham Zacuth folio CXLIII. Sed hoc quoque inane eſt: certum eſt enim hunc Rabbenu vixiſſe altero minimum ſeculo poſt natum Dominum. Lego in libris Rabbinorum, Sapientum quos ipſi vocant Tanaim, principem fuiſſe Simonem Iuſtum: vltimum Rabbenu Hakkados, quem poſtea exceperunt Amoræi, & hos Hagaonim. Vixiſſe hunc ſub Antoninis & æqualem fuiſſe Galeno qui in Hippocratem Commentarios & alia multa ſcripſit, auctor eſt idem Zacuth, Iuchaſin folio CXL. Quando igitur de aduentu Chriſti loquitur hic Magiſter noſter tanquam de re futura, apparet quo iudicio vtantur, qui tantum illi tribuunt.

XVII. *Expenditur Baronij dictum, de neceſſitate credendi, miracula facta fuiſſe in natiuitate B. Virginis. Baſilij locus. Cur de ijs miraculis ſileant Scripturæ. Vera miracula circa Virginem. Nicephorus Calliſtus notatur. Hippolytus Portuenſis falſo ab eo laudatus. Mathan Ioſephi auus an ſacerdos. Traditio Deſpoſynorum illuſtratur.* Eſtha. *Perſarum regnum ſub natiuitatem Domini nullum. Cleo-*

patra

patra & Casoparis. Germani Patriarchæ & Iohannis Damasceni falsæ affirmationes. φυλὴ *pro* πατριὰ, Tribus *pro* Familia. *Interpretum errores.*

Apparatvs, Num. XL.

AIt Baronius; *Magna & per omnia admiranda, quæ nec verbis satis digne persequi vlli possint; præcessisse natalem Dei genetricis Mariæ, non puto adeo angusti pectoris & emotæ mentis reperiri hominem, qui non intelligat.* rationem autem affert; quia magna quædam præcesserint natalitia, (dies natales, vel natiuitates voluit dicere) Samsonis, Samuelis, Ieremiæ & Iohannis Baptistæ. Si essent viæ Dei sicut viæ hominum, argumento huic Baroniano pondus magnum inesset. Nam beatam Virginem Christi Dei matrem, si opus intuemur ad quod diuina prouidentia ipsam ordinauit, omnibus Sanctis longe præcellere, nemo sanus negauerit. quare si quorundam Sanctorum natiuitates singulari aliqua ope Dei, vel etiam miraculis, fuerunt insignitæ; rationi admodum videtur consentaneum B. Virginis natiuitatem rerum maxime mirabilium euentu fuisse illustratam. itaque subijcit Baronius, *Quis abiecte nimis atque adeo humiliter de Deo sentiens, eum plura atque maiora elargitum esse seruis, quàm matri, & amico sponsi quàm sponsæ, mente captus dixerit?* Ista nimirum argumenta sunt, quæ curiosis ingenijs humana dictat ratio: neque dubium est, manasse ab hoc fonte figmenta μυρία ὅσα, quibus Deiparæ vel aliorum Sanctorum gloria videbatur augeri. Vidimus paullo antè Pseudohieronymum posito hoc fundamento, quod iam Baronius ex illo repetit; *præcessisse Mariam multa miracula, maxima consecuta esse*, libere postea pronuntiare, impuri Leucij hæretici nænias, *siue sint veræ, siue falsæ, sine periculo legi & credi etiam posse.* Sed Deum immortalem! quàm sunt hæc aliena à veræ Theologiæ principijs? nam diuina consilia humana ratione æstimare nefas. neque aliam ob caussam princeps ille Apostolorum Satanæ appellatione fuit increpitus; nisi quod, *non saperet ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Matth. XVI. 23. quippe viæ Dei non sunt viæ hominum, ait ipse apud Prophetam Isaiam, LV. 8. καὶ τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ τίς ἐνθυμηθήσεται); inquit Sapiens, Ecclesiastici XVI. 21. (*Consilia enim Dei, sicut iudicia, abyssus multa*, vt canit regius vates, XXXV. 6. Quare Baronij, non minus quàm Pseudohieronymi argumentationem plane reijcimus: non quia negamus in natiuitate gloriosissimæ Virginis facta fuisse diuinitus miracula; sed quia tacente Scriptura, curiosum putamus & periculosum, id velle inquirere. Quod autem putat Baronius, necessarium esse, si pij esse volumus, id credere; temere dictum censemus. Nam quis tu es, homo,

qui de consilijs Dei tam audacter pronuntias? Quis tu es, qui necessitatem imponis credendi ea quorum Spiritus Sanctus auctor & fundus non est? Ignoscent, credo, mihi Baroniani manes, si dixero, pluris apud me esse vnum Basilium Magnum, quàm multos Cardinales Baronios. Basilius in ea de Christi natiuitate dicit; necessarium esse si pij esse volumus, credere B. Mariam ante Domini partum mansisse virginem. quid post partum? id quoque dubio procul credidit Basilius, & nos credimus firmissime: cruciatus quosuis parati perpeti, cum bono Deo, prius quàm aliud quid nobis persuaderi sinamus: quoniam tamen id Scriptura non docet nos; vide quid diuinus ille Doctor pronuntiet: τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν: *quod superest, omittamus quærere, & mysterio, siue silentio relinquamus.* caussam ibidem affert; quia μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ. *nihil ea res pietatem lædit.* Enimuero an facta sint quædam miracula nascente B. Virgine, neque affirmare, neque negare quisquam potest. Illud constat, altum de ijs in sacra pagina esse silentium. Silentij caussam quæris? ne id quidem scire profiteor. Suspicor tamen, similem ob caussam siluisse ijs de rebus Spiritum Sanctum, propter quam Mosis sepulcrum vni sibi Deus voluit esse notum. Deuteron. XXXIV. 6. Nam vt vir sanctissimus Epiphanius in simili de B. Virgine disputatione olim dicebat, solent diuina oracula προλαμβάνειν καὶ ἐπασφαλίζεσθαι ἡμᾶς, occupare & multo ante munire hominum mentes aduersus exoriturum quandoque errorem. Sed de his agendi suus erit postea ξὺν Θεῷ εἰπεῖν locus. Baronius qui circa natiuitatem Ieremiæ miraculum agnoscit, quia dixit illi Deus, *Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te*: circa Sanctam Deiparam nullum agnoscit, nisi aliunde petitum, quàm è sacris literis; magnam ipsi Virgini facit iniuriam. Nam ecquod maius fingi potest miraculum, quàm hoc? electam esse ante iacta mundi fundamenta Virginem, cuius beata viscera Dei fierent augustissimum templum? in cuius vtero diuinæ & humanæ naturæ fieret concilium? ex qua Emmanuel nasceretur? quæ conciperet, pareret & virgo maneret? Horum & similium mysteriorum iugi meditatione mentes hominum occupari satius erat, quàm in exquirendis tot extra Sacram Scripturam miraculis; quæ vt concederemus esse vera (sunt autem pleraque ficta & falsa) minora tamen sunt, imò nulla ex parte comparanda cum ijs de quibus diximus. Iam quæ ad supplenda Euangelia colligit vndique Baronius paucis expendamus. De S. Anna Mariæ matre profert locum Hippolyti Martyris è Nicephori Callisti rhapsodijs petitum. Nicephorum hunc fabulosissimum esse scriptorem, & iudicij

iudicij in literis nullius, satis notum est eruditis, & nos supra monebamus. Quare equidem quicquid apud illum legitur, nisi alia accedat auctoritas, non pluris facio, quàm folia farfari. Ipse Baronius, quot locis istum fabulatorem aspernatur, reijcit, confutat? Qui vtinam sibi constaret, nec quod alibi destruit, idem alibi adstrueret. Quod igitur Hippolytum Portuensem Sanctum Martyrem, laudat Nicephorus, & locum à se allatum ex eius libris vult videri depromptum: nos falli Nicephorum contendimus, & falso libri titulo deceptum, nænias narrare, non veram historiam. Quis è veteribus Patribus vllius similis libri Hippolyti meminit? quis in eo argumento illum laudauit? Quum autem constet fuisse Hippolytum & grauem & pium doctumque virum; ne per Deum immortalem memoriæ Martyris faciamus hanc iniuriam, vt fabularum putidarum auctorem illum fuisse credamus. Fabula est quod iste Pseudohippolytus dicit, Mathanem Iosephi auum fuisse Sacerdotem. Nam hallucinatos esse illos qui putarunt alterum Euangelistarum, è duobus qui genealogiam Iesv Seruatoris proposuerunt, sacerdotalis stirpis personas recensere, supra est demonstratum. deinde vt id non esset, consentiunt omnes eius sententiæ auctores, sacerdotium per Nathanem esse deductum, qui apud Lucam, Salomoni Matthæi est ἀντίστοιχος & è regione respondet. Mathan ergo, qui non recensetur à Luca, sed à Matthæo, in regia stirpe à Solomone deriuata, sacerdos esse non potuit. Non extat hodie aliquid his de rebus ea traditione antiquius, quam Africanus à Desposynis Domini, vt ait, & cognatis acceptam, in epistola ad Aristidem retulit. Traditio illa sic narrat.

David.

Salomon. — Nathan.

Matthan. — Melchi.

Estha.

Iacob. — Eli.

Ioseph. — Ioseph.

Matthan & Melchi (qui apud Bedam & alios auctores dicitur Mathat; quomodo apud Lucam est scriptum) ἐκ μιᾶς τῆς αὐτῆς φυλῆς, ἐξ

 ἄλλης

ἄλλου δὲ γένους, ambo è tribu fuerunt Iuda, ambo è domo Dauid ; ſed tamen è diuerſis familijs orti, Matthan à Salomone oriundus, à Nathane Melchi, ſiue Mathat.

Matthan vxorem prior ducit Eſtham : Ἐσθᾶ γὰρ καλεῖσθαι τὴν γυναῖκα παραδέδοται, ait Africanus. Eſt Hebraicum אשה quod non eſt proprium nomen fœminæ, ſed commune omnium : vt ſi dicas ἡ ἄνδρα vel ἀνὴρ fœminino genere. Ex Eſtha naſcitur Matthani Iacobus, deinde mortuo Matthane eadem nubit τῷ Melchi, ſiue Mathat, & ex eo coniugio naſcitur Eli. Iacobus & Eli fratres vterini ; eiuſdem matris, ſed diuerſorum patrum.

Eli ducta vxore moritur ſine liberis : Iacob huic ex Lege Moſis ἀνέστησε σπέρμα, ſemen excitauit : & è relicta coniuge Eli tollit Ioſephum : natura quidem filium ſuum, ſed beneficio Legis filium Eli. Putat Africanus id ex Euangeliſtarum verbis poſſe colligi. nam Matthæi quidem verba ſunt ; Ματθὰν δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ· ὅς υἱὸς ἦν ὡς ἐνομίζετο τοῦ Ἠλί. *Matthan generauit Iacobum : qui erat, vt putabatur, filius Eli.* ſic enim ea verba modis indignis torquebat Africanus. Non puto extare aliquid iſtis aut antiquius, aut fide dignius. Quomodo igitur Sacerdos erit Matthan, quem vides non ſolum è tribu Iuda ortum, ſed etiam è ſtirpe Salomonis? Taceo Pauli teſtimonium, expreſſe negantis, quenquam vnquam è tribu Iuda miniſtraſſe altari. Hebræ. VII. 13. Matthanis vxor Africano dicitur Eſtha, Pſeudohippolyto Maria. Sed hoc non vrgeo. Quod autem ſequitur apud eundem falſo creditum Hippolytum, vixiſſe Matthanem & Mariam *ſub Cleopatræ & Caſoparis Perſæ regno*, quis ſanæ mentis legere poterit ſine riſu? Perſarum temporibus illis nullum fuit regnum, Parthis rerum ſummam in Oriente obtinentibus. Verum eſto : concedamus fabulatori, Perſarum appellatione Parthos eſſe intelligendos ; quæ, malùm, iſta Cleopatra eſt, Græci nominis mulier Regina Perſarum? quis iſte Caſopar? tum autem quis dicet mihi, vbi iſtud regnum fuerit? videtur enim, vt hæc narratio eſt, non longo interuallo ſeparatum fuiſſe à Palæſtina & Iudæa. Parthos Syriam ad breue tempus obtinuiſſe, & expeditionem in Iudæam feciſſe, immiſſo Pacoro Regis filio, anno ante Chriſti aduentum trigeſimo octauo aut nono, ſcimus ex hiſtoria Ioſephi decimaquarta, & Dione. Sed nulla in illis rebus narrandis commemoratur regina Cleopatra, nullus rex Caſopar : verùm Orodes pater Pacori, clade Craſſi nobilis. Non longe hinc Baronius probat libellum de natiuitate S. Mariæ non eſſe Hieronymi, verum imperiti cuiuſdam impoſtoris, quia Iſſacharem facit ſummum Pontificem, qui nullus fuit : cur hic quoque aduerſus Pſeudohippolytum eadem arma non expedit? cur diſſimu-

lat

lat tantam absurditatem vel fatuitatem? Laudat postea Baronius Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, & Iohannem Damascenum, quorum ætas remotissima à temporibus de quibus hic agitur; non multò enim ante annum à nato Christo octingentesimum vixerunt. Itaque de proposito argumento certi aliquid ab illis sperare; hoc vero esset grauiter delirare, & illius seculi homines ignorare. Damascenus posteros Dauidis ortos à Salomone & à Nathane separat tanquam essent diuersæ tribus; sæpeque illa verba repetit; ἐκ τῆς φυλῆς Σολομῶντος, & ἐκ φυλῆς Ναθάν. quod, nisi caute accipiatur, est absurdissimum. adeo enim è tribu diuersa non erant; vt ne è diuersa quidem gente: sed tantum è gentis eiusdem Dauidicæ familijs diuersis, Salomonica & Nathanica. Quare melius paullo ante idem Damascenus appellat σειράς, stemmata, series. quod verbi si retinuisset interpres, Græcæ linguæ imperitis & incautis occasionem errandi non præbuisset.

XVIII. *Collyridiani licet B. Virginem colebant vt Deam: non tamen docuerunt Mariam esse Deam, humanæ naturæ expertem, quod ait Baronius.*

APPARAT. Num. XLIII.

NOn videtur esse verum quod Baronius scribit; *Collyridianos hæreticos Dei genitricem Mariam humanæ naturæ prorsus expertem, ac diuinæ tantum participem fuisse dixisse.* Nam illæ mulierculæ quæ fatuissimæ sectæ erant antistites, de natura B. Virginis nihil docebant, quod quidem hodie sit compertum: sed ὑπερβολῇ θαυμάσαντες τὴν ἁγίαν, ait Epiphanius, εἰς τοῦτο ὑπερέπεσον τῆς αἱρέσεως τὸ ληρολόγημα: *supra modum sanctam Virginem admirati, in hæreseos suæ nugamentum inciderunt.* Lege diligenter totam illam Epiphanij disputationem; verbum nullum inuenies, vnde colligas iure eam fuisse Collyridianorum doctrinam. Idem in Anacephalæosi pag. 521. breuiter hæresin istorum explicat, hisce verbis: καὶ εἰς ὄνομα τῆς Μαρίας κολλυρίδας προσφέρουσιν, οἵτινες καλοῦνται Κολλυριδιανοί. eadem verba iterum pagina quoque 529. repetuntur, neque aliud quicquam additur. Scio scribere Epiphanium in hæresi LXXVIII. Collyridianos ἀντὶ Θεοῦ ταύτην παρεισάγειν ἑαυτοὺς ἐσπουδακότας καὶ σπουδάζειν, *conatos esse & conari, beatam Virginem pro Dea introducere.* sed ne ijs quidem verbis dicit idem Epiphanius cum Baronio. nam ille quidem ex institutis huius hæreseos colligit quod scribit, verissime: qui enim honorem Deo proprium mortali tribuit, quod in ipso est, facit illum mortalem Deum: Baronius verò longe aliter: qui ceu proprium isto-

rum

rum dogma refert, quod *B. Virginem humanæ naturæ prorſus expertem affirmarent.* hoc verò quis dixit veterum? vt taceam mulierculárum iſtarum mentem, ex ea diſputatione Epiphanij melius poſſe cognoſci, quæ eſt aduerſus illas ex profeſſo ſuſcepta ; quàm è præcedente, vbi tantum obiter ipſarum meminit. Quare autem Baronius hanc hæreſin ita concipiat, neque obſcurum eſt, neque hic pluribus dicendi eſt locus. Enimuero pater Annalium, ſi in anno ſaltem CCCLXXIII. num. XXX. quæ propria eſt ſedes huius hiſtoriæ, grauiſſimam Epiphanij diſputationem diligenter curaſſet expendere ; quid ſit diſcriminis inter veterem fidem & hodiernam doctrinam facile intellexiſſet.

XIX. *B. Auguſtini exceptio,* quia non eſt canonicum ſcriptum, nôn me conſtringit, *male accepta in Annalibus.*

APPARAT. Num. XLVI.

B. Auguſtinus Fauſtum Manichæum reprehendens, qui negabat B. Virginem natam fuiſſe in cognatione Dauid ; inter alia argumenta hoc etiam adhibet, longe omnium firmiſſimum : quod libris vteretur Apocryphis ad ſententiæ ſuæ demonſtrationem ; quibus nullum penitus eſſet pondus contra librorum Canonicorum auctoritatem. Afferebat autem ex Apocrypha Scriptura Fauſtus, Ioachimum patrem Deiparæ fuiſſe Sacerdotem : vnde ſequebatur neceſſario, fuiſſe ipſum è tribu Leui, non Iuda. Hanc obiectionem varie diluens Auguſtinus ; inter cætera ait, vel illud ſatis eſſe debere, quod ex ſacra quidem pagina certum ſit Mariam è tribu Iuda ortam : obiectio verò de tribu Leui, à Fauſto allata, teſtimonio dumtaxat nitatur librorum Apocryphorum ; quorum præ Canonicis nulla ſit habenda ratio. At Baronium offendit, quod dicat Auguſtinus, ex Apocryphis libris manare illud, Ioachimum Mariæ patrem fuiſſe ſacerdotem. An igitur voluit Baronius parem illis ſcriptoribus fidem haberi, ac Spiritui Sancto, qui in libris Canonicis loquitur? Qui verſati ſunt in lectione Patrum, non ignorant, appellationem Apocryphorum modò laxius, modò anguſtius ſumi. Quare quicquid de ſacris perſonis Veteris aut Noui Fœderis narratur præter verbum Dei, id cum libris Canonicis & θεοπνεύστοις comparatum, habetur Apocryphum ; & *quia non Canonicum eſt, non aſtringit*, vt ait verè & piè Auguſtinus : nam Traditiones originales, de quibus paullo ante ex eodem Patre dicebamus, locum hic non habent.

XX. Quæſtio

XX. *Quæstio de anno & die natæ Virginis. Festum eius diei quando institutum. Euodij liber apud Nicephorum vocatur in dubium. B. Virginem in Sancto Sanctorum fuisse educatam, videri fabulam. De Pontificis maximi aditu in eum locum obseruationes. Locus è Tragœdia* Christus patiens. *Mendacio veritas non defendenda.*

APPARAT. Num. XLVII.

SEquitur inuestigatio anni & diei quo nata est Virgo. Quum igitur sacra Scriptura tempus illud non indicauerit, & aliunde præsidium sit petendum: non video equidem, cur in hac quæstione à veteri Ecclesiæ traditione foret discedendum; si posset probari, opinionem quæ hodie obtinet à primis temporibus esse deriuatam. verùm de hoc non sine caussa dubitari potest. Mariæ enim natalis in diem octauum Decembris tunc primùm videtur fuisse relatus, quando institutum est in Ecclesia, vt ille dies natiuitati ipsius esset sacer. Hanc autem solennitatem primis seculis constat fuisse ignoratam. adeo vt ne temporibus quidem Caroli Magni in Gallia nota fuerit, quemadmodum obseruat Cardinalis Baronius ad Martyrologium. Fit tamen verisimile primis auctoribus solennitatis illius caussas non defuisse probabiles, cur illum potissimum diem natiuitati Mariæ assignarent. Anni vero inueniendi ratio vnica est; vt annis Domini anni XIV. addantur. Est enim traditio vetustissima, Deiparam cum Seruatorem pareret, annis ætatis suæ XIV. exactis, decimum quintum fuisse ingressam. Quod si παγίως adeo stabilitus esset annus nati Christi, ut de eo nemo dubitaret; eadem opera annus natæ Virginis esset constitutus, ex ista quidem hypothesi. Nunc scimus de anno assumptæ humanitatis à Christo, quàm diuersæ sint sententiæ. Quæ affert Baronius ad firmandam harum rerum fidem, partim incerta sunt, partim etiam falsa. Suspectus est ille Euodius, quem laudat ipse ex Nicephoro. nemo enim veterum, vt & ipse obseruat, eius scripti Euodiani mentionem facit: non Eusebius, non Hieronymus, non Epiphanius, veterum scriptorum Ecclesiasticorum diligentissimi inquisitores. Vnde igitur post mille firme & trecentos annos id scriptum emersit? non debuit tacere Nicephorus, vnde illud in manus suas venisset. Falsum est quod iste Pseudoeuodius narrat, beatissimam Virginem in Sanctis sanctorum annos vndecim egisse: neque mihi persuaderi vnquam poterit, tam insulsæ fabulæ priscum illum Euodium Antiochiæ primum Episcopum, fuisse auctorem. Nemo ignorat ad interiorem illam Templi Ierosolymitani partem, nemini ex omnibus mortalibus aditum patuisse, præterquàm summo Pontifici, & quidem semel

tantum

tantum in anno: quod expresse notat Apostolus ad Hebræos IX. 7. *In secundum,* inquit, *tabernaculum semel in anno summus Sacerdos ingreditur.* Iosephus belli Iud. libro V. cap. XIV. Τὸ ἐνδοτάτω μέρος εἴκοσι μὲν ἦν πηχῶν. διείργετο δ' ὁμοίως καταπετάσματι πρὸς τὸ ἔξωθεν· ἔκειτο δ' οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ. ἄβατον δὲ καὶ ἄχραντον καὶ ἀθέατον ἦν πᾶσιν· Ἁγίου δὲ ἅγιον ἐκαλεῖτο. Ruffinus vertit: *Intima templi pars viginti cubitorum erat. discernebatur autem similiter velo ab exteriore: nihilq; prorsus in ea erat positum: inaccessa vero & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur; Sanctiq; Sanctum vocabatur.* capite sequente de summo Pontifice: εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνον ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ Θεῷ. *semel in anno ingrediabatur: eoque die moris fuit, vt populus vniuersus in Dei honorem jeiunaret.* In libello quem Agrippa Rex Caio obtulit, quique à Philone recitatur, locus ille vocatur τὰ ἄδυτα τοῦ ναοῦ, *Templi Adyta*: tantam autem fuisse loci religionem & sanctimoniam Agrippa confirmat; vt non dicam laici, aut etiam sacerdotes Pontifici summo propiores gradu; verùm etiam ipse Pontifex maximus, si vel sæpius in anno quàm vnico duntaxat die, aut illo ipso die, si ter aut quater eo ingrederetur, mortis supplicium sine vlla spe veniæ fuerit ipsi subeundum. Verba Agrippæ sunt: Εἰς τὰ ἄδυτα ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ μέγας ἱερεὺς εἰσέρχεται τῇ νηστείᾳ λεγομένῃ μόνον, ἐπιθυμιάσων, καὶ κατὰ τὰ πάτρια εὐξόμενος φορὰν ἀγαθῶν, εὐετηρίαν τε καὶ εἰρήνην ἅπασιν ἀνθρώποις. κἂν ἄρα τις που, οὐ λέγω τῶν ἄλλων Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱερέων, οὐχὶ τῶν ὑστάτων, ἀλλὰ τῶν τὴν εὐθὺς μετὰ τὸν πρῶτον τάξιν εἰληχότων, ἢ καθ' αὑτὸν, ἢ καὶ μετ' ἐκείνου συνεισέλθῃ· μᾶλλον δὲ κἂν αὐτὸς ὁ ἀρχιερεὺς δυσὶν ἡμέραις τοῦ ἔτους, ἢ καὶ τῇ αὐτῇ τρὶς ἢ καὶ τετράκις εἰσφοιτήσῃ, θάνατον ἀπαραίτητον ὑπομένει. Omitto testimonia ipsorum Rabbinorum, ad caput Leuitici XVI. vbi est huius ritus diuina institutio. Quomodo igitur trimula virgo ibi collocata est? quis illam curabat? an illa statuæ similis sine cibo, sine potu, sine lecto, sine consuetudine cuiusquam mortalium, solitariam ibi degebat vitam? Volunt enim auctores huius fabulæ, totos vndecim annos ibi hæsisse Virginem θεοτόκον, fuisseque illi Sancta sanctorũ pro cubiculo vel cella in qua perpetuo maneret. Audi Germanum Constantinopoleos Patriarcham, in oratione de oblatione Virginis. *Vbi non sæpe, sed semel solum in anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc ea, vt ibi perpetuo maneret, à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis rem talem vnquam cognovit? Quis audiuit ex his qui nunc sunt, aut vnquam fuerunt, fœminam quæ adduceretur in intima sancta sanctorum; ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet & versetur?* Non me fugit, auctorem Tragœdiæ Christus patiens dicere Mariam ministerio Angelorum nutritam & curatam fuisse cum erat in Templo: nam hoc volunt sibi isti versiculi:

Μήτερ

Μήτηρ μ᾽ ἔδωκεν ἱεροῦς ἀμφὶ δόμους·
Ἔνθ᾽ ἐκτρέφουσαν χερσὶν ἀγγέλου ξένως,
Εἰς χαιρετὸν ἀνδρὶ σώφρονι ἐκδέδωκέ με,
Γεροῦσία ξύμπασα.

ſed rem tantam quis poetæ credat? aut quis putet tantum miraculum potuiſſe ita obſcurari, vt neque Ioſephus, neque æqualium ſcriptorum quiſquam eius meminerit? Supra omnia eſt Scripturarum ſilentium, quod curioſitati noſtræ fibulam debet imponere. Quod igitur rei tam admirandæ, & ab omni probabilitate adeo remotæ, diuiniſque inſtitutis Iudaici cultus repugnantis, neque ſacræ literæ, neque primorum & meliorum ſeculorum auctores, vllam mentionem faciant; nemo iure ijs ſuccenſeat, qui fidem illius vocare in dubium non verentur. Fauemus nos quidem toto pectoris affectu gloriæ τῆς παναγίας θεοτόκου Virginis: ſed fingi mendacia in eum finem, aut fictis haberi fidem; hoc verò nos zelo veræ pietatis ſuccenſi, ferre non poſſumus, & in ipſius Mariæ contumeliam cedere non dubitamus. Iohannis Chryſoſtomi in Matthæum diuina vox eſt: Μή μοι γένοιτο ἀπὸ τοῦ ψεύδους τὴν ἀλήθειαν συστῆσαι. *Abſit à me, vt veritatem per mendacium velim ire confirmatum.*

XXI. Nouatores *qui hodie dicendi. Teſtium nubes diſcutitur à Baronio laudatorum, vt probet B. Virginem annos* XI. *in Templo manſiſſe. Io. Damaſcenus fabuloſus interdum ſcriptor. Expenditur Gregorij Nyſſeni locus. Reijcitur fabula de Virginibus monialibus Iudæorum in Templo degentibus.*

Apparat. Num. XLVIII.

Verba ſunt Baronij de Virgine *Deipara: Trimulam, quod parentes vouerant, in Templum allatam, vndecim illic egiſſe annos, ijdem quos iam retulimus auctores teſtantur; nimirum Euodius, Gregorius Nyſſenus, Iohannes Damaſcenus, Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Andreas Cretenſis, Georgius Epiſcopus Nicomediæ, & alij.* ſubijcit his: Orthodoxorum neminem diſſenſiſſe hactenus: ſolos eſſe noſtri temporis Nouatores, quibus hæc diſpliceant. De Nouatorum appellatione ſuo loco diſputauimus. euicimus certis rationibus, iniquum eſſe Nouatores illos dicere, qui Verbo Dei, quo nihil habet Eccleſia antiquius, ſtare ſunt parati: quique doctrinam & hiſtorias primis ſeculis notas atque probatas, vt de quarum veritate conſtaret, ſincere & ex animo admittant. At ſi quis res neque ſacra pagina comprehenſas, neque traditione acceptas à primis Eccleſiæ Doctoribus; ſed poſt multa demum

ſecula audiri in Eccleſia ceptas, pro veris, certis, & indubitatis haberi poſtulet; hoc eſt noua pro veteribus obtrudat; is Nouator an Veterator dici debeat, æqui lectoris & pietatis pariter atque veritatis ſtudioſi iudicium eſto. Quod ad præſentem hiſtoriam attinet; equidem ſi à primis Eccleſiæ temporibus, traditionem conſtaret deriuatam; minus mirarer Baronium adeo cupidè illam propugnantem. Sed non ita eſt: & ludit nos Cardinalis ſua illa teſtium nube. Euodius primo, ex hoc albo expungendus: probauimus enim falſum eſſe & fallere Nicephorum, quando in hoc argumento Euodium laudauit. Damaſcenus, Germanus, Andreas, Gregorius Nicomedienſis, recentiores ſunt ſcriptores, quàm vt de rebus tam antiquis tutò poſſit illis credi. Nam quis credat iſtos de rebus quæ natiuitatem Chriſti præceſſerunt, certiora potuiſſe cognoſcere, quàm primi ſeculi homines, aut proxime inſecutorum? Omnes iſti poſt annum quingenteſimum vixerunt: quidam circa octingenteſimum. Damaſcenum qui vetuſtate nonnullis aliorum præſtat, eruditione, vt videtur, omnibus; non ſolum leuem, ſed etiam futilem, vanum & mendaciorum pleniſſimum aliquando ſcriptorem eſſe, ipſe Baronius pronunciat in anno XXXI. num. 75. & nos ibidem clare probamus. illi ALII, qui in Baroniana acie agmen claudunt, ſunt Cedrenus & eiuſdem farinæ recentiores ſcriptores: quorum libros plures interdum fabulas quàm hiſtorias continere, nemo hodie ignorat, & conditor Annalium ſæpe queritur. Igitur ex illo tam denſo teſtium agmine, ſolus reſtat Gregorius Nyſſenus, cuius habendam eſſe cum primis rationem, nos quoque vltro fatemur. Quidni autem? Baronianam aſſertionem nemo validius labefactauerit, quàm facit hic Pater. Narrat Gregorius homilia in natalem Domini, matrem Mariæ votum nuncupaſſe, ſi quis infans ſibi naſceretur, fore vt eum Deo conſecraret. poſtquam nata & à lacte depulſa Maria, matrem votum ſoluiſſe; & ad Sacerdotes filiam adduxiſſe. *Sacerdotes autem*, inquit, *quamdiu paruula fuit, ad Samuelis ſimilitudinem in ſacris ædibus educarunt; ſed cum iam adoleſceret, conſulebant, quidnam agerent de ſacro illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturæ legi illam ſubijcere, vt cuipiam in matrimonio collocata ſeruiret, abſurdiſſimum videbatur. Inſtar enim ſacrilegij fuiſſet, ſi muneris Deo ſacrati dominus homo fieret. Legibus enim erat conſtitutum, vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rurſus inter ſacerdotes in templo verſari, atque in ſanctis ædibus conſpici, nec lex nec grauitas permittebat.* Hic primò obſeruandum, non tradi hæc à Gregorio tanquam certam hiſtoriam, aut indubitatæ fidei traditionem: nam & narrationis initio profitetur, hæc ſe accepiſſe *ex hiſtoria quadam incerti auctoris*: & poſt rem narratam, *Hæc*, inquit, *Mariæ vox declarat, ea quæ*

ex

ex historia incerti auctoris commemoraui, non esse penitus absurda. Si ætate Gregorij liber aliquis extitisset Euodij, illius primi post Petrum Episcopi Antiocheni, qualem multa adeo post secula extare credidit Nicephorus; de fide historiæ quam narrabat non dubitasset Gregorius. Nunc quum adeo locuples & vetustus auctor fateatur eam esse ἀδέσποτον, quæ potest hodie necessitas esse id credendi? Vide vero, lector candide, inter Patrem hunc & Baronium, quid quantumque intersit. Gregorius à nemine exigit vt historiæ credat, quam ipse narrat: incerti auctoris illam esse, ingenue profitetur; neque aliter illam commendat, nisi quod penitus absurda non videatur. Baronius plurima assuit narrationi Gregorianæ, è recentioribus scriptoribus: deinde, si quis illa in dubium vocet, clamat, conuitijs lacerat, Nouatorem appellat. Sed demus illi, quod non dat Gregorius, illam incerti auctoris narrationem esse veram; ergo falsum est quod modò affirmabatur de mansione Mariæ in Sanctis Sanctorum per annos vndecim: nihil enim eiusmodi Gregorius narrat. Quin si narrationem illius diligenter expendas, intelliges facile, B. Virginem, quando Sacerdotibus trimula est tradita, inter liberos ipsorum educanda, non ea lege datam esse, vt cælebs perpetuo maneret. Nam quare de illius nuptijs postea deliberarent Sacerdotes? Si illis temporibus fuisset vsu receptum, vt virgines Deo consecrarentur, vitam in cælibatu acturæ, sicut postea in monialibus Christianis fuit institutum: deliberationi illi Sacerdotum nullus fuisset omnino locus. Ac licet admirandæ Virginis admiranda sanctimonia animos illorum religione impleuit, vt γάμων κρείττονα illam pronuntiarent, & præstantioris indolis, quàm vt communi fœminarum lege mariti imperio esset subijcienda; tamen hoc ipso quod ea super re illis deliberandum fuit: recte colligas, virgines moniales quæ in Templo manerent, nullas Iudæis tum fuisse. Euincit hoc ipsum etiam Scripturę silentium; item Iosephi & omnium Rabbinorum: in quorum libris quum descripta accurate legantur omnia Leuitarum Sacerdotumque munia, necnon Nazareorum & Rechabitarum instituta & πολιτείαι, & hoc amplius cunctarum sectarum disciplinę: mirum est de solis Virginibus istis monialibus, verbum extare ne vnum quidem. Sed eiusmodi Virgines nullas tum fuisse, nemo docuerit nos melius, quàm hic ipse Nyssenus, hoc ipso in loco. Nam quid aliud sibi illa verba volunt? *Mulierem inter Sacerdotes in Templo versari, atque in sanctis ædibus conspici, nec lex, nec grauitas permittebat.* Merito igitur Bellarminus cùm origines religionum in Scripturis rimaretur, commentitias istas Virgines silentio pręterijt. De monachis libro 11. cap. v.

 XXII. *Expenduntur*

XXII. *Expenduntur rationes Baronio allatæ, vt probet fuiſſe in Templo Iudæorum viros & fœminas voto religionis adſtrictas. De cellis circa Templum, vbi dicuntur habitaſſe viri & virgines Deo dicatæ apud Iudæos. Verus illarum vſus oſtenditur.* γυναικωνῖτις *in Templo. Locus Ioſephi.*

Apparat. Num. XLIX.

PArum eſt Baronio moniales Iudaicas auctoritatibus ſtabilijſſe: niſi etiam argumentationibus idem euincat. Ergo etiam iſtas diſcutiamus; parati cedere, ſi quid modò roboris in illis inueniamus. Affert legem de votiuis perſonis: quarum redemptio quũ penderet ab arbitrio vouentis; probat exemplo Samuelis, fuiſſe quoſdam, qui à parentibus non redimerentur, annuæ pecuniæ penſione; ſed in Templo remanentes Deo ſeruirent. Errat primo Baronius de pecuniæ annuæ, vel vt mox appellat, cenſus annui penſione. Scriptura nos docet Leuitici cap. XXVII. votiuas perſonas non penſione annua, ſed vnica ſolutione pretij, à Deo ipſo definiti, fuiſſe redemptas. Errat deinde cum putat, perſonas ex voto relictas ad ſeruiendum Deo, corpus aliquod confeciſſe, qualia ſunt hodie corpora monachorum per ſodalitates coëuntium. De Samuele narrat Scriptura ipſum coram Deo miniſtraſſe, non quidem in vlla parte muneris Sacerdotalis, vt recte obſeruat Gloſſæ auctor, Samuelis, ſiue primo Regum II. 18. verùm in alijs miniſterijs vilibus & minutis, quæ etiam ab ijs poterant, vt videtur obiri, qui non eſſent è tribu Leui. quanquam & Samuel fuit Leuita, vt conſtat è I. Paralip. cap. ſexto. Adoptatum vero fuiſſe ipſum in aliquã ſocietatem, quę ſeparatũ corpus conſtitueret, Scriptura non dicit. Iuriſconſulti ſine lege loqui erubeſcunt: Theologis licebit de diuinis inſtitutis quiduis ex animi libidine fingere? De virginibus votiuis ad ſeruiendum relictis, nec redemptis, nihil Scriptura: nullum præceptum; exemplum nullum: nam quæ mox affert Baronius, inania reperientur. Nos igitur tacente verbo Dei ἐπέχωμεν: etſi propter verba Gregorij Nyſſeni, quę in extrema diſputatione ſuperiori expendebamus, negare certò poſſumus, in Iudaicis inſtitutis tale quicquam fuiſſe. Baronij vero ſingularem prouidentiam licet hoc loco mirari: qui poſtquam corpora Deo dicatarum virginum in ritibus Iudaicis inuenit, quę nos inuenire non poſſumus; de tecto ſtatim illis proſpicit. Exſpecto quàm mox exorietur aliquis, qui cœnobia virorũ & fœminarum in vrbe Ieruſalem alicunde nobis exſculpat. Baronij ſententia ſiue potius Petri Caniſij Ieſuitæ & aliorum, qui ante Baronium idem ſomniarunt; ab eiuſmodi commento non procul abeſt. Ait, circa Templum

à

à Salomone exſtructum cellas fuiſſe ter tricenas, ſiue nonaginta, alias alijs impoſitas; atque eaſdem cellas in Templo poſt reditum à Babylone extitiſſe, probat è capite tertio Eſdræ. Sed hæc probatio non ſatis firma: neq; enim ibi dicitur expreſſe, quod vult Baronius. quin ex hiſtoria contrarium elicias. Nam auctor eſt Ioſephus lib. xv. cap. xiv. Reges Perſarum, Cyrum, & Darium, quorum permiſſu ſurgebat illud ędificium, ſtructuræ modum certum definijſſe; μέτρα ait, τῆς δομήσεως ἐδόσαι: ac propterea defuiſſe illi in altitudine cubitos ſexaginta vt prius æquaret. Sed coniecturas iſtas iam nihil moramur. Concedimus nos etiam, in domo ſecunda, illa quoque quam exſtruxit Herodes, cellas, fuiſſe τριστέγους, ideſt, trium contignationum: etſi an fuerint cellæ nonaginta vt olim, dubito. Ioſephus Belli Iud. lib. v. cap. x iv. περὶ δὲ τὰ πλευρὰ τοῦ κάτω ναοῦ, δι' ἀλλήλων ἦσαν οἶκοι τρίστεγοι πολλοὶ, καὶ παρ' ἑκάτερον εἰς αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πύλης εἴσοδοι. τὸ δ' ὑπερῷον, τούτους μὲν οὐκ εἶχε, παρ' ὅσον ἦν καὶ στενότερον forsaſſe ſcribendum τοσούτους *tot cellas non habuit.* non τούτους. *has cellas* ſuperioribus, inquit cænaculis, non ſunt tot cellæ adſtructæ; quia illa pars anguſtior eſt, quàm inferiores. Ruffinus tamen aliter & cum vulgo. Sic enim vertit. *Circa latera inferioris Templi multa erant membra peruia triplici tecto ſuſpenſa; & ad vtrumq; latus ad ea introitus à porta patebat. Deſuper autem pars eadem membra non habebat, quo minus erat anguſtior.* hoc eſt, anguſta. ſic tamen etiam in ſcripta lectione Ruffini offendimus. verum hæc obiter. In his igitur cellis fœminas Deo voti cauſſa oblatas ſeparatim degere potuiſſe, ait Baronius. Atqui certum eſt, partem illarum cellarum deſtinatam fuiſſe ad cuſtodiam rerum ſacrarum, theſaurorũ, veſtium, ſuppellectilis, & annonæ: partem inhabitatam fuiſſe ab illis qui in Templo quotidie miniſtrabant. Ac licet demus cellas fuiſſe nonaginta; tamen ſi conſideres multitudinẽ miniſtrantium ſacerdotum, Leuitarũ, cantorũ, ianitorũ, curſorũ & aliorũ miniſteriorũ, apparet valde illos anguſte habitaſſe. An igitur putabimus, inter tot millia virorum virgines Deo ſacras habuiſſe ſuas monas? non ſinit nos iſtud exiſtimare ſuperior ille Nyſſeni locus; ac ne honeſtas quidem publica id permittit. In Scriptura harum cellarum frequens habetur mentio. III. Regum, v I. 5. tota illa ædificatio appellatur יציע quaſi ſubſtructio, ſiue, ædificium muris ædis ſacræ ad magnam altitudinem pertingentibus, quaſi ſubſtratum. ibidem ſingulæ cellæ dicuntur צלעות סביב quaſi dicas prominentes coſtas circa ædificium Templi. Scholiaſtes Salomon Iarchi, addit aliam appellationem תא quæ vox de illis cellis vſurpatur, vt I Regum, x I v. 28. In typo futuri ædificij, quod Dauid Salomoni exhibet I. Paralipom. x x v III. 12. nominantur לשכות סביב cellæ circa Templum: atque ibi oſtenditur cui vſui eſſent futuræ: nempe

nempe ad custodiam thesaurorum duplicis generis, domus Dei & rerum sacrarum. Ex libro Nehemię & alijs locis apparet, ephemeriam Sacerdotum, quę hebdomadis suę vicem obibat, ibi habitasse; ibidemque pleraq; rerum sacrarum reponi solita. De collegijs virorum aut virginum Deo seruientium & ex voto separatim viuentiũ, in tota Scriptura nihil. Apud Iosephum pag. 841. bis nominatur in descriptione Templi, ἡ γυναικωνῖτις. *gynæceum*, locus mulierum. fuerunt qui rem factam putarent, & virgines sacras ibi collocarent : sed horum cœcitatem iure castigat Baronius : nam Iosephus locum illum ita describit, γυναιξὶν ἴδιον πρὸς θρησκείαν χῶρον, *proprium fœminis locum ad cultum*, id est, dum sacris erant operatæ.

XXIII. *Expenduntur exempla Baroniana Virginum Iudæarum Deo dicatarum. I. Iosaba Iorami Regis F. II. Mulieres in ostio Tabernaculi excubantes. Græca versio notatur. III. Anna prophetissa. IV. Virgines reclusæ in libris Maccabaicis. Mos veterum educandi virgines domi conclusas apud Iudæos & Græcos. Exponitur contra Baronium locus è II. Maccab.* αἱ κατάκλειστοι. Casariæ. τὰ οἰκουρήματα.

Apparatvs, Num. LIII.

Nunc exempla consideremus virginum Deo dicatarum, quæ profert Baronius. Primum est Iosabæ filiæ Regis Ioram, quæ Ioasum Ochoziæ F. furentis Athaliæ oculis furtim surreptum, in templo clam habuit per sex annos. Historia extat secundo (Latinis quarto) libro Regum, cap. XI. vnde illam depromsit Baronius. sed in II. Chronicorum, siue Paralipom. cap. XXII. vbi eadem repetitur, Iosaba hæc, siue Iosabeth, vxor fuisse dicitur Ioiadæ sacerdotis, ἀρχιερέως, vt semper vocatur Iosepho in ea narratione, libro nono; & certum est. Nihil autem in hac re fecisse Iosabam non conscio marito ostendit Iosephus, & confirmat Scriptura. nam pro eo quod in illo libro Regum cap. XI. 3. dicitur Ioasus fuisse annos sex אתה *cum ea* nempe Iosaba : in libris Chronicorum scriptum est אתם *cum eis*. videlicet Ioiada & eius vxore Iosaba. Vnde colligant Baronius & alij Iosabam fuisse Deo dicatam, aliud nihil video in tota hac narratione, præter voculam האת male intellectam. putarunt enim ideo mansisse Iosabam in æde sacra, quoniam erat ipsa Deo dicata. sed comparatio cum altero loco quem attulimus, hoc potius docet; mansisse Iosabã in Templo, quia maritus ipsius Pontifex Maximus ibidem habitabat. Quare in isto quidem exemplo *Baronius* ἡμάρτηκεν, οὐκ ἔτυχεν Sequitur locus Exodi,

di, cap. XXXVIII. 8. vbi fit mentio mulierum excubantium in oſtio tabernaculi. poterat Baronius alterum adijcere, I. Samuel. II. 22. his duobus tantum locis Hebraicum verbum צבאות de fœminis vſurpatur, ſtudio pietatis ad tabernaculum conuenientibus, vbi zelus pietatis & deuotio voce emphatica eleganter exprimuntur. Gloſſa vetus, Barbare quidem, ſed aptè, *circumexercituare tabernaculum.* hoc eſt, turmatim conuenire ad portam tabernaculi. Hebraicum verbum στρατεύ-εσθαι ſignificat & militare. Fortaſſe, quia in Iudaico cultu choreæ interdum ducebantur, & ſaltationes celebrabantur, quarum ſæpe in Scriptura mentio; eo verbo chororum ordinatio & ſeparatio in varias caterua, innuitur. Alibi de viris in Tabernaculo miniſtrantibus ponitur, vt Num. IV. 23. vbi Seniores LXX. exprimunt voce λειτουργεῖν. at in loco Exodi, quem paullo ante indicauimus, (ſi non eſt menda in Græca verſione) צמים abſurde legentes pro צבים verterunt αἳ ἐνήστευσαν, *quæ ieiunarunt.* Paulus ſimilem deuotionem aliter denotat, cùm iubet viduas, προσμένειν ταῖς δεήσεσι καὶ ταῖς προσευχαῖς, νυκτὸς καὶ ἡμέρας. I. Timoth. v. 5. *inſtare obſecrationibus & orationibus, nocte & die.* Locum è libro Exodi, ita explicat paraphraſta Ionathan. *Et fecit concham æneam, & baſin eius æneam, è ſpeculis æreis mulierum verecundarum* ; (honeſtarum;) *quo autem tempore veniebant ad orandum in porta tabernaculi conuentus, ſtabant iuxta oblationem eleuationis ſuæ,* (eleuationem oblationis ſuæ) *& laudabant & confitebantur : deinde reuertebantur ad viros ſuos & pariebant filios iuſtos, quo tempore purgatæ erant à ſordibus ſanguinis ſui.* habes hic prolixam deſcriptionem matronarum piarum, alternis rem diuinam & familiarem curantium : non, vt putat Baronius, quæ Deo ſacræ in eius cultu eſſent totæ. Vox *excubabant,* minus commode vſurpata Latino interpreti, falſæ opinioni videtur occaſionem præbuiſſe. inde enim natus Baronij & aliorum error, exiſtimantium ſacras intelligi fœminas, quæ de Templo non recederent. Addit Baronius, *hoc inſtitutum exſtructo Templo non ceſſaſſe, ſed magnifice auctum fuiſſe* : idque exemplo confirmat Annæ prophetiſſæ; quæ teſte Luca, II. 37. οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. Sed errat vehementer, exiſtimans Annam Templum inhabitaſſe : eſt enim locutio petita è vulgo, qua denotatur aſſiduitas frequentandi loca ſacra. Simile illud Pauli, quod modo afferebamus, *precibus immorari diebus ac noctibus* : pro, Deum frequenter atque aſſidue precari. Sic Lucæ verba exponunt rectè, Gloſſæ auctor, Maldonatus, & alij interpretes. Vide amplius de hoc exemplo Exercitatione II. 9. Sequitur locus è libris Maccabaicis : *Mentio habetur,* inquit Baronius, *& in libris Maccabæorum de recluſis virginibus in Templo, quæ procurrebant ad Oniam ſummum Pontificem.*

Bene

Bene est : habemus iam Virgines reclusas, in populo Iudaico : non minus quàm posteriora secula monachos & moniales ἐγκλείστους, quorum in Ecclesiastica historia non infrequens mentio. Sed hæc nugatoria sunt, & homine mediocriter docto indigna, nedum Cardinale Baronio. In II. Maccabaico, cap. II. narratur tumultus ingens Ierosolymis factus, cum Heliodorus vrbem esset ingressus, ad Templi thesauros Syriæ Regi deferendos missus. Ait initio auctor, magnam fuisse ciuium omnium tota passim vrbe anxietatem : ἦν δ' οὐ μικρὰ καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἀγωνία. versu 14. deinde oratorum more rem exaggerans, singulos ordines commemorat. Sacerdotes versu 15. Summum Sacerdotem versu 16. & 17. ciues omnes versu 18. matronas nominatim versus 19. priore parte. Ait illas in publicum progressas cultu lugubri, saccis succinctas more Iudaico. deinde addit de virginibus : αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων, αἱ μὲν συνέτρεχον ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰ τείχη, τινὲς δὲ διὰ τῶν θυρίδων διέκυπτον. *Virginum quæ erant conclusæ, aliæ ad vestibula & portas concurrebant, aliæ ad parietes, quædam per fenestras exerto collo prospectabant.* Hic nulla Templi, nulla Oniæ summi Pontificis mentio : de suo igitur addit Baronius illa, *in Templo*, contra manifestam auctoris mentem. loquitur enim ille de omnibus vrbis totius puellis honestioris loci, quæ educabantur in domibus parentum, & proprijs sibi cubiculis, neq; prodire foras sinebantur. Doctè Glossæ quam dicunt ordinariam, auctor. VIRGINES QVAE CONCLVSAE ERANT. *id est, de domibus parentum non exibant, ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis : tamen in illa turbatione exibant præter morem solitum currentes ad Oniam.* Sed Baronius alteram interpretationem magis probat, de qua sequitur ibidem. *Aliqui tamen exponunt hoc, dicentes, quod aliquæ virgines nobiles prope Templum custodiebantur inclusæ, vsque quo nuptui traderentur.* hæc vero non est legitima interpretatio, sed friuola hariolatio : nonnihil, vt videtur, eò confirmata, quia Latinus interpres deprauatis vsus codicibus, Oniæ summi Pontificis mentionem importunam in hunc versum iniecit. Græca planissima sunt, neque potest dubitari Latina esse corrupta ; non vtique culpa Interpretis aut librarij ; sed vitio librorum, quibus ille est vsus. Cum Græcis libris consentit historia Gorionidæ, in descriptione huius tumultus, libro III. cap. XV. in editione Veneta. Virgines igitur κατάκλειστοι, non sunt religionis caussa reclusæ ; sed est honestiorum virginum epithetum, vt Grammatici appellant, perpetuum. Olim enim apud Iudæos, Græcos plerosque, & Romanos, virgines domi continebantur in proprijs œcis, quos Græci appellant παρθενῶνας, cellas virginales ; eratque ea pars gynæconitidis. Iccirco non minus apud poetas Græcos, quàm in libris Maccabaicis, virgines

dicuntur

dicuntur κατάκλειστοι. Apud Hephæstionem extat hoc Lyrici poetæ fragmentum.

Ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος,
Τὼ οἱ φασὶ τεκόντες
Ἐυναίους ὀαρισμοὺς
Ἔχειν ἴσον ὀλέθρῳ.

Alludit fortaſſe ad hunc morem auctor Sapientiæ Sirach, cum XLII. 10. ait, θυγάτηρ πατρὶ ἀπόκρυφος ἀγρυπνία. *Filia eſt patri ſuo cauſſa occulta vigilandi*, ſiue, anxie & ſollicite viuendi. Sed magis ad rem facit, quod virginem Hebræi appellant עלמה quaſi dicas abſconditam, κατάκλειστον. Vnde Hieronymus in Quæſtionibus, ſiue Traditionibus Hebraicis: ALMA, *quod interpretantur abſcondita, id eſt, virgo nimia diligentia cuſtodita.* Multa de hoc inſtituto Iudaico ſcribit Philo in libro De legibus in ſpecie. & apud incertum illum auctorem Tragœdiæ Chriſtus patiens, B. Virgo rationem vitæ ſuæ explicans, hoc primum dicit; domi ſe manſitaſſe, ne male audiret, more illarum quę foras amant prodire.

Πρῶτον μὲν οὖν γε κἂν προσῇ, κἂν μὴ προσῇ,
Ψόγος γυναιξὶν, αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
Κακῶς ἀκούειν, εἴ τις οὐκ ἔνδον μένει.
Οὗ τοῦ πόθον παρεῖσ', ἔμιμνον ἐν δόμοις
Εἴσω μελάθρων.

Contra, ſcortum aliquot locis in Targumim appellatur נפקת ברא *exiens foras*. Vide Eliam in Thisbi. Apud Græcos ſcriptores virgines θαλαμευόμεναι dicuntur, quæ in thalamis concluſæ educabantur, hoc eſt, αἱ κατάκλειστοι. B. Chryſoſtomus homilia priore de Anna Samuelis matre; τῶν θαλαμευομένων παρθένων μᾶλλον ἡμῖν οἱ νέοι φυλαττέσθωσαν. Notus eſt verſus Euripidis in Oreſte;

Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.
Foras puellæ vt prodeant, parum decet.

Apud ſolos Corinthios vox κατάκλειστος alio ſenſu vſurpata fuit, ſi vera eſt Heſychij obſeruatio. Κατάκλειστοι, ἐν Κορίνθῳ ἑταῖραι τινές. quod de hierodulis Veneris interpretor, ex illis quæ ſcribit Strabo. Quemadmodum autem virgines ſuas incluſas domi ſeruabant veteres; ſic etiam matronas illas laudabant, quæ pedem domo rarò efferrent. Græci οἰκουροῦσας & οἰκουρικὰς Latini *Caſarias* dixerunt: nec multo aliter accipit vocem הגירה Cimchi, Ierem. VI. 2. Apud poetas Græcos οἰκουρήματα ſunt vxores. Euripides in Oreſte: εἴ τ' ἔνδον οἰκουρήμαθ' οἱ λελειμμένοι φθείρουσιν. Ambroſius, qui ſcribit *templo Ieroſolymitano virgines fuiſſe deputatas*, è falſa auditione hoc acceperat, non è Scripturis, aut vllo fide digno

digno ſcriptore. Sed plus illi hac in parte tribuere non debemus, quàm cum alibi ſcribit, Zachariam patrem Iohannis Baptiſtæ ſummum fuiſſe Pontificem.

XXIV. *Quid veterum nonnullos impulerit, vt B. Virginem votum virginitatis feciſſe affirmarent. Opus ex voto magis meritorium Scholaſticis. De verbis Mariæ,* Virum non cognoſco. *Patrum obſeruatio ſuper diuerſa conditione Chriſtianorum & eorum qui ſub Lege vixerunt. An Maria vitæ ſecundum ſublime propoſitum prima exemplum dederit. Ioſephum voti conſcium fuiſſe, ſi Maria cum nupſit voto virginitatis fuit adſtricta.*

APPARATVS, Num. LVI.

Beatiſſimam Mariam votum virginitatis feciſſe, prius etiam, quàm Ioſepho deſponderetur, pro certo affirmat Baronius, & cum eo multi alij; neque magis de eo dubitari ſinunt, quàm de alio quouis religionis Chriſtianæ articulo. Non eſt dubium, primos huius ſententiæ auctores ex admiratione Deiparæ, & prona in eius honorem voluntate, ita ſenſiſſe. Meminerant ſtatum virginitatis à Paulo anteponi vitæ coniugatæ, quia cælibes μεριμνῶσι τὰ τοῦ Κυρίου, *in rebus Domini occupantur*, 1. Corinth. VII. 32. quo nihil beatius. Quare etſi nemo vere Chriſtianus negabat, & ante partum, & in ipſo partu, & poſt partum τὴν θεοτόκον Virginem manſiſſe: ne tamen videretur Maria ijs inferior, quæ virginitatem propoſito colunt; exiſtimarunt intereſſe gloriæ ipſius, vt dicerent, illam ἄγαμον γάμον contraxiſſe. Auxit eam opinionem ſententia Scholaſticorum, docentium, bonum quod fit ex voto laudabilius eſſe & magis meritorium, quàm quod *fit ſine voto*, vt concludit Thomas in Secunda Secundæ, quæſt. LXXXVIII. art. VI. Quando hæc opinio ceperit, incertum eſt. Vetuſtiſſimus auctor apud quem hodie illam legimus, eſt Gregorius Nyſſenus, in homilia de natiuitate Domini. Sed neque ille ex profeſſo tractat eam quæſtionem; neque vehementer, vt videtur, affirmat. Expreſſius multo B. Auguſtinus in libro de virginitate, & poſtea multi alij. Et Nyſſenus & Auguſtinus vrgent Deiparæ reſponſionem, *Virum non cognoſco.* quod argumentum mihi quidem videtur non eſſe adeo contemnendum. Nam quod nonnulli obijciunt, nullum neque exemplum extitiſſe, neque præceptum, quod Mariam impelleret ad tale propoſitum ſuſcipiendum: fortaſſe poſſit reſponderi verbis Chryſoſtomi in Matthæum, homil. IV. ἔδει τῆς χάριτος παραγινομένης πολλὰ λοιπὸν εἶναι τὰ σημεῖα τῆς ὑψηλῆς πολιτείας. *aduentante gratia oportebat multa exiſtere ſigna*

vitæ

vitæ secundum sublime propositum institutæ. Consentiunt enim Patres, nostram hodie conditionem qui sub lege Gratiæ viuimus, longe diuersam esse ab illorum conditione, qui sub Lege Mosaica vixerunt. Illos enim, vix prima elementa pietatis doctos, ad multa præstanda non fuisse adstrictos, quæ à nobis in hac plena luce & cœlestium mysteriorum tanta cognitione, iure merito exiguntur. Tractant sæpe hoc argumentum pij Patres; vt Irenæus libro IV. cap. XLVII. Tertullianus De pudicitia, capite sexto. B. Augustinus De sermone Domini in monte, lib. I. *Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data sunt. Vnus tamen Deus per sanctos Prophetas & famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta, populo quem adhuc timore alligari oportebat; & per Filium suum maiora, populo quem charitate iam liberari conuenerat.* Sed supra omnes eximius & assiduus in hac admonitione Chrysostomus. In Genesin, homilia LXIV. τὰ τῆς φιλοσοφίας ἐπετάθη μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν. *post Christi aduentum ratio est intensa vitæ bene degendæ.* in nonum psalmum: ἐν τῇ παλαιᾷ σύμμετρα ἦν τὰ σκάμματα· τῆς δ᾽ ἐν τῇ καινῇ πόῤῥω ταῦτα φιλοσοφίας. *in veteri lege, scammata respondebant viribus tunc hominum: sed hoc procul abest ab ea viuendi ratione quam docemur in lege noua.* & passim apud illum leges, ἐν τῇ καινῇ πρὸς μακρότερα ἐκλήθημεν σκάμματα. vel, πρὸς μείζονα ἀπεδύσαμεν σκάμματα, aut πρὸς ὑψηλοτέραν ἀναβαίνομεν κορυφήν. hoc est, μείζονα ἀπαιτούμεθα, *maiora à nobis exiguntur*, vt loquitur in Genes. hom. IV. & in Iohannem XIV. ὅσῳ μείζονος ἠξιώθημεν τιμῆς, τοσούτῳ καὶ πλείονας ἀρετῆς ἐσμὲν ὀφειλέται. *quo maior est honos quo nos Deus est dignatus, eo maioris virtutis sumus debitores.* Lege totam illam homiliam, & τὸ ἠθικὸν LXXII. item libellum De virginitate, capitibus præsertim XXX. & XLIV. & LXXXIII. & similes locos, vbi hoc argumentum vir diuinus tractat accurate. Quid igitur in eo impietatis, si dicamus sanctissimam Virginem, gratia quadam singulari à Deo ornatam, eius quam Patres vocant ὑψηλὴν πολιτείαν, *sublime propositum*, iamiam instante tempore gratiæ, post-venturis hominibus exemplum præbuisse? Ministerium illud omnem superans admirationem, cui Deus æternus ab æterno ipsam destinarat, virtutem & sanctimoniam desiderabat, quæ omnem comparationem longe superaret. Hæc etsi vere, nisi fallor, & pie dici possunt; de voto tamen virginitatis ante nuptias à Maria facto, temere veteribus, qui ista prodiderunt, non ausim equidem assentiri. Non enim communis omnium ea fides fuit, à primis accepta: sed paucorum tantum coniectura, multo post nata. Honorare illi Virginem voluerunt: sed potéstne maior honor illi tribui, quàm si vita ipsius demonstretur cum doctrina Filij penitus

 consensisse?

consensisse? Non consentit cum doctrina Christi, vt quæ vouerit virginitatem viro nubat, qui voti non sit conscius & approbator, 1. Corinth. VII. 4. & 5. Quare Maria cum Iosepho nupsit, vel voto adstricta non erat; vel Iosephum habuit consentientem: quæ etiam subtilissimi Thomæ fuit sententia, & plurium aliorum. Glossa vetus ad locum Lucæ: QVIA VIRVM NON COGNOSCO. id est, *non cognoscere propono. Secundum enim quod dicunt Doctores Catholici beata Virgo antequam desponsaret Ioseph, habuit obseruantiam castitatis virginalis in desiderio: non tamen sic vouit expresse: sed cum postea Deo ordinante esset ei desponsata qui erat in simili proposito, simul emiserunt votum.* Erat optandum vt intra hos saltem fines humana curiositas se contineret: multo autem magis, vt omnium seculorum Theologi diuinum Epiphanij dictum memoria sibi elabi ne paterentur: *ἴση βλάβη τῶν κατευτελιζόντων τὴν ἁγίαν παρθένον, τῶν τε ὑπὲρ ὃ δέον δοξαζόντων. par detrimentum veræ religioni afferunt, illi qui vilem habent beatam Virginem, & illi qui vltra fas gloriam illius adaugent.* Verum de his serio, propitio numine, inferius.

XXV. *Baronij curiosa obseruatio super die conceptionis Iohannis Baptistæ. Iosephi Scaligeri super vicibus ephemeriarum Sacerdotalium erudita obseruatio. Natalis Baptistæ diuerse olim obseruatus. Quid potissimum spectarit vetus Ecclesia cum dies festos instituit.*

APPARAT. Num. LXVIII.

Benignam sui traducendi materiam præbet Baronius, cum non contentus annum & mensem conceptionis Iohannis Baptistę tot notis insignijsse, etiam certum diem designat: octauo Kal. Octobris fuisse conceptum, post ęquinoctium, solemnis ieiunij tempore. nam quę ista est πολυπραγμοσύνη? quę illaudabilis cupiditas laudis, ea profiteri certo te scire, quę nulla humana industria potest inuenire? Non hoc Baronium Scriptura docuit: cuius diuina verba reuocare ipsum ab hac curiositate debuerunt. μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας συνέλαβεν Ἐλισάβετ ἡ γυνὴ αὐτοῦ. impleuit Zacharias, inquit, septem dies sui ministerij, deinde abijt domum. post istos dies concepit Elisabet eius vxor. Nulla hic certa dies: quam velle indagare, otio est abundare: prodere tanquam certo inuentam, seriam historiam in fabulas mutare. Melius fecisset Baronius, si obseruationem Iosephi Scaligeri non contemsisset, quę certam rationem docet perueniendi ad notitiam illius temporis, quo sacro ministerio suo Zacharias est functus. Nam quum inuiolata semper fuerit seruata orbis hieratici reuolutio; quia constat ephemeriam Ioiarib iniuisse munus suum die XXII. Nouembris, anni

quatermillesimi quingentesimi quadragesimi noni periodi Iulianę; neque dubium est ephemeriam Abię fuisse ordine octauam: ex his colligit Scaliger, anno eiusdem periodi 4710. ephemeriam Abię ministerium suum iniuisse die XXI. Iulij. vnde sequitur, verba Euangelij de Zacharia, Luc. I. 23. ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, *impleti sunt dies ministerij eius*, de vicesima octaua Iulij esse accipienda. deinde Zacharias domum repetijt. *Post hos autem dies concepit Elisabet vxor eius*, ait Euangelista. Hanc obseruationem sane elegantem & scitu dignam, è fontibus Scripturę deriuatam, & perpetua Iudęorum obseruantia firmatam, multis explicat Iosephus Scaliger primus illius auctor, in Appendice ad libros De emendatione temporum; & in Canonibus Isagogicis, pagina CCXCVII. Legant studiosi vtramque illam disputationem: non pœnitebit operę. Scaligeri sententiam mirifice confirmat consuetudo Ecclesię Alexandrinę; quę natiuitatem Iohannis Baptistę primis temporibus solemnitatis illius introductę celebrauit, die Aprilis XXIII. qui erat illis dies mensis Pharmuthi XXVIII. vt est auctor Cyrillus in homilia eius argumenti. Nec quenquam moueat, quod non congruit hęc animaduersio obseruationi Ecclesię Romanę & Gręcę, quę à multis seculis natalem Prodromi celebrat die XXIV. mensis Iunij. Nam quia non statim simul cum nascente Ecclesia, sed aliquanto tempore post, initium habuit mos celebrandi natales Sanctorum: nemo pius mirari debet, in tantis primorum temporum persecutionibus, memoriam rerum pręteritarum ita exacte seruari non potuisse, quin varię opiniones super eadem re, persępe existerent. Hoc adeo verum est, vt etiam de natiuitate & passione Domini, varię admodum sententię in Ecclesia olim extiterint: quibusdam natum prodentibus sexto Ianuarij, quibusdam decimonono Aprilis: alijs XIX. Maij: nonnullis mense Septembri; plerisque XXV. Decembris. Postea igitur cum cepta est in Ecclesia celebrari memoria non solum Domini IESV, sed etiam B. Virginis, Apostolorum, Martyrum, & aliorum Sanctorum; videntur pij Patres non tantam verorum natalium curam sæpe habuisse: quantum id studuisse illos constat, vt dies solemnes ex ritibus Paganorum, in meliorem vsum conuerterent. Religionem enim Christianam facilius admissum iri sperabant, si eadem operâ impias Gentium solemnitates delerent, & nouas instituerent, quæ ad veri Dei cultum pertinerent. Quare nihil vetat quominus, salua reuerentia quæ priscæ Ecclesiæ debetur, de veris Sanctorum natalibus hodieque possit quæri. Vide Baronij non dissimilem obseruationem, in anno XXXI. 34.

XXVI. Docetur

XXVI. *Docetur aliquot exemplis, quam grauiter interdum soleant pij Patres in rebus historicis hallucinari. Zacharias P. M. Herodes æqualis Ptolemæi Philadelphi. Christus tricesimo ætatis anno passus: prædicauit vnum annum. Clementis locus animaduersus. Claudius inter Imperatores omissus. Publicani Ethnici. Zeno Stoicus Romæ. Iudæorum cum Romanis coniunctio. Abraham & Iudæi Persæ. Æquitas in talibus, debita Patribus.*

APPARATVS, Num. LXIX.

HOminem occisum occidit Baronius, cum paratu tanto Patrum illorum sententiam refellit, qui Zachariam Iohannis Baptistæ patrem prodiderunt fuisse summum Sacerdotem. Nam cui non dictus Hylas? aut quem iam mediocriter doctum inuenias, cui in ea re monitore sit opus? Neque vero cuiquam hodie in tanta literarum luce potest esse ignotum; eiusmodi hallucinationes historicas in Patrum sanctissimorum scriptis & crebras reperiri, & valde interdum miras. Vt cum Iustinus Martyr in Apologia II. regnasse ait Herodem in Iudæa, quando Ptolemęus Philadelphus libros Legis vertendos curauit: qui tantus est siue prochronismus, siue metachronismus, vt oculis meis cum illa lego vix credam. Cum Clemens Alexandrinus in I. Strom. Christum anno ætatis tricesimo passum, prædicasse annum dumtaxat vnum: quod etiam repetit libro VII. vbi hoc amplius, scribit sic: ἡ τοῦ Κυρίου κατὰ τὴν παρουσίαν διδασκαλία, ἀπὸ Αὐγούστου καὶ Τιβερίου Καίσαρος ἀρξαμένη, μεσούντων τῶν Αὐγούστου χρόνων τελευτᾷ). hoc vero ænigma est inexplicabile, nisi refingas hoc pacto sententiam, cum erudito interprete: ἀπὸ Αὐγούστου χρόνων ἀρξαμένη, μεσούντων τῶν Τιβερίου χρόνων τελειοῦται. & tamen non parua adhuc restat indiligentia in voce μεσούντων. non potest enim Dominus dici passus medio Tiberij principatu, qui anno imperij illius XVIII. vel vt alijs placet XIX. cruci est affixus. Cum Tertullianus aduersus Iudæos enumerans Rom. Imperatores ad Vespasianum, omittit Claudium penitus; Christum autem ibidem ait passum, anno Tiberij XV. duobus Geminis Coss. Cum idem scriptor publicanos in Euangelio putat fuisse Ethnicos: de quo Hieronymus in epistola ad Damasum. Cum Epiphanius Zenonem Stoicæ sectæ auctorem Romæ prius vixisse scribit, quàm Athenas veniret: & an duo fuerint Zenones dubitat, hic & alius Eleates. Idem aduersus Anoetos disputans, annum quo natus Iesus, vocat XXIX. τῆς Ἰουδαίων πρὸς Ῥωμαίους συναφείας, *coniunctionis Iudæorum cum Romanis.* Nam ait, Augustum annos XIII. imperasse πρὶν ἢ τὴν Ἰουδαίων συναφθῆναι τελείως Ῥωμαίοις, *priusquam consummaretur Iudææ cum Romanis coniunctio*: quod accidisse scri-

bit

bit anno imperij Augusti quarto vel circiter: prius tamen intercessisse aliquam inter Romanos & Iudæos societatem: ipse appellat συμμαχίαν πεποιημένην; item, ἐπίτροπον καθιστάμενον καὶ μέρη φόρων ante quinque annos plus minus: donec deficiente duce è Iuda Herode ἐξ ἐθνῶν, è *Gentibus* constituto, Iudæa penitus subiugata & tributaria planissime est effecta: τέλεον προεδόθη, καὶ ὑποφόρος γεγένηται τελειότατα. quæ omnia vnde habuerit Epiphanius nescio: & quantum illis per ipsius historiæ veritatem tribui debeat, doctorum esto iudicium. Cum B. Chrysostomus Abrahamum de Regibus Persarum triumphasse, tot locis scribit; vt in epistolam ad Romanos homil. XXXI. ad Corinth. I. hom. prima & XXVI. vel cum scribit idem Abrahamum Persis maioribus esse ortum: vt hom. XV. in Acta: Ἀβραὰμ προγόνους Πέρσας εἶχε. mox: τὸν ἐν Περσίδι, καὶ τοσοῦτον ἀπέχοντα, τοῦτον ἔφησι κύριον τῆς Παλαιστίνης ποιήσειν. quare etiam Iudæos pronuntiat ibidem à Persis oriundos: εἴ τις ἀκριβῶς ἐξετάζοι, Πέρσαι εἰσὶν οἱ Ἰουδαῖοι. Huius generis hallucinationes innumeræ quum in Patrum scriptis occurrant; neque illorum imperitia superstitione mixta est ferenda, qui modeste indicari tales næuos pati non possunt: neque rursus illorum inhumanitas, ac pene dixerim impietas, qui infestis animis monumenta Sanctorum virorum tractant, & propter humanos istiusmodi lapsus sese efferunt, illos deprimunt. Porrò de Zachariæ sacerdotio, functione, & sortitione, multa lectu dignissima ex Hebræorum libris Iosephus Scaliger erudite obseruat, in vtraque illa quarum ante memini, diatriba.

XXVII. *Tempus conceptionis Domini obscure Baronio indicatum. Spondanus Epitomator notatur. An eodem tempore primus homo formatus. Quæstio de momento conceptionis. Vrbs Iuda in montanis. Eusebij locus è libro non edito.*

APPARAT. Num. LXXVI.

BAronius de tempore loquens quo humanam naturam in vtero Mariæ Verbum Deus assumpsit, contigisse id ait, *Augusti Imperatoris anno ab inito per menses fere quatuor Triumuiratu quadragesimo.* vellem magis perspicue rem tantam expressisset. Non enim capient omnes quid sibi velit. quin aliquis non iniuria quæsierit an hæc Latina sit oratio. nam *magistratum inire per quatuor menses*, quo exemplo dicatur, cupio doceri. Voluit autem hoc: Quando Christus est conceptus, annos Augusti præterijsse, si ab inito Triumuiratu numerentur, XL. & fere menses quatuor. hoc verum est: nam dies dumtaxat desunt tres pleno τετραμήνῳ. Est obseruatio vera: quam tamen Baronij Epitomator

tomator

tomator Spondanus, quia non intellexit, prætermiſit. Vtinam alia potius prætermiſiſſet, quæ animum illius erga Regem Chriſtianiſſimum qualis ſit, manifeſtò produnt. Quod addit Baronius, Chriſtum conceptum eſſe *octauo Kal. Aprilis, eadem die, qua primus homo formatus eſt Adam*, curioſitatis plus habet quàm ſoliditatis. Nam in æquinoctio verno & ſigno Arietis, menſe Niſan, mundum fuiſſe conditum, non omnes aſſentiuntur; multis contendentibus id factum in autumnali æquinoctio, Sole in fine Virginis, vel in principio Libræ, vt ait Abulenſis ad caput 1. Geneſeos. Atque hæc opinio, vel teſte Pererio, videtur & numero & pondere argumentorum firmior. Poſt Pererium id ipſum nouis epicheremaſin iuit confirmatum Ioſephus Scaliger in quinto De emendatione temporum: docens, primam diem poſt ἑπταήμερον, fuiſſe feriam primam XXVI. Octobris, neomeniam Zygonos, quartamdecimam Phamenoth Ægyptiaci, triceſimam Tiſri. Adde quod non omnes qui æquinoctio verno rerum initium attribuunt, de viceſimo quinto die Martij conſentiunt; multis enim illorum placet, & Adami veteris creationem, & noui σταύρωσιν, in eandem incidere diem, decimum Kal. Aprilis. alij aliter cenſent; vel potius coniecturas alias in mediũ proferunt. Quare præſtat ἐπέχειν. Quæſtionem verò de momento conceptionis Chriſti, penitus eſſe omiſſam à Baronio in tanta diligentia, nonnihil miror. eſt enim elegans, nec plane curioſa, vt verba Euangeliſtarũ recte capiantur. Tres ſuper eo magnorũ auctorum ſententias inuenio. Prima eſt eorum qui ante vel potius ſub ipſam ſalutationem ab Angelo factã concepiſſe Mariam putant: quod videntur exiſtimaſſe ij omnes, qui plenitudinẽ gratiæ, propter quam Virgini dictũ eſt ab Angelo, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, *Aue gratia plena; Dominus tecũ*: interpretati ſunt de Chriſto iam concepto, & iam corpus Mariæ inhabitante. ſed obſtat huic opinioni, quod etiam poſt hæc verba futurum tempus vſurpat Angelus, cum ait, *concipies in vtero*. Alij igitur cenſent ſimul B. Virginem & auribus accepiſſe vocem Angeli dicentis *concipies*, & in vtero concepiſſe: nam etſi dixit ille συλλήψῃ *concipies*, non συλλαμβάνεις *concipis*: voculam tamen ἰδοὺ *ecce* vrgent, & inſtans tempus eo volunt ſignificari. Nicephorus Calliſtus, lib. 1. cap. VIII. *Simul cum ea ipſa Gabrielis voce, intranſibiliter æternum & anteſeculare verbum Dei deſcendit, & conditionem naturamque noſtram ſubijt.* Tertia eorum ſententia eſt; qui concepiſſe Virginem aiunt, ea quidem hora qua dicta illi hæc ſunt ab Angelo, at non eodem momento, verùm quando voluit Deus: fortaſſe, aiunt iſti, illico poſt abſolutos Angeli ſermones. rationem afferunt geminam: quia dixit Angelus, *concipies*: & quia verba poſt hanc editam vocem prolata ab Angelo, καὶ καλέσεις τὸ

ὄνομα

ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν, *vocabis nomen eius Iesum*, dicuntur à Luca fuiſſe pronunciata ante conceptionem, cap. II. 21. Theophylactus in caput alterum Lucæ : Σημείωσαι ὅτι οὐχ ἅμα τῷ εἰπεῖν τὸν ἄγγελον, Ἰδοὺ συλλήψῃ υἱόν, συνελήφθη ὁ κύριος· ἀλλὰ μετὰ ταῦτα, ὅτε ἠθέλησεν. Ὅρα γὰρ τί λέγει· ἐν τῷ, ὃ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου πρὸ τοῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ· καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς λέξεως δείκνυται τοῦτο· οὐ γὰρ εἶπεν, ἰδοὺ συλλαμβάνεις· ἀλλ' ἰδοὺ συλλήψῃ· ὥστε ἐκ τούτων ἔστι συλλογίσασθαι, ὅτι τῇ ὥρᾳ μὲν ἐκείνῃ συνελήφθη ὁ κύριος· οὐ μὴν αὐτῇ τῇ στιγμῇ, καθ' ἣν ὁ ἄγγελος ἔλεγεν· ἀλλὰ τυχὸν ὅτε συνετέλεσε τοὺς λόγους. Vrbs Iuda in montanis ſita, cuius meminit Lucas, I. 39. eſt Cariath-arba, ſiue Chebron, vrbs ſacerdotalis. Primus hoc erudite obſeruauit V. CL. Theodorus Beza ; cui Baronius merito aſſentitur. ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται. nam reperti ſunt quidam virulentiſſimi & maledicentiſſimi homines, vel hominum potius portenta, quos liuor impedijt, ne probarent quod rectum erat. Subijciam de hac vrbe locum Euſebij è libro qui inſcriptus, Περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, *De nominibus locorum in Scriptura diuina*, ſeruatur in Chriſtianiſſimi Regis inſtructiſſima Bibliotheca. Ἀρβώ, αὕτη ἐστὶ Χεβρώμ, κώμη νῦν μεγίστη, μητρόπολις οὖσα τὸ παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων, καὶ Γιγάντων οἰκητήριον· καὶ βασίλεια μετὰ ταῦτα Δαυίδ. κεκλήρωται δὲ φυλῇ Ἰούδα, καὶ πόλις ἦν ἱερατική, μία τῶν φυγαδευτηρίων. Αἰλίας ἐκ νότου διεστῶσα σημείοις β πρὸς εἴκοσιν· ἡ δρῦς Ἀβραὰμ καὶ τὸ μνῆμα αὐτόθι θεωρεῖται καὶ θρησκεύεται ἐπιφανῶς πρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡ τερέβινθος, καὶ οἱ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες ἄγγελοι. πρότερον δὲ Ἀρβὼ καλουμένη, ὕστερον ἐκλήθη Χεβρώμ, ἀπὸ Χεβρὼμ ἑνὸς τῶν υἱῶν Χαλέβ, ὡς ἐν Παραλειπομένοις. hactenus Euſebius ; cuius verba libere vertit more ſuo Hieronymus in locis Hebraicis. inde petant ſtudioſi.

XXVIII. *Baronij æſtuatio in quæſtione de cenſu per Quirinium acto. dictum eiuſdem incautum. Scripturæ ſunt* αὐτόπιστοι. *Oſtenditur Baronij iniquitas in ferenda de viro docto ſententia. Sacros codices Critici pumicis interdum opus habere probatur.*

APPARAT. Num. LXXX.

SEquitur nobilis quæſtio de cenſu per Quirinium acto : vbi cernere eſt Baronium, ceu in alto luto miſere ſeſe iactantem, quiduis potius, quàm quod ad rem faciat comminiſci. Accuſat Ioſephum, ſcriptorem præſtantiſſimum, quod Euangelio contradicat. Id verò quo iure faciat, mox viderimus. Euſebium reprehendit, qui locum Ioſephi cum Lucæ verbis comparauit, quaſi eadem hiſtoria ab vtroq; deſcriberetur. Iſtud quidem rectè : niſi quod hominis erat ingenui, non diſſimulare, plures viros doctos idem ante ipſum monuiſſe.

Quare inter hallucinationes Patrum de quibus paullo ante dicebamus, ponatur licet ista Eusebij, sane insignis. Nimium verò Iosepho tribuit mox Baronius, cum aliud agens sic loquitur: *Iosephum in his quæ ad tempus spectant, Lucæ contradicere certum est; vsque adeo, vt illius assertione historiam à Luca conscriptam in dubium reuocari sit necesse.* quid audio? propter Iosephum vacillabit diuinorum oraculorum fides? Ἀ[illegible] γέρον, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; nefas dictu: nefas cogitatu. Esto; repugnet verbo Dei Iosephus, repugnent alij scriptores vniuersi: ipse si lubet, aut potest, mundus totus consentiens illi contradicat.: ipsum tamen, per se αὐτόπιστον, labefactari aut in periculum vocari non debet, non potest: non certe apud homines sobrios, & cognitione cœlestis veritatis, vel leuissime imbutos. Hanc de Scripturarum sacrosancta Maiestate persuasionem, quum nemo altius vnquam imbiberit, quàm illi quos Baronius familiari sibi antiphrasi Nouatores amat appellare; non mediocriter sum admiratus, cum ista legerem, quæ statim subijciuntur: *esse quosdam Nouatores qui Iosepho Iudæo plus tribuant, quàm Euangelio à Luca conscripto.* Equidem quos iste intelligat Nouatores, penitus ignoro: nullus enim vnquam è Protestantium numero mihi lectus, qui eò væsaniæ ac furoris prorupisset. Si quis tamen vel eorum qui fuerunt, vel eorum qui iam sunt, tantam insaniam insaniuit, *Tros Rutulúsue fuat, pariter det sanguine pœnas.* Sed videtur Baronius viris illis de quibus sentit, insignitam facere iniuriam; verba illorum parum Christianè, in deteriorem partem interpretans; quum ipsi hoc solum dixerint, suspectum esse illo loco Euangelistæ codicem, alicuius mendæ à librarijs admissæ, propter manifestam pugnam cum historia, quam rationes multæ suadent esse veram. Et memini sane Theodorum Bezam olim in primis Annotationum suarum editionibus, simile quid scripsisse: qui tamen postea, vel re diligentius expensa, vel ab alio monitus, sententiam mutauit, neque passus est prioris coniecturæ vllum in posterioribus editionibus extare vestigium. Verum esto; dixerit Beza, siue quis alius Protestantium, videri locum esse corruptum: si tamen modeste hoc & sine pertinacia ab eo scriptum; nulla fuit omnino caussa cur tam inhumane à Baronio exciperetur: nedum vt aduersus vniuersos quos vocat Nouatores tragicas eiusmodi querelas excitaret. Non enim exemplo res caret virorum magnorum, quà veterum, quà recentiorum. In Matthæi XVI. 17. & Iohannis XXI. 15. vtrum sit legendum Βαρ-Ἰωνᾶ, an Βαρ-Ἰωαννᾶ vetustissimi librorum sacrorum interpretes dubitarunt: nec dubitauit magnus Hieronymus scribere sic; *Volunt scriptorum vitio deprauatum, vt pro Bar-Iohanna, hoc est, filius Iohannis, Bar-Iona scriptum sit, vna detracta syllaba.*

Idem

Idem scribit & Isidorus, Originum libro septimo. Idem Hieronymus Matth. III. 3. vocem Ἡσαΐου adulterinam pronuntiat, & similes deprauationes se alibi obseruasse scribit. *Nos*, ait, *nomen Esaiæ putamus additum, scriptorum vitio, quod & in alijs locis probare possumus.* In XVI. capite Marci, quidam è veteribus integrum versum nonum induxerunt, vt refert Gregorius Nyssenus, in libro de resurrectione Christi altero. Idem Nyssenus versui secundo illius capitis, vocem ἔτι præponit, quam è suis libris iam tum quidam sustulerant; neque extat hodie in nostris codicibus. In posteriore ad Timotheum IV. 10. lectionem quæ hodieque obtinet, Γαλατίαν Epiphanius reprehendit contra Anoetos, vt errore quorundam introductam: ipse corrigit Γαλλίαν. Matthæi XXVII. 52. Glycas historicus αὐτῶν emendat pro αὐτοῦ: quam emendationem sequitur Arabs interpres. Lucæ XIX. 41. propter verbum ἔκλαυσε, *fleuit*, de Christo, versum illum totum sustulerunt olim orthodoxi quidam, inquit Epiphanius in Ancyroto, p. 482. Fuit hoc singularis temeritatis exemplum admirandum: quum dubitaret nemo, ita fuisse scriptum à principio; quod etiam probat Epiphanius testimonio Irenæi. Adde quod fleuisse Christum alia Scripturarum testimonia euincunt, vt Iohan. XI. 35. Epiphanius tamen tam absurdæ sententiæ auctores non exagitat; neque malam Criticam in argumentum impiæ mentis trahit, quod facit hoc loco Baronius. I. Timoth. IV. 3. pro ἀπέχεσθαι, *abstinere*, ἀντέχεσθαι, quod contrarium significat, scribendum esse, Isidorus Pelusiota contendit probare, epistola CXII. libri quarti. & est tota illa epistola cum sequente, similium obseruationum atque emendationum plena. Actorum VII. 16. vt Stephani protomartyris orationem cum historia Mosis conciliarent viri docti, Eugubinus, Lippomanus, Masius, ex scriptorum fidem sibi esse suspectam indicarunt. In voce *Remphan* eiusdem capitis versu 43. mendam subesse pro *Cheuan* viri graues coniecturam faciunt. Actorum XIII. 20. & I. Corinth. X. 8. inextricabilium difficultatum caussam in librariorum negligentiam reijcit Caietanus, cui viri doctissimi assentiuntur. Matthæi I. vndecimum versum refingit totum Maldonatus Iesuita, vt nascentia dubia è vulgata lectione soluat. Iohannis XVIII. 1. scribitur à multis seculis, πέραν τοῦ χειμάρρου τῶν Κέδρων: fere tamen consentiunt eruditi, illud τῶν pro τοῦ, esse à mala manu. *Manifestus hîc*, ait Maldonatus post multos alios, *in libris omnibus Græcis error est.* Marci XV. 36. vt congruat eius narratio cum narratione Matthæi, vulgatam editionem Græcam esse corrigendam, & verba aliquot supplenda esse quæ exciderint, quædam mutanda, censet Iansenius. An propterea impietatis illum arcessere ausus fuisset Baronius? Longum fecero, si

eius generis exempla omnia quæ ſunt ad manum commemorare voluero. vt interim taceam de Veteri Teſtamento, & Hebræorum Criticorum ſimilibus obſeruationibus. Quare iſti quos Baronius Nouatores appellitat, ſi tale quid in verbis Lucæ ſuſpicari ſe dixerunt; non tam in illis pietas, quàm in eorum criminatore candor poteſt deſiderari.

XXIX. *Lucas cum Ioſepho male comparatus. Ioſephus contra Baronij criminationes defenſus. Dionis locus. Varus & Varro duo Præſides confunduntur à Baronio. Ioſephi & Ruffini codices emendantur.*

APPARATVS, Num. LXXXII.

POſt hæc Baronius ſerio Ioſephum inuaſurus, cum Luca prius ipſum componit; & Lucæ apud Chriſtianos debere eſſe auctoritatem maiorem & ſanctiorem, multis verbis contendit. Sed quid opus iſta comparatione? aut quem vere pium importuna hæc Euangeliſtæ cum miſero & cœcutiente Iudæo contentio non offendat? Metellus Numidicus, quum cauſſam repetundarum diceret, tabulæque eius ab accuſatore expoſtulatæ, ad nomen inſpiciendum, circa iudicium ferrentur; totum concilium ab earum contemplatione oculos auertit, ne de fide illius videretur dubitaſſe. Chriſtiani Lucam cum Ioſepho committent, & vtri potius ſit fides adhibenda deliberabunt? atqui ea de re vel ſolum cogitaſſe, pars iniuriæ eſt. Probet tantum Baronius, contradicere Ioſephum Lucæ, & cauſſa perorata eſt. Sed diffidit Baronius cauſſæ ſuæ, niſi prius demonſtrauerit, ſolemne eſſe Ioſepho falli, errare, mentiri. Quinque argumenta in eam rem afferuntur. Primum eſt huiuſmodi: Ioſephus ab Actiaca victoria ad Quirinij aduentum in Iudæam, cenſus faciendi cauſſa, poſt damnationem Archelai, annos numerat triginta ſeptem: ſunt autem, inquit, quadraginta. errat igitur Ioſephus. Imò verò ſunt tantum XXXVII. ergo errat Baronius; Ioſephus verum dicit. Probatio facilis & certa. Actiaca victoria incidit in annum Iulianum XV. adde XXXVI. vt cum anno victoriæ fiant anni XXXVII. quos ait Ioſephus. efficies ſummam annorum Iulianorum vnius & quinquaginta. Is autem eſt annus Vrbis conditæ ſeptingenteſimus quinquageſimus nonus. De hoc anno Dio, libro LV. ὁ Ἡρώδης ὁ Παλαιστινὸς αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. Nemo poteſt dubitare, iſtum Herodem Palæſtinum, quem ait Dio accuſatum fuiſſe apud Auguſtum à ſuis, qui exulatum Romæ miſſus vltra

tra Alpes, cuius Tetrarchia fisco est adiudicata, esse Archelaum. Itaque Iosepho exactissime constat fides: & Baronio potest dici, Αὕτη μὲν ἡ μηχανὴ τοῦ θεοῦ οὐδὲν ἔλαττον. Secundum argumentum est: Meminit Consulatus Quirinij tanquam recentis, cum ille venit in Syriam: atqui ante annos ipsos XXII. Quirinius Consul fuerat: ergo Fastos Consulares Iosephus ignorauit. Verba Iosephi sunt, extremo libro XVII. πέμπεται Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος ἀνὴρ ὑπατικός. *mittitur à Cæsare Quirinius, vir Consularis.* & initio sequentis: διὰ πασῶν τῶν ἀρχῶν ἐπελθὼν ὕπατος γενέσθαι. *percurrit omnes magistratus, vt fuerit etiam Consul.* Vides nihil opus habere Iosephum patrono: Baronium opus habere, ac vehementer quidem. Tenetur enim manifestæ calumniæ compertus. Multo adhuc futilius tertium argumentum, de male narrata Herodis morte. Quartum quoque futilissimum & falsissimum, de nouem annis vitæ Herodis à Iosepho prætermissis: quas accusationes tum docebimus inanissimas esse, cum ab auctore in medium proferentur. Quinta criminatio: Iosephus libro XV. cap. XIII. scribit, anno decimosexto Herodis Regis, Varum fuisse Præsidem Syriæ: idem libro XVII. cap. VII. Varum successisse Sentio Saturnino tradit: Varum autem iterum in Syriam fuisse missum, ne ipse quidem Iosephus scribit. Hæc Baronius; nimis profectò securus existimationis suæ: nam ista quidem accusatio non est dicenda, sed mera calumnia. Fraudi fuit illi Gelenius interpres; qui duorum diuersorum Præsidum Syriæ appellationes confudit. Nam Græca si consuluisset Annalium conditor, animaduertisset, priori illorum Præsidum nomen fuisse Varroni non Varo. Iosephus libro XV. capite XIII. κακῶς δὲ πάσχοντες οἱ πλησιόχωροι Οὐάρρωνος κατεβόων τοῦ ἐπιηγεμονεύοντος. minus recte editum Οὐάρωνος. Ruffinus arguit, cuius verba describam ex antiquis membranis Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis. *Cùm multa paterentur finitimi, Varronem tunc Præsidem interpellabant.* Meminit iterum Iosephus, Iudaici belli, libro primo, cap. XV. ὃ δὲ ἐπὶ Οὐάρρωνα τὸν ἡγεμόνα τῆς Συρίας καταφυγόντες.

XXX. *Præsidum Syriæ enumeratio parum feliciter à Baronio tentata, accurate pertexitur à principio ad finem Augusti. Iosephi hallucinatio. eius codices, item Dionis, varijs locis emendantur. Pseudogorionidæ stupor in fingendis aut deprauandis proprijs nominibus.* Procurator *pro Præside apud Ruffinum.* ἡγεμών. *Caius Cæsar Præses Syriæ non fuit.* δικαιοδότης. ἐπιμητής. *Baronij & aliorum varij errores ostenduntur.*

APPARAT. Num. LXXXV.

VT inueniret Baronius, quando fuerit Quirinius Præses Syriæ, commemorare eos omnes instituit, qui temporibus Augusti prouinciam illam rexerunt. Fecerunt idem alij quoque viri docti plures, qui in Chronologicis felicem operam nostra ætate posuerunt. Omnium quos vidi, (vidi autem non omnes; nam Laurentium Suslygam vix obiter mihi aliquando inspectum, legere adhuc mihi non contigit:) voluntatem citius laudauerim, quàm operam: sed nemo grauius, opinor, in ea tractatione offendit, quàm pater horum Annalium: cuius insignes errores eadem operâ notabimus, & veram historiam, quoad eius fieri poterit, explicabimus. Nam ad cognitionem temporis quo natus est Seruator mundi, momentum affert non leue Præsidum Syriæ successio recte exposita. Ordiemur autem ab ipso capite.

Vrbis Romæ DCXCI. qui Coss. habuit M. Tullium Ciceronem, C. Antonium, Syria Cœle & Palæstina inter plures regiones, per Pompeium, cum Mithridate tunc res gerentem, imperio Ro. accesserunt. Syria in prouinciæ formulam mox redacta; Palæstina Hyrcano permissa; verùm honos regij nominis ademptum, & tributū impositum.

DCXCIII. Hoc anno Pompeius in Italiam reuersus triumphauit a. d. tertium Kal. Octob. M. Messala, M. Pisone Coss. Decedens Præsidem Syrię reliquit Quæstorem suum ÆMILIVM SCAVRVM. Iosephus Originum libro XIV. capite octauo. Excidij Vrbis, lib. I. cap. quinto. Appianus Syriacis.

DCXCV. L. MARCIVS PHILIPPVS, vir Prætorius, Appianus.

DCXCVI. CN. LENTVLVS MARCELLINVS, vir Prætorius. Appianus: qui tribuit vtrique διετῆ χρόνον, *biennij administrationem.* Sed nos deficientibus historicis tempora notamus non exacte, verum ὡς ἐν πλάτει, & rudi Minerua.

DCXCVII. vel sequente, AV. GABINIVS, qui cum Calpurnio Pisone fuit Cos. DCXCVI. Cicero, Appianus, alij. Iosephus in Antiquitatibus Scauro dat successorem Gabinium, nemine interiecto. & in Excidij primo, Γαβίνιος, inquit, εἰς τὴν Συρίαν ἐπέμφθη Σκαύρῳ διάδοχος. *Gabinius in Syriam missus est, vt Scauro succederet.* Sed hallucinatur Iosephus, vt apparet ex Appiano, & ratione temporum.

DCXCIX. M. LICINIVS CRASSVS hoc anno Cos. cum Pompeio Magno, nondum exacto anno Consulatus in Syriam est profectus, & ad bellum Parthicum, nactus illam prouinciam in quinquennium. Iosephus libro XIV. Excidij, primo, item omnes historici.

DCCII. CASSIVS LONGINVS Craſſi Quæſtor, deleto Craſſi exercitu cum ipſo Imperatore, fuga euadit in Syriam, & prouinciam tuetur aduerſus ingruentes Parthos, neceſſario, non legitimo imperio. Ioſephus ibidem. alij hiſtorici.

DCCIII. M. BIBVLVS, octauo anno poſt Conſulatum ſuum, Syriæ præeſt per Biennium ; præter hiſtoricos Cicero ſæpe meminit; qui eodem tempore præfuit vicinæ Ciliciæ.

DCCVI. VII. VIII. IX. DCCX. Belli ciuilis Pompeiani tempore & deinceps ad necem Cæſaris, Syriam obtinuerunt iſti. SCIPIO Pompei ſocer. Cæſar, Belli ciuilis, libro primo. Pompeio deuicto, miſſus eſt à Cæſare in Syriam, SEXTVS IVLIVS CAESAR, νεανίας αὐτοῦ Καίσαρος συγγενής, ait Appianus, Belli ciu. lib. IV. Dio lib. XLVII. Ioſephus libro XIV. & Excidij lib. I. Hic præfuit Syriæ ad illud vſque tempus fere, quo Cæſar bellis confectis reuerſus eſt in Italiam. occiſus eſt à CAECILIO BASSO. qui poſtea geſſit ſe pro Syriæ Prǣſide. meminerunt omnes hiſtorici; etiam Strabo libro XVI. Aduerſus Baſſum, miſſus Româ eſt à Cæſare, MARCVS, ait Ioſephus Originum libro XIV. cap. XVII. extremo. & Excidij libro I. cap. VIII. μηκυνομένου τοῦ πολέμου, Μάρκος ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Σέξτου παραγίνεται διάδοχος. *quum traheretur bellum inter Baſſum & duces Cæſaris, aduenit ex Italia Sexti ſucceſſor Marcus.* iterum paullo poſt commemorat Μάρκον στρατηγοῦντα Συρίας, *Marcum Præſidem Syriæ.* ſed quis eſt hic Marcus ? & cur ſolo prænomine illum ſemper Ioſephus deſignat, non nomine aut cognomine? Apud Dionem libro XLVII. bellum gerunt aduerſus Baſſum M. Criſpus, & L. Statius Murcus. poſſit videri hic Ioſephi Marcus eſſe Marcus Criſpus. Sed quum ſcribat Appianus aduerſus Baſſum fuiſſe à Cæſare miſſum, non Marcum, ſed MVRCVM, cuius mentio in quarto illo libro frequens occurrit: non eſt dubitandum ſucceſſorem Sexti fuiſſe Murcum hunc : & codices Ioſephi eſſe corrigendos, ac Μοῦρκος pro Μάρκος eſſe ſcribendum, pagina 435. item 676. & 677. nec refert, quod etiam Ruffini verſio habet *Marcus*, tam in libris editis, quàm in membranis omnibus quas vidimus. nam multa ſecula ſunt ex quo libri Ioſephi ſunt corrupti, vt paullo poſt oſtenſuri ſumus. Cæterum hic Murcus in libris Dionis nominatur L. Statius Murcus: in Appiani verò codicibus, eius nomen ita ſcribitur, Σέξτιος Μοῦρκος, pro Σέστιος. Seſtia gens & Statia ex hiſtoricis illorum temporum notæ. neque facile nunc dixerim vtra ſit verior lectio. Idem Appianus *Minucium Criſpum* appellat, quem è libris Dionis paullo ante *Marcum Criſpum* dicebamus.

DCCX. P. DOLABELLA poſt necem Cæſaris Syriam prouinciam

ciam

ciam obtinet: sed quam Senatus postea illi ademit, quod Trebonium occidisset. Cicero, Philippica XI. Appianus, Dio.

DCCXI. CASSIVS primo sine lege, deinde ex decreto Senatus Syriæ præfuit. Iosephus, Dio, cæteri historici. Post Cassij discessum è Syria videtur non quidem Præses Syriæ fuisse, verùm pro tempore plurimum in Syria potuisse Fabius ille quem Iosephus cap. XIX. libri XIV. vocat ἐν Δαμασκῷ στρατηγοῦντα, *Præfectum Damasci.* & Excidij lib. I. cap. X. Ἡρώδης ἔτυχεν ὢν παρὰ Φαβίῳ τῷ στρατηγῷ κατὰ Δαμασκόν.

DCCXI. ANTONIVS Triumuir, diuiso Orbe terrarum cum collegis, & Syriam inter alias prouinciam nactus; postea quamdiu vixit, aut per se aut per suos Legatos illam semper administrauit. Quare minus recte Baronius & alij, qui hoc non animaduerso, Sosium & alios produnt Syriæ Præsides, qui erant Antonij Legati. Inter præcipuos horum fuit VENTIDIVS BASSVS, quem ipse Athenis hærens, anno DCCXV. in Syriam misit contra Parthos, & Labienum Parthis tunc militantem. Dio, libro XLVIII. Iosephus, Origine decimaquarta, & alibi. Rem bene gessit Ventidius; sed honores tulit Antonius, cuius auspicijs militauerat. Verùm anno sequente, vt suis auspicijs res gereret, per Antonium impetrauit, & victo hoste triumphauit. Alter Antonij Legatus fuit SOSIVS, de quo multa Dio libro XLIX. Appianus & alij: ex quibus constat præfuisse illum aliquando Syriæ, vt Antonij στρατηγόν, quomodo illum historici nominant. Vide Iosephum: qui & SILONIS meminit, Orig. lib. XIV. cap. XXVI. fuit hic alius Legatus Antonianus. Dioni, VPEDIVS SILO, libro XLVIII. sed locus est corruptus, & pro Οὐπήδιον Σίλωνα scribendum Ποπήδιον Σ. nam Popedij Silones in historia Romana etiam alibi leguntur. In versione Munsteriana Pseudogorionidæ lib. V. cap. X. leguntur coniunctim nominati Ventidius & Silo Pardelius: sed est emendatio Munsteri parum bona, loci stultissime concepti ab ipso auctore. Nam editio Italica sic habet, libro VI. capite XLIX. ושרי רומא אשר באו עמו והם בנטריאס וסילון ופרדיליוס *& duces Romæ qui venerunt cum Herode fuerunt, Bantirius,* (is est Ventidius) *Silo & Pardelius.* Vnde ortus sit hic Pardelius non est quærendum: nam cum in historicis narrationibus, tum in nominibus proprijs portentose fingendis, aut deprauandis, mirificus plane artifex est ille impostor. Vel vide initium libri quinti in editione Veneta. nam apud Munsterum omnia sunt alia.

DCCXXIV. In hoc anno qui pugnam Actiacam est proxime secutus, Dio libro LI. nominat ἄρχοντα, Præfectum vel Præsidem Syriæ QVINTVM DIDIVM. Videtur is esse, qui in Epitoma Liuiana

CXXVII. Didius Saxa Antonij legatus nominatur. in Historia quadragesima septima Dionis Δεκίδιος Σέξας corrupte, pro Δίδιος Σάξας. Syriæ præfecturam quomodo sit nactus, Antonióne deferente; an huius auctoritate iam languente, Octauio & Senatu, dicere non possum. Fauisse Octauij partibus etiam ante mortem Antonij videtur. Dubito ad hunc Didium referam, an ad Ventidium quod narrat Iosephus: Augustum cum Herodem in gratiam reciperet, dixisse illi; certiorem se factum esse, fauisse caussæ suæ Herodem contra Gladiatores Antonianos. Antiquitatum libro XV. capite decimo. προσθεὶς ὅτι Καπίδιος γράψειεν, ἅπασῃ προθυμίᾳ τὰ πρὸς τοὺς μονάρχας αὐτῷ συλλαβέσθαι Ἡρώδην. Pro Καπίδιος ex Dione scribendum suspicor Κόϊντος Δίδιος. & μονομάχους omnino pro μονάρχας. hoc est: *addens Q. Didium ad se scripsisse, Herodem summo studio sibi opem tulisse in negotio Gladiatorum.* id negotium habes descriptum apud Dionem, libro LI. Multa vero secula sunt, ex quo irrepsit in codices Iosephi hæc menda; vt constat ex Ruffino, qui isto loco hærens, audaci facinore sese expedijt: vertit enim: *Tunc Cæsar omnem ei honorem addidit, cæteris Regibus scribens, cum omni alacritate Herodem sibi occurrisse.* notabile exemplum audaciæ, ad quam deprauatus codex interpretem impulit. at Gelenius, quod legebat sine dolo expressit. *addens scripsisse Capidium, quantum apud monarchas fauore Herodis adiutus sit.* verùm hæc non esse nauci testis est ipse Iosephus, apud quem Augustus ita Herodem alloquitur, Ἁλώσεως libro primo, capite XV. Καταρχεις δ᾽ ὡς ἔοικεν εὐποιΐας· δίδ μοι γράφει Βεντίδιος σε πεπομφέναι πρὸς τοὺς μονομάχους αὐτῷ *Tu me beneficio prouocas: nam scribit ad me Ventidius, te sibi auxilia contra Gladiatores misisse.* Pro Βεντίδιος, scribendum suspicor etiam hic Κόϊντος Δίδιος. nam in historia rerum gestarum cum Gladiatoribus Antonianis nulla occurrit mentio Ventidij, sed tantum Q. Didij. aut si nihil hic mutandum, in superiore loco pro Καπίδιος fuerit scribendum Βεντίδιος.

DCCXXVI. Hoc anno vel proximo successisse MESSALAM Didio, potest vtcunque fieri coniectura è Dione; qui scribit, Didium dedentibus sese Gladiatoribus conditiones quasdam concessisse, quas non seruauerit Messala. Videtur enim loqui de successore in Syriæ præfectura.

DCCXXVII. circa hoc tempus Syriæ præfuisse VARRONEM quendam, euincunt illa Iosephi testimonia, quæ superiore disputatione afferebamus. Quare hunc Baronius atque alij ex isto albo expunxerint caussam video nullam.

DCCXXXI. AGRIPPAM hoc anno missum fuisse in Syriam auctor est Dio libro LIII. sed Agrippa inuidiam fugiens, contentus

per Legatos ſuos prouinciam adminiſtrare, in inſula Lesbo ſe continuit. Dio, καὶ ὃς μετὰ τῆς πόλεως εὐθὺς ἐξώρμησεν· οὐ μέντοι ἐς τὴν Συρίαν ἀφίκετο· ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον μετριάζων, ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατήγους ἔπεμψεν· αὐτὸς δὲ ἐν Λέσβῳ διέτριψε. Propterea ſcribit Ioſephus libro XV. Herodem ad Agrippam veniſſe Mitylenen, quod Lesbi eſt oppidum. Docet autem Ioſephus, non ſolam Syriam fuiſſe illi traditam, ſed quicquid terrarum erat ſupra mare Ionium: itaque nominat ipſe Agrippam τὸν πέραν Ἰονίου διάδοχον Καίσαρι, *Cæſaris ſucceſſorem in regionibus ſupra Ionium mare.* & Dio illius magiſtratum non vocat tantum ἀρχὴν, ſed etiam Tribunitiam poteſtatem, in quinquennium delatam, libro LIV. Etſi autem reuocatus eſt Agrippa Romam ab Auguſto, ſequente anno DCCXXXII. tamen redijſſe mox in Orientem, & duo quinquennia ibi egiſſe, non eſt dubium. Dio Caſſius in anno DCCXLI. reditum illius narrat in vrbem. Ioſephus ſub finem capitis ſexti, libro XVI. redijſſe ſcribit μετὰ τὴν διοίκησιν τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας, δεκαετῆ γεγενημένην. *poſtquam annos decem res Aſiæ adminiſtraſſet.* Hoc loco ſcribit Baronius, *Putamus tamen dilatum magiſtratum Agrippæ, vſque in ſequentem annum vrbis conditæ ſeptingenteſimum quadrageſimum ſecundum, quo anno Conſulatum geſſit vnâ cum Valerio Meſſala Quirinus.* quibus verbis quid ille ſibi voluerit, ingenue fatemur nos neſcire. Nam cuius magiſtratum dicat dilatum nequeo diuinare. Suſpicor hoc illum in animo habuiſſe: prorogatum eſſe magiſtratum Agrippæ in annum vnum, poſt exacta duo luſtra quæ diximus: vt Quirinus Conſulatum in Vrbe gereret, prius quam, Agrippæ locum occupaturus, iret in Aſiam. Sed eſt magna ἀνιστορησία. nam falſum eſt prorogatum eſſe imperium Agrippæ in Aſia vltra decennium. redijt enim eo quem indicauimus anno. & delatum quidem illi eſt nouum imperium, ſed vt in Pannoniam ſtatim proficiſceretur, non vt in Aſia maneret. obijt vero paullò poſt reditum Romam ex Aſia. Succeſſiſſe Agrippæ Quirinium in Præfectura Syriæ, male colligunt Baronius & alij ex verbis Taciti, vt poſtea oſtendemus: ſed pergamus interim in enumeratione inſtituta.

DCCXLI. MARCVM TITIVM, male Baronio prætermiſſum Agrippæ ſubijcimus, auctore Ioſepho: qui libro XIV. cap. XII. eius meminit, & Syriæ Præſidem nominat: πρὸς ἡγεμόνα Συρίας Τίτιον, ἐκ διαφορᾶς Ἀρχελάῳ κακῶς ἔχοντα διήλλαξεν Ἡρώδης. vulgo editum Τίτον; corrupte; & recte Theodorus Beza ad Lucam olim ita correxit, è Strabone: cuius verba ſunt de Phraate Partho: καλέσας εἰς σύλλογον Τίτιον, τὸν ἐπιστατοῦντα τότε τῆς Συρίας, τέτταρας παῖδας γνησίους ἐνεχείρισεν ὅμηρα αὐτῷ. *quum ad colloquium vocaſſet Titium, qui tunc Syriæ Præſidem agebat, obſides illi tradidit quatuor filios naturales & legitimos.* Videtur eſſe M. Titi-

us Ruffus, vir Consularis, de quo Onuphrium consule in anno DCCXXIII. Ruffinus superiorem Iosephi locum ita vertit: *Syriæ procuratorem Titium inimicum Archelai, ei Herodes amicum fecit.* sic enim in libro regio MS. Quare maluerit Procuratorem appellare, quàm Præsidem, nescio: nam etsi non nego etiam procuratores dici interdum ἡγεμόνας Iosepho, vt postea ostendemus: tamen ea vox magis propriè Præsidem significat. Titium autem Præsidem Syriæ fuisse, non Procuratorem Cæsaris in ea prouincia, declarat locus Strabonis modò allatus.

DCCXLV. C. SENTIVS SATVRNINVS Titio successit, vt certum est è Iosephi libro XVI. cap. XIII. etsi annum susceptæ prouinciæ, nisi conijciendo assequi non possumus. Consul fuit anno CXXXV. Erat quidem tum Syria prouincia Cæsaris, non populi: Augustus tamen seruauit vetus institutum, vt Syriæ viros præficeret Consulares. Porrò quia aliquot locis Iosephus Saturnini & Volumnij coniunctim meminit; videtur Baronius existimasse, idem fuisse amborum imperium. Quare etiam paullo post collegarum Saturnini meminit, de loco Tertulliani differens. Sed frustrà fuit Baronius: neque Saturninus cùm Præses esset Syriæ, collegam habuisse absque errore ridiculo dici potest. Præses enim & Rector Prouinciæ vnus semper fuit, quem Græci modo ἡγούμενον, vel ἡγεμόνα vocant, modò ἐπιστάτην, vel τὸν ἐπιστατοῦντα, aliquando & δικαιοδότην. Huic erant adiuncti Legati tres, si Præses esset Consularis, & Procurator Cæsaris. Saturninus igitur Præses erat, Volumnius Procurator. iccirco nominatur Iosepho, Excidij libro primo, cap. XVII. Volumnius ὁ ἐπίτροπος. Pedanius, cuius ibidem mentio, vnus fuit è Legatis. Appellationem ἡγεμόνος, quæ propriè conuenit Præsidi, communicari à Iosepho Procuratori & Legatis non mirum est; quum Lucas in Actis eos qui concilium Proconsulis participabant, appellet Ἀνθυπάτους, Proconsules, de quo plura, Deo faciente, ad annum Domini LVII. Miror neque Baronium neque alios eruditos viros è tantula difficultate expedire se potuisse. Saturnino subijcit Baronius CAIVM CAESAREM nepotem Augusti. Sed errare ipsum inuictis rationibus demonstrauit ante paucos annos Iohannes Keplerus Germanus, insignis ætatis nostræ mathematicus. Probauit ille Caium Cæsarem profectioni in Orientem non accinxisse se ante annum Iulianum XLIV. conditæ vrbis DCCLII. hoc enim anni vitæ ipsius ex ipso Dione contra Dionem euincunt; vel potius contra codices Dionis, non solum mutilos in illa parte, annorum decem amissa historia; sed etiam distinctos perperam: quæ res viros etiam summos in errorem impulit. Euincit idem

& Iosephi certissimum testimonium; qui libro XVII. capite XI. expresse obseruat, in concilio ab Augusto coacto, vt Herode mortuo, de caussa filiorum Herodis cognosceret, sedisse principe loco Caium, ὃν Ἀγρίππου μὲν καὶ Ἰουλίας τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς υἱόν, ποιητὸν δὲ αὐτοῦ γεγονότα. *ex Agrippa quidem natum, & Iulia Augusti filia; sed ab ipso Augusto adoptatum.* Posthac igitur desinant viri eruditi Caium inter Præsides Syriæ recensere, qui DOMINI natiuitatem præcesserunt. Imò desinant omnino Præsidibus Syriæ Caium accensere. Nam is, quando in Syriam Christo iam nato, & Herode extincto, venit; cum extraordinario imperio venit, ad bellum Parthicum & recuperandam Armeniam, missus: non autem vt vnius Syriæ Præsidem ageret: neque propter eius præsentiam Quintilius Varus Syriæ tum rector locum suum minus seruauit; quod historia Iosephi perspicue docet. Tacitus quoque libro Annalium III. non Syriam, sed Armeniam ipsum obtinuisse scribit.

DCCL. QVINTILIVS VARVS. Sentium Saturninum Syriam rexisse ad extrema tempora vitæ Herodis, testatur Iosephus. huic autem successisse, non Caium Cæsarem, neque Quirinium, vt placuit Baronio, sed Quintilium Varum, diserte idem affirmat, libro XVII. capite septimo: ἐτύγχανεν ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Οὐάρος Κυιντίλιος, διάδοχος Σατορνίνῳ τῆς ἐν Συρίᾳ ἀρχῆς ἀπεσταλμένος. *Erat eo tempore Ierosolymis Quintilius Varus, missus vt in præfectura Syriæ Saturnino succederet.* Loquitur Iosephus de eo tempore, quo Antipater Roma ad patrem Herodem est reuersus: constat autem non multo ante obitum patris Antipatrum rediisse. Quare de tempore aduentus Vari in Syriam ex tempore mortis Herodis omnino statui debet. Herodem periisse vult Baronius anno Christi octauo, errore sane quàm immani, vt ostendemus: melius alij in proximum annum à natiuitate Domini, vel alterum certe conferunt. Mansisse Varum in Syria scribit Baronius ex Dione, vt ait, cum hic, tum in anno Domini vndecimo, vsque ad Consulatum Sulpitij Camerini & Poppæi Sabini. Sed fallitur etiam in eo, & ἀνιστορησίας reum se facit. Nam ille Consulatus incidit in annum Iulianum LIV. vrbis DCCLXII. atqui iam anno Iuliano quinquagesimo primo, Romæ DCCLIX. vt superius ex Dione ostendimus, Archelai bona Quirinius inuaserat, & in administratione Syriæ Varo successerat. Baronium, vt sæpe alibi, interpres Latinus in errorem impulit. Nam quum in illius versione legisset, Varum Germaniæ fuisse impositum, *post administratam Syriam*, hoc ille sic est interpretatus, vt è Syria translatum rectà in Germaniam putaret. Vide ad annum XI. plura.

DCCLIX. P. SVLPICIVS QVIRINIVS. Damnato Archelao

lao miſſus hic eſt in Syriam cum duplici poteſtate, regendæ prouinciæ & cenſus habendi. Ioſephus, initio libri XVIII. ἐπὶ Συρίας παρῆν, ὑπὸ Καίσαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος, καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. Venit Quirinius, ait, in Syriam, miſſus à Cæſare, vt illi prouinciæ ius diceret, & fortunarum cenſum haberet. Præſes Syriæ vſitatius Ioſepho atque alijs dici ſolet ἡγεμών, non δικαιοδότης. hic tamen ea voce ſignificari eum qui ordinario imperio præeſt prouinciæ, id eſt, Præſidem, non dubito. Strabo libro III. de eo qui mitti ſolebat in Luſitaniam prouinciam Prætoriam. πέμπεται πρεσβευτὴς στρατηγικός, δικαιοδοτήσων Λυσιτανοῖς τοῖς παρακειμένοις τῇ Βαιτικῇ. Atque iſtud fuit imperium ordinarium Quirinio demandatum. negotium agendi cenſus fuit extra ordinem, & vltra conſuetum munus Præſidum. Etſi autem ſolet Ioſephus eum appellare τιμητὴν Ἰουδαίας, quaſi in ſola Iudæa cenſum habere iuſſus eſſet: vt libro XX. cap. IV. de Iuda Galilæo loquens, τοῦ τὸν λαὸν ἀποστήσαντος, Κυρηνίου τῆς Ἰουδαίας τιμητοῦ ὄντος. Excidij libro VII. cap. XXX. ὅτε Κυρήνιος τιμητὴς εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἐπέμφθη. egit tamen Quirinius cenſum non in Iudæa dumtaxat, verùm in tota Syria: quod iſta declarant, libro XVII. extremo, ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ, *vt cenſum ageret bonorum in Syria.* Porrò τιμητής, minus recte vertitur à Ruffino *cenſor*: cenſitores enim iſti, non cenſores dicti. Vide titulum Pandectarum de cenſibus. Baronius & quicunque alij Ioſepho rem eandem toties affirmanti, auſi contradicere; parem merentur fidem, vt ſi quis Polybio vel Liuio credendum neget, ſuorum temporum magiſtratus Romæ vel Achaiæ, recenſentibus. Sed de Quirinio mox plura. Cum autem recenſionem ſuam Præſidum Syriæ concludit Baronius commemoratione M. Ambiuij, & poſt hunc Annij Rufi; prioribus hallucinationibus cumulum ingentem adijcit. Præſides enim Syriæ, à Conſularibus viris regi ſolitæ, cum Procuratoribus non Syriæ, ſed Iudææ confundit: quos Imperator ex equeſtri ordine delectos miſſitabat in Iudæam. Itaque accuratiſſimus ſcriptor Ioſephus, de Coponio loquens, omnium primo Iudææ Procuratore, qui vnâ cum Quirinio miſſus, hoc non prætermiſit: Κωπώνιος, inquit, τάγματος τῶν ἱππέων. *Coponius, vir ordinis equeſtris.* Conditor Annalium etiam in eo mirificè fallitur, quod vult iſtos Quintilio Varo, non Procuratori, ſed Præſidi, nec Iudææ, ſed Syriæ, ſucceſſiſſe. Ac de Præſidibus quidem Syriæ ad natum CHRISTVM, & deinceps ad mortem Auguſti, hactenus. Cæteri Præſides, & Procuratores omnes à Coponio ad Albinum & Florum, alibi, cum Deo, accurate recenſebuntur.

XXXI. *Prima descriptio per Quirinium, apud Lucam, quomodo poßit intelligi. Refellitur Baronij interpretatio.* ἡγεμὼν & ἡγεμονεύειν *non semper dici de Præside prouinciæ. Quirinius Procurator Cæsaris, cur dictus Iustino. Cur Tertullianus dicat factam descriptionem sub Sentio Saturnino. Descriptiones duæ. Augustus Christo famulatur.*

Apparatvs, Num. LXXXVII.

VEniamus ad Euangelistæ locum, qui superiori enumerationi occasionem præbuit. Baronius, qui ter Syriæ præfuisse Quirinium inuenit, facile iam se expedit. Lucam videlicet de ea præfectura Quirinij loqui, quam mortuo Caio gessit. Sed nos contra pertendimus; legitimam & veram Syriæ Præsidum enumerationem, qualem proposuimus, Quirinium duabus illis Præfecturis, quas pater Annalium est commentus, penitus excludere. Expende omnia diligenter. nihil hiat in superiore successione, nullus vacuus locus, in quem supposititius iste Præses inferciatur. Tacitus, qui auctor est, Quirinium mox à Consulatu *expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis*, (cuius rei & Strabo meminit) *insignia triumphi adeptum*: non hoc dicit, quod vult Baronius; nam & M. Tullius Pindenissum in eadem Cilicia expugnauit; nec Syriæ tamen propterea Præses fuit; verùm Ciliciæ dumtaxat. cur non idem dicamus de Quirinio? duæ fuerunt eæ prouinciæ, vt omnes sciunt, non vna tantùm. Ab Imperatoribus easdem fuisse interdum iunctas, & vni Rectori traditas, non nescimus: sed nimis vitiosa est collectio: factum est aliquando in alijs; ergo etiam in Quirinio tunc factum. Si esset ignotum quis Agrippæ successerit, foret aliquis tunc, fateor, huic argumentationi locus. nunc quî potest? nos enim docuimus M. Titium post Agrippam regionem illam obtinuisse, eiusque rei testes locupletes, Strabonem & Iosephum, laudauimus. Somnium igitur est illa prima Syriæ Præfectura, quam tribuit Quirinio Baronius. Quid secunda? illa vero multo magis. male enim fingitur Quirinius in ea prouincia successisse Caio; qui eam rexit nunquam, vt probauimus. Quare, nihil dum egit Baronius; & eius lector, post tantum verborum incertior sit oportet, quàm dudum. Manet enim adhuc integra quæstio, quo pacto Lucæ assertio de Quirinio Syriæ Præside cum historia à Iosepho prodita debeat conciliari. Mihi vero illa quęstio, si studium nouitatis abesset, non adeo videtur hodie difficilis. Diu enim est, cum viri eruditissimi ad Lucę locum, probabilem admodum illius soluendę viam indicarunt. Videtur sane Euangelista Quirinium appellare Syrię ἡγεμονεύοντα, non quod

quod iure ordinario Præſes Syriæ eſſet; verùm ideo quia cum extraordinario imperio ad deſcriptionem faciendam veniſſet in Syriam. Fuit hic mos Imperatorum, vt ad cenſus agendos primarios Reip. viros in prouincias deſtinarent. Sic Druſus in Galliam Comatam miſſus ab Auguſto ad cenſus, ait Claudius Imperator in ænea Lugdunenſi tabula. Sic Germanicus, quum eſſet penes ipſum regimen ſummæ rei, iuſſu Tiberij agendo Galliarum cenſui fuit intentus, ait Tacitus primo Annalium. ἡγεμονία & ἡγεμονεύειν, de quauis poteſtate, pręſertim maiore vſurpantur. In Euangelijs & Actis, ἡγεμὼν eſt modò Romanus Imperator, modò Procurator Cæſaris, qui in Iudæa; vt ſæpe in hiſtoria paſſionis, & capti in vrbe ſancta Pauli. Ita & apud Ioſephum varia eius vocis vſurpatio. Pag. 671. & 672. Antonius Gabinij legatus dicitur ἡγεμών. Præſides Syriæ paſſim eidem ea appellatione denotantur; vt 711. ὁ τῆς Συρίας ἡγεμὼν Οὔαρος. Pag. 704. ἡγεμόνες ſunt tam Præſes prouinciæ, quàm Legati, & Cæſaris Procurator, ſicut iam ante expoſuimus. Baronius qui paullo poſt ex eo colligit, tam Volumnium fuiſſe Præſidem, quàm Saturninum; ſimili ratione poteſt colligere Pontium Pilatum, qui Matthæi XXVII. 2. dicitur ὁ ἡγεμών, & Lucæ III. I. ἡγεμονεύειν, eiuſdem fuiſſe cum Tiberio dignitatis, cuius imperium in eodem Lucæ verſu appellatur ἡγεμονία. Sed & ipſi Iudæi Græcam vocem ſuam fecerunt, & de poteſtatibus quà ciuilibus, quà Eccleſiaſticis frequentarunt, vt conſtat è Targumim, & libris Rabbinorum. Vide Eliam in Thisbi. Hoc propterea monui, vt oſtenderem, cum dicit Lucas, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου; non neceſſarium eſſe, vt Præſidem fuiſſe Quirinium Syriæ ex eo concludamus. Nam etiamſi extra ordinem miſſus fuerit; tantum ad cenſum agendum, non autem, vt poſtea damnato Archelao, ad regendam prouinciam ſimul, & bonorum deſcriptionem faciendam, ſicut diatriba ſuperiore exponebamus: recte tamen dicetur Syriæ ἡγεμὼν *præfectus*, & ἡγεμονεύειν erit, non præſidere inſtar Quintilij Vari, aut Sentij Saturnini; ſed diuerſo imperio; & eo quidem nihilo minore, aut etiam fortaſſe maiore: ſed ad certas functiones reſtricto. Hæc interpretatio, neque vim vllam verbis affert, neque longe eſt petita. tum autem vetuſtiſſimorum ſcriptorum Iuſtini & Tertulliani teſtimonijs poteſt confirmari. Iuſtinus in Apologia II. Imperatores reijcit, vt de Chriſti natiuitate cognoſcant, ad deſcriptiones τὰς γενομένας ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. *quæ factæ fuerunt, cum erat in Iudæa Quirinius, qui primus fuit veſter Procurator.* Quod ait de primo procuratore, hoc etiam alibi repetit. Nam & in dialogo cum Tryphone, primam illam deſcriptionem fuiſſe aſſerit,

quæ

quæ facta procurante Cyrenio. ἀπογραφῆς οὔσης ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης. ſed hæc commoda interpretatione ſunt adiuuanda. Non enim ignorabat Iuſtinus, poſt diuiſionem prouinciarum ab Auguſto factam, ſemper & ipſum & eius ſucceſſores in omnes prouincias tam populi quàm ſuas procuratores ſuos miſsitaſſe. Verùm Iuſtinus non de illo communi genere procuratorum Auguſtalium loquitur: ſed de ijs opinor, qui per temporum interualla ad cenſus agendos mittebantur. De iſtis vere potuit dicere, Quirinium primum ab Auguſto miſſum in Syriam & Iudæam ad cenſuum deſcriptionem peragendam. Nam Baronius & alij, qui cenſus actos ſæpe in Iudęa ante Quirinij aduentum exiſtimant; quod ante multos annos ſtipendium ſiue tributum Iudęi penderent Romanis, parum firmo videntur mihi fundamento niti. Quid enim? non potuerunt Iudęi penſitare Romanis certum tributum, niſi Romani prius mitterent, qui tabulas cenſuales conficerent? non potuerunt ipſi per ſe exoluendi tributi, quod eſſet imperatum, rationem inire, niſi aliquis veniret Roma Quirinius, qui fortunas ipſorum deſcriberet? nimis hoc quidem abſurdum eſt. neque Ioſephus & alij hiſtorici hoc obſeruare prętermiſiſſent. Vbi autem extat exemplum cenſus à Romanis deſcripti in Iudęa quamdiu Aſſamonęi regnarunt, vel Herodes Magnus, vſque ad Quirinium? Quirinius igitur ex mente Iuſtini primus ab Imperatore procurator eſt miſſus in Syriam & Iudęam; non vtique primus Auguſtalium procuratorum, qui communi iure in omnes prouincias mittebantur: neque illorum qui poſt Archelaum mitti ſoliti ſunt ad Iudęę adminiſtrationem: (nam primus Iudęę procurator fuit Coponius:) ſed illorum primus qui ad negotium cenſus in Syriam & Iudęam miſſi. Fuiſſe enim moris, vt quando viſum eſſet Imperatori, mitterentur per prouincias qui cenſus agerent, vel vnicum Auguſti exemplum oſtendit, quod narrat Dio libro LVI. ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ, inquit, τά τε τῶν ἰδιωτῶν, καὶ τὰ τῶν πόλεων ἀπογραφομένους. *miſit alios aliò, qui & priuatorum fortunas deſcriberent & publicas.* Narrat Suidas ex antiquo ſcriptore, XX. viros inculpatę vitę aliquando ad id miniſterium ab Auguſto fuiſſe delectos, & per omnes prouincias dimiſſos, qui & perſonas deſcriberent & fortunas. ὁ Καῖσαρ Αὔγουστος, inquit, ὁ μοναρχήσας, εἴκοσιν ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον, καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε, δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν οὐσιῶν. in voce ἀπογραφή. Tertullianus cùm aduerſus Marcionem ſcribit; *Sed & cenſus,* ait, *conſtat actos ſub Auguſto in Iudæa per Sentium Saturninum.* ad maiorem fidem magiſtratum ordinarium potius nominat, quàm extraordinarium. Ait autem, *per Sentium Saturninum*, durè & Tertullianicè,

hoc

hoc est, impropriè, pro ἐπὶ Σεντίου Σατορνίνου. vel ἡγεμονεύοντος Σ. Σ. Præsidem agente Sentio Satur. Porrò caussa cur expresse notaret Lucas eam fuisse primam descriptionem de qua loquebatur, non defuit. norat enim Euangelista duas iam descriptiones esse factas prius quàm illa scriberet: hanc ante natum Christum, & alteram relegato Archelao; de qua loquitur idem Lucas Actorum v. 37. Posterioris caussa è Iosepho notissima est: prior è curiositate Augusti nata: vel, vt melius dicam, ex arcano diuinæ prouidentiæ consilio: oportebat enim Augustum, illum Imperatorem & Monarcham tantum, metatorem esse hospitij CHRISTO Filio Dei in terras venturo. ô infantem admirandum! cui necdum nato, primus omnium mortalium inseruit is, qui tunc, & fere ex omni memoria, in terris fuit monarcha longe maximus, longe potentissimus. Præclare Chrysostomus homilia in Matthæum octaua: καὶ ὁ Αὔγουστος ὑπηρετεῖται δὲ εἰς Βηθλεὲμ τόκῳ διὰ τοῦ προστάγματος τῆς ἀπογραφῆς. *Ipse etiam Augustus, edicto de censu promulgato, partui inseruit edendo in Bethlehem.* Similia multa apud Patres alios.

XXXII. *Digreßio, in qua expenditur nuper prodita à viro docto interpretatio verborum Lucæ,* πρώτη ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου. *An Romani descriptionem fecerint quoties ab aliquo populo tributum exigebant. Exempla sæpius missorum in eandem prouinciam. Anni Viterbiensis fabulæ.*

ERam in his, cùm è Bauarijs liber Chronologicus viri cuiusdam eruditissimi & amplissima dignitate præditi, mihi est allatus, verè nouus. plurimarum enim rerum nouarum, non demonstrationes quidem continet, sed futurarum demonstrationum promissionem. Eum librum dum percurro, incidi in caput CCXLI. in quo verborum S. Lucæ affertur noua interpretatio: quæ tamen nobis noua non fuit: qui illam ante multos annos à Iosepho Scaligero acceptam, in nostris Aduersarijs adnotaueramus. Sed merito mutauit postea sententiam Scaliger. Igitur verba Lucæ hæc, πρώτη ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, exponit ille auctor, *priusquam esset Præses Quirinius*: deinde suam expositionem triginta quatuor, vt ait, argumentis confirmat. Mihi hoc primò videtur valde nouum & insolens, quod vnius obseruationis varia exempla totidem appellantur argumenta. Atqui argumentum quidem vnicum est; nempe vocem πρῶτος sæpe vsurpari pro πρότερος: assertio verò huius vnici argumenti varia, & exemplorum benigna copia: sed quorum pars multo maxima ad illustranda verba Lucæ, aut probationem nouæ sententiæ, nihil omnino pertineant. Vnicum illud ad rem faciebat;

ciebat; πρώτη accipiendum esse ἀντὶ τοῦ προτέρα, quia sæpe, vt ait, positiuus capiatur pro comparatiuo. At hoc etiam prius quàm Theognis nasceretur, vt est in prouerbio, notum erat. quo igitur illa tanta inutilium exemplorum farrago? Multus etiam in eo est, vt probet μᾶλλον sæpe desiderari apud Græcos, & apud Latinos *magis*. sed id quoque pueri docentur quotidie in scholis: sic est autem alienum, vt nihil queat magis. Nam si hæc obseruatio caussam adiuuat, dicendũ est, in verbis Lucæ deesse μᾶλλον ex vsu loquendi magnis scriptoribus vsurpato. At quis ferat ita supplentem Euangelistæ orationem: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο μᾶλλον ἡγεμονεύοντος K. Si hoc à recta interpretatione alienum est; vt est sanè alienissimum; ista obseruatio de ellipsi τοῦ μᾶλλον, nihil ad propositum facit: neque hæc dici possunt argumenta quæ nouam sententiam stabiliant. E tanta sylua exemplorum, (non enim dicam argumentorum) nullum est cui sic confidat, vt huic ex Aristotele apud Athenæum: μὴ φαίνεσθαι εἶναι λόγους τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηΐου, τοὺς πρότερους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων. Athenæus, inquit, exponit τοὺς πρότερον γραφέντας. ergo etiam apud Lucam exponendum, προτέρα ἡγεμονεύοντος K. esto: nam vt sententiam illius adiuuemus, meminimus Chrysostomum homilia in Matthęum LXXXI. verba Euangelistarum, πρώτῃ τῶν ἀζύμων, sic explicare; τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων φησί. quæ tamen expositio cauto lectore opus habet. Verum esto, vt dixi; tamen ne sic quidem negotium erit confectum. Fingamus enim scripsisse Lucam, vt ille vult exponi. Obseruabunt tum Græci sermonis periti, participium esse positum pro verbo. προτέρα ἡγεμονεύοντος K. pro eo quod dicendum erat, πρότερον ἢ ἡγεμονεύειν, vel τοῦ ἡγεμονεύειν Κυρηνίου. hæc locutio nouitatis & insolentiæ multo plus habet, quàm illa, cui asserendæ tantopere sine caussa vir doctissimus insudat. Quod ait, dicendum fuisse Lucæ αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη ἐγένετο; nullius est momenti: quum præteritionem illam articuli, qua nihil est frequentius, (teste vel B. Chrysostomo ad Iohannis Euangelium) facile Hellenismus admittat. Negat posse dici primam descriptionem, quia iam inde à Pompeij temporibus censum soluerint Iudæi. Nos iam probauimus malam esse consequentiam: Iudæi pendebant tributum Romanis: ergo Roma censitores missi sunt, qui tabulas censuales in Iudæa conficerent. Apud Iosephum libro XIV. cap. VIII. & iterum cap. XVIII. magna vis pecuniæ à Iudæis dicitur extorta: de facta tum per Romanos descriptione verbum nullum. Constat, inquit, post Quintilium Varum Quirinium fuisse Præsidem Syriæ: ergo verisimile non est, prius fuisse. Nihil opus hic coniecturis: certum est, nedum simile veri, Quirinium semel, non autem sæpius, vt hariolabatur

batur Baronius, Præsidem egisse Syriæ. hoc satis disputatione superiore euicimus. Sed si putat eruditus hic scriptor, dici absurde Augustum eiusdem ministerio sæpius vsum in Orientis partibus; errat planissime. Semel, & fortasse tunc primum, in Orientem missus fuit Quirinius, quando in Cilicia res gessit, quarum Strabo & Tacitus meminerunt. iterum eodem est missus, sed diuerso fine, quando Caium Cæsarem comitari fuit iussus: tertio post damnationem Archelai, vt & Syriæ præsideret, & censum ageret. Quare ne id quidem à probabilitate est alienum; etiam tum in easdem regiones fuisse proficisci iussum, cum Orbis describendi impetus cepit Augustum. Neque vero nullum est exemplum illorum, qui in easdem prouincias cum eodem, vel diuerso munere sunt missi. C. Cassius profectus in Syriam Quæstor M. Crassi, mox ipso & eius exercitu deleto, res magnas ibi gessit, & aliquamdiu prouinciam obtinuit: eidemque post aliquot annos Senatus Syriam & bellum contra Dolabellam decreuit. Ventidius Bassus, quando primum cum Parthis bellum gessit, Antonij fuit Legatus: postea eiusdem belli gerendi cura illi demandata est, & suis auspicijs Labienum ac Parthos vicit, quod triumphus illius arguit. Agrippa, qui per decennium Asiam administrauit, bis ex Italia eodem est profectus. Illud fortasse minus probabile; quod hac noua interpretatione admissa, Lucas descriptionem qua de loquitur, nulla ipsi propria nota insigniuerit, neque auctoris qui egit, neque temporis quo est acta: sed rei dumtaxat adnotatione, quæ decem post annis euenit, vel si Baronij placet chronologia, sedecim. hanc vero accuratorum scriptorum non esse consuetudinem, nemo, opinor, negauerit. Iam quod idem auctor ad Lucæ descriptionem refert Iosephi locum de iureiurando fidelitatis, quod à Iudæis Herodes exegit: etsi commune hoc illi est cum aliquot sane doctissimis viris; nos tamen aliter sentimus, vt iam supra in secundæ disputationis fine ostendimus. Sed hic vir eruditus, qui in eam rem, & sæpe alibi planum illaudatum, Annium Viterbiensem, improbissimum fabularum consarcinatorem, laudat, neque discrimen vllum ponit inter vitrum & margaritum, de promisso opere conceptam opinionem non mediocriter labefactat. Est sane eiusdem iudicij atque ingenij, Annium magni facere, & Iosephum Scaligerum, diuinæ præstantiæ virum, nunquam nominare, nisi cum velis reprehendere. Idem, cùm Cardinalis Baronij Annales *laude omni atque approbatione dignissimos* sine exceptione pronuntiat; aut non legisse se opus quod laudat; aut plus apud se valere studium partium, quàm amorem veritatis, ostendit. Verùm hæc missa faciamus, & ad pensum redeamus.

XXXIII. *Ostenduntur Baronij hallucinationes insignes in locis Tertulliani & Censorini. Census lustralis. Lustrum condere & censum agere, differunt. Æquatio censuum. In numero censorum error Baronij insignis. Frequentia hominum in Iudæa. Blasphemiæ quorundam aduersus Scripturas. Geographica Orbis descriptio. Error Baronij, in loco Plinij.* Censura, *pro census.*

Apparatvs, Num. XCIII.

OMitto Baronij disputationem super locis Tertulliani de hoc censu. Vir eruditissimus, quàm esset ἀφυὴς Criticus luculente ibi demonstrauit. Vnica vocula *nunc* vitio librariorum stulte & ridicule posita pro *tunc*, subtilissime philosophandi Baronio occasionem præbuit. Enimuero tota disputatio friuola est, multáque in ea dicuntur absurde. Sed quis finis erit, si velim singula persequi? Vnum aut alterum indicabo, vt possit lector ex hoc gustu de tota velitatione facere coniecturam. Dicit Tertullianus: *Census constat actos sub Augusto, tunc* (sic enim scribendum) *in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent.* Hic nulla est plane difficultas. sed Baronius retinet Nvnc, & illud interpretatur postea. Quum autem supra rationem probabilem attulerimus, cur Sentij Saturnini potius meminerit, quàm Quirinij: Baronius putat Tertullianum loqui de censu quinque aut sex post annis habito Romæ per Augustum Coss. Sex. Ælio Cato, & Caio Sentio Saturnino. huius vero sententiæ absurditatem si pluribus refutare aggrediar, absurde faciam. Deinceps persuadere conatur Baronius, descriptionem quæ B. Virginem Bethlehemum ire compulit, fuisse censum lustralem, vt ipse appellat, & singulis quinquennijs fieri solitam. Id ille an eruditis viris sit probaturus nescio: ego probare nullo pacto possum. Nam censum Romæ factum esse anno natiuitatis Domini demonstrari non potest: multo minus lustrum conditum. quomodo igitur lustralis hæc in Iudæa acta descriptio? Mihi videtur longe certius esse, quod multi viri docti obseruarunt; Augustum cupidum cognoscendi opes & copias omnes imperij, non autem proposito vllius in præsens exigendæ pecuniæ, Quirinio istud negotium dedisse. Hanc sententiam eo amplector cupidius, quia per hanc actionem extraordinariam, magis elucescit prouidentia diuina: cuius arcano impulsu agebatur mens Augusti, vt per illum (etsi nihil eiusmodi cogitantem) prophetia de nascituro Bethlehemi Rege Messia impleretur. Magnam deinde Censorino facit iniuriam Baronius. Obseruat Censorinus, post lustrum à Vespasiano conditum, desijsse priscum illud institutum: nempe oportebat, exoriente

ente paullatim Euangelij luce, ritus quoque paganicos paullatim contemni & in desuetudinem abire. Baronius putat Censorinum dicere, post Vespasianum nullam esse factam lustralis census exactionem: de quo ille oppidò eruditus scriptor, ne cogitauit quidem. Nimirum confundit Baronius lustri condendi cerimonias, cum instituto politico describendi subditorum fortunas: quæ duo tamen in historia Romana toties tam expresse distinguuntur. Consuetudo quidem agendi census per temporum interualla, prout res exigeret, non solum in veteris Romæ imperio, sed & nouæ, semper est seruata. Testis esto Gregorius Nazianzenus, oratione nona ad Iulianum ἐξισωτήν. Iulianus & Hellenius in Cappadociam missi fuerant, vt census agerent, & inter ciues onera tributorum exæquarent: quod fuit olim Censorum munus, postea Censitorum. in carmine ad Hellenium ait Gregorius:

Εὖχος ὦ Ἀρμενίης Ἑλλήνιε· ὃς λάχες αἶη
Στῆσαι ἡμετέρη μέτρα δίκαια φόρων.

Putat mox scriptor Annalium, numerum censorum se inuenisse, quorum nomina Quirinius in descriptione Orbis terrarum adnotauit. Eò enim refert hæc Suidæ in Αὔγουστος. Ὅτι Αὔγουστος Καῖσαρ δόξαν αὐτῷ πάντας τοὺς οἰκήτορας Ῥωμαίων κατὰ πρόσωπον ἀριθμεῖσθαι, βουλόμενος γνῶναι πόσον ἐστὶ πλῆθος. καὶ εὑρίσκονται ὄντες τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες υι μυριάδες, καὶ χίλιοι ιζ ἄνδρες. *Placuit aliquando Augusto, omnes terræ Romanorum incolas sigillatim recensere; quum scire cuperet quanta esset eorum multitudo. Inuenti sunt, qui Romanorum ditionem inhabitabant, quadragies & semel centena millia, mille & septemdecim.* 4101017. ita vertendus est Græcus apud Suidam numerus: non quomodo interpres Baronianus: cuius emendationem Baronium tentasse mirum est; nam Græca ipsum inspexisse nunquam, res arguit. Spondanus verò Epitomator, videtur ille quidem Græca inspexisse: at non intellexisse, vt res ostendit. vulgo diceremus; quatuor milliones, centum millia, mille & septemdecim. Sunt autem hæc desumpta ex Eusebij Chronico Græco; vel potius ex aliquo scriptore qui inde descripserat. Locus extat in Græca editione Iosephi Scaligeri, pag. 62. in Augusti rebus. Est autem cum in narratione, tum in notis numeralibus differentia non parua. Τιμήσεως γινομένης ἐν Ῥώμῃ ἀπεγράφησαν Ῥωμαίων μυριάδες υιϛ καὶ δ. Hieronymus in versione Eusebiani Chronici numero MMDCCCLXXXIX. *Censu Romæ agitato inuenta sunt ciuium Romanorum* XLI. *centena &* LXIV. *millia.* Huiusmodi recensiones plures commemorant lapis Ancyranus, & illud ipsum Eusebij Chronicon, alijque historici. Quum autem Augustus ipse in lapide Ancyræ posito, semper de ijs solummodo loquatur, quorum Romæ facta est

descriptio,

deſcriptio, aut ſi forte in Italia ; iocularis eſt Suidæ, vel eius auctoris vnde ipſe habet, hallucinatio, quæ & Baronium in erroris ſocietatem traxit ; vt exiſtimaret eo numero comprehendi omnia capita, quæ venerunt in cenſum ex toto orbe Romano. Hæc alogia quanta ſit, ne æſtimari quidem poteſt. Nam vel Iudæa ſola, tantula prouincia, eum numerum potuit ſuperare, quem putauit Baronius omnes perſonas complecti vniuerſi imperij Romani. Siquidem auctor eſt Ioſephus, Excidij libro III. cap. IV. nullum fuiſſe paruum adeo oppidum, aut vicum Galilææ, in quo non reperirentur millia quindecim οἰκητόρων, *habitantium.* Galilææ autem vrbes pagiue erant ducenti & quatuor, teſtante eodem in vita ſua. Quamobrem reperiri potuerunt in ſola Galilæa, nulla habita ratione vrbium maiorum, in qua numeroſior longe fuit populus, quàm in oppidulis aut κώμαις, tricies centena ac ſexaginta millia. Idem Ioſephus libro Ἀλωσ. ſexto ſcribit, ad Paſchatis ſolemnia conueniſſe Ieroſolyma, virorum καθαρῶν πάντων καὶ ἁγίων myriadas CCLXX. hoc eſt, vicies ſepties centena millia virorum purorum & mundorum : præter infinitam multitudinem eorum, quos aliqua corporis infirmitas, vel pollutio, arcebat ab eſu agni paſchalis: item fœminarum & puerorum. Sub finem diſputationis de cenſibus iterum inuehitur Baronius in eos, quos Nouatores amat appellare. Ait vocare illos in dubium Euangeliſtæ fidem ; ac propterea Celſo, Porphyrio & Iuliano longe deteriores eſſe confirmat. Nos autem profeſſi ſumus, ſi quis tantum animo nefas concepit, vt de fide ſacrorum librorum vel minimum dubitaret ; eius amentiam & furorem ex animo nos deteſtari. Sed iuro ſancte, iſtos Baronianos Nouatores me non habere notos. Quare vereor valde, ne ſine iuſta cauſſa tragœdiæ etiam hîc excitentur. Omnino res non cohæret ; vt illi parum honorifice de diuinis oraculis ſentiant ; quos nihil æque offendit in Concilio Tridentino, ac par honos tributus libris Canonicis, Apocryphis, & non ſcriptis Traditionibus : nulla ſaltem adhibita diſtinctione ; ſicut erat æquum, imò prorſus neceſſarium. qui nihil æque abominantur in Aduerſariorum ſuorum ſcriptis, ac blaſphemias horrendas contra Sacram Scripturam, quibus libri nonnullorum ſcatent, qui ſe dicunt Catholicos Romanos : ſunt autem hæretici hæreticorum perditiſsimi, ſceleſtiſsimi, damnatiſsimi. Ducit hodie familiam inter huius generis hæreticos, hoſtis Dei certiſsimus Scioppius ; in cuius Eccleſiaſtico leuiter inſpecto, multas legi ſuperioribus diebus aduerſus τὰς θεοπνεύστους Scripturas, blaſphemias longe diriſſimas. cap. XC. in diſputationibus de fidei articulis, non vult adhiberi verbum Dei, de quo extat vox Domini, *Inquirite Scripturas.* At nouus hic Theologus grauiter

eos exagitat, qui vbi agitur de negotio ſalutis, quærunt, *Vbi ſcriptum eſt?* hanc quæſtionem credit Alaſtor ille abſurdam: qui hoc quærant ſtultos nominat, pagina 299. Capite CXXXV. comparat verbum Dei ſcriptum cum traditionibus non ſcriptis, & verbo Dei viuentis ſcripto minus etiam tribuit, quàm ſiue Pighius ſiue alius, qui dixit Patrum memoria; *Scripturam ſi auctoritate Eccleſiæ deſtituatur, non plus per ſe valere, quàm fabulas Æſopi.* quod blaſphemum dictum poſtea defendere auſus eſt Cardinalis Hoſius. Et Cardinalis Bellarminus De verbo Dei non ſcripto lib. IV. capite IV. Scripturam ſuffragio Eccleſiæ carentem comparat Alcorano. nunquam, opinor, id facturus, ſi tantopere verbi diuini Maieſtatem eſſet admiratus, ac fecit olim Criticus inſignis, Paganus tamen homo, Dionyſius Longinus, cuius extat aureolus περὶ ὕψους libellus. Sed hæc iuſtiſſima querela non eſt huius loci. Poſtremo mentionem facit Baronius deſcriptionis Geographicæ Orbis terrarum, factæ per Auguſtum. Hanc pluribus annis eſſe perfectam quum non ſit dubium, præcipue tamen circa natiuitatem Meſſiæ fuiſſe diligenter curatam obſeruo. Plinius libro VI. capite XXVII. *Hoc in loco genitum eſſe Dionyſium, terrarum orbis ſitus recentiſſimum auctorem conſtat: quem ad commentanda omnia in Orientem præmiſit diuus Auguſtus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicaſque res maiore filio.* Diximus antè Caium iuiſſe in Orientem anno Iuliano XLIV. qui erat alter vel ad ſummum tertius à nato Chriſto. Eſt autem veriſimile iuſſum eſſe præcedere Dionyſium aliquanto tempore prius quàm iter à Caio ſuſciperetur. Poſtremo obſeruat Baronius, meminiſſe Plinium deſcriptionis cenſualis Auguſti iuſſu factа; quando ait libro VII. *In diuo quoque Auguſto, quem vniuerſa mortalitas in hac cenſura nuncupat.* Non faciam quod ſolemne eſt hodie leuibus & inhumanis ſcriptoribus, vt hallucinationem ſuam viro docto exprobrem cum conuitio. πρίν μοι χλεῦαι ἀρραῖα θεῶν. tantum dicam, falli hic inſigniter Baronium, neque Latinam Plinij locutionem eſſe aſſecutum. Plinius eo loco ſermonem habet de illis, qui inter raræ humanitatis exempla numerantur: ait Auguſtum *ab vniuerſa mortalitate* (ἀπὸ πάντων ἀνθρώπων) *in hac cenſura nuncupari*, id eſt, inter beatos recenſeri, ἐγκρίνεσθαι, ἐγκαταλέγεσθαι. *cenſura* pro cenſus, vt poſitura pro poſitus. Propertius, *Qualis & hæc docti ſit poſitura Dei.* Sic *cubitura*, *curſura*, *diuiſura*, & *paratura*, pro paratu, apud Tertullianum ſæpe. Itaq; à mente Plinij aberrari longius non potuit.

XXXIV. *Baronius in Chronologicis parum accuratus. error eius de Græca Bibliorũ editione. Iosephi historiam de Herode non penitus videri consentire cum Scripturis. Figmentum Baronij absurdum, de annis* IX. *vitæ Herodis à Iosepho prætermissis. Alterum non minus, de initio annorum Herodis post Actiacam pugnam. Fundamentum Chronologiæ huius Bar. euertitur, & locum Iosephi esse emendandum demonstratur.* νέος & νεανίας, *item* νεανίσκος, *Græcis quis.* iuuenis *Lat. Marci locus illustratus. Probatur multis exemplis vetustas mendorum apud Iosephum, etiam ante Ruffinum.*

APPARAT. Num. XCIX.

QVæ sequuntur deinceps disputationes ad finem vsque Apparatus, merè sunt Chronologicæ. Quærit enim Baronius, quos ille annus Consules habuerit, quo natus est Christus : quotus item annus fuerit, tum currentis Olympiadis, & quota ipsa : annum etiam inuestigat imperij Augusti, regni Herodis & mundi. Etsi autem non negamus haut contemnendam ipsum diligentiam adhibuisse, quò veritatem harum quæstionum inueniret ; illud tamen vel inuiti cogimur fateri ; honori suo Baronium melius potuisse consulere, si vniuersum hoc argumentum ne attigisset quidem. Nam quid ille affert noui præter errores aliquos nouos ? Scientia temporum quantopere fuerit post renatas literas exculta, quàm admiranda acceperit incrementa, asinus est qui ignorat inter literatos : malignus & beneficiorum Dei erga hoc seculum ingratus æstimator, qui dissimulat. Stupenda enim sunt, quæ viri summi in nostra præsertim Gallia & Germania præstiterunt. In his Annalibus omnia vulgata : nihil quod seculi felicitatem admodum sapiat. quare etiam illa in quibus verum est assecutus, frigide tractantur, & ficulneis argumentis, non solidis & certis rationibus firmantur. Errorem æræ Christianæ qua hodie vtimur, à Dionysio Paruo, Computatore alioqui nobili, inchoatum, à posteris auctum, perpetuo dissimulans, perpetuo errandi necessitatem sibi imposuit : è qua ægre tandem sese explicuit, postquam ad Diocletiani vsque tempora cum numero annorum, parem numerum errorum suorum produxisset. In ratiocinijs annorum mundi Septuaginta Interpretum versionem vult nos sequi ; solam putat dignam cuius habeatur ratio : nam veritas Hebraica illi, vt multis hodiè male feriatis, sordebat. Bibliorum editionem Græcam Romæ curatam, putat esse ipsissimam τῶν LXX. versionem : quæ sententia in tirone aliquo studij Theologici vix posset excusari, nedum in tanti nominis vi-

ro

ro ſit ferenda. Illas tot numero diuerſas Patrum ſententias ſuper annis ab Adamo ad Chriſtum, non aliunde putat ortas, quàm è diuerſitate Scripturæ apud Septuaginta Seniores. neque animaduertit, ſic Patres pleroſque hos ſequi, vt ſuos habeant multi eorum ſibi proprios epilogiſmos. Nam exempli gratia: profitetur Euſebius initio Chronici, ſe in nonnullis ſequi τῶν L X X. in alijs ſuas rationes & numerum contractiorem: idemque alibi inter ſe comparat calculum Iudæorum, omnium breuiſſimum, cum calculo Interpretum L X X. omnium prolixiſſimo, & Samaritarum, qui medius inter illos duos. At Baronius omnes Patrum mire variantes ſententias verſioni Septuaginta fert acceptas: & quum illi numerent annos ab Adamo ad Chriſtum, quinquies mille quadringentos nonaginta nouem; Euſebius verò non plures quinque millibus & ducentis; Baronius tamen & hic & in Notis ad Martyrologium, cuius auctor Euſebium ſequitur, epilogiſmum Euſebianum, affirmat eſſe numerationem Septuaginta Seniorum. Sed nos huiuſcemodi hallucinationes doctis Chronologis relinquimus animaduertendas. Nobis ſufficiet hoc loco illa expendere, quæ de annis Herodis ſunt illi diſputata: ex quibus conſtare etiam tironibus poterit, quantum illi in hoc genere toto eruditionis ſit tribuendum. Principio illud profitemur, non ſatis intelligere nos, quî poſſit per omnia fides Ioſepho conſtare in annis vitæ, regni & mortis Herodis. Nam quum dubitare ſit nefas, quin ante obitum Herodis natus ſit Dominus noſter, ſicut ſacra Euangelia teſtantur: videtur epilogiſmus rerum Herodis apud Ioſephum, aliquanto breuior eſſe, quàm poſtulet Euangelica demonſtratio. Herodi regnum delatum eſt Romæ Coſſ. Domitio Caluino, C. Aſinio Pollione, anno Vrbis D C C X I I I I. Iuliano ſexto: adijt illud captis Ieroſolymis, Coſſ. M. Agrippa, Caninio (alij Canidio) Gallo, Iuliano I X. regnauit à delato regno, annos triginta ſeptem: ab adito, triginta quatuor. Hæc eſt Ioſephi conſtans narratio: vt ex illius ratiocinijs conferenda ſit mors Herodis in annum Vrbis D C C L. Iulianum X L I I. vel ſi interpretatione adiuuare volumus eius calculum, in annum ſequentem, qui habuit Conſules Lentulum & Meſſalinum. Atqui hic eſt annus, cui Caſſiodorus, Baronius, Ioſephus Scaliger, Sethus Caluiſius, & alij eximia doctrina viri, natiuitatem Domini adſcribunt: ita vt Herodes in vere ſit mortuus ante Paſcha: Chriſtus natus, vt fere hodie creditur, X X V. die menſis Decembris. Quare Herodes prius fato functus fuerit, quàm Chriſtus naſceretur: quod repugnat Euangelio; & proinde quin ſit falſum, ne dubitari quidem poteſt. Hîc docti viri induſtriam ſuam varie exercuerunt, vt laboranti hac in parte fidei Ioſephi ſuppe-

tias ferrent : quorum ſententias in vno ſolum vel altero anno inter ſe diſſentientes, ſtudioſis confidimus eſſe notas. Baronium verò hæc temporis non ſane longi aberratio in Ioſephi epilogiſmo, impulit, vt paradoxa quædam & abſurdiſſimas ſententias primus excogitaret. Ait, Ioſephum totos nouem annos vitæ Herodis prætermiſiſſe ſilentio : Ait, annum illius regni primum in tempus eſſe reijciendum Actiacæ victoriæ ; poſtquam Herodi παλιγγενεσία quædam contigit, quando in regno illum ſuo Auguſtus confirmauit : Ait denique, Herodem nonniſi octauo demum anno à natiuitate τοῦ Θεανθρώπου eſſe extinctum. Hæc vero paradoxa tantam in ſe abſurditatem continent, vt ſi quis illa ſerio refutare inſtituat, iure poſſit illud poetæ vſurpare,

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Nam quis credet Ioſephum, tam accuratæ diligentiæ virum, qui è Commentarijs ipſius Herodis, & alijs Actis publicis, narrationes ſuas depromebat, annos ipſos nouem aut ignoraſſe, aut conſulto conſilio ſiluiſſe ? cui bono ? qua mercede ? qua ſpe ? Iam quum tot locis annos regni Herodis annotet Ioſephus, atque is ſemper ſibi conſtet in partibus: (niſi forte alicubi librorum fides vacillet) quæ, malum ! fuit mens illius, qui tantum laborauit vt conſtanter mentiretur ? Vellem vero indicaſſet Baronius illum tantũ in hiſtoria rerum Herodis hiatum, quem pręter ipſum in hiſtoria Ioſephi nemo adhuc fuit tam Lynceis oculis, qui animaduerteret. Porrò verum annorum regni eius principiũ ſtatuendum fuiſſe poſt Actiacam victoriam, ſomnium eſt vigilantis Baronij, præterea nihil. Fingit Auguſtum victo ad Actium Antonio, anno Iuliano x v. ſtatim in Aſiam traieciſſe ; neque cogitat, omnes vnanimi conſenſu hiſtoricos, id ſomnium confutare. Nam Auguſtus ex Actio Italiam petijt : neque ante anni ſequentis initium venit in Græciam, & inſulam Rhodum, vbi illum Herodes conuenit. Quare ſi poſt beneficium Auguſti procedere incipiunt veri anni Herodis ; male Baronius eos orditur ab anno victoriæ ad Actium ; & tela tota annorum vitæ & mortis illius Regis eſt ipſi retexenda. Sed quod ait, Auguſtum priorum annorum acta Herodis reſcidiſſe, vt eius nomen de Faſtis deleretur, per totum ſpatium quo regnum antè obtinuerat ; hoc verò plus etiam eſt quàm ſomniare : veritatis enim in hac affirmatione ne vmbra quidem vlla ſupereſt : ſed ſola in ea eminet fingendi quiduis licentia. Bis hanc hiſtoriam Ioſephus narrat ; Antiquitatum libro x v. cap. x. & Ἁλώσ. lib. primo, cap. x v. proferat inde, vel ex Hegeſippo, vel vndevnde, verbulum ſaltem aliquod, vnde tale quid poſſit colligi. Locus Pſeudohegeſippi habetur lib. primo, cap. XXXIII. Adeatur ſi lubet etiam Gorionida : ne ibi quidem ſimile quid inuenietur.

nietur.

nietur. Quid igitur prætexere Baronius habuit, cur rem adeo inopinabilem hominibus obtruderet? Adde quod, initio cùm regnum Herodi Romæ Patres dederunt; non ſolus Antonius eius conſilij auctor videtur fuiſſe, verum etiam Octauius, ſicut narratio Ioſephi ſignificat: & expreſſis verbis affirmat Euſebius, ſiue apud Euſebium Africanus, ad Olympiadem CLXXXVI. Ἡρώδης, ait, Ἀντιπάτρου μηδὲν προσήκουσαν αὐτῷ τὴν τῶν Ἰουδαίων βασιλείαν ἀπὸ Αὐγούστου καὶ τῆς συγκλήτου λαμβάνει. *Herodes regnum Antipatri, nihil quicquam ad ſe pertinens, tradentibus Auguſto & Senatu accipit.* Vt nulla cauſſa fuerit poſtea Auguſto, cur regnum à Senatu delatum, ſe vel auctore vel comprobatore, velut iniuſtum antiquaret. Eximie verò falſitatem figmenti huius declarat Archelai calamitas: quam conuenienter Ioſepho Dio Caſſius confert in annum DCCLIX. Iulianum LI. An Dio mendaciorum ſocius eſſe Ioſepho præoptauit, quàm de re omnibus nota veritatem narrare, quæ vix potuit eum fugere? Hiſtoria etiam Procuratorum Iudææ accurate à Ioſepho expoſita, coniecturæ Baronianæ huic ſine miſſione iugulum petit. qua de re plura ſuo loco, in Exercitatione IX. 4. Quare commentum de annis nouem à Ioſepho prætermiſſis vaniſſimum eſt, neque huius fieri debet: τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος. Quoniam autem vnico maxime Ioſephi loco innititur hæc Baroniana παραδοξολογία, qui habetur libro XIV. cap. XVII. vbi dicitur Herodem quo tempore Iulius Cæſar bello Ægyptiaco confecto; res in Syria & Iudæa compoſuit, natum fuiſſe annos tantum quindecim: ſciat Lector, mendoſum eſſe illum locum, vt alios in optimo illo ſcriptore infinitos. Perperam enim apud Ioſephum legitur, ιε γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη, *quindecim tantum annos natus erat*: quum ſit abſque dubio ſcribendum, κε, vel etiam κϛ *annos tum natus erat tantum* XXV. aut etiam XXVI. quemadmodum iam ante nos recte cenſuerunt viri præſtantiſſimi & harum rerum callentiſſimi, Ioſephus Scaliger, Laurentius Suſlyga, Iohannes Keplerus, Auguſtinus Torniellus, & Eduardus Liueleus Anglus, de quo plura in ſequentibus ſumus dicturi. Neque obſtat, quod Ioſephus eo loco de Herode ſic loquitur, νέῳ παντάπασιν ὄντι, *quum eſſet penitus iuuenis.* & primo Excidij, p. 675. in eadem hiſtoria eundem vocat κομιδῆ νέον, & mox νεανίσκον. Nihil, inquam, hoc aduerſatur ſuperiori emendationi; ſed è contrario illam ſic adſtruit, vt alia confirmatione opus non ſit. Nam Ioſephus vocem νέος, *iuuenis*, aut νεανίας, vel νεανίσκος, *iuuenculus*, non ſolet de ijs vſurpare, qui pubertatis annos necdum ſint aſſecuti: verùm de illis potius, qui exceſſerint ex ephebis, & annum XV. tranſcenderint. Excidij libro ſeptimo, cap. XI. de Domitiano ſcribit, ipſum, quando Romam eſt allatus nuntius de defectione Germanorum,

manorum, fuiſſe νέον ἔτι παντάπασι; & Tacitus in vita Agricolæ, *admodum iuuenem*, de initijs Veſpaſiani loquens ; quem certum eſt, annos tum fuiſſe natum nouemdecim aut viginti. Antiquit. libro XIV. cap. XIII. Alexander Rex cùm ſupplicio afficeretur, νεανίσκος dicitur ; qui annum XXX. ſuperabat. libro VI. cap. X. Dauid pugnaturus cum Goliatho, νεανίσκος nuncupatur, qui annum agebat XXIX. Polybius in prima hiſtoria Hieronem appellat κομιδῇ νέον, quem probauimus in Commentarijs noſtris fuiſſe annorum XXXV. Idem de Tito Flaminio bellum cum Philippo Rege Macedoniæ gerente ſic loquitur ; καίτοι νέος ὢν κομιδῇ· πλείω γὰρ τῶν τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχε. Vbi vides tantum ſcriptorem diſerte dicere, eum appellari ſolitum νέον, iuuenem, & quidem νέον κομιδῇ, *oppidò iuuenem*, qui natus eſſet annos triginta. In quo Græcis cum Romanis conuenit ; qui iuuentutem definiebant ab anno triceſimo ad quadrageſimum. Itaque Cicero in Oratore, *adoleſcentulum* ſe vocat, quum annum ageret XXVII. Apud Polybium & alios hiſtoricos, νεανίσκος ſæpe ſignificat militem : & νεανίσκων καταγραφὴ de conſcripta legione leges. Sic accipiendum Marci XIV. 51. καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι, *& prehendunt eum milites*. ex vſu loquendi Græce ſcribentium, vt alibi fuſe probamus, etiam apud Septuaginta Seniores. Viros eruditos, qui apud Marcum accipiunt de neſcio quibus laſciuientibus adoleſcentulis, refellit vel articulus οἱ. Propterea Ioſephus de ijs loquens, qui annos pubertatis non exceſſerunt, vocem νέος aut νεανίας, quas hic tribuit Herodi, nunquam vſurpat; ſed παῖς, vel μειράκιον. Pag. 35. & 36. Ioſephus Iacobi F. annorum XVII. παῖς illi dicitur, & μειράκιον. p. 456. Ariſtobulus παιδίον παντάπασι nominatur, cum Ananelus fit ſummus Pontifex. erat autem natus Ariſtobulus tunc annos XV. vt è ſequentibus conſtat, & affirmat Gorionis filius, fictitius Ioſephus Hebræus. Idem Ariſtobulus pag. 458. μειράκιον dicitur in hiſtoria mortis ſuæ, quam obijt anno ætatis XVIII. Pag. 493. & 494. Alexander & Ariſtobulus Herodis filij μειράκια vocantur & νεανίσκοι: ſed qui annis XXV. eſſent maiores, & è ſuis vxoribus liberos ſuſtuliſſent. Verum igitur eſt, quod antea diximus; Ioſephum qui illo loco Herodem appellat νέον παντάπασιν, adeo ſuperiorem emendationem non euertere, vt contra, ei ſtabiliendæ argumentum ſuppetat prorſus Achilleum, & quod ſolui non metuat. Non etiam obſtat, quod apud Photium vulgata extat lectio : aut quod Ruffinus multo antiquior Photio, eandem agnoſcit. Veriſſimum enim eſt, quod multos ante annos ad Suetonium dicebamus, & argumentis aliquot demonſtrauit poſtea ὁ μακαρίτης Ioſephus Scaliger; Ioſephi codices deprauatiſſimos iam circumferri ; neque hodie atque heri eſſe corruptos, ſed ante

Ruffini ætatem. Id enim verſio illius manifeſtiſſime declarat, multis locis ad inſaniam vſque inepta, non aliam perſæpe ob cauſſam, niſi quòd corruptiſſimos nactus codices,& iudicio critico deſtitutus,quicquid inuenit exprimere eſt conatus. Tanta autem fuit Ruffini in hoc præclaro incepto infelicitas, vt libris illi vti contigerit, etiam hodiernis noſtris interdum deprauatioribus. Nam, verbi gratia, lib. XIV. cap. XIV. recte hodie ſcribitur κομίζοντι ἐπικουρικὸν, *adducenti copias auxiliares*. at Ruffinus ineptiſſime legens ἐπὶ Κουρικὸν, ineptius adhuc vertit, *dum per Choricum tranſiret*. Originum v. cap. primo, p. 121. πέμπει τρισχιλίοις ὁπλίτας Ἰησοῦς recte hodie, & conſentienter Hebraicæ veritati. Ruffinus falſò, *triginta millia* pro tribus millibus. legit nempe τρισμυρίους. Initio lib. XIV. recte hodie, τῷ γ̄ ἔτει τῆς ζ̄ καὶ ο̄ Ὀλυμπιάδος: *anno tertio Olympiadis ſeptuageſimæ ſeptimæ, ſupra centeſimam*. at Ruffinus male, *centeſima octuageſima Olympiade*. magna ſane mutatione, τῆς π̄ Ὀλ. pro τῆς ζ̄ καὶ ο̄ Ὀλ. Libro XVII. cap. XIII. iſta hodie leuiter corrupta, ἀποῤῥήξας αὐτὰς τῆς ἄκρας ἕως Συρίας προσθήκην ποιεῖται. Ruffinus longe deprauatius videtur legiſſe ſic: ἀπ᾽ αὐτὰς τῆς διοικήσεως Συρίας, προσθήκην Ἰουδαίας ποιεῖται. vertit enim: *quas abſcindens à diſpenſatione Syriæ, additamento Iudææ regioni coniunxerat*. Eſt vero ea ſententia falſiſſima; quod Gelenium non fugit. Quare legendum & diſtinguendum, ἀπ᾽ αὐτὰς τῆς τοῦ βασιλέως, Συρίας προσθήκην ποι. ex ipſo Ioſepho: cuius verba ſunt, Ἀλωσ. lib. II. cap. IX. p. 726. τὰς Ἑλληνίδας πόλεις, Γάζαν, καὶ Γάδαρα, καὶ Ἰόππην ἀποτεμόμενος τῆς βασιλείας, προσέθηκε Συρίᾳ. P. 555. capite ſexto libri XVIII. pro εἰκοστῷ ἐνιαυτῷ, legit Ruffinus, εἰκοστῷ δευτέρῳ; quod tuetur Scaliger; reijcit Keplerus. At ibidem pro ἑπτὰ καὶ τριάκοντα inuenimus in membranis Ruffinianæ verſionis Sereniſſimi Regis Iacobi, *triginta duo*. Sed à vulgata ſcriptura ſtat ratio temporum. Libro X. cap. XI. narrat Ioſephus è Megaſthenis Indicis, Nabuchodonoſorum καταστρέψασθαι Λιβύης τὴν πόλιν καὶ Ἰβηρίαν. Ruffinus legit, Λιβύην τὴν πόλιν, & vertit, *dicit eum vaſtaſſe Libyen ciuitatem, & Iberiam*. At quænam eſt hæc vrbs Libya? Ephorus quondam ſcriptor vetuſtiſſimus, Iberiam putauit eſſe vnam vrbem, vt narrat Ioſephus in priore contra Appionem. Sed Megaſthenem, qui poſt Alexandrum M. vixit ſcripſitque, quem Arrianus appellat Expedit. lib. v. δόκιμον ἄνδρα, *virum fide dignum*, tantarum ineptiarum damnare non debemus,vt totam Africam vel Libyam crediderit vnam fuiſſe vrbem. Omnino legendum eſt, quod & Gelenius vidit, τῆς Λιβύης τὴν πολλὴν, *magnam Libyæ partem ſubegit*. Non fugiſſet hoc Ruffinum,ſi libros contra Appionem legiſſet: nam in priore illorum vera extat lectio. Omitto ſimilia his ſexcenta alia imperitiæ Ruffini ſimul & vetuſtiſſimarum apud

Ioſephum

Iosephum mendarum exempla. Quum igitur probauerimus Ruffinum libris deprauatissimis esse vsum; mirari nemo debet, hunc etiam locum, inter alios prope infinitos, iam tum in illius codice fuisse corruptum. Vetustatem erroris arguit hic consensus eius versionis cum hodiernis exemplaribus Græcis, etiam manu exaratis, & quidem oppidò vetustis: veritatem sententiæ non probat. Porro Græci codicis scripturam in editione Basiliensi,(nupera enim priore deterior;) locis prope infinitis esse corruptam, & sæpe vocibus aliquot mutilatam, est vbi periodis integris, docuit me diligens comparatio cum vetustissimis exemplaribus, quæ in Regis Christianissimi Bibliotheca seruantur. Collationem illam ante annos quinque instituerem, opera adiutus doctissimi viri & amicissimi Caroli Labbæi, Iurisconsulti; quum id à nobis illustrissimus Scaliger petijsset, de editione nobilissimi scriptoris tum cogitans: quam immatura viri diuini mors Reip. literariæ inuidit. Tum igitur ex vnius aut alterius libri contentione didici, quod dudum eram suspicatus; hodiernis Iosephi libris nihil deprauatius posse inueniri: de quo tamen ne per somnium quidem tot interpretes videntur cogitasse. Si ergo, vt ad propositum redeam, superior emendatio, quam res arguit, & nos probauimus esse necessariam, admittitur libro XIV. cap. XVII. Herodes anno belli Ægyptiaci à Cæsare gesti annorum fuerit viginti quinque, aut viginti sex. Ita euersum est, quod vnicum videbatur habere Baronius suæ opinionis portentosæ fundamentum. Herodes enim cum nascebatur Dominus, Lentulo & Messalino Coss. annorum fuerit circiter LXX. aut LXIX. neque vero Iosephus præcise affirmat ipsum exactis septuaginta annis obiisse: verum ab ætatis suæ anno septuagesimo, quando obijt, non longe abfuisse. περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν ὄν, ait capite VIII. libri XVII. pag. 529. & in eandem sententiam, Excidij lib. I. cap. XXV. p. 714. ὢν ἤδη σχεδὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα. Hac difficultate sublata, planior iam patet via ad conciliandam Iosephi narrationem cum Euangelio, hoc est cum veritate. Qua de re consulant studiosi scripta præstantissimorum illorum virorum, quos ante nominauimus; & sua fruantur iudicij libertate: neque enim fidei res est; vt dubitare de illa, aut diuersa sentire non liceat.

Atque hæc ad Apparatum.

EXERCITATIONES
QVATVORDECIM

AD
CARD. BARONII
ANNALIUM
PARTEM I.

DE
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
Natiuitate, Vita, Paßione, Aſſumptione.

ISAACI CASAVBONI
EXERCITATIO II.
AD
CARDIN. BARONII
ANNALES.

I. *Vtrum natus ſit Chriſtus in vrbe Bethlehem, an extra vrbem. Teſtimonia & argumenta extra vrbem natum ſuadentia. Contrarium probatur ex ipſis Euangelij verbis. Articulorum vis male neglecta interpretibus.* δέχεσθαι ἀγρῷ, ὅρμῳ, οἴκῳ, κοιτῶνι, *vel* κοίτῃ. *Locus è paraphraſi Syriaca. Lucæ purior Helleniſmus.* Spelunca *locus vbi natus Dominus, cur dicatur.* ἰλεός. Foramen. *Locus Iſaiæ apud* LXX. *Iuſtini hallucinatio. Euſebij locus correctus. Suburbia Bethlehemitica. Reſponſio ad ſuperiora argumenta.*

ANNI PRIMI Num. II.

PRima omnium Baronij obſeruatio Annalium ſuorum initio, eſt de loco vbi Seruatorem mundi, Dominum noſtrum, B. Virgo peperit. Conſtat, Regis Meſſiæ patriam fuiſſe Bethlehem: verùm in vrbéne an extra vrbem ſit Chriſtus natus, non perinde apud omnes conſtare videas. Iuſtinus Martyr, ſcriptor vetuſtiſſimus, in dialogo cum Tryphone, ad vrbem, non in vrbe, verſatam eſſe tum B. Virginem ſcribit: ἐν σπηλαίῳ τινὶ, ait, σύνεγγυς τῆς κώμης κατέλυσεν, *in aliquam ſpeluncam vico propinquam diuertit.* Euſebius, verbis illis quæ deſcripſit Baronius è libro VII. Demonſtra. Euangel. agrum oſtendi ſolitum ait, vbi Virgo partum admirabilem eſſet enixa. Caietanus ad Lucæ Euangelium, difficile putat eſſe intellectu, quomodo ignorauerit Herodes, Chriſtum à Magis eſſe adoratum, ſi in ipſa vrbe ponatur facta eſſe adoratio. *Hæc autem difficultas*, inquit, *ceſſat, ſi extra muros adoratus eſt Ieſus.* Exiſtimabat

 enim

enim Caietanus, in eodem loco & natum fuisse Dominum, & à Magis adoratum: de quo paullo post. Sunt qui ex historia pastorum, idem posse colligi contendant. Nam si intra muros præsepe illud fuisset, in quo pastores Filium Dei adorarunt; quomodo, inquiunt, nocte intempesta, aut vrbem ingredi potuissent, aut stabulum inuenire, in quo illud præsepe? Baronius, vt omnibus sese expediret difficultatibus, speluncam in qua dicitur Christus esse natus, non in vrbe, sed in suburbijs Beethlemiticis fuisse positam, pronuntiat. Omnes hæ sententiæ, & si quæ aliæ istis similes in Theologorum scriptis leguntur; originem sine dubio inde habuerunt; quod proniores fuerunt viri eruditi ad coniecturas suas in medium proferendas; quàm ad mentem Scripturarũ diligenter rimandam. Nam si verba Lucæ quanta par est diligentia expendant Græcæ literaturæ vel mediocriter periti, aliter, opinor, sentiant. Nos igitur Euangelistæ auctoritate freti, asserere non dubitamus; in ipsa vrbe Bethlehem, non in spelunca aliqua extra vrbem posita, aut in suburbijs, multo autem minus in agro, Regem Messiam partu B. Virginis fuisse editum. Lucæ Euangelistæ verba sunt: ϗ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ· διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι. *Et reclinauit eum in præsepio; quia non erat eis locus in diuersorio.* Hic obseruet eruditus lector, non dixisse Lucam ἐν καταλύματι; sed ἐν τῷ καταλ. sciunt vero periti sermonis Græci, articuli vel adiectione, vel omissione, multum fieri diuersam horum verborum sententiam. Sine articulo ἐν καταλύματι, sensus esset; Iosepho & Mariæ nullum omnino patuisse diuersorium, quum essent Bethlehemi plura. Gallice recte verteris, *en vne hostellerie*, vel, *en aucune hostellerie.* At cum articulo, ἐν τῷ καταλ. dupliciter exponi potest: vel, fuisse vnicum Bethlehemi diuersorium, ad quod non sint admissi; quod vix sit verisimile: vel, vnum aliquod diuersorium Bethlehemiticum ipsos adijsse; atque in eo, quod ad cætera, fuisse exceptos: sed locum vacuum non esse ibi repertum, qui ipsis ad cubandum concederetur. Gallice, *en l'hostelerie, in illo diuersorio*: nempe quod adierant, & quo vtebantur, ad cætera quod attinet. Non est hodie insolens, vt tecto aliquis & rebus ad victum necessarijs, excipi queat in diuersorio; non possit proprio cubiculo, vel cubili aut lecto. Scimus longe diuersissimam apud veteres fuisse hospitiorum rationem: qua de re plura alibi dicta sunt à nobis: verumtamen etiam apud veteres simile quid fuit. Nam vt in Commentarijs Polybianis fuse docebimus, si Deus volet, fuere etiam apud illos quidam hac in re humanitatis gradus: estque obseruare in Græcorum libris, res olim fuisse diuersas, δέχεσθαι ἀγορᾷ, *admittere ad emptionem commeatus*; δέχεσθαι ὅρμῳ, *facere potestatem ingrediendi stationem aut portum*;

δέχεσθαι

δέχεσθαι οἴκῳ, *recipere in domum* : & δέχεσθαι κοιτῶνι, *vel* κοίτῃ, *cubiculum aut cubile ad quiescendum dare*. Omnino harum distinctionum habenda ratio est, vt adiecti articuli vis intelligatur. Syriaca paraphrasis anceps est, & ab eruditis interpretibus varie accepta. *Quia non erat eis* דוכתא *hospitium* siue *locus*, (proprie δοχεῖον: est enim vox Græca ; quod Elias in Thisbi non obseruauit ; Syris vsitata pro pandochio, & generaliter pro loco apud Rabbinos :) איכא דשרין הוו Fabricius vertit ; *vbi habitantes essent* : ὅπου αὐλίσαιντο. quasi scriptum esset in veritate Græca, ἐν καταλύματι, non adiecto articulo. Tremelius, *vbi habitabant*. ad verbum dixit Syrus, ὅπου αὐλιζόμενοι ἦσαν. hoc verò plane est ἐν τῷ καταλύματι secundum postremam interpretationem, quam paullo ante attulimus. Ea proculdubio maxime est probabilis : nam adiectus articulus ostendit, diuersorium quidem illos habuisse ; verùm in quo locus ad cubandum non esset vacuus. coacti igitur sunt, in stabulum iumentorum concedere : quod erat, vt fit verisimile, diuersorio coniunctum, aut saltem, propinquum. Hoc declarat Lucas, cum ait, καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ : non enim dicit, ἐν φάτνῃ, quod Gallice diceremus, *en vne creche* : sed ἐν τῇ φάτνῃ, quod verti debet, *en la creche*. Latine aliter non possumus nisi *in præsepi*, neglecto articulo, cuius tamen est hoc loco vis magna. Generalem enim appellationem præsepis, restringit peculiariter ad illud præsepe, quod erat in stabulo pertinente ad diuersorium, cuius præcessit mentio. Quare ipsum præsepe, siue stabulum in quo natus Christus, ab Ambrosio in locum Lucæ *diuersorium* appellatur, quod esset pars diuersorij. *Terreno in diuersorio iacet, sed cœlesti lumine fulget*. Auctor operis imperfecti in Matthæum, vocat *pandochium tenebrosum*. Gregorius Nazianzenus, oratione nona, φαῦλον καὶ μικρὸν κατάλυμα, *vile & paruum diuersorium*. Scimus, non semper in Scripturis articulos debere vrgeri, nec raro omissos reperiri, vbi Hellenismus exactior eos requirebat, sicut etiam Chrysostomus in Iohannem obseruat : sed nulla dici caussa potest, cur in hac Lucæ narratione non sit exacte habenda illorum ratio : nam ad historiæ veritatem magnum est in eo momentum : & Lucam purum Hellenismum aliquanto diligentius, quàm cæteros Euangelistas obseruasse, notum est eruditis. Sic paullo post, sermonis Græci proprietas ab eo seruata est, cùm ita facit Angelum loqui ; εὑρήσετε βρέφος κείμενον ἐν φάτνῃ, *en vne creche* : non autem ἐν τῇ φάτνῃ : at mox, εὗρον τὸ βρέφος κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ, *en la creche*. recte. *inuenerunt infantem iacentem in præsepi* ; illo nempe, cuius ab Angelo tacta erat mentio. hæc ratio articuli vel adiecti, vel omissi. Porrò stabulum in quo natus est Dominus, passim Græci Latinique Patres appellant σπήλαιον, *speluncam* : nec mirum: nam

 quum

quum eſſet Bethlehem in ſaxeo colle ſita, videntur pleræque domus, in ſaxis fuiſſe exciſæ. Strabo obſeruat, totam regionem circa Ieroſolyma, ad ſexageſimum vſque lapidem, eſſe ὑπόπετρον, *petroſam*. Bethlehem autem, quatuor millia paſſuum dumtaxat diſtabat ab vrbe, vt ait Iacobus de Vitriaco: vel ſex, vt Arabs geographus. Qui eruditus ſcriptor obſeruat, eſſe in illo tractu multas domos ſaxis inciſas, vel potius, cellas, *in quibus*, ait ille, *homines ſeſe incluſerunt religionis cauſſa*. Idem, locum vbi natus eſt Meſſias commemorans, *ſpeluncam* vocat, vt fere Græci ac Latini. Proprie quidem antrum id non erat αὐτοφυές, qualia celebrantur à poetis & geographis; Trophonium, Corycium, Themiſonium & ſimilia: ſed locus concinnatus in vſum ſtabuli, vt præſepe ibi poſitum demonſtrat. quia tamen intra ſaxa illud ſtabulum fuerat excauatum, obtinuit, partim propter loci naturam, partim ad declarandam eius vilitatem, vt ſpelunca paſſim appellaretur. Sic enim loqui moris eſt, de anguſtis gurguſtiolis: nec multo aliter dictum illud apud Theocritum, Ιλεὸν ἐκ οἴκησιν. nam proprie ἰλεὸς eſt θηρίου φωλεός. *foramen vbi latet ſerpens*, vel *alicuius feræ cubile*. Hieronymus hoc ſtabulum, ſiue ſpeluncam, appellat *foramen*, ad Marcellam: *Ecce in hoc paruo terræ foramine cœlorum conditor natus eſt*: niſi malis de ipſo oppidulo Bethlehem hæc verba interpretari. Poteſt & alia ratio afferri, cur veterum Patrum nonnulli eum locum ſpeluncam ſæpius nominarent: putarunt enim fuiſſe prorſus neceſſe, vt naſceretur Chriſtus in ſpecu, quia ſic olim fuiſſet prædictum ab Iſaia. Vaticinium prophetæ affert Iuſtinus contra Tryphonem, in hæc verba: οὗτος οἰκήσει ἐν ὑψηλῷ σπηλαίῳ πέτρας ἰσχυρᾶς. *hic habitabit in ſpelunca ſublimi rupis validæ*. Et habentur quidem hæc verba in Græca verſione, XXXIII. 16. ſed quæ non agnoſcit veritas Hebraica: ne Latina quidem vetus interpretatio: *Iſte in excelſis habitabit munimenta ſaxorum*. Hic nulla ſpeluncæ mentio. Vnde apparet, Iuſtini obſeruationem non eſſe multo ſolidiorem, quàm fuit illa quorundam olim, qui vt refert Theodoritus libro I. cap. XVIII. locum Zachariæ XIV. 20. de clauis Dominicæ crucis freno equi Conſtantini aptatis, interpretabantur: quod meritò ridet Hieronymus; etſi non improbant Cyrillus & alij nonnulli. Hic error Iuſtinum in alium errorem videtur impuliſſe. Exiſtimans enim ex illo Iſaiæ loco, Chriſtum in alta quadam ſpelunca prærupta rupis eſſe natum: quia non ſolent eiuſmodi antra in vrbibus reperiri; putauit non in vrbe, ſed ad vrbem Bethlehem Mariam diuertiſſe, atque ibi Chriſtum peperiſſe. Hoc verò quis veterum Patrum præter Iuſtinum dixit? quis vel Græcorum, vel Latinorum ſcripſit, natum Ieſum ἐγγὺς Βηθλεέμ, *prope Bethlehem*, aut ἐν ὁρίοις Βηθλεέμ, *in finibus Bethlehem*? omnes ad vnum conſentiunt,

ſentiunt, peperiſſe Virginem ἐν Βηθλεέμ, in vrbe aut vico Bethlehem. & ipſam ſpeluncam cuius toties mentionem faciunt, in ipſa vrbe fuiſſe, non obſcurè ijdem oſtendunt. Origenes libro I. contra Celſum: δείκνυται δὲ ἐν Βηθλεέμ σπήλαιον, ἔνθα ἐγεννήθη. *Oſtenditur in Bethlehem ſpelunca, vbi natus eſt.* Non dicit Origenes, oſtenſum fuiſſe id antrum ad Bethlehem; ſed in Bethlehem, id eſt, intra muros vrbis; ſiquidem fuit tum muris cincta Bethlehem: certe, in ipſo oppido. Verum quidem eſt, Romæ natum videri, qui ad vrbem natus fuerit, & in continentibus ædificijs, vt ait Paulus I. C[tus] lege ſecunda, Dig. De verborum ſignif. Quare non negamus, fidem oraculo conſtituram, quod eſt apud Micheam, & Matthæum II. 6. etiam ſi certum eſſet, ad Bethlehem, non in Bethlehem natum eſſe Dominum. Sed quum nemo veterum, vt dixi, præter Iuſtinum id reperiatur memoriæ prodidiſſe; cur vnius potius, quàm omnium ſententiam ſequemur? Quod apud Euſebium hodie legitur, in agro neſcio quo natum eſſe Dominum; turpe eſt exſcriptoris mendum, quod neque interpres, neque Baronius locum deſcribens, animaduerterunt. Verba Euſebij ſunt, editionis Græcæ, p. 213. Καὶ εἰς δεῦρο δὲ οἱ τὸν τόπον οἰκοῦντες, ὡς ἐκ πατέρων εἰς αὐτοὺς κατελθούσης παραδόσεως, τοῖς τῆς τῶν τόπων ἱστορίας χάριν εἰς τὴν Βηθλεέμ ἀφικνουμένοις μαρτυροῦσι, τῶν λόγων (ſcribendum μαρτυροῦσι τῷ λόγῳ) πιστούμενοι τὴν ἀλήθειαν, διὰ τῆς τοῦ ἀγροῦ δείξεως, ἐν ᾧ τίκτουσα ἡ παρθένος, κατατέθειται τὸ βρέφος. *Etiam hodie qui locum illum incolunt, vt qui à maioribus ſuis eam traditionem acceperint, ijs qui Bethlehemum aduenìunt ſtudio luſtrandi illa loca, ſermoni noſtro teſtimonium præbent; veritati fidem adſtruentes, agri illius demonſtratione in quo depoſuit Virgo infantem quem pepererat.* Sed quàm abſurdum dictu eſt, quàm inauditum, peperiſſe Virginem in agro, aut infantem recens editum in agro fuiſſe poſitum? Tanta & tam manifeſta abſurditas, vitium codicis manifeſtò arguit. Scribe mutatione minima, τοῦ ἄντρου, non τοῦ ἀγροῦ, *demonſtratione antri*; non autem *agri*. δεῖξις ἄντρου, vt modò apud Origenem, δείκνυται σπήλαιον. nam σπήλαιον & ἄντρον. *ſpelunca & antrum*, promiſcue in hac hiſtoria vſurpantur. Euſebius tamen ἄντρον libentius nominat. De vita Conſtantini libro III. loquens de Helena Auguſta: τῷ προσκυνηθέντι θεῷ δύο νεὼς ἀφιέρου, τὸν μὲν πρὸς τῷ τῆς γεννήσεως ἄντρῳ, τὸν δὲ ἐπὶ τοῦ τῆς ἀναλήψεως ὄρους. *Deo quem adorauerat, duo templa conſecrauit; vnum ad natiuitatis antrum: alterum ſuper aſſumptionis monte.* Mox, πολυτελῶς δὲ τῆδε ἱερὸν ἄντρον φαιδρύνουσα. Paullo ante appellat, τὸ τῆς πρώτης τοῦ Σωτῆρος θεοφανείας ἄντρον: *prioris aduentus Chriſti Seruatoris antrum.* Notum eſt ex hiſtoria, Helenam illo ipſo in loco vbi natus fuerat Chriſtus, templum exſtruxiſſe magnificum. Si verum eſſet, quod Iuſtinus ſcribit; non in vrbe, ſed ad vrbem Bethlehem,

lehem, templum illud fuisset structum. Hic iterum quæro, quis veterum hoc dixit? quis illorum de eo templo, non sic loquitur, tanquam in ipsa vrbe sito? Sozomenus libro II. de Helena, ᾠκοδόμησε ναὸν ἐν Βηθλεέμ, ἀμφὶ τὸ τῆς γεννήσεως Χριστοῦ σπήλαιον. *ædificauit templum in Bethlehem, ad speluncam illam, in qua Christus natus est.* Baronius qui antrum siue stabulum vbi natus Christus, ponit in suburbijs Bethlehemiticis; doceret nos, vbi inuenisset, habuisse Bethlehem suburbia. Non enim temere hoc illi credere debemus. Lucæ II. 4. nominatur Bethlehem vrbs, πόλις Δαβίδ, *vrbs Dauidis*: sed Ioha. VII. 42. dicitur κώμη, *vicus*, siue vt habet Latina versio, *castellum*. Glossarium, Κώμη, *villa, castellum, vicus*. Et Hieronymus, modò appellat *villam*, vt in epistola ad Marcellam: modò etiam *villulam*, vt in altera ad eandem Marcellam: aliquando *vix paruum viculum*, vt ad caput V. Micheæ. Theodoretus sermone VIII. Curationum, χωρίον ἄδοξον καὶ σμικρόν, *locum ignobilem & paruum*. Propterea huius loci in tota historia Biblica, & apud Iosephum, vix semel aut iterum facta reperitur mentio. atque adeo reperti sunt, qui apud Lucam II. 4. κώμην legerent, non autem πόλιν, vt auctor est Epiphanius hæresi LI. nisi quis putet aliter hæc esse exponenda: Διό, inquit, ἔν τινι ἀντιγράφῳ τῶν Εὐαγγελιστῶν καλεῖται πόλις τοῦ Δαβίδ· ἐν ἄλλῳ δὲ κώμην αὐτὴν καλοῦσι, διὰ τὸ εἰς ὀλίγην γῆν αὐτὴν ἥκειν. *Propterea in quodam exemplari Euangelistarum, vocatur vrbs Dauid: in alio verò ipsam vicum nominant, quod ad breuem terræ modum esset redacta.* Tantulum igitur siue oppidulum, siue vicum, suburbia habuisse, quod vult Baronius, cui fiet verisimile? Burchardus stabulum natiuitatis iuxta muros fuisse scribit: sed neque ille, neque Marinus Sanutus, qui Burchardum fere descripsit, extra muros id stabulum collocant: vnde igitur habet Baronius? Ad Caietani obiectionem, verbo responderi potest: nam è Matthæo II. 11. constat, non in stabulo, verùm in domo Christum fuisse à Magis adoratum: illa autem domus, proculdubio in vico Bethlehem fuit: atque vt videtur, illud ipsum diuersorium, cuius meminit hic Lucas. Nam confecta descriptione, & hospitio quod occupatum erat discessione turbarum vacuefacto; probabile admodum est, Iosephum & Mariam, relicto stabulo, ad illud diuersorium se atque infantem transtulisse. Quod de facto Magorum nihil resciuit Herodes; prouidentiæ diuinæ adscribendum, vt alia multa magis mirabilia, quæ in hac stupenda historia possunt obseruari. Altera obiectio de pastoribus, aliquanto difficilior. Quæritur, si intra muros natus Christus, quomodo potuerunt pastores noctu vrbem ingredi. Respondeo: si Bethlehem erat κώμη, *vicus*, verisimile fuisse ἀτείχιστον, nec muros habuisse: si oppidum fuit muris cinctum;

verisimile

verisimile est in tam alta pace, portas, vt plurimum, relictas fuisse apertas: aut certe, diuina prouidentia euenisse illa nocte, vt paterent portæ. Quæritur etiam, quî potuerint pastores locum dignoscere, vbi erat infans recens natus cum matre. Respondeo; multas quidem excogitari posse rationes, quî istud sit factum: sed quia tacuit hoc Lucas, quæstionem hanc missam facere me, & quod Scriptura siluit, lubenter ignorare.

II. *Prophetiæ Septuaginta Interpretum, quæ in Hebræo non extant, quo loco habendæ. Bos & asinus ad præsepe Christi. Gregoriorum Nazianzeni & Nysseni loci expenduntur. Cyrillus Ierosol. illustratur & emendatur.*

ANNI I Num. III.

T*Acet Euangelista*, inquit Baronius, *non illic tantum fuisse præsepe, sed bouem & asinum ad illud alligatos, quod olim Propheta cecinerat.* Sane verum est, taceri hoc ab Euangelista Luca: sed illud haut scio quàm verum sit, prædictum à Propheta fuisse, id ita euenturum. Extat locus Prophetæ Habakuk III. 2. sed in Hebraica veritate nihil eius habetur, sicut iam olim B. Hieronymus obseruauit. An pro oraculis diuinis sint habenda, quæ apud Septuaginta Seniores leguntur, neque in fonte reperiuntur; magna quæstio est, propter quorundam veterum Patrum sententiam; qui existimarunt Seniores illos in eo negotio, *non interpretationis seruitute, sed prophetiæ auctoritate* esse versatos, vt loquitur Augustinus, Quæstionum super Genesin libro primo. At non est hic locus arduam illam quæstionem pluribus tractandi. Hoc tantum dicam; si eiusmodi vaticinia, quæ quidem occurrunt plurima in Græca versione, pro diuinis oraculis sunt habenda: non tamen veteribus illis Prophetis videri adscribenda; quoties textus Hebraicus nihil eiusmodi ipsos euincit cogitasse. Sunto, si lubet, prophetiæ eiusmodi, Septuaginta Interpretum Spiritu prophetico afflatorum, & Prophetas, non Interpretes agentium: veteribus certe Prophetis, nisi cum exceptione, tribui non videntur posse. Sed de his alibi accurate, volente, faciente, DEO OPT. MAX. Prophetæ igitur Habakuk verba, initio diuinæ illius prophetiæ, quæ inscribitur *Oratio pro ignorantijs*, Interpretes Septuaginta sic verterunt: *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, in medio duorum animalium cognosceris*: at Hieronymus veritatem Hebraicam secutus, *in medio annorum viuifica illud.* Porrò ex hac versione Græca, & notissimo Isaiæ loco, in principio eius prophetiæ, nata illorum opinio, qui scripserunt, Dominum nostrum iacuisse in præsepi inter bouem & asinum, vel asinam vt, habet Ambrosius. Quàm bene hoc

hoc congruat menti Prophetarum Isaiæ & Habakuk, non iam quæro: sed Baronium non obseruasse miror, plerosque auctores, quos ipse laudat ceu testes eius historiolæ, allegorice locutos esse, non autem, vt ille credidit, fide historica. Exempli gratia: Gregorij Nazianzeni verba, cuius testimonio ille vtitur, in oratione XXXVIII. leguntur hæc: Γνῶθι ὡς βοῦς τὸν κτησάμενον. Ἡσαΐας διακελεύεταί σοι. καὶ ὡς ὄνος τὴν φάτνην τοῦ κυρίου αὐτοῦ. *Cognosce vt bos possessorem. Isaias huius admonet. & vt asinus præsepe domini sui.* Nihil hic de historia Baroniana; neque apud Nicetam Gregorij Scholiasten; qui tamen accurate hunc locum interpretatur. Sic accipiendus est & Gregorij Nysseni locus in diem natalem Domini. *Medium igitur in præsepi se, inter bouem & asinum vtriusque Dominus locat; vt medium parietem maceriæ soluens, duos condat in semetipso.* Hic bos & asinus allegoricè appellantur, facta allusione ad locum Isaiæ, duo populi, quemadmodum antecedentia & consequentia arguunt. Bos per anagogen est populus Iudaicus; asinus, Gentium; vt exponunt Hieronymus ad Isaiam, & Nicetas ad Nazianzenum. Sic etiam potest accipi locus Hieronymi Baronio allatus. Quod autem Cyrillum Ierosolymitanum suæ obseruatiunculæ suffragatorem laudat; fide aliena nimirum vtitur, & fallitur insigniter. Verba Cyrilli sunt in Catechesi XII. Τί σημεῖόν ἐστι, ὦ προφῆτα, τοῦ ἐρχομένου Κυρίου; ὁ δὲ φησὶν ἑξῆς· ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ· ταῦτα πρὸς τὸν Κύριον λέγων σαφῶς· ὅτι παραγενόμενος ἔνσαρκος ζῇς, καὶ τελευτᾷς, καὶ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν ζῇς πάλιν. Baronius Latini Interpretis errorem secutus, putat Cyrillum illis verbis, ἐν μέσῳ δύο ζώων, intelligere bouem & asinum, inter quos medius fuit collocatus Dominus noster. sed vehementer fallitur. Nam Cyrillus non scripsit ζώων, *animalium*, verùm ζωῶν, *vitarum*: quam lectionis diuersitatem eruditi viri, qui Romæ Bibliorum Græcorum editionem curarunt, non prætermisere. Ita autem scripsisse Cyrillum, adeo manifestum est ex ea quam subijcit huius oraculi interpretatione, vt mirum sit, vel interpretem, vel Baronium potuisse hoc ignorare: nam Spondanum illius Epitomatorem hoc non vidisse minus miramur. Quare ita locus erat vertendus: *Ecquod signum est, ô Propheta, venientis Christi? ille deinceps ait: in medio duarum vitarum cognosceris: perspicue hoc ad Dominum dicens: Tu post aduentum in carne tuum, viuis, & moreris; & post resurrectionem è mortuis, viuis iterum.*

III. *De fonte in spelunca natiuitatis exorto. Bedæ liber de locis sacris, plenus fabularum.*

ANNI I. Num. IV.

QVod narrat Baronius miraculum de fonte in spelunca vbi natus Dominus exorto; nisi alio probetur testimonio, quàm eo quod affertur è libro Bedæ de locis sacris; an referri debuerit in historiam veritatem professam, vehementer dubito. Cauet quidem sibi Baronius, cùm rem non affirmat; sed ait, *accidisse fertur*: verùm, quia rei tantæ tantum est silentium, non solum in Scripturis, sed etiam apud omnes veteres, qui loca illa incoluerunt, aut qui de locis sacris ex professo scripserunt: vix dubitationi locus videtur relictus, quin optimi & sanctissimi viri, ac merito suo, vti vocatur, venerabilis, Bedæ simplicitate etiam hic sit abusus, qui hoc illi persuasit. Nam eo libro multa futilia aut palàm falsa contineri, ne Baronius quidem dubitabat: qui hoc alibi ingenue agnoscit & fatetur. Habes exemplum eximium in anno Domini XXXIV. num. CXVI. de columna in monte Caluariæ, æstiuo solstitio vmbram non faciente: quod mathematici non minus verè de Syene obseruant, quàm falso fictitiæ isti columnæ attribuitur. Similia huic fabellæ multa in eo libro.

IV. *Reuerentia locis sacris debita. Industria Baronij in concilianda opinione antiquitatis, rebus minus vetustis. Homiliam falso tribui solitam Chrysostomo, non esse illius demonstratur; sed Latini cuiusdam scriptoris. Controuersia vetus super die Epiphaniorum. Sedes Ierosolymitana Pellam translata.*

ANNI I. Num. V.

CVm scribit Baronius de loco natiuitatis Domini; *Vix credi potest, in quanta veneratione & cultu Christiani semper habuerint locum illum*: si de reuerentia intellexit, quæ locis sacris debetur, & ijs, in quibus Deus immortalis aliquod suæ præsentiæ, siue, vt melius Græci dicunt, suæ ἐπιφανείας signum exhibuit; omnino quod res erat dixit: sin id egit, vt religiosum cultum atque adorationem certorum locorum, qualem hodie multi docent atque vsurpant, hoc primæ vetustatis exemplo tueretur; & rem & tempora peruertit auctor: quod minime omnium conditorem Annalium decebat. Non enim primo illo nascentis Ecclesiæ tempore, sed aliquot post seculis hoc institutum cepit. At Baronius vt lectori aliud agenti persuadeat, iam inde ab initio eum locum religiose fuisse cultum, consulto, vt videtur, con-

 silio

ſilio, obſcure admodum mox eſt locutus, cùm ſcripſit; ſed *reddita pace Eccleſiæ, ſpelunca illa mirifico eſt opere exornata.* Nam quid eſt, *reddita pace Eccleſiæ?* Commemorant Euſebius, Oroſius, & alij hiſtoriæ Eccleſiaſticæ auctores, decem perſecutiones, quas ſub infidelibus Imperatoribus Eccleſia Dei, ante Conſtantinum eſt paſſa: & ſunt ſingulæ harum perſecutionum ſuis annis in Chronico Euſebiano adnotatæ. Poſtquam remiſerat tyrannorum rabies, & finis erat impoſitus perſecutioni, dicebatur reddita pax Eccleſiæ. Ita loquitur B. Cyprianus initio libri De lapſis. *Pax ecce, dilectiſſimi fratres, Eccleſiæ reddita eſt: & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque vltione diuina ſecuritas noſtra reparata eſt.* In Hiſtoria Euſebij, modò leges ἀνακινηθῆναι τὸν διωγμόν, *perſecutionem denuo excitatam eſſe*: modò pacem eſſe redditam; & quidem, interdum altam & ſecuram: nam libro III. cap. XXXII. leges, γενομένης εἰρήνης βαθείας ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ, *quum pax alta vniuerſæ Eccleſiæ eſſet reddita.* Baronius quoque diligenter ſolet adnotare, quando & per quos pax Eccleſiæ poſt quamque perſecutionem fuerit reddita: vt in anno CLIV. 4. CLXXXII. 4. & alibi. Conſtat ex his, verba iſta, *reddita pace Eccleſiæ,* ex vſu communi loquendi, tempus illud ſignificare, quo ceſſante prima ſub Neronis imperio perſecutione, pax reddita eſt Eccleſiæ. Atqui hoc falſum eſt: & Baronius, ſi de eo tempore ſenſit, aut falſus eſt, aut fallere voluit. Non enim poſt primam perſecutionem aut ſecundam; ſed longo tempore poſt decimam, quæ fuit omnium poſtrema, factum eſt quod hic narratur. Prima omnium Helena, quod ex hiſtoria conſtet, de æde ſacra in loco natiuitatis ædificanda, cogitauit: atque id non primis annis imperij Conſtantini filij; ſed multo poſt. Lege hos Annales, in anno CCCXXVI. num. XXXVIII. Vides quibus artibus graſſetur pater Annalium, vt rebus multo poſtea inuentis antiquitatis ſummæ opinionem conciliet. Hic igitur candorem in Baronio iure aliquis deſideret: in ijs quæ ſequuntur iudicium. Nam addit: *ipſumq; præſepe tectum argento: de quo hæc apud Chryſoſtomum.* In tam paucis verbis, non ſemel, ſed bis peccat Baronius. Quod ait, præſepe in quo iacuit Dominus, argento, ſiue laminis argenteis, fuiſſe tectum; male interpretatur verba auctoris quem laudat. Nam ille dicit, ſublatum fuiſſe verum præſepe, quod erat luteum: & repoſitum eius loco ſimulacrum illius argenteum. *Nos Chriſtiani,* inquit, *tulimus luteum, poſuimus argenteum. Tulimus,* hoc eſt abſtulimus, paſſim in Digeſtis, Spartiano, Lampridio, & poſterioribus ſcriptoribus. Quod exiſtimauit homiliam vnde illa verba ſunt deſumpta quæ hic deſcribit, eſſe B. Chryſoſtomi; falſus eſt iudicij, & ſine dubio grauiter errauit. Nam

eloquentiæ

eloquentiæ Chrysostomi, & omnium illarum virtutum, quæ orationem illius diuini Doctoris, aut docendi rationem χαρακτηρίζουσιν & designant, ne pilum quidem homiliæ illius auctor, quisquis tandem ille fuerit, habuit. Ac quoniam non proprius Baronij, sed multorum grauium Theologorum communis est hic error ; age homiliam ipsam breuiter percurramus, & quàm sit Theologis necessaria Critica, hoc exemplo doceamus. Ante omnia obseruent tirones, hanc homiliam non oratione continua esse contextam; sed constare sacri textus recitatione & breuibus obseruationibus ad verba recitata. Hæc forma concionum Latinorum nonnullis admodum placuit ; vt apparet ex Eucherij Lugdunensis, Petri Chrysologi, & aliorum homilijs: qui nulla nisi hac arte aut methodo sunt vsi. Ita igitur hic auctor verba Lucæ percurrit, à versu sexto capitis secundi ad finem deciminoni. Nunc paucas illius obseruationes expendamus. Ait de Domino, qui in stabulo natus : *Non inuenit locum in Sancto Sanctorum, qui auro, gemmis, serico, & argento fulgebat: & tamen non nascitur inter aurum & diuitias, sed in stercore nascitur, hoc est, in stabulo.* Prior periodus oppidò frigidam sententiam continet : nam quomodo potuit B. Virgo parere in Sanctis Sanctorum ? videtur autem alludere ad fabulam de educatione Mariæ in illo loco : cuius putidissimi figmenti nusquam, si satis memini, verus Chrysostomus mentionem facit. Posterior periodus male cohæret cum priore : nam quem locum ibi habet illud *tamen* ? neque tamen puto aliter scripsisse auctorem. Ait ; *Rem nouam : ingrediuntur in diuersorium, non ingrediuntur in ciuitatem.* Hæc obseruatio falsa est, vt probauimus antea, cum verba Lucæ expenderemus : neque aliquis veterum Doctorum reperietur, qui dixerit Iosephum & Mariam vrbem Bethlehem non esse ingressos. Quis autem potest dubitare κατάλυμα illud siue hospitium, in quo negat Euangelista locum vacuum potuisse reperiri, intra vrbem fuisse ? Sed hic auctor, ne inspecto quidem Græco textu, occasione vocis *diuersorium*, quo vsus interpres, ad inanes argutias est delapsus. Sequitur enim ; *Videte magnitudinem paupertatis, in diuersorium vadunt ; non dixit quod erat in via, sed in diuerticulo erat, extra in via* : (hæc leuiter sunt corrupta) *hoc est, non in via, sed extra viam. Non in via Legis, sed in diuerticulo Euangelij, & tamen in ipso diuerticulo erant.* Vides argutias nescio dicam an ineptias : quibus, vt iam monui, occasionem præbuit vox *diuersorium*, in Latina versione : nam à Græco vocabulo ista sunt aliena. Quàm bene igitur Chrysostomo hæc conueniunt ? Ait : *O si mihi liceret videre illud præsepe in quo Dominus iacuit.* Huic voto simillimum est apud Chrysostomum, quod legitur in homilia XXXI. in eam ad Romanos. Loquens enim vir pius de

Petro & Paulo Romæ passis martyrium: Τίς μοι νῦν ἔδωκεν, inquit, περιχυθῆναι τῷ σώματι Παύλου, καὶ προσηλωθῆναι τῷ τάφῳ; optat posse amplecti corpus Pauli, & adhærere eius sepulcro. Sed si attendas qua verborum copia & elegantia votum illud suum ibi Chrysostomus exponit; quàm frigidum & ieiunum iste concionator in re simili se præbeat; intelliges facile *quid distent æra lupinis*. Ait, *Non inueniunt Christum nisi vigilantes*. Græcam vocem ἀγρυπνεῖν Latinus vertit *vigilare*. Inde hæc obseruatio: nisi rem ipsam respexit potius quàm verbum. Ait; *Si quotidie in excelso ruinæ fiunt, quomodo in cœlo gloria est, & in terra pax poscitur?* Nisi est corrupta vox *ruinæ*, quid sibi hic velit nescio. an alludit ad casum diaboli? Ait, *Verè quasi vigilantes non dixerunt, videamus puerum, videamus quid dicitur: sed videamus verbum quod factum est. In principio erat verbum, & verbum caro factum.* In Græco est ῥῆμα. Latinus dixit *verbum*. Hinc concionatoris argutiæ in dictione *verbum*, quæ & ῥῆμα, sermonem ore prolatum significat; & λόγον, hoc est secundam Trinitatis personam. Vel hic locus manifestissime euincit Latinè ista fuisse scripta, non de Græcis versa. Ait: *Hodierna die Christus nascitur. Alij putant, quod in Epiphanijs nascitur: non damnemus aliorum opinionem; nostram sequamur doctrinam.* Tempore Hieronymi & Chrysostomi, appellationem Festi Epiphaniorum diuersis modis viri etiam eruditi accipiebant. Quidam diem quo baptizatus est Christus sic vocari volebant: alij eum potius, quo natus: qua de re paullo post accuratè dicturi sumus. Hîc controuersia illa attingitur: de qua prolixe scribit Chrysostomus, homilia in natalem Domini, quæ extat in editionis Sauilianæ tomo quinto, pag. 511. item in altera de baptismo Christi, quæ ibidem habetur, pag. 523. Quum autem in priore illarum homiliarum dicat Chrysostomus, ante annos dumtaxat decem Ecclesiam Constantinopolitanam didicisse à Romana, natalem Domini non esse illum diem quo Epiphania celebrantur, octauam nempe Idus Ian. sed Decembris vicesimam quintam: apparet, non posse à Chrysostomo hanc homiliam esse profectam; cuius auctor dicat, consentire mundum vniuersum, non esse natum Christum die Epiphaniorum, præter vnicam prouinciam. Verba illius sunt: *Non sunt nostra quæ loquimur; maiorum sententia est: vniuersus mundus contra huius prouinciæ opinionem loquitur.* Pro *huius*, videtur scribendum *vnius*. Vides affirmari, sententiam auctori probatam, esse vniuersi mundi sententiam, vnica excepta prouincia. Hoc dici non potuit à Chrysostomo: qui etsi fatetur à Thracia ad Gades vsque antea fuisse notam hanc opinionem: Ecclesiæ tamen Constantinopolitanæ vix ante annos decem illam affirmat innotuisse, ex Occidente allatam. Quare multi adhuc hære-

bant,

bant, & eam obseruationem reijciebant, non solum in noua Roma, sed etiam per totum Orientem & Ægyptum, vt constat ex eadem homilia & Epiphanio, atque alijs. Fateamur ergo necesse est, post Chrysostomi tempora hanc homiliam esse scriptam. Quæ autem illa est vnica prouincia, quam iste auctor excipit? id vero declarat sequens obiectio, quam aduersus suam sententiam auctor proponit. *Dicat aliquis; hic Christus natus est: ergo magis illi sciunt qui longe, quàm isti qui prope sunt?* Clarum est intelligi Ecclesiam Ierosolymitanam: neque enim alibi quàm in Iudæa ad Ierosolyma Dominus est natus. Posset de Oriente id intelligi: nisi esset absurdum, totum Orientem demonstrari tanquam vnam prouinciam. Porrò hanc obiectionem diluens auctor, manifestissime ostendit, hominem Occidentalem se esse, non Orientalem. Ecclesiam enim Ierosolymitanam, cuius fuisse diximus illam obiectionem, sic compellat: *Vos Apostolos Petrum & Paulum eiecistis; nos suscepimus. Petrus qui hic fuit cum Iohanne, qui hic fuit cum Iacobo, nos in Occidente docuit.* Ecce, *Nos.* Non igitur hic est magnus Chrysostomus, qui Antiochiæ natus, in patria primum, deinde Constantinopoli munere suo functus. Ait; *post annos multos vsque ad Hadrianum solitudo mansit: in ista prouincia nullus Iudæorum, nullus Christianorum fuit.* Hic suam historiæ Ecclesiasticæ imperitiam concionator prodit. Nam vrbis quidem sanctæ solum postquam Ierosolyma funditus fuere diruta, desertum & sine habitatoribus aliquamdiu mansisse verum est: sed de prouincia, quod iste ait, falsissimum. Neque enim in Vrbis & Templi excidio extincta est Ecclesia Ierosolymitana: sed Pellam paullo ante cum suo Episcopo translata, qui in ea vrbe plures annos sedit. Auctores Eusebius Historiæ libro tertio, capite v. & Epiphanius contra hæresin Nazaræorum. Adde iam dictis, quod hæc homilia inter opera Chrysostomi in Græcis codicibus nusquam reperitur: sicut è nupera editione constat; quam è celeberrimis quibusque per Galliam, Angliam, Germaniam, Italiam, ipsam quoque Græciam, Bibliothecis, fide, diligentia & sumptibus maximis, maximo Reip. Christianæ bono, vir nobilissimus atque eruditissimus, Henricus Sauilius concinnauit.

V. Casa Bethlehemitica Romam translata. καλύβη apud Chrysostomum. Locus Theodoreti.

IBIDEM.

VEllem declarasset nobis Baronius aliquanto vberius, illius casæ Christi historiam, quam ait post multa secula è spelunca Bethlehemitica Romam fuisse translatam. Tantum miraculum, tam

stupendum,

ſtupendum, tam inauditum, ſi verum eſt; factum male, quod eius narrationem & confirmationem ὁ πολυμαθέστατος contextor Annalium nobis inuidit: ſin, vt ſcimus multos exiſtimare, incerta res eſt, & fabulæ propior; erat hominis candidi & φιλαλήθους vulgi errorem ſui ſuffragij auctoritate non ire confirmatum. Enimuero, ſi natus eſt Chriſtus in ſtabulo, vt auctores ſunt Euangeliſtæ; qui poteſt verum eſſe, natum eſſe eundem in caſa, qualis eſt illa quæ Romæ viſitur? Dicebat paullo ante Baronius, iacuiſſe Dominum in præſepi, medium inter bouem & aſinum: at quis vnquam vidit boues aut iumenta collocari in caſis? Non me fugit locum natiuitatis Chriſti aliquoties vocari à Chryſoſtomo καλύβην, *caſam*: vt in homilia ſexta & nonageſima in Matthæum. Sed hoc caſæ Romanenſis cauſſam nihil quicquam adiuuat. Solent Patres, quoties de inenarrabili humilitate Filij Dei loquuntur, per εὐτελισμὸν & vilitati exaggerandæ, quædam duriora dicere, non ſimpliciter vt verba ſonant, ſed ex mente dicentis exponenda. Sic accipiendum exempli gratiâ, quod Theodoretus ſermone ad Græcos octauo B. Virginem appellat παρθένον χερνῆτιν, *virginem manibus ſuis victum quærentem*: quod non facile Theodoreto credemus, ſi eorum meminerimus, quæ ex Epiphanio dicebamus Exercit. I. num. 13.) Chriſtum infantem, ἐπὶ φάτνης ἐῤῥιμμένον, *ſuper præſepi proiectum*: nam ἐῤῥίφθαι dicuntur, quæ temere per contemtum aliquò proijciuntur: quare Theodoreti locum accipere vt verba ſonant, ſine contumelia beatiſſimæ & ſapientiſſimæ Virginis non queas. Verum, vt iam monui, figurate hoc dictum & per εὐτελισμόν. Sic etiam accipiendum, quod Chryſoſtomus καλύβην appellat locum vbi natus eſt Chriſtus. ipſum namque ſtabulum ſic appellat, non aliquam intra ipſum ſtabulum ligneam caſam. Vnde igitur, obſecro, Romanenſis caſa prodijt?

VI. De faſcijs quibus B. Maria infantem Chriſtum inuoluit. Solemnitas die Auguſti XXXI. *apud Græcos.* Ἀποστολοευαγγέλια *Eccleſiæ Græcæ.*

ANNI I. Num. VIII.

QVid factum eſſet illis faſcijs, quibus B. Virgo infantem Chriſtum recens in lucem editum inuoluit, neque primis Eccleſiæ ſeculis, neque permultis poſtea, aut ſciuit quiſquam aut requiſiuit. In ſcriptis Patrum, quà Græcorum, quà Latinorum, altum eſt de illis ſilentium. Euſebij atque Hieronymi temporibus, non defuerunt, qui vera monumenta præſentiæ Chriſti in terris, magno in pretio haberent. Mirum eſt illa adhuc ætate, & per alias multas deinceps

ſecutas,

secutas, nihil dum de hisce pannis fuisse cognitum. Quando primum innotuerint, & quibus argumentis veritas earum fasciarum sit demonstrata non dicit Baronius : quantum autem Lippomano, & illis duobus Græcis quos ipse testes produxit, fidei tribuendum sit, doctorum esto iudicium. Nam fortasse illud Plinij ex octauo libro, non abs re hîc vsurpaueris : *Mirum est, quo procedat Græca credulitas : Nullum est tam impudens mendacium, quod teste careat.* At Baronius rem pro certo & comperta affirmans, addit, diem anniuersariam Augusti vltimam, honori illarum fasciarum fuisse dedicatam. Non fugit me, illam diem Græcis alicubi esse festiuitate solemnem : sed caussam solemnitatis esse illas fascias, in libris Græcorum ritualibus legere non memini: quanquam diu sane est, cum eius generis libros percurrebam : quorum ne vnum quidem ad manum nunc habeo; sed pauca tantum Excerpta inter legendum mihi adnotata. Igitur in Lectionario Græcæ Ecclesiæ, quod habet inscriptionem huiusmodi, Ἀποστολοευαγγέλια τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, ἤγουν τῶν ἑορτῶν καὶ τῶν δεσποτικῶν καὶ θεομητορικῶν, καὶ τῶν ἑορταζομένων ἁγίων, de hisce fascijs, aut de hoc festo nihil legitur, si satis memini. In Menologijs autem, vt illo quod prodijt è Bibliotheca Cardinalis Sirleti, titulus festæ diei in vltima Augusti adnotatur, commemoratio zonæ B. Virginis : neque fasciarum vlla fit ibi mentio. Quare non videtur hæc historiola tam certæ fidei esse, atque existimauit Baronius. Sane Lippomanum fabulas sæpe pro historijs obtrudere, nemo ignorat, & solidis rationibus probatur interdum in his Annalibus. Ne longe abeam, vide num. XI.

VII. Ἀγραυλεῖν *non est* vigilare *neq;* excubare. θυραυλεῖν. *Greges ouium noctu sub dio. Turris Ader.*

Anni I. Num. XIV.

IN historia Pastorum, quam è Luca describit Baronius, vetus interpres verbum Græcum ἀγραυλοῦντες aut non legit, aut non intellexit: quanquam & B. Ambrosius, & alij Patres Latini, interpretem secuti, *vigilare* sæpius vsurpant, pro eo quod dicendum erat *manere sub dio*, si cum Luca voluissent loqui. Ne illi quidem vim vocis plene expresserunt, qui verbo *excubare* sunt vsi. Scio Grammaticos Græcos vocem Lucæ vsurpatam aliquando explicare διανυκτερεύειν : sed hoc est à parte totam significationem indicare. Nam ἀγραυλεῖν, tam ad diem, quàm ad noctem refertur, & simpliciter vitam in agris sub dio degere significat; παρὰ τὸ ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι, quod mansionem denotat diurnam, non minus quàm nocturnam. Melius igitur ijdem Grammatici sic,

sic, ἄγραυλοι οἱ ἐν ἀγρῷ αὐλιζόμενοι, ὕπαιθροι. & ἀγραυλία, mora sub dio, vel sub pellibus; vt apud Dionysium Halicarnasseum de milite Romano, libro sexto, δέον ὑπὸ ταῖς ἀγραυλίαις καὶ πλάναις ἐν τῇ πολεμίᾳ κατέχειν ὑμᾶς. Græci pro eodem dicunt etiam θυραυλεῖν: vt cum Aristoteles Politicorum libro sexto, caussam cur pastores ad bellicos vsus sint accommodatissimi, reddit, quod longo vsu exercitatum corpus habeant ad manendum sub dio. μάλιστα οὗτοι, inquit, γεγυμνασμένοι τὰς ἕξεις, καὶ χρήσιμοι τὰ σώματα, καὶ δυνάμενοι θυραυλεῖν. Syrus interpres, vt vim Græci verbi exprimeret, vsus dictione שרא quæ interdum respondet Græco αὐλίζεσθαι: neque poterat commodius, nisi periphrasin adhiberet, quod fecit Arabs; qui pro ἀγραυλοῦντες dixit, *pascentes in agris & vigilantes*. Porrò non solent temere pastores in nostra Gallia quouis anni tempore sub dio greges habere; sed tantisper dumtaxat, quamdiu per cœli habitum licet, & vt dicam cum Theocrito, ἁδὺ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν. Vbi enim cepit aer esse inclementior; tum reuocantur greges sub tecta, vnde certis tantum diei horis pastum educuntur, & nocte aduentante in caulas suas coguntur. Nam vt obseruat Columella libro VII. cap. III. *id pecus, quamuis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est.* Sunt viri doctissimi, qui hoc etiam argumento vtantur, vt doceant, sine iusta caussa natiuitatem Domini in Decembrem exeuntem esse collatam: quia non soleant brumalibus diebus sub dio contineri greges totas noctes, præsertim in montanis Bethlehem. Sed fortasse in Iudæa & alijs locis magis meridionalibus alia seruatur consuetudo, quàm in Gallia & Germania. Nam etiam in Anglia vbi nullus est à lupis & alijs noxijs animalibus metus, armenta saltem toto anno in agris pernoctant, neque propter frigus aut pluuiam aut ventos vlli tecto vnquam subeunt. Quare vetusta traditio Ecclesiæ non temere nobis reijcienda. Addit Baronius ex Hieronymo, locum in quo pastores audire meruerunt vocem Angelorum, fuisse dictum TVRRIS ADER. In Scripturis loci ita nominati, siue *Migdal-Heder*, bis tantum fit mentio: Geneseos XXXV. 21. & Micheæ IV. 8. Et apud Michæam quidem nullum est dubium, vel vrbem ipsam Ierusalem ita dici, vel aliquam eius partem, ex qua tota vrbs intelligatur. Multi veterum prodiderunt, sic quondam locum fuisse appellatum, vbi postea Templum fuit exstructum. In Genesi vtrum idem locus intelligatur, an alius prope Bethlehem, dubitant Hieronymus & alij interpretes. Sed non discimus è libris Hebræorum, quod sciam, vllum circa Bethlehem fuisse locum eius nominis. Fortasse igitur verius sit, à Christianis inditam illi loco, vbi Pastoribus Angeli vox est audita, eam esse appellationem: quod putarent

tarent

tarent spiritu prophetico Mosem siue Iacobum, *futurum iam tunc mysterium monstrasse*, vt loquitur Hieronymus in Traditionibus Hebraicis. Constat certe ex Hieronymo locum illum prope Bethlehem, visione Pastorum insignitum, vulgo *Turrim Ader* audijsse.

VIII. *An fuerit nota Augusto Domini natiuitas. An post cognitam Christi natiuitatem Augustus mentem erga Iudæos & religionem Iudaicam mutauerit. Baronij hallucinationes aliquot.*

ANNI PRIMI Num. XV.

POst hæc præclaram obseruationem subijcit Baronius, & Ecclesiasticis Annalibus dignissimam, nisi falsa esset. Ait IESV CHRISTI natiuitatem Augusto innotuisse, Apolline indicante oraculo illo, de quo satis dictum est superius: *præter Sibyllinos versus*, inquit, *ex quibus de eodem complura perceperat.* Inde igitur factum obseruat, vt Augustus, qui prius esset alienissimus à cultu Iudaico, postea mutaret, & magno Iudæorum religionem in pretio haberet. Pulchra hæc, fateor: sed quis eorum fidem præstabit? nam vanissimum commentum de oraculo, quod nonnulli veterum fabulantur Augusto editum, iam ante reiecimus. Sibyllas nonnulla de Christo esse vaticinatas, scribunt multi è Patribus: neque nos plane factum negamus: sed Augustum aliquid, certi præsertim, de Rege Messia ex illarum versibus cognouisse, nedum ipsius aduentum habuisse compertum; neque aliquis Patrum dixit, & in magno errore versantur qui hoc credunt. Iudaicus populus, ὁ τοσαύταις ἱστορίαις ἐντραφείς, vt loquitur Chrysostomus in hac ipsa historia, atque adeo ipsi Christi discipuli, qui literas sacras legerant, qui prædictiones de Christo in Synagogis millies fortasse exponi à Scribis & alijs Doctoribus audiuerant; ne tum quidem quando viuebant cum Domino nostro, simile quid tamen vnquam sunt suspicati. Discipuli Iohannis Baptistæ, Prophetæ omnibus Prophetis maioris, qui magistrum de Christo concionantem audiuerant, qui columbam in Christum cœlitus delapsam viderant; adhuc tamen, cum Iohannes morti proximus carcere continebatur, increduli manent, & cogunt ipsum ad Dominum mittere qui, sciscitentur, *Tu es qui venturus es, an alterum exspectamus?* Matthæi XI. 3. & credemus paganos homines, à Sibyllis suis edoctos, tantum mysterium cognouisse? Quid igitur restat, nisi vt diuinis oraculis & vere θεοπνεύστοις Sibyllina exæquemus, aut etiam, nefas dictu, anteponamus? Isaiam grauissimi Theologi, propter aliquanto planiores de venturo Messia prædictiones, Prophetam Euangelicum verè nominarunt. Sed in prophetia tota

Isaiæ nihil eiuſmodi legitur, quale oportet fuiſſe in libris Sibyllinis, ſi verum eſt quod exiſtimat Baronius. At quis dubitat, librorum illorum inſpectione paganicos cultus & Satanicam idololatriam fuiſſe inſigniter confirmatam? teſtatur hoc vniuerſa Romanorum & Græcorum hiſtoria, & nos aliquid ſupra ea de re diximus. En igitur egregios Euangelij præcones. At quærat alium Baronius, cui hoc ληρολόγημα perſuadeat: nam me quidem οὐ πείσει, οὐδ᾽ ἢν πείσῃ. Auguſtum verò mentem mutaſſe poſt natum Dominum, perperam idem induxit in animum credere, ex male intellecto Suetonij loco. Is, vt probet Auguſtum peregrinas cerimonias contemtui habuiſſe, ait inter cætera, cap. XCIII. *Caium nepotem quod Iudæam præteruehens apud Ieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudauit.* Exiſtimauit Baronius Caij aduentum in Syriam Chriſti natiuitatem præceſſiſſe tribus annis: & quum legiſſet apud Philonem, multa Auguſtum in gratiam Iudæorum ſancijſſe; poſteriora hæc omnia fuiſſe putat peregrinatione Caij in Orientem. Sed rationem temporum mira incogitantia conturbat, & quod Cicero ait de liberto vxoris, ὑπὸ τὴν φυρὰν τῆς ψήφους. Nam aduentum Caij in Syriam morte Herodis, nedum natiuitate Chriſti, poſteriorem fuiſſe, antea diximus: & hoc ita ſolide à viris doctiſſimis Keplero & Liueleo confirmatum eſt, vt dubitari de eo non queat. Verum hic error eo facilius condonari poteſt Baronio; quia illi cum nonnullis ſummis viris eſt communis: quos fefellit codex Dionis, ea in parte non ſolum mutilus, verùm etiam male diſtinctus: Baronij propria culpa eſt, de qua iam dicam. Nam quod ait, ex illo tempore Auguſtum religionem Iudæorum in pretio habuiſſe, & Philonis teſtimonio id probat; craſſa eſt nimis ἀϊστορησία, vel incogitantia & hallucinatio. pleraque enim eorum quæ narrat Philo, multis annis geſta ſunt, priuſquam aut Chriſtus naſceretur, aut in Orientem Caius proficiſceretur. Pauca indicaſſe ſatis erit. Igitur probat Philo fauiſſe Octauium Iudæis, hoc primum argumento, quia ἀπεδέχετο τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομήν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων. *Permiſit ſectionem illam magnæ partis Romæ trans Tiberim, quam non ignorabat à Iudæis occupari & habitari.* Si vera eſt obſeruatio Baronij, oportet vt poſt Chriſti demum natiuitatem ceperint Iudæi trans Tiberim beneficio Auguſti habitare. At neque hoc Philo dicit, & falſum eſt ſine dubio. Nam in qua alia parte vrbis habitabant Iudæi ante Octauium? corpus ſiquidem Iudæorum multo ante fuiſſe Romæ, ambigi non poteſt. Vide Suetonium in Iulio, cap. LXXXIV. Addit Philo, paſſum eſſe Auguſtum Romæ viuere Iudæos, more Iudaico, & patria inſtituta ſeruantes. Sed hoc Iudæis Romæ licuit, etiam ante quam Octauius

naſceretur,

nasceretur, vt vel ille locus Suetonij clarissime ostendit. Ait, in frumentatione habuisse Augustum rationem Iudæorum: sed probet Baronius, hoc ante natiuitatem fieri non solitum, post cepisse. Omittit alia quæ commemorat Philo, vt aliquot edicta Augusti in Iudæorum gratiam: & recte omittit: nam ex Iosephi libro XVI. cap. X. & locis alijs nosse potuit, multo ante quàm natalis Christi adueniret, talia multa Augustum factitasse. Quin igitur Baronianam obseruationem missam facimus, palàm falsam, & quod res est dicimus? Docet enim historia vniuersa, Augustum per totam vitam seruasse institutum, vt omnibus Romani imperij populis sua libertas constaret in propriorum rituum & morum vsurpatione: ipsum tamen Deos patrios more patrio semper coluisse, nec probasse qui aliter facerent. Quod autem sacrificia pro sua salute celebranda Ierosolymis instituerit; nihil id mirum: nam vt Iosephus docet, etiam alij pagani & alienigenæ multi, soliti sunt Templum adire, & vota ibi concipere, ac reddere: quod Augustus tamen per se non fecit, sed per alios curauit faciendum. Baronium vero asserentem sub vltima tantum vitæ suæ tempora id egisse Augustum; historia sicuti vidimus refellit, & locus Suetonij ab eo allatus, plane contrarium potius probet.

IX. *Festum Circumcisionis quàm antiquum. Locus Isaiæ.*

Anni I. Num. XVIII.

BAronius quidem Festum hoc non aliter hic commemorat, quàm si statim ab ipso nascentis Ecclesiæ principio institutum fuisset: certum est tamen non ante multa secula mentionem illius ceptam fieri. Fuerunt quidem iam olim Kalendæ Ianuariæ dies festus; sed ex illa tantum, vt videtur, caussa, quod esset octaua natiuitatis. Quare in antiquis libris ritualibus dies Kal. Ian. simplicem præ se fert titulum, vt ad Martyrologium obseruat Baronius, *Octauæ natiuitatis.* Ante pauca secula alia accessit caussa festiuitatis: inde titulus duplex, *Octauæ natiuitatis & Circumcisionis.* Qui ante hos quingentos annos festos anni totius dies descripserunt, Circumcisionis non meminerunt. In Apostoloeuangelijs, siue Lectionario Græcorum, sic notatur primus dies Ianuarij: Εἰς τὴν ᾱ ἡ κτ σάρκα περιτομὴ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ ὄρθρῳ καὶ λειτουργίᾳ. Quare autem Baronius ad festum Circumcisionis referat locum Isaiæ XI. 8. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis*, quærant eruditi: ego caussam video nullam. Describit eo loci Propheta regni Messiæ felicitatem & τὸ ἀβλαβές. Eius diuinæ prophetię euentus in festo Circumcisionis cur sit ponenda, caussa, opinor, afferri nulla potest.

X. *De aduentu Magorum Euangelij verba exponuntur. Vis participij aoristi. Epiphanij opinio minus recta. Idem exponitur contra Maldonatum. Quamdiu Virgo Bethlehemi manserit. Quo temporis spatio Magi Bethlehem aduenerint. Vnde venerint.* Μαγῳδὸς, μαγῳδία. *De voce* μάγος *quædam obseruata. Munsterus contra Maldonatum defensus. Magi Persarum & Græcorum diuersi. Magia duplex. Magi Persæ non Arabes. Locus Isaiæ.* φησὶν *absolute. An Magi Reges. Dynastæ dicti etiam Reges. De numero & nominibus Magorum. Nomina è Scripturis adhiberi solita ad curiosas artes & maleficia. Detestatio impiæ vanitatis.*

ANNI I. Num. XIX.

IN disputatione de Magis, qui ad recens natum infantem venerunt, multum se fatigat Baronius, vt multa tueatur, hodie vulgo credita pro certis, quæ vix, aut ne vix quidem, probabilibus coniecturis nituntur. Et tamen iure hic Baronij moderationem laudes, præ aliorum audacia, qui omnia superiorum seculorum commenta mordicus defendentes, Bibliorum à se Duaci editorum margines etiam nominibus horum Magorum & id genus fabulis inquinare non sunt veriti. Nobis placet impense in talibus, curiosas quæstiones euitare, & τὸ ἀπολυπραγμόνητον, in hoc ipso argumento diuinis verbis à Basilio commendatum. Non enim potest Deo esse grata curiositas, quæ per coniecturas inanes ἀεροβατοῦσα, in fumum, hoc est fabulas & nugas desinat tandem oportet: quod in hac vere admiranda historia vsuenisse, dolendum non minus, quàm certum est & compertum. Sacræ narrationi assuendum quidem nihil: verum illi explicandæ & illustrandæ, omnis est opera impendenda. Id igitur agamus, si quam forte & nos paruulam symbolam huc possumus conferre. Ordine recto Matthæus narrationem suam orditur ab obseruatione temporis & loci. Τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεέμ τῆς Ἰουδαίας. Duo hæc maxima de caussa coniunguntur: nam circunstantia loci pendet à circunstantia temporis. Propterea enim repertus Christus Bethlehemi, quia aduenerunt Magi τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, *Christo nato*: hoc est, paullo ante nato. Ea namque vis est vocis Græcæ & locutionis. Vt si dicas, Ἰωάννου τρωθέντος ἦλθον οἱ ἰατροί; verba quidem nihil amplius sonant quàm hoc, Iohanne vulnerato venerunt medici: sed participij aoristi ea vis est, vt simul denotet celeritatem aduentus; multo magis, quàm si dixeris, τετρωμένου. Istud igitur primum obseruemus, dixisse Euangelistam γεννηθέντος, non γεγεννημένου: hoc de perfecta multo etiam ante actione recte vsurparis: illud de paullo ante perfecta, & adhuc quasi pendente. Syrus recte כד & Arabs למא ὅτι: non autem μετὰ τὸ. Hæc obseruatiuncula litem decidere

est

est idonea de tempore aduentus, Magorum. Nam magnus Epiphanius, si diligenter vim locutionis Euangelicæ perpendisset; nunquam dixisset, exacto demum biennio venisse Magos ad Christum adorandum: neque in eas angustias se coniecisset, vt fingere opus haberet, Iosephum & Mariam cum infante, quot annis, vel certe primo & secundo anno Bethlehemum ventitasse, tempore illo quo puer erat natus: quæ coniectura meritò à Baronio & alijs viris doctis exploditur. Mouit Epiphanium tempus biennij notatum Euangelistæ, versu 16. sed primo dubium non est, crudelissimum tyrannum Herodem, tempus à Magis indicatum laxatis furori habenis produxisse longius; quo ne manus suas Rex natus euaderet. deinde quis potest scire, vtrum per interualla an semel in animis Magorum cupiditatem suscipiendi huius itineris Deus ingenerarit? Sæpe enim opera Dei & inspirationes non fiunt ἀθρόως, simul & semel; verum lente ac repetitis vicibus: sicut in ipsis Apostolis cum Christo versantibus constat esse factum. Quare fieri potest vt Magi qui Dominum nondum viderant, cum hoc ab illis quæsiuit Herodes; hoc tantum sciuerint, natum esse Regem mundi dominum, idque in Iudæa, Ierosolymis, aut non longe inde; tempus præcise nescirent, quando esset natus. Sunt & aliæ à doctis viris in medium allatæ rationes satisfaciendi Epiphanio, vrgenti tempus biennij. Cui tamen viro summo, vt hoc obiter dicam, facit magnam iniuriam scriptor virulentissimus Maldonatus, ridiculam & falsissimam illi affingens sententiam: quasi dixerit Epiphanius, ex Ægypto quotannis venisse Bethlehemum, Iosephum & Mariam, ac pueri vitam sæuitiæ Regis quem norant animam illius quærere, temere exposuisse. Esset omnino error Epiphanij inexcusabilis, si id scripsisset. Fugam enim in Ægyptum Magorum aduentui anteponere, vt putat Maldonatus fecisse Epiphanium, Scripturæ est palàm contradicere. Epiphanius sic rem exponit, p. 187. Post descriptionem Bethlehemi peractam, domum quemque suam repetijsse: inter alios etiam Iosephum & Mariam. Qui tamen, ὡς εἰπεῖν, ait, *μνήμης ἕνεκα τῶν ἐκεῖ γεγενημένων, memoriæ eorum quæ ibi acciderant conseruandæ caussa, vt videtur*, anno primo exacto, & iterum secundo impleto, eò venerunt, non ex Ægypto, vt fingit ὁ κακηγόρος Maldonatus, sed ἀπὸ Ναζαρέτ, è Nazaret loco habitationis suæ, Luc. 11. 4. Epiphanium etiam istud mouit, quod Magi non inuenerunt puerum in præsepi; sed in domo, vt illa Matthæi indicant, ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν. Non est difficile huic obiectioni satisfacere: nam vbi turba quæ ad danda nomina sua conuenerat, effluxit; laxioris habitationis sine dubio, facultas fuit Mariæ; & nos iam ante ostendimus, non defuisse Mariæ κα-

τάλυμα, diuerſorium ; ſed in diuerſorio locum vbi remotis arbitris quieſceret. Patres igitur, qui ſcribunt Chriſtum à Magis in præſepi fuiſſe inuentum, licentia oratoria, quam pij concionatores prudenter ſæpe vſurpant, videntur vſi : & quò miraculum exaggerarent, infantem iacentem etiam tum in præſepi deſcripſerunt, quando ex Oriente ad illum viſendum atque adorandum venitur. Moram à partu quantam fecerit Bethlehemi Maria, quia non dicit Scriptura, coniecturæ res eſt. B. Chryſoſtomus, ex antiqua, vt videtur, traditione, quadraginta dierum moram illam ait fuiſſe ; ſimul cauſſam addit, grauem & apprime probabilem : factum eſſe diuina prouidentia, vt tempus concederetur curioſis cognoſcendæ veritatis, poſtquam partus admirabilis innotuiſſet: Διά τοι τὴν οἰκονομίαν, inquit ille homilia VII. in Matth. οὐδὲ εὐθέως τεχθεὶς ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν. ἀλλ' ἐποίησεν ἡμέρας τεσσαράκοντα, τοῖς βουλομένοις περιεργάζεσθαι διδοὺς μετ' ἀκριβείας ἐξετάζειν ἅπαντα. Alij multo breuius hoc ſpatium faciunt ; & diem XIII. agentem Chriſtum, à Magis volunt fuiſſe adoratum : breue ſane tempus ad conficiendum iter ex Oriente : quod tamen dromedariorum ope camelorum, aut alia etiam fortaſſe ratione, confici potuerit : neque hic eſt quicquam ἀλλόκοτον, aut à probabilitate alienum : quum certum ſit Magos non ab vltimis Orientis finibus adueniſſe ; & maioris diligentiæ multa exempla Græca pariter & Romana hiſtoria ſuppeditent : vt de diuino auxilio nihil dicam : ſileam etiam, quod non eſt neceſſe poſt natum infantem ipſos domo profectos. Nam quid peccauerit qui dixerit, Magos longinquum iter hoc ſuum, diuina inſpiratione directos, ſic temperaſſe, vt mox, vel paullo poſt natum IESVM aduenerint ? Certe non multo poſt natiuitatem eos veniſſe, declarat locutio Euangeliſtæ, vt diximus : imprimis autem illud ἰδού, *ecce* : quam momenti maximi voculam, male prætermiſit Syrus & hic & alibi. Arabs eius loco habet אִ דָא. Hæc de circunſtantia loci & temporis. Addit Matthæus, Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο, *Magi ex Oriente venerunt.* Perſonarum indicatio cohæret cum indicio loci vnde venerunt : hoc quoque ſerio obſeruari debet : nam hæc duo ſeſe inuicem explicant. Epiphanio in Fidei compendio Magi appellatio hic eſt nomen ἐθνικόν. Putat enim veniſſe Magos ex Arabiæ quadam regione, quam ipſe Magodiam nominat. Sed merito hæc ſententia cuipiam ſuſpecta admodum fuerit. Equidem quid Græcis μαγῳδία ſit & μαγῳδὸς didici ex Athenæo : at Magodiam regionem Arabiæ nuſquam legiſſe memini: neque autem poſſum intelligere, quomodo à nomine Magodia formari gentile Magus queat : non enim extat, opinor, ſimilis analogiæ exemplum. In Euangelio Hebraico à Munſtero edito, pro μάγοι, habetur vox

מִכַשְּׁפִים

מכשפים quæ Hebræis denotat τοὺς θαυματοποιοὺς, vel potius ψηφοπαίκτας, præstigiatores, solertia manuum oculos spectantium doctos fallere. Rabbini hominem *mecoscheph* ita describunt, משנה הדברים למראה עין *qui mutat res in oculis spectantium.* Vnde occasionem arripuit auctor maledicentissimus Maldonatus, obtrectandi viro de literis Hebraicis optime merito Munstero: quod vocem infamem hoc loco vsurpauerit. Nesciebat Maldonatus, doctissimos Rabbinorum, vt Aben Ezram & Cimchi, diuersam huic voci dare significationem apud Danielem in rebus Persicis, ab illa quam in communi vsu Hebræorum habet: quod saltem è Notis Munsteri discere poterat & debebat. Sed ineptum est Græci textus petere interpretationem ex illa Hebraica. Saltem inspexisset editionem Tilij Episcopi: cui merito docti plus tribuunt: quam mihi nunc ad manum non esse, diligenter olim lectam, vehementer doleo. Tum autem reprehensio ineptissima est: nam quid dicturus fuit hic maledicus censor de Syro & Arabe interpretibus, qui vocem μάγος retinuerunt? Ea dictio quàm male sonaret apud Iudęos & Syros declarant ista auctoris Aruk: מגוש בלשון יון מכשף גידופי כופר העיקר ראטין *Magus in lingua Græca est præstigiator, blasphemus, negans fundamentum, incantator.* Sed fallitur hic eruditus Rabbinus cum multis alijs, qui vocem μάγος putarunt esse Græcam. Erat inter Græcos genus hominum, qui personas & loca polluta purgarent: hoc faciebant certas res circumferendo, vt olim ad Theophrasti Characteres ostendimus. Græci hoc περιμάττειν dicunt; & qui faciebant περιμάκτας, vilissimum hominum genus, & quod pessime audiebat; vt apparet ex oratione Demosthenis contra Aeschinem; cui & eius matri hanc artem Demosthenes obijcit loco maledicti. Auctor Etymologici, Eustathius, & alij Græci ex eo putarunt, μάγος esse verbum Græcum, à μάττω, vnde μαγίς. sed fugit eos ratio. Nam dictio μάγος Homero & alijs Græcis antiquioribus fuit incognita: quod testimonium est non leue, Persicum id vocabulum esse, sicut Plato, Xenophon, Strabo, Diogenes Laertius, & plures alij obseruant. Affirmat idem Plinius quoque initio libri XXX. Hoc igitur primum constare debet, Magos proprie dictos, Persarum sapientes fuisse, vel Sacerdotes. Nam Herodotus, Strabo atque alij, præcipuum illorum officium fuisse ostendunt, vt sacra Persarum curarent, & sapientiam profiterentur. Græci cum de Persicis rebus hanc vocem vsurpant, nunquam aliter accipiunt: at longe aliter cum de magis illis, qui inter ipsos Græcos occultarum scientiarum notitiam profitebantur. Tunc enim in malam partem, vt plurimum, id verbi accipitur; quia plerique religionis & arcanæ scientiæ obtentu, artes maleficas exercebant:

vnde

vnde querela illa Plinij, & cum ipſius, tum aliorum multorum deteſtatio magiæ. Philo Iudæus varijs locis duplicem facit magicam: legitimam vnam, circa cognitionem Naturæ verſantem, Regibus maximis, præſertim Perſarum, coli ſolitam: alteram παράκομμα ταύτης, inquit ille libro De legibus in ſp. adulterationem prioris, Gallorum matris Deûm, & ſimilium æruſcatorum commune inſtrumentum ad fallendum. Quum igitur æquiuoca ſit Græce loquentibus, vox μάγος; quæri poteſt, de quo genere hominum loquatur Euangeliſta. Sed explicat ſe Lucas cum dicit, Magi ab Oriente: nempe Magos intelligit Perſarum, ad quos proprie illa appellatio pertinuit. Nam quos alios Magos Orientis narrant hiſtoriæ, niſi Perſarum? Non fugit me Strabonem libro XV. magos quoſdam in Cappadocia collocare: ſed illi quoque Perſæ erant, & ſacra Perſica in illa regione curabant, vt ipſe indicat. Magos Arabum, quod meminerim, nullus ſcriptor Græcus, nullus Latinus commemorat. Quare Chryſoſtomo potius aſſentior, qui ſine vlla dubitatione Lucæ verba interpretatur de Magis Perſarum; quàm Iuſtino, Epiphanio & nonnullis alijs, qui iſtos ex Arabia deducunt in Iudæam. Habet quidem aliquam ſpeciem illa ratio, quam plerique Patrum afferunt; extitiſſe memoriam inter iſtos prophetiæ à Balaamo editæ, cum Balakus Moabita pretio illum acciuit. Moabiam enim partem fuiſſe Arabiæ, etiam Stephanus de vrbibus, ne alios commemorem, eſt auctor. Sed recte viri docti reſpondent; ſi Balakus erat Arabs; at Balaamus fuit Interamnas è Meſopotamia, vt conſtat Numer. XXIII. 7. Deuteronomij XXIII. 4. Cum Chryſoſtomo ſentit Magnus Baſilius, cuius verba ſunt in Natiuitate Chriſti de his Magis: ἔθνος Περσικόν ἐστι μάγοι, μαντείαις καὶ ἐπαοιδαῖς καὶ φυσικαῖς τισὶν ἀντιπαθείαις προσέχοντες, καὶ περὶ τὴν τήρησιν τῶν μεταρσίων ἐσχολακότες. *Magi ſunt populus Perſicus, vaticinijs & incantationibus deditus, & obſeruationi repugnantium proprietatum in rebus naturalibus: obſeruationibus item rerum cœleſtium vacant.* Conueniunt hæc cum hiſtoria Strabonis, vbi multa narrantur de Magorum Perſidis incantationibus. Non eſt prætermittendum, videri Iuſtinum & Epiphanium, quibus placet Arabas fuiſſe Magos, eo maxime eſſe ductos argumento, quod crederent ad illorum munera pertinere oraculum apud Iſaiam, VIII. 4. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci:* in quo exponendo multus eſt Iuſtinus. Sed, quod bona cum venia Patrum illorum dictum ſit, ab Iſaiæ mente id prorſus eſt alienum. Græcus verò interpres Hebraici ſermonis elegantiam non videtur cepiſſe, certe non expreſſit. ישא pro ישא הנושא vt exponit Cimchi; *auferet* ſine caſu, pro *auferet auferens*: id eſt, miles. Similis elegantia

etiam

etiam Græcis frequens : ſed in nullo verbo frequentior, quàm φησὶ, *dicit*; quod paſſim leges abſolute poſitum, pro, dicit aliquis : vel φησὶν ὁ εἰπών : ſic enim plene illa locutio enuntiatur : vt apud Greg. Nazian. Εἰρηνικῷ altero : μυῖαι σαπρίζουσιν ἔλαιον φησὶν ὁ εἰπών, συνεκρούμεθα. de phraſi Hebraica agit Cimchi, etiam ad Amoſum v i. 12. Æquus lector diligenter expendat totum locum: videbit, nihil alienius fingi poſſe, quàm ſi illa prophetia, quæ paullo poſt fuit impleta, ad Chriſtum & Magos referatur. Perſæ igitur erant hi Magi, qui Chriſtum adoratum venerunt. Et recte omnino illi faciunt, qui in vernaculis verſionibus vertunt *les Sages*, propter infamatum in Gallico idiomate Magorum nomen. An autem iſti Magi Reges erant? Quum nihil de eo Scriptura dicat, nihil certi Patribus conſtiterit, fueritque olim liberum cuiuſque ea de re arbitrium ſentiendi vt vellet; non eſt toleranda eorum tyrannis in Eccleſia Dei viuentis, qui aliter opinantes ferre non poſſunt: & melius ipſe etiam Baronius, qui præciſe nihil definit; vt rem probabilem tuetur, ex vſu loquendi Scripturarum, quæ cuiuſque oppidi dominum regem vocat. Hac æquitate facile aliquis à me impetrauerit, vt concedam regulos fuiſſe & toparchas ditionis Perſicæ : quæ illa ætate proprium regulum habebat, qui parebat Regi Parthorum, vt ait Strabo. Satis conſtat, & in Perſide & in vicinis prouincijs, Media, Aſſyria, Parthia, plures fuiſſe toparchas, quorum nonnullos Strabo indicat, & dynaſtas appellat. Iſtos autem potuiſſe etiam Reges dici probamus exemplo reguli Adiabenæ, quem Strabo in x v i. vocat ſimpliciter ἄρχοντα : Ioſephus vero Regem, in pulcherrima hiſtoria de Monobazo Rege & Helena Regina eius matre, lib. xx. ca. ii. & Ἁλώσ. libro v i. cap. x v i. meminitque Ioſephus in illa hiſtoria Abennerigi cuiuſdam, quem vocat Σπασίνου χάρακος βασιλέα, *regem caſtri Spaſini*: quem ſuſpicor non multo fuiſſe maiorem regem rege Yuetoti Normanico. Hoc vt probabiliter poteſt diſſeri; ſic affirmare ita eſſe, quis non videt eſſe temerarium? Non minus ſane, quam pertendere tres fuiſſe Magos, non plures, non pauciores. Si hæc defenduntur tanquam traditione accepta; quæremus nos, quàm ſit antiqua hæc traditio : nam primi auctores nihil ſuper hoc affirmatè pronuntiarunt: ac ne conſentienter quidem locuti ſunt, ſed aliter alij. Cur hodie idem non licet? in re vtique eiuſmodi, quæ fidei non eſt. Quid dicemus de nominibus, quæ iſtis Magis illaudabilis hominum curioſitas affinxit? nempe, iſtud quoque ex traditione; ſed traditione parum antiqua, parum certa, &, vt dicam ingenue quod ſentio, propter abuſus inſecutos intolerabili. Puduit iure merito harum ineptiarum Cardinalem Baronium : apud quem in tam prolixo de Magis ſermone, de il-

lorum nominibus ne verbum quidem. Debuerat tanti viri exemplum cordatos homines admonere, vt inani curiositati fibulam tandem imponerent. Sed non ita euenit. Nam Iesuita qui postea scripsit quam vocat Deiparæ historiam, ne id quidem omittendum sibi duxit. Affert è Beda hæc nomina, Melchio, Gaspar, Baltasar : è Zacharia Chrysopolitano Hebraica quidem ista, Apellius, Amerus, Damascus : Græca verò hæc : Magalath, Galgalath, Saracin : extant hæc eadem nomina etiam apud Petrum Comestorem in Historia Scholastica : qui & ipse pro genuinis Græcis ista posteriora obtrudit. Annon autem tibi videntur lector ista esse verè Attica nomina ; illa autem superiora, pura puta Hebraica ? Excusare possis Zachariam & Comestorem, qui ante pauca secula, in densissimis ignorantiæ tenebris, prout poterant, & ferebant ipsorum tempora, scribebant. Illi hodie excusari non possunt, qui in tanta hac literarum luce, eiusmodi ineptias tenebris obruendas protrahunt quotidie in lucem. Sciant verò pij lectores, istas appellationes ab homunculis profectas esse, non solum otiosis, & imperitis ; sed etiam impijs, & artium curiosarum sectatoribus. Id genus homines vanissimi, cum cæteris Bibliorum nominibus ad maleficia sua vti solent, teste etiam Origene libro 1. contra Celsum : tum etiam alijs, quæ ipsi sibi finxerunt, & Biblicis historijs scelestè accommodarunt. Sic Pastores qui Dominum inuiserunt, quatuor fuisse sunt hariolati, & illis hæc nomina indiderunt : Misael, Acheel, Cyriacus & Stephanus. Magis autem non solùm superiores appellationes attribuerunt; sed etiam alias : cuiusmodi sunt hę; Ator, Sator, Peratoras. Vt scias in quem finem homines fanatici hæc nomina excogitarint; subijciam ad detestationem impiæ vanitatis vnum è multis exemplum. In codice Græco satis vetusto Bibliothecæ Serenissimi Electoris Palatini hæc leguntur : Τὰ ὀνόματα τῶν ἐν Βηθλεὲμ ποιμένων, Μισαὴλ, Ἀχεὴλ, Κυριακὸς καὶ Στέφανος. Τὰ τῶν Μάγων ὀνόματα, τῶν προσκυνησάντων τὸν Κύριον, Ἄτωρ, Σάτωρ καὶ Περατωρᾶς. Ταῦτα τὰ ὀνόματα ἐὰν δηχθείς τις ὑπὸ ὄφεως ἢ σκορπίου, ἢ ἄλλου ἰοβόλου ἑρπετοῦ καὶ θηρίου ἐπιγράψῃ ἐντὸς καινῆς χύτρας, μετὰ λιπαρᾶς δᾳδὸς, καιομένης, καὶ μετὰ τοῦ ἁγιάσματος τῶν ἁγίων θεοφανίων ἐπικλύσῃ τὴν χύτραν, καὶ ἐπιδώσῃ τῷ μηνυτῇ τοῦ δηχθέντος, παραχρῆμα ἰᾶται ὁ δηχθείς. En nugas : sed impias, & piorum execratione dignissimas. Atqui non alio spectarunt, qui pręclara illa nomina excogitarunt.

XI. *Epiphania non statim primis Ecclesiæ temporibus instituta. Origo nominis.* ἐπιφάνεια *Græcis.* ἐπιφάνειαι ποιεῖν. τὰ Ἐπιφάνια. ἐπιφάνεια *de vtroque aduentu Christi.* EPIPHANIA *initio dies natalis Christi ; postea dies aduentus Magorum, & quo baptizatus Christus. In ea re*

dissensus

dissensus inter veteres Patres. Natiuitas & baptismus Christi, olim eodem die celebrabantur. Alia nonnulla.

ANNI I. Num. XXXVI.

SVbijcit his Baronius, veterem Ecclesiam anniuersario cultu celebrasse diem aduentus Magorum : quod quidem verissimum est : sed optarem Baronium pro sua diligentia tempus indicasse, quo id festum primò cepit vsurpari. Nam prima Ecclesiæ nascentis tempora si respicias, solemnitatis huius nullum vestigium inuenies. Neq; hoc dico, propterea, quod eius institutionem, quam auctores reformationis in Anglicana Ecclesia factæ pie & prudenter retinuerunt, improbandam censeam ; si ex vsu & instituto veteris Ecclesiæ agitetur: sed vt ostendam Baronium, qui & hoc loco & in Notis ad Martyrologium, celebrationem huius festi, quasi lapidem Lydium videri vult fuisse hominis Christiani : magis loqui secundum huius seculi vsum & doctrinam ; quàm secundum Ecclesiæ primitiuæ fidem ac disciplinam. Quod si exacte rationem temporum seruare auctor voluisset in suis Annalibus ; ne meminisse quidem huius solemnitatis hoc loco oportuit: sed in illud tempus mentionem reijcere, quo primum est instituta. Nam quid ad primum istum annum pertinet, historia rei post aliquot secula institutæ ? Verum huiusmodi prochronismis plenus est primus hic tomus : ex quo si tollas quæ sunt aliena, & quæ ad sequentia spectant secula ; partem libri multo maiorem sustuleris. Errat vero etiam in eo Baronius, cum putat Epiphania fuisse primitus instituta, ad memoriam recolendam aduentus Magorum. Refellunt hanc opinionem, ipsa primò appellatio Epiphaniorum, deinde vsus auctorum & historia. Appellatio Ἐπιφανίων è ritibus Paganorum, vt alia multa, pio proposito fuit in Ecclesiasticam obseruationem deriuata. Græci scriptores ἐπιφάνειαν appellant, apparitionem numinis, quoquo tandem modo deus aliquis suæ præsentiæ signum dedisse crederetur. Sic Diodorus Siculus libro primo ait, Isidem noctibus solitam parere, & somnia immittere, φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τὴν ἰδίαν ἐπιφάνειαν, *suæ præsentiæ manifesta indicia demonstrantem.* Et Dionysius Halicarn. qui, vt ad librum XII. Athenæi olim obseruabamus, ea voce vtitur sæpius, alicubi grauiter eos reprehendit, qui χλευάζουσι τὰς ἐπιφανείας τῶν θεῶν, *irrident deorum apparitiones*, per quas illi se hominibus manifestant. In II. Maccabæorum, III. 24. eleganter scribitur, ὁ τῶν πνευμάτων καὶ πάσης ἐξουσίας δυνάστης, ἐπιφάνειαν μεγάλην ἐποίησε. *Spirituum & omnis potentiæ princeps magnam apparitionem fecit.* hoc est, suæ præsentiæ, siue auxilij præsentis certum argumentum dedit. id enim significat

nificat ἐπιφανείας ποιεῖν, pro quo dixit vetus Interpres satis inconcinne, *facere suæ ostensionis euidentiam.* Alibi non multo aliter à Græcis hæc vox vsurpatur, de suis dijs loquentibus, quàm apud Rabbinos dictio שכינה de qua in Thisbi Elias. & in libris Rabbinicis sæpe legas, ראה שכינה εἶδεν ἐπιφάνειαν, siue ὁ Θεὸς ἐπεφάνη, *Deus illi apparuit* : vt apud Zacuthum de R. Nechonia & R. Ismaele. Dicunt & ראות pro ἐπιφάνεια : vt cum de Messia suo loquentes dicunt, fore תראותר τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, *eius aduentum* duplicem, priorem & secundum ; qua de re Galatinus libro quarto. Græci vero in memoriam apparitionum huiusmodi dies festos sæpe instituerunt, quos è re dixerunt τὰ ἐπιφάνια. Sic de Rege Demetrio narrat Athenæus, ipsum τὰ ἐπιφάνια τοῦ ἀδελφοῦ θύσαι, memoriam fratris mortui, quem vt cœlitem colebat, solemni sacrificio celebrasse, & eum diem appellasse Epiphania ; sicut exponebamus in Animaduersionibus ad Athenæum libro XII. cap. XI. Ad hoc exemplum in vetere Ecclesia Græca solemnitas illius diei τὰ ἐπιφάνια est dicta, non quo Magi aduenerant, sed quo, Filius Dei assumta humana carne, è B. Virgine natus, mortalibus conspiciendum sese præbuit. Nam ipsa natiuitas dicitur illis ἐπιφάνεια. Suidas, Ἐπιφάνεια, ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία: *Epiphania, siue apparitio, est Seruatoris nostri Iesu Christi incarnatio.* Intelligit natiuitatem, quam sæpe appellant Patres οἰκονομίαν, *dispensationem.* Eusebius libro I. Historiæ, ait se ordiri suam scriptionem ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας, non vtique aduentum Magorum, aut baptisma Christi significans, sed eiusdem natiuitatem. Obseruat Chrysostomus in homilia de baptismo Christi, editionis Sauilianæ tomo V. pag. 524. Christi ἐπιφάνειαν, id est, aduentum in terras, duplicem esse ; priorem & posteriorem : de priore affert locum Pauli, ad Titum II. 11. ἐπεφάνη ἡ τοῦ Θεοῦ χάρις ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. Potest addi locus eximius, II. Tim. I. 10. χάριν φανερωθεῖσαν νῦν διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. De posteriore aduentu affert Chrysostomus locum Pauli in eodem cap. Epistolæ ad Titum, προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. II. ad Timoth. IV. I. τοῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκροὺς κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. & in eodem capite, periphrasis vere piorum est, οἱ ἠγαπηκότες τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Χριστοῦ : qua docemur, sinceræ pietatis notam atque effectum inter præcipuos esse, vt humana omnia despicientes, beatum illum diem gloriosi aduentus Domini nostri cupide exspectemus, atque in eo spes, gaudia atque oblectationes omnes nostras ponamus. Quum autem in huiusmodi locutionibus ἐπιφάνεια nihil aliud sit, nisi aduentus & præsentia Christi : Apostolus tamen, propria quadam sibi δεινό-

τητι & sermonis energia, (de qua multa dicturi sumus, si Deus voluerit, ad annum Domini LVII.) coniungit hæc duo ἐπιφάνειαν & παρουσίαν. II. ad Thessalon. II. 8. *Antichristum*, inquit, καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, *destruet apparitione aduentus sui.* Iure igitur veteres Christiani, qui primò Epiphaniorum solemnitatem instituerunt, diem quo aduentum Christi in terras, & priorem ἐπιφάνειαν celebrabant, dixerunt τὰ Ἐπιφάνια, non genere fœminino, vt imperiti linguæ Græcæ putarunt. Is dies erat sextus Ianuarij, in quem diem plurimæ Ecclesiæ olim natalem Domini retulerunt, & baptisma, vt de Ægyptiacis testatur Cassianus, Collationum libro x. cap. II. de Græcis Asiaticis & Syris Epiphanius; scribens extremo libro III. de Orientalibus Ecclesijs, illas non ieiunare ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανίων, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ Κύριος, *die Epiphaniorum, quando natus est in carne Dominus.* Idem dies, non solum Epiphania, sed etiam Theophania est dictus. Isidorus Pelusiota libro III. epist. CX. τὰ Θεοφάνια, ἡ τοῦ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις. & meritò: nam θεοφάνεια dixerunt pro ἐπιφάνεια, cum de priore Christi aduentu loquerentur. Eusebius in III. de vita Constantini, antrum mysticum commemorat, τῆς πρώτης, inquit, τοῦ Σωτῆρος θεοφανείας: intelligit autem speluncam natiuitatis Christi, de qua satis ante dictum. Gregorius Nazianz. oratione XX. obiter meminit Epiphaniorum: in trigesima verò octaua, quæ dicta est die natali Domini, *Theophania* semper illum diem aut *Genethlia* nominat, & caussas earum appellationum explicat, quia tunc apparuit nascendo Christus. Quoniam autem Theophania & Epiphania idem sunt, vt ostendimus; & illa S. Gregorij homilia habita est Constantinopoli, vt & Græcus interpres obseruat; vel ex hac oratione apparet, adhuc illo tempore solemnitatem Epiphaniorum, siue Theophaniorum, caussam habuisse in Ecclesia Constantinopolitana, non Magorum aduentum, vt putat Baronius; neque baptismum Domini, vt mox dicturi sumus è Chrysostomo; sed Domini natalem. At non multo post illa Ecclesia, edocta à Romana, natalem Christi cepit celebrare die XXV. Decembris. Chrysostomus in homilia de die natali, auctor est, quando ille eam concionem habebat, nondum fuisse annos decem elapsos ex quo primum is dies illi Ecclesiæ innotuerat. Ab illo tempore, remansit quidem appellatio Epiphaniorum diei sextæ Ianuarij; sed caussa appellationis aliter quàm antè reddi cepit. Nam qui dies prius colebatur vt natalis Christi, postea cultus est, vt baptismum eiusdem repræsentans, & Magorum aduentum. Atque ita desijt fieri commemoratio natiuitatis Christi die Epiphaniorum. Quod mihi videtur satis absurdum: quoniam, vt probauimus, ἐπιφάνεια vox, tam in Scripturis

pturis quàm apud Patres, aduentum Domini vel priorem vel posteriorem semper significat; baptisma verò aut Magorum aduentum nunquam. Auctor est Chrysostomus in ea de baptismo Christi, diem baptismi ipsius dictum esse Epiphania; quoniam ad illum diem Christus quasi latuerit omnibus incognitus; atque adeo, ipsi eius prodromo: cuius sunt verba apud cognominem Euangelistam, I.31. Ἐγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν, *ego nesciebam illum.* Sed hæc dicenti Chrysostomo non præbuisset assensum ipsius æqualis & æmulus Epiphanius; qui rationem nominis huius non semel explicat aliter, & vt puto, menti primorum institutorum conuenientius. Epiphanij verba, p. 191. contra repudiantes Iohannis Euangelium: ἡ ἡμέρα τῶν Ἐπιφανίων, ἐστὶν ἡμέρα τῆς Χριστοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα. *Dies Epiphaniorum, est dies, quo natus est Christus secundum carnem.* Sic etiam alij. Quos tamen eo nomine reprehendit Hieronymus, libro primo Commentariorum in Ezechielem: *Significat*, inquit, *baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est, (non vt quidam putant, natalis in carne; tunc enim absconditus est, & non apparuit:) quod huic tempori congruit, quando dictum est, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Negat Hieronymus Epiphania dici posse natiuitatis diem, quia tum Christus latuerit. Videtur ex professo contradicere Gregorio Nazianzeno præceptori suo; cuius verba sunt in ea cuius memini homilia, ἐφάνη Θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως; *Epiphania*, siue *Theophania dicta sunt, quia Deus* ἐφάνη, *apparuit, per natiuitatem.* Confutandæ opinioni Hieronymi satis esse debet, quod in Scripturis & apud Græcos Patres voces φανῆναι, ἐπιφανῆναι, & ἐπιφάνεια, passim de natiuitate Christi, vt probauimus, vsurpantur. Similes censuras Hieronymianæ etiam alibi legas apud Latinos scriptores: vt apud auctorem incertum illius homiliæ, quam paullo ante probauimus magno errore Chrysostomo attribui. Cæterum per hanc mutationem separata est solemnitas baptismi à solemnitate natiuitatis, contra opinionem, quæ diu olim in Ecclesia obtinuit: Christum, qua die natus fuerat, eadem, trigesimo anno vertente, fuisse baptizatum: quod ex verbis Lucæ colligebant, III. 23. Romani scriptores, vel ignari veræ caussæ appellationis Epiphaniorum, vel certo consilio, vt veteris instituti memoriam abolerent, alias rationes excogitarunt. Et quoniam verbum φαίνειν de sideribus dicitur, vt etiam Actorum XXVII. 20. ab ea notione huius vocis caussam nonnulli petierunt nominis Epiphaniorum. Isidorus Hispalensis, De officijs Ecclesiasticis lib. I. cap. XXVI. *Epiphaniorum diem festa solemnitate viri Apostolici signauerunt: quia in eo per stellam est Saluator ostensus, quando inuenerunt Magi Christum in præsepio iacentem, & adorauerunt eum.* Vult Epiphania esse dicta,

dicta, quoniam stella ἐπιφάνσι, apparitione sua Christum designauit: sed hoc longe petitum ; & multo probabilius Chrysostomus, quia in baptismo ἐπιφάνη, id est, demonstratus est, innotuit cœlesti voce. hoc etymum etsi verum non putamus, est tamen probabilius eo quod affert Isidorus, & amplectitur Baronius. Latini scriptores caussas huius solemnitatis tres assignarunt ; Magorum aduentum, baptisma Christi, & primum in Cana miraculum : quæ tria miracula eadem die, sed annis diuersis putabant esse facta, vt prolixe explicant Eucherius Lugdunensis, homilia in vigilia Sancti Andreæ, & Petrus Chrysologus, sermone CLVII. Verùm ex his tribus caussis præcipue celebrata est Magorum historia : nam reliquæ à multis ne nominantur quidem : vt apparet è sermonibus octo Leonis Magni Papæ in Epiphania. In Menologio Græcorum adoratio Magorum in ipso die natali Decembris XV. adnotatur, non in die Epiphaniorum, siue Theophaniorum, vt id festum nominatur in Lectionario Græcæ Ecclesiæ. Nam in Apostoloeuangelijs anni totius ad sextum Ianuarij ita est adnotatum : Τῷ αὐτῷ μηνὶ, ϛ τὰ ἅγια ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος, Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν τῷ ὄρθρῳ καὶ λειτουργίᾳ.

XII. Paraphrastæ Syri & aliorum error in verbis Lucæ.

ANNI I. Num. XXXVIII.

IN historia de purificatione B. Virginis, recte auctor Annalium legit cum vetere Interprete, Lucæ II. 22. τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς, non αὐτῶν : quæ falsa lectio & Origenem olim, & postea multos decepit, & quæstionem inutilem mouere compulit, quid opus habuerit Dominus noster purificatione. Atqui αὐτῆς cum Latino Interprete legit etiam Arabs : melius quàm Syrus, qui errat cum Origene. Firmando errori fuit, quod solemnitas diei secundæ Februarij, quum ex caussa duplici fuerit instituta, Purificatione Mariæ, & Præsentatione Christi; multi crediderunt titulum festi esse purificationem Christi, non minus quàm Mariæ : quod declarant multi sermones in illa solemnitate habiti. Hoc festum Græcis Ὑπαπαντὴ nominatur ; de cuius institutione suo loco se dicturum Baronius pollicetur : institutum autem fuit anno demum Iustiniani decimoquinto.

XIII. *An recte dicatur Anna prophetissa fuisse virgo monialis. Baronij hallucinatio in loco Cyrilli Ierosol.* ἀσκεῖν *&* ἄσκησις *etiam de alijs, quàm de ascetis & monachis.* τέλειος, *&* τέλειος βίος.

Anni I. Num. XLI.

Annæ prophetissæ historiam describens è Luca Baronius, monialem fuisse illam obseruat. Qua de re etsi dictum satis in superioribus: quia tamen hoc loco auctoritate graui tuetur suam sententiam; rem paucis excutiamus. Affert testimonium Cyrilli Ierosolymitani, *qui Annam*, inquit, *vocat monialem.* nempe Cyrilli Interpres Latinus, cuius verbis loquitur Baronius, ἀσκητεία vertit *monialis*: recte an secus, id vero nihil pensi habuit pater Annalium expendere. Est autem ineptissime sic versum: nam si ἀσκεῖν & ab eo deducta in solis monachis & monialibus locum habent: sequetur inde omnes Christianos esse monachos aut moniales: de omnibus enim id verbum promiscue vsurpatur apud Patres. quin ipsa religio Christiana dicitur ἄσκησις: vt cum ait Clemens Alexandrinus, p. 207. Strom. lib. IV. ἡ κυριακὴ ἄσκησις ἀπάγει τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος μετ' εὐχαριστίας. *Dominica exercitatio*, id est, *religio quam docuit Dominus, abducit animum à corpore, cum gratiarum actione.* In Apostolicis Canonibus LI. & LII. abstinentia à carnibus & vino certis diebus priscæ Ecclesiæ vsurpata, fieri dicitur διὰ ἄσκησιν, *propter exercitium pietatis*: quia eo pacto affligitur caro & seriæ meditationi mysteriorum salutis præparatur. Quicunque igitur eo animo abstinent vino & esu carnium, ij & ἀσκεῖν, & ἀσκηταὶ εἶναι tantisper dici possunt. monachos aut moniales eosdem dicere, ridiculum fuerit. Pij Patres verbum ἀσκεῖν à ludis veterum ad res sacras transtulerunt; Paulum imitati, qui petitis inde locutionibus mire delectatur. Quum igitur Paulus I. Corinth. IX. 24. Christianos comparet τοῖς ἐν σταδίῳ τρέχουσι, *currentibus in stadio*; & subijciat ibidem, πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, *omnis autem qui in agone certat, ab omnibus se abstinet.* Patres verbum ἀσκεῖν, quo proprie significatur præparare se ad certamen & continentiam in eum finem exercere, ad Christianos transtulerunt, & ipsam religionem ἄσκησιν dixerunt, quasi regulam exercentium & continentium, in qua iugiter se exercere Christiani deberent: atque inde sunt dicti *ascetæ* & *ascetriæ.* Quemadmodum autem, licet omnes promiscuè Christianos hortarentur ad τέλειον βίον, *vitam perfectam*, & omnes veros Christianos appellarent τελείους, auctore ipso Christo, Matth. V. 48. & Paulo eius Apostolo, Coloss. IV. 12. & multo expressius eiusdem epist. I. 28. ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu*: peculiari tamen

tamen notione τελείους illos appellarunt, qui mundo renuntiassent, & vitæ austerioris propositum suscepissent : sic plane vsuuenit in vocibus ἀσκεῖν, & *asceta* vel *ascetria*. Nam quum peculiariter has vsurparent de monachis & sanctimonialibus : generaliter tamen omnibus tribuerunt, qui in studio pietatis præ cæteris desudassent. Omnis igitur monachus est asceta ; omnis sanctimonialis ascetria : at non omnis asceta est monachus : neque omnis ascetria est monialis, vt putauit Cyrilli Interpres qui Baronium decepit. Apud Philonem locis infinitis ὁ ἀσκητής, vel ὁ ἀσκητὴς ἀρετῆς, & ὁ φιλάρετος, pro eodem ponuntur. Eidem in libro Allegoriarum, Issachar dicitur asceta, & de Patriarchis loquens sæpe meminit ἀσκήσεως & τῆς ἐν ἀσκήσει. Atqui monachos aut moniales fuisse primis illis Iudaici populi temporibus, neminem puto esse adeo duræ ceruicis, qui dicere velit. Quare Patres solent vitas austeriores, si quæ extiterunt sub Lege, appellare προαναφωνήσεις τοῦ τῆς νέας διαθήκης πολιτεύματος, *prænuntiationes eius formulæ viuendi, quæ obtentura erat sub Nouo fœdere* : vt loquitur Basilius Seleucensis in oratione de Iosepho. Et Gregorius Nyssenus alicubi eodem sensu dixit eleganter, προϋποφαίνει τὸ μέλλον. Eodem spectat, quod scribit Cyrillus Ierosolymitanus, catechesi III. Iohannem Baptistam τῆς ἀσκήσεως τὸν τύπον ἐν ἑαυτῷ δεῖξαι, *formulam in se ostendisse, quam sub Lege Gratiæ ascetæ essent secuturi.* quippe nihil dum simile priora secula viderant. Igitur, si Anna haberi debet monialis, quia Cyrillus idem illam nominauit ascetriam ; etiam Issachar fuerit monachus, & alij exactioris disciplinæ pij sub Lege, monachi, quos & Philo & passim Patres appellant ascetas. Clemens Alex. Pædag. lib. primo : οὗτος ἦν ὁ ἄνθρωπος ὁ ἀλείφων κατὰ τοῦ πονηροῦ τὸν ἀσκητὴν Ἰακώβ. Et mox de eodem ; ὅρα πῶς ἀλείφει τὸν ἀσκητήν. En, Iacobum non semel, sed bis appellat ascetam : sicut B. Ambrosius eundem nominat *virum cognomento exercitationis præditum*: libro I. de Abele & Ca. cap. IV. & B. Chrysostomus homilia in tres sanctas, Bernicen &c. ait, Iacobum obijsse μυρίους ἄθλους, μυρία σκάμματα, μυρία παλαίσματα, & plurimas coronas è certaminibus retulisse : quæ omnes locutiones proprie ascetis veterum Græcorum conueniebant. An igitur dicemus Iacobum vel ascetam fuisse, vel monachum ? Sanè : siquidem valet argumentatio Baronij. Sed hoc nimis ridiculum. Quæ diximus de voce Græca ἀσκητής, eadem dici possunt de voce Hebraica פרוש Nam *Perusch* est asceta ; & modo Pharisæis peculiariter tribuitur : modo in genere cuiuis austeriorem vitam agenti.

XIV. *Locus Sozomeni illustratur, de persea quæ se coram Domino incuruauit. Item alius de euersis Ægypti idolis.* Lib. 6. c. 20.

Anni I. Num. XLIII.

REfert Baronius è Sozomeno rem magnam & miram: ad Christi infantis aduentum in terram Aegypti, perseam arborem proceram se inclinasse, & statuas omnes concussas esse. Verba Sozomeni de arbore quæ se inclinauit, notanda sunt: λέγεται ἅμα εἰσιόντι παρὰ τὴν πύλην μὴ ἐνεγκὸν τοῦτο τὸ δένδρον, μέγιστον ὄν, τοῦ Χριστοῦ τὴν ἐπιθυμίαν, ἐπὶ τὸ ἔδαφος κλῖναι καὶ προσκυνῆσαι. *Dicitur cum intrabat Christus Hermopolim arbor quæ erat ad portam, & ea quidem maxima, quod non ferret Christi desiderium, in terram se inclinasse & illum adorasse.* Christophorsonus miram narrationem versione sua corrumpit: nam auctor sensum arbori attribuit, illis verbis, μὴ ἐνεγκὸν, *quum non ferret*: & *cupiditatem* ἐπιθυμίαν. sed puto scripsisse ἐπιδημίαν, *præsentiam.* Porò de his duobus miraculis quid sentiendum sit, & quantum illis fidei tribuendum, Ecclesiæ Dei relinquo iudicandum. Nonnulli sic illa videntur narrare, quasi fuissent ab ipso Christo tacta: quod refellit Iohannes, qui miraculum in Cana obseruat fuisse ἀρχὴν τῶν σημείων, principium miraculorum omnium quæ fecit Christus. Et est illa Patrum constans sententia, nullum à Christo puero, aut adolescente, factum esse miraculum, nullum denique ante aquam in vinum versam. Itaque παιδικὰ Iesu miracula quæ nonnulli iactabant, reijcit expressis verbis Chrysostomus homilia in Iohannem XVII. & XXI. ac XXIII. Hæc igitur miracula si vera sunt, non à Christo quatenus est Christus, facta sunt, sed Christo contigerunt. Obseruare licet in veteribus mirum studium aptandi Messiæ omnia Prophetarum oracula, ac pene dicta: quæ res interdum compulisse eos videtur, vt ea dicerent, quæ haut scio quàm sint firma. Inde stabulum in quo natus Christus, vsitatiori nomine dictum est spelunca, vel antrum: inde Magi Arabes: inde bos & asinus in stabulo cum pareret Virgo. Sic igitur concussa esse omnia Aegypti simulacra ad Christi aduentum, propterea videntur quidam credidisse; quia, vt Sozomenus indicat, à Propheta Isaia putabant id fuisse prædictum. Locus Prophetæ est capite XIX. *Et ingredietur Ægyptum, & commouebuntur* אלילי *simulacra Ægypti, à facie eius.* Videtur esse clara prophetia, quæ illo miraculo sit impleta: sed longe aliter Isaiæ interpretes. Hieronymi sunt verba ad hunc versum Prophetæ: *In hoc & in alijs Scripturarum locis pleraque ponuntur, quæ non possent stare iuxta historiam: vt rerum necessitate cogamur altiorem intelligentiam quærere.* quæ verba ab auctore Glossæ ad eundem versiculum repetuntur. Et Hieronymus

ronymus & Procopius & Glossa, longe aliter Prophetę mentem explicant. Referunt eodem nonnulli & locum Ieremiæ XLIII. 13. Epiphanius quoque in vita eius Prophetæ non dubitanter illud affirmat. Sed hæc expendere accuratius, non est huius operæ. Simillimum huic est, & illud quod mox subijcit Baronius de nobilitata deserto Ægypti; quia tale quid apud Isaiam legatur, capite XXXV. quum tamen eo loco Propheta de Iudæa loquatur: nec possint eius verba referri ad Aegyptum magis, quàm ad aliam quamlibet partem Orbis terrarum.

XV. *Herodes quater Romam venit, non bis tantum, vt tradit Baronius.*

ANNI I. Num. XLVIII.

FAbula est, vt recte iudicat Baronius, propterea bimulos infantes ab Herode esse occidi iussos, quia ipse Romæ per biennium hæserit. Sed quod ait idem, bis Herodem regni sui tempore Romam venisse; parum accurate dictum est: nam omnino Herodes Romam quater venit, non bis. Semel, cum est ei regnum delatum: ter regni tempore. De prima profectione habes apud Iosephum, p. 444. & 682. De secunda, quando inuisit filios & Roma abduxit, p. 487. De tertia, quando accusatum filios Romam venit, & miseros ad Augustum adduxit, p. 493. De quarta, cum ex eadem caussa iterum Romam venit, p. 506. & 697. Harum profectionum tempora adnotauimus in Synopsi Chronologica rerum Herodis.

XVI. *Eusebij locus à Baronio negligenter tractatus. De puero Herodis inter infantes innocentes occiso.*

ANNI I. Num. L.

EVsebij locus quem describit Baronius ex eius Chronico, magnos errores continet, quod ille non animaduertit. In cæde prioris mariti Salomę, cui erat Iosepho nomen, anachronismus immanis est commissus, annorum XXVIII. vt è Iosepho probat Iosephus Scaliger. De Costobari etiam cæde verum non est. Consule Origines Iosephi & Notas Scaligeri ad Eusebium. De quarto Herodis filio à patre occiso inter innocentes, quem Baronius & alij eruunt ex Augusti ioco apud Macrobium, magna est dubitatio. Nam constat Alexandrum, non quidem inter innocentes, sed tamen eodem fere tempore fuisse affectum supplicio, quo innocentibus vita est erepta. An autem putandus est Herodes, qui septuagenarius, aut non multis men-

ſibus minor obijt, ante biennium genuiſſe filium, qui bimulus cum cæteris ſit occiſus? Miramur iure inexcuſabile ſilentium Ioſephi, qui de infanticidio nihil dixit: ſed ei admirationi iuſtior locus, ſi inter cæteros vnus extitit, ipſius Herodis filius. An fuerit Ioſepho notum infanticidium poteſt fortaſſe dubitari: quia intra Bethlehemi fines illa tragœdia fuit patrata. Herodis filium eius ætatis, Bethlehemi potius quàm in vrbe regia fuiſſe nutritum, nulla ſuadet ratio ſaltem neceſſaria. Si, vt videtur probabilius, Ieroſolymis colebatur, cur occidendis in Bethlehem eſt adnumeratus? Poſtremò cædes infantium Bethlehemitarum, cauſſam habuit, quia è Scripturis perſuaſum Herodi fuerat, quendam eſſe Bethlehemi natum infantem, qui futurus eſſet Rex Iudææ, tranſlato ad ſe regno è domo Herodis. Dura eſt & pene abſurda coniectura, Herodis coniugem Bethlehemi, potius quàm in regia, peperiſſe, ſiquidem peperit. Tum autem qui feræ illius crudeliſſimæ, Herodem dico, mores norit, merito dubitauerit, an amore tanto liberos alios ſuos maiores, vel nepotes è filijs quos occiderat, ſit proſecutus; vt natum ex ſe infantem, propterea iuſſerit necari, ne priores liberi regnum amitterent: quum præſertim, nihilominus in ſua domo regnum cognoſceret fore manſurum. Apud Cedrenum ex aliquo veteri ſcriptore extat huiuſmodi obſeruatio: Herodem παιδοκτόνον, *infanticidam* audire, & propriam quaſi appellationem eſſe hanc illi inditam, non ſolum propter infantes Bethlehemiticos; ſed etiam propter tres filios proprios quos occidit: διὰ τὸ τοὺς ἰδίους τρεῖς υἱοὺς ἀποκτεῖναι. nimirum auctori huius obſeruationis de quarto filio Herodis, quem inter infantes infantem peremerit, nihil erat auditum: nam illi tres filij occiſi ab Herode notiſſimi ſunt, Alexander, Ariſtobulus, Antipater. Cæterum in hac hiſtoria Baronius toties peccat, quoties de temporibus aduerſus Ioſephum aliquid mutit: ille vero etiam ſcriptores priores confidenter reprehendit, quia eandem ſecum erroris viam non ſint ingreſſi.

XVII. *Expenditur locus Matthæi. ἕως. Cedrenus. Alia item.*

ANNI I. Num. LIII.

IN hiſtoria cædis Zachariæ patris Iohannis Baptiſtæ, & interpretatione loci Matthæi XXIII. 35. ſequitur Baronius eos interpretes, qui deſumptam ex Apocryphis narrationem, verbis Euangeliſtæ accommodarunt. Habet ſane Baronius graues auctores, qui eidem hiſtoriæ fidem habuerunt. Sed quum Hieronymus, grauis ipſe quoque auctor, eam reijciat, tanquam ex Apocryphorum ſomnijs ortam: videndum

dendum est, num occasionem illi narratiunculæ fingendæ & approbandæ vocula ἕως præbuerit, in Matthæi versiculo male accepta. Nam ratio præcipua illorum, qui volunt Dominum de Zacharia patre Iohannis ibi loqui, est; quod existimant Christum omnes à Iudæis occisos Prophetas fuisse complexum; nominatis omnium primo Abele, & omnium vltimo Zacharia. Atque hoc suadet vox ἕως, si ita accipiatur, vt solet communiter vsurpari. Quare hanc rationem vrget etiam Baronius. Sed nemo eruditorum ignorat, passim in Scripturis ἕως diuerso modo poni, itaque tempus certum definire, vt posterius illo non excludat: quod Interpretum nemo non obseruat ad Matth. 1. 25. Ita si hic quoque accipiamus, subsidio Apocryphorum nihil fuerit opus. Iure autem aliquis miretur, quare Baronius historiam in veteri Vaticano codice sibi lectam, de lapidibus templi cruore Zachariæ infectis, dicat, *certa fide fuisse consignatam.* Nam vnde illi potuit constare de certitudine fidei; quum Hieronymus tanto antiquior, & assiduus locorum spectator, vanitatis & mendacij narrationem arguat? Sed hoc non mirabitur à Baronio factum, qui obseruauerit, hunc illi solemnem esse morem, vt illis potissimum scriptoribus fidei testimonium cum asseueratione firma attribuat, quorum maxime scit fidem laborare, & scripta nugacissimæ fabulositatis esse plenissima. Hinc illæ locutiones in his Annalibus, præsertim autem in postremis Tomis, infinities prope dixerim, occurrentes, de ancipitis fidei Actis, *omni fide conscripta Acta.* Item, *Acta quàm sincerissimè scripta*, vel, *quàm fidelissimè.* Mox de Angelo qui Iohannis infantis post matris obitum in spelunca curam habuit, citat Baronius Cedrenum: quem ipse alibi sæpe quum rerum antiquarum parum idoneum auctorem iure appellet, (est enim nullius admodum iudicij scriptor; & veteris historiæ imperitissimus:) hanc tamen narrationem tuetur, & ait, *haud adeo impossibilem* videri debere. Atqui hoc non quæritur: nam Deum quidem omnia quæ vult posse, impius est nec Christianus, vt iam antea dicebamus, qui vel leuissime dubitat. Sed negant λογικοὶ παῖδες valere argumentationem à posse ad esse: qua tamen sæpe vti Baronium suis locis ostendemus. Hoc igitur potius probaret; dignum fide in talibus esse Cedrenum: quod expressis verbis alibi nec semel negat: & nemo illius historiam cum aliquo iudicio legit, qui non sit idem dicturus.

XVIII. *Illustratur locus ex Actis de Iuda Galilæo & Theuda seditiosarum factionum ducibus. Ostenditur quàm sæpe Iudæi in Herodem conspirarint, præcipue sub finem vitæ illius. Multarum seditionum historiam ignorari, & nomina ducum; inter quos videtur fuisse Theudas is de quo Gamaliel. Iudas seditiosus, Ezeciæ filius, item alius Galilæus siue Gaulonites. Iosephus defenditur contra Baronium. Theudas fuisse duos seditiosos, coniecturam esse non absurdam, multis exemplis demonstratur. Antoninus Pius Rex Syriæ. Hippodami duo qui de politicis olim scripserunt.*

ANNI I. Num. LVII.

IN historia de Iuda Galilæo & Theuda, quorum meminit Gamaliel Actorum v.36.37. euenit Baronio quod dixit Philosophus, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος πολλὰ ἀναγκαῖον ἐστι συμβαίνειν. Absurdissima opinio, quam primus ille excogitauit de nouem annis vitæ Herodis à Iosepho prætermissis, multa illum coegit alia non minus absurda, falsa, ridicula, pronuntiare. Veram narrationem (certè quæ videtur ad ipsam veritatem proxime accedere) prius proponemus: deinde ad Baronij rationes, vel potius alogias, accedemus. Populum Iudaicum refractarium cum primis fuisse, naturâ suâ, ceruicosum, leuem, & ad rebellionem semper paratum, cum Scripturæ docent, tum omnes illorum literæ testantur. Maximè vero tum irritatum est illis ingenium, quando alienigenarum imperio, hoc est, Romanorum, parere sunt coacti. Lege diligenter Iosephi historiam; reperies nullam illi nationi fuisse quietem, ex quo Romani imperij iugo subierunt; nisi quamdiu acri & duro seruitio coerciti in officio continebantur. Per quas turbas regnum adeptus est Herodes? quot aduersus illum regnantem legationes missæ? quot coitiones factæ? Sed omnes omnium conatus superauit Princeps à natura factus ad dominationem per vim obtinendam. Verùm vbi iam ætas grauis, senectus effæta, & alia mala spem certam Iudæis de illius breui obitu fecerunt; simul illis animi creuerunt, & cupiditas nouandi. Itaque narrat Iosephus, Herodem paullò ante vltimum sibi annum, fidei sacramentum exegisse à subditis: quod præstare cum alij sine dubio arte declinarunt; tum secta Pharisæorum vniuersa palàm detrectauit. Multa tum extitisse principia rebellionis, quæ Herodis prudentia statim exstinxit, simile est veri: licet Iosephus, vni fere curæ intentus, interiora mala Herodis narrandi, & exempla crudelitatis ab illo edita, eorum expressam mentionem non facit: solam inceptionem commemorat Iudæ & Matthiæ, lib. XVII. cap. VIII. Sed qui ex eo discamus, sex millia Pharisæorum non potuisse adigi

adigi ad iusiurandum; dubitare non debemus, omnium Iudæorum animos tunc ad rerum nouarum exspectationem fuisse erectos: quam cupiditatem Herodes comprimebat cædibus Doctorum, sed non restinguebat. Id statim illo mortuo apparuit; quando illæ conspirationes aduersus memoriam exstincti, & illius liberos sunt factæ, quas narrat Iosephus libro XVII. cap. XI. & deinceps. Quot tunc extitère, qui per seditionem ad regnum viam affectarent? vt Iudas Ezeciæ filius, Simon, Athonges, alij plures, de quibus Iosephus eodem libro, cap. XII. Ad hæc omnino tempora, vltima inquam regni Herodis, vel quæ statim sunt secuta, postquam ille perierat, referri debet historia Theudæ, cuius meminit Gamaliel. Nam Theudam præcessisse Iudam Galilæum, declarant verba Gamalielis, μετ̓ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας, *post Theudam surrexit Iudas.* Lorinus in Acta, & alij plures cum eo, qui μετ̓ exponunt *vltra*, & nescio quas inuentiunculas comminiscuntur, frustra sunt: nunquam enim illis neque cum Hellenismi peritis, neque cum historica veritate conueniet. Theudam non adeo multis annis fuisse prius quâm illa Gamaliel diceret, ex ipsius verbis potest vtcunque fieri coniectura. Ait enim, πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς, *ante hos dies*, siue, *ante hæc tempora surrexit Theudas*: non dicit, ἀνέστη ποτέ, vel πάλαι ποτέ *olim, quandoque.* Apparet loqui ipsum, vt de re neque nimis recente, neque admodum antiqua. Dicebantur autem hæc à Gamaliele, circa annum à nato Christo XXXV. quid igitur probabilius, quàm circa natiuitatem Domini, & vltimos Herodis annos hoc contigisse? Quare Origenes contra Celsum, lib. primo, sine vlla dubitatione pronuntiat, Theudam Christi natiuitatem præcessisse. fierique potest, vt occasionem iste arripuerit, ex periculo in quo versatus est Herodes sub postrema tempora, quando Augustus accusatione Syllæi aduersus illum irritatus, literas minarum plenas ad illum scripsit. Summa literarum fuit, vt narrat Iosephus lib. XVI. cap. XV. ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται: *se hactenus cum Herode egisse tanquam cum amico, posthac vt cum subdito acturum.* Quum legatos misisset Herodes, qui excusationem sui afferrent, reiecti sunt: misit deinde aliam legationem, neque profecit hilum: nam & illa redijt ἄπρακτος. Itaque tum plane illi animus concidit, & iniuriæ opportunus est factus, qui tot alios tantis affecerat iniurijs. Herodi successit Archelaus in parte maxima imperij: vnde post nouem annos excidit, Viennam relegatus. Tum in formam prouinciæ redacta Iudæa: tum census ille habitus per Quirinium, de quo Iosephus initio XVIII. Tum etiam Iudas extitit quem Galilæum vocat Gamaliel, & facem seditionis ait sustulisse ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, *tempore census*, posterioris

nempe,

nempe, habiti post damnationem Archelai. Iosephus in historia illius census, & seditionis propter censum excitatæ, caput factionis nominat Iudam Gaulaniten; qui idem est. Verùm propter diuersas caussas Galilæus dicebatur & Gaulanites: nam ipse quoque Iosephus p. 727. eundem Iudam nominat Galilæum. In Rabbinorum Commentarijs extat mentio huius seditionis, & eius auctor dicitur יהודה הגלילי *Iehuda Galilæus*, vt apud Abrahamum Salmanticensem, qui ex antiquis tangit historiam, pag. 139. Erat in Iudæa Procurator Coponius, cum hæc seditio est coorta. Coponio successerunt ordine Ambiuius, Annius Ruffus, Valerius Gratus, Pontius Pilatus, alij; & post eos Cuspius Fadus, de quo Iosephus Originum XIX. extremo, & per initia sequentis. Sub hoc turbas à quodam Theuda fuisse excitatas, auctor est Iosephus XX. cap. II. Inter habitæ concionis à Gamaliele tempus, & procurationis Fadi extrema tempora, in quibus Theudæ Iosephus facit mentionem, anni minimum intercedunt quatuordecim vel quindecim. Quare non potuit Gamaliel meminisse huius Theudæ. Hæc est series harum seditionum. Nunc ad Baronium accedamus. Accusat Iosephum & hic & in anno Domini XVI. & grauissimis quidem verbis, quod dicat Iudam turbas mouisse in posteriore censu: nam id accidisse prioris census tempore, quando natus est Christus. Audio quid dicat hic Cæsar: rationem cur hoc dicat, solidam nullam audio. Iosephus scriptor grauis & vernaculus, seditionem Iudæ accidisse affirmat propter censum posteriorem: neque hoc semel aut obiter; sed bis serio idem confirmat. Nam & libro XVIII. historiam narrat, & libro XX. cap. III. eandem repetit. Accedit ratio probabilis quæ hoc suadeat. Prior enim census ex Augusti curiositate profectus, vt suo loco obseruauimus, in statu publico Iudææ nullam prorsus mutationem attulit: posterior longe maximam. Vterque census præcessit Gamalielis orationem: prior annis triginta quinque: posterior annis circiter viginti quatuor, aut XXIII. Quare Gamaliel per temporum rationem, tam posterioris potuit meminisse quàm prioris. Et quidem Iosephum si sequimur, meminit posterioris; at Baronio placet errasse Iosephum, & vt hoc probet ἀπίθανον, alia fingit non minus ἀπίθανα. Idem falli Iosephum asseuerat, qui Theudæ seditionem in tempora referat alia quàm postulet Gamalielis oratio. Si posset Baronius è sacris literis probare vnicum fuisse Theudam, apud Iudæos hominem turbulentum, qui res conatus sit nouare: clara esset & certa Iosephi hallucinatio. Nunc quia silent Scripturæ, dicamus potius, quod similius est veri, & multo probabilius, duos fuisse Theudas seditiosos: vnius meminisse Gamalielem, qui fuit ante Christum, vt ait Origenes, vel

certe circa tempus natiuitatis Christi, siue ante Herodis mortem, siue paullo post: alium posterius, cum res Imperatoris in Iudęa Fadus procurabat. Nemo historiarum diligens obseruator mirabitur duos fuisse Theudas seditiosos, vel duos Iudas, qui similia facinora ediderint, temporibus non admodum distinctos; qui meminerit similium casuum, & vt Græci dicunt, συγκυρειῶν plena esse historiarum monumenta. Erat paullo ante sermo de duobus Zacharijs, quorum vterque Barachiæ filius, vterque Propheta, vterque à Iudæis occisus, vterque in templo, & quidem vterque μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, *inter templum & altare.* His duobus diligentissimus Baronius, è Iosephi de Excidio lib. v. cap. pr. tertium adijcit, Baruchi filium, & in templo necatum. Marias in Euangelijs plures commemorari, quæ Domino caput & pedes vnxerint, accuratiores Interpretes sacrarum literarum & veteres & recentiores consentiunt: licet diuersa alijs nonnullis placeat sententia: qua de re inferius. Inter Romanos Augustos fama notissimus est Antoninus Pius: inter Syriæ reges fuit quidam Antoninus Pius, qui bellum gessit cum Seleuco. Iosephus libro XIII. p. 409. Μετ' οὐ πολὺ δ' ὁ τοῦ Κυζικηνοῦ παῖς Ἀντίοχος, καὶ Ἀντωνῖνος ὁ Εὐσεβὴς καλούμενος, πολεμοῦσι πρὸς Σελεύκῳ. Sic enim hic locus legitur etiam in antiquis membranis versionis Ruffinianæ. Simon Magus Samarita ex Actis & historia Ecclesiastica notissimus est: Simon Magus alius nominatur Iosepho, lib. XX. cap. v. Cyprius genere: vterque sub imperio Claudij. Lysaniam Tetrarcham Ituræ, & regionis Malchi, cuius pars Abilena, Dio commemorat lib. XLIX. neque dubium est, ab eo nomen inuenisse illam quæ sæpius memoratur Iosepho, Lysaniæ Tetrarchia Abilena. Lysaniam alterum Tetrarcham Abilenæ, annis circiter sexaginta iuniorem, habes apud Lucam, III. I. de quo plura dicentur inferius. Attines, Actæones, Scipiones, similitudine casuum vel actionum insignes, recenset Plutarchus initio vitæ Sertorij. Liber totus Paruorum parallelorum eiusdem magni scriptoris, tam multa similium casuum exempla apud Græcos & Romanos continet, vt sine stupore illa nemo sit lecturus. Vatinium Ciceronis ætate fecerunt celebrem sua improbitas, corporis deformitas, & facetiarum lepos: in aula Neronis fuit alius Vatinius, *inter fœdissima ostenta, corpore detorto, facetijs scurrilibus*, ait Tacitus, in XV. Annalium. Gregorij Magni tempore sedebat in noua Roma Iohannes ὁ νηστευτής: cum Gregorius alter in veteri, Iohannes item alter in noua. Kilianos commemorant historiæ Ecclesiasticæ & Martyrologia duos, ambos Hibernos, ambos viros Apostolicos, ambos è patria in Germaniam profectos, ambos Martyres vel confessores. Inter antiquissimos Græciæ sapientes Hippodamus quidam fuit,

Milesius Euryphontis filius, qui de Reipublicæ optima forma ſcripſit, vt auctor eſt Ariſtoteles Politicorum II. cap. VI. Fuit item alius Hippodamus Thurius Pythagoricus, in eodem politico argumento cum laude verſatus, cuius hodieque eximia ſuperſunt fragmenta. Quod eruditiſſimus Muretus quum non obſeruaſſet, multum in ſuis ad Politica Ariſtotelis Notis eſt hallucinatus. Sed & vetus eſt error nonnullorum : nam etiam Scholiaſtes Ariſtophanis ad hæc verba ex Equitibus, ὁ δ' Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος; manifeſte oſtendit, quoſdam confudiſſe Hippodamum, cuius meminerunt Ariſtoteles & Ariſtophanes, cum altero Philoſopho Pythagorico. Deficiet me tempus, ſi exempla ſimilium συγχύσεων vetera aut recentia velim adnotare. Vide quæ ſcribit B. Auguſtinus de malitioſa cauillatione Donatiſtarum in duobus Stratonibus, Breuiculi Collationis cum Donatiſtis, die tertio : & in illa ipſa ſecta plures fuiſſe Donatos erroris ſigniferos, (quæ res aliquando ipſi Auguſtino impoſuit, vt vni tribueret, quod alij conueniebat:) vere & docte obſeruat Baronius in anno CCCVI. 42.

XIX. *Iudas Galilæus abuſus Scripturis ad commouendam ſeditionem. Notantur qui inter Chriſtianos locis Scripturarum ſimiliter ad parandam dominationem abutuntur.*

ANNI I. Num. LIX.

De Iuda Galilæo loquens Baronius quæſtionem mouet huiuſmodi : *Quomodo hic ſibi ex diuina lege compararit auctoritatem, Iudæos non debere pendere tributum alienigenis affirmans.* Reſpondet autem ; fortaſſe vſum fuiſſe Iudam auctoritate Moſis, & hunc è Deuteronomio locum protuliſſe : *Non erit vectigal pendens ex filijs Iſrael.* Sciebat quidem Baronius, non legi hæc verba in Latina verſione vulgata : ſed quia apud Septuaginta Seniores extant, putauit Iudam eo teſtimonio vſum. Mirum eſt, tantum virum de Hebraica veritate adeo ſecurum fuiſſe, vt ne dignaretur quidem ab aliquo Hebraice docto quærere, extaréntne illa verba in origine, an non. Nimirum inter nouæ Theologiæ paradoxa iſtud etiam eſt ; quod Hebraica veritas ius ſuum & auctoritatem dudum amiſit: vt multi iam ne meminiſſe quidem illius putent eſſe tanti ; poſtquam Tridenti factæ ſunt authenticæ Græca & Latina verſiones : quo nihil magis portentoſum ætas noſtra vidit. Itaque reperti ſunt, qui codices Hebraicos plane reſpuerent, & contumelijs obruerent, vt Lindanus Epiſcopus, & alij male feriati : quorum inſolentiam docta diſputatione caſtigat Bellarminus : magnam eo nomine laudem meritus : quam vtinam in alijs ſuis ſcriptis ſeruaſ-

ſet

ſet illibatam. Hoc propterea dictum hoc loco volui; quia video Baronium ex contemptu veritatis Hebraicæ grauiſſima in Annalibus ſuis peccata perſæpe committere: cuiuſmodi eſt, quod hoc loco occurrit ſane craſſum & eo viro indignum. Nam ille locus è Deuteronomio in ſolis habetur Græcis libris, capite XXIII. 18. in Hebræorum codicibus totus ille verſiculus decimus octauus, qui extat in Biblijs Græcis Romæ editis, prætermiſſus eſt: neque ab vllo agnoſcitur è tribus Paraphraſtis Onkelo, Ionathane, Ieroſolymitano. Quomodo igitur Iudas Galilæus illo potuit vti? Putare germanos Iudæos in Iudæa commorantes verſione Græca eſſe vſos, hoc vero nihil eſt aliud niſi ſuam rerum Iudaicarum craſſam imperitiam palàm facere. Nam pleni ſunt libri Rabbinorum deteſtatione illius facti & verſionis: quam vt infament, quid non comminiſcuntur plerique illorum? Quale illud eſt, quod in eo libello narratur, quo ieiuniorum apud Iudæos ſolemnium cauſſæ explicantur. Nam in menſe Thebeth ieiunium adnotatur ex ea cauſſa, quod diebus Ptolemæi Regis Lex Moſis ſit Græcè ſcripta: atque illud inſuper adijcitur, ſpatio trium dierum tenebras tum fuiſſe per vniuerſum orbem. Soli fuerunt Alexandrini & ſimiles hybridæ Helleniſtæ, verius quam γνήσιοι Iudæi, qui Græcam verſionem Septuaginta Interpretum in vſu communi haberent. Nam quod ſcribit vir ſanctiſſimus B. Chryſoſtomus, octaua oratione de paſchate, tomo V. editionis Sauilianæ, p. 941. Septuaginta Seniorum verſionem ſtatim ab omnibus Iudæis eſſe approbatam, & diras fuiſſe in eum conceptas, qui vellet aliquid in ea mutare: de Alexandrinis Iudæis fatemur eſſe verum: de alijs Iudæis, qui vel Ieroſolymis, vel Babylone habitabant, id vero, quod pace tanti viri ſit dictum, non dubitamus eſſe falſiſſimum. Conferant ſtudioſi illam Chryſoſtomi narrationem, cum ea quæ apud Ioſephum habetur, libro XII. cap. II. ſub finem: intelligent beatum illum Patrem à Ioſepho eam hiſtoriam accepiſſe, cuius etiam verbis vtitur; quod & alibi facit. Atqui Ioſephus de ſolis loquitur Iudæis, qui Alexandriam incolebant: non in vniuerſum de omnibus. Tertullianus & alij Patres nonnulli, apud quos illa verba habentur, Græcis, non Hebraicis vſi codicibus. Melius verò Latinus Interpres, qui veritatem Hebraicam ſecutus, totum illum verſum omiſit. Subijcit Baronius; *Vel motus ille, quod ſcriptum eſſet, Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies.* Atq; hæc coniectura illius videtur eſſe non vana. Tradunt enim Hebræi, Iudam iſtum ſeditionis ſuæ cauſſam hanc prætexuiſſe: כי אין ראוי להמשיל על האדם בלתי יהוה לבדו ולא יקרא אדון כיאם האל יתברך *non eſſe decorum,* æquum, *vt regem alium homini imponerent, præter Deum ſolum: neque vt vocaretur Dominus, niſi Deus benedictus.* Quam

fanaticam ſententiam videtur Iudas auctoritate diuini præcepti, de vno Deo colendo, apud imperitos confirmaſſe : verbo diuino impie detorto, vt propriæ ſeruiret ambitioni. Legitima namque imperia adeo Legi diuinæ non repugnant; vt etiam alienigenis, etiam paganis Regibus, atque idololatris, parere & ſubijci ſuum populum Deus voluerit; poſtquam ſemel peccatis eorum offenſus, in manus Regum Babyloniorum ipſos tradiderat. Inſigne eſt atque in omne æuum memorabile exemplum Iechoniæ, Regis Ieruſalem; qui Prophetæ Ieremiæ conſilio obtemperans, ſe ac ſuos Regi Nabuchodonoſoro dedidit, & decem millia hominum in voluntariam ſeruitutem abduxit: quoniam Dei eam eſſe voluntatem Propheta ſignificauerat. Ieremiæ capite ſecundo. II. Paralipom. cap. vltimo. IV. Regum, cap. XXIV. Atque hoc factum quàm gratum Deo fuerit; & contra, Sedekias qui remanſerat, quàm grauiter Deum offenderit, declarat Ieremias, capite XXIV. & verò euentus prophetiæ eo capite comprehenſæ ſatis comprobauit. Hîc igitur in exemplo iſtius Iudæ, obſeruent pij lectores, vetus malum eſſe, quod Scripturæ verbis impudenter, ſceleſte, impie abutantur, qui ſubditos à fidelitate ſuorum Regum ac Principum volunt auertere. Olim per interualla temporum, quidam exiſtebant apud Iudæos Iudæ Galilæi, vel Theudæ, qui hanc furioſam doctrinam paucis prædonibus & perditis hominibus perſuaderent, & turbas eo prætextu concitarent. Quid hodie inter Chriſtianos? Eſt quidem, fateor, res horrenda & portento ſimilis, repertos eſſe qui ſanctiſſima Ieſu Chriſti doctrina, quę ad veram humilitatem, patientiam, & ſubiectionem docendam adeo expreſſe eſt comparata, abuterentur, quò terrenam potentiam ſibi pararent, & toto Orbe poſſent impune dominari. Verùm quicunque animo ſedato & ab affectibus vacuo, teſtimonia Scripturarum diligenter expenderit, quę pro Ro. Pontificis omnipotentia in temporalibus pariter & ſpiritualibus ab aliquot ſeculis ceperunt afferri, & nunc cum maxime afferuntur, atque vrgentur: inuenient proculdubio, in pleriſque illorum Iudæ huius Galilæi manifeſtiſſimam, nec minus deteſtandam imitationem. Ex illo fonte iſta manarunt, vt de plurimis exemplis vnum aut alterum proferam. *Ecce gladij duo*. Luc. XXII. 38. ergo Papa duos habet gladios, ſpiritualem & temporalem. *Spiritualis homo iudicat omnia, ipſe verò à nemine iudicatur*. I. Corinth. II. 14. ergo Papa iudicat de omnibus; Papa verò à nemine poteſt iudicari. Huc etiam illud referendum: Chriſtus dixit Petro, *Paſce oues meas*. Ioh. XXI. 16. ergo ius habet Papa Romanus regio more imperandi mundo vniuerſo. Sexcenta ſunt hoc genus illorum hominum effata; qui in Ro. Pontificis omnipotentia,

religionis

religionis Christianæ proram & puppim collocant. Ac licet doctrinę huius assertores, homines callidi & versuti, aliter atque aliter, pro ratione locorum atque temporum, immane paradoxum condire norunt : omnes tamen in summa consentiunt. Magna verò illis gratia, qui aut propter Hildebrandini zeli vehementiam, aut propter amentiam, arcanum dogma planius nobis enuntiant. Quo in genere Gaspar Scioppius, edito nuper Ecclesiastico, palmam videtur mereri. Nemo illud mysterium, quod alij mystæ in Gallia & alibi tanto studio dissimulant, clarius euulgauit. Nemo loca Scripturæ sacræ neque plura, neque maiore confidentia ad hoc propositum detorsit. Vnicum apposuisse locum satis erit, imò plus satis. Sic igitur nouus hic Theologus, capite XLVII. pag. 156. *Iam verò lex Christi potestatem qua Reges Gentium dominantur, penitus tollit, & inter Christianos exerceri prohibet. Matthæi 20.* Itaque per hanc doctrinam, Imperator, Reges ac Principes, aut Christiani non sunt, aut suis se dominationibus debent exuere. Eat nunc Andreas Eudæmonoiohannes, Iesuita Cretensis, & dicat infamis assertor parricidialis doctrinæ, talsa me nescio quæ fingere de sui similibus Hildebrandi plenis doctoribus. Atqui ego adeo exitiabilem sententiam nunquam ausus essem illis tribuere, priusquam Scioppij eum librum legissem : Scioppij, qui & viuit & magnus est Romæ. ô magni Principes, quomodo pernitiosus adeo veternus vos occupauit? Verùm hæc obiter.

EXERCITATIO TERTIA.

Ostenduntur multæ Baronij hallucinationes in historia & ratione temporum. Detestatio fabularum Annij Viterbiensis.

ANNVS II.

QVi breui compendio scire cupiet, quàm inaccuratus scriptor sit Baronius, & quàm multa in ratione temporum atque vniuersa historia peccare soleat ; legat quæ sunt ab eo adnotata in hoc anno Christi secundo ; Iuliani, quadragesimo quinto ; Vrbis Romæ DCCLIII. qui Coss. habuit Cossum Cornelium Lentulum, L. Calpurnium Pisonem. Sic ille orditur : *Quum Herodes in regno ageret annum trigesimum primum, Iudæos iuramento adegit.* Numerat Baronius annos Herodis ab Actiaca victoria : quæ propria est illius epocha, de qua ante ipsum nemo veterum, nemo recentiorum, quod sciam, cogitauerat. Sed hoc illius absurdissimum figmentum

figmentum satis antè confutauimus: & iam ante nos viri doctissimi illam sententiam, non secus ac nouum portentum horruerunt. Enimuero quisquis sacræ historiæ fidem habere quàm Baronio maluerit; mortuum fuisse Herodem paullo post natum Christum non dubitabit: etsi definire annum præcise, nos quidem non audemus. At fecerunt alij viri summi, & in Chronologico studio exercitatissimi: qui licet inter se non penitus consentiant, omnes tamen (illos dico, qui has literas cum laude tractarunt) in eo conueniunt; vltra hunc præsentem annum vitam ab eo non esse productam. Accuratus Iosephi epilogismus exigit, vt triennio prius vitam finierit, Iuliano XLII. Coss. Sabino & Rufino: quod acerrime tuentur Keplerus & Liueleus Anglus, in Chronico nondum edito, dignissimo tamen quod edatur. Hi varia argumenta afferunt, vt probent Christi verum natalem esse Iulianum XLI. vitæ Augusti LIX. imperij à morte Iulij XL. quo fuere Coss. Augustus XII. L. Cornelius Sulla. Sed verior sententia aliorum videtur, qui nonnihil à Iosepho discedunt, & in anno natali Domini cum Cassiodoro & ipso Baronio consentiunt; vt Iosephus Scaliger, Sethus Caluisius, alij. His igitur hoc anno moritur Herodes; quo anno ait Baronius, ex illa sua falsa & ficta hypothesi, ipsum à subditis iusiurandum exegisse. Historiam exacti iurisiurandi narrat Iosephus Originum lib. XVII. cap. III. tempus autem ab illo indicatur, paullo ante quam Antipater Romam veniret vltimùm: cum adhuc Syriæ præerat Sentius Saturninus, altero plus minus anno prius quam Herodes moreretur. Vides quàm longe à veris epilogismis aberret calculus Baronianus. Quod autem sequi Dionem in hac historia voluit videri; facinus est haut scio quam liberalis ingenij: nam ea de re in tota Dionis historia verbum nullum. Deest enim in nostris hodie codicibus expositio annorum fere decem, ab anno Vrbis DCCXLVIII. ad DCCLVII. Consulatus Lentuli & Pisonis, de quo hic Baronius, congruit anno Vrbis Varroniano DCCLIII. is est quintus inter illos, quorum descriptio Dionæa hodie desideratur. Quid igitur hic mentis erat Baronio? Sed hæc tolerabilia erant; modò ne serium & graue opus Annalium fabulis Pseudophilonis è cloaca Anni Viterbiensis conspurcaret. Istud omnino ferri non debet, non potest. Qui fabulas Annianas non respuit, palàm confictas ab homine imperito, vt tot iam viri docti, Galli, Angli, Hispani, Itali, Germani, & ex omnibus fere Europæ angulis (& sunt in his Iesuitæ nonnulli, vt Pererius & Serarius) demonstrarunt: is vilem sibi esse veritatem ostendit, & omnem sibi, scriptisque suis, fidei, iudicij, & solidæ eruditionis laudem detrahit. Fabulam ex illo petitam olenticeto, de diuisione regni Herodis in

in tyrannicum & iustum, stultissimum esse commentum, veris rationibus, καὶ ὡς ἐπὶ τῶν γραμμικῶν δείξεων, initio operis probauimus : & valde mira res est, reperiri hodieque viros eruditos bruto adeo palato, quibus dapes tam fœtidæ, nedum insipidæ, sapiant. Baronius verò etiam delitias facit ; & spurcitias Annianas ijs queritur non probari, *qui res Iudaicas minus callent.* Nos enimuero contra affirmamus, historiæ Romanæ, Græcæ, Iudaicæ imperitissimum esse illum oportere, qui nugatoris Annij nugas vanissimas moratur. Quare quod sequitur nullo pacto potest excusari. Ait Iosephum facere superstitem Herodi sororem suam Salomen, deinde Iosepho aperte ait contradicere Eusebium & Pseudophilonem Annianum. De Eusebio fallitur Baronius : non enim negat Eusebius Salomen fratre exstincto vixisse. Quare nulla in ea re discrepantia illum inter & Iosephum : sed in eo potius, quod dicit Eusebius de maritis Salomę ab Herode occisis : qua de re ante dictum est. Lege Eusebij Chronicon, siue Latinum Hieronymianum, siue Græcum Scaligeri, p. 62. non offendes aliud quàm id quod dixi. De Pseudophilone mirum non est contradicere illum Iosepho : mendacio enim & veritati non solet nec potest conuenire. Nugator verò Annius nunquam magis strenue mentitus est, quàm in illo Pseudophilonis loco, quem respicit Baronius. Ait, Herodem postquam audiuit Lege promissum Christum esse natum, Salomen sororem suam, & virum eius de tribu Iuda ; itemque proprium filium, quem ex vxore eiusdem tribus susceperat, interfecisse. Deum immortalem, quot quantasque nugas ! Sceleratissimam fœminarum Salomen, vel propter morum perditissimorum similitudinem, fratri semper charissimam vixisse, eandemque illi superstitem fuisse, tradit Iosephus ; qui non magis ignorare eius rei veritatem potuit, quàm ego Ianus nomen meum nescire. Iosepho assentitur scriptor sane antiquus, quem Hegesippum vulgo dicunt ; Zonaras quoque, & alij è posterioribus historicis. Stramentitius Philo vult à fratre occisam : quod præter illum impurum fabulatorem quis dixit vnquam ? Tam aperta mendacia confutare nullum est operæpretium. Quare omittamus ineptissimas φλυαρίας. Sane si Salome & omnes isti ex eadem caussa cum infantibus sunt perempti, vt vult iste planus Annianus ; ridicule errat Baronius, qui in annum hunc istam tragœdiam conijciat. Nam vt in anno septimo dicetur ex Eusebio, cædem infantium secuta statim θεήλατος mors Herodis. Postremò quod ait sibi ipsi Iosephum contradicere, qui Salomen Herodis sororem in narranda eius morte vxorem illius appellet, non sororem : quibus sit vsus codicibus Iosephi nescio. Nam & in Græco textu libro XVIII. cap. III. & in Ruffini editionibus

quas vidi, atque etiam in antiquis membranis recte ſcriptum, Σαλώμη τοῦ βασιλέως Ἡρώδου ἀδελφή, *Salome Herodis Regis ſoror.* Quare veriſſimum eſt quod initio dicebam, in hac obſeruatione Baroniana, οὐδὲν ὑγιές.

EXERCITATIO QVARTA.

De initio æræ Dionyſianæ annorum Domini.

Annvs III.

IN anno Chriſti tertio, qui habuit Coſſ. C. Iulium Cæſarem, L. Æmilium Paulum, omittit Baronius neceſſariam admonitionem de æra annorum Chriſti Dionyſiana, quę & vulgo in communi vſu eſt, & apud aſtronomos etiam obtinet. Hanc enim ſumere initium ab iſto anno, non autem ab illo in quo natalem Domini poſuit Baronius, apud peritos rerum Chronologicarum certum iam eſt. Rationes ipſorum, quibus hoc manifeſtiſſime demonſtratur, ex illorum libris petant ſtudioſi lectores: nam vt ipſi in talibus immoremur, inſtituti noſtri ratio non patitur.

EXERCITATIO QVINTA.

Errores Baronij in hiſtoria & rebus Herodis.

Annvs VII.

QVæcunque ad annum Chriſti ſeptimum Baronius adnotauit, ab indicato tempore alieniſſima ſunt, & in illis multipliciter peccatur. Falſiſſimum eſt, vixiſſe tum Herodem, qui ante annos minimum quinque vel ſex perierat. Falſiſſimum eſt, quicquam eorum quæ hic commemorantur accidiſſe hoc anno, aut omnino poſt Domini noſtri natiuitatem. Euſebius in Hiſtoria ſua longe alio fine iſta recitat, quàm putauit Baronius. Ille deſcripturus mortem Herodis verbis Ioſephi, prius ex eodem Ioſepho compendium inſigniorum caſuum, qui regnanti Herodi acciderunt, proponit; vt probet, Herodem foris exiſtimatum felicem, domeſticis calamitatibus & cladibus illam ſuam felicitatem obſcuraſſe. Hoc vult Euſebius iſtis verbis: ὡς μὲν ὅσω γε κατὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ νομισθείσας εὐπραγίας ταῖς κατὰ τὸν οἶκον ἠμαύρωσε συμφοραῖς, οὐδὲν οἷόν τε νῦν καταλέγειν.

Nihil

Nihil attinet, inquit, calamitates Herodis domesticas nunc enumerare, per quas regni sui res lætas, vt vulgo existimabatur, ipse caligine obtexit. Deinde velut in exemplum profert, primò cædem vxoris: nempe Mariammæ, quam Herodes proximo anno post victoriam Actiacam occidit, anno post delatum sibi regnum XI. post aditum VIII. Iuliano XVI. ante natalem Messiæ XXVII. Obsecro te Lector, quid hoc ad annum præsentem, septimum à nato Christo? Suboluit & Baronio huius absurditatis; cui malo vt medicinam faceret, ad oram libri verborum Eusebij emendationem proposuit, vt pro *vxorem* legatur *sororem*. At in Græco est γυναικός, non ἀδελφῆς: quæ voces adeo sunt diuersæ, vt parum sit probabile alteram pro altera esse positam; nisi rationes afferantur, quæ vrgeant. Esto vero, largiamur Baronio ita scribendum. Nempe, ita Herodes Salomen sororem suam bis interfecerit, auctore Baronio: prius, anno Christi secundo; iterum hoc anno. Quàm admirabilis hæc emendatio est? Imò quod magis mireris, anno sequente viuit adhuc Salome Baronio; & frater qui iam bis occiderat, testamentum condens, amplissimo legato illam prosequitur. Quis poetarum fabulam est commentus adeo portentosam? Addit Eusebius, καὶ τέκνων, ad cædes respiciens filiorum Aristobuli & Alexandri, quos anno sexto vel quinto ante natalem Domini pater immitis strangulauit. Deinde addit Eusebius cædes ab Herode patratas, hominum ipsi vel sanguine, vel affinitate vel amicitia coniunctorum. Hæc tanta scelera, inquit ille, admiserat prius dirus tyrannus, nec propterea tamen vltricem Dei manum erat expertus: at simulac furere in Christum & alios innocentes cepit, è vestigio ipsum iudicio diuino immissa pœna, & ex illa mors occuparunt. quod verbis Iosephi postea declarat. Sic autem Eusebius: ὡς δ' ἅμα τῇ κατὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ τῶν ἄλλων νηπίων ἐπιβουλῇ θεήλατος αὐτὸν καταλαβοῦσα μάστιξ εἰς θάνατον συνήλασεν, οὐ χεῖρον καὶ τὰς φωνὰς τοῦ συγγραφέως ἐπακοῦσαι κατὰ λέξιν. Omnia igitur quæ sunt ad hunc annum adnotata, corrigantur vna litura. Et sane mirum est, potuisse hunc locum ab auctore Annalium describi, vt non veniret illi simul in mentem erroris immanis, quem in hanc historiam primus ipse inuehebat. Nam Eusebij tota hæc narratio eò spectat, vt doceat Herodem confestim post infanticidium perijsse, Deo Opt. Max. pœnas sceleris tam horrendi sine vlla mora exigente, neque vllas inducias crudelissimo Principi indulgente. Atqui totos sex vel septem annos Baronius interponit inter infanticidium & mortem infanticidæ Herodis: quem errorem immanem damnat alta voce isto loco Eusebius, sicut iam ostendimus. Scriptura quoque non obscure reclamat: cum Matthæus narrato infanticidio II. 16. 17. 18.

continenter ſubijcit mortem Herodis verſu 19. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ Ἡρώδου, *quum obijſſet Herodes*: nempe paullo poſt quam res modò narratæ accidiſſent.

EXERCITATIO SEXTA.

I. *Tempora mortis Herodis & regni Archelai perperam Baronio aſsignata. Locus Ioſephi & Ruffini.*

Anni VIII. Num. I.

TAndem in anno Chriſti octauo, poſt infanticidium ſeptimo, Herodem è viuis tollit Baronius. Bene eſt, quod tandem aliquando tyrannum vita, ſe errore abſoluit, quem multos annos continuauit, δουλεύων τῇ ὑποθέσει; quam probauimus iam toties merum fuiſſe Baronij ſomnium, doctorum indignationem, poſteritatis riſum. Errorem de annis Herodis ſequitur neceſſario alius error de annis Archelai: qui proditur hic patri ſucceſſiſſe iſto anno: neque aliter poterat auctor: ſiquidem huic anno verè aſſignauit mortem Herodis. At vide manifeſtam ἀτοπίαν. Nam ſi verus eſt hic Baronianus calculus, Archelaus regnum inierit dumtaxat vt exiret. Annus enim quem ille facit primum eius regni, Dio libro LV. facit vltimum: narrans in Conſulatu Æmilij Lepidi & Arruntij Nepotis, quos & hi Annales recte habent iſtius anni Conſules; Archelaum Romam eſſe abreptum, vnde nunquam reuerſus eſt in patriam. Hoc tantum ἀτόπημα poterat Baronio ſcrupulum inijcere, & ſuam illi chronologiam reddere ſuſpectam; niſi opiniones ſuas nimium amaſſet, & ſuſceptam ſemel ſententiam veri ſecurus tueri pertinaciter conſtitutum habuiſſet. In verbis Ioſephi quæ prolixè hic deſcribuntur, non deeſſent digna animaduerſione noſtra; quando mentem Ioſephi non ſemper eſt aſſecutus interpres Gelenius, multo autem minus Ruffinus: ſed quia poſt alios peccat Baronius, eiuſmodi culpas condonabitur. Verum quod ait, *placuiſſe Auguſto ex vltimis Herodis tabulis, quas firmas rataſque eſſe voluit, Archelaum regem inſtitutum regnare*: non iam Interpretũ hoc peccatũ eſt, ſed proprium Baronij. Archelaũ enim, quem pater moriens Regẽ conſtituerat, Auguſtus regis honore priuauit, & dici atque eſſe Ethnarcham iuſſit. De vltimis Herodis tabulis Ioſephus lib. XVII. ca. X. Ἀρχελάῳ τὴν βασιλείαν χαρίζεται, *regnum dedit Archelao*. De Auguſti decreto p. 542. Ἀρχέλαον βασιλέα μὲν οὐκ ἀποφαίνεται· τοῦ δὲ ἡμίσεος τῆς χώρας ἧσπερ Ἡρώδης ὑπετέλει ἐθνάρχην καθίσταται.

Ille

Ille quidem Archelaum regem non declarat : sed eius ditionis quæ Herodi erat subiecta, in partem dimidiam ipsum constituit Ethnarcham. Subijcit, promissionem ab Augusto fuisse adiectam ; se Archelaum regni dignitate honoraturum, εἰ γὰρ τὴν εἰς αὐτὴν ἀρετὴν παρασφέροιτο ; *si virtutem exhiberet regno conuenientem.* Ruffinus hæc verba legisse aliter videtur ; sic enim ille ; *si laboribus & fauoribus circa semetipsum meritus appareret.* Liquet codicibus vsum, in quibus erat scriptum εἰς αὐτὸν : quam lectionem inepta verborum ambage ipse conatus est exprimere. Melius hodie, εἰς αὐτήν. Sed hæc obiter. Porrò quum hunc ipsum Iosephi locum paullo post describat etiam Baronius ; mirabar vnde ille ista hausisset de regno per Augustum delato Archelao : postea animaduerti, ex fine capitis vndecimi natam illi hanc opinionem. Male enim locum interpretans, cogitationem Augusti & spem Archelao factam, pro re accipit, & decreto : quæ non mediocris est hallucinatio.

II. *De reditu Domini ex Ægypto, & regno Archelai.*

Anni VIII. Num. XIII.

REditum Domini nostri in Iudæam ex Aegypto Baronius refert in hunc annum, quo mortuus Herodes : *vno enim*, ait, *eodemque anno & Herodem defunctum, & Archelaum in regno confirmatum.* Sane audiuimus Baronium id dicentem : sed non defuit qui refelleret, & probaret, cogitationem Augusti repentinam pro decreto perperam accipi ; spem pro re. Iudicet vero lector prudens, an sit probabile, omnia quæ in historia illa narrat Iosephus, intra vnius anni curriculum accidisse. Mihi quidem, dum singula quàm diligentissime expendo, secus videtur. Quare falsum erit hoc anno relatum fuisse Dominum in Iudæam. Quid verbis opus ? Ipse Baronius statim mutat sententiam, & in annum sequentem refert, nonum à natiuitate Christi. Cæterum propter immanem illius errorem de annis Herodis, omnia apud ipsum necesse est nutare, imò ruere.

EXERCITATIO SEPTIMA.

I. *Expenduntur rationes allatæ pro translatione cubiculi, olim Nazarethici, nunc Lauretani. Argumentum ab omnipotentia Dei interdum periculosum.*

Anni IX. Num. I.

INitio anni à natiuitate Domini nono, obseruat Baronius, Christum, postquam ex Aegypto in Iudæam est reuersus, Nazarethi habitasse : quod verum est, & sacris literis testatum. Deinde addit, fuisse in illo oppido duas domos, quarum in al-

tera Christus est conceptus in vtero beatissimæ Virginis; in altera fuit educatus: atque illam priorem domum constanter affirmat, integram adhuc perseuerare, & ministerio Angelorum translatam fuisse in Dalmatiam primum, inde in agrum Lauretanum Picenæ prouinciæ. Si meminisset Baronius Annales titulum libri sui polliceri, & legem Annalium seruare voluisset, poterat ista obseruatione hoc loco supersedere. Nihil enim pertinet ad annum Christi nonum historia rei, quæ post tot secula dicitur contigisse. Nemo autem dubitat translationem istam, si quidem vere facta est, miraculum esse admodum recens. Auorum quippe nostrorum temporibus primo cepit illius fieri mentio: primique, vt videtur, Blondus & Baptista Mantuanus celebrarunt, scriptores heri & nudiustertius nati. Quo igitur iste anachronismus annorum amplius mille quadringentorum? quod quum probe sciret Baronius, non temere, sed certo consilio translationis τῆς νομιζομένης tempus dissimulauit. Exigebat sane ab illo susceptæ prouinciæ ratio, vt miraculi tam incredibilis, tam recentis, tanti hoc tempore momenti, veritatem diligenter inquireret, & quod inuenisset, fide integra profiteretur. Exigebat charitas Christiana, vt tot populos quibus hęc nouitas est suspecta, si poterat ab errore liberaret. Nam si hic historiæ Ecclesiasticæ pater hæret in luto, nec potest se expedire: haut dubie caussa conclamata est. Nunc rationes Baronianas sincero animo & candido expendamus: parati tota voluntate dare manus, & herbam ei porrigere, qui argumentis non futilibus aliud nos docuerit. Primo Bedæ locum profert, vbi domus vtriusque Nazareticæ fit mentio. Rectè. Sed non obseruat ille, venerabilem Bedam, narratione sua fidem noui miraculi funditus euertere. Nam de domo vbi conceptus IESVS, ita scribit: *Altera Ecclesia est, vbi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit.* Clarè ex his verbis constat, iam ætate Bedæ, hoc est, ante annos octingentos & plures eo, ædem sacram in eo loco fuisse ædificatam, quem Christi conceptio fecerat insignem. Iam tum igitur domus illa, quæ tum fuit cum Christus concipiebatur, vel omnino esse desierat, vel certe domus esse desierat. Sane cum dicit Beda, *vbi domus erat:* non obscure videtur significare, iam ætate sua amplius illam non fuisse, nedum esse nunc queat. Nam si ante octingentos vel nongentos annos non erat illa domus, quomodo verum erit, quod ait Baronius, illam semper durasse integram? Si quis dicat, non desijsse quidem esse illam domum, sed in templum fuisse versam, quæram ego; si domus versa est in templum ante tot secula: quomodo & quando templum iterum versum est in domum? non enim templum transtulisse Angeli dicuntur, sed domum. Dicet fortasse aliquis,

tunc

tunc cum illo loco templum est inædificatum, priorem domum aliò esse translatam. Verùm hoc neque vllius scriptoris veteris testimonio potest probari: neque de re tanta coniecturis fallacibus temere locus dari debet. Tum autem merito quærat aliquis, vbi latuerit illa domus translatitia per tot secula. Nam vt initio translatæ nemo meminit; ita seruatæ nemo. Secundo loco profert Baronius consensum populorum: *hoc monumentum*, inquit, *totus Christianus Catholicus Orbis veneratur ac colit.* Melius dixisset ac verius; vniuersi nominis Christiani & Catholici, partem illam quæ Ro. Pontifici paret, fidem habere huic miraculo. quanquam ne id quidem verum. Nam etiam inter Romanos Catholicos, etiam in ipsa Italia, multi dubitant, multi aliter sentiunt; sed quod sentiunt publicè profiteri, metu impediti, non audent. Porrò qui Papam agnoscunt Christiani, quota pars sunt vniuersi nominis Christiani? aliter sentire ridiculus & plus quàm puerilis est error. Tertio loco subijcit Baronius argumentum ab omnipotentia Dei: & hanc quidem vere Christianus nemo negat, nemo ne in dubium quidem vocat. Sciunt eruditi, iam olim Epicharmo poetæ pagano verè dictum esse, ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεῷ, *Nihil Deo est impossibile.* Norunt quicunque oracula diuina non penitus ignorant, Angeli vocem, Lucæ 1. 31. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τοῦ Θεοῦ πᾶν ῥῆμα. Sed vellem cogitasset Baronius, quantam fabulis anilibus & opinionibus impijs ac pernitiosis fenestram aperiant, qui Dei omnipotentiam ab eiusdem separant voluntate. Quid enim non credemus, si hoc argumentationis genus admittimus? Affirmant Rabbini, postquam Moses rupem virga percussisset, puteum repente extitisse, qui Iudæos iter facientes per desertum sit secutus, ad mortem vsque Mariæ. Iidem de verme Schamir à Salomone adhibito ad lapides dissecandos in structura Templi, mira narrant. Iidem Leuiathanis & Beemoth magnitudinem narratione mirifica exaggerant, à qua non longe abit auctor libri quarti Esdræ VI. 49. 50. Commemorant etiam Rabbini immanitatis portentosæ bouem, qui altero cornu terram fulciat, deinde per interualla in alterum reijciat; vnde terræ motus. Sexcenta sunt huiusmodi in eorum libris; plura & magis mirabilia in Alkorano: si Dei potentiam spectamus, & δυνατὰ & facilia Deo immortali; sed quæ reijciunt tamen, respuunt, irrident omnes pij: quia nullum extat testimonium voluisse Deum illa mirabilia facere. Atqui recte Patres Græci dicere solent, oportere, vt fiat aliquid, συνδρομον εἶναι τῇ δυνάμει τὴν βούλησιν τοῦ Θεοῦ: *vt concurrant in idem potestas Dei & voluntas.* Quid multa? Scitum est piorum Patrum; Omnipotentiam Dei asylum esse hæreticorum, quò se recipiant, vbi rationibus fuerint victi. Gregorius Nazianzenus oratione

one LI. de Apollinaristis hæreticis : ἀπὸ τούτων ἐξειργασμένοι τῶν λογισμῶν, καταφεύγουσιν ἐπὶ τὸ δυνατὸν εἶναι Θεῷ. Sic olim & Arriani, quum scelestè contenderent, Dominum nostrum Filium Dei non esse natiuitate : sed facturam, ποίημα καὶ κτίσμα : erroris conuicti ab orthodoxis, eò tandem confugiebant, vt dicerent, *per omnipotentiam Dei hoc illi præstitisse facturam, quod datura erat generatio* ; quemadmodum legitur in quæstione XCVII. Quæstionum veteris & noui Test. apud Augustinum : quo loco sic error ille confutatur : *Non voluntas verum Filium facit, sed natiuitas. Sed potentiæ, inquiunt, Dei hoc subest, vt falsa faciat vera. Imò potentia Dei hæc est, vnde & omni laude dignus est ; quia apud illum verum verum est, & falsum falsum est. Nam istud mendacis est, vt falsum dicat verum ; quod Deo non competit. Nam omnia quidem potest Deus : sed non facit, nisi quod conueniat veritati eius ac iustitiæ.* Eleganter scriptor suo tempore doctissimus, Humbertus Syluæ candidæ Episcopus, in disputatione aduersus Græcos : *Hi,* ait, *non inuenientes quonam Sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicuius stabilitatis littus ; fluctuantes pertrahuntur in illud diuinæ omnipotentiæ pelagus.* Deinde ipse hoc argumenti genus quoties male vsurpatur, friuolum vocat : *nam* inquit, *si quolibet modo id esset factum, aliquis Euangelistarum tantum narraret miraculum.* Dicemus nos quoque similiter, fortasse non absurde ; si hoc miraculum esset verum, non videtur permissura fuisse diuina prouidentia, vt historiæ tam admirabilis nulla esset certa narratio, nullum fide dignum testimonium. Quod ait quarto loco Baronius, domum Lauretanam & mensura & omnibus rebus congruere cum vestigijs quæ adhuc Nazarethi visuntur, nouum mihi est. Legi tot scriptores qui loca illa à se inspecta descripserunt : nihil simile apud quemquam illorum legi. Et mirum est post tot mutationes, post templum illi loco superstructum, adhuc superesse domus portatilis οἰκόπεδον. Postremo reijcit nos Baronius ad Petrum Canisium, quasi ille sitim possit abunde restinguere. Frustra. Nam si fortiora argumenta suggessisset Canisius; proculdubio etiam illa in Annales essent relata. Qui periculum fecerit, inueniet ita esse. Vt nihil dicam de imperitia linguarum & veteris historiæ, quam locis innumeris Canisianum illud opus prodit.

II. *Quomodo possit intelligi, fuisse prædictum per Prophetas Iesum appellatum iri* Nazarenum. *Non videri scripta Prophetarum perijsse post institutam Ecclesiam.* Scriptum est, *duobus modis posse accipi. Metalepsis duplex aut triplex.*

DOminum nostrum propter educationem in oppido Nazaret fuisse Nazarenum appellatum, ex Euangelista Matthæo mox refertur.

fertur. Hoc quam firmum & certum eſt, tam incertum eſt, quomodo verba Euangeliſtæ, *quod dictum eſt per Prophetas*, debeant accipi. Sunt in promptu diuerſæ præſtantiſſimorum Theologorum, quà veterum, quà recentiorum ſententiæ. B. Chryſoſtomus in illum Matthæi locum indubitanter ſcribit, Prophetam, ſiue Prophetas, quos Euangeliſta laudat, iam non extare: multorum enim veterum Prophetarum ſcripta, vel propter Iudæorum incuriam, vel propter Barbarorum in Iudæam impreſſiones, perijſſe. Verùm ſi tempore illo quo Matthæus ſcribebat, deſiderabantur vates illi qui hîc laudantur; quæri poteſt, cur teſtimonio vteretur Euangeliſta auctorum amiſſorum? Sin tempore illo adhuc horum Prophetarum ſcripta ſupererant; difficile creditu eſt, libros ſacros Prophetarum primæ notæ ſeruari ab interitu non potuiſſe; quum Eccleſia Dei, cui diuina oracula præcipue ſemper curæ fuerunt, & vita ipſa chariora, (quod declarat imprimis hiſtoria rerum geſtarum aduerſus eos qui Traditores ſunt dicti:) omnes perſecutiones & calamitates eluctata, fuerit tandem ſeruata. Fortaſſe igitur melius fuerit, eruditam eiuſdem Patris obſeruationem huic loco Matthæi accommodare. Obſeruat Chryſoſtomus non vno loco, verba illa, ὡς γέγραπται, *vt ſcriptum eſt*, & ſimilia in Nouo Teſtamento, duobus modis accipi debere: quoniam eorum quæ ſic laudentur, alia verbis ijſdem, aut non diſſimilibus, ſcripta reperiantur; alia non verbis quidem ſcripta inueniantur, ſed rebus ipſis tantum expreſſa; aut ipſo euentu confirmata reperiri, quæ ſcripta nuſquam extent; licet de illis dicatur ὡς γέγραπται. Ad verſum nonum capitis II. prioris ad Corin. ita ille ſcribit: Καὶ ποῦ γέγραπται ταῦτα; λέγεται γεγράφθαι καὶ ὅταν μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων κείμενα ᾖ ἐπὶ τῶν ἱστοριῶν· ἢ ὅταν ὁ αὐτὸς μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ' αὐτῶν δὲ τῶν ῥημάτων. *At vbi hæc ſcripta ſunt? Dicitur* Scriptvm Esse Aliqvid, *etiam tunc, quando non verbis, ſed rebus ipſis expreſſum fuerit in hiſtorijs: aut quando mens quidem eſt expreſſa, licet verbis non ijſdem.* Et homilia XLI. ad eiuſdem epiſtolæ verſum 45. cap. XV. Καίτοι ὃ μὲν γέγραπται, ὃ δ' οὐ γέγραπται· πῶς οὖν εἶπεν ὅτι γέγραπται; ἀπὸ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως αὐτὸ μεταφέρουσιν, ὅπερ ἔθος αὐτῷ συνεχῶς ποιεῖν. Et plura ibi in hanc ſententiam. Hac obſeruatione ſi vti volumus in explicatione loci Matthæi, neque eo fuerit opus effugio, vt dicantur perijſſe Prophetæ hîc laudati: neque inani labore, quærendi hoc vaticinium in veteri Scriptura. Nam verbis quidem ſcriptum nuſquam legitur, Chriſtum vocatum iri Nazarenum: at inuenitur διὰ τῶν πραγμάτων κείμενον, vt loquitur Chryſoſtomus, id eſt rebus ipſis expreſſum. Vt ſi quis crumenam auro plenam amici collo appenderet, aut in ſinum illi conijceret, nec tamen verbis exprimeret, ſe hoc illi

illi donum dare, quum reuera tamen daret; vere dici posset donasse illi id munus, vtut formula dantibus solemni abstinuisset: sic, verè dici potest, prædictum atque scriptum fuisse, Messiam hoc vel illo nomine fore appellandum, si ita nominatus reperiatur in scriptis Prophetarum. Quod igitur Matthæus ait, prædictum fuisse, vt Christus appellaretur Nazarenus, ex Isaia x i. 1. & Zacharia v i. 12. commodissime videtur posse exponi. Auctor est Hieronymus non vno loco, oppido Nazaret fuisse id nomen inditum ab Hebræorum voce נצר quam alij surculum, alij florem interpretantur. In illo quem indicauimus Isaiæ loco Messias expresse vocatur *Netser*, id est, flos, vt vetus interpres vertit, & Græci, ἄνθος. Et consentit Hieronymus, scribens ad Marcellam: *Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis eius florem videbimus Galilææ.* In loco Zachariæ expressis verbis dicitur, nomen Messiæ fore Germen. צמח שמו Etsi autem nomina sunt diuersa surculus siue flos & germen: sunt tamen significatione affinia & vt Græci dicunt τῆς αὐτῆς ἐννοίας. cuiusmodi nomina sæpe permutari solita, vt alterum pro altero ponatur, nemo eruditus potest dubitare. Græci Critici appellant metalepsin duplicem, siue triplicem: vt cum γλήνη, quæ vox oculi pupillam significat, ponitur pro puella: quia pupilla oculi dicitur etiam κόρη. Igitur in illo poetæ, Ἔῤῥε κακὴ γλήνη, vox γλήνη locum obtinet vocis κόρη, per metalepsin quandam poeticam, vt appellant Grammatici. Eam figuram accurate explicat, & exemplis veterum scriptorum illustrat Eustathius Episcopus, ad versum Poetæ ex Iliad. α. Στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν. Quare nihil mirum est, in prophetia præsertim ænigmatica, promiscue has voces fuisse vsurpatas. Plura de hoc loco Matthæi, quem non multo aliter interpretatur, disserit vir acutissimus Franciscus Iunius, in Parallelis suis.

EXERCITATIO OCTAVA.

I. Virginitas apud plerasque gentes olim in pretio. Numerus innumerus eorum qui votum hodie virginitatis suscipiunt. Augusti seueritas in eos qui nuptijs abstinerent, nec caste viuerent.

Anni XI. Num. I.

IN anno Domini x i. qui Coss. habuit in aliqua sui parte M. Papium Mutilum, Q. Poppæum Sabinum, trahit Baronius ad virginitatis laudem historiam, quæ Dioni narratur libro l v i. in eo anno. Nam quum legem Papiam Poppæã sanciret Augustus, qua lege maritis præmia, cælibibus pœnæ

constituebantur: non solum exceptæ sunt à communi lege Virgines Vestales: sed etiam honos illis habitus, idem qui matribus: Rectè hoc quidem Baronius: neque sane dubitari potest, apud plerosque populos, qui recti & honesti cognitionem haberent, in pretio semper veram virginitatem fuisse. Dico plerosque: quoniam affirmari idem non potest de omnibus: quum certum sit ipsum Dei populum adeo παρθενίαν οὐκ ἀσκῆσαι, neque propositum seruandæ virginitatis notum habuisse; vt contra, si qua perpetuo maneret virgo, probro id illi verteretur, & genus quoddam maledictionis censeretur. Sic cum in Oresta Euripidis impura Helena Electram compellans, virginem diuturnam appellat, illo versu, Παρθένε μακρὸν δὴ μῆκος Ἠλέκτρα χρόνου· *Electra, virgo quæ manes iam perdiu*: contumeliæ caussa sic illam esse locutam veteres obseruant. Differentiam hac in re inter veterem populum & nouum sæpe adnotant Patres, & caussas illius explicant. Hoc igitur rectè Baronius, & laudo. Illud non possum laudare, quod videtur illud exemplo veterum Romanorum defendere, quod passim fieri hodie videmus; vt pars mundi non pænitenda votum virginitatis suscipiat, magis quàm præstet. Quid enim simile? imò quid tam dissimile fingi potest? Romæ Vestales erant numero sex: quæ si virginitatem vel sola suspicione violassent; (vt illa quæ dixit, *Felices nuptæ: moriar, nisi nubere dulce est:*) grauissimis supplicijs, sine vlla misericordia, afficiebantur: damnatæ enim defodiebantur viuæ. Hodie virginitatem & sanctimoniam profitentium tantus vbique numerus; vt ante annos plus minus sexaginta, nondum tot ordinibus inuentis, qui postea sunt excogitati, Paulus IIII. affirmasse dicatur, esse in sua potestate cœnobiorum quidem ad centum quadraginta quatuor millia: parœciarum vero ad ducenta octuaginta octo millia: cæterum læta virginitas quàm seueris legibus, plerisque in locis coerceatur, dicere nihil attinet; rem lippis notam & tonsoribus. Et hodie quidem scortatio, adulterium, & detestanda impudicitia, & similia vitia, tolerabiliora censentur, atque adeo à multis Iuris Canonici doctoribus pro leuioribus peccatis habentur, quàm si transeant ad nuptias non continentes: Augustus verò Princeps paganus, nulla meliore luce illustratus, necessitatem suis lege illa imponit, vel caste viuendi, vel nuptias sectandi. Ἐὰν δὲ καὶ αὐτοὶ, inquit, ἄγυνοι ἦτε, ὥσπερ αἱ ἱέρειαι αἱ ἀειπάρθενοι ἄνανδροί εἰσι· οὐκ οὖν καὶ κολάζεσθε αἰ ἀσελγαίνητέ τι, ὥσπερ καὶ ἐκεῖναι. *Si vos carere semper vxoribus volueritis, sicut sacerdotes Vestales carent viris: ergo & iisdem quibus illi pœnis & ipsi afficiemini, si flagitium aliquod admiseritis.* Quis Rom. Pontificum à multis seculis tam duram legem suis monachis aut monialibus posuit, atque hic paganus Princeps suis omnibus subditis ponit?

nit? Hoc igitur exemplum vt Baronius proponeret, ſatius, opinor, erat, quam virginitatem adeo alieno loco laudaret, nemini ſano vituperatam. Præſtentur non laudentur dumtaxat virginitas & cælibatus: omnes Bonum factum acclamabunt; & multi, quibus hoc conceſſum à Deo fuerit, ſanctum atque omni laudatione dignum propoſitum cupidè æmulabuntur.

II. Hallucinationes Baronij in locis Dionis & Ioſephi.

Anni XI. Num. II.

HOc anno à natiuitate Domini XI. Quintilium Varum è Syria fuiſſe reuocatum obſeruat Baronius, ex hiſtoria, vt ait, Dionis. Sed errat Baronius; nam falſam ſententiam Dioni attribuit. Verba ſunt Dionis libro LVI. ἐπεὶ δ' ὁ Οὐάρος ὁ Κυιντίλιος τὴν τὴν ἡγεμονίαν τῆς Γερμανίας λαβών, καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις ἐκ τῆς ἀρχῆς διῴκει. *Poſtquam Quintilius Varus præfectura Germaniæ ſuſcepta, res illorum pro imperio adminiſtrabat.* Nihil Dio de reuocato è Syria Varo illo tempore. Quare errat grauiter Baronius. Decepit illum Dionis interpres, qui verbis Dionis iſta adiecit quæ in Græco textu non leguntur, *poſt adminiſtratam Syriam.* Sumpſit autem ea verba interpres è Xiphilino, qui ſuperioribus Dionis inſerit hæc, μετὰ τὴν τῶν Σύρων ἀρχήν. Atqui ne Xiphilinus quidem id dicit, quod è verſione parum fideli collegit Baronius; hoc demum anno Varum è Syria fuiſſe reuocatum. Hoc neque Dio neque Xiphilinus dixerunt; & falſum eſſe in ſermone de Syriæ Præſidibus eſt oſtenſum. Additur in Annalibus; *hallucinatum Ioſephum, qui Varum perſeueraſſe in prouincia Syriæ, vſque ad ſucceſſorem Quirinum affirmat.* Etiam hic errat Baronius, & parum diligenter ſibi lectum Ioſephum oſtendit. Nuſquam enim Ioſephus affirmat quod ille ait. Quin ſi diligenter eius narrationem expendas, cum in XVII. Originum, tum in ſecundo Excidij; reperies nullam Vari factam eſſe ab eo mentionem poſt Archelai reditum ab Vrbe, quando factus eſt ab Auguſto Ethnarcha. Quod nullius Syriæ Præſidis meminit Ioſephus inter Varum & Quirinium; male ex eo colligas, affirmare ipſum quod vult Baronius eſſe ab eo affirmatum. Solet enim Ioſephus & Reges & Præſides Syriæ prætermittere, qui rebus Iudaicis parum ſe immiſcuerint.

EXERCITATIO

EXERCITATIO NONA.

I. *Baronij in Iosephum iniquitas. Mos numerandi annum currentem pro completo.*

ANNI XVI. Num. I.

ARchelai relegationem confert Baronius in annum Domini XVI. morte Augusti insignem, Coss. duobus Sextis. Hic igitur Iosephus historicus ab illo repetitur, grauissiméque accusatur, non solum perperam digestorum temporum; sed etiam leuitatis & inconstantiæ. Quum autem ratio temporum Archelai pendeat ab historia mortis Herodis; nos iam ante professi sumus, videri nobis Iosephum arctius contrahere vitæ Herodis spatium, quàm vt possit per omnia defendi eius narratio; nonnihil, vt videtur, historiæ Euangelicæ repugnans, quæ est lex & norma veritatis. Sed Iosephi hallucinationem non esse, vt Baronius ridicule existimauit, nouem annorum; verùm vnius dumtaxat aut ad summum alterius, ante ostendimus, & doctissimi quique atque exactissimi Chronologorum ita pronuntiarunt: quin pars illorum ne id quidem concedit, & varijs argumentis consensum Iosephi cum Euangelistis probare conatur. Quare Iosephus & Dio, qui etiam hic reprehenditur, aut nihil peccarunt, aut multo sane leuius, quàm hic scriptor existimauit: aut quàm errauit ipse in ijsdem temporibus digerendis. Inconstantiam vero cùm obijcit Iosepho, quia Archelaum alibi nono, alibi decimo regni sui anno dicat fuisse relegatum; inique facit, & parum se obseruasse ostendit, omnibus historicis, ac præsertim sacris, vsitatum loquendi modum, quando annus currens vel dies pro completo numeratur. Sic tempus quo ministrabant in Templo singulæ Sacerdotum familiæ, septem dierum fuisse non est dubium: nam Iosephus pag. 222. id spatium definit, ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον. à sabbato autem ad sabbatum dies sunt septem: idem tamen eo ipso loco, dierum octo facit illud interuallum. διέταξε μίαν πατριὰν διακονεῖσθαι τῷ Θεῷ ἐπὶ ἡμέρας ὀκτώ. Illustria exempla huius locutionis in Scripturis possunt multa obseruari: vt cum dicitur Dominus resurrexisse die tertio: quum reuera vnum in sepulchro νυχθήμερον egerit, & dies circumstantes aliqua parte attigerit. Sic spatium quod Matth. XVII. 1. & Marcus IX. 2. faciunt sex dierum, in Euangelio Lucæ, IX. 28. dicitur fuisse octo dierum: quod etiam Epiphanius obseruat sub libri secundi finem, & super ea diuersitate præclare differit. Et B. Augustinus obseruat, *Habere istum morem Scripturas, vt à parte totum*

ponant, maxime in temporibus; & affert hoc ipſum exemplum, De conſenſu Euang. lib. III. cap. XIII. Quid igitur, obſecro, peccauit Ioſephus, cum p. 544. relegatum fuiſſe ſcripſit, δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς, *anno regni ſui decimo*, nempe inchoato: at p. 727. ἔτει τῆς ἀρχῆς ἐνάτῳ, *anno regni nono*, videlicet exacto & completo? Quare Euſebius in Chronico Græco Scaligeri, p. 62. quaſi interpretem Ioſephi agens, ſcribit, Ἀρχέλαος μετὰ τὸ θ΄ τῆς ἀρχῆς ἔτη εἰς Βιένναν πόλιν Γαλλίας ὑπὸ Ῥωμαίων ἐξορίζεται. Quæ mox ſubijciuntur de Ioſephi erroribus in hiſtoria Iudæ Gaulanitæ, in ſuperioribus ventilata ſunt: nec video cauſſam cur hæc crambe toties fuerit reponenda.

II. *Baronij de linguæ Latinæ præſtantia diſputatio, & de vſu pallij apud Romanos ante Auguſtum. Eiuſdem hallucinatio in loco Suetonij. Tertullianus illuſtratur, locis aliquot à Baronio male acceptis.*

ANNI XVI. Num. VI.

POſtquam commemorauit Baronius Auguſti mortem, de veſtitu Romanorum & lingua Romana longam digreſſionem ſubijcit. Et diſputatio quidem de lingua Latina quò pertineat, in quem finem inſeratur, obſcurum non eſt. Nam quia vſus ſermonis Latini ex veteri conſuetudine remanſit in ſacris eorum, qui Romano Pontifici parent; voluit Baronius nobilitatem eius linguæ ſupra Græcam efferre. At quæ de toga & pallio hic diſſeruntur, quò ſpectent, fateor me neſcire. Hanc igitur illius obſeruationem breuiter expendamus. Initio error iocularis Baronij obſeruetur; qui rem per iocum factam ab Auguſto, ſic accipit, quaſi eſſet Principis edictum. Addit ille ſanè conditionem; *ſi tamen res ſerio facta eſt*: ſed quid opus iſta conditione, cum luce meridiana ſit clarius, ioco eſſe illa facta ab Auguſto, neque poſſe accipi vt ab eo ſit, niſi velit aliquis ſe etiam pueris propinare ſuauiter ridendum? Suetonius vltima Auguſti facta & dicta commemorans cap. XCVIII. *Sed & cæteros*, inquit, *continuos dies, inter cætera munuſcula, togas inſuper ac pallia diſtribuit: lege propoſita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu & ſermone vterentur.* Ioco eſſe hæc facta à Principe conſcio inſtantis ſibi finis, & æquo animo ad illum ſeſe parantis, cum præcedentia, tum ſequentia faciunt manifeſtiſſimum. Docet hoc ipſum & ſimilis obſeruatio Suetonij capite LXXV. ſuper conſuetudine Auguſti feſtos & ſolemnes dies celebrandi. Vt hæc non eſſent, ipſa tamen res quæ hic narratur, eiuſmodi eſt, vt illam quaſi ſerio factam accipere, hoc verò nihil aliud ſit, niſi aut inſanire, aut credere Auguſtum inſanijſſe. Nam cui perſuaderi poterit, Principem φρενήρη & mentis compotem, illam veſtium permutationem inter Græcos & Romanos,

edicto

edicto iussisse ? Non meminerat Baronius hunc esse Augustum, qui decorum in vestitu seruari à Romano populo semper voluit, sicut probauit eo facto, quod narratur Suetonio, capite XL. Latinus Latinius vir prudens & doctissimus, quo censore vsus est Baronius in hoc primo tomo, cum ista legeret, notæ culpam apposuit. Huius iudicium ne videretur ille contempsisse, illam parenthesin adiecit, *si tamen res serio facta est* : mentem tamen vt apparet non mutauit : alioquin tam absurdæ sententiæ vestigium nullum in suis Annalibus passus esset extare. Præbuerunt ipsi errandi occasionem illa apud Suetonium verba, *lege proposita*, quæ est profectò hallucinatio, vel mediocriter docto homine indigna. Addit verò : *Hæc cùm Suetonius de illo scribat, tamen antea irrepserat in Italiam vsus pallij, de quo sic Tertullianus : Pallium etsi Græcum magis, sed lingua iam penes Latium est : cum voce vestis intrauit.* Sed quid iste scriptoris Afri locus ad propositum ? Nam Tertullianus sub Seuero & duobus filijs vnâ imperantibus illa scribebat : hic vero sermo est de temporibus ante Augustum. Verba Tertulliani, *cum voce vestis intrauit*, si simpliciter vt sonant accipias, sensus erit, simul cepisse Latium, id est, populum Rom. & vocem *pallium*, notam habere, & genus vestis voce denotatum vsurpare. quod falsum est. Nam tempore Plauti, & ante ipsum, nota dictio fuit Romæ, vestis in vsu Romanis non fuit : vnde palliatarum & togatarum fabularum discrimen. quare ita accipiendum quod ait Tertullianus, vt dicat, cum voce iam olim nota, rei vsum tandem intrasse. Hoc vere ille de sua ætate dicere potuit : nam postquam in orbe Romano qui sunt, ciues Romani effecti sunt ex constitutione Imperatoris Antonini, vt scribitur lege XVII. Dig. De statu hom. paullatim omnes ciuitatis & peregrinitatis notæ exoleuerunt. Quare locus Tertulliani ad propositum Baronij non magis faciebat, quàm canis ad balneum. Sic mox vt probet multo ante Augustum pallij vsum Romanis fuisse licitum, duo affert exempla, quorum priore contrarium demonstratur ; posterius plane falsum. Prius exemplum est Scipionis, cùm esset in gymnasio. In quo demiror discipulum Nerij non animaduertisse errorem suum : perinde enim facit, vt si ita argumentaretur : Romanis licuit in communi vsu Græce loqui ; quoniam Cicero cùm erat in Sicilia & Gręcia Gręce cum Græcis loquebatur. Nam gymnasiorum institutum totum fuit Græcanicum ; neq; alibi quàm inter Græcos erant gymnastæ & gymnasia : putà, Neapoli, quæ Græca vrbs erat, in magna Græcia, Sicilia, vel Græcia ; aut alijs locis, vbi more Græcorum viuebatur. Vbi igitur Scipio vsus pallio traditur ? nempe in gymnasio, hoc est, inter Græcos : atque id non in Italia, sed in Sicilia. Qui tamen ne sic quidem

euitauit

euitauit, quin male eo nomine audiret, atque adeo in magnum periculum veniret, accuſante ipſum apud Ordinem ampliſſimum Fabio Maximo. Florus epitome Liuiana x x i x. *Quum falſus rumor de P. Scipione Proc. qui in Sicilia erat, in Vrbem perlatus eſſet, tanquam luxuriaretur; miſſis ob hoc Legatis à Senatu, qui explorarent an ita eſſet, purgatus eſt infamia Scipio.* Capita accuſationis referuntur à Liuio : *Ipſius etiam Imperatoris, non Romanus modò, ſed ne militaris quidem cultus iactabatur : cum pallio crepidiſque inambulare in gymnaſio, libellis etiam palæſtræque operam dare.* Exemplum Scipionis imitatus eſt Germanicus Tiberij temporibus, cum Ægyptum luſtrabat : & reprehenſus eſt eo nomine etiam illa ætate, non minus quàm fuerat Scipio. Tacitus narrat Annalium libro I I. in Conſulatu Silani & Norbani, vbi etiam Scipionis meminit. Iſta ſcilicet egregie probant, quod voluit auctor ire probatum ; licitum fuiſſe Romanis pallij vſum etiam ante Auguſtum. Alterum exemplum eſt de Catone Vticenſi ; quem ait Baronius, cum ius diceret vſum pallio. Non ſolus Baronius, ſed etiam alij viri doctiſſimi hoc ſibi perſuaſerunt, ex verbis Tertulliani male intellectis. Sic ille De pallio cap. I I I. *Idem Cato iuridiciuæ ſuæ in tempore, humeros exſertus, haud minus palliato habitu Græcis fauit.* At non hoc vult Tertullianus, Catonem cum ius diceret, pallio vſum : ſed iuniorem cum Cenſorio confundens, ait ipſum Græcis fauiſſe, hoc eſt, acceſſiſſe prope ad cultum Græcorum pallio vtentium, cum iudicaret, humerum exſertus, non minus quàm ſi pallium geſtaſſet. De prætura Catonis Vticenſis ſcribit Plutarchus in vita; ipſum integritate iudiciorum ſuorum non tantum dignitatis ei quem gerebat magiſtratui conciliaſſe : quantum detraxerit illius honori, atque adeo illum deturparit, cum ſæpe ad tribunal accederet ſine tunica & diſcalceatus. Στρατηγὸς, inquit, οὐδὲν ἔδοξε προσθεῖναι τῇ ἀρχῇ τοσοῦτον εἰς σεμνότητα καὶ μέγεθος ἄρχων καλῶς, ὅσον ἀφαιρεῖν καὶ καταισχύνειν, ἀνυπόδητος καὶ ἀχίτων πολλάκις ἐπὶ τὸ βῆμα προερχόμενος. Nihil Plutarchus de pallio ; ſed hoc tantum ; conſcendiſſe tribunal ſine tunica & ſine calceis. ex quo apparet magna Catonis incuria circa habitum. Eandem & Tertullianus ſignificare voluit, cum dixit illum ius dixiſſe humero exſerto. quod non ſolum de palliatis dicitur; verùm etiam de togatis, qui togæ laciniam humero detractam ſub brachium conijciebant : quod etiam aliter dixerunt, eſſe expapillato brachio. His duobus exemplis & tertium additur, de Tiberio, quem refert Suetonius, *abiecta toga ferme biennio permanſiſſe in pallio* : tunc nimirum, cum Rhodi exul, vel certe agens exulem, ad humilitatem omni ſtudio ſe componens, ſpem & cogitationem de reditu penitus poſuiſſe videri volebat. Quare etiam iſtud exemplum eſt ἀπροσδιόνυσον.

III. *An lingua aliqua potior in ſacris quàm alia. Latina cæteris male prælata. Comparatio trium linguarum; Hebraicæ, Græcæ, Latinæ. Cur Romani ſua lingua in prouincijs vſi. Legum Scholæ Latinæ in Syria. Quæ lingua in titulo Crucis præceſſerit. Inconſtantia Baronij ſuper ligno Crucis, quod Romæ viſitur. Euangelium linguis omnibus prædicatum. Cur Marcianus Imperator Latine locutus in Concilio. Literæ Paparum ad Concilia Latine legebantur, deinde in Græcum vertebantur. Latinus ſermo paſſim intellectus. Inſignis Baronij hallucinatio, ſuper ſacris Latinis Conſtantinopoli fieri ſolitis. Locus ex epiſtola Nicolai Papæ. Probatur nihil olim lectum in Eccleſia aut dictum, quod non intelligeretur, aut exponeretur. Iudicia Græcorum de lingua Romana. Vetus Ro. Eccleſia Græcam linguam ſuæ in nonnullis ritibus prætulit. Miſſæ Rom. lingua aliquando per occaſionem Conſtantinopoli.*

ANNI XVI. Num. VIII.

QVis ſit ſcopus Baronianæ diſputationis de linguæ Latinæ prærogatiua iam oſtendimus. Nam quia docere alio loco parabat, vſum eius linguæ in ſacris exercitijs eſſe retinendum; mature & iam inde à principio ſuorum Annalium præſtruere ſibi fidem voluit, quo lectore vteretur ad aſſentiendum proniore & faciliore. Nimirum hoc fundamento nititur iſta argumentatio: illum cultum eſſe Deo gratiſſimum, ad quem peragendum lingua fuerit adhibita omnium præſtantiſſima. Vnde enim niſi ab hac perſuaſione, tanta hæc contentio linguam Romanam alijs omnibus anteponendi? Sed quum perſonarum apud Deum Opt. Max. nulla ſit acceptio: οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ. Rom. II. 11. Epheſ. VI. 9. quomodo erit acceptio linguarum? aut ad ſtabiliendam hanc ſententiam, quid præter friuolam coniecturam, ex humana ratione depromptam, poteſt afferri? Paſſim Spiritus Sanctus in libro Pſalmorum omnes gentes, omnes populos & nationes hortatur, vt nomen Dei laudent & canticis celebrent: delectus linguæ, qua potiſſimum ſit Deus laudandus, nuſquam imperatur, nuſquam vel apertè, vel obſcurè ſaltem & ænigmaticè indicatur. Si lingua Romana erat, aut futura erat omnium Deo gratiſſima in ſacris ſynaxibus; cur regius pſaltes non eadem opera populos hortabatur, vt illam Deo vnicè gratam linguam diſcerent? Non igitur è diuinis oraculis auctoritatem habet iſta ſententia. Iam ſi linguarum inter ſe comparatio ſit inſtituenda, vt quæ ſit omnium præſtantiſſima dignoſcatur: peſſimam inueniendi veri rationem iniuit Baronius. Vt enim equi aut mancipij vera laus in eo eſt poſita, vt ad illa miniſteria ſint aptiſſimi, quibus fuerint deſtinati: ſic illa præ cæteris

magni

magni fieri lingua debet, quæ ad exprimenda sensa animi est conuenientissima. Is namque est vsus linguarum, cuius tantum gratiâ à sapientibus & discuntur & vsurpantur. Antiquitas præterea, caussa alia est, cur lingua aliqua præstare alij meritò credatur: præsertim si matrix altera fuerit alterius, altera tradux, & ab illa orta. Tertiam caussam statuere licet, dignitatem eorum qui lingua aliqua vtantur, vel fuerint vsi: & quartam, si qua lingua vsu patet latius quàm altera. Si prima ratio spectetur, lingua Græca sine controuersia omnes antecellit: si secunda, Hebraica omnium proculdubio longe nobilissima: Græca item nobilior Latina: si tertiam, nulla est linguarum omnium quæ ad dignitatem Hebraicæ accedat: quam Deus initio rerum formauit: quam diuina Maiestas sæpe vsurpauit: quæ oracula cœlestia continet: quæ nomen Dei illud admirabile, quod priora secula sacro silentio semper sunt venerata, sola nouit. Proxima dignitas Græcæ linguæ; qua scribi Deus voluit salutis nostræ doctrinam; qua etiam scientiæ omnes primitus sunt traditæ, & à præstantissimis ingenijs prope consummatæ. Quarta ratio Latinæ non parum decoris hodie conciliat; quatenus in Europa iam omnium ferme eruditorum communis ea facta est. Quare si tres istæ inter se comparentur, Hebraica, Græca, Romana: omnium sine controuersia vt antiquissima, sic nobilissima est Hebraica: Græca nobilior Romana: hæc quo se iactet aduersus duas priores nihil habet: habet quo aduersus reliquas omnes alias. Primò, quod in titulo Crucis Domini nostri Hebraicæ & Græcæ adiuncta, ministerio tam excellente à cæteris separata est, & quodammodo sanctificata. Accedit, quod olim lingua fuit dominantium: quò referri debent, quæcunque à Baronio sunt congesta è Suetonio, Dione, Cicerone, Valerio Maximo, vt probaret Romanos rerum dominos, vsum linguæ suæ vnâ cum dominatione propagasse, quoad eius fieri poterat: quod sane neque mirum est, neque probationis egebat. Duabus enim de caussis id ab illis factum. Prior fuit; quia plerique Romanorum magistratuum Græce nesciebant, aut certe periti sermonis Græci adeo non erant, vt commode atque expedite Græce possent loqui: nam qui poterant, cum tulit occasio, fecerunt. Sic apud Liuium libro XLV. Paulus Æmilius in Macedonia sedens pro tribunali, *Latine quæ Senatui, quæ sibi ex concilij sententia visa essent, pronuntiauit*: ac statim: *Cn. Octauius Prætor, (nam & ipse aderat) interpretata sermone Græco referebat.* Accedit & alia caussa: nam specimen aliquod dominationis in eo multi posuerunt, vt apud subiectas gentes, lingua populi dominantis vsurparetur. Quare etiam iudicia in conuentibus lingua Romana per prouincias, vt plurimum, celebrabant:

vnde

vnde illa farrago vocum forensium Romanarum, quæ sermoni Græco & Syriaco reperiuntur insertæ, vt vel ex Nouo Testamento apparet. Et in Aruch plurima vocabula Latina est inuenire; quæ, si obseruaueris, deprehendes ferme omnia vel forensia esse, vel militaria. Nam ex eadem caussa etiam, Leges doceri in Syria Beryti voluerunt lingua Romana: qua de re insignis locus est apud S. Gregorium Thaumaturgum, in laudatione Origenis. Ibi Gregorius caussam cur ferme Græce loqui dedidicisset, hanc reddit: οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν νόμοι· οἷς νῦν τὰ πάντων τῶν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν κατευθύνεται πράγματα, οὔτε συγκείμενοι, οὔτ' ἐκμανθανόμενοι ἀταλαιπώρως. ὄντες μὲν αὐτοὶ, σοφοί τε καὶ ἀκριβεῖς, καὶ ποικίλοι, καὶ θαυμαστοὶ, καὶ συνελόντα εἰπεῖν, Ἑλληνικώτατοι· ἐκφρασθέντες δὲ καὶ παραδοθέντες τῇ Ῥωμαίων φωνῇ· καταπληκτικῇ μὲν καὶ ἀλαζόνι, καὶ συσχηματιζομένῃ αὐτῶν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ βασιλικῇ, φορτικῇ δὲ ὅμως ἐμοί. Fecerunt hoc, inquit, *istæ admirabiles nostræ leges: ex quarum præscripto nunc omnium qui Romano subijciuntur imperio negotia administrantur: quæ sapienter scriptæ quum sint, accuratæ, variæ, admirandæ, atque vt vno verbo dicam, Græca eruditione refertissimæ: conceptæ sunt ac traditæ Romanorum lingua, terribili illa quidem, superba, & imperium quod obtinent præ se ferente; cæterum mihi molesta & Barbara.* Istæ rationes sunt, cur Romani vernaculum sibi sermonem, apud subditos imperio suo populos voluerint vsurpari: non autem quod ipsam per se linguam Romanam Græca putarent esse digniorem: cuius vanitatis, nunquam, opinor, ipsis in mentem venit. Baronius vero postquam testimonijs aliquot probauit Romanos Romanam linguam in prouincijs vsurpasse; ex eo conclusionem hanc elicit: *Vnde inferri potest, in titulo Crucis Domini, quem scripsit Pilatus Hebraicè, Græcè & Latinè, non eo ordine quo recensentur ab Euangelistis inscriptiones esse positas; nam diuersi cum inter se reperiantur, non ordinem ipsos secutos esse, sed tantum quod factum est insinuasse; sed Latinam inscriptionem primo loco positam esse.* Magna animo meo incessit admiratio, quis enthusiasmus transuersum egerit hunc Cæsarem, vt tam alieno loco de titulo Crucis Dominicæ disputaret. Nec minus miror, ausum hæc dicere, idque Romæ, qui non nesciret, frustum è ligno Tituli huius inter alias reliquias Romæ coli: quod lignum si falsum non est, collectio Baronij falsa est: sin recte Baronius colligit, falsum est illud lignum, falsæ reliquiæ, & qui venerationem illi hactenus exhibuerunt falsi sunt. Nam in eo ligno prima est Hebraica inscriptio, sequitur Græca, & tertio loco Romana. At per Deum immortalem, si etiam ligni illius, quod os & linguam, vt ita dicam, habet, ac pro se loquitur, fides vacillat, quid erit certitudinis in Crucis ligno, quod vel Romæ vel alibi adoratur? quid in cæteris reliquijs? Istud igitur pius Lector diligenter apud se reputet. Nam

Baronium de illo ligno certi nihil habuisse, & fortasse etiam magis in illam partem inclinasse, vt falsum atque adulterinum crederet, hic locus manifestissime arguit. Idem tamen in historia passionis cum vulgo loquitur, & sine vlla dubitatione illud frustum ligneum pro vero agnoscit: vbi penitus mutata sententia, etiam de ordine trium titulorum disputat subtilissime: qua de re suo loco. Hic vero Baronius suam sententiam (illam dico quam hic probat in anno Christi XVI. non quam tuetur in anno XXXIV.) magni testis auctoritate confirmat, Nicolai I. Romani Pontificis: cuius verba, si recte capit Baronius, & Papa, vt fit verisimile, mentitus non est; ilicet de ligno quod Romæ colitur actum est. Nam id subdititium esse, omnino ex hac Baronij sententia, & Nicolai Papæ verbis sequitur. Hoc igitur Romani viderint: nos interim porrò pergamus. Addit, *post hæc linguam Romanam fidei sacramentis in Romana Ecclesia magis magisque fuisse nobilitatam*: quod quidem verissimum est: atque hanc præcipuam esse linguæ Romanæ commendationem, pij omnes vltrò concedent: quod diuina oracula, illâ etiam sint expressa; & quod Dei laudes, & sacrosancta religionis Christianæ mysteria, Latino sermone sint celebrata. Hoc maius est, quàm populi dominantis linguam fuisse; etiam si terrarum Orbem (cuius pars Romanis olim non adeo magna paruit) vniuersum dominatio ipsorum tenuisset. Sed enim hæc laus linguæ Romanæ propria non fuit, non est: verùm communis omnium populorum linguis, ad quos doctrinæ cœlestis præconium peruenit, & Christi regnum. In secundo Actorum Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamij, Iudæi, Cappadoces, Ponti & Asiæ incolæ, Phryges, Pamphylij, Aegyptij, Afri, Cyrenenses, Romani, proselyti Iudæi, Cretenses & Arabes, Apostolos audiunt, proprijs cuiusque horum linguis enarrantes τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, & pietatis mysteria. Neque dubium est istos omnes, vel saltem plerosque omnes, postea cultum religionis Christianæ in patrijs suis instituisse, vt lingua vernacula quisque populus Deum coleret. Inter cæteros populos Romani nominantur, vt non planè vltimi, ita à primo loco remotissimi. Vbi igitur prærogatiua linguæ Romanæ in rebus sacris? equidem istud tam subtile nullus capio. Quare illud repeto, quod initio dixi: vt personarum, ita linguarum nulla apud Deum immortalem est acceptio. Quem ego dum hæc scribo, non dubito, vanitatem, futilitatem, stultitiam & ineptias nostras ex alto & sublimi gloriæ suæ fastigio ridere atque damnare; qui de linguarum prærogatiua, miseri homunciones, contendamus. Nos fortasse aliquanto excusatiores, qui non præimus, sed aliena persequimur vestigia. Nondum tamen finis: nam Baronius tria adhuc adfert argumenta, vt prærogatiuam

rogatiuam Romanæ linguæ ſtabiliat. Primum eſt; quod Marcianus Imperator in Synodo Chalcedonenſi verba faciens, primò Latinè, deinde Græcè eſt locutus. Magnam verò rem nobis narrat Baronius: Imperatorem Romanum Græcè & Latinè doctum, in cœtu Romanorum & Græcorum, Romanam prius orationem habuiſſe, quàm Græcam. Dederit hoc videlicet dignitati veteris Romæ, cui æquum erat nouellam Romam aſſurgere: dederit Maieſtati imperij; quod à Romanis inſtitutum, Romanorum ſemper eſt dictum: dederit & dignitati illorum qui Concilio intererant. Nam præter Epiſcopos fuit ibi tunc procerum imperij maximus numerus; quorum nomina & dignitates ibidem accurate recenſentur. Hos autem omnes aut pleroſque omnes, vel Romanos Italoſue fuiſſe, vel Romanam linguam doctos, nulla ſit religio affirmare. Nam è Græcis illi potiſſimum Latinè loqui diſcebant, qui ad aulicam vitam aſpirabant. Vnde illud Chryſoſtomi in ſermone ad fidelem patrem, tomo VI. pag. 190. ὁ δεῖνα τὴν Ἰταλῶν γλῶσσαν ἐκπαιδευθεὶς, ἐν τοῖς βασιλείοις ἐστὶ λαμπρὸς, καὶ πάντα ἄγει καὶ φέρει τὰ ἔνδον. *Ille linguam Italicam accuratè edoctus, in aula vehementer floret, atque in ea pro libitu ſuo cuncta adminiſtrat.* Vt dubitari non debeat, pleroſque procerum aulicorum Latinam linguam calluiſſe. Quare ne illud quidem mirum; Imperatorem vel in eorum gratiam Latinè fuiſſe tunc locutum. Diſcebant præterea linguam Latinam, qui ad vitam militarem præparabantur; quod ex elegantiſſima apparet hiſtoria, quam in eodem libro narrat Chryſoſtomus. Adde quod Epiſcoporum qui ex Italia venerant, pleroſque Græcè neſcijſſe, ſimillimum veri eſt: nam vt ait Gregorius Magnus, qui ſeculo proximo vixit, in tota Italia pauciſſimi erant, qui aliquid omnino Græcè ſcirent. Quid autem Baronius ad propoſitum ſuum è facto Imperatoris Marciani poſſit colligere, nondum, quæ mea eſt tarditas ingenij, intelligo. Alterum exemplum ſequitur, quod ad rem ſane plus aliquanto facit. Refert enim Baronius ex Actis Concilij Epheſini, morem olim in Concilijs ſeruari ſolitum; vt Romani Pontificis Legati literas Papæ Latine recitarent; & non niſi rogati à conſeſſu Patrum, eaſdem Græcè verſas legerent. Hoc Baronius putat eſſe magnum prærogatiuæ argumentum Latinæ linguæ. Sed moneo lectores Annalium, non eſſe cur huic argumento multum tribuant. Nam quid mirum eſt, ſi literæ à Papa Latinè ſcriptæ, ea lingua prius exhiberi ſolitæ fuerint, qua compoſitæ? ſi recta ratione rem putamus, non magis hoc videri mirum debet, quàm Romanum Epiſcopum Romana lingua literas ſcripſiſſe. Iam Traiani temporibus, vt auctor eſt Plutarchus, toto imperio Romano lingua Romana non ſolum intelligebatur, ſed etiam à pleriſque vſurpabatur.

Ff 2 Sic

Sic enim ille in Platonicis quæstionibus: Ῥωμαίων λόγῳ νῦν ὁμοῦ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται: *sermone Romanorum vniuersi fere mortales nunc vtuntur*: & Sophista Libanius, qui paullo ante Ephesinum illud Concilium viuebat, vereri se alicubi scribit, ne, quoniam rerum summa penes illos sit, quibus Latina lingua erat vernacula, breui deficiat vsus Græcæ. Locus eximius est, quem adscribam è libro De sua fortuna. Ἀλλὰ τά γε τῶν ἡμετέρων λόγων νῦν πλέον ἢ πρότερον ἥττηται τῶν ἑτέρων. ὥσθ' ἡμῖν καὶ φόβος ὑπὲρ αὐτῶν γενέσθαι, μὴ ἐκκοπῶσιν ὅλως, νόμου τοῦτο ποιοῦντος· γράμματα μὲν οὖν ὁ νόμος τοῦτ' οὐκ ἐπέταττεν· ἡ τιμὴ δὲ καὶ τὸ τὴν τῶν Ἰταλῶν ἐπισταμένων γενέσθαι τὸ δύνασθαι. Cur igitur literæ quas Papa Romanus Latinè scribebat, eius Legati prius in aliam transferrent linguam, quàm experientia didicissent, vtrum id foret necesse? Nam si plures, vel præcipui Episcoporum, Latina intelligerent, poterant in totum Pontificis Legati eo labore supersedere. Præterea sciendum, nullam legem extitisse, nullum canonem, qui iuberet ita fieri: sola consuetudine id receptum est: contra, vt Latina verterentur à Papæ Legatis in Græcum, non mos; sed ius & necessitas fuit: alioqui rem ridiculam & absurdam facere visi essent, si apud non intelligentes Latini sermonis, Latina tantum recitassent. Iccirco sic loquitur Philippus presbyter, Papę Legatus, in illo Concilio: Τὸ ἱκανὸν ἐγένετο τῇ συνηθείᾳ, ἵνα τὰ γράμματα τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας ἐν πρώτοις Ῥωμαϊστὶ ἀναγνωσθῇ. *Satisfactum est*, ait, *consuetudini, vt Sedis Apostolicæ literæ primò Latine legerentur*. De facta versione Gręca sic: Νῦν δὲ ὁμοίως, ἐπειδὴ ἡ ὑμετέρα ἀπαιτεῖ μακαριότης ὅπως καὶ Ἑλληνιστὶ ἀναγνωσθῇ, ἀναγκαῖόν ἐστι τῷ πόθῳ τῆς ὑμετέρας μακαριότητος γενέσθαι τὸ ἱκανόν. *Nunc similiter, quoniam beatitudo vestra exigit, vt Græcè eædem literæ recitentur; necesse est desiderio beatitudinis vestræ satisfieri*. Si quis putet in eo specimen aliquod fuisse dominationis, quam Papa Ro. in vniuersos Episcopos, atque adeo in Concilium ipsum œcumenicum sibi vindicaret; nos qui de Papis eius seculi melius sentimus, hoc tantum isto loco respondebimus; imperitorum hominum id esse commentum, qui temporum illorum historiam non habent notam: neq; satis attente obseruarunt differentias temporum & gradus, per quos ad hodierna postulata adulatores & parasiti Paparum peruenerunt. Quare de istis alibi serio, volente facienteque Deo. Tertium argumentum omnium validissimum est; nec sine arte à Baronio reseruatum vt agmen clauderet: quod ex rhetorum præcepto videtur fecisse. Ait igitur: *In sacris etiam Missarum solemnijs penes Græcos ea semper viguit consuetudo, vt tam lectiones Euangelicæ quàm Apostolicæ, primum Latinè, inde Græcè eadem in Ecclesia publicè recitarentur, vt idem qui supra Nicolaus Papa ad eundem Imperatorem scribens testatur*. Hæc ille: qui si cogitasset serio, quàm parum probabilem

lem historiam pro vera & certa lectoribus suis obtrudat; nunquam commisisset, vt narrationem Nicolai Papę, aliter referendo, multo etiam minus probabilem redderet. Falsum enim est id Papam dicere quod ait Baronius. Non dicit Papa eam consuetudinem vigere apud Gręcos: de Constantinopolitana enim Ecclesia tantum loquitur, vbi plerique Itali erant aut sermonis Latini periti: neq; vt Baronius, quicquam affirmat Nicolaus: sed *fertur*, inquit; eo verbo indicans, non quasi certam narrationem se id commemorare: sed vt auditionem de cuius fide nihil sibi constaret, nihil asseuerare vellet. Vbi igitur fides Baronij? sed multo etiam insignior fraus, (dicendum enim quod res est:) cum addit verbis Nicolai verbum *semper*: in quo vt vis est & pondus præcipuum, ita mendacium longe maximum. Verba Nicolai sunt: *Istius enim dictione linguæ, Constantinopolitana Ecclesia, lectionem Apostolicam & Euangelicam in stationibus fertur primitus recitare: sicq; demum Græco sermone propter Græcos vtique ipsas lectiones pronuntiare.* Non faciam hoc loco, quod hodiernis ingenijs liuoris plenis est solemne, vt verbis exaggerem viri docti peccatum: alius crimen vocaret, & quidem οὐ τὸ τυχὸν. Nam Papæ narratio nihil habet neque admirabile, neque à probabilitate alienum, si dextre accipiatur. Apparet enim eos qui hoc Nicolao dixerunt, de Ecclesijs illis nouæ Romæ locutos esse, ad quas conueniebant plerique omnes Latini, aut Latinæ linguæ periti; Gręci vero non adeo multi. Meritò igitur partis maioris habita est ratio: sed nec pauci illi Græci sunt contempti: in quorum gratiam institutum, vt quæ legebantur è sacris literis, mox Græcè iterum legerentur. Adhuc nimirum vigebat in Ecclesia Dei Pauli Apostoli præceptum: qui verba non intellecta proferri vetat in synaxibus: idque adeo clarè & expressè, vt monstri simile sit, reperiri qui de illius mente dubitent; vel potius, qui infestis aduersus veritatem animis ingenij vires exerceant ad illam obruendam. Vigebat adhuc in Ecclesia institutum vetus, habendi interpretes, quorum operâ fieret, ne parum intellectum populo maneret, quicquid esset recitatum lingua non omnibus nota. Epiphanio sub libri III. finem inter alia ministeria Ecclesię nominantur, ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν, ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν, ἢ ἐν ταῖς ὁμιλίαις: *interpretes vnius linguæ in alteram, qui & lectiones & sermones verterent.* O magnam vim veritatis! Quem locum Baronius firmissimum putabat ad defendendum hodiernum vsum Latinæ linguæ in sacris: ex eo ipso loco nos verissimè & certissimè demonstrauimus, in veteri Ecclesia non fuisse moris, vt lingua ignota quicquam sine interprete apud populum recitaretur. Hic expendant pij & veræ antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi, quo iure Nouatores audiant, qui antiquam disciplinam

cupiunt

cupiunt in integrum restitutam. Baronius, qui existimauit Græcos homines illum honorem Latinæ linguæ semper habuisse; ingenia videlicet Græcorum & φιλαυτίαν non norat. Nesciebat linguam Romanam semper à Græcis velut Barbaram esse contemptam. Id voluit Gregorius Thaumaturgus, cum in superiore loco illam vocat φορτικήν, odiosam & absurdam: etsi propter reuerentiam imperij minus dixit quàm sentiret. Ibidem eam vocat, arrogantem, terribilem, superbam. Neque hoc solius Gregorij fuit iudicium; sed & alij idem iudicarunt & pronuntiarunt. Olympiodorus in Meteora Aristotelis, p. 27. πότε μὲν Γραικοὶ νῦν δὲ Ἕλληνες· τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα, οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουσι, Γραικοὶ λέγοντες· ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει· Καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν κόμπον· ὅθεν ὑπερηνορέοντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Vbi vides non iudicium, sed leuitatem potius hominis Græculi. Verùm loquebatur Olympiodorus ex communi sensu Græcorum: quos ita pronuntiare adigebant φιλαυτία, liuor, & imperitia Romanæ facundiæ. Artemidorus qui nugas in serium argumentum vertit, linguam Latinam pro seruili & Barbara habebat, cum ista scribebat libro primo, capite LV. οἶδά τινα ὡς ἔδοξε Ῥωμαϊκὰ γράμματα μανθάνειν, καὶ εἰς δοῦλον κατεκρίθη· οὐδὲν γὰρ ἐν δούλῳ Ἑλληνικὸν διδάσκε). Tolerabilius est, quod vir sanctus Gregorius Naz. in laudatione Athanasij scribit, Italos laborare στενότητι γλώττης, καὶ πενίᾳ ὀνομάτων, *angustijs & difficultate linguæ, & verborum inopia.* Solus est è Græcis, quod quidem meminerim, Theodoretus, qui linguam Romanam & Romanos scriptores propter enthymematum densitatem, & breuitatem sententiarum, sic laudat, vt etiam Græcis anteponat. Locus est in libro quinto de curatione Græc. aff. Ῥωμαῖοι, inquit, οἱ ποιηταὶ ἔχον καὶ ξυγγραφέας, καὶ ῥήτορας. καὶ φασὶν αὐτοὺς ταύτην γε κἀκείνην ἠσκημένοι τὴν γλῶτταν, καὶ πυκνότερα τῶν Ἑλληνικῶν τούτων ἐνθυμήματα εἶναι, οἱ ξυντομωτέρας τὰς γνώμας. quanquam hæc est potius ingeniorum Romanorum, quàm linguæ laudatio. Hic subit mirari candorem Ecclesię Romanę veteris: quę in nonnullis suis ritibus Gręcam linguam quum vsurparet, ius pręrogatiuę, propter antiquitatem, credo, maiorem, illi seruauit illibatum & Latinam linguam Gręcę voluit cedere: Gulielmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum, libro sexto, capite LVI. de quarta feria dominicę quartę Quadragesimę; loquens de scrutinijs catechizandorum. *Post hæc dicenda sunt ea, quæ ab ingressu Ecclesiæ vsque ad Missam fiunt. Primò masculi ad Austrum statuuntur, fœminæ ad Aquilonem: inde quatuor lectiones super eos leguntur, & quatuor initia Euangeliorum: deinde duo, vnus masculus & vna fœmina, in sanctuarium ab acoluthis portantur: post symbolum Græcè super masculos, Latinè super fœminas dicitur.* Porrò non fuisse rem Constantinopoli consuetam,

tam, vt liturgia Romano ſermone celebraretur ; etiam eo argumento oſtendi poteſt : quod Ro. Pontificis Legatis id legimus aliquando fuiſſe conceſſum, poſt rem bene geſtam, ceu beneficij loco. Exemplum habes in Synodo ſexta Oecumenica ibi habita, imperante Conſtantino Pogonato. Humbertus Syluæ candidæ Epiſcopus, contra Nicetam : *Tanta gratia Legatos Catholicæ pacis comitata eſt, vt Iohannes Portuenſis Epiſcopus, qui erat vnus ex ipſis, Dominica octauis Paſchæ, Miſſas publicas in Eccleſia Sanctæ Sophiæ, coram Principe & Epiſcopo ipſius Vrbis, Latine celebraret.*

IV. *Locus Ioſephi emendatus, qui magnos viros decepit. Rationes chronologiæ Baronianæ inuicto argumento euertuntur.*

ANNI XVI. Num. IX.

PRincipio ſtatim imperij ſui Tiberium miſiſſe in Iudæam Valerium Gratum, ſcribit Baronius. Hic fuit Pontij Pilati deceſſor ; ſcribitque Ioſephus ipſum egiſſe in Iudæa procuratorem Cæſaris annos vndecim. Pontius Pilatus venit in Iudæam anno Tiberij non XII. vt arbitrantur Baronius & alij : ſed potius XIII. vt colligi poteſt ex ipſius diſceſſu, qui incidit in tempus mortis Tiberij. Quare Gratus non primo Tiberij, ſed anno potius ſecundo illius exeunte, fuit miſſus. de quo tamen nolim contendere. Porrò hunc Gratum viri ſummi quidam ſcribunt, quintum veniſſe in Palæſtinam Imperatorum Procuratorem. Ille verò fuit quartus, non quintus. Primus venit Coponius, miſſus cum Quirinio : ſecundus M. Ambiuius, qui apud Ioſephum Originum libro XVII. p. 545. corruptè dicitur Ἀμβιβοῦχος, pro Ἀμβιούιος vel Ἀμβίβιος : tertius Annius Rufus, cui ſucceſſit Valerius Gratus. Sed aliud agentes decepit verbum anceps apud Ioſephum, & male poſitus accentus. Ita enim editum : καὶ πέμπτος ὑπ' αὐτοῦ πρὶν Ἰουδαίοις ἔπαρχος, διάδοχος Ἀννίου Ῥούφου Οὐαλέριος Γράτος. Sed legendum omnino πεμπτός, quod neque Gelenius neque alij viri magni obſeruarunt, quum tamen ſucceſſio horum Procuratorum expreſſis verbis notetur Ioſepho. πεμπτὸς pro *miſſus* occurrit aliquoties apud Ioſephum, vt pag. 552. πεμπτὸς ἐλεγεν ἥκειν ὑπὸ τοῦ Ἀνούβιδος. Quartus igitur in Iudæam venit Procurator Tiberij Gratus, anno, vt videtur, imperij illius ſecundo, vel, vt placet alijs, primo. Hic verò tota corruit funditusque euertitur chronologia annorum Herodis à Baronio inſtituta : vt alio prorſus argumentorum genere ad deſtruendam eius ſententiam nihil ſit opus. Ille ſuis alogijs rem eò deducit, vt neceſſe habeat ſtatuere Archelai caſum in anno vltimo Auguſti ; qui eſt idem Archelai primus. Conſtat Procuratores in Iudæam mitti cepiſſe poſt redactam illam in prouinciæ

uinciæ formam extruso Archelao. Constat etiam Coponium primum esse missum, cui ordine successerint Ambiuius, & Annius Rufus, & post hos Gratus. Quæro igitur à Baronio, si vltimo Augusti, primo Tiberij, vt ipsi placet, Gratus iuit in Iudæam, & Archelaus eodem anno relegatus, quid fiet tribus illis Procuratoribus, Coponio, Ambiuio, Annio Rufo? quem locum illis, quod tempus assignabit? Diceret fortasse, non Procuratores Iudææ istos fuisse, verùm Præsides Syriæ; nam excidit illi hæc quoque à vero alienissima vox, ne verbulo quidem vno confutari digna. Tenetur igitur Baronius ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus; neque illi si iam viueret, alia pateret euasio, nisi per ingenuam errroris retractationem.

EXERCITATIO DECIMA.

I. Annæ S. P. deiecti annus.

ANNI XVII. Num. I.

IOsephus libro XVIII. cap. XI. postquam dixit venisse in Iudæam Valerium Gratum, continuo subijcit, ipsum sacerdotio priuasse Ananum, Ismaele Phabi in locum illius substituto. Baronius propterea existimat factum id esse, simulac venit Gratus in prouinciam: itaque in annum primum Tiberij, vel sequentis initium hanc historiam refert. Alij viri summi & in doctrina temporum exercitatissimi, quibus potius assentior, historiam deiecti Anani, siue Annæ & substituti Ismaelis, referunt ad annum Tiberij nonum, Christi Dionysianum XXIII. Vide inferius, XII. 4. Nemo qui Iosephum diligenter legerit, potest ignorare, ipsum, cui propositum non erat Annales scribere, solere interdum res narratione sua coniungere, quæ diuersis annis acciderunt.

II. *An Superhumerale & Rationale seruarentur à Præsidibus vnà cum stola. Quinque res desideratæ in domo secunda.* SOHAM *gemmæ nomen variè expositum in libris sacris.*

ANNI XVII. Num. II.

VIdetur Baronius existimasse, vnâ cum stola summi Pontificis seruatum fuisse à Romanis superhumerale & rationale: quas partes cultus Pontificalis Moses describit Exodi capite XXVIII. hoc illum sensisse, ex eius narratione fit manifestum. Nam quorsum mentio

tio istorum huc iniecta pertineat, nisi quod vnâ seruarentur cum stola? Sed noli credere: error enim est ἐξ ἀνιστορησίας. Quod ad rationale attinet, nunquam illud visum est, totis Templi secundi temporibus. Id enim vnum erat ex illis quinque rebus, quæ desideratæ sunt in domo secunda, quum essent in Templo Solomonis: nempe ignis, arca, rationale iudicij, siue Vrim & Thumim, oleum vnctionis, & Spiritus Sanctus. Alij ita recensent, arca, propitiatorium, Cherubim, ignis iugis, præsentia diuinitatis, id est, Vrim & Thumim, siue Spiritus Sanctus; cuius loco Templum secundum habuit, quam vocarunt בת קול *filiam vocis* exeuntem de monte Horeb. Superhumerale defuisse Templo secundo non memini legere. Iosephus vero Originum lib. III. p. 79. videtur affirmare, extitisse quidem tempore secundi Templi & superhumerale & rationale: sed vtrumque desijsse fulgere annis ducentis antequam ille scriberet suam historiam: hoc est, centum circiter annis priusquam Dominus nasceretur. quod constanti Rabbinorum traditioni de amissis Vrim & Thumim repugnat. Obseruatur mox, pretiosos lapides duos superhumeralis Iosepho sardonyches dici, Philoni smaragdos: sed vnde illa sit diuersitas prætermittitur. Est autem inde, quod vocem Hebraicam שהם *Soham* plerique interpretes onychem vel sardonychem sunt interpretati, Geneseos capite secundo, & Exodi capite XXVIII. atque ita Latina versio. at Græci inconstanter: Geneseos quidem II. 12. ὁ λίθος ὁ πράσινος, *gemma prasina*, siue porracei coloris. Exodi verò XXVIII. 7. λίθους σμαράγδους. est enim smaragdus gratissima viriditate insignis.

EXERCITATIO VNDECIMA.

Iosephus defenditur contra accusationem Baronij.

ANNI XXI. Num. II.

IN anno Domini XXI. Tiberij quinto, sine iusta caussa Iosephus reprehenditur; qui nusquam dixit, post passionem Christi Paulinæ historiam accidisse: licet mortis Domini prius meminerit. Nam quia propositum illi non erat, res Seruatoris nostri per annos digestas explicare; vitæ illius, passionis, & resurrectionis breuem mentionem coniecit in tempus quo certum erat illum vixisse: annorum rationem nullam habuit. Faciunt hoc sæpissimè principes historici, Thucydides, Polybius, Liuius, in ijs præsertim, quibus nolunt immorari. Sed & in partibus legitimæ historiæ idem

ius persæpe vsurpant, vt dicebamus in præfatione Chronologiæ Polybianæ. Neque tamen propterea quisquam illos reprehendit. Quare non sunt ferenda hic de Iosepho ista verba : *more suo plurimum à veritate temporum discrepat.* Taceo alia quæ poterant in eam rem dici.

EXERCITATIO DVODECIMA.

Baronij iniquitas in carpendo Iosepho iure vel iniuria.

ANNI XXVIII. Num. II.

NVllam occasionem prętermittit Baronius, siue iustam, siue iniustam, detrahendi Iosepho, historico nobilissimo, quicquid ingrati Iosephomastiges mugineantur. Igitur quum in historia seditionis, quæ propter imagines Cæsaris Vrbi sanctæ illatas contigit, primo procurationis Pilati anno, dissensum aliquem obseruasset inter Iosephum & Philonem; arripit hoc tanquam hermæum, & aduersus Iosephum perorat, *qui,* ait, *non tantum à nostris scriptoribus, sed à suis gentilibus mendacij arguitur.* Sed hæc viro graui & historicæ veritatis studioso, indigna est oratio. Nam si omnes Iosephi errores, hallucinationes, aut ablepsiæ (de ijs non loquor, in quibus discedit Iosephus à Biblijs : in quo excusari non potest :) in vnam summam contrahantur ; vix centesima pars ea fuerit culparum ab vno Eusebio admissarum, siue in Chronico, siue in alijs scriptis. Cur igitur tanta cura & tanta cum iniquitate Iosepho insultabimus? cuius libros nisi prouidentia Dei singularis ad nostra seruasset tempora, in quantis rerum Iudaicarum tenebris hodie versaremur? quot fabulas, quot mendacia iubar historiæ Iosephi discutit? At errat Iosephus interdum manifestò. Sanè : homo enim erat. Potuitne Baronius obliuisci, omnes homines errare, omnes venia opus habere? Quis autem magis ipso? cuius Annales tot futiles fabulas, tot crassas hallucinationes, tot fœda mendacia, tot omnis generis errores continent, vt qui voluerit ipsum exagitare, singulis fere paginis facinus aliquod animaduertendum sit reperturus. Quare autem Philoni potius quàm Iosepho in hac historia assentiri nos oporteat, nullam affert caussam, nullam afferre potuit : etsi vult videre eas multas esse & in propatulo positas. Mihi verò non magis persuadet Philo clipeos illos fuisse puros, sine pictura, quàm alia nonnulla, quæ oratorie ab illo ibi scribuntur, vt caussæ suæ seruiret. Sed de his clipeis legant studiosi quæ sunt eruditissimè obseruata Iosepho Scaligero in Notis Eusebianis, numero MMXLIV. & iterum MMCCLXXXVI.

EXERCI-

EXERCITATIO XIII.

I. *An consensus quatuor Euangelistarum in visione Ezechielis significetur. Chrysostomi super eo locus elegans affertur & illustratur. Dissensus in circumstantijs non semper facit praeiudicium veritati: neq; dissensio in ritibus praeiudicat verae doctrinae.*

ANNI XXXI. Num. II.

INitio anni XXI. Domini nostri, Baronius priusquam ad rem accedat, de prestantia quatuor Euangelistarum nonnulla differit, & de summo ipsorum in historia Euangelica consensu. Ait, iam olim Prophetae Ezechieli eorum admirabilem excellentiam fuisse praeostensam, *sub quatuor animalium symbolicis speciebus in diuina illa caelitus ostensa visione gloriae Domini.* Amat Baronius figuras Veteris Testamenti rebus atque historiae Noui accommodare. Quod institutum, quum sit per se apprime laudabile; quia certum est, pleraque signa oblata populo Iudaico fuisse typos, qui ad Christum illos deducerent; eademque nostra gratia in literas fuisse relata, vt docet Apostolus, 1. Corinth. XII. existimo tamen, magna in hac parte opus esse circumspectione: neque eiusmodi applicationem cuilibet generi scriptionis conuenire. Quod si iudicij non fallor, minime omnium historicus eam licentiam debet vsurpare, vt in explicationem simplicem rerum gestarum (id enim pollicetur historia) allegorias aut aenigmata inuehat è veteri Lege petita. Porrò in toto Instrumento veteri nihil haberi obscurius exordio Ezechielis vel fine, obseruat Nicolaus de Lyra verè, ex antiqua Hebraeorum, quam commemorat in fine Praefationis in eum Prophetam, traditione. Quod igitur hoc loco affirmatur, quatuor animalia in prima visione denotasse quatuor Euangelistas; vt in concionatore, laude sua fortasse non careret: ita Annalium conditorem an satis deceat non satis scio. Rem enim affirmat, de qua inter doctissimos illius Prophetae interpretes nondum conuenit. Ponit quidem B. Hieronymus hanc interpretationem inter caeteras suis in Ezechielem Commentarijs, & praefatione in Matthaeum pluribus idem visionem illam in hanc sententiam explicat: curiosus etiam alibi similium obseruationum sectator, quod nemo ignorat. Sed grauissimae rationes sunt, quae suadeant Angelos potius intelligi, & quemadmodum Glossa loquitur, *praesidentiam ipsorum in vniuersum mundum.* Ideo enim quatuor sunt animalia, propter quatuor mundi plagas. Sane quum cap. X. 15. dicat

dicat Ezechiel, Cherubinos de quibus ibi loquitur, eſſe vnum ex illis quatuor animalibus, quæ viderat ad flumen Chebaris; quomodo illa viſio ad quatuor Euangeliſtas poſſit referri, difficile eſt videre. Omitto alias interpretationes, quæ longius etiam recedunt ab hac mente; vt illa quam fuſe perſequitur B. Macarius homilia prima. Conſenſum autem admirabilem quatuor Euangeliſtarum, eximie ex antiquis omnibus declarat vnus B. Chryſoſtomus, homilia in Matthæum altera; cuius aurea verba vtilius hic legent ſtudioſi, quàm ænigma illud, quod in eam rem affert Baronius. Τί οὖν, ait, οὐκ ἤρκει εἷς Εὐαγγελιστὴς πάντα εἰπεῖν; ἤρκει μέν· ἀλλὰ κἂν τέσσαρες οἱ γράφοντες ὦσι, μήτε κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιρούς, μήτε ἐν τοῖς αὐτοῖς τόποις, μήτε συνελθόντες καὶ διαλεχθέντες ἀλλήλοις· εἶτα ὥσπερ ἀφ' ἑνὸς στόματος πάντα φθέγγωνται, μεγίστη τῆς ἀληθείας ἀπόδειξις τοῦτο γίνεται. (Καὶ μὴν τ' ἐναντίον συνέβη φησί· πολλαχοῦ γὰρ διαφωνοῦντες ἐλέγχονται). Αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο μέγιστον δεῖγμα τῆς ἀληθείας ἐστίν. Εἰ γὰρ πάντα συνεφώνησαν μετὰ ἀκριβείας, καὶ μέχρι καιροῦ, καὶ μέχρι τόπου, καὶ μέχρι ῥημάτων αὐτῶν, οὐδεὶς ἂν ἐπίστευσε τῶν ἐχθρῶν, ὅτι μὴ συνελθόντες ἀπὸ συνθήκης τινὸς ἀνθρωπίνης ἔγραψαν· νῦν δὲ καὶ ἡ δοκοῦσα ἐν μικροῖς εἶναι διαφωνία, πάσης ἀπαλλάττει αὐτοὺς ὑποψίας· καὶ λαμπρῶς ὑπὲρ τοῦ τρόπου τῶν γραψάντων ἀπολογεῖται. Senſus horum verborum eſt: potuiſſe ſufficere vnum Euangeliſtam ſcribendæ hiſtorię Euangelicę: ſed placuiſſe diuinæ prouidentiæ, vt quatuor numero ſcriptores in eodem argumento verſarentur; qui neque iiſdem ſcripſerunt temporibus, neque iiſdem locis, neque vnâ congregati ſunt in eum finem, ac ne collocuti quidem ſunt inter ſe. Qui omnia quum loquantur velut ab vno ore, veritatis id maximum eſt argumentum. Obiicitur, contrarium huius eueniſſe; quoniam arguantur Euangeliſtæ inuicem diſſentire. Quin potius, ait Chryſoſtomus, veritatis maximum iſtud eſt indicium. Nam ſi per omnia conſentirent, exacta diligentia, etiam in tempore, etiam in loco, etiam in verbis ipſis, nemo hoſtium Chriſti fuiſſet, quin crederet conueniſſe vnâ Euangeliſtas, & humana quadam conſpiratione ſcripſiſſe quæ ſcripſerunt. Nunc etiam illa quæ videtur eſſe inter illos diſſenſio in paruis, ab omni ipſos liberat ſuſpicione; & moribus eorum luculentam præſtat defenſionem. Hæc vir ſanctus verè & acutè. Diſtinguendum enim eſt diligentiſſime, inter conſenſum in re & conſenſum in circumſtantiis. In re conſentiunt ſemper Euangeliſtæ: in circumſtantiis non ſemper. Id verò ſummam rei adeo non lædit, vt fidem etiam maiorem vniuerſæ narrationi conciliet, vt ait Chryſoſtomus; & poteſt confirmari ratione haut leui, quam ſuggerit obſeruatio Ariſtotelis Metaphyſ. primo minore: nimis exactam diligentiam neque probari omnibus, neque ſuſpicione carere, διὰ τὴν μικρολογίαν, propter minutias, quas nihil morantur liberalia

beralia ingenia. ἔχει γάρ τι, inquit Philosophus, τὸ ἀκριβὲς τοιοῦτον· ὥστε καθάπερ ἐπὶ τῶν συμβολαίων καὶ ἐπὶ τῶν λόγων ἀνελεύθερον εἶναι τισὶ δοκεῖν. id est, *Habet tale quid cura nimis exacta: quam vt in contractibus, sic in sermonibus aut disputationibus, quidam arbitrantur rem esse illiberalem.* Eodem pertinet quod iudiciosissimus scriptor Strabo libro primo scribit; historiam à multis traditam, qui in circumstantijs, putà locorum, non eadem dixerint, reijci non debere: sed contra, plenioris fidei argumentum ex illo ipso dissensu peti interdum posse. ἀλλ' ὅτι, inquit, εἰ μὴ συμφωνοῦσι περὶ τὴν ἱστορίαν τῶν τόπων παραδιδόντες, εὐθὺς ἐκβάλλειν δεῖ τὴν σύμπασαν ἱστορίαν· ἀλλ' ἐᾶν ὅτι καὶ πιστοῦται τὸ καθόλου μᾶλλον ἐστί. Idem eruditissimus scriptor alio loco, magnorum auctorum lucubrationes comparat colossicis operibus; in quorum partibus, inquit, singulis non spectatur exacta subtilitas; sed vniuerso operi attenditur, & an id recte habeat examinatur: similiter de magnis scriptoribus esse iudicandum. καθάπερ γε, ait, ἐν τοῖς κολοσσικοῖς ἔργοις οὐ τὸ καθ' ἕκαστον ἀκριβὲς ζητοῦμεν, ἀλλὰ τοῖς καθόλου προσέχομεν μᾶλλον, εἰ ἔχει καλῶς τὸ ὅλον· οὕτως κἀν τούτοις ποιεῖσθαι δεῖ τὴν κρίσιν. Hæc propterea isto loco adnotare volui; non quia sacrosanctam Euangelistarum historiam, in partibus non minus quàm in summa admirandam & αὐτόπιστον, cuiusquam mortalium, nedum meo, patrocinio opus habere existimem: sed quia pulcherrimam Chrysostomi obseruationem non parum confirmant. Simul vt sui erroris multos admoneam; quos videre est hodie, historiæ Ecclesiasticæ in plerisque fidem omnem abrogare; eo dumtaxat argumento, quia reperiuntur scriptores diuersi de rebus ijsdem non semper eadem vsquequaque scripsisse. Ne illud quidem prætermittam; huic Chrysostomi argumentationi roboris & prudentiæ plenæ, similem esse rationem Irenæi, quam opponit Victori Episcopo Romano, acrius quàm par esset, connitenti, vt eadem vbique locorum Paschatis obseruatio reciperetur. Irenæus contra, libertatem in talibus Ecclesiarum Dei tuetur exemplo ieiuniorum statorum: quæ diuersimode quum obseruarentur in diuersis locis; illam diuersitatem adeo nihil nocere ait summæ fidei Christianæ; vt contra non mediocriter eo pacto consensus in præcipuis fidei capitibus confirmetur. Diuini senis verba sunt notanda; ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. Eusebius lib. v. Histor. cap. XXVI.

II. Antiquitas

II. *Antiquitas & vtilitas Harmoniarum è quatuor Euangelistis. Locus è præfatione Victoris Capuani animaduersus.*

ANNI XXXI. Num. III.

VEtustissima res est in Ecclesia, genus illud scriptionis & piæ meditationis, quæ multorum occupauit industriam, in redigendis quatuor Euangelistarum libris ad formam vnius, qui omnia contineat suis locis digesta. Duæ eius propositi vtilitates sunt præcipuæ: nam & consensus Euangelistarum hoc pacto melius intelligitur, & memoriæ consulitur mirificè. Atque istud posterius parui esse momenti nemo audebit dicere, qui meminerit Spiritum Sanctum in plusculis psalmis, præsertim autem in omnium longissimo, & ad vitam pie instituendam omnium maxime necessario, infirmitati nostræ hac in parte non esse dedignatum succurrere; sed illa sacra carmina vario artificio, secundum ordinem literarum Hebraicarum in eum præcipue finem digessisse. Primi omnium memorantur in hoc studio posuisse operam Theophilus sextus Antiochiæ Episcopus, & Tatianus Iustini æqualis ac γνώριμος: de quibus consule Baronium in annis Domini CLXX. & CLXXIV. Tatiani labor, qui hodieque extat, propter auctoris hæretici singularem perfidiam, meritò à pijs est reiectus. Theophili quoque diligentiam obscurauit Ammonius Alexandrinus, auctor numeralis harmoniæ è quatuor Euangelijs concinnatæ, & in canones X. digestæ: de quibus ex Eusebio multa B. Hieronymus. Primus hic, opinor, suam eius argumenti lucubrationem, cuius erat præcipuus scopus, Euangeliorum tanquam phthongorum concentum ostendere, è re vocauit Ἁρμονίαν: Tatianum imitatus, qui opus à se contextum appellauerat τὸ διὰ τεσσάρων, vt auctor est Eusebius extremo libro IV. Historiæ. In præfatione Victoris Capuani, quæ habetur Bibliothecæ Patrum nuper editæ Parisijs tomo septimo, pag. 25. ita legitur: *Tatianus vnum ex quatuor compaginauit Euangelium, cui titulum Dia pente imposuit.* Videtur scribendum *Dia panton.* quod consentit cum Eusebio. Alioquin scimus & *Dia pente* concentus nomen esse apud Musicos, vt *Dia tessaron* & *Dia pason*: quas appellationes & Latini retinuerunt, vt Vitruuius.

III. Exempla

III. *Exempla simplicis narrationis & item exactæ admiranda extare in Scripturis. Lucæ diligentia in designando tempore, quo ministerium suum Dominus inchoauit. Cur Lysaniæ Tetrarchæ meminerit. Lysaniæ Tetrarchæ plures. Tetrarchia Lysaniæ. Tetrarchia Abilena: & varij casus eorum qui illam obtinuerunt.* οἶκος *pro dominatione aut regno.*

Anni XXXI. Num. IV.

DEinceps habetur Baronij disputatio super versu primo capitis III. Lucæ: quo in versu quum facta sit ab Euangelista mentio Lysaniæ Tetrarchæ, meritò quæsitum est ab eruditis interpretibus, quis hic Lysanias fuerit: nonnulli etiam huic quæstioni alteram adiunxerunt, cur huius mentionem Euangelista fecerit. Vt de posteriore prius dicam; non mirabitur Lysaniam inter cæteros Syriæ Tetrarchas esse nominatum, qui Lucæ, vel potius Spiritus Sancti admirandam sapientiam, diligenter vti par est, obseruauerit. Nam quum totâ passim Scripturâ in rerum gestarum narrationibus stupenda quædam scribentium eluceat simplicitas, & ille veritatis color, vt appellatur à rhetoribus, vbiq; emineat; quem orationi conciliant cultus elegantioris neglectus, et vt melius Græci dicunt, ἡ ἀφέλεια καὶ τὸ ἀπέριττον; aliquando tamen omnem diligentiam atque omnem artem scriptores sacri longe superant. Nati Christi historia apud Matthæum, Marcum & Lucam, simplicem rei gestæ narrationem continet, circunstantijs fere omnibus, quas tanta diligentia oratores persequuntur, vt fidem dictis adstruant, nudatam. De beatissima Virgine paucissima dicuntur: de Iosepho adhuc pauciora: loci etiam & temporis circunstantiam in primo capite omittit Matthęus: deinde initio secundi stupenda quadam breuitate & ἀφελείᾳ, *Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iudææ in diebus Herodis.* De præsepi in quo natus Seruator mundi, ne verbum quidem: postea Lucas eam ingentis momenti circunstantiam adiecit. Sed quàm multa putamus esse omissa in eo genere, ad quæ depingenda aliquis seculi rhetor totum artis suæ myrothecium exhausisset? Neque tamen sine horrenda impietate dixerit aliquis, negligentia vel incuria Euangelistarum id esse factum. Quin potius infinitam in eo Dei sapientiam adoremus; qui hac simplicitate pios voluit erudire, quibus potissimum in rebus immorari ipsos oporteret: ijs nimirum, quæ ad summam pietatis spectant, quæque animos nostros rebus terrenis abstractos ad cœlestium meditationem valeant traducere. At contra, ἀκριβείας & diligentiæ exactæ etiam in necessarijs circunstantijs notandis, exempla non pauca eadem Scriptura suggerit: cuiusmodi est istud Lucæ prorsus singulare. Is enim rerum descriptionem

onem aggreſſurus, quas Dominus noſter toto miniſterij ſui tempore geſſit; temporis περίστασιν, quæ erat omnium maximi momenti, accuratè ſic deſignauit, vt parem diligentiam non temere alibi ſit deprehendere. Scias eſſe rem maximam, cognitione omnium mortalium digniſſimam, cuius inchoandæ tempus Deus immortalis tot notis voluit inſigniri; poteſtatis primo ciuilis, atque eius multiplicis; deinde ſacerdotalis; poſtremò ætatis Domini noſtri IESV CHRISTI. Primò Imperatoris nomen ponitur, cuius erat tum per Orbem terrarum diffuſa & cognita poteſtas; nec ſolum nomen, ſed annus imperij illius, *Anno decimo quinto imperij Tiberij Cæſaris.* Addit ſtatim nomen Procuratoris Cæſaris: Procuratorum autem adminiſtratio certo ſpatio temporis definita non erat, ſed à Cæſarum voluntate pendebat. Ait, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, *procurante Pontio Pilato Iudæam.* Fuit is annus tertius currens procurationis Pilati. Parum hoc Lucæ viſum, niſi etiam poteſtatum aliarum nomina adijceret, quæ tunc in Iudæa & finitimis regionibus eminebant. Notum eſt, ampliſſimum Herodis regnum mutata forma diuiſum fuiſſe ab Auguſto in Ethnarchias tres; quarum maximam & cæteris duabus parem Archelaus, & eo pulſo Cæſaris Procurator obtinebat: reliquas duas Archelai fratres Herodes Antipas & Philippus. Vides cauſſam cur Imperatori ſtatim ſubiecerit Lucas Procuratorem Iudææ; huic Tetrarchas. τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, *Tetrarcha Galilææ Herode.* Similiter Ioſephus in diuiſione regni Herodis, τούτῳ (Herodi Antipæ: nam iſte appellatus eſt Herodes Antipas, vt auctor Ioſephus Belli II. cap. XIII.) ἥτε Περαία καὶ ὁ Γαλιλαῖον ὑπετέλουν: poſtea de Philippo Lucas, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας: *Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræa & Trachonitidis regionis.* Et Ioſephus, Βαταναία δὲ (ὑπετέλει) σὺν Τραχωνίτιδι, καὶ Αὐρανῖτις σύν τινι μέρει οἴκου τοῦ Ζηνοδώρου. Iam redeamus ad propoſitam initio quæſtionem; Quare Lucas Tetrarchæ Lyſaniæ deinceps meminit? Ait enim, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, *& Lyſania Abilenæ Tetrarcha.* Iam diximus, Euangeliſtam in re maxima maximam adhibuiſſe diligentiam, vt plurimis temporis indicijs eam inſigniret, atque illuſtrem & teſtatam redderet. Erat illis temporibus tetrarchia quę dicebatur Abilena Lyſaniæ: quam pro voluntate Imperatoris, vel proprius princeps obtinebat, vel maior aliquis acceſſionis loco accipiebat. Quoniam igitur ineunte illo acceptabili ac vere magno anno miniſterij Domini noſtri, quidam Lyſanias eum principatum tenebat; ne hunc quidem Lucas putauit ſibi eſſe prætermittendum: quum præſertim Iudæi non pauci in Tetrarchæ huius ditione habitarent, in finibus Decapoleos; quò veniſſe Chri-

ſtum,

stum, atque Euangelium ibi prædicasse, & Decapolitanos plures ad ipsum ventitasse, eique μαθητεῦσαι, testantur Euangelistæ, Matth. IV. 25. Marcus V. 20. & VII. 31. Superest altera quæstio, quis iste Lysanias fuerit. Sciendum est, diuersis temporibus Lysanias duos fuisse, eiusdem principatus Tetrarchas: quorum prior ex historia illorum temporum notus est satis: posterior verò alibi, quod sciam, satis expresse nominatus non inuenitur; sed tantum obiter. Ante natalem Domini quadraginta circiter annis, viuebat in Syria Ptolemæus Mennæi F. Tetrarcha, siue regulus Iturææ, regionis paruæ in confinio Syriæ & Arabiæ. Strabo libro XVI. auctor est, paruisse huic regulo (cuius & Iosephus meminit, pag. 673.) montana Iturææ, Marsyan, Heliopolin, & Chalcidem vrbem Syriæ, à qua nomen habuit Chalcidene, Plinio descripta, libro V. cap. XXIII. Hunc Lysanias filius excepit, qui Iosepho dicitur patri successisse in ipsius dynastia, libro XIV. cap. XXIII. Sed isti dynastæ dominationes suas precario obtinebant, quamdiu gratum erat rerum potientibus Romæ. Itaque Dio libro XLIX. beneficio Antonij Lysaniam hunc factum esse Iturææ regem scribit; & mox ab eodem, vt Cleopatræ gratificaretur, occisum: quod etiam Iosephus docet libro XIV. cap. V. Hic Lysanias sedem dominationis suæ collocauit Abilæ. Ita vocabatur vrbs quædam Syriæ; quam Plinius facit vnā è sex Tetrarchijs, quæ erant immixtæ vrbibus Decapoleos. Quum autem plures in Syria essent Abilæ, huic cognomen Lysaniæ datum est, vt ab alijs separaretur. Ptolemæus in descriptione Cœlesyriæ primam vrbem recenset Heliopolin, quam diximus huius patri paruisse: & secundam Abilam quæ cognominatur Lysaniæ. Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου. & ita apud Iosephum ille principatus vocatur sæpe, Lysaniæ Tetrarchia, vt libro XVIII. pag. 565. & libro XX. cap. V. vbi Abela siue Abila dicitur fuisse Lysaniæ Tetrarchia. Putat Baronius his locis Iosephum meminisse posterioris Lysaniæ: quod verum est, vt mox probabimus. Assentior tamen Iosepho Scaligero, qui dudum monuit, à priore, non à posteriore cognominatam fuisse Abilam Lysaniæ. Quare Iosephus libro XV. in rebus Herodis, & proximis temporibus à cæde Lysaniæ prioris, meminit huius cognominis. Nam p. 474. ὁ οἶκος τοῦ Λυσανίου, idem est ac Lysaniæ Tetrarchia, vel Abilenæ, vt appellat Lucas. Incidit cædes Lysaniæ in annum Vrbis DCCXIX. ante natum Dominum XXXIII. Ex eo tempore dynastiæ huius varia fuit administratio. Cleopatra prima eam possedit extincto legitimo domino: postquam illa perijt, videtur Augustus fisco suo illam addixisse, & certi pretij imposita pensione, colendam tradidisse Zenodoro cuidam: de quo Iosephus, Ζηνόδωρός τις ἐμεμίσθωτο

μισθῶτο τὸν οἶκον Λυσανίου. Similes Cleopatræ locationes habes apud Iosephum libro xv. cap. v. vbi Herodes Rex & alius dynasta Arabs, vrbes Cleopatræ donatas ab illa redimunt, pacti annuam certæ pecuniæ pensionem. Quamdiu Zenodorus in potestate habuit Lysaniæ Tetrarchiam, ea dicta fuit Zenodori Tetrarchia: & ita appellatur Dioni. Iosephus appellat τὸν Ζηνοδώρου οἶκον, p. 543. Scribunt autem & Iosephus lib. xv. & Dio lib. LIV. Tetrarchiam Zenodori donatam fuisse Herodi ab Augusto, anno Vrbis DCCXXXIV. ante natum Messiam XVIII. Mortuo Herode, quum inter possessas ab illo terras esset reperta hæc Tetrarchia, Augustus partem illius Philippo eius filio attribuit: quod his verbis Iosephus significat: *Attributa est Philippo Auranitis,* σὺν τινι μέρει οἴκου τοῦ Ζηνοδώρου λεγομένου, *cum parte quadam eius quæ appellata est Zenodori domus.* Nam vt antea dicebamus, οἶκος sæpius Iosepho idem est ac Tetrarchia vel dominatio. Sic & apud veteres Græcos pro regia vel regno: vt in epistola Themistoclis ad Artaxerxem; ἥκω παρὰ σὲ ὃς κακὰ πλεῖστα Ἑλλήνων εἴργασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον. *Venio ad te ego, qui regiæ vestræ plus mali intuli, quàm vllus Græcorum*; in prima historia Thucydidis. Herodotus libro sexto: Ἄνδρες Ἴωνες νῦν τις ὑμέων εὖ ποιήσας φανήτω τὸν βασιλέως οἶκον. apud Polybium ἡ Μακεδόνων οἰκία, de regibus & regno Macedoniæ. Quid statuerit Augustus de reliqua parte Tetrarchiæ Zenodori, quę fuerat olim Lysanię, neque dicit Iosephus, neque vllus alius historicus. Sed docet nos Lucas, Lysaniam quendam parte pręcipua illius, atque adeo ipsa Abilena fuisse donatum, vel à Tiberio, vel, quod potius putem, ab Augusto. Fuisse hunc prioris filium ex communione eiusdem nominis quidam hariolantur. Sed non fit verisimile, filium patri suo post temporis adeo longi interuallum successisse. Nam à cęde Lysanię ad xv. Tiberij anni intercedunt circiter LXIII. Puto verius, quod & antè significauimus, casu quodam contigisse, vt eadem pręfectura duobus contingeret, modico temporis spatio, qui appellarentur ambo Lysanię: cuius ξυγκυρίας nonnulla exempla attulimus in disputatione de Iuda Galilęo. Hic igitur posterior Lysanias is est, quem Lucas appellat Tetrarcham Abilenę, & anno xv. Tiberij vixisse, atque illi parti Cęlę Syrię esse dominatum ostendit. Quo fato vitam finierit hic Lysanias, nescimus: illud scimus, paullo post, hoc est decem fere post annis, redijsse eius Tetrarchiam in potestatem filiorum Herodis. Scribit enim Iosephus libro XVIII. Caium dedisse Agrippę inter alia plura, etiam τὴν Λυσανίου τετραρχίαν, hoc est, Abilenen Tetrarchiam, quam olim Lysanias Ptolemęi F. obtinuerat, paullo ante Lysanias Lucę. Non tamen transmisit ad filium Agrippa possessionem huius dynastię: quam à

Claudio

Claudio accipit Agrippa iunior ſibi donatam, imperij Claudiani XII. Ioſephus libro XX. cap. III.

IV. Quomodo ſit accipiendum duos fuiſſe ſummos Pontifices. Ea quæſtio male ſoluta à multis Patrum. Nicephori locus correctus. Vicarius ſummi Pontificis ex inſtitutione diuina. Optio Centurionis in militia Ro. Syncellus Patriarchæ Conſtant. Οἱ δεύτεροι πρεσβεύοντες *in Cœnobijs. Annas Caiaphæ præpoſitus à Luca.*

ANNI XXXI. Num. VIII.

SEquitur apud Euangeliſtam, ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, *ſub Pontificibus maximis Anna & Kaiapha.* B. Lucæ & hic & in Actis Ἄννας dicitur, qui Ioſepho eſt Ἄνανος perſæpe & Nicephoro Patriarchæ. Hebræis eſt חנן quomodo ſcribi apud Zacuthum obſeruat Druſius. Fuiſſe autem Kaiapham ſummum Pontificem anno Tiberij XV. Ioſephi hiſtoria oſtendit. Nam apud Ioſephum libro XVIII. cap. III. Valerius Gratus Pilati deceſſor, poſt annorum XI. procurationem, conſtituit ſummum Pontificem, Kaiapham: quem ad Vitellij aduentum in Syriam perſeueraſſe in ea dignitate idem eſt auctor. Vitellius Conſul fuit cum Fabio Priſco, anno Tiberij XX. idemque ſtatim à Conſulatu miſſus in Syriam, vbi primum venit Ieroſolymam, Kaiapham deſtituit, eiuſque loco Ionatham Annæ F. conſtituit, vt narrat Ioſephus libro eodem, cap. VI. Totos igitur annos ſeptem fuit hic Pontifex Maximus, & aliquanto amplius. Sed quęrunt interpretes, quum certum ſit plures eodem tempore ſummos Sacerdotes eſſe non potuiſſe, quomodo verba Lucæ ſint accipienda; qui videtur dicere, non ſolum Kaiapham fuiſſe ſummum Pontificem, ſed vtrumque ſimul Annam & Kaiapham. Hunc nodum veteres dum quærunt ſoluere, quàm multa dixerint & falſa & abſurda, nemo iam ignorat eruditorum. Euſebij errorem attingit Baronius; eundemque fuſe explicat Scaliger in Prolegomenis ad Iacobum Auguſtum Thuanum. Nicephorus vero Patriarcha etiam abſurdius: nam is poſtquam attulit quæ didicerat ex Euſebio, addit, Τοῦτον μεθίστατω Μετίλιος στρατηλάτης Ῥωμαίων, *Ab hoc tranſtulit ſummum ſacerdotium Metilius dux Romanorum.* Atqui falſum eſt, Kaiapham à Metilio fuiſſe deiectum, qui à Vitellio Syriæ Præſide dignitate eſt priuatus. Male igitur vel Nicephorus, vel librarius nominant Metilium, qui erat dicendus Οὐιτέλλιος. At στρατηλάτης pro στρατηγός vel ἡγεμὼν Συρίας, idioma eſt ſeculi Nicephori. Baronius antequam ſoluat propoſitam quæſtionem, aliquot ſententias doctorum virorum refellit: ſed omnino aue parum felici: eam enim omnium

primam refellit, quæ eſt omnium veriſſima, imò ſola vera : ſola enim non leui coniectura nititur, verum expreſſis Scripturarum teſtimonijs, quibus & Rabbini ſuccinunt. Ait Baronius: *Scimus vicariam eiuſdem Sacerdotij præfecturam, nemini ſolere concedi, niſi aliqua neceſſitate vrgente, & ad modicum temporis ſpatium.* Vt hoc probet, locum Ioſephi ſubijcit, quem alibi probamus, non negare quod Baronius negat. Sed ſi vel maximè negaret, opponimus illi Scripturæ auctoritatem, quæ Summo Pontifici ſuum ſubſtituit non ſemel vicarium, vt recte Theodorus Beza obſeruauit Marci primo 26. Summus Sacerdos dicebatur כהן הראש ἀρχιερεὺς ὁ πρῶτος, *Pontifex primus*, vel כהן גדול *Pontifex magnus*. Alter, כהן משנה ἀρχιερεὺς ὁ δεύτερος, ſiue vicarius, vt II. Regum XXV. 18. Sic 1. Paralipomenon XXIV. Nadab & Abiu coniunguntur : item Eleazar & Ithamar. ſic alibi alij, vt recte idem vir clariſſimus adnotauit. Duraſſe autem ad poſtrema vſque tempora eam conſuetudinem, docet vbertim Ioſephus Scaliger in Prolegomenis Euſebianis. Et rudem eſſe oportet totius antiquitatis Iudaicæ, cui non ſit notus, qui toties nominatur in libris Rabbinorum סגן הכהנים. Vide Eliam in Thisbi, & Scholia R. Samuelis atque aliorum in Pirke Auoth ca. III. apophthegmate ſecundo. Dicitur etiam שני לכהן גדול Iſtis Seganin, ſiue vicarijs, ſimiles erant apud eoſdem Iudæos *Abim beth din*, vicarij Principum Synedrij, vt mox dicturi ſumus, & in diuerſiſſimo munere apud Romanos Centurionum optiones : nam & hi velut vicarij Centurionum erant, parati ad omnem euentum, ſi quid humanitus Centurionibus vſuueniret, vt docet Polybius in ſexta Hiſtoria. Sed melius cum vicarijs ſummorum Sacerdotum populi Iudaici contuleris Syncellos vel Protoſyncellos Patriarchę Conſtantinopolitani, de quibus multa lectu digna in illis Prolegomenis. Simillimum etiam eſt, quod in Cœnobijs præfecti monachorum ſuos ſemper habent paratos vicarios & δευτέρους προεστῶτας, vt appellat Baſilius Magnus : cuius extat præceptum ea de re Aſceticorum, quæſtione XLV. cauſſa inſtituti ibi affertur, ne contingat ceſſatione τοῦ προεστῶτος δημοκρατικόν τι σχῆμα μεταλαμβάνειν τὴν ἀδελφότητα, *vt cœtus fratrum mutetur in aliquam formam democraticam*; quod in omnibus ſacris functionibus, ſtudioſiſſime ſemper vitauit priſca Eccleſia. Porrò Annas etiam Ioſepho appellatur ἀρχιερεὺς, & ex eius Hiſtoria clare apparet, per hæc tempora, & inſecutos deinceps annos plures, inter omnes Archieratici ordinis Pontifices Annam præſtitiſſe : qui & functus erat ipſe iam illa ſuprema dignitate, & poſtea tot filios ſuos in eandem vidit euectos. Vt mirari non debeamus, ipſum & hoc loco & in Actis Kaiaphę pręponi à Luca. Pręponitur enim, non ſolum vt ſocer genero;

ro; verum etiam, vt is penes quem erat potestas summa in populo Iudaico. Vt ad Baronium redeat oratio, existimo illum in annis Pontificatus Kaiaphæ grauissimè errare. Vult eum fuisse annorum XVII. quem nos diximus fuisse annorum septem, aut ad summum octo. Clarissime enim videtur Iosephus significare, sub ipsum Grati discessum è prouincia, Kaiapham dignitate S. P. fuisse ornatum: neque aliter eius verba sunt interpretati Iosephus Scaliger & Eduardus Liueleus, vt alios taceam. Sed Baronij error hic pendet ex alijs, de quibus ante dicebamus, IX. 4. & X.

V. *Cur Anna appelletur Pontifex maximus. Expenduntur rationes à Baronio allatæ, & probantur esse falsæ. Appellationes eius qui caput erat Synedrij.* NASI. *Pseudophilonis nugæ & mendacia. Synedrium è quo genere hominum constaret. Synedrium potuisse iudicare de Rege, falso affirmat Baronius: & exemplo falso conatur confirmare. Iudicium de Herode.*

ANNI XXXI. Num. X.

QVa confidentia de rebus Iudaicis parum sibi compertis loqui solitus fuerit Baronius, eximie declarant quæ hic ab illo scribuntur. Cur Anna non minus quàm Kaiaphas summus Pontifex appelletur, duas affert rationes, quarum prior incerta est, &, vt puto, falsa: posterior palàm falsissima. Principes classium Sacerdotalium XXIV. reperiri appellatos ἀρχιερεῖς, verum est: sed Annam propterea sic nominari in Euangelio, nemo veterum dixit: coniectura dumtaxat ea est Baronij, vel potius falsa hariolatio: nam vera ratio est, quòd Annas fuerat reuera summus Pontifex, etsi esse desierat. Constat enim è Iosepho, ijs qui eam dignitatem semel essent adepti, nomen remansisse, etiam post rem sublatam. Altera ratio quam affert, palàm, vt dixi, falsa est. Vult Annam ideo Maximum Pontificem esse appellatum, quia sic dicerentur qui erant collegij Sanedrin Principes. Annam autem eum locum obtinuisse, probat testimonio Pseudophilonis. Sed hæc omnia sic falsa sunt, vt mirer postquam illa Baronio excidissent, non esse repertum Romæ aliquem virum grauem, & rerum Iudaicarum mediocriter callentem, qui sui illum erroris admoneret. Vbi obsecro legerat Baronius Caput Synedrij fuisse appellatum ἀρχιερέα, summum Pontificem? In Thalmudico tractatu de Synedrio, & in vltimo libro Iad Mosis Ægyptij, qui est de eodem argumento, legimus, deferri solitum principem in Synedrio locum sapientissimo è Septuaginta Synedris. Auctor illũ appellat ראש הישיבה *Caput Synedrij.* Nam *Ieschiba* illo loco idem est ac בית דין *domus iudicij,*

Curia,

Curia, aut *Consessus Iudicum*. Addit vero Maimonides, hunc Præsidem illius consessus, qui Mosis personam referebat, à Sapientibus fuisse appellatum נשיא Nasi *Principem:* habuisseque illum quasi vicarium, ad dextram ipsi adsidentem, qui diceretur, אב בית דין *Pater domus iudicij*. Et in libris Rabbinorum, præsertim Thalmudicis, passim harum dignitatum & nominum occurrit mentio. Quod autem hic Nasi fuerit Pontifex Maximus dictus, neque vllo testimonio probari potest, & ratio certa confutat. Nam quare sic diceretur Præses eius Concilij, quod constat fuisse compositum è tribus Ordinibus, Sacerdotibus, Leuitis & filijs Israel, ait Moses, id est primoribus Iudæorum, qui neque Sacerdotes erant, neque Leuitæ ? Eiusmodi commentum, omni similitudine veri destitutum, non debuit Baronius ex nuda coniectura in medium proferre. Pseudophilonis locus ab eo allatus, non plane hoc dicit: & si vel expressissimis verbis hoc ille affirmaret, fides plano manifesto habenda non erat. Ait impostor, *Ananelus & Annas* esse eadem nomina ; quod credi illi non debet, nisi testibus prolatis. Ait, Herodem deletis Synedrij consiliarijs è domo Dauid, Ananelum quendam & Synedros alios è proselytis suffecisse. Putauit nimirum hic impostor, neminem in Synedrium ante Herodem fuisse admissum, qui non esset è tribu Iuda & domo Dauid. imperitè & falsò. nam huius Concilij ea fuit institutio, vt si fieri posset, è solis Sacerdotibus & Leuitis constaret, qui non erant è tribu Iuda, sed Leui. Itaque & in Biblijs aliquando, & apud Iosephum, appellatione Sacerdotum intelligitur ipsum Synedrium. Sin è numero Sacerdotum aut Leuitarum non reperirentur, qui definitum Iudicum illorum numerum implerent : tum demum alijs Iudæis aditus in Synedrium patuit, nulla tribus habita ratione. Hoc Maimonides declarat istis verbis in Perek secundo, postquam dixit de Sacerdotibus & Leuitis : ואם לא מיצאו אפילו היו כולם ישראל *Si non inuenirent* Sacerdotes aut Leuitas, *etiam admittebantur omnes Israelitæ*. Vides quàm impudenter Baronio hic Pseudophilo Annij Viterbiensis, præstigiatoris famosissimi, imposuerit. Nec minus falsum quod ait hic planus de Ananelo & Proselytis, in locum prioris Synedrij suffectis. Ananelus hic sine dubio is est, de quo ante dicebamus, Exercitatione prima : qui non Princeps Synedrij, sed Pontifex Maximus ab Herode fuit institutus. His Pseudophilonis mendacijs ingentem de suo cumulum adiecit Baronius, cum dixit, Concilium hoc septuaginta virorum de Regibus iudicasse : *Horum namque iudicio*, inquit, *Herodes Rex postulatus est*. Vtrumque falsum est : aut Synedrium hoc ius habuisse: aut in Herodem Regem vim eiusmodi aliquam exercuisse. In Thalmud Massecah Ha Sanedrin, perek II.

quod

quod incipit, *Cohen gadol*, iura Pontificum maximorum & Regum accuratè explicantur. Ibi de Pontifice dicitur, דן ודנין אותו *iudicat & iudicatur, & testimonium perhibet, ac testimonium aduersus illum admittitur, discalceat & discalceant pro vxore eius* ; postrema verba referri debent ad institutum Legis Mosaicæ, de quo in Deuteronomio, capite xxv. De Rege verò ibidem ita scriptum : המלך לא דן ולא דנין אותו לא מעיד ולא מעידים אותו לא חולץ ולא חולצים לאשתו Non *iudicat Rex, neque de illo iudicatur : non dicit testimonium, neque contra illum dicitur : non exuit calceum, neque pro eius vxore quisquam exuit calceum.* En de iure : nunc de facto cognoscamus. Narrat Iosephus libro xiv. cap. xvii. Herodem ad caussam dicendam iussum esse in Synedrium se sistere, atque illum vadimonium obijsse. Baronius ex hac historia collegit ; Concilium de capite Regis potuisse ferre sententiam. Sed quantus hic, bone Deus, est error ? Herodi dicta est dies, cum adhuc admodum iuuenis & priuatus esset ; cum pater illius Antipater viueret ; cum Hyrcanus regnum obtineret ; cum Herodes seruus Regis, vt Rabbini solent illum appellare, adhuc esset; cum ne spem quidem vllam adhuc animo concepisset, de regno alieno vnquam inuadendo. Errauit igitur Baronius, & quidem crassum nimis errorem, non minus in quæstione facti, quàm in quæstione iuris.

VI. *De verbis Baronij,* sincera attestatio Sophronij. *Desertum in quo prædicauit Iohannes. Vestitum illius & victum non caruisse mysterio. Vestes è pilis camelorum. Caspiæ cameli. Cilicia Christianorum.* Saccus *lugentium Iudæorum.*

ANNI XXXI. Num. XI.

IAm ante monebamus solemne hoc fuisse Baronio, vt eorum potissimum fidem commendet, quos res ipsa arguit, fabulis sua scripta implesse. Hoc locis innumeris, præsertim autem in posterioribus tomis, attentus lector obseruabit. Eiusmodi est, quod Sophronij qui Pratum spirituale scripsit, fidem hic laudat. Descripturus enim ex illo siue historiam, siue fabulam, de apparitione Iohannis Baptistæ, *rem* inquit, *sincera attestatione Sophronij enarremus.* Quæreres ab illo, ecquod argumentum haberet sinceritatis Sophronij in hac narratione : vir optimus iudicij sui caussam aliam reddere nullam potuisset, præter τὸ φιλόμυθον, & τὸ κενόσπουδον: quæ duo vitia historiam Ecclesiasticam miris modis deprauarunt. Cæterum Sophronij attestationem non semper habet pro sincera Baronius : quem ipsa rerum veritas aliquando coegit ἀνωνήφειν, & fabulas ac mendacia eius scriptoris confutare. Habes exemplum

exemplum in anno Domini CCCCVII. 33. Porrò desertum in quo Iohannes dicitur prædicasse, illam ipsam fuisse ὀρεινὴν & montanam regionem, in qua parentes ipsius habitabant, auctore Luca I. 40. viri eruditi existimant. neque sane iuerint inficias periti Hebraicæ linguæ, vocem מִדְבָּר sępe non significare locum ἀοίκητον, & quem nemo inhabitet; sed potius saltuosum, & montanum, in quo greges pascantur: qualis erat ille Iudææ tractus, vbi sita Chebron, & aliæ item vrbes. Verum hic temere quicquam affirmare equidem nolim. Mysterium enim in hac historia, à Propheta Isaia olim prædicta, & tanto studio sanctis Euangelistis adnotata, latere aliquod maius suspicor, quàm aut capere ipse satis, aut satis queam admirari. Quare illis assentiri non possum, qui omnia quæ de Iohanne narrantur, ad communem vitæ rationem interpretationibus suis conantur reuocare. Vestem certe è pilis camelorum in aliquo fuisse vsu apud Iudæos, nullo testimonio probari queat è Biblijs, aut alio scriptore veteri. De solis Caspiorum sacerdotibus legere memini, vestes illos gestasse è villis camelorum contextas. Sed ratio diuersissima: nam cameli Caspiæ mollitie lanæ ipsos Milesios greges superabant, vt auctor est Ælianus Historiæ animalium libro XVII. cap. XXXIV. In II. Regum I. 8. extat exemplum zonæ δερματίνης è corio confectæ, qua vtebatur Elias Propheta: sed vestem illi fuisse è pilis camelorum, nunquam ex illis verbis Scripturæ בעל שער elicias. Scio esse qui existiment Hebræorum שק *saccum*, cuius in luctu describendo toties Scripturæ meminerunt, vestem fuisse è villis hircorum & caprarum contextam. Verùm hoc neque è sacra pagina potest demonstrari, neque vllo alio, opinor, satis firmo argumento probari. Proprium igitur hoc Christianorum veterum, qui ad exercitia pietatis cilicia è pilis camelorum contexta adhibuerunt. Victum quoque Iohannis, austeræ vitæ stupendum exemplum fuisse, dubitari nequit, & Euangelistis, & multo expressius Domino nostro id affirmante, Matth. XI. 18. & similibus locis. Rationem huius austeritatis in Iohanne afferunt Doctores hanc: oportuisse, vt qui pœnitentiam prædicabat, habitum pœnitentiæ præ se ferret, vt ait Tostatus in XI. caput Matthæi. Idem vir acutissimus quæstione XLII. in illud caput verè docet; ad conciliandam Iohanni auctoritatem, pro miraculis fuisse illi vitæ austeritatem. Eum vide.

VII. *Acridas*

VII. *Acridas Iohannis fuisse locustas edules olim, nouis testimonijs probatur. Locus Galeni animaduersus. Serphi & cicadæ olim edules. Isidori Pelusiotæ sententia reijcitur, ἀκρίδες & ἀκρόδρυα confundentis. Abstinentia à fructibus & iusculis olerum. ἕψημα. Iacobi de Vitriaco error.*

Anni XXXI. Num. XIII.

AKρίδας quibus vescebatur præcursor Christi, nullum est dubium locustas fuisse. Probarunt iam eruditi viri multis veterum scriptorum testimonijs, edules fuisse aliquas locustas, non solum in Iudæa, quod & Rabbini testantur, & alijs regionibus Orientis; sed etiam in Græcia & opposita Asia. Dubitare iam de eo non magis licet, quàm de quauis alia re certissime comperta. Tot testimonijs quę sunt ab alijs producta, possunt alia adijci, idonea, vel si essent sola, æquis lectoribus omnem scrupulum eximere. Galenus Commentario secundo in Hippocratis Aphorismos, inter cibos qui tardissimè alunt recenset κοχλίας, σπονδύλους θαλαττίους, ἀκρίδας, καράβους & ἀστακούς, cochleas, spondylos marinos, locustas, carabos, astacos. Expressimus lectionem editam Galeni: fortasse tamen scribendum καρίδας, non autem ἀκρίδας. nam apud Athenæum non vno loco iunguntur hæc piscium testaceorum nomina, καρίς, ἄστακος, κάραβος. Sed apud veteres poetas Græcorum, non solum ἀκρίδες ponuntur inter viles pullatæ plebeculæ cibos, sed etiam σέρφοι, quod est vilissimum genus insecti, formicis, vt volunt Grammatici, affine. Nicophon antiquissimus poeta, in fabula quam inscripserat Ἀφροδίτης γοναί, vilissimum describens victum; ἅπερ ἐσθίειν ταυτὶ τὰ πονηρὰ θρῖα, σέρφους, ἀκρίδας, πάρνοπας· vtriusque, & serphi, inquam, & locustæ mentio inter res edules etiam apud Aristophanem. Theophylactus in epistola cuius est τὸ ποιμ. initium, ostendit, caricas & locustas oppido lautum inter rusticos fuisse conuiuium. Εἰσιὼν παρὰ τὸν Τρυγίαν λαμπρῶς ἱστιάθης· γὰρ ἦν μοι καὶ ἀκρίδες τὰ ὄψα. ὁ δὲ θαυμάσιος οὗτοσὶ νεανίας τῶν ἰσχάδων τὰ πλεῖστα ἐκβέβρωκε· καὶ τὰς ἀκρίδας οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἐξερρόφησεν· ὁ δὲ Τρυγίας ἐκεχήνει. Cicadas quoque locustis simillimum animalculum musicum, in cibi vsum verti solitum, testis est Ælianus, Historiæ animalium libro XII. cap. VI. Quum igitur ex huiusmodi testimonijs sexcentis certo constet, ἀκρίδας quibus Prodromus Iohannes vescebatur, locustas fuisse: mirum est Isidorum Pelusiotam, virum doctum, & proxima Palæstinæ loca incolentem, id negare sustinuisse. Ille vero non solum negat, sed etiam eos qui de locustis interpretantur, atrocibus verbis reijcit. Apponam eius locum, è libro primo, epistola CXXXII. Αἱ ἀκρίδες ἃς Ἰωάννης ἐτρέφετο, οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα· μὴ γένοιτο. *Illæ acri-*

des, quibus vescebatur Iohannes, non sunt animalia scarabæis similia, vt imperite quidam existimant: absit. Putauit tam eruditus vir, rem esse inauditam atque execrabilem vesci locustis. Atqui austeritas notata in Iohanne, non in eo est, quod locustas esitaret; nam id ipsi commune cum aliis tenuiter victitantibus, vt diximus: sed in eo potius, quod solis locustis vesceretur, & melle syluestri. Nam ex iis quæ dicit Dominus ipse Matth. xi. 18. & Lucæ vii. 33. ad veram intelligentiam locorum Matthæi iii. 4. & Marci i. 6. suppleri debet ἔξωθεν vox *tantum*: quam sæpe ab auctoribus prætermissam necessario subintelligendam esse, periti linguarum non nesciunt. Isidorus vero reiecta interpretatione quam falso putabat esse falsam, subiicit: ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν. Vult acrides esse summitates herbarum vel aliarum plantarum; puta fruticum, & virgultorum, vel arborum. Verùm in epistola quinta eiusdem libri, vbi eadem habetur de cibo Iohannis sententia, scriptum est φύλλων pro φυτῶν: nisi ex isto loco ille corrigatur. Intelligit Isidorus quæ appellantur Hebræis ראשי יניקות vt apud Ezechielem xvii. 4. vbi Latinus interpres *summitatem frondium* vertit melius, quàm Græci ἄκρα ἁπαλότητος. Sed omnino fallebatur Isidorus: nam res diuersissimę sunt Græcis ἀκρίδες & ἀκρόδρυα: quas duas voces vt ipse confunderet contra vsum loquendi omnium Græcorum auctorum, ea sola ratio videtur effecisse; quod sciebat inter alimenta eorum qui erant rigidissimi ieiuniorum obseruatores fuisse ἀκρόδρυα, id est, fructus arborum. Epiphanius extremo libro tertio, austeritatis intendendæ circa ieiunia, varios gradus commemorans, vltimum facit eorum, qui abstinerent diebus stationum, etiam ἀπὸ ἀκροδρύων καὶ ἑψημάτων, *à fructibus & iusculis olerum*, id enim est ἑψήματα, vt dicebamus ad Athenæum libro quarto, capite sexto. De syluestri melle recte idem Isidorus. De vtrisque, melle, inquam & locustis, vide cum alios, tum Iacobum de Vitriaco Historiæ Hierosolymitanæ capite LIII. vbi iure mireris auctorem non ineruditum, postquam dixit locustas in Iudæa & recentes edi solitas & seruatas: posse fidem habere somnio, quod ipsi nescio quis Surianorum monachus narrauerat; vt probaret ἀκρίδας Iohannis non fuisse locustas, sed herbam quandam, monachis in Syria apponi solitam. De monachorum suorum cibo viderit monachus; at quod eum putauit Iohannis fuisse cibum, falsus fuit proculdubio, & cum ipso Iacobus quoque ἐκ τῆς ἄγαν περιεργίας errauit.

VIII. *Iohannes Baptista austerioris vitæ præbuit exemplum : at vitæ monasticæ non dedit initium. Res per se bonæ, propter male vtentes aliquando infamantur. Homiliæ in Marcum tributæ Chrysostomo.*

Anni XXXI. Num. XV.

HIs expositis addit, Iohannem Baptistam *eiusmodi vitæ genere, vitæ monasticæ iecisse fundamentum.* Fatemur, non paucos è Patribus dixisse, austeri propositi, atque vt ipsi loquuntur τῆς κατὰ Θεὸν τελείας ἀσκήσεως, exempla fuisse edita ab Elia Propheta, & Præcursore Iohanne : sed ordines Monachorum ab Iohanne habuisse initium, & ab ipso nascentis Ecclesiæ principio semper fuisse monachos & moniales, neque dicunt Patres, neque potest probari. Atqui multum hæc duo inter se differunt; sanctimonia atque austeritate vitæ posteris prælucere, & monachorum ordines instituere. Vt interea nihil dicam, de differentia inter hodiernos monachos & antiquos Paulos, Antonios, Basilios, Chrysostomos, & id genus alia religionis Christianæ lumina fulgentissima. Hæc differentia tam insignis, tam illustris, & in oculos omnium piorum adeo περιφανῶν incurrens, si aliquos eorum qui appellari solent à Baronio Nouatores, impulit, vt medium transilientes in quo rectũ est positum, durius sentirent & loquerentur de vniuerso proposito monachorũ; meminisse debuit Baronius, Arcesilam quondam nobilem philosophum delectatũ suaueolentiũ vnguentorum fragrantia, dixisse : *Male sit istis mollibus & impudicis, qui rem adeo bonam infamant.* Nunc quàm bene seruetur in cœnobijs antiqua disciplina, quàm abhorreant à negotijs secularibus, qui seculum aiunt reliquisse, non videtur Baronius multum curasse: illorum æquissimas querelas pati non poterat, quos vita plus quam Sybaritica multorum cœnobitarum, ad iustam indignationem prouocarat. Sed de institutione monachorum dicetur, si Deus voluerit, copiose ad annum Domini LXIIII. Quod autem Baronius Chrysostomum laudat in Euangelium Marci; fallitur, & malum Aristarchum se fuisse prodit. Nemo enim illas in Marcum homilias, quæ vulgo tribuuntur Chrysostomo, quæque Latinæ dumtaxat reperiuntur, legit cum aliquo iudicio, quin tituli falsitatem deprehenderet. Omnino dignum Chrysostomo, aut congruens in illis nihil quicquam offendet, qui lectione viri diuini ingenium probe subactum habuerit. Falso Chrysostomo verum opponimus; qui homilia in I. Timoth. XIII. scribit; videri sibi cum illam epistolam Paulus scribebat, moniales virgines aut nondum fuisse, aut defecisse. Verùm de his alibi accurate.

IX. *Ὡσεὶ in verbis Lucæ variè acceptum ab Interpretibus, præsertim Syro & Arabe. Ætas sacerdotalis apud Iudæos.*

BAptismatis Christi annum indicat B. Lucas his verbis, III. 23. καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: quæ vetus Interpres plane κατὰ πόδας ita vertit: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Quum autem sit locus iste insignis, totaque annorum Christi ratio ex illius interpretatione pendeat; vocula ὡσεὶ quomodo sit accipienda, grauis quæstio est: de qua consulantur à studiosis præstantissimi nostræ ætatis chronologi. Ego id tantum adnotabo; & Syrum & Arabem interpretes, simpliciter accepisse, vt verba sonant, ὡσεὶ pro *circiter*: non vt quidam summi viri contendunt, quibuscum & Baronius sentit, tanquam esset, quemadmodum loquuntur Hebræorum magistri, *caph veritatis*, quando aliquid præcise determinatur: (Cimchi in Michlol vocat *Caph leemitat*, alterum vero, *Caph haschiur*, q. d. deminutionis:) Syrus ita expressit, quasi legisset, αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς ὢν ἦν ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν. *Ipse Iesus erat existens quasi triginta annorum*; omissa voce ἀρχόμενος. Arabs verò sic: καὶ ἤρχετο ὁ Ἰησοῦς γίνεσθαι ἐν τριάκοντα ἔτεσι. *& incipiebat Iesus esse in triginta annis*, hoc est, accedebat ad trigesimum annum, neglecta vocula ὡσεὶ. Sed quum apud Iudæos ministerij Sacerdotalis ætas legitima esset annus tricesimus exactus; admodum probabile est, Dominum nostrum ad ministerij sui functionem non prius accessisse, quàm illum annum impleſſet. Quare ὡσεὶ necessario erit caph veritatis, non deminutionis. Vide Hieronymum in ca. XI. Ezechielis, & in præfatione eius libri. De mense & die dictum superius.

X. *Gregorius Turonensis scriptor interdum parum accuratus. Pias meditationes in historiam non raro esse versas. An aliqua vis aquis Iordanis impressa contactu carnis Christi. Aquæ noctu baptismi Christi haustæ miraculosa vis.*

ANNI XXXI. Num. XIX.

LOcum Iordanis vbi Christus baptizatus est, miraculorum virtute fuisse conspicuum, obseruat Baronius, & testem profert Gregorium Turonensem. Huic verò testi, scriptori alioquin eximio, quantum in eo genere narrationum tribui debeat, aliorum esto iudicium. Ipse Baronius alibi monet, non temere fidem habendam esse omnibus, quæ narrat hic Gregorius, vt in anno Domini CCCCLXVII. num. XI. Mirum sane est, illorum locorum diligentissimos scrutatores, cum primis magnum Hieronymum, qui aliquando velut περιηγη-

τὴν

τὴν eorum agit, nullam huius miraculi mentionem fecisse. Obseruabat erudite Baronius in anno Domini primo; cauendum esse, ne pia meditatio pro historica assertione accipiatur. Huius præcepti negligentia quàm sæpe in historia Ecclesiastica sit peccatum, vel aquæ Iordanis fidem fecerint. Scribit S. Bernardus in sermone ad milites Templi, cap. IX. de Iordane loquens: *Merito proinde ipsam eius virtutem, quam Naaman ille consulente Propheta sensit in corpore, iubente Christo, vniuersus quoque fidelis populus in anima experitur.* Videtur vir sanctus tribuere aquis Iordanis vim regeneratiuam, in animas ipsas efficacem, & quidem omnium Christianorum. Sed est pia meditatio, non historica narratio. Atqui non defuerunt, qui historica fide idem assererent, non solum de aquis Iordanis, verum etiam de alijs. Iacobus de Vitriaco, capite LIV. *Peregrini & etiam indigenæ corpora sua & vestimenta in aquis Iordanis cum magna deuotione soliti sunt abluere: eo quod Redemptor noster à beato Iohanne in flumine illo baptizatus, contactu mundissimæ carnis fluuium sanctificauit,* VIM REGENERATIVAM *conferens vniuersis aquis.* Loquitur hic scriptor è sententia plurimorum sui temporis: nam Abulensis quoque in caput tertium Matthæi, quæstione LXXIV. hoc ipsum plerosque sensisse ostendit. *Et est*, inquit, *dictum commune, quod Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis*: quam opinionem eruditus ille scriptor solidissimis rationibus confutat. Diuersi generis miraculum est, quod in aquis alij scriptores obseruant, è baptismo Christi manans. Scribit enim auctor cum primis locuples & fide dignissimus, Iohannes Chrysostomus; in honorem baptismi Iesu Christi, hanc vim mansisse in aquis à Domino tunc sanctificatis; vt haustæ ea nocte qua celebratur in Ecclesia eius baptismi memoria, non solum incorruptæ perennent: sed etiam ad annum alterum aut tertium durent nihilo recèns haustis deteriores. Atque hoc experientia omnium quotannis fuisse comprobatum, idem auctor confirmat. Verba Chrysostomi sunt in homilia de sancto baptismo Seruatoris, edit. Sauil. tomo V. p. 524. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἡμέρα, καθ' ἣν ἐβαπτίσατο καὶ τὴν τῶν ὑδάτων ἡγίασε φύσιν. Διά τοι τοῦτο καὶ ἐν μεσονυκτίῳ κατὰ τὴν ἑορτὴν ταύτην ἅπαντες ὑδρευσάμενοι, καὶ οἴκαδε τὰ νάματα ἀποτίθενται· καὶ εἰς ἐνιαυτὸν ὁλόκληρον φυλάττουσιν, ἅτε δὴ σήμερον ἁγιασθέντων τῶν ὑδάτων· καὶ τὸ σημεῖον γίνεται ἐναργές, οὐ διαφθειρομένης τῆς τῶν ὑδάτων ἐκείνων φύσεως τῷ μήκει τοῦ χρόνου· ἀλλ' εἰς ἐνιαυτὸν ὁλόκληρον, καὶ δύο καὶ τρία πολλάκις ἔτη, τοῦ σήμερον ἀντληθέντος ὕδατος ἀκεραίου καὶ νεαροῦ μένοντος, καὶ μετὰ τοσοῦτον χρόνον τοῖς ἄρτι τῶν πηγῶν ἐξαρπασθεῖσιν ὕδασιν ἁμιλλωμένου.

XI. Quis

XI. *Quis primus Apostolorum fuerit vocatus. Vocis* Philippus *etymum ridiculum. Primi vocati bini fratres. Historia Euangelistarum de vocatione Petri & Andreæ illustratur.*

ANNI XXXI. Num. XXII.

PRæconium Iohannis Baptistę sequitur statim ministerium Domini nostri: cuius initio narratur ab Euangelistis vocatio Apostolorum. Quis primus omnium fuerit vocatus, variæ extiterunt doctorum hominum sententiæ. Multi Græcorum Andreæ eum honorem vindicant, quem propterea πρωτόκλητοι solent appellare. Alij Simonem pariter & Andream πρωτοκλήτους nominant, vt qui simul ante omnes alios sint vocati. Non tamen defuerunt, qui Philippum ante omnes vocatum putarent. Eucherius Lugdunensis, in vigilia S. Andreæ: *Secundum hæc dicta beati Iohannis, primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus.* Sed in horum opinione non plus inest firmitudinis, quàm in ratione ibidem subiecta: *Et meritò quidem,* inquit, *primus vocatur ille, qui os lampadis interpretatur: quatenus & ipse, & cæteri post ipsum intelligant, ad quale officium eligantur.* Quasi Græcorum notissima vox PHILIPPVS, è dictionibus Hebraicis, פה *Pe* os, siue פי *Pi* os meum, & לפיד *lapid* lampas, foret composita. Huic sententiæ etiam illa obseruatio repugnat, quæ toties legitur apud Patres; Christum vocationem suorum Apostolorum inchoasse à binis fratribus, Petro & Andrea, Iacobo & Iohanne; quemadmodum olim ad ministerium Legis Moses & Aaron simul fuerunt vocati. Seuerianus sermone primo in creationem mundi: Ἐκεῖ πρώτη κλῆσις Θεοῦ ἀπὸ ἀδελφῶν ἤρξατο· ἔλαβε γὰρ τὸν Μωϋσέα καὶ τὸν Ἀαρὼν πρώτους κήρυκας. καὶ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ πρώτην κλῆσιν ποιεῖται Πέτρου καὶ Ἀνδρέου. *In veteri Testamento prima Dei vocatio incepit à fratribus: sumpsit enim primos præcones Mosem & Aaronem. In Euangelio quoque primam facit vocationem Petri & Andreæ.* Deinde caussam explicat, cur in veteri quidem Fœdere, vnum dumtaxat par fratrum initio fuerit vocatum: in Euangelio verò διπλῆ δυὰς duo paria fratrum. Vide & Tostatum, in caput quartum Matthæi, quæstione CII. Porrò quod vocationem Simonis & Andreæ putat Baronius contineri capite primo Iohannis; scio magnos auctores illum sequi. Verùm, si est horum vera sententia, fateri cogimur, magnam omnino diuersitatem reperiri inter Euangelistas, Iohannem, Matthæum & Lucam, eandem vocationem narrantes. Enimuero, qui diligenter historiam Euangelistarum leget; facilè intelliget, in vocatione Petri & Andreæ duos veluti gradus posse obseruari; præparationem, quam nonnulli appellant vocationem ad fidem; & ipsam vocationem, qua facti sunt primo

Christi

Christi comites ac discipuli, deinde eiusdem Apostoli. Apud Iohannem Andreas à Præcursore Domini impulsus venit ad Christum : à quo benigne acceptus, mox fratrem Simonem ad illum ducit. Simonem Dominus pari benignitate accipit; & hoc amplius, nouum ipsi nomen imponit; vel sicut magna pars interpretum existimat, prædicit imponendum. Hæc fuit prima Iesu Christi in Simonem manus iniectio, qua sibi illum asserebat. Nondum tamen vocantur Petrus & Andreas. Eucherius Lugdunensis in primi capitis Iohannis versum 35. & sequentes : *Non est intelligendum, vt Petrum & Andream tunc temporis Dominus elegisset: quos sicut alij Euangelistæ scribunt, de piscatione Christus vocauit. Vnde & hic dicitur, quia manserunt apud illũ die illo. Postquam enim eos elegit, non vno die sed omnibus cum eo manserunt.* Sic alij. Sine caussa quidam interpretes iniuriam Simoni & Andreæ hoc pacto fieri existimant, quod dicantur Christum non statim secuti esse, rebus relictis. Sed quis dubitat prius fuisse vocandos, quàm cessationis potuerint postulari? Apud Iohannem nulla vocatio, nullum iussum vt sequerentur. Actum vocationis & formulam describunt expresse Matthæus IV. 18. Lucas V. 10. ex quibus liquidò potest constare, cùm illa gerebantur, Petrum Christi iam aliquam notitiam habuisse. Quod igitur ait Matthæus; Iesum ad mare Galilææ ambulantem, vidisse Simonem, *qui dicebatur Petrus*: sic videtur accipiendum, vt si diceret Euangelista; cui iam antè sibi viso, Christus nomen Petri imposuerat, vel prædixerat imponendum. Quemadmodum autem illi, mea quidem sententia, minus rectè sentiunt, qui vocationem Andreæ & Petri, ponentes in primo capite Iohannis, (quod facit hoc loco Baronius) historiam illam confundunt cum alia diuersa, quæ narratur Matthæo & Lucæ: sic errare illos suspicor, qui Matthæum & Lucam historias diuersas exponere arbitrantur. Vtrobique enim eadem loci circunstantia, ad mare Galilææ, siue quod idem est, ad lacum Genesareth; eadem piscatio, eadem vocatio, eadem sequendi iussio : postremò eadem vtrobique verba; ἀφέντες ἅπαντα ἠκολούθησαν αὐτῷ, ait Lucas: *relictis omnibus secuti sunt eum.* ἀφέντες τὰ δίκτυα ἠκολούθησαν αὐτῷ, ait Matthæus : *relictis retibus secuti sunt eum.* Quibus verbis significatur, desijsse illos ex eo tempore artem priorem exercere, & Domino constanter deinceps adhæsisse. Nec refert, quod Andreæ apud Lucam non fiat expresse mentio; sed tantum Simonis, Iacobi & Iohannis: nam quod illius narrationi deest, necessario supplendum è Matthæo.

XII. *Cur Petrus Andreæ fratri & cæteris Apostolis prælatus. An merito confessionis; Epiphanij locus animaduersus. An ex sola Dei gratia. Non tam Petrus in confessione locutus, quàm Deus per linguam Petri. An propter abnegationem: aut propter ætatem.*

ANNI XXXI. Num. XXIII.

QVæri hodie solet, cur B. Petrus, quem volunt principem & monarcham Ecclesiæ fuisse à Christo institutum; non solum fratri Andreæ, sed etiam cæteris Apostolis fuerit prælatus. Olim huic quæstioni nullus admodum locus erat: quando pares potestate inter se fuisse Apostolos sine controuersia credebatur. Exortæ posterius opiniones, & hanc & alias sexcentas quæstiones produxerunt. Baronius non prætermisit: cuius verba breuiter nobis expendenda. Ait igitur: *Maiori natu Andreæ Simon prælatus est, merito confessionis.* Non nescio esse quosdam veteres, qui ita sensisse videantur. In epistola prima Clementis ad Iacobum, ita legere memini: *Notum tibi facio Domine, quia Simon Petrus, veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est.* Ac videtur Baronius ad hunc locum respexisse: quum tamen certissimum compertissimumque sit, non magis Clementis esse illam epistolam, quàm M. Tullij, aut T. Liuij. Sed & in veris Patrum scriptis affinia leguntur. Epiphanij contra hæresin LI. hæc verba sunt: ὕστερον πάλιν ὅτε ἡ τελεία αὐτοῖς ἀπόταξις γεγένηται, ἀπὸ τοῦ Πέτρου ἡ σπουδαιότης γεγένηται· ἐπειδὴ γὰρ καὶ αὐτὸς ἀφηγεῖται τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ, καὶ ἔτι δὲ κατὰ τοῦτο, ὅτι Θεὸς ἐστὶν εἰδὼς τὰς κλίσεις (male editum κλήσεις: phrasis est vsitatissima in Scripturis, κλίνων καρδίας & κλίσις καρδίας: non κλῆσις, quod est absurdum:) τῶν καρδιῶν καὶ γινώσκων τίς ἐν πρώτοις ἄξιος τάττεσθαι, ἐξελέξατο τὸν Πέτρον ἀρχηγὸν εἶναι τῶν αὐτοῦ μαθητῶν. Mens Epiphanij est: bis Andream & Petrum venisse ad Dominum: in priore aduentu Andream præiuisse fratri, vtpote natu maiorem minori: in posteriore contra, præiuisse Petrum Andreæ. Igitur propter hanc Petri alacritatem, quam ostendit ducem fratri se præbens; & quia nouit Deus cordium inclinationes, (non *vocationes*, vt habet interpres, perabsurde:) & notum habet, quis sit dignus locari in prima statione; Petrum elegit Dominus, suorum discipulorum ἀρχηγόν, ducem atque antistitem. Manifesto Epiphanius caussam electionis saltem aliquam in ipso Petro & eius virtute ponit. Similiter & de cæteris Apostolis interdum loquuntur Patres. Hilarius de Trinitate libro sexto: *Tanta & tam Deo propria, vos ô sancti & beati viri, ob fidei vestræ meritum claues regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo & in terra ius adepti, gesta esse per Dominum videratis.* Sed hæc doctrina, si vt verba sonant simpli-

citer

citer accipiantur, cum doctrina IESV & Apostolorum eius, quæ omnia tribuit gratiæ, non personarum proprijs meritis, manifesto pugnat. Quare non dubito, Petrum, quæ fuit illius pietas aduersus Deum, tota voluntate dicturum potius fuisse cum Paulo, *Gratia Dei sum quod sum*, I. Corinth. XV. 10. quàm cum Baronio aut quouis alio, Merito meo sum Apostolus, & Apostolorum ὁ κορυφαῖος. Si ex gratia, non ergo ex operibus aut proprio merito. Rom. XI. 6. Notet lector de caussa electionis in Apostolatum & principem inter Apostolos locum, nos loqui: non de motu voluntatis Petri ad sequendum vocantem Deum. Quod igitur Petro delatus sit honos inter Apostolos ex mera Dei gratia, non propter meritum confessionis, vt vult Baronius, Patrum est doctrina: vtut dicta quædam apud illos occurrant, quæ diuersam præ se ferant sententiam. Exempli gratia. Chrysostomum recenset Bellarminus, De Rom. Pontif. lib. I. cap. XII. inter eos auctores, qui præclaram Petri confessionem docent fuisse occasionem aut caussam meritoriam, cur cæteris sit prælatus. Atqui Chrysostomus in illa ipsa homilia, quam in eam rem laudat alibi Bellarminus, in Matthæi caput XVI. 18. negat, Petrum in illa confessione, de cuius merito agitur, quicquam domo attulisse, quod posset suum dicere: sed tantum reuelationem à Deo Patre sibi factam pronuntiasse. Hoc autem eo confirmat argumento; quia mox idem Petrus, de passione Christi ausus cogitationem suam expromere, prius quàm id mysterium esset ipsi à Deo reuelatum, in grauem adeo errorem sit delapsus, vt etiam de salute illius metui potuerit, ac propterea Satanæ appellatione à Domino sit increpitus. Verba Chrysostomi apponam digna notatu. ὁ ἀποκαλύψεως τυχὼν, ὁ μακαρισθεὶς, οὕτως ταχέως διέπεσε καὶ ἐσφάλη, ὡς φοβηθῆναι τὸ πάθος· καὶ τί θαυμαστὸν, τὸν οὐ δεξάμενον ἐν τούτοις ἀποκάλυψιν, τοῦτο παθεῖν; ἵνα μάθῃς ὅτι οὐδὲ ἐκεῖνα οἴκοθεν ἐφθέγξατο. *Ille qui reuelationem fuerat consecutus, qui fuerat beatus prædicatus; hic adeo celeriter excidit & lapsus est, vt metueretur illius casus. Quid vero mirum est, illi hoc accidisse, qui reuelationem ijs de rebus non acceperat? Vt scias, Petrum ne illa quidem priora, de suo locutum fuisse.* Basilius Seleucensis homilia in verba Christi, Matth. XVI. 13. Petrum illam admirabilem confessionem edentem, comparat citharæ alieno motu pulsatæ; hoc est, à Deo; qui gnarus ignorantiæ Petri, virtute diuina inspirauit illi quod esset respondendum; & Petri lingua pro ministro est vsus ad docendum discipulos. Εἰδὼς, inquit, τὴν ἄγνοιαν ὁ Θεὸς ὑποβάλλει τῷ Πέτρῳ θεϊκῶς τὴν ἀπόκρισιν καὶ κλίνει τὸν κορυφαῖον πρὸς τὴν αὐτὸς ἐκινήθη φωνὴν, καθάπερ κιθάραν λογικὴν ἐξαναστήσας τοῖς κρούμασιν, ὑπηρέτῃ διδασκαλίας τῇ τοῦ Πέτρου γλώττῃ χρησάμενος. Epiphanius quoque illo ipso loco, quem ante indicauimus, ait Petrum

post lapsum, εὑρεθῆναι ὑπὸ Κυρίου, καὶ καταξιωθῆναι πάλιν ἀκοῦσαι, Ποίμαινε τὰ προβάτιά μου: *inuentum esse à Domino, qui illum eo honore sit dignatus, vt ipsi iterum diceret, Pasce oues meas.* Iure igitur Paulinus epistola IV. ad Seuerum: *Petra est Christus; sed etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit.* Hoc enim vult: & nomen Petri, & quicquid cum nomine ipsi collatum est à Christo, id omne Petrum ex mera gratia donantis, non ex merito vllo suo, esse consecutum. Vt verum sit in Petro, quod verum est in omnibus electis; Christum illi sua ingentia beneficia sine pretio vendidisse, quod ait Isaias LV. 1. eundemque in Petro suametipsius dona coronasse, vt solet dicere B. Augustinus. Longum fecero, si Patrum similia testimonia huc voluero congerere, quod ab instituto nostro est alienum. Neque vero aliter sentiunt hodieque Theologi insigniores, etiam illarum partium, quæ in hac diuisione Ecclesiæ Dei, à meritis stare videntur. Quamobrem Bened. Iustinianus Iesuita, in tractatione de Apostolatu, non ita pridem edita, capite II. non solum eos refellit, qui Apostolos propter merita putant fuisse electos: sed etiam illos, qui caussam electionis faciunt, præuisam naturæ quandam aptitudinem, quæ sit veluti solum & gratię fundamentum. *Ego*, inquit ille, *ne id quidem probo. Quam enim aptitudinem à natura habebant Moses, Isaias, Ieremias?* deinde affert appositissime locum Pauli 1. Corinth. 1. 27. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*: &c. Fuerunt è Patribus nonnulli, qui Petrum cæteris prælatum dicerent, non propter meritum aliquod suum: sed contra, propter conscientiam abnegationis, quod peccatum fuit Petri longe grauissimum. Prolixe hanc sententiam persequitur Optatus Mileuitanus, libro septimo: vnde pauca verba subijciam. *Ecce, vt supra dictum est; cæteris non agnoscentibus, solus agnouit: cæteris non promittentibus, solus promisit: cæteris nec semel negantibus, ter solus negauit. Et tamen bono vnitatis, de numero Apostolorum separari non meruit.* Mox. *Stant toti innocentes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negotium formaretur. Prouisum est, vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores; & quæ necessaria est vnitas esse non posset.* Non defuerunt inter Patres, qui Petrum cæteris prælatum dicerent, non confessionis merito, sed ætatis. Nam Petrum Andrea fratre maiorem natu fuisse nonnulli memorię prodiderunt, vt est apud Euthymium, in Matthæum cap. XIX. & alios. Vide ad annum XXXII. num. V. Iam quum ex omnibus suis discipulis duos præ cæteris Christus videatur dilexisse, Petrum & Iohannem: huic illum fuisse præpositum, quod esset natu maior. Hieronymus contra Iouinianum libro 1. *Propterea inter duodecim Apostolos vnus eligitur, vt capite constituto,*

schismatis

schismatis tollatur occasio. Sed cur non Iohannes electus est virgo? ætati datum est; quia Petrus senior erat. Baronij iudicium de hac sententia & eius auctore Hieronymo, operæpretium est audire. *Ex his*, ait, *apparet quàm turpiter errent, qui primatum putant Petro collatum, quod senior cæteris esset.* Quò spectet hæc vehementia, & B. Hieronymus alijque eiusdem sententiæ Patres, quàm digni ea contumelia fuerint, vt *turpiter errare* dicerentur, lectorum esto iudicium. Obiter castigandus est ille sciolus, qui Annales in compendium nuper redegit. Nam hic opinionem Hieronymi, Euthymij & plurium aliorum Patrum, propterea reijcit, quia sit opinio hæreticorum. En dignum Censorem, qui inter Romanæ vel Hispanicæ inquisitionis tortores cooptetur. Sic autem iste locis innumeris, auctoris sui verba corrumpens, litem facit suam. Baronius siquidem ab eiusmodi amentia procul afuit, vt Hieronymum vocaret hæreticum.

XIII. *Caussa ostenditur, cur Christus nonnullis suorum discipulorum noua nomina imposuerit. Iustini locus.* μετονομάζειν, *pro nouum nomen imponere. Doctrinæ genus è consideratione nominum. Appellationes à Deo impositæ fuerunt* διηνεκοῦς διδασκαλίας. *Iohannes symbolum contemplationis, Petrus actionis. Cur ille Boanerges, hic Petrus sit dictus.* βροντᾶν τὴν θεολογίαν. *Alia.*

ANNI XXXI. Num. XXXIV.

QVando primum à fratre Andrea deductus est Simon ad Dominum; inditum esse illi Petri nomen ab ipso Christo, auctor est Iohannes: *Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Cephas: quod est si interpreteris Petrus.* Et Baronius quidem nullum hîc deprehendit mysterium, præter primatum Petri, hoc est omnipotentiam Ro. Pontificis: in illa totus defigitur, totus stupet. Sunt è contrario alij, qui aliud nihil spectasse Christum contendant, nisi vt hoc nouo cognomine Simonem Andreę fratrem discerneret à Simone Cannite, siue Zelota. Nimis istud quidem dilutum est, & alta Christi sapientia, nisi fallor, parum dignum. Mediam igitur viam pijs Patribus tritam insistamus, & hoc primum cum Sancto Martyre Iustino obseruemus; Christum cùm Ecclesiæ suæ iaciebat fundamenta, inter alia numero infinita argumenta, quibus probauit eundem esse se illum Deum; quem Patriarchæ & Prophetæ adorauerant; istud etiam adhibuisse: quod discipulorum suorum nonnullis noua nomina imposuit; sicut olim in Abrahamo, Sara & Iacobo erat factum. Nimirum dominantis est, & illius, qui aliquem in sua potestate habeat, nouum illi nomen impo-

nere : sicut factum in Daniele à Nabuchodonosoro ; & parentes in liberis, heri in seruis semper factitarunt. Iustini locus est in Tryphone, quem subijciam. Τὸ εἰπεῖν, μετωνομακέναι αὐτὸν Πέτρον, καὶ γεγράφθαι ἐν τοῖς Ἀπομνημονεύμασιν αὐτοῦ, γεγενημένον καὶ τοῦτο, μετὰ τοῦ καὶ ἄλλους δύο ἀδελφοὺς υἱοὺς Ζεβεδαίου ὄντας μετωνομακέναι ὀνόματι τοῦ Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς, σημαντικὸν ἦν τοῦ αὐτὸν ἐκεῖνον εἶναι, δι' οὗ (ita scribendum) καὶ τὸ ἐπώνυμον Ἰακὼβ τῷ Ἰσραὴλ ἐπικληθέντι ἐτέθη. Hæc Iustinus : vbi obiter notabis, improprie positum verbum μετονομάζειν, quod prioris nominis mutationem significat per impositionem alius. Atqui neque Simoni, neque Zebedæi filijs sua propria nomina sunt ademta ; sed noua potius adiecta cognomina. Itaque passim apud Euangelistas & in Epistolis, priores Petri & Iohannis appellationes vsurpantur. Ita loqui tamen solent Patres, vt dicant mutatum fuisse à Christo nomen suum Simoni : & ita Tertullianus libro IV. aduersus Marcionem, cap. XIV. vbi caussam affert acutissimus Pœnus noui nominis ; *quia & Creator Abrahæ, & Saræ & Auseæ nomina reformarit.* quæ est ipsissima Iustini obseruatio superior. Docet hoc ipsum & Chrysostomus homilia in Iohannem XIX. vbi de nouis nominibus loquens Simoni & Iacobo impositis ; τίνος ἕνεκεν, ait, τοῦτο ποιεῖ; δεικνὺς ὅτι αὐτός ὁ καὶ τὴν παλαιὰν δεδωκώς, αὐτὸς ὁ τὰ ὀνόματα μεταρρυθμίζων· ὁ τὸν Ἄβραμ Ἀβραὰμ καλέσας, καὶ τὴν Σάραν Σάῤῥαν, καὶ τὸν Ἰακὼβ Ἰσραήλ. *Cur hoc Dominus facit? vt ostendat se esse, qui Testamentum vetus dedit : se esse, qui nomina nouæ formæ imponat ; qui Abram vocauit Abraham, Saram Sarram, Iacobum Israelem.* In ea homilia & alibi verbum μετονομάζειν vsurpatur ἀκύρως, vt apud Iustinum & alios. Secundo loco obseruemus, neque olim diuinitus inditas appellationes Abrahamo, Saræ & Iacobo, mysterio caruisse ; neque illa item nomina, quæ suorum nonnullis Christus imposuit. Dicebant olim Stoici, nomina quæ vnicuique competunt in hac vita, esse fontes vnde officia manent : estque adeo apud Arrianum, Epicteti super ea re admodum vtilis disputatio ; docens in summa, sicut titulus præ se fert, πῶς ἀπὸ τῶν ὀνομάτων τὰ καθήκοντα ἔστιν εὑρεῖν : *quomodo ex ipsis nominibus officia possint inueniri.* Sed hæc doctrina in ore Philosophorum, non minus inanis atque infructuosa erat, quàm fuit solida atque efficax in illis, qui simul à Deo cum nominibus nouis, facultatem accipiebant isto diuino beneficio bene vtendi. Enimuero admirandum hoc est disciplinæ genus, à DEO OPT. MAX. inuentum, quod in nominis dumtaxat recordatione est positum. Quoniam enim nomine suo cuique nihil potest esse neque notius, neque familiarius : placuit Deo, cuius consilia abyssus sunt sapientiæ, noua nomina nonnullis suorum indere, quæ illis essent velut sacramenta rerum maximarum ; & vt loquitur Chrysostomus, de hoc

ipso

ipſo Petri nomine differens, *διηνεκεῖς διδασκαλίαν, pro iugi magiſterio*. Nam quis dubitat, Abrahamo, Sarræ & Iſraeli nouas appellationes vſum monitoris alicuius & Prophetæ prębuiſſe, qui promiſſiones ipſis factas in memoriam ſubinde ipſis reuocaret, ac fidei ipſorum nouas in dies, in horas, vires ſufficeret? Idem eſſe iudicandum de nouis appellationibus, quę nonnullis Apoſtolorum reperiuntur impoſitæ, non vno loco docet B. Chryſoſtomus: qui etiam diuinus Doctor in homilia quadam editionis Sauil. tomo VIII. pag. 105. ſcribit, tres integros dies ſe fuiſſe aliquando occupatum, in explicandis cauſſis, cur qui antea Saulus dicebatur, poſtea nominatus ſit Paulus. ἴστε, inquit, ὅτι τρεῖς ἡμέρας ὁλοκλήρους ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τούτου (Παύλου) διελέχθην μόνον, τὰς αἰτίας λέγων, δι' ἃς πρὸ τούτου Σαῦλος καλούμενος, μετὰ ταῦτα ἐκλήθη Παῦλος. Scribit Origenes homilia quadam in principium Euangelij Iohannis; Petrum Apoſtolum ſymbolum fuiſſe fidei, Iohannem verò ſignaſſe intellectum. Vult autem hoc: quum in Chriſti Apoſtolis eius chariſmata varie eminerent; Iohannem, qui per excellentiam eſt appellatus Theologus, propter abſtruſam & profundam rerum diuinarum cognitionem fuiſſe præcipue inſignem: Petrum verò, in cuius humeros præcipua quædam cura incumbebat ædificandæ domus Dei, propter fidei propagationem, atque vt ita dicam, propter practicam Theologiam. Hoc ſenſu etiam Theophylactus in caput XXV. Lucæ, Petrum & Iohannem vocat πρᾶξιν καὶ θεωρίαν, *actionem & contemplationem*. in XX. autem Iohannis ſcribit idem ſic: Σὺ δέ μοι νόει Πέτρον μὲν ὃ πρακτικὸν καὶ θερμόν. Ἰωάννην δὲ ὃ θεωρητικὸν καὶ εὐφυὲς περὶ τὴν τῶν θείων γνῶσιν. & plura in eam ſententiam. cuius etiam veſtigia extant apud B. Auguſtinum, vltimo in Iohannem tractatu. Sed locus Origenis eſt proferendus. *Non temere vt opinor, quis dixerit*, ait ille inter cætera, *plus in typo fidei & actionis, quàm ſcientiæ & contemplationis Petrum talia dixiſſe. Quare? ea ſcilicet ratione, qua Petrus in forma actionis ac fidei ponitur: Iohannes autem contemplationis atque ſcientiæ typum imitatur.* Hoc ſi cui placet, non videtur difficile cauſſam reddere nominum Simoni & Iohanni impoſitorum. Nam vt de Iohanne prius dicam; obſecro, quàm bene conuenit, vt is qui ſymbolum eſſe dicitur doctrinæ cœleſtis, appelletur FILIVS TONITRV? qua appellatione non ſolum Iohannes & Iacobus, ſed vniuerſus Apoſtolorum chorus edoctus eſt, breuiſſimo quodam doctrinæ compendio, Dei verbo nihil eſſe potentius, nihil violentius: neque illi magis à poteſtatibus huius mundi poſſe reſiſti, quàm tonitru poteſt arte humana impediri. *Vox Domini*, ait Dauid, *in virtute; vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringet cedros, confringet cedros Libani. Vox Domini intercidet flammas ignis: vox Domini concutiet deſertum,*

deſertum

deſertum Cades. Hæc Dauidis verba explicant egregie vocem Boanerges, ſiue בני רגש & cauſſam inditæ eius appellationis. Horſum alludens Chryſoſtomus, ſiue quis alius in editione Etonenſi, tomo v. pag. 696. tres Euangeliſtas, Matthæum, Marcum, Lucam, comparat fulguri: οἱ μὲν, ait, ἤστραψαν τὴν οἰκονομίαν, *fulguribus ſimiles Chriſti diſpenſationem*, id eſt, *incarnationem illuſtrarunt* : at Iohannem tonitru : quem ait βροντᾶν τὴν θεολογίαν, *ſcientiam de Deo*, hoc eſt deitate Chriſti, *tradere*, *quæ ſit inſtar tonitru ad percellenda hominum ingenia*. Nec diſſimile eſt, quod ait Dominus apud Ieremiam, I. 18. *ſe dediſſe illum in ciuitatem munitam, in columnam ferream, in murum æneum*. Et ſunt vocis Dei in vtroque Teſtamento ſimilia elogia multa. At Simoni nomen imponitur PETRI, quod lapidem ſignificat. Quare? Diximus ſymbolum actionis Petrum fuiſſe, id eſt, vitæ periculis & caſibus ſexcentis atque erroribus obnoxiæ. Ne igitur aut ipſe, aut cæteri Apoſtoli, qui laborum ſocij illi erant futuri, in medijs tentationum fluctibus deficerent; hoc præclaro nomine coryphæo Apoſtolorum impoſito, omnes illos, nominatim verò Petrum, ad conſtantiam Deus immortalis voluit hortari: & hoc quaſi pignus certiſſimũ illi dare, præſentis auxilij ſui, tempore neceſſario adfuturi. Saxum & lapis propter natiuam duritiem, durationis & conſtantiæ ſymbola ſunt, & animi firmi atq; inconcuſſi. Hoc maxime fulcro opus habuiſſe fidem Petri, & docuit experientia, & obſeruat Origenes, cùm ſcribit de ipſo & Iohanne. *Vnus ſiquidem recumbebat ſuper pectus Dominicum, quod eſt contemplationis ſacramentum: alter ſæpe titubabat, quaſi trepidæ actionis ſymbolum*. Addit in eandem ſententiam plura, quæ apud ipſum legenda lectori relinquo. Quare verba Domini noſtri apud Iohannem, ita videntur accipienda, quaſi dixiſſet; Noui ego te, Simon, quis ſis: nempe tu filius es Ionæ, quæ vox columbam ſignificat; ipſe columbæ ſimilis, timidus & virium nullarum. Sed me vide: ego te & miniſterio arduo deſtino, & vires tanto oneri pares volo ſufficere: in cuius rei ſignum atque teſtimonium, eſto deinceps Petrus nomine: non de quauis petra appellatione deriuata; ſed de me ipſo; qui & ſum vera conſtantia atq; firmitas, & PETRA vocor: vt fias tu quoque præſidio meo fultus, petra quauis firmior, & ſimilis conſtantiæ alijs ſuaſor, ac magni incepti quod molior, primarius fundator, atq; auctoritatis præcipuæ ἐργοδιώκτης. Omnino in appellatione Cephæ latere myſterium, & illa euincunt, quæ ante diximus; & Iohannes oſtendit, cùm Græcè ſcribens, Syriacæ vocis Græcam interpretationem ſtatim ſubijcit. Atque hoc myſterium Chriſtus poſtea clarius aperuit, vt narrat Matthæus cap. XVI. ijs verbis, de quibus accurate inferius, Deo propitio, ſumus dicturi.

XIV. *Testimonia Chrysostomi de caussa appellationis Petri. Petri* προστασία *&* παρρησία. *An nouum nomen aliquam dignitatis prærogatiuam Petro attulerit.*

IBIDEM.

CONfirmandis ijs quæ modò disseruimus, subijciemus B. Chrysostomi aliquot loca, ex quibus constabit liquidò, quod fuerit tanti Doctoris iudicium de caussis & significatione appellationis PETRI Simoni inditæ. Solet autem hic duas eius nominis caussas afferre; zeli amorisque erga Christum vehementiam, & fidei firmitudinem. In eam ad Galatas, capite II. disputationem ingrediens de controuersia inter Paulum & Petrum; initio huiusmodi obseruationem proponit. Πρότερον, ait, ἀναγκαῖον περὶ τῆς τοῦ Πέτρου παρρησίας εἰπεῖν, καὶ πῶς ἀεὶ πάντων αὐτὸς κατεπήδα τῶν μαθητῶν· ἐκ γὰρ τὴν προσηγορίαν ἐντεῦθεν ἔλαβε, διὰ τὸ ἀκλινὲς καὶ ἀπερίτρεπτον τῆς πίστεως. Καὶ ὅτι κοινῇ πάντες ἠρωτῶντο, τῶν ἄλλων προπηδήσας φησί, Σὺ εἶ ὁ Χριστός. *Prius necessario dicendum est de ea quam Petrus solitus vsurpare fiducia*, siue *libertate; & quomodo semper omnibus discipulis insultauerit*; id est, partes eorum anteuertens occupauerit. *quippe nomen inde sumpsit, propter fidem quæ flecti aut euerti non poterat. Et cùm in commune omnes interrogabantur, ille præ cæteris exiliens, ait, Tu es Christus.* Auctoritas illa, quam Petrus vsurpauit inter collegas Apostolos, vocari solet à Chrysostomo, προστασία, *cura* siue *præsidentia*, vel παρρησία, *fiducia* aut *libertas*. vtraque vox à dominatione, & imperio monarchico, quod postea excogitatum est, tam longe abest quàm quod longissimè. Quare Chrysostomus & hîc & semper alibi caussam eius fiduciæ assignat; non ius dominandi à Christo acceptum, sed zelum & fidei magnitudinem. Sauilianæ editionis tomo V. p. 281. homilia in principium Actorum: Ὁρᾷς ὅτι καὶ αὐτὸ τὸ Πέτρον κληθῆναι, οὐκ ἀπὸ θαυμάτων, ἀλλ' ἀπὸ ζήλου πεπυρωμένου ἔλαβε τὴν ἀρχήν. *Viden' vt illud ipsum, quod Petrus est appellatus, non à miraculis habuit initium, sed ab ignito zelo.* Tomo VIII. in increpatione eorum qui ad synaxin non venerant, p. 105. Ὁ Θεὸς ἀρετῆς ὑπόμνησιν καὶ διδασκαλίαν, ὥσπερ ἐν στήλῃ χαλκῇ τῇ προσηγορίᾳ τῶν ἁγίων ἐναποτίθεται. Τὸν γοῦν Πέτρον, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς οὕτως ἐκάλεσε, τὴν ἀπόδειξιν τῆς περὶ τὴν πίστιν στερρότητος ἐναποτιθέμενος αὐτοῦ τῷ ὀνόματι· ἵνα ἔχῃ διδάσκαλον διηνεκῆ τὴν προσηγορίαν, τῆς τοιαύτης στερρότητος. *Deus admonitionem virtutis & doctrinam in ipsas indit appellationes sanctorum, tanquam in pilam æream. Petrum igitur à virtute ipsius sic nominauit; demonstrationem ipsius nomini indens, firmitudinis circa fidem: vt esset ipsi suum nomen, eiusmodi firmitudinis doctor perpetuus.* Omitto similes locos. Quæri verò solet, an noui nominis assumptione prærogatiua aliqua dignitatis

tatis Petro sit quæsita. Respondeo; Si auctorem sequimur Chrysostomum, illi Apostoli quibus nouæ appellationes à Domino sunt inditæ, videntur prærogatiuam aliquam habuisse supra reliquos; ipse appellat, ἐξαίρετόν τι, *aliquid eximij*; atque hoc ipse interpretatur, demonstrationem πλείονος οἰκειώσεως, *maioris coniunctionis*. Cæterum in hoc censu ponuntur ex æquo, Petrus, Iacobus & Iohannes, item Paulus. Petro autem vllam dignitatis prærogatiuam hac ratione fuisse collatam, nusquam legitur apud Chrysostomum: imo verò huius plane contrarium in diuinis eius Patris monumentis, difficile non est inuenire. Initio epistolæ Pauli ad Romanos in illa verba, *Paulus seruus Iesu Christi*, ita scribit: Τίνος ἕνεκε μετέθηκε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ Θεός, καὶ Σαῦλον ὄντα, Παῦλον ἐκάλεσεν; ἵνα μηδὲ ταύτῃ τῶν Ἀποστόλων ἔλαττον ἔχῃ· ἀλλ' ὅπερ εἶχεν ἐξαίρετον ὁ κορυφαῖος τῶν μαθητῶν, τοῦτο καὶ αὐτὸς κτήσηται, καὶ πλείονος οἰκειώσεως ὑπόθεσιν λάβῃ. *Cur nomen eius Deus mutauit, & qui erat Saulus, vocatus ab eo est Paulus? vt ne hac quidem in parte cæteris Apostolis esset inferior: sed quod habebat eximium princeps discipulorum, id ipsum Paulus quoque assequeretur, & maioris coniunctionis argumentum inde caperet.* Propterea quoties de mutatis nominibus differit, omnia Noui Testamenti solet coniungere, neque vllum iuris discrimen in hac parte vsquam agnoscit. Vide in II. tomo, pag. 632. in octauo, pag. 67. & 105. & similes locos.

XV. *Sententia Baronij de appellatione Petri. Petrus lapis primarius, vt & Christus. Obseruatio Baronij & aliorum, Petrum dicendum fuisse* PETRAM, *quàm solida, & quò spectet.*

IBIDEM.

IAm Baronium audiamus longè alia commentantem. *Sed quod insuper consideratione dignum existimamus; hoc ipso initio Ecclesiæ erigendæ, (quæ ædificatio Dei est)* CHRISTVS DOMINVS *tantæ molis excitandæ sapientissimus architectus, de primario lapide in fundamento collocando statim cogitans, Simoni mox dixit, Tu vocaberis Cephas.* Omittit caussam nouæ appellationis, quam tot locis Patres commemorant, præsertim Chrysostomus, sicuti ostendimus. Caussa omissionis est; quia Patres quidem, Petrum à Petra crediderunt denominatum, vt expresse affirmant Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Eusebius Emisenus, alij: at Baronio & hodiernis Doctoribus Hildebrandinæ sapientiæ, pene hæretica est hæc sententia, vt mox indicabit Baronius. Volunt enim non à Petra Christo Petrum esse dictum; sed ipsum Simonem esse petram, & hoc illi cum Christo esse commune nomen. Ait igitur pater Annalium; Petrum à Christo positum esse LAPIDEM PRIMARIVM in

ædificio

ædificio Ecclesiæ. Parum illi videlicet visum est, dicere super Petro Ecclesiam Dei esse fundatam; nisi ipsum faceret in fundamento Ecclesiæ lapidem primarium. Si quærat hîc aliquis, ecquem in Ecclesiæ suæ fundamento locum CHRISTVS obtinebit, si lapidis primarij locum Petrus occupat: respondebo, Baronium alibi Christum quoq; appellare lapidem primarium. Cæterùm, quàm leue aut fere nullum discrimen ab eo statuatur inter Dominum & seruum, creatorem & creaturam, largitorem vitæ æternæ & eiusdem præconem, declarat illius prolixa disputatio super verbis Christi, Matth. XVI. 18. quæ habetur in anno XXXIII. vbi doctrina illius erit expendenda. Pergit verò, & rationem suæ sententiæ reddit hanc: *Vox Syriaca Latinè interpretata, idem quod Petra significat; ex Græca autem lingua dicitur Petrus; nam apud illos ὁ πέτρος idem est atq; ἡ πέτρα: sicque apud nos idem sit Petrus quod petra: nec à petra Petrus, sed ipse Petra, quo nomine à Christo appellatus cognoscitur; quod nunc pollicetur, cùm ait, Tu vocaberis Cephas: ac si diceret, Tu vocaberis Petra.* Idem argumentum multis persequitur Bellarminus de Romano Pontifice, lib. I. cap. IX. & iterum cap. XVII. vt alios minorum gentium scriptores, linguarum imperitos, indoctos, ridiculos, taceam. Volunt omnes hi Πέτρον esse appellatum ab auctoribus Græci Testamenti, qui erat verius appellandus Πέτρα, *Petra*, si per leges Græcæ linguæ licuisset. Rationem afferunt; quia Christus Syriaca voce est vsus, quæ sine vlla variatione περιώπως, vt appellat Aristoteles, & lapidem significat & Petrum. Si huius subtilitatis venisset in mentem veteri Latino interpreti, aut Hieronymo, poterant illi per Romani sermonis analogiam, pro Petro Petram dicere, vel Saxam, quod fuit olim gentis Didiæ cognomen & Voconiæ. Atque ea forma Latini in multis vsi sunt, vt paullo post sumus probaturi. Hæc Grammatica obseruatio eò spectat, vt per illam noua Theologia stabiliatur, quæ non patitur aliquid Domino nostro tribui in hac parte, quod non & Petro tribuatur. Istud verò Theologicum ψευδογράφημα, quàm alienum sit à veteri fide, quantamq; & quàm horribilem in se blasphemiam contineat, ostensuri sumus ad annum XXXIII. vbi Baronius ex professo hanc quæstionem tractat, & testimonijs Patrum confirmare nititur. Nunc eius vestigia premamus.

Ll ... *XVI.* *Refutatio*

XVI. *Refutatur Baronianus paralogismus, negantis Petrum à Petra Christo esse denominatum, quia Syriacè & Petra & Petrus eadem voce dicantur* Cepha. *Ostenditur eiusmodi nomina pro linguarum & vocum genio, vel cum paronymia formari, vel cum homonymia : neque vllum esse in re discrimen. Augustinus defenditur. Nodus hodiernæ controuersiæ indicatur.*

IBIDEM.

NOn *est*, ait Baronius, *à Petra Petrus, sed ipse est Petra.* Si Simon est Petra, quomodo Christus est Petra, & primarium Ecclesiæ fundamentum, vt non semel affirmat Baronius, Petrus censeri debet: habemus vt duas Petras, sic duos Christos. quæ tam manifesta est blasphemia, vt illos ipsos qui ita disputant, Baronium & Bellarminum, necessitatem huius consequentiæ, quam ad annum XXXIII. probaturi sumus, existimem non attendisse. Si non eodem modo neque eadem ratione Simon est Petra, qua Christus est Petra ; hac probatione nihil quicquam eius efficitur, quod probare voluerunt duo Cardinales. Omnino enim Petra de Christo & Simone prædicatur, aut συνωνύμως, aut ὁμωνύμως, aut παρωνύμως. Si συνωνύμως & vniuocè, oportet eandem definitionem conuenire Petræ Christo, & Petræ Simoni. Christus Petra dicitur, quia præstat Ecclesiæ suæ vitam, & tuitionem vitæ aduersus omnia pericula, quà interna, quà externa, vt accuratè demonstraturi sumus ex ipsa vi eius vocis. Hoc sensu Simon si dicitur Petra ; efficitur Deum verum illum esse. Hæc verò maior & apertior blasphemia est, quàm vt ferri in vllius mortalis ore debeat. Non igitur sunt vniuocæ illæ enuntiationes. Sequitur inde, aut æquiuocas esse aut paronymas : neutro autem modo eadem definitio vtrique enuntiationi congruet: & verum erit, quod omnes pij contendunt aduersus nouæ Theologiæ auctores : ingens discrimen esse inter Petram Christum, & Petram Simonem. Porrò vtrum ὁμωνύμως an παρωνύμως dicatur Simon Petra, à Petra Christo, in re non multum interest, in vocis formatione differentia tota est posita. Quæ desiderantur proprietates vt fiant duo nomina æquiuoca, eædem possunt etiam in paronymis obseruari : sed vt legitima paronymia constituatur, hoc amplius desideratur, vt sit differentia πτώσεως inter duo nomina, hoc est, vt terminatione differant. Simplicius in Categorias. Τριῶν δ᾽ ὄντων τῷ ἀπό τινος παρωνομαζομένῳ φασί· τοῦ τε πράγματος ἀφ' οὗ παρωνόμασται, καὶ τοῦ ὀνόματος, καὶ ἔτι μέντοι τοῦ ἀνομοίου τῆς καταλήξεως, ὅπερ καλεῖ πτῶσιν Ἀριστοτέλης. *Tria desiderari aiunt Philosophi in eo qui paronymice ab aliquo est denominandus : res vnde nomen paronymicum deriuatur, ipsum nomen, dissimilitudo terminationis,*

quam

quam Aristoteles appellat πτῶσιν. Deinde tertiæ conditionis necessitatem pluribus explicat. CEPHA igitur apud Syros cum proprium sit nomen, etsi relationem habet ad CEPHA petra vel lapis, paronymum tamen dici non potest. Contra apud Græcos & Latinos Petrus à petra dicetur παρώνυμος, quia terminatione differunt. Totum discrimen in vocibus est, in re nullum est prorsus. Discrimen vocum facit diuersus linguarum genius, & in eadem lingua analogiæ ratio dissimilis in diuersis vocibus. Inde fit, vt cum ex re aliqua sit propria hominis appellatio, prius nomen & posterius fiant vel homonyma, vel paronyma, prout cuiusque linguæ fert ratio, aut natura ipsius vocis, quæ rem significat. Exemplis res declarabitur melius. Primi qui apud Romanos in gente Tullia Cicerones & in gente Calpurnia Pisones sunt dicti, à cicere dubio procul & piso cognomina inuenerunt; quod in cultura eorum leguminum præstare crederentur. Igitur à voce *cicer* dictus Cicero παρωνύμως; à voce *pisum*, Piso, item παρωνύμως. Contra, qui in gente Licinia primus Stolo est cognominatus, in Tremellia primus Scrofa, à vocibus *stolo* & *scrofa*, nomina inuenerunt, quorum caussas explicant Varro, Columella, Macrobius, alij. STOLO igitur cum rei rusticæ vocabulum est, & τὸν βλαστὸν significat, & cum Licinij est cognomen; item SCROFA cùm suem fœtam denotat, & cùm est Tremellij cognomen; aut SCIPIO cùm designat σκῆπτρον, & quando Cornelij est cognomen; semper in istis posterius vocabulum priori est homonymum, non autem paronymum. Et est in Latina lingua hæc formatio vsitatissima. Eius formæ cognomina sunt, Merula, Sura, Testa, Ruga, Vocula, Gutta, Penula, & alia plurima. In Greca lingua ea forma rarius occurrit: quia facilius flectuntur Greca nomina in omnem figuram. Interdum tamen etiam in Grecis appellationibus eadem analogia occurrit. Seleucus III. regni Macedonici in Oriente Rex septimus, Κεραυνὸς dici voluit: κεραυνὸς *fulmen*, & Ceraunus cognomen Seleuci, homonyma sunt, non paronyma. Seleucus II. non solum Καλλίνικος dictus est, sed etiam Πώγων. πώγων *barba*, & Pogon Seleuci huius cognomentum homonymiam habent, non paronymiam. Huius Seleuci frater Antiochus Ἱέραξ à rapinis & velocitate cognomen inuenit. ἱέραξ *accipiter*; Hierax cognomen Antiochi. Fuit & aliorum vel cognomen, vel nomen: nam tempore Demosthenis ciuis quidam Amphipolitanus venit Legatus Athenas, cui erat Hierax nomen. & Hierax dictus fuit vnus illorum ad quos scribebat Isidorus Pelusiota libro primo. Finge eundem ab ἀετὸς simili analogia dictum fuisse Ἀετός. Latine vertetur commodissimè id nomen Aquilo ab aquila. Ita erit in Grecis vocibus ὁμωνυμία; in Latinis παρωνυμία: plane vt in Syriacis

cepha Cepha eſt ὁμωνυμία; in Græcis πέτρα Πέτρος, & Latinis petra Petrus eſt παρωνυμία. Diſcrimen in ſola vocum forma poſitum eſt; in re nullum eſt omnino. Sunt autem iſta ratione multa Hebræorum & Syrorum nomina formata: quoniam illarum linguarum voces non tam flexibiles ſunt, neque tam facile nouam πτῶσιν admittunt, quàm faciunt Græcæ. יונה *iona* columba, יונה *iona* Ionas, proprium nomen Prophetæ. eædem literæ, eadem pronuntiatio, nulla πτῶσις in poſteriore voce. ענן *hanan* nubes, ענן *Hanan* proprium viri, Nehemiæ x. 26. לבנה *lebana* luna, res alba, לבנה *Lebana* proprium viri, apud eundem Nehemiam. Sic כיפא *cepha* lapis, כיפא *Cepha* Petrus. Concludamus igitur, nullum maius myſterium latere in Syriacis vocibus, quas Dominus noſter vſurpauit, quàm in Græcis. Baronius verò & Bellarminus, & quicunque alij nodum in ſirpo quærunt, dum diſputatores ſubtiles videri volunt, Spiritui Sancto grauem faciunt iniuriam; quem tacitè accuſant, quaſi mentem Chriſti in ſcribendis Græcis Euangelijs, parum expreſſerit, & rem tanti momenti, vt quidem iſtis placet, nullo pacto ſignificarit. Concludamus etiam, B. Auguſtinum, qui non vno loco ſuorum ſcriptorum, & nominatim in Retractationum ſuarum libro primo, capite x x I. Petrum à petra docet dici, vt à Chriſto dicitur Chriſtianus, item Hieronymum, Ambroſium, Eucherium Lugdunenſem, qui hoc ipſum affirmant, piè doctéque ſenſiſſe, & quod res eſt dixiſſe: iſtos verò nouos diſputatores, qui ab illis diſſentiunt, & veræ Theologiæ, & rectæ Grammaticæ parum peritos ſe probare. Hoc cum dicimus, propterea tamen non negamus, B. Petrum à Patribus ſæpe appellatum eſſe & petram & fundamentũ: nam & ita vocatũ ſcimus, & ex rei veritate ita vocari poſſe non diffitemur. Neq; enim ij nos ſumus, qui in prædicandis veris laudibus principis Apoſtolorũ, cuiquam cedere velimus. Quare operam perdunt & oleum Baronius alijque, qui teſtimonia Patrum congerunt, vt rem probent per ſe manifeſtam: at non illud eſt τὸ κρινόμενον. Verus controuerſię huius ſtatus in duobus hiſce capitibus eſt poſitus: prius eſt, vtrum Patres eo ſenſu appellauerint Petrũ Eccleſiæ petram & fundamentũ, quo hodie accipi volunt, & ab aliquot retro ſeculis voluerunt omnipotentiæ Romani Pontificis patroni, paraſiti illius, puri puti hæretici Hildebrandini. Alterũ caput eſt; vtrum ex hiſce appellationibus Petro attributis aut in Euangelio, aut in Patrum ſcriptis, recte & bona fide primatus, vel potius δεσποτικὴ dominatio Papæ Romani in omnes populos Orbis totius colligatur. Non enim propter Petrũ de Petri honore diſputatur hodie; ſed propter Papam: cui vtinam ſui adulatores potius perſuaderent, vt verarum Petri virtutum, quàm falſorum titulorum heres eſſe mallet.

XVII. *Expendantur*

XVII. *Expenduntur allata testimonia ad probandum primatum ex appellatione* Petri. *Sermones de Cathedra Petri non sunt Augustini.* PETRA *de Christo & Petro æquiuocè dicitur: cuius rei symbolum.* Continere compagem Ecclesiæ, *quo sensu de Petro. Appellationes Deo propriæ eius seruis tributæ. Patrum figurata dicta in homilijs.* Adiutores Dei. *Pauli sententia apud Homerum:* incrementat. *Patres qui verba Scripturæ ponunt tantùm, neque exponunt, nihil probant. Locus Tertulliani exponitur. Subtilitas Baronij vt neget Petrum esse à Petra deriuatum nomen. Hieronymi locus à praua interpretatione vindicatur.* Κυριακὸν *&* Dominicum. Dominicum celebrare. Δεῖπνον Κυριακόν.

ANNI XXXI. Num. XXV.

VT breuiter quædam dicamus de testimonijs à Baronio allatis; sermo de Cathedra Petri, quem ille laudat vt Augustini, quia habetur in tomo decimo operum illius; non est Augustini, sed Ambrosij. Extat enim, totidem fere verbis, inter eius Patris sermones de Sanctis per annum. Tantum prima periodus leuiter immutata. Apud Ambrosium sic: *Adstruximus superiore Dominica sanctum Petrum in Saluatoris passione,* &c. Apud Augustinum verò sic: *Nostis, fratres charissimi, beatissimum Petrum in Saluatoris passione,* &c. Deinceps ad finem vsque plane vtrobique eadem verba: nisi quid leuiter descriptorum negligentia mutauit. Non fugit me solitos Patres Latinos interdum scriptis priorum vti pro suis: sed fere Græcorum: sicut obseruauit Hieronymus, & nemo eruditus ignorat, de ipso Ambrosio; qui Basilij in Hexaemeron homilias, pene ad verbum Latinas fecit: sed Augustinum sermonem integrum Ambrosij pro suo vsurpaturum, & in censum suorum scriptorum fore relaturum, quis existimet? Ego certe non adducor vt credam. Quicquid huius sit, omnino Ambrosij, non Augustini est ille sermo: ex quo an possit colligi aliquid, hodiernis opinionibus congruum, breuiter videamus. Ait Ambrosius: *Petrum pro soliditate deuotionis Petram dici, Christum pro virtute.* Rectè & verè. Atque hoc illud ipsum est, quod totis ingenij viribus tuentur pij; qui magnitudinem pietatis, zeli & deuotionis Petri admirantur, & tota voluntate ferunt laudibus in cœlum: sed ita, vt constitutam, edoctam, & seruatam semper Ecclesiam Dei fuisse pertendant, vnius Christi, Dei & hominis virtute, & Spiritus Sancti efficacia, non cuiusquam mortalium. Quid hoc ad hodiernam omnipotentiam? Nam eò referuntur omnia. Si PETRA esset symbolum dominationis, esset aliquis, falsus ille quidem; sed tamen esset aliquis color huic argumentationi:

argumentationi: sed illa vox, ne in Christo quidem dominationis est symbolum, verùm firmitudinis & durationis: nedum sit in Petro. Ait Ambrosius: *Petra dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit.* Nota, *fidei fundamenta*; non terreni principatus, aut monarchiæ. Primus autem ponitur Petrus inter Christi ministros, quorum ille opera vsus est, in Ecclesia sua instituenda. Hoc quoque rectè, vere & piè. Nam quis hoc negat? aut quis negantem ferat? Quoniam verò prima fundatio Ecclesiarum, Petro communis fuit cum omnibus Apostolis; omnes Apostoli erunt petra & fundamentum Ecclesiæ: atque adeo ita illos nominari in Scripturis & Patribus, demonstramus in disputatione anni XXXIII. vbi etiam exponimus, quam ob caussam verè dici queat is titulus Petro & alijs nonnullis Apostolorum peculiariter conuenire. Addit Ambrosius & ex eo subdititius Augustinus: *& tanquam saxum immobile totius operis Christi compagem molemque contineat.* Si propriè loqui volumus, *continere compagem Ecclesiæ*, virtutis est, non deuotionis. Christus igitur hoc facit, non Petrus: nam rectè dictum modò, Petrum deuotione dumtaxat esse Petram; at Christum virtute. Sed quia ad iacienda Ecclesiæ fundamenta, Christus Petro vsus est, tanquam excellente præ multis instrumento; mirum non est, tribui instrumento, quod propriè Christo, veræ efficienti caussæ conuenit. Est igitur acyrologia, & figura: cui geminam vsurpat Chrysostomus, cùm Petrum appellat κρηπῖδα τῆς Ἐκκλησίας, *crepidinem Ecclesiæ*, siue *basim.* Et est hæc figura, cum in communi sermone vsitatissima; tum apprime obseruanda in homilijs omnium Patrum: quę proxime accedunt persæpe ad genus demonstratiuum. Quare vera Patrum sententia ex eiusmodi figuratis dictis peti non debet; verum ex alijs eorundem scriptis. Nam, vt à proposito Ambrosij loco ne discedam: *Petrus compagem Ecclesiæ continere*, sic illi dicitur, vt idem Pater dicit alibi, Paulum *operire Christianos ne tententur.* quum tamen non Paulum, sed Christum orantes doceantur Christiani dicere: *Ne nos inducas in tentationem.* Locus est in sermone de Petro & Paulo: *Optima Apostolorum nomina, petra & vasculum*: (quia Paulus dictus vas electionis:) *necessaria domui Saluatoris. Petra ad firmitatem ne labantur sustentat populos: vas ad custodiam ne tententur operit Christianos.* At disputatores hodierni, cùm eiusmodi locutiones obseruant in scriptis Patrum; non tanquam figurata dicta, impropria & hyperbolica volunt eas intelligi: verùm simpliciter vt verba sonant. Qua de re plura inferius erunt dicenda, ad annum XXXIII. Sequitur statim apud Ambrosium; *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.* Alludit ad locum Pauli, 1. Corinth. III. 9. vbi de se & alijs Apostolis scribit, Θεοῦ ἐσμὲν

συνεργοί,

συνεργοί. *Dei sumus adiutores*, vt est in vulgata. Si teste Paulo, omnes Apostoli Deo cooperantur, quid miramur dici idem heic de Petro? Proxima verba supplenda sunt ex Paulo, quem iterum imitatur, & dicendum: *nec Petrus qui ponit fundamentum est aliquid, nec Petrus qui plantat; sed Dominus qui incrementum dat.* vel vt habent editiones Augustini, *incrementat.* ὁ αὐξάνων Θεός. Varro, Rerum diuinarum, *grandire* eo sensu posuit. *cùm aut humus seminari incipere non possit, aut recepta non reddat, aut edita grandire nequeat.* Pauli sententia diuina est; ne ijs quidem ignota, quos nulla melior lux præter naturalem illustrabat. Nam Homerus eodem verbo vsus, cùm ferme idem diceret.

Ὃς μάλα πολλὰ κάμνησι· Θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξῃ.

Subijcit postremò Baronius, ex eodem, vt ait, Augustino: est verò illius sermonis obscurus auctor & incertus: vt multum caussam adiuuare eius testimonium nequeat. *Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis, Petrus* (scribendum *Petra*) *esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Trium quæ in hoc testimonio tribuuntur Petro, primum è Matthæi XVI. 18. est depromptum: alterum ex ea ad Galatas, II. 9. tertium habetur Matth. XVI. 19. quibus in locis non de solo agitur Petro, sed & de alijs Apostolis. At quo sensu dicatur Petrus *petra, columna & clauis*, non exponit ille auctor. Quare eius testimonio vti; id verò nihil aliud est, nisi operam ludere. Subijcitur mox locus Tertulliani è libro IV. contra Marcionem, capite XIII. tam alienus à proposito, vt vix abstineam quin dicam cum veteri poeta, καὶ γὰρ ἂν πέτρος φύσιν σύγ' ὀργάνειας. quis enim tam patiens, cui non bilem cieat hæc, vel supinitas, vel nescio quid dicam? Eo loco Tertullianus probat, Christum noui Fœderis Deum, esse eundem, qui in veteri Testamento proditur, quod negabat Marcion. Inter cætera argumenta, affert mutatum Petro nomen, vt olim Abrahamo & alijs; deinde, cur Simon Petrus fuerit dictus, potius quàm alio quo nomine, rationem affert; quia Christus charissimo sibi discipulo nomen communicauerit suum, quod iam olim à Prophetis ipsi fuerat tributum. petram enim siue lapidem, appellatum esse Christum ab Isaia. Vnde sequitur non male, Christum qui narratur in Euangelijs, eundem esse de quo Isaias. Hæc mens Tertulliani, clara, perspicua & certa. at quid hoc ad rhombum? Nemo enim dubitat Petrum relatione ad Christum, & per nominis quod proprie Christo congruit, participationem, dictum fuisse Petrum, vel etiam petram. quare ἀέρα δέρει Baronius, & funem ex arena nectit. Basilij, Hieronymi, Leonis testimonia commodius expendentur in anno trigesimo tertio, cum alijs eiusdem argumenti. Nunc audiamus miram subtilitatem. Ait: *Cùm itaque Petrus*

petra,

petra, vt & Christus petra, dicatur: hac ratione dici potest, nomen Petri deriuatum à Christo, non tamen deriuatiuum nominis Christi. Quid sibi ista velint si dicam me intelligere, mentiar. Inimici mei, perditissimi hæretici, parricidialis doctrinæ magistri, Græculi Cretenses, & id genus nebulones, Grammaticum me, postquam incaluerunt, solent appellare: ego verò fateor, non tantos in ea arte progressus me fecisse, vt hanc Baronianam subtilitatem, an futilitatem, possim capere. Illud satis capio: admodum fuisse illum sollicitum, ne videatur Petrus παρωνύμως dici à petra Christo. Hoc illi parum esse honestum Petro videbatur; ac fortasse etiam contumeliosum iudicabat. Et sane, si Petrus Ecclesiæ est primarium fundamentum, vt pronuntiat Baronius tot locis, non minus petram illum esse oportet, quàm Christum ipsum. Sed nos iam diximus non semel, hanc sententiam cum immani blasphemia esse coniunctam, si quis putet & Christum & Simonem eadem notione posse petram appellari. Certe aut nesciuit Baronius, quæ vis sit appellationis PETRAE, quam nos probaturi sumus proxime accedere ad nomen admirabile Tetragrammatum; aut ipsa religionis Christianę prima elementa vir tantus ignorauit. Ne illud quidem intelligo, subiectus Hieronymi locus ad propositum quid faciat: tantum video trahi violenter ad Petrum, quæ de Ecclesia dixit Hieronymus. Attende Lector & iudica. Ille Pater in prima verba capitis LXII. Isaiæ, de Ecclesia Christi loquens; *Denique*, ait, *nequaquam vocabitur Hierusalem & Sion, sed nouum nomen accipiet, quod ei Dominus imposuerit, dicens ad Apostolum Petrum, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quod vocabulum à nomine Domini deriuauit, vt dicatur dominicum.* Et Propheta eo loci de Ecclesia loquitur, non de Christo; & interpretem quoque Hieronymum de eadem sentire, cum res arguit, tum ex eius verbis est clarissimum. Sed Baronius vt illa posset ad Petrum referre, malo exemplo, primis verbis sententiam mutilauit. Sensus est: Olim Ecclesiam Iudaicam esse appellatam Sion & Ierusalem; at Christi Ecclesiam, quam ipse ædificaturum se promisit Petrum alloquens, non amplius Sion aut Ierusalem fore appellandam, sed Dominicum, tanquam opus manuum Domini. Quis fando vnquam audiuit, Petro nomen fuisse Dominico? hanc tam absurdam, tam falsam sententiam Baronio probatam esse, nemo satis queat mirari. At Ecclesias primi Christiani vocabant DOMINICA & Κυριακὰ: vnde mansit appellatio apud Anglos *Church.* Cyrillus Ierosolymitanus, catechesi XVIII. κἄν ποτε ἐπιδημῇς ἐν πόλεσι, μὴ ἁπλῶς ἐξέταζε ποῦ τὸ Κυριακόν ἐστι· καὶ γὰρ αἱ λοιπαὶ τῶν ἀσεβῶν αἱρέσεις Κυριακὰ τὰ ἑαυτῶν σπήλαια καλεῖν ἐπιχειροῦσι. *Si quando in vrbem aliquam veneris,*

ris, ne simpliciter inquire vbi est Dominicum : nam & reliquæ impiorum sectæ suas speluncas Dominica contendunt nominare. Concilium Neocæsariense, canone quinto : Κατηχούμενος εἰσερχόμενος εἰς τὸ Κυριακὸν, ἐν τῇ τῶν κατηχουμένων τάξει στήκῃ. De Dominico aureo Antiocheno, lege B. Athanasium in Apologia ad Imperatorem Constantium, & Baronij Annales in anno Domini CCCXXVI. 65. & alibi. Propriè κυριακὸν est liturgia, ἡ μυστικὴ εὐλογία, missa. *dominicum celebrare*, κυριακὸν τελεῖν, pro rem sacram facere, sæpe in Actis Martyrum, vt in ijs, quæ describit Baronius in anno CCCIII. 46. κυριακὸν igitur absolute dictum, pro κυριακὸν δεῖπνον, *celebrare dominicam*, pro, celebrare cœnam Domini. Desumpta enim appellatio è Paulo, 1. Corinth. XI. 20. Hippolyti locus, [illegible] ἔπος. Quo sensu dicatur Petrus PRINCEPS in Græcorum versionibus, vt in hoc loco Hippolyti ; quo item apud Patres Latinos, interius erit expendendum.

XVIII. *Optati error, confundentis vocem Syriacam Κηφᾶς, cum Græca κεφαλὴ, & stupor tuentium hodie tam ineptum commentum. Decretalis Anacleti tacitè Baronio damnata. Vigilij & Innocentij III. hallucinationes. Hebraicæ voces accommodari etymologiæ Græcæ possunt : argumenta verò ab etymo falso in re controuersa duci non possunt. An verba Interpretum sacrorum eodem pacto censeri debeant à Spiritu S. profecta, vt quæ sunt in origine Hebraica aut Græca.*

ANNI XXXI. Num. XXVII.

AT quę sequuntur, quis adeo Stoicus, qui legat sine indignatione? quis tam Crassus, qui sine risu? Iam posuit Baronius Petrum primarium fundamentum domus Dei ; idque eo argumento probatum est, quia sit appellatus à Domino Cephas. Ecce aliud oraculum : Petrus est caput Ecclesiæ, quia Optatus Mileuitanus dixit lib. II. *Apostolorum caput Petrus ; vnde & Cephas appellatus est.* Hoc quia facere ad stabiliendam omnipotentiam Romanam videtur, placet Baronio, & vt solidum probatur. Paullo antè diuinus vir Augustinus, quia veram Ecclesiæ petram constituebat Christum, non autem Petrum ; vt sermonis Syriaci imperitus & rusticus Africanus traducebatur. Obsecro, quæ hæc iniquitas est? Audebit aliquis B. Augustinum propter sententiam verissimam reprehendere : & negabit idem Optatum reprehendendum pueriliter errantem? Africanus, inquit, erat Augustinus, & Syriacæ linguæ ignarus. Ferat igitur & nos idem meliore iure dicentes : Africanus erat Optatus, Hebraici & Syriaci sermonis prorsus

ſus imperitus; Græcæ quoque linguæ, vt videtur, omnino rudis: nam ſi vel primis rudimentis Helleniſmi fuiſſet imbutus, nunquam dixiſſet κηφᾶς deduci à κεφαλῆς: qui error eſt plus quàm puerilis, & omnes ineptias ſuperat, quæ in hoc genere leguntur, vel in Rationali Durandi, vel apud Zachariam Chryſopolitanum, vel in Legenda aurea, ſiue Lombardica hiſtoria Iacobi de Voragine Archiepiſcopi Genuenſis, ſane facetiſſimæ. Adde quod futiliſſimæ aſſertioni coniunctum eſſe crimen impietatis, non ſine cauſſa contendat aliquis: dicere enim nomen Cephas ſignificare caput, quid aliud eſt, niſi imperitiam vel mendacium B. Iohanni obijcere, cuius expreſſa verba ſunt, 1. 43. ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος. *cuius vocis Cepha interpretatio eſt Petrus.* Si fidem Iohanni Euangeliſtæ habuit Optatus, quid oportebat illum aliam interpretationem comminiſci? Sed nos Optato, viro de Eccleſia Dei bene merito, facilè ignoſcimus: neque verò ita inſanimus, vt propter linguarum ignorationem, vllius Sanctorum Dei viuentis gloriam vlla ex parte velimus imminutam. Baronius verò grauiſſima reprehenſione dignus, qui vt hodiernæ ambitioni ſeruiret, hallucinationem Optati, (ſi tamen Optati ſunt illa verba: non enim deſunt viri graues, qui inſititio gloſſemate corruptum fuiſſe Optati textum contendant:) propter honorem antiquis Patribus debitum, diſſimulandum, ventilare & in argumentum rei maximæ trahere non erubuit. Bellarminus verò, qui editione Hebraicæ Grammaticæ, aliquam eius linguæ peritiam eſt profeſſus, multo etiam grauius peccat, hoc argumentum afferens in ſuis diſputationibus, quàm Baronius. Quod ait Baronius, primo omnium Patrum Latinorum eius argutiolæ veniſſe in mentem, Optato Mileuitano; ſi à ſciente & prudente ſcriptum, ingenuitatis laudem meretur. Tacitè enim decretalem Anacleti Papæ damnat Baronius, pro qua Turrianus & eius farinæ ſcriptores multi, tanquam pro aris & focis dimicare ſolent. Ea eſt decretalis tertia, in qua exponitur vox Cephas *caput & principium.* quæ verba aut ſcriptor eius decretalis deſumpſit à Vigilio Papa; aut ipſe Vigilius è falſa decretali Anacleti. In anno Chriſti DXXXVII. deſcribitur in his Annalibus epiſtola Vigilij in qua ſunt hæc verba: *Quoniam licet omnium Apoſtolorum par eſſet electio: B. tamen Petro conceſſum eſt, vt cæteris præemineret: vnde & Cephas vocatur, quia caput eſt & principium omnium Apoſtolorum.* Sed bene eſt, quod etiam Baronius fatetur Vigilium cùm illa ſcriberet ſpurium atque illegitimum fuiſſe Pontificem: alij verò ſcriptores antiqui, etiam hæreticum appellant & ſchiſmaticum. Verùm & alij Papæ pręter iſtos idem dixerunt. Innocentius verò III. etiam myſterium grande in eo inuenit, libro Myſteriorum I. cap. VIII. *Licet*, ait, *Cephas ſecundum vnam*

linguam

linguam interpretetur Petrus, secundum alteram tamen exponitur caput. Nam sicut caput habet plenitudinem sensus; cætera verò membra partem recipiunt plenitudinis: ita cæteri sacerdotes vocantur in partem plenitudinis; sed summus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis. En nugas, en ineptias, en cæcitatem illorum temporum. Illud verò intolerabile, quod errorem suum Baronius mox auctoritate viri maximi Gregorij Nazianzeni it defensum. Quippe etiam illum vocem Hebraicam *phase* in Græcam πάσχα sciuisse mutatam, & mysterium tamen eius vocis explicuisse. Gregorius homilia εἰς τὸ ἅγιον πάσχα, originem huius dictionis ex Hebraica lingua repetit, & docte exponit: deinde quomodo vox peregrina mutatione aliquot literarum, facta sit Græca, verè obseruat. Non dicit Gregorius, licere in serijs disputationibus pueriles hallucinationes pro solidis argumentis venditare, quod facit hoc loco Baronius. Ferimus igitur si quis Patrum Hebraici sermonis rudis, pascha deduxit à πάσχειν, quod est pati, & piam inde doctrinam elicuit: Baronium & Bellarminum non ferimus, & nullo pacto ferendos esse pronuntiamus, Cephæ nomen à κεφαλὴν deducentes; non adeo vt B. Petrum extollant, cum Christo iam regnantem: verùm vt ad stabiliendam Papæ Ro. omnipotentiam sibi viam muniant: artes enim illorum nouimus, & scopum probe tenemus: cuius Lectorem Baronij semper oportet meminisse. De disputatione Origenis super vocibus πρῖνος & σχῖνος in historia Susannæ, quid docti sentiant, non est huius loci exponere. Addit postea: *In diuina Scriptura nomina siderum, non secundum voces Hebraicas, sed secundum Græcam nomenclaturam sunt posita.* Equidem versionem Latinam librorum sacrorum esse Scripturam diuinam agnosco; & de hoc vel dubitare inexpiabile nefas censeo. Si quid tamen in Latina interpretatione reperiatur à veritate Hebraica vel Græca alienum; id ego diuinam Scripturam esse dicendum non existimo: neque doctissimus Hieronymus olim existimabat, qui tantum sudauit, vt in Latinis codicibus essent eadem omnia atque in Hebraicis & Græcis. Idem Hieronymus alibi negat se habere pro Apostolica veritate quod in Latina versione habetur, in Græcis non habetur, aut aliter habetur. Locus est in libro priore Aduersus Iouinianum, dignus quem adscribam. *Nunc*, ait, *illud breuiter admoneo; in Latinis codicibus hunc locum ita legi, Diuisa est virgo & mulier. Quod quanquam habeat suum sensum, & à me quoque pro qualitate loci sic edissertum sit; tamen non est Apostolicæ veritatis.* Præterea, inter Latinam versionem omnesque alias & Hebraicum V. T. Græcum N. T. textum, hoc discriminis, opinor, statuendum est: quod in his & res & verba immediate à Spiritu Sancto sunt profecta, qui Prophetis & Apostolis atque Euangelistis &

quæ ſcriberent, & quomodo ſcriberent, ſuggerebat : in verſionibus fidelibus doctrina eſt à Spiritu Sancto, verba ab hominibus : qui etſi Spiritus Sancti auxilio vſi ; non tamen eo pacto, neque eadem menſura cum Prophetis & Apoſtolis. Quare ſi quis me roget, an Spiritus Sanctus, Arcturi, Orionis & Pleiadum meminerit : cum hac diſtinctione equidem reſpondebo : verum id eſt, ſiderum illorum extare in Scripturis mentionem. Fere enim inter doctiſſimos interpretes veteres & recentiores conuenit, עש *Haſch* eſſe ſidus illud quod Græcis & Latinis Arcturus dicitur & Bootes: כסיל *Ceſil* quod illi Orionem: כימה *Cimah* quod Pleiadas nominant : at nominorum ipſorum non meminiſſe. Baronium & ſenſiſſe aliter & locutum eſſe, mirum non eſt : nam & illi & alijs hodie multis, conturbato veræ Theologiæ, atque adeo ipſius naturæ ordine, authentica eſſe deſierunt, quæ olim erant ; facta ſunt, quæ olim non erant. Turrianus, cuius mentio ſequitur, ex illo genere hominum erat, qui contra Nouatores, vt ipſi appellant, noua dogmata, & fabulas quoque nouas defendere malunt, quàm veritati vel ſemel manus dare : homo cuius eruditionem citius laudaueris, quàm iudicium. quid dico iudicium ? Appello confidenter omnes eruditos partium illarum viros ; quos non dubito, Turrianum habere oſtentui, tanquam perfectiſſimum exemplar ἀκρισίας, temeritatis, audaciæ & inaniſſimæ vanitatis.

XIX. *Architriclinus quis. Locus ex Eccleſiaſtico vindicatus à falſa & inepta Maldonati interpretatione.*

ANNI XXXI. Num. XXIX.

IN hiſtoria miraculi, quod fecit omnium primum Chriſtus in Cana, quis ſit qui dicitur ARCHITRICLINVS, eruditi interpretes rectè dudum expoſuerunt. Nec diſplicet, quod docti viri obſeruarunt, eas miniſterij partes obijſſe architriclinum, quæ fuerunt apud veteres Græcos ἐλεάτευ ; cuius munus deſcribitur ab Athenæo libro quarto. Affine fuit officium eius qui dicebatur in aulis Regum ἀρχιοινοχόος, *pincernarum magiſter*, ſiue *primicerius* : qui titulus Iolao tribuitur in vita Alexandri apud Plutarchum. Maldonati Ieſuitarum virulentiſſimi, error eſt ridiculus, exiſtimantis deſcribi officium architriclini in Eccleſiaſtico, initio capitis XXXII. Homo tam virulentus, & tam acerbus alienorum ſcriptorum cenſor, priuatum miniſterium neſciuit diſtinguere à dignitate & honore publico. Ait auctor Eccleſiaſtici, ἡγούμενόν σε κατέστησαν. *Ducem* vel *magiſtratum conſtituerunt te*, nempe ciues tui : non autem conuiuæ architriclinum, vt ait ſcriptor maledicus : cuius craſſam

ignorantiam

ignorantiam confutant proxima verba, *μὴ ἐπαίρου, ne efferaris*, noli ſuperbire : ſcilicet architriclini ea dignitas eſt, vt metuendum ſit, ne animos è miniſterio ſumat aduerſus illum cui operam addixit ſuam. Neque verò conuiuæ architriclinos creant, ſed ſolus paterfamilias. Cur igitur numero multitudinis dixiſſet κατέστησαν; potius enim dicendum erat, κατέστης, *creatus es*, vel ſimile quid. Sequitur, γίνου αὐτοῖς ὡς εἷς ἐξ αὐτῶν : *gere te erga illos, quaſi eſſes vnus ex illis* : nempe à quibus dignitatem accepiſti. etiamne hoc magiſtro pincernarum conuenit ? vbi mens illius conuitiatoris ? φρόντισον αὐτῶν καὶ οὕτω κάθισον· hoc eſt : priuſquam ſedeas, aut tibi quietem indulgeas, cura negotia illorum qui te promouerunt ; ciuium inquam, à quibus dignitate es auctus. Mox coronæ meminit, quæ benemeritis de Repub. olim dari ſolebat. Ad eum morem auctor alludit ; ſicut nonnulla alia in eo dicuntur, cum manifeſta alluſione ad ritus Græcorum potius quàm Iudæorum. Maledicus Maldonatus refert ad apophoreta, quæ diſcedentibus è conuiuio dari ſolita : ineptiſſimè, abſurdiſſimè, imperitiſſimè. conuiuis enim illa donabantur, non architriclino. Non etiam aſſentior Gaudentio Brixiano ; qui verbis à Baronio allatis, architriclinum confundit cum præfecto morum ; qui in nonnullis ciuitatibus publicè apponi ſolitus conuiuis in ſolemnioribus epulis. Hunc fuiſſe morem Iudæorum, quod ait Gaudentius, fando ſe accepiſſe, nuſquam legere memini : de Athenienſibus id narrant Græci, & οἰνόπτας, quaſi *vini inſpectores* dicas, illos minutos magiſtratus appellant : dicti ſunt etiam ὀφθαλμοὶ, *oculi.* Athenæus libro x. Ἀρχὴ δέ ἐστιν οἱ οἰνόπται παρὰ Ἀθηναίοις· οἱ δ᾽ οἰνόπται οὗτοι ἐφεώρων τὰ ἐν τοῖς δείπνοις, εἰ κατ᾽ ἴσον πίνουσιν οἱ συνόντες· καὶ ἦν ἡ ἀρχὴ εὐτελής, ὡς ὁ ῥήτωρ φησὶ Φιλῖνος· καὶ ὅτι τρεῖς ἦσαν οἱ οἰνόπται· ἐκάλουν δέ τινες τούτους καὶ ὀφθαλμούς. *Oenoptæ, magiſtratus quidam erant apud Athenienſes : Iſti autem Oenoptæ obſeruabant quæ fiebant in cœnis, ſiue epulis : an conuiuæ in bibendo æqualitatem ſeruarent. & erat magiſtratus vilis, teſte Philino rhetore : qui tres ait fuiſſe. à nonnullis vocantur Oculi.* Syrus vertit, ריש מסבא ὁ ἐπὶ τοῦ συμποσίου, ſiue ὁ ἐπιστάτης, præfectus conuiuio. De voce *Triclinium* apud Iudæos dicimus ad annum XXXIV.

XX. *Errores Nicephori Calliſti circa miraculum in Cana factum. Simon Cannites, ſiue Zelota.*

ANNI XXXI. Num. XXX.

TRaditionem de Iohannis Baptiſtæ nuptijs in Cana, (cuius auctorem facit Hieronymum Dionyſius Carthuſianus Commentarijs in Iohannem, magno errore) certis argumentis confutat Cardinalis

nalis Baronius. Esset verò eius disputatio erudita amantibus veritatis gratior, si in extremo Nicephori Callisti vel omnino mentionem nullam fecisset, vel errorem illius castigasset potius, quàm vllo assensus genere confirmasset. Narrat Nicephorus tanquam rem certam, Simonis Cananæi fuisse has nuptias, quas primo suo miraculo Dominus decorauit. Nimirum id ille colligebat, vel alij à quibus accepit, ex ipso istius Simonis cognomine. Sed nemo nescit illud cognomen apud Matthæum x. 4. Καναναίτης vel Κανανίτης, non esse ἐθνικὸν à patria illius, verùm professionis potius aut pietatis & zeli elogium: cuius interpretamentum posuit Lucas VI. 15. ὁ Ζηλωτής. itaque euersum est fundamentum eius opinionis, quam secutus est Nicephorus. De cuius viri iudicio in tractandis sacris historijs, vel ex eo potest abunde constare lectori, quod ibidem de hoc Christi miraculo scribit. Nam ait: *ex occultis incertisque botris vinum esse factum.* ἐξ ἀδήλων καὶ ἀφανῶν βοτρύων οἶνος ἐγένετο. ita ille peruersa interpretatione sua Christi miraculum verum & vere admirandum, vertit in ludicram præstigiatoris alicuius θαυματοποιΐαν. Nam vbi miraculum, si ex vuis expressum est vinum? at contra Euangelista, qui τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, aquam in vinum fuisse versam, disertis verbis confirmat. & iterum IIII. 46. ἐποίησε τὸ ὕδωρ οἶνον. Humbertus Episcopus Syluæ candidæ, in disputatione contra Græcos: *Voluit Dominus, certi mysterij gratia, prius aqua hydrias à festi ministris vsque ad summum impleri; & post solo nutu suo mirabile vinum fieri. In quo prouido Redemptoris nostri facto, dicimus aquam, non substantiam suam, sed qualitates, id est, saporem & colorem, & si quæ sunt huiusmodi, permutasse.* Nicephorum male sensisse de hoc miraculo, nolim dicere: at locutum esse de re tanta incautius, res arguit.

XXI. *Locus Isaiæ apud Septuaginta Interpretes expenditur, & emendatur. Cana, non vnius oppiduli nomen.*

ANNI XXXI. Num. XXXII.

Miraculum conuersæ aquæ in vinum ab Isaia Propheta fuisse prædictum, obseruat Baronius: sed rectè monet, *secundum Septuaginta duos Interpretes.* Nam Hebraica veritas, & vulgata versio Romanæ Ecclesiæ, in eum sensum trahi non possunt. de Græcis quoque potest meritò dubitari. Legitur sic initio capitis noni: Τοῦτο πρῶτον, ταχὺ πίε, ταχὺ ποίει, χώρα Ζαβουλὼν ἡ γῆ Νεφθαλείμ. Latina interpretatio fidelius Hebraica expressit: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthalim.* Pro vnico verbo Hebraicæ veritatis, הקל *hekal*, ἐκουφίσθη, *subleuata est*, quatuor habentur in Græcis: ταχὺ πίε, ταχὺ ποίει.

Diuersitatis

Diuersitatis huius ratio hæc est : Pro בְּקַל *bekal*, mutatis punctis legerunt בָּקֵל *bakel*, κοῦφίσθητι, & verterunt ταχὺ ποίει, *cito fac* : cuius loco librarius scripsit ταχὺ πίε, *cito bibe*. deinde vtraque lectio in contextum, vt fit, est recepta : idque iam olim : nam & Hieronymi tempore, & Cyrilli, vt ex eorum lucubrationibus apparet, ita legebatur. Vox πίε, *bibe*, cuius nullum omnino vestigium est in origine, occasionem sine dubio præbuit existimandi, loqui hic Prophetam de miraculo in Cana facto : quum præsertim certo constaret, ex Matthæi IV. 15. sequentia verba illustrem de Christo prophetiam continere. Sed Cana oppidulum, in quo miraculum est factum, neque ad Zabulonios neque ad Nephthalitas pertinuit ; verùm ad tribum Aser, si credimus Eusebio & Hieronymo in Locis Hebraicis. Apud vtrunque horum tria oppida aut vici recensentur eiusdem nominis, sed tribuum diuersarum. Hieronymi verba sunt in promptu. Eusebiana adscribam hic, quia nondum eius liber est editus. Κανὰ φυλῆς Ἐφραίμ· Κανὰ φυλῆς Μανασσῆ· Κανὰ ἕως Σιδῶνος τῆς μεγάλης, (sunt verba è libro Iosua XIX. 28.) κλήρου Ἀσήρ· ἐν ταύτῃ ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς Χριστὸς τὸ ὕδωρ εἰς οἴνου φύσιν μετέβαλεν· ἐντεῦθεν ἦν καὶ Ναθαναήλ.

XXII. *Vinosi fontes noti ante miraculum in Cana. Isodus fons Arabiæ. Plinij locus de fonte Aradi.* Διὸς πηγώσια. *Festa Bacchi mense Ianuario apud Græcos.* Λιναιών. *Lyncestis aqua. Acidulæ.*

Anni XXXI. Num. XXXIII.

Obseruatio Epiphanij super vinosis fontibus, prorsus est admirabilis. Non enim dubitamus, virum sanctissimum ea retulisse in literas, quæ sibi certa fide essent comperta. Sed in illis quæ attexit de suo scriptor Annalium, nonnulla occurrunt animaduersione digna. Nam quod ait, nullum se legisse auctorem, qui ante Dominum nostrum vixerit, fontium vinum scaturientium, mentionem facientem ; non meminerat vir πολυμαθέστατος, aliquando sibi lectum, opinor, Vitruuium, æqualem Augusti scriptorem ; cuius verba sunt libro VIII. cap. III. *Sunt etiam fontes vti vino mixti ; quemadmodum est vnus Paphlagoniæ, ex quo etiam sine vino potantes fiunt temulenti.* Plinius quoque, libro XXXI. capite secundo auctor est, ab Eudoxo & Theopompo scriptoribus antiquissimis, quosdam fontes memoriæ esse proditos, qui bibentes inebriarent : quanquam ipse Plinius alios effectus illis aquis attribuit. Lego etiam in Eclogis Sotionis vetusti scriptoris, & qui vetustissimos laudat auctores ; fontem in Arabia fuisse nomine Isodum, in quem si quis heminam vini infunderet, totus fons

euadebat

euadebat κρᾶμα, hoc eſt vinum dilutum, quale vulgo bibi ſolebat. Ἐν Ἀρραβίᾳ, inquit, ἐστὶν Ἴσοδος κρήνη, ἧς κοτύλης οἴνου ἐμβληθείσης κίρναται, καὶ πρὸς τὴν πόσιν εὔκρατος γίνεται. At fons ille Andri inſulæ, quem ex Plinio commemorat Baronius, an referri debeat in cenſum eorum miraculorum, quæ poſt miraculum in Cana factum, primum extiterunt, vehementer dubito. Nam ipſum fontis nomen *Dios tecnoſia* (ita enim ſcribendum) antiquitatem eius miraculi veri an falſi, videtur arguere: quod ſtulta antiquitas exiſtimans eſſe monumentum Liberi Patris à Ioue geniti, Διὸς τεκνώσια nuncupauit. τεκνοῦν & τέκνωσις de liberorum procreatione, etiam cùm de Dijs agitur, vſitatiſſima Græcis verba. Athenæus lib. IX. μυθεύουσιν ἐν Κρήτῃ γενέσθαι τὴν Διὸς τέκνωσιν. Inde igitur Διὸς τεκνώσια. Neque verò Nonis dumtaxat Ianuarijs vinum ex illo fonte manabat, vt putauit Baronius; ſed *ſtatis diebus ſeptenis*, ait Plinius libro XXXI. Menſe autem Ianuario multas Græciæ ciuitates aliquot dies in Bacchi honorem agitaſſe, teſtantur Græci Grammatici; qui eam cauſſam afferunt, cur Ianuarius Lenæon fuerit appellatus. Sic illi: Ληναιὼν ἐστὶν ὁ Ἰανουάριος· ἐκλήθη δὲ οὕτως ἐπειδὴ τῷ Διονύσῳ τὰ Λήναια ἐπετέλουν· ἑορτὴν τοῦ μηνὶ τούτῳ ἣν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν. Male etiam in hoc album refertur Lynceſtis aqua, Vitruuio, Sotioni, & alijs antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus commemorata. Adde quod, licet illi Tertullianus vinoſam venam attribuat; & cum ipſe aduerſus Valentinianos, tum etiam Plinius, ſcribant ebrios effeciſſe; Græci tamen illam aquam inter ὀξιζούσας & Latini inter acidulas referunt; quo ſapore aquas à vinoſis diſtinguunt ijdem. Et iam olim multis locis venas eiuſmodi fuiſſe obſeruatas, oſtendunt iſta Vitruuij. *Item ſunt nonnullæ acidæ venæ fontium, vt in Lynceſto; & in Italia, Virena, Campana Teano, alijſque locis pluribus.*

XXIII. *Oſtenditur Ioſephi hiſtoriam non pugnare cum dicto Iudæorum, de Templo annis quadraginta ſex ædificato.*

ANNI XXXI. Num. XXXVIII.

Mira fluctuatio Baronij, in quæſtione de illis quadraginta ſex annis, ædificationi Templi impenſis, quorum mentio habetur, Iohannis II. 20. Ioſephum, quod ſolens facit, accuſat, mox eundem excuſat, iterumque accuſat; denique vbi pedem figat πανταχῶς, vix ac ne vix quidem ſtationem inuenit. Melius tamen ille, quàm Beroaldus, Serarius, & illi omnes, qui Ioſephi hiſtoriam de inſtaurato ab Herode templo in auguſtiorem formam, ſane quàm impudentiſſima audacia mendacij accuſare ſuſtinent. Melius item quàm illi, qui ad

ſecundam

ſecundam Templi ſtructuram poſt reditum à captiuitate, Euangeliſtæ verba referunt. Quod vt euincat maledicus Maldonatus, prolixa verborum & argumentorum congerie, id ynum aſſecutus eſt, vt ſe & lectores ſuos fruſtra fatigaret, remque per ſe non ſatis expeditam, magis magiſque impediret atque inuolueret. Res ita habet; quod iam ante nos Ioſephus Scaliger ὁ μακαρίτης indicauit. Herodes anno regni ſui decimo octauo, conſilium ſuſcepit condendi noui Templi. fuiſſe eum regni Herodis x v i i i. ſcribit Ioſephus, libro Originum x v. capite x i v. nos autem intelligimus annum aditi ab eo regni: quod etiam certis aliquot argumentis ex ipſo Ioſepho petitis poſſemus probare, ſi in huiuſmodi quæſtionibus vellemus immorari. Quod igitur Belli Iudaici libro primo, cap. x v i. ſcribitur, Herodem anno x v. regni ſui Templum inſtauraſſe: librarij mendum eſt, & corrigi ex hoc loco debet. Neque aliquem moueat, quod etiam Ruffinus ita legit; nam de vetuſtate mendorum in Ioſephi codicibus ſatis ante diſſeruimus. Verum quidem eſt, Ioſephum annos regni Herodis bifariam numerare, à delato & adito: & aditi regni x v. eſſe x v i i i. delati. Sed hanc rationem conciliandi hæc duo loca, cum propter alia non probo; tum maxime propter hunc Iohannis locum. Optime enim cum Ioſephi calculo Euangeliſtæ conueniet, ſi ponamus, vt ſcribitur in x v. Originum, anno x v i i i. poſtquam Herodes regnum adierat, captis Ieroſolymis, conſilium ab illo eſſe ſuſceptum nouæ ædis ædificandæ. Erat is annus Iulianus x x v i. vel x x v i i. nam aditi ab Herode regni annus primus in Iulianos nonum & decimum incidit. Scribit autem Ioſephus, prius Templum ab Herode fuiſſe dirutum, & noua fundamenta poſita operis noui. vt veriſimile ſit, vel propter hanc cauſſam, vel propter lapidum & materiæ præparationem, vnum ſaltem annum lapſum prius eſſe, quàm iacerentur Herodiani Templi fundamenta. Atque hoc Ioſephus clare ſatis indicat; qui initio capitis x i v. libri x v. Originum, ſcribit, Herodem anno regni x v i i i. ἐπεβάλετο, id eſt, propoſuiſſe animo Templi inſtaurationem. poſtea addit, quanta cum difficultate ſuum hoc conſilium Iudæis probarit Herodes; poſtquam illis promiſiſſet, οὐ πρότερα καθαιρήσειν τὸν νεὼν, ἢ πάντ' ἑτοῖμα αὐτῷ τὰ εἰς τὴν συντέλειαν προεσκευασμένων: *non prius ſe Templum fore demoliturum, quàm parata haberet omnia ad eiuſdem perfectionem neceſſaria.* Tanti operis apparatum anni vnius, minimum, deſiderare ſpatium, nemo prudens negauerit. Quum præſertim ſcribat Ioſephus, illo temporis interuallo Leuitas edoctos fuiſſe artes fabriles, vt illorum opera Templum conſtrueretur. ἱερεῦσιν, ait, τὸν ἀριθμὸν α (χιλίοις) ἱερατικὰς ὠνήσατο στολάς, καὶ τοὺς μὲν διδάξας οἰκοδόμους, ἑτέρους δὲ τέκτονας, ἥπτετο τῆς κατασκευῆς. Igitur

anno XIX. regni Herodis currente, Iuliano XXVIII. cepit noua moles Herodiani Templi ædificari. Adde annos quadraginta sex, peruenies ad annum Iulianum septuagesimum quartum; qui fuit XV. imperij Tiberiani : quod erat demonstrandum. Etsi autem scribit Iosephus p. 485. Herodianum Templum mensibus octodecim fuisse ædificatum, connexa autem ædificia annis octo : certum est tamen ex eodem auctore, continuatum fuisse opus structuræ illius per multos annos: adeo vt vltima illi ædificio manus non fuerit imposita ante annum Christi Dionysianum LXVI. quadriennio ante exscidium Ierosolymorum; vt narratur Iosepho, libri XX. capite octauo, pag. 621.

XXIV. Reijcitur falsus Euodius, & falsa eius historia, de Petro à Christo baptizato.

ANNI XXXI. Num. XL.

REpetere hîc cogor, quod iam ante probaui ad Baronianum Apparatum : Euodium illum ex cuius epistola LVMEN inscripta, (nemini veterum nota, vt & Baronius fatetur in anno LXXI.) quædam describit Nicephorus Callistus libro II. cap. III. fictitium esse quendam Euodium; non autem, vt putauit Nicephorus, illum Apostolorum discipulum, primum Antiochenę Ecclesiæ post Petrum Episcopum, cuius etiam Ignatius meminit. Quod igitur ex eo affert Baronius, solum Petrum à Christo fuisse baptizatum, ceu falsum cum auctore falso debet reijci. Nam si Euodius ille antiquus hoc memoriæ prodidisset, vir cum primis ἀξιόπιστος; non dubitassent proximorum seculorum homines, an Apostoli & nominatim Petrus, vel à Præcursore Christi, vel ab ipso Christo fuisset baptizatus, vel à neutro. tot enim fuerunt ea super re diuersæ sententiæ. Tum autem illud enantiophanes in verbis Iohannis III. 22. *Christus baptizabat*; & IV. 2. *Christus non baptizabat ipse*, Tertullianus, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus sic soluunt, vt posteriorem locum velint prioris esse interpretamentum : ita vt reuera neminem baptizauerit Dominus noster. Si de Petro à Christo baptizato constans aliqua in Ecclesia seruata esset traditio; cur è tot Patribus, qui de his egerunt, ne vnus quidem est repertus, cui hoc esset notum? aut quare Augustinus aduersus Nouatianum scribens, epist. CVIII. qui Petrum fuisse baptizatum negabat, homini importuno traditionis huius clypeum non obijcit? Clementis locus è quinto Hypotyposeon dudum amissarum, quàm sincera fide à Sophronio laudatus fuerit, nescio : tum autem Clemens ipse, quàm familiariter libris apocryphis solitus sit vti, nemo ignorat eruditorum.

XXV. Baroni

XXV. *Baronij error, confundentis duo loca, Ænon & Ænan. Eusebij testimonium de vtroque. Locus Syri Paraphrastæ animaduersus.*

Anni XXXI. Num. XLII.

Disputatio de loco vbi baptizabat Iohannes, coniectura clauditur, quam non dubito esse falsam. Vult enim esse idem Ænon & Ænan, quia vtramque vocem significare fontem dicit Hieronymus. Sed Hieronymus duo loca situ separata commemorat, quorum alteri nomen Aenan, alteri Aenon. Habet autem ille ab Eusebio, cuius verba describam è libro De locorum nominibus in sacra Scriptura. Αἰνάν, ἥ ἐστιν ἐν προόδῳ Θαμνά, ἔρημος νῦν ὁ τόπος ἐστίν, ἡ Αἰνάν, παρακειμένη τῇ Θαμνά, εἰς δεῦρο οἰκουμένη μεγίστῃ πόλει, κειμένη μεταξὺ Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως. πηγὴ δὲ ἐστίν, ἐν τῷ Αἰνάν λεγομένῳ τόπῳ, παρὰ τὸ εἴδωλον τὸ παρὰ τῶν ἐγχωρίων τιμώμενον. Hæc Eusebius de Ænan inter loca Mosi memorata, respiciens locum Geneseos XXXVIII. 14. vbi Septuaginta Seniores vocem עינים *Henaijm* verterunt Αἰνάν. Hebræi verò, vt admonet Hieronymus, non pro loci nomine accipiunt; sed biuium interpretantur; proprie est τὼ ὀφθαλμώ, vel τὼ κρήνα, *duo oculi*, vel *duo fontes*. Propterea Abenezra viam denotari putat inter duos fontes. De Aenon verò scribit Eusebius: Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, ἔνθα ἐβάπτιζεν ὁ Ἰωάννης, ὡς ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ· καὶ δείκνυται εἰσέτι νῦν ὁ τόπος, ἀπὸ η΄ μιλίων Σκυθοπόλεως, πρὸς νότον, πλησίον Σαλεὶμ καὶ τοῦ Ἰορδάνου. Vides quantum erret Baronius, qui Aenan & Aenon putat eiusdem loci esse nomina: quum Aenan fuerit prope Diospolin, siue Lyddam, ab ea parte Iordanis, quæ respicit mare: Aenon verò vicina Scythopoli ad alteram Iordanis ripam sita, non longe ab ipso flumine fuerit remota. Sed & appellationes multum differunt: Aenan enim Hebræis est Henaijm, vt ostendimus: at Aenon apud Syrum & Arabem Interpretes scribitur עין-נון *Hin-non*: perperam enim apud Syrum paraphrasten iod scriptum est pro nun. *Hin-ion* pro *Hin-non*, quod apparet ex Arabica paraphrasi: neque assentiendum doctissimo interpreti, qui non animaduersa librarij menda, exponit Syriacam Scripturam, *Oculus columbæ*: at Hin-non est *Oculus piscis*.

XXVI. *Iosephi in historia Herodiadis error. De liberis & nepotibus Herodis, quorum in ipsius testamento nulla fit mentio.*

Anni XXXI. Num. XLVII.

In historia Herodiadis, quam Herodes Antipas duxit vxorem, Iosephus partim eadem cum Euangelistis narrat, partim diuersa. Præ-

cipua diuersitas in eo est, quod Euangelistæ quidem Matthæus, Marcus, Lucas, magno consensu scribunt, Herodiadem prius fuisse nuptam Philippo : at Iosephus Herodi cuidam, Herodis Magni filio, è Mariamme Simonis Pontificis filia, vna ex Herodis vxoribus decem. Hæc discrepantia quum nullam conciliationem admittat, nullum est dubium errasse Iosephum, & quidem grauiter. Error enim est & mendacium, quicquid diuinis repugnat oraculis. Iure igitur à Baronio reprehensus hoc loco Iosephus. Sed quod idem quærit, vnde iste Herodes repente prodierit, cuius neque in testamento Herodis facta reperiatur mentio, libro Orig. x v i i. cap. x. Ἁλώσεως primo, cap. x x. neque in diuisione regni per Herodem facta, Orig. lib. x v i i. cap. x i i i. respondeo, sine caussa mirum cuiquam videri, mentionem huius fuisse illis locis prætermissam. Nam quum è tot coniugibus liberos tulisset Herodes plurimos ; Iosephus, vbi quædam ex illius testamento describit, illorum dumtaxat meminit nominatim, inter quos regnum Herodis fuit diuisum. Illud verò diuisum est inter filios natû maximos, Archelaum, Antipam & Philippum, ac Salomen sororem Herodis. cæteris verò liberis suis ac nepotibus, quin testamenti sui tabulis cauerit, & commodis illorum prospexerit, ne dubitandum quidem est. Verùm illas omnes partes testamenti Herodiani vnica generali clausula complexus est Iosephus, cum sic scribit, pag. 532. προνόησε δὲ καὶ τῶν λοιπῶν, ὁπόσοι συγγενεῖς ἦσαν αὐτῷ, χρημάτων τε δόσεσι, καὶ προσόδων διαφοραῖς ἑκάστοις ἐν εὐπορείᾳ καθιστάμενος. Ait Herodem pecunia & reditibus ditasse omnes suos cognatos. συγγενῶν appellatione complectens liberos cum primis ipsius & nepotes, filiorum occisorum à patre liberos. Sed Ruffinus verba Iosephi sic vertit ; *dispoſuit autem de cæteris ſuis conſanguineis atque cognatis, opibus eos reditibuſque locupletans.* Suspicionem inijcit hæc versio, legisse illum, ὁπόσοι πρὸς αἵματος, ἢ συγγενεῖς ἦσαν αὐτῷ. *quicunque illi ſanguine iuncti erant aut cognatione.* πρὸς αἵματος sunt liberi & nepotes. Obiter hic adnotabo, Pseudogorionidem, qui in historia horum temporum Iosephi vestigia persequitur : in hac re tamen cum Euangelistis consentire, & scribere capite L X I I. Herodiadem prius fuisse Philippo nuptam, eidemque ab Antipa Herode fuisse ademtam. Quod magnum est argumentum inter alia sexcenta, planum illum historiam suam non è Iosephi tantum libris desumpsisse; verùm etiam è scriptis Christianorum. Sic cum superiore capite, in narratione quæ extat apud Iosephum libro x v i i i. cap. quarto, Munclum appellat, qui est Iosepho Μοῦνδος ; certissimum suggerit nobis argumentum, vnde probemus ; ea ipsa quæ habet è Iosepho non desumpsisse è Græcis libris ; sed è lacunis Interpretum Latinorum, vel etiam fortasse

Gallicorum

Gallicorum aut Italicorum. Apparet enim vsum codicibus, vbi *Munclus* scriptum fuit pro *Mundus*; litera *d* in duo elementa *cl* male diuisa: qui error, in libris Latinis frequentissimus, in Græcis locum non habet.

XXVII. Odia Iudæorum & Samaritarum. Contentio inter illos super legitimo Templo, iudice Ptolemæo Rege. Expenditur Baronij obseruatio super successione Pontificum ad designandam veram Ecclesiam. Discrimen in ea re inter Iudæos & Christianos. Ostenduntur Baronij graues errores. Ptolemæus cur Philometor.

Anni XXXI. Num. L.

SVbijcitur historia colloquij Christi cum muliere Samaritana, Iohannis capite quarto. Atque hic Baronius caussas odiorum inter Iudæos & Samaritas commemorat è libris Iosephi. Extat eadem narratio, cum in alijs Rabbinorum scriptis, tum etiam in Iuchasin Zacuthi pag. 14. Sed multo plura de istis rebus & reconditiora inuenient studiosi harum antiquitatum, in Notis Iosephi Scaligeri ad Chronicum Samaritanum, libro septimo De emendatione temporum. Quod autem Baronius sententiam Ptolemæi Philometoris in disceptatione Iudæorum & Samaritarum super templo legitimo, per quam vicit caussa Iudæorum, ad controuersias hodiernas trahit; vt inde efficiat, apud illos demum esse veram Ecclesiam, apud quos est Pontificum continua successio: etsi rationis aliquam præ se fert speciem; si tamen æquis placidisque animis res propius inspiciatur, frigidum apparebit, ἀσυλλόγιστον, & ab omnibus rectæ argumentationis legibus alienissimum. Ante omnia consideret prudens lector, quàm nihil habeant simile hodiernæ controuersiæ & vetus lis illa inter Iudæos & Samaritas. Olim salutis doctrina vni Iudæorum populo sic fuit peculiariter concredita; vt, licet suos electos & Iudæos in occulto, quod ait Paulus, etiam alibi nonnullos Deus Opt. Max. haberet: cultus tamen externus vni dumtaxat loco esset alligatus. Deuteron. XII. 5.6. Is locus fuit per aliquod tempus, Silo, vbi erat Tabernaculum & Testimonium conuentus. postea Silunte deserta, Templum ædificatum est à Solomone ex Dei præscripto: quo in solo Templo adorare & sacrificia Deo offerre licebat. Adoratio enim cum sacrificijs iuncta, nusquam alibi nisi Ierosolymis fuit licita aut legitima. Id erat veræ religionis symbolum, cui communicare omnes necessariò tenebantur, qui verum Deum cultu externo vellent colere. At Samaritæ, partim ἀλλογενεῖς, *alienigenæ*, vt à Domino ipso nominantur, Lucæ XVII. 18. partim schismatici, & Apostatæ Manassis propago, de vera religione

religione securi, in monte Garizin, cultu à se instituto Deum sacrificijs colebant, & promissiones populo Iudaico factas, stulte sibi vindicabant. Iidem cum Iudæis certabant, non de veritate quidem religionis, sed tantum de loco, vbi secundum Legem Mosis Deus esset adorandus. Etsi diuersissimæ iam tum res erant, cultus internus siue spiritualis, quem præcipue Deus semper à suis cultoribus exigit ; & externus, qui peculiariter fuit tum adstrictus Vrbi sanctæ & Templo : erat tamen eo tempore quæstio de loco legitimi cultus, maximi cum primis momenti : quia victoriam in contentione de loco legitimo sequi videbatur, tanquam corollarium necessarium, victoria de veritate religionis & legitima adoratione. Quanquam, vt dixi, de eo quod præcipuum erat non contendebant Samaritæ : sed tantum de loco. Iosephus lib. XIII. capite sexto, controuersiæ illius statum sic explicat: Τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίους, καὶ Σαμαρεῖς, οἳ τὸ ἐν Γαριζὶν προσεκύνουν ἱερὸν κατὰ τοὺς Ἀλεξάνδρου χρόνους, συνέβη στασιάσαι πρὸς ἀλλήλους, καὶ περὶ τῶν ἱερῶν ἐπ' αὐτοῦ Πτολεμαίου διεκρίνοντο· τῶν μὲν Ἰουδαίων λεγόντων, κατὰ τοὺς Μωϋσέως νόμους οἰκοδομεῖσθαι τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις· τῶν δὲ Σαμαρέων τὸ ἐν Γαριζίν. Ruffinus vertit: *In Alexandria Iudæos & Samaritas, qui Templum temporibus Alexandri Macedonis super Garizin monte construxerunt, contigit contra se seditionem excitare, & propter Templa coram ipso Ptolomæo certare : Iudæis quidem dicentibus secundum leges Moysi Templum se in Ierosolymis construxisse : Samaritis autem in Garizin.* Tota lis, vt vides, erat de Templis : & Iudæis & Samaritis pariter contendentibus, suum Templum ex Lege Mosis habere auctoritatem. Et hæc est caussa cuius cognitio de partium consensu Regi Ptolemæo defertur. Scribit Iosephus, & Iudæos & Samaritas, ante caussæ coniectionem & διαδικασίαν, apud Regem iudicem iureiurando sese obstrinxisse: ἦ μὴν ποιήσεσθαι τὰς ἀποδείξεις κατὰ τὸν Νόμον: *se demonstraturos suæ caussæ iustitiam secundum Legem Mosis* : Andronicus tamen qui caussam Iudæorum agebat, non contentus solo illo probationis genere, duo insuper alia adiecit argumenta, non necessaria illa quidem ; sufficiebat enim probatio è Lege ; sed tamen appositissima : prius erat, à continua successione summorum Pontificum : posterius, à donarijs Regum Asiæ, qui Ierosolymitanam ædem ornarant ; cum interim Garizitanæ rationem haberent nullam. Verba Iosephi sunt: Ἀνδρόνικος ἤρξατο τῶν ἀποδείξεων ἐκ τοῦ Νόμου, καὶ τῶν Ἀρχιερέων τῶν διαδοχῶν, ὡς ἕκαστος παρὰ πατρὸς τὴν τιμὴν ἐκδεξάμενος ἦρξε τοῦ ναοῦ· καὶ ὅτι πάντες οἱ τῆς Ἀσίας βασιλεῖς τὸ ἱερὸν ἐτίμησαν ἀναθήμασι καὶ λαμπροτάταις δωρεαῖς· τοῦ δ' ἐν Γαριζὶν, ὡς οὐδὲ ὄντος οὐδεὶς λόγον οὐδ' ἐπιστροφὴν ἐποιήσατο. En manifestissimè distincta genera tria probationum. Νόμος, Lex Mosis, de qua inter contendentes conuenerat, vt ex illa ducerentur argumenta : αἱ

διαδοχαὶ τῶν Ἀρχιερέων, ſucceſſiones Pontificum, quorum vnumquemque affirmat Andronicus à patre acceptam dignitatem filio tradidiſſe; ἀναθήματα καὶ δωρεαὶ, donaria & munera à Regibus Aſiæ accepta: quorum Regum nullum extitiſſe affirmat Andronicus, qui templi Garizitani maiorem rationem haberet, quàm ſi omnino in rerum natura non fuiſſet. Non eſt mirum viciſſe in illo iudicio Iudæos, qui veris & iuſtitia cauſſæ aduerſarios ita palàm & manifeſtò ſuperarent. Hodiernæ controuerſiæ quàm toto genere ſint diuerſæ ab iſta contentione, & pueri intelligunt. Triumphat hic tamen Baronius, & quaſi ſufficere deberet Philometoris iſtud iudicium, ad lites omnes in negotio religionis decidendas: *Hæc*, inquit, *referre non piguit, tum ad hiſtoriam Euangelicam elucidandam, tum etiam vt ſapientiſſimi Regis ac optimatum de re tanta*, SOLVMMODO *ex legitima Pontificum ſucceſſione tunc datâ ſententia, atque ex ea ratione Iudæis cauſſa adiudicata, aduerſus ſchiſmaticos & hæreticos in exemplum perpetuo permaneret: cùm ex cuiuſuis hominis, qui compos ſit rationis, ſententia; certum exploratumque habeatur, illic eſſe legitimum Templum, ipſam inquam Catholicam Eccleſiam, apud quam ſucceſſio Pontificum, ab eius exordio eſt legitime conſeruata ac cuſtodita.* Reſpondemus Baronio: mala fide & falſo dicere illum, Iudæos *ſolummodo ex legitima Pontificum ſucceſſione* fuiſſe ſuperiores. Tria probationum genera, vt oſtendimus, adhibuit patronus Iudæorum: Legem Moſis, ſucceſſionem Pontificum, donaria Regum: cur duo horum Baronius diſſimulat? cur tacet de Lege Moſis; quod præcipuum fuiſſe cauſſæ firmamentum, adeò perſpicue Ioſephus indicat? Nihil opus eſt verbis: fraus eſt manifeſta. Iam quod in hiſtoria Samaritanæ ſucceſſionem Ro. Pontificum putauit ſibi vrgendam Baronius: eo ipſo luculente probauit, quàm parum attendiſſet, iſtorum Chriſti verborum, *Venit hora & nunc eſt, quando neq; in monte hoc neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem*: &, *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*; quænam eſſet mens & quæ vis. Nos contra affirmamus, Eccleſiam Chriſtianam non certo loco, non certis perſonis eſſe alligatam, ſicut olim fuit Iudaica. Quemadmodum enim, ἀνῃρέθη ἡ ἐν ἑνὶ τόπῳ προσκυνήσις, *ſublata eſt adoratio; vni loco adſtricta*, vt tot locis diſputat Chryſoſtomus: ſic neceſſitas eſt ſublata dependendi ab vno certo loco, quaſi ea eſſet pietatis Chriſtianæ ſedes, vt olim erant Ieroſolyma. Itaque ſucceſſionem Epiſcoporum & Pontificum, non contemni quidem, ſed longe aliter tamen hodie ſpectari debere, atque olim ſpectabatur à Iudæis. Nulla quippe in Scripturis vrbs eſt demonſtrata, cui adhærere neceſſarium ſit ad ſalutem. Succeſſit enim in locum vnius vrbis & Templi vnius, Eccleſia Catholica, toto orbe diffuſa, in qua ſalus proponitur omnibus mortalibus,

nullo

nullo neque perſonarum neque locorum diſcrimine. Vnum Templum, vnius Eccleſiæ fuit typus. Extra Templum non erat fœdus: extra Eccleſiam non eſt ſalus. Sed huius Eccleſiæ forma, illud inquam, quod dat ipſi eſſe & viuere, non eſt profectò certorum Pontificum in vna quadam vrbe ſucceſſio: verùm doctrinæ, quam docuit initio Chriſtus, quam poſtea eius Apoſtoli docuerunt, perpetua ſucceſſio & inconcuſſa, ſaltem in fidei fundamento, conſeruatio. Hæc veriſſima eſt & certiſſima Eccleſiæ Dei nota; non autem nuda perſonarum ſucceſſio, quam impotenter iſto loco iactat Baronius. Adde quod res ipſa euincit & certa experientia probat, illam quæ hic memoratur, *ſucceßionem Pontificum ab Eccleſiæ exordio legitimè conſeruatam atque cuſtoditam*; quum nuſquam hodie in terris reperiatur, non poſſe eſſe veræ Eccleſiæ notam infallibilem, vti vocant. Quod in omnibus functionibus videmus fieri, vt boni & mali vbique locorum ſibi per vices ſuccedant: idem ſemper eſt factum, idem ſemper fiet dum res ſtabunt humanæ. Inde eſt, quod in Eccleſia Romana, ne de alijs nunc dicam, ſanctiſſimis Epiſcopis Vrbis & beatiſſimis Martyribus, qui illam Eccleſiam initio fundarunt, ac per plura ſecula verbo diuino fideliter pauerunt; ſucceſſere poſtea, rebus mutatis vnâ cum temporibus, Formoſi, Stephani, Romani, Benedicti, Bonifacij, Sergij, Hildebrandi, Iohannes, Alexandri, & ſimilia, ſi credimus hiſtorijs illorum temporum, portenta, Orbis terrarum titiones & faces; non Romanæ tantum, ſed vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti, quantum in ipſis fuit, certiſſimæ peſtes. Et tamen omnes hi, & ſimiles alij, primis illis ſideribus quondam fulgentiſſimis, ſucceſſerunt: ita nimirum, vt tenebræ luci, morbus ſanitati, prauæ opiniones ſanæ doctrinæ amant ſuccedere. Quare nihil prorſus ad iſtos pertinet quod ait Baronius *de ſucceßione Pontificum, ab Eccleſiæ exordio legitimè conſeruata atque cuſtodita*. Hanc legitimè cuſtoditam ſucceſſionem non reperiri in Eccleſia Romana, fatetur Baronius ipſe ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, (tanta vis eſt veritatis) in annis Domini octingenteſimo nonageſimo, & nongenteſimo: ſæpius autem, atque adeo ſæpiſſimè in ſuis Annalibus & obſeruaſſet & faſſus eſſet; ſi fuiſſet in illo tantus candor & amor veritatis, quantum fuit partium ſtudium, & firmum propoſitum Sedis Romanæ πάσῃ τέχνῃ καὶ μηχανῇ, quod aiunt, omnibus inquam ingenij viribus in maius extollendæ. Quod ſi in Romana Eccleſia, omnium quondam longe nobiliſſima, non reperitur ſucceſſio legitima conſtanter cuſtodita, vbi reperietur? aut quomodo perſonarum ſucceſſio erit firma & ſtabilis veræ Eccleſiæ nota? Enimuero ſucceſſioni perſonarum addatur, quod longe pluris eſt, imò in quo ſunt omnia poſita, ſucceſſio doctrinæ, & in dogmatis

ac

ac disciplina, cum primitiuæ Ecclesiæ Doctoribus consensio. Nam hæc nota si defuerit, vana est de altera iactatio, inane leuium ingeniorum terriculamentum, Dei atque hominum manifesta irrisio. Verè Gregorius Nazianzenus in epitaphio Athanasij : κυρίως ἀποληπτέον διαδοχὴν, τὴν τῆς εὐσεβείας, οὐ τὴν τῆς προεδρίας. *Existimandum est, illam propriè successionem esse, quæ est pietatis non præpositura.* Aurea prorsus verba: non negat habendam rationem successionis Episcoporum ; sed præcipuè & ante omnia haberi iubet piæ doctrinæ. Et notus est omnibus alter eiusdem Patris locus in eandem sententiam. Ptolemæus hic, quem sapientissimum Regem appellat Baronius, Philometor dictus est, non ex vera caussa, sed ridiculi gratia, & ἐπὶ χλευασμῷ, vt in Atticis est auctor Pausanias. Non est dubium, quin grauissimum aliquod peccatum vel ex amore vel ex odio, in matre sua admiserit.

XXVIII. Samaria *apud Iohannem pro Sichar, siue Sichem.* Samaritanus *pro Sichemita. An idem sint Sichem & Sichar, variè proditum Eusebio & Hieronymo.* Sychar. Nebilas *apud Beniaminum.*

IN historia de Samaritana Ioh. IV. 7. cùm ait Euangelista, *Venit mulier de Samaria*, rectè obseruauit Lyranus, & multi post illum, vocem SAMARIA non esse nomen ciuitatis, sed gentis vel regionis. Quam obseruationem miror à Baronio esse prætermissam in eius historiæ explicatione: est enim prorsus necessaria, vt Iohannis narratio recte capiatur. Ratio autem est: quia non fit verisimile, vrbis Samariæ incolas aquatum ventitasse ad oppidum Sichar, siue Sichem ; quod à Samaria distabat, auctore Beniamino Tudelensi, שני פרסאות duo milliaria, vt quidam interpretantur illam vocem : vel duas leucas, vt Arias Montanus vertit. Vtro modo accipias, longius erit interuallum, quàm vt videri queat probabile, incolas Samariæ Sichemo aquam petijsse. Est igitur Samaria in illo versu, ipsa vrbs Sichar ; & de eadem versus 28. & 30. sunt intelligendi: ac similiter vox Samaritanus in hac historia sæpius pro Sichemita. Videtur autem Euangelista hanc potius communem appellationem, quàm propriam vsurpasse, quia odia inter illas duas gentes ea voce melius exprimebantur ; quod ad rem cum primis faciebat. Obseruatum est eruditis interpretibus, pro *Sichar* versu 5. voluisse corrigi Hieronymum, *Sichem.* Locus Hieronymi est in epitaphio Paulæ matris. Sed non constat sibi vir ille summus in ea obseruatione: nam alibi vtramque appellationem agnoscit, & ceu diuersorum locorum nomina Sichem & Sichar recensentur eidem in

De locis Hebraicis. Sequitur autem in eo Eusebium, sicut fere in toto illo libello. Vtriusque verba subijciam, quum præsertim Eusebiana publicam lucem, quod sciam, adhuc non viderint. Συχὲμ, ἡ καὶ Σίκιμα, ἡ καὶ Σαλὴμ, πόλις Ἰακὼβ, νῦν ἔρημος. δείκνυται δὲ νῦν ὁ τόπος ἐν προαστείοις Νέας πόλεως· ἔνθα καὶ ὁ τάφος δείκνυται τοῦ Ἰωσὴφ, καὶ παράκειται. ἀνεῖλε δὲ αὐτὴν Ἀβιμέλεχ, καὶ ἐπέσπειρεν αὐτὴν ἅλας, ὡς ἐν Κριταῖς. ἤγειρε δὲ αὐτὴν Ἱεροβοάμ, ὡς ἐν Βασιλείαις· κεῖται ἐν ὁρίοις κλήρου Ἐφραΐμ. Συχὲμ δὲ καὶ υἱὸς Ἐμμὸρ ἐκαλεῖτο, ἀφ' οὗ καὶ ὁ τόπος. Ἦν δὲ καὶ Συχὲμ ἐν ὄρει Ἐφραΐμ πόλις φυγαδευτηρίου. Ita semper scriptum in libro vetere Bibliothecæ Regis Christianissimi Συχὲμ, per υ, non per ι. & ita multa exemplaria habent isto Iohannis loco, non Σιχὰρ, sed Συχὰρ, vt in accuratissima Chrysostomi editione, & apud Arabem Paraphrasten. Accipe versionem Hieronymi. *Sichem & Salem, quæ Latine & Græce Sicima vocata est, ciuitas Iacob, nunc deserta est. Ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos, iuxta sepulchrum Ioseph; quam subuertit Abimelech: & seminauit in ea salem; sicut in libro Iudicum scriptum est. Postea verò instaurata est à Hieroboam, vt Regnorum narrat Historia: & sita est in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Emmor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat. Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, ciuitas fugitiuorum.* Hæc de Sichem. Sequitur de Sichar. Eusebius: Συχὰρ πρὸ τῆς Νέας πόλεως, πλησίον τοῦ χωρίου οὗ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ· ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς κατὰ τὸν Ἰωάννην παρὰ τῇ πηγῇ διαλέγεται, καὶ ἔστι νῦν δείκνυται). Hieronymus: *Sichar, ante Neapolim iuxta agrum quem dedit Iacob filio suo Ioseph: in quo Dominus noster atque Saluator, secundum Euangelium Iohannis, Samaritanæ mulieri ad puteum loquitur: vbi nunc Ecclesia fabricata est.* Vides tam Eusebium quàm Hieronymum, & Sichem & Sichar collocare ad Neapolim. at qui posterius scripserunt, ipsam Neapolim dixerunt esse Sichar. Vide Burchardum & Sanutum Torsellum. Sic etiam accipi debet, quod scribitur in Itinerario Beniamini, נבילש היא שכם *Nebilas est Sichem.* Est enim ipsissimum nomen Neapolis, sed deprauatum, vt sexcenta apud Syros & Arabes: quibus solemne est literam *p* vertere in *b.*

XXIX. *De voce* βασιλικὸς *apud Iohannem. Hallucinationes aliquot Baronij.*

ANNI XXXI. Num. LV.

VEtus est quæstio, quo sensu accipienda sit vox βασιλικὸς Iohannis IV. 46. B. Chrysostomus duplicem interpretationem affert; vel quia esset ipse τοῦ γένους τοῦ βασιλικοῦ, *regij sanguinis*; ἢ ἀξίωμά τι ἀρχῆς ἕτερον οὕτω καλούμενον εἶχε: *vel quod aliqua præditus esset dignitate, quæ*

sic

ſis vocaretur: hoc eſt, propter quam ipſe ſic vocaretur; puta, procurator regius vel cubicularius regius: quod pertineret ad aulam & miniſterium Regis ſiue Tetrarchæ Galilæę, qui erat Herodes Antipas. Hoc ſenſu Hieronymus *Palatinum* vertit. atque hoc omnium veriſſimum puto. Nam quis neſcit paſſim apud Græcos appellatione τῶν βασιλικῶν intelligi Regum aulicos & miniſteria? Etſi autem Romani Imperatores filios Herodis Magni Regum appellatione priuauerant, & Tetrarchas eſſe ac dici iuſſerant: quin tamen à ſuis Reges ſępe dicerentur nullum dubium eſt: & ita loquuntur Euangeliſtæ, Matthæus XIV. 9. Marcus VI. & alibi. Sic & Ioſephus loquitur: nam Hyrcanus quem Pompeius regio nomine ſpoliauerat, & honore ſummi Pontificis voluerat eſſe contentum, βασιλεὺς illi nuncupatur etiam poſtea, vt pag. 430. & 431. Igitur ἦν τις βασιλικὸς non male verteris, *erat quidam aulicus*, vel, *miniſter regius*; quemadmodum Syrus paraphraſtes eſt interpretatus. Arabs verbum Græcum expreſſit, *homo*, ſiue *quidam regius*. Latinus interpres, quem ſequuntur B. Auguſtinus atque alij Patres, *quidam regulus*. quaſi vel legiſſet ἦν τις βασιλίσκος, vel poſſeſſiuam formam confudiſſet cum deminutiua. Baronius, qui βασιλίσκος veram lectionem eſſe arbitratur, atque tuetur, perperam diſcedit à lectione Chryſoſtomi & aliorum Patrum: vt taceam hodierna omnia exemplaria, quæ illam ſcripturam repudiant. Errat præterea, cùm putat Græcos vocem βασιλίσκος ſic accepiſſe, vt Latini ſuam *regulus* accipiunt, cum dynaſtam vel toparcham ſignificat. hoc nemo illi concedet Græcæ linguæ non imperitus. Errat poſtremo in loco Plinij, quem contra auctoris mentem manifeſte accipit.

XXXI. *Confirmatur iudicium Gelaſij de epiſtola Abgari ad Dominum. Argumenta allata pro imagine ad Abgarum miſſa examinantur.*

ANNI XXXI. Num. LVIII.

DE epiſtola Abgari Edeſſeni Toparchæ ad Dominum, doctiorum iudicia audire malim, quàm ipſe aliquid pronuntiare. Miror tamen, auctoritatem Romani Concilij, & Papæ Gelaſij adeo contemni hodie & pro nihilo duci ab illis, quibus ſingula verba Paparum multo poſteriorum, putà alicuius Hildebrandi, vel Bonifacij octaui aut Alexandri ſexti, totidem ſunt oracula diuina. Nam quis ignorat, multos hodie falſos & fabularum plenos libros à Franciſco Turriano, Petro Caniſio, Chriſtophoro de Caſtro, non obſcuri nominis Ieſuitis, nec non à plurimis alijs defendi, qui à Papa Gelaſio ſunt reprobati? Melius igitur Melchior Canus, qui Gelaſij iudicium ſecutus, hiſto-

riam de mutuis literis inter Christum & Abgarum, habet pro fabula: eamque putat cum primis fuisse caussam, cur idem Papa ipsam Eusebij Historiam pronuntiaret Apocrypham. De Testamento Ephrem, vbi fit earum epistolarum mentio, accurate alibi differemus, si vitam Dominus dederit. Historiam verò de imagine à Christo expressa, & ad Abgarum missa, falsam esse & commentitiam, graues rationes mihi post multos viros grauissimos, persuadent. Ipsum primo me mouet silentium Eusebij, qui post epistolam à Christo missam ad Abgarum, nullum inter illos commercium intercessisse ostendit. Scio argumentum ab auctoritate non concludere negatiue: sed neque etiam contemnendum est: quum præsertim appareat Eusebium magna diligentia vsum, vt rei illius veritatem certò cognosceret. Archiua enim Edessenorum vel consuluit ipse, vel per alios consulenda curauit: epistolam vtramque inde promptam è Syriaca lingua in Græcam conuertit, siue sua, siue aliena opera. Narrat vero Eusebius, in ijsdem archiuis subiectam fuisse vtriq; epistolæ historiam de aduentu Thaddæi Apostoli Edessam. & quum prolixe describat Eusebius, quid Thaddęus Edessę fecerit, quos sermones de Christo Abgarus habuerit; de hac tamen imagine nullum verbum. Certum igitur est, Edessenis nihil dum fuisse compertum de illa imagine, quam appellat Euagrius θεότευκτον *à Deo confectam.* Et tamen cum illa scribebat Eusebius præterierant iam à Christo anni plus minus CCCXXX. Si tam longi spatio temporis illa imago Edessenis non venerat in notitiam; quomodo postea venit? aut quo argumento veritas illius & τὸ γνήσιον probari potuit? Primus omnium qui fecit illius mentionem est, opinor, Euagrius, scriptor à fabulosis narrationibus, vt res arguit, non nimis alienus. Videtur autem Euagrius Procopio, qui res Iustiniani descripsit, auctore illa prodere. de quo tamen iure dubites; nam apud Procopium libro secundo rerum Persicarum, in prolixa explicatione obsessæ à Chosroe Edessæ, nihil hodie legitur de illa imagine. Si quis excipiat, illius codices ea parte mutilos esse, & finem illius obsidionis hodie in libris editis desiderari: fateor quidem deesse nonnulla in narratione illa; sed idem auctor in digressione quadam libri quarti Gotthicorũ, miracula nonnulla obsidionis Edessanæ commemorans, mentionem illius imaginis nullam facit. Vtut sit de Euagrio, illud constat, ante annum æræ Christianæ circiter D L. nihil auditum esse in orbe Christiano (quod quidem hodie sciatur,) de illa imagine. Sequentia vero secula quàm fuerint prona ad suscipiendas miraculosas narrationes, veras an falsas, literæ omnes loquuntur illarum ætatum. Gregorius II. quem Dialogum vocant, in epistola ad Leonem

Isauricum

Isauricum circa annum Domini DCCXXVI. scripta, eius figuræ meminit: sed meminit tantum, nullam rationem adijciens, cur fidei plus propterea debeamus illi tribuere. Meminit eiusdem & Iohannes Damascenus De fide orthodoxa, libro IV. cap. XVII. sed vt rei incertæ, & cuius fides vacillet. Nam ita sermonem illum orditur; φέρεται δὲ καί τις ἱστορία. *ferebatur & historia huiusmodi.* quis ita loquitur de re certò comperta? vt nihil dicam de fabulis & apertis mendacijs, quibus sæpe fidem habuit Damascenus, vel Baronio & Bellarmino testibus. Concilium Nicenum secundum, si inter tot faceta argumenta, & putidas fabulas, quæ in Actis eius leguntur, imaginem refert; nihil hoc ad rem: nullum enim argumentum inibi affertur, quo rei veritas probetur. In historia autē & rebus facti, etiam Papas qui supra Concilia sunt (sic hodie à Nouatoribus Romanis, non Protestantibus, docemur) & vertice cœlum feriunt, posse errare, adhuc opinor, creditur. Itaque Concilij Francofordiensis Episcopi inter plura alia, hanc quoque historiolam in Actis concilij Niceni II. vt ex recente traditione acceptam, reprehenderunt. Et Papa Hadrianus in epistola ad Carolum Magnum, vt hanc obiectionem dilueret capite XVIII. aliud nihil potuit afferre, præter nudam relationem aliquot Episcoporum Orientis, qui in dicta Synodo Nicena mentionem traditionis illius fecerant. narrarunt videlicet isti, quid suo tempore à multis crederetur. Sed hoc non iam quæritur: verùm illud potius, an verum sit illam imaginem à Christo esse factam: & si ita sit, an voluerit Dominus eam illi venerationem & adorationem exhiberi, quæ hodie defenditur & sancitur, tanquam necessarius fidei articulus. Quare etiamsi constaret Dominum cupido sui cognoscendi Abgaro imaginem suam misisse: nihil hoc tamen hodiernos imaginosos adiuuaret. Proferatur præceptum Dei, vel exemplum aliquod certæ fidei è temporibus Apostolicis, quo pars illa religionis Christianæ instituatur; aut fateantur Christiani ἐθελοπερισσοθρησκείαν eam esse, ab hominibus multo post prima secula excogitatam; deinde humanis rationibus auctam & defensam.

XXXII. *Magnorum historicorum mos inserendi obseruationes è re natas. Ἐπιστάσεις. Baronianarum obseruationum plerarumque genus & scopus. Petri nomen doctrinæ Hildebrandinæ obtenditur. An Christus in Petrum fuerit propensior, quàm in cæteros. Admiranda beneficia à Domino in omnes Apostolos collata. Amor erga Iohannem. Furor eorum quos de meritis Apostolorum ferre sententiam non pudet. Expenduntur Petri prærogatiuæ*

tiuæ à Baronio obseruatæ. I. noui nominis impositio. II. Christus ex eius nauicula concionatur. Allegoriæ Patrum docent non probant. Ambrosij locus. III. Petrus iussus ducere in altum, & laxare retia. Apostoli omnes piscatores hominum. Scripturarum silentium.

ANNI XXXI. Num. LXIII.

SOlet Baronius cum in hoc Tomo tum in cæteris, filum historiæ pertexens, omnes occasiones curiose captare, quò possit, digrediens à proposito, doctrinam illam inculcare, cuius maximè gratia opus hoc esse susceptum antea demonstrauimus. Est sane consuetudo magnorum historicorum, varijs obseruationibus, (Græci ἐπιςάσεις melius appellant) suas narrationes ornare. quarum argumenta quum sint diuersa, illa potissimum laudem merentur, quæ lectorem possunt reddere doctiorem vel prudentiorem: quando is est historiæ finis præcipuus. Habent igitur etiam Baronij Annales suas ἐπιςάσεις, & quidem admodum crebras; sed quæ vnius atque eiusdem fere sint omnes argumenti, & eodem omnes referantur: ad stabiliendam videlicet Romanæ Sedis potentiam illam infinitam, pro qua hodie non secus ac pro aris & focis acerrime pugnatur. Insignis in hoc genere est obseruatio, quam hoc loco subijcit verbis Euangelistarum de Christi concione è Petri nauicula, & de piscatione Petri. Hic gradum sistit Baronius, & ad considerationem nos vocat prærogatiuarum aliquot B. Petri: cuius primatum illæ prærogatiuæ, vt quidem ipse putat, luculentè probant. Quod si ad huiusmodi ἐπιςάσεις candidum animum Baronius afferret, neque aliud quæreret, nisi Dei gloriam, bonum Ecclesiæ, & honorem principis Apostolorum: nemo bonus studium ipsius & pietatem non laudaret. Nunc quum sit compertissimum, omnes istiusmodi obseruationes, totidem esse scalas ad inuadendam Orbis terrarum δεσποτικὴν monarchiam comparatas; meminisse prudentem lectorem oportet, quoties in huiusmodi animaduersiones incidit; non vtique id agi, vt suus Petro honos seruetur; multo autem minus, vt gloriæ Dei & vtilitati Ecclesiæ miserè dudum affectæ, vllo pacto consulatur: verùm id dumtaxat vnum quæri, vt ad Hildebrandinam doctrinam, fatalem Ecclesiæ, funestam omnibus Principibus, via muniatur. Id quum & per se sit manifestum, & nos alio loco clarissime demonstrauerimus, breuiter hic reuocasse in memoriam Lectori sufficiat. Iam igitur ad Baronianam ἐπίςασιν accedamus; non vt S. Petro Apostolorum coryphæo, detractum aliquid eamus: auertat à nobis Deus tam impiam mentem: sed vt vanitatem & incredibilem

incredibilem futilitatem ostendamus ineptissimorum argumentorū, quibus hodie parasiti Paparum amant abuti. Baronij verba sunt: *Consideratione quidem dignum esse videtur, quod diuina Sapientia quæ in terra apparuit, & cum hominibus in carne versata est, quæ in sui dispositione non fallitur, singulari quadam prouidentia erga Petrum esse propensior visa est.* Est sane res piorum omnium animaduersione dignissima, amor Christi Domini nostri, non solum erga Petrum, sed etiam erga omnes Apostolos: qui nihil domo quum attulerint, quo se eximie commendarent; gratis à Christo dilecti sunt; gratis salute æterna donati; gratis in eum honoris gradum sunt euecti, quo sublimior nullus ne fingi quidem potest. Quis satis admirari queat τὸ ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ; Infimæ sortis homunculi, domo Galilæi, professione piscatores aut publicani, eliguntur à Domino, qui Orbem terrarum imperio ipsius subijciant. Sumuntur ex ima fæce plebis Iudaicæ homines literarum rudes, atque imperiti, qui mundi vniuersi Doctores constituantur: qui de seculi sapientibus gloriosissimum agant triumphum. Non hos elegit Deus quòd erant præ cæteris apti & idonei tanto ministerio: sed vt eligendo idoneos faceret. ô sapientiam Dei prorsus stupendam! ô diuitias misericordiæ Christi, quam erga hos suos Apostolos potenter exeruit! Miraculi huius magnitudinem qui voluerit considerare, legat sermonem elegantissimum Basilij Seleucensis in verba Domini, Matth. I V. 19. *Venite post me:* &c. Verùm an fuerit Dominus propensior erga Petrum, quàm erga cæteros, quod solum iubet obseruari Baronius; id vero quàm firmum sit, prudentis erit lectoris æstimare. Coniecturas affert ille, vnde hoc se rectè posse colligere autumat. Sed videamus, ne doctrinæ Euangelistarum conuenientius sit dicere: Dominum nostrum, omnes quidem suos Apostolos amore infinito esse prosecutum: omnibus dona ac vires suppeditasse ijs functionibus pares, ad quas vnumquemque illorum, in communi munere Apostolatus, destinauerat. Verùm si peculiari quodam amore aliquem ex Apostolis Christus dilexit; coniecturis Baronij posse opponi expressa verba Euangeliorum, Iohan. X X I. 20. vbi de Iohanne dicitur, ὁ μαθητὴς ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς. *hic est discipulus quem Iesus amabat.* Caussam autem illius impensioris dilectionis fuisse præstantiam virtutis quæ fuit in Iohanne, affirmat Cyrillus in eius Euang. lib. X I I. C. L X V I I. Quis autem Patrum non prædicat singularem Christi in Iohannem amorem? quis non obseruat magnum eius dilectionis testimonium dedisse Christum, quando illi moribundus Virginem matrem commendauit? Sed & Iohannis in amore Domini constantia insignis: solus enim Christo varie exagitato, irriso, cruci

affixo

affixo, ad mortem vſque adeſt: quum interim Petro quid acciderit ignoret nemo. Quod tamen profitemur nos dicere, non vt Iohannem Petro anteponamus: vtrumque enim pari reuerentia & animi ſubmiſſione colimus ac reueremur: ſed vt vnico exemplo oſtendamus, Baronij ſcopum auctoritate Scripturarum facile poſſe eludi, ſi quis eo amentiæ progreſſus fuerit, vt contendere inter ſe Apoſtolos, & præſtantiam cuiuſque illorum æſtimare non reformidet. Nam ſi omnia diligenter expendantur, quæ in ſacra pagina de ſingulis Apoſtolis dicuntur, non abs re quæri fortaſſe poterit, vni Paulo quis ſit ἀντάξιος. De Iohanne autem & Petro ſic ſcribit Hieronymus I. Aduerſus Vigil. *Petrus Apoſtolus eſt, & Iohannes Apoſtolus: maritus & virgo. ſed Petrus Apoſtolus tantum: Iohannes, & Apoſtolus, & Euangeliſta & Propheta.* At quis mortalium hoc ſibi arrogabit, vt de meritis Apoſtolorum iudex ſedere audeat? Quando tamen eò res redijt, vt non defuerint qui hanc inſaniam inſanirent; age, quas obſeruat Baronius hoc loco Petri prærogatiuas breuiter expendamus. Prima hæc eſt; quod Chriſtus Petrum, *ipſo primo intuitu eundem admirabili nomine illo vt Cephas, hoc eſt, petra diceretur, inſigniuit.* Etiam Bellarminus, qui Petri XXVIII. prærogatiuas ſummo ſtudio recenſuit, nominis impoſitionem, vel vt ipſe appellat mutationem, primo loco ponit: qua de re dictum antè & iterum dicendum erit ad annum XXXIII. vbi vis nouæ appellationis prolixe à Baronio explicatur. Ibi accurate exponimus, quàm vere dicatur hic & quo ſenſu, Chriſtum nomen ſuum admirabile Petro communicaſſe. Quum autem non ſoli Petro, ſed iam olim Abrahamo, Sarræ, Iſraeli, alijs, vt antè dicebamus, poſtea etiam filijs Zebedęi, item Paulo, ſicut affirmat Chryſoſtomus, noua nomina à Domino ſint impoſita; friuolum eſt & ineptum, nouæ appellationis impoſitionem trahere in argumentum primatus Petro conceſſi. Obſecro, quæ iſta conſequentia eſt? nomen nouum Chriſtus Simoni impoſuit: ergo ius Simoni dedit dominandi cæteris Apoſtolis: ergo Eccleſiæ Regem illum & Orbis terrarum monarcham eſſe iuſſit. Cedo aliquem puerum, primis Logices elementis leuiter imbutum, qui ſic argumentetur: quis illum feret? Verùm quoniam Bruti ſunt, qui ita diſputant, & quod volunt valde volunt: age, concedamus illis de Petro, quod tantopere contendunt: ſed quibus fidiculis hoc trahent ad Papam Romanum? quot proſyllogiſmis opus erit, antequam ad concluſionem optatam perueniant ſine riſu puerorum? Vnum eſt dumtaxat hominum genus, quibus hoc poſſit perſuaderi: illos dico, quibus Bellarminianum commentum placet, PASCE OVES MEAS, id eſt, ait Bellarminus, *regio more impera.* Qui ita ſunt animati, vt id genus irriſiones

Scripturarum probent, eos ego non mirabor, noui cognominis impositionem vertere in argumentum primatus. Tam hoc illis licet, quàm Petri exemplo cædes Regum & Principum, & alia plus quàm Satanica facta, quæ in Directorio Inquisitionis Romanæ similibusque libris, continentur, docentur, præcipiuntur defendere. At tu pie Lector, cogita, per Deum Patrem Iesu Christi, quanta sit impietas, Verbum diuinum ita torquere, & in sensum adeo contrarium veritati, velut per ludibrium trahere. Transeamus ad secundam prærogatiuam; *Post inde concionaturus ipse* IESVS *ad populum, non in alteram, quum duæ essent naues in littore, sed in eam, quæ ipsius Simonis erat, ascendit, quam pro pulpito habuit, ad docendas turbas.* Narrat Euangelista Lucas, ingentem populorum turbam Dominum nostrum secutam esse ad lacum Genesaret, studio inflammatam doctrinæ cœlestis audiendæ: quam vt ipsi Filius Dei traderet commodiùs, (quod Theophylactus accuratè explicat;) animaduersis duabus in ripa nauiculis; (neque hoc temere accidit, sed prouidentia diuina disponente;) alteram conscendisse, & ex illa velut ex ambone turbas esse allocutum: sicut etiam aliâs factum à Domino legimus, vt apud Marcum initio capitis quarti. Eam nauiculam fuisse Petri obseruat Lucas; altera cuius fuerit non dicit. Apparet verò ex sequentibus, Petrum piscationis illius socios habuisse, quos Euangelista appellat μετόχους & κοινωνοὺς Petri; interque eos fuisse Iacobum & Iohannem filios Zebedæi; sed videntur plures etiam fuisse, qui nauiculam alteram postea dicuntur ingressi. Quod Dominus noster Petri lembum potius quàm alterum sit ingressus; potest hæc ratio fortasse non absurda afferri, quia iam ante notitia contracta erat Domino cum Petro. Quem virum diuina sapientia cum destinasset augusto ministerio ponendi fundamenta Ecclesiæ suæ; præbuit ea res Patribus nonnullis occasionem, allegoricas huius loci totius interpretationes comminiscendi; quæ si dextre accipiantur, & industriæ illorum & pietati præbent testimonium. Eiusmodi plures habentur apud B. Ambrosium, cum in Commentario in Lucam, tum in sermone habito in principium capitis quinti Lucæ: item libro tertio De virginibus sub finem. Vide etiam Augustinum, (si ille liber Augustini) Quæstionum Euangelicarum libro II. cap. II. Bedam, Titum Bostrensem, alios. Etsi autem multa hi Patres alijque, dum suas persequuntur allegorias, de Petro dicunt, cum eius meritissima laude coniuncta: nullum tamen apud illos verbum inuenies, quod hodierno paradoxo de monarchia Orbis terrarum in Ecclesiam sub Petri nomine introducta, vlla ex parte faueat; nihil penitus quod in eam sententiam sine summa impudentia trahi queat. Bellarminus tamen

in hac prærogatiua exponenda ex animi ſui libidine laudat Ambroſium, cuius hæc verba affert. *Hanc ſolam Eccleſiæ nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus.* Sed mala fide diſſimulat Bellarminus, eo loci Ambroſium perſequi verborum Lucæ interpretationem allegoricam; per quam duas nauiculas facit duos typos Synagogæ & Eccleſiæ: alteram nauiculam ait relictam, quia typus eſſet Synagogæ Iudaicæ: in alteram Dominum fuiſſe ingreſſum, quæ repræſentabat Eccleſiam. Nauem enim Petri, vt olim arcam Noæ, ſymbola fuiſſe vnius Eccleſiæ. Quid mirum igitur ſolam Petri nauem Chriſtum conſcendiſſe? non enim profectò alibi quàm in Eccleſia Chriſtus reperitur. Nos vero non ignoramus, neque diffitemur, Eccleſiam quæ vere eſt Chriſti, paſſim tamen pio ſenſu Patribus dici Eccleſiam Petri, & fidem Eccleſiæ, fidem Petri; atque adeo interdum etiam πέτραν Πέτρου, vt alicubi loquitur Anaſtaſius Sinaita: ſed nihil hoc ad commentum Principibus terribile de imperio Petri in Papam tranſlato, & per vniuerſum terrarum Orbem diffuſo. Vis certò cognoſcere, nihil ſimile Ambroſium hodiernæ doctrinæ ſenſiſſe? id vero certiſſime apparet vel ex eo, quod in Commentarijs ſuis ad huius quinti capitis principium ſcribens, iura Regum ait ſtabilita eſſe à Chriſto, cum ſoluit tributum. Attende Lector ad verba illius: *Magnum eſt,* ait, *& ſpirituale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubiecti, ne quis conſtitutionem Regis terreni putet eſſe ſoluendam. Si enim cenſum Dei filius ſoluit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum?* Expendat pius Lector, quàm ſint iſta Ambroſij aliena ab hodierna doctrina de immunitatibus & exemptionibus clericorum non iam è Principum beneficijs, ſed è iure diuino: & ex eo faciat coniecturam, de mente pij & ſanctiſſimi illius Doctoris, etiam in illis locis, qui ad ſtabiliendam potentiam vnius detorqueri ſolent. Statuat etiam ſemel, quid de Baronio, Bellarmino, & id genus Hildebrandinis ſcriptoribus ſtatuere debeat; qui allegorias Patrum tanquam ſolida argumenta paſſim proferunt, inculcant, vrgent. Nam & pueri ſciunt, vbi de aliquo fidei dogmate agitur, (illis autem ſcriptoribus, vel præcipuum fidei caput eſt, Sedis Romanæ omnipotentia;) allegorias nihil probare. Nihil quippe firmi, nihil ſtabilis in allegorijs, aut interpretationibus anagogicis. Quare quum Ambroſio, vt dicebamus, nauis relicta à Chriſto ſit typus Synagogæ; Petri verò typus Eccleſiæ: alijs contra, Petri nauis typus eſt Synagogæ, altera Eccleſiæ. Theophylactus: τὸ πλοῖόν ἐστιν ἡ τῶν Ἰουδαίων συναγωγή· ὁ Πέτρος τύπον ἐπέχει τῶν ἐν τῷ Νόμῳ διδασκάλων. *Nauis,* quam Chriſtus eſt ingreſſus, *eſt Iudæorum Synagoga: Petrus rationem obtinet* ſiue, *eſt typus Doctorum ſub Lege.*

Lege. Vtraque doctrina pia eſt ; ſed concionanti ad populum conuenientior, quàm de dogmate ſeriò diſputanti ; quod erat propoſitum Bellarmini : vel Annales Eccleſiæ ſcribentis ; quod pollicetur titulus operis Baroniani. Audiamus aliam prærogatiuam. Ait Baronius : *Eandem Petri nauem, mox in altum iubet duci, & ingenti piſcium multitudine onerari iubet.* Dominus noſter bis agit cum Petro, vt trahat nauem à ripa : ſemel, vt prementium turbarum vitet incommodum : vtque ex ipſa naui turbis commodius verba faciat : quare non longe à terra, ſed paullulum dumtaxat ſubduci nauiculam petit : & quaſi beneficium à Petro vellet impetrare, ô admirabilem Domini noſtri indulgentiam ! precibus cum illo agit ; id enim eſt ἐρωτᾷν aliquot locis in Nouo Teſtamento ; & Theophylactus exponit παρεκάλεσε, *rogauit.* Mox vbi doctrinæ cœleſti ceperat Petrus cum alijs erudiri ; non iam orat illum Chriſtus, ſed dicit ei, vt ducat nauem ; non vt ante paullulum ; ſed in altum, & longius à ripa. Ratio aperta eſt ; quia, vt ait Gloſſa, id erat piſcationi aptius. Imperatæ autem piſcationis hanc rationem ſimul & anagogicam interpretationem afferunt, Theophylactus, Titus Boſtrenſis, & alij ; quod voluerit Chriſtus Petro velut naulum pendere, & commodatæ nauis mercedem : vt rebus ipſis doceret ; nemini vnquam operæ fructum periturum, quam in propagando Euangelio poſuiſſet. Quod igitur ſine figura docet Chriſtus Matth. VI. 33. *Quærite primum regnum Dei ; & hæc omnia adijcientur vobis :* id ipſum ſub hac figura Dominum inſinuaſſe placet doctis interpretibus. Afferuntur & aliæ à Patribus horum Euangeliſtæ verborum enarrationes allegoricæ ; quas nihil attinet commemorare. Iam enim diximus, allegorias docere, non probare. Pueriliter itaque operam ludunt, qui in diſputatione de hodiernis controuerſijs, allegorias Patrum conſectantur : magis illi, qui ipſi excogitant allegorias, quas pro firmis rationibus obijciunt. Id vero facit hoc loco Baronius, ſane licenter & putide. Vult enim piſcationem Petri eſſe ſymbolum fundatæ Eccleſiæ ſuper Petro petra. Quàm longe aliter Theophylactus ? qui Petrum prius quàm iuſſus eſſet à Chriſto trahere in altum, typum vult fuiſſe Doctorum Legis : eundem, poſt acceptam Chriſti iuſſionem, deſignaſſe Apoſtolos, qui in locum ſubſtituebantur Legis Doctorum. Communia igitur omnibus Apoſtolis, quæ dicuntur Petro : quod mille locis Patres vere obſeruant. Sanctiſſimos enim illos viros de doctrina Hildebrandina vel dormientes ſomniaſſe, ſine impudentiſſimo mendacio dici non poteſt. Neque tamen negamus inter Apoſtolos excelluiſſe Petrum : ita nimirum, vt in auguſto Senatorum conſeſſu, excellit is, qui eſt & dicitur princeps Senatus

siue Præses: non autem, vt Regem terrenum, vel potius vt supinum Monarcham mundi totius; quod sequiorum seculorũ horribile commentũ per tot mendacia, per tot Regum ac Principum parricidia hodie defenditur. Sed vrget Baronius: Petro, inquit, *nec alij imperatum, vt ducat in altum, & laxet retia in capturam.* Respondeo: Christus ministerium suum inchoans, dum adhuc veritatis Euangelicæ rudes sunt eius discipuli, figuris & symbolis cum illis agit, quæ opus habent interpretatione; eamque admittunt variam & multiplicem. Quare etsi concederemus solum Petrum Lucæ VI. 4. iussum esse dare operam, vt ad notitiam veritatis populi perducerentur: id tamen præceptum ad certum tempus esset restringendum: nam idem Dominus post pretium humanæ redemptionis persolutũ, cœlos petiturus sine allegoria aut vlla figura, non vnum Petrum, sed omnes Apostolos compellans, *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes.* Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Aut igitur mutauit sententiam Christus: quod vel cogitare stultum est: aut colligendæ Ecclesię cura omnibus Apostolis ex æquo est demandata. Sed qua fronte audet Baronius dicere, solum Petrum iussum esse laxare retia in capturam? id enim falsissimum est. Nam etsi numero singulari dixit Dominus Petro, ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος: *duc in altum*: omnibus tamen qui in nauicula erant, (ij autem videntur fuisse Iacobus & Iohannes,) dicit in commune, χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν. *laxate retia vestra in capturam.* non autem, *laxa rete tuum.* Non minus absurdum est, quod vrget Baronius illa Christi verba ad Petrum, *Ex hoc, iam homines eris capiens.* nam quid hoc ad Petri regnum commentitium? Nemo est, credo, tam impudens, qui negare sustineat vt Petrum, sic alios Apostolos piscatores esse factos hominum. Quod de Petro solo quum dicatur, Luc. v. 10. Petro simul & Andreæ promittitur, Matth. IV. 19. & Marc. I. 17. Si Andreas similiter vt Petrus iubetur esse piscator hominum; quis dubitat idem iussum datum esse omnibus Apostolis? At non hoc narrant Euangelistæ. Respondeat Tostatus, quæstione CVIII. in caput quartum Matthæi, *Si quis velit*, inquit, *accipere istud pro promissione; dicendum est, quod etiam Iacobo & Iohanni istud promissum fuerit: quia istud non erat, nisi indicare eis officium, ad quod eos assumebat. Est ergo verisimile, quod cum vocaret Iacobum & Iohannem* (idem puta dictum de cæteris omnibus Apostolis;) *diceret eis, ad quid vocaret ipsos: & istud erat, quod faceret eos piscatores hominum. Subticuit tamen istud scriptura: quia verisimile erat, quod diceret eis id quod dixerat prioribus. Et patet hoc, quia etiam forma vocationis non ponitur in secundis. Nam in primis dicitur, quod Christus dixit, Venite post me: in secundis autem solum dicitur & vocauit eos; sicut præcedentes; supple, Venite*

post

post me & faciam vos fieri piscatores hominum. Basilius igitur Seleucensis, verba illa Christi ad Petrum & Andream, non aliter accipit, toto illo sermone, cuius ante meminimus, quàm si vniuerso Apostolorum choro in vnum congregato eadem essent dicta. Nullum ergo hac in parte proprium & peculiare ius Petro fuit concessum, & nodum hic in sirpo quærit Baronius.

XXXII. *Locus Iosephi illustratur & emendatur. Ruffini versio corrigitur.* ἐξαιθριασθὲν ὕδωρ. *An vrbs Capernaum nomen sit nacta à fonte Capernaum. Luciani scriptoris Ecclesiastici locus animaduersus.* Caphargamala.

ANNI XXXI. Num. LXIV.

IN descriptione lacus Gennesaret, quæ è libris Iosephi apponitur mendum turpe non est animaduersum, quod in versionem Ruffini nescio quomodo irrepsit. Loquens enim Iosephus de natura aquæ lacus illius, ita scribit inter cætera, Belli libro III. cap. XXXV. Τὸ ὕδωρ οὐκ ἀποδεῖ χιόνος ἐξαιθριασθέν· ὅπερ θέρους νυκτὸς ποιεῖν ἔθος τοῖς ἐπιχωρίοις. *Aqua frigore, nihil quicquam niui cedit; postquam habita est sub dio: quod per æstatem indigenæ solent noctu facere:* nempe, vt aquam illam noctu habeant sub dio; quod ἐξαιθριάζεσθαι dicitur. Simile verbum ἐξηλιάζω, apud Septuaginta Seniores: de quo agimus ad annum XXXIV. Absurdo & immani errore in versione Ruffini vulgo editum est *æstibus* pro *niuibus.* quem errorem adeo manifestum non reliquisset Baronius, si Græca consuluisset. Corruptus est idem locus etiam in antiquo Ruffini codice Sereniss. Regis Iacobi; sed diuerso modo: nam ibi scriptum offendimus, non *æstibus*, vt in editionibus Latinis: neque *niuibus*, vt est in Græco textu: sed *cædibus*, nescio vnde orto errore. Poterant & de ipsius Ruffini grauibus hallucinationibus in huius loci interpretatione, non pauca adnotari; in quibus errant cum errante, qui eius versione vtuntur. Sed non id nunc agimus. In Græcis corrige ἐτύμως pro ἑτοίμως, pag. 791. ἐκ τῆς περιφερείας ἐτύμως Φιάλη κέκληται, τροχοειδὴς οὖσα λίμνη. *propter rotunditatem vero nomine Phiala dictus est lacus rotæ in modum rotundus.* neque aliter Ruffinus legit. Quum autem Iosephus in hac lacus Gennesaret descriptione fontis meminerit, quem ait Caparnaū (sic enim scriptum est, Καπερναοὺμ) ab accolis vocitatum: subjcit Baronius; *non fontem tantum, sed ab eo denominatum fuisse oppidum Capharnaū.* Ego verò dubito, & falli Baronium suspicor. Obseruo enim Capharnaum siue Capernaum oppidū Galileæ, & Capharnaum fontem in agro Gennesaretico, longiore interuallo fuisse inuicem dissita, quàm

vt fiat verisimile, quod sine teste affirmat Baronius. Neque nouum est, eandem appellationem pluribus locis fuisse communem, vbi nulla denominatio; sed aliqua tantum casus aut naturæ similitudo. Adde quod, male accepit, vt equidem puto, mentem Iosephi, si putauit, proprium ipsi fonti cuius Iosephus meminit, nomen fuisse Capharnaum: ipsum enim nomen indicat, ad illum fontem pagum fuisse ædificatum, cui illa appellatio proprie conueniret. CAPHAR enim villam significat aut pagum. *Capharnahum*, est pagus, à Nahum sic dictus; quod est nomen viri proprium, vt vnius è Prophetis. Hieronymus in Matthæum exponit *villa pulcherrima*, alludens fortasse ad vocem Hebraicam נעם: sed Capernaum est à נחום vt scriptura Hebraica & Syriaca ostendit. Sic Capharbaruca, *villa benedictionis* alius loci nomen in eadem Palæstina, de quo vide Hieronymum. In anno Domini CCCCXV. describitur è tomis Surij libellus Luciani cuiusdam, de translatione reliquiarum S. Stephani, vbi locus memoratur Caphargamala; *quod interpretatur*, inquit auctor, *villa Gamalielis*: sed falsus est: nam כפר גמלא est *villa cameli*, Καμηλοκώμη, non Gamalielis. Verùm multo grauiora peccata in illo scriptore graues & eruditi lectores sunt animaduersuri: quorum detegendi non est hic locus.

XXXIII. *De vsu signi Crucis in primitiua Ecclesia. Locus Epiphanij correctus.* κατὰ συγκυείδην. *Alia.*

ANNI XXXI. Num. LXVIII.

DE thermis Gadarenis loquens Baronius, post verba Epiphanij descripta, quibus celebritas illarum aquarum exponitur, ad quas è Christianis locis ἀνδρόγυνα, viri inquam & fæminæ conueniebant; subijcit hæc: *Subdit Epiphanius de muliere Christiana perpulchrum exemplum, quod signi Crucis virtute liberata sit à lasciuo iuuene sibi arte dæmonum illudente.* Negamus id dicere Epiphanium, quod dicit Baronius. Narrat ille Pater, eam mulierem, vbi videt pudicitiam suam in periculum esse adductam, in nomine Christi se signasse: hoc est, opem à Christo petiisse, facto signo Crucis; quod primitiuę Ecclesię fuit symbolum eius fiduciæ, quam in Christo & cruce ipsius ac passione Christiani ponebant: deinde addit Epiphanius, liberatam esse eam mulierem, ἵνα δείξῃ ὁ Θεὸς τὰ αὐτοῦ θαυμάσια, vt ostenderet sua mirabilia DEVS. Quis negare audebit aliud hoc esse, quàm quod scribit Baronius dicere Epiphanium, *signi crucis virtute*, illam mulierculam fuisse periculo ereptam? Quanquam, si vel expressis verbis, aut hic, aut quiuis alius Patrum id diceret; commode tamen exponendũ esset; ne plus signo

gno tribuatur, quàm pietas ferat. Non fert autem fides Christiana vt aliqua signo Crucis propria virtus miracula efficiendi tribuatur. Scimus veterem Ecclesiam & in vitæ communis vsu, & in ritibus sacris, multum vsam esse venerabili illo signo: sed vt pia ceremonia, quæ orationi adiecta, animos fidelium ad Christi crucem eueheret; non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut gestui affigeret. Hoc sensu sanctissimi prudentissimique illi Antistites, qui Ecclesiæ in Anglia reformandæ negotio præfuerunt; & in publicis locis Cruces passi sunt remanere, & in nonnullis etiam ritibus sacris retinuerunt, vt in baptismo. Verùm de vsu Crucis plura ad annum Domini, si voluerit Ipse, LX. erunt dicenda. In superiore loco Epiphanij corrigenda est obiter menda, quæ multis viris eruditis imposuit. Sic enim editum est, p. 62. κατὰ Συκυρίαν δὲ γυνή τις ἐλευθέρα ἐτύγχανεν ἐν τῷ λουτρῷ. Cornarius homo doctissimus vertit, *Iuxta Sycyriam verò fœmina quædam libera in balneo erat.* Et vir eruditissimus atque probissimus, deque studijs Geographicis optime meritus, Abrahamus Ortelius, conijciebat ex his verbis, id esse loci alicuius nomen, circa Gadara. Atqui Thermæ erant Gadaris, non in loco prope Gadara. Epiphanius, παραγίνονται ἐς Γάδαρα εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα. Scribe igitur, κατὰ συγκυρίαν δὲ γυνή τις. hoc est, casu, *forte fortuna erat mulier in balneo.* Sic loquitur etiam Euangelista Lucas x. 31. Baronius, qui thermas Gadarenas, in quibus lauabant sanitatis & voluptatis caussa, viri & fœminæ delicatiores, confundit cum aqua lacustri, quæ in aliqua parte agri Gadareni habebatur, ne pecoribus quidem sine periculo præsentis noxę, potabilis; diligentiam suam naris emunctæ hominibus facilius probabit, quàm iudicij sinceritatem.

XXXIV. *Porci in agro Gadareno. Gadara vrbs Græcanica. Viri clari Gadareni. Suilla in vsum conditorum. Alia quædam.*

ANNI XXXI. Num. LXIX.

MIratur Baronius in agro Gadareno gregem porcorum, de quibus Lucas, VIII. 32. & caussam suæ admirationis affert; *quia populi illi essent Iudæi*, inquit. Sed quia caussa falsa est, desinere admirationis poterat. Nam quis illi persuasit, Gadara vrbem fuisse Iudaicam? Non sane opinor Iosephus; qui in rebus Pompeij exponendis, scribit, ademisse illum Iudæis ἑλληνίδας πόλεις, vrbes Græcanicas quæ erant in Cœle Syria; atque inter has nominat Gadaram. Non Geographorum princeps Strabo, qui hoc dumtaxat scribit, καὶ αὐτὴν ἐξιδιάσαντο Ἰουδαῖοι, *Gadaram quoque Iudæi suam fecerunt*: per vim nempe,

quum

quum esset vrbs Græcanica, aut quiduis potius quàm Iudaica. Sed reuera Græcanica erat: quod vel sola arguat clarorum philosophorũ, philologorum & oratorum copia Gadaris ortorum, circa tempora Domini nostri vel Herodis Magni. Eorum meminerunt multis locis Græci Romanique scriptores, Cicero, Strabo, Asconius, Quintilianus, alij. Sunt qui existiment, etiamsi Iudæorum hominum vrbs illa fuisset; potuisse tamen greges porcorum à Iudæis mercatoribus ali, non quibus vescerentur, sed quos venderent. Apud Abulensem qui hanc quæstionẽ fuse ventilat ad caput octauum Matthęi, num. CXXXIII. vna ea est solutionum inter plures. Et verum est quod notat hic Baronius, de paratura suillæ conditis militaribus Romanorum inferendæ: qua de re multa aliquando, si vitam & otium Deus dederit, ad Polybium nostrum sumus dicturi. Sed hanc solutionẽ parum probabilẽ reddunt Rabbini; qui obseruant; paullo antè, id est Hyrcani & Aristobuli tẽpore, factũ esse decretũ in hac verba: ארור מי שיגדל חזיר *maledictus esto, qui aluerit suem.* quo decreto auaritiæ illorum sine dubio obuiam itum est, qui questus sui caussa porcorum greges alebant. Iudæos porrò alendis suum gregibus operam dare, Romani nunquam coegerunt. Obiter notabis, quod ait Baronius, Iosephum porcos nominare *nefanda animalia*; de Ruffino Iosephi interprete verum esse, de ipso Iosepho falsissimum. ἀνόσια enim ζῶα illi dicuntur, hoc est, *immunda, impura.* sic ille aptissime expressit vocem Mosis טמאים vt Leuit. XI. 8. & passim LXX. ἀκάθαρτα ζῶα, *impura*, hoc est, οὐ θύσιμα οὐδ' ἐδώδιμα. *quæ neque sacrificari neq; comedi poterant.* Epitomator nuperus hoc loco, vt sæpe alibi, errorem Baronij auxit.

XXXV. Baronij obseruatio super ingredientibus in domum per tegulas. Locus Ciceronis.

ANNI XXXI. Num. LXX.

FAteor, splenis petulantiam cohibere non potui, cùm legi in Annalibus, olim *veteres maximo vitio vertisse in domum alienam submitti per tegulas:* atque ad eius rei confirmationẽ vidi laudari M. Tullij locum è secunda Philippica. Ego verò nusquam legi apud Ciceronẽ, magis eam rem antiquos vertisse cuiquam vitio, quàm fit hodie ab omnibus, credo, mortalibus, qui quidem Anticyras nauigare opus non habent. Quoties enim per fores patet aditus, pro cerrito & circumferendo eum necesse est haberi, qui per tegulas velit demitti. Sin autem casu aliquo, puta clauibus amissis, (& possunt multi casus contingere) ingredi per ianuam nequeas, cùm ingrediendi ius habeas;

non

non magis peccat, aut reprehendi solet, qui per tectum demittitur, quàm qui per ianuam admittitur. Quare non illud est, quod ait Cicero in M. Antonio reprehensum; sed longe aliud. Verba Oratoris sunt de hoste suo olim à Curio iuuene adamato: *Quoties te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? cum tamen tu, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demittereris.*

XXXVI. *Indicatur fons erroris Tertulliani, qui publicanos apud Iudæos putauit fuisse Gentiles. Græca Biblia corrupta.* τελισκόμενος. *Zacchæus an Gentilis.*

ANNI XXXI. Num. LXXI.

Recte Baronius post magnum Hieronymum, refellit Tertullianū, qui falso sibi persuasit, neminem Iudæorum fuisse publicanum: sed omnes eius professionis in Iudæa, quorum in sacris Euangelijs fit mentio, fuisse Ethnicos. At non fuerit alienum argumenti vanitatem ostendere, quo id probare conatus fuit Tertullianus. Proferebat autem ille è Scripturis, vt quidem putabat, auctoritatem conceptis verbis expressam in Deuteronomio hanc: *Non erit vectigal pendens ex filijs Israel.* Sed falsus est Tertullianus: fuitque fraudi acutissimo Pœno Hebraicarum literarum ignoratio. Nam si originem consuluisset, deprehendisset, non esse Scripturæ verba, quibus ipse nitebatur: sed interpretis imperiti hallucinationem, quæ multis imposuit. Deuteronomij cap. XXXIII. post hæc verba *nec erit scortator de filijs Israel:* additur in nonnullis Grærorum codicibus: Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ· καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχὴν ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. *Non erit vectigal pendens de filiabus Israel: neq; erit qui initietur, quicquid illud sit, quod vouerint.* Quid sit hoc loco τελισκόμενος, fateor mihi non satis constare: non enim memini similem locutionem alibi obseruare. Hesychius, qui vt notum est eruditis, solet petitas è Scriptura voces in suas Glossas referre, explicat πληρούμενος, τελειούμενος. An huic loco altera harum interpretationum conueniat, nescio. Sed tanti non est: nam, vt dixi, totus hic versus τοῦ πονηροῦ κόμματος ὤν, de sacro codice delendus. Ac miror viros doctos, qui editioni Græcę præfuerunt Romæ; ex obliuione ea verba retraxisse in lucem, quæ neque veritas Hebraica agnoscit, neque paraphraseon Chaldaïcæ, Syriacæ, Ierosolymitanæ auctores, neque Latina vetus versio. Non nescio legi eadem apud nonnullos Patrum; sed omnium idem est error ac Tertulliani, ex eadem caussa. Sed & Zacchæum publicanorum illum principem Lucæ cap. XIX. quidam è Patribus arbitrati sunt, fuisse

 Gentilem:

Gentilem : quos vel ipſum nomen, (vt rationes alias taceam) refellit, purum putum Hebraicum : cuiuſmodi nomina Gentiles olim non ſoliti vſurpare.

XXXVII. *Indicantur hallucinationes miræ Baronij in dictionibus Hebraicis. Odium Iudæorum erga publicanos veteri illius gentis prouerbio confirmatum.*

Anni XXXI. Num. LXXIII.

Qvàm honeſtus olim fuerit Publicanorum ordo apud Romanos, & pueri ſciunt, illi ſaltem, quibus noua Latinitas Marcum Tullium nondum è manibus excuſſit. Quare ſine cauſſa Baronius rem nemini non notam adeo ſtudioſe perſequitur. Quæ verò obſeruat idem ſuper Iudæorum publicanis, partim è doctiſſimi Caninij Locis eſt mutuatus, partim neſcio quis illi ſuggeſſit. Videtur autem vir eruditiſſimus, humani ingenij vitio vſus, etiam è literarum Hebraicarum cognitione laureolam affectaſſe ; quod hic locus arguit & aliquot alij. Sed in contrarium plane res vertit : facilius enim ſtatuas ex eiuſmodi locis, ipſum ne legere quidem ſciuiſſe Hebraice ; quàm eius ſermonis aliquam peritiam habuiſſe. Nam per omnes Muſas, quid ille ſibi volebat, cùm iſta ſcribebat ? *Princeps publicanorum Hebraice dicebatur gabbe ; cæteri vero publicani gabbain.* Hæc caſſa nuce digna non eſſe, & pueri intelligunt, qui prima Hebraicarum literarũ elementa didicerunt. Sed incidit in puerilem hunc errorem, quia legerat, verùm non intellexerat, quod vere docet Caninius : τὸν ἀρχιτελώνην Syriaco vocabulo in Thalmud dici ריש גבאי *res gabbae : principem publicanorum.* cæteros ſimpliciter גבאין *gabbain, publicanos.* Baronij hallucinatio, (quam nouus Epitomator operi ſuo, velut gemmam aliquam inſeruit,) nullam ſuperiectionem relinquit. Quare autem iſtas voces Hebraicas appellet, quum ſint Syriacæ, neque vllum ipſarum in ea quidem notione veſtigium in veteri Hebraiſmo reperiatur, mitto quærere. Veteres Hebræi exactores tributorum dixerunt נוגשים *nogeſim* : eratque eorum nomen, vt ex Iobo & aliquot Prophetarũ locis apparet, iam tum terribile & exoſum. publicanos vero voce Syriaca appellarunt *Gabbain*, quaſi dicas, *collectores.* In libris Rabbinorum publicanus nominatur etiam מוכס vnde prouerbium Rabbinicũ, quod ſubijciam, quia Iudæorũ opinionẽ & publicũ odium eximie oſtendit : אין לך ממשפחה שיש בה מוכס שאין כולם מוכסין *Ne contingat tibi* vxor, *è familia in qua ſit aliquis publicanus ; quia omnes ſunt publicani*, id eſt, latrones, ſcelerati, peccatores, vt nominantur Matthęi

IX.

ix. 10. Addit Baronius, inuenisse se in Hebraico textu Matthæi publicanos dictos *parisim.* agnosco dictionem Hebraicam פריצים: sed quæ violentum hominem, τοιχωρύχον, & parietum effractorem significet, non autem publicanum. nescio vero an illam vocem inuenerit in editione Tiliana Euangelistæ Matthæi, quæ mihi magna cum voluptate olim lecta, nunc ad manum non est. in ea Munsteri longe aliter.

XXXVIII. *Confirmatur Baronij iudicium super Damasceni sermonibus De imaginibus. Ostenditur quàm multa falsa, absurda & ridicula eo contineantur.*

ANNI XXXI. Num. LXXV.

HIstoriam de statua ærea Paneade Domino nostro posita à muliere hæmoroüsa, post morbum sanatum, accurate expendimus ad annum Christi LVII. vbi illam Baronius reponit. Exponimus ibi locum Eusebij, descriptum hic Baronio, quo multi hodie contra certam auctoris mentem amant abuti. Hic vero conditor Annalium, magnam omnino promeritus est laudem, eo iudicio, quod super libris Damasceni De imaginibus fecit. Vere enim pronuntiat, *in multis eius scripti fidem vacillare, & compluribus ipsum scatere mendacijs.* Et tamen certum est, multos extare hodie fabularum quas iuuenes imbiberunt, ita amantes & retinentes, vt neque manifesta veritas, neque viri tanti auctoritas, à priore sententia illos sint dimoturæ. Isti prius quàm veritati dent manus, credere malent, circa initia prædicationis Domini nostri, Consules fuisse Romę Flacconem & Ruffinum, quos prodit vanus ille scriptor, quem laudat Damascenus: licet compertissimum sit, ficta esse illa nomina, quæ illi ætati nullo pacto congruant. Credere etiam malent, eodem tempore duos fuisse in Iudæa Herodes, vnum Toparcham Trachonitidis, alterum Regem Philippi filium. Sic enim scribit Damascenus è suo Iohanne Malala; Herodem, qui Iohannem Baptistam capite truncauit, fuisse Toparcham Trachonitidis: alterum autem Herodem Philippi F. regnasse in Iudæa. hic verò quàm multa paucis verbis continentur fæda mendacia? Nam Herodes, qui Iohannem sustulit, fuit Herodes Antipas, Peræææ & Galilææ Tetrarcha, non autem Trachonitidis: cuius regiam cum facit Sebasten, imprudens grauiter hallucinatur. Trachonitis enim & illi finitima Ituræa longè à Sebaste versus Arabiam sunt summotæ: siquidem Sebaste Samaria est. Quis autem legit vsquam vllum Herodem Philippi Tetrarchæ filium? Iosephus expressis verbis lib. XVIII.

capite ſexto negat reliquiſſe liberos: ac propterea eo mortuo Tetrarchiam ipſius, iuſſu Tiberij, prouinciæ Syriæ fuiſſe adiunctam. Sed neque vllum alium Herodem, qui regnarit in Iudęa præter Herodem Magnum prodit Hiſtoria. Huic tamen fictitio Herodi, libellus ſupplex, ſi credimus Damaſceno, à Berenica offertur, quam è fluxu Chriſtus ſanauerat: atque is libellus ſic incipit: Σεβαστῷ Ἡρώδῃ Τοπάρχῳ καὶ Θεσμοθέτῃ Ἰουδαίας τε καὶ ἑλλήνων βασιλεῖ Τραχωνίτιδος. En vani ſcriptoris in fictione inconſtantiam. paullo ante diſcrimen poſuerat inter Toparcham Trachonitidis, & Herodem Regem Iudææ: nunc eundem, quem vult videri Iudææ Regem, etiam Toparcham facit: & quidem Toparcham ac legiſlatorem (id enim eſt Θεσμοθέτης) Iudææ & Gręcorum, at Regem Trachonitidis. Quis tituli huius ſtultitiam ſatis exagitare queat? quæ frons vero Toparcham appellanti Σεβαστὸν, Auguſtum? nam etiam in fine ſic iterum: καὶ ὑμεῖς Σεβαστοὶ τὴν δέησιν δεομένῃ ἀξίαν παράσχετε. *Et vos Auguſti petenti petitionem iuſtam concedite.* hęc ſunt omnia & falſa & inepta: nec minus, quæ ſequuntur: Herodem lecto libello iſto ſupplice, Chriſti laudes prædicaſſe, & ponendæ illi ſtatuæ poteſtatem conceſſiſſe. Mirum quare non addiderit, Herodem tactũ eſſe Chriſtianum. Itaque iudicio illo Baroniano nihil rectius, nihil verius.

XXXIX. *Tractatur locus Iſaiæ, qui dedit occaſionem diuidendi prædicationem Chriſti in tempus acceptabile, & contradictioni obnoxium. An primus annus caruerit contradictione.*

ANNI XXXI. Num. LXXVIII.

EXtremo hoc anno Baronius ex Epiphanio diuidit tempus prædicationis Domini, in tempus acceptabile, & contradictioni obnoxium; ſiue vt loquitur Epiphanius, εἰς καιρὸν δεκτὸν καὶ ἀντιλεγόμενον. ſed non animaduertit, hanc obſeruationem, vtut antiquam, neque menti Prophetæ Iſaiæ congruere, neque veritati hiſtoriæ ſatis conſentire. Locus Iſaiæ ad quem reſpexit Epihanius, eſt cap. LXI. 2. Ibi Chriſtus, quem inducit Propheta loquentem, ait ſe miſſum à Deo, καλέσαι (vel κηρύξαι) ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν; *vt prædicarem annum beneplaciti Domini*, vel vt vetus interpres, *annum acceptabilem Domino.* Epiphanius & Baronius annum acceptabilem interpretantur, quod prædicatio tempore illo facta ab omnibus acciperetur: ſed non dixit Propheta ἐνιαυτὸν δεκτὸν ſimpliciter, verum שנת רצון ליהוה ἐνιαυτὸν εὐδοκίας τοῦ Κυρίου: annum illum, quo placuit Deo immortali ſuam gratiam mundo patefacere. ſic cap. XLIX. 8. בעת רצון ἐν καιρῷ εὐδοκίας. *in tempore beneplaciti*

beneplaciti mei exaudiui te. Septuaginta etiam hic vertunt χαιρῷ δεκτῷ & ita profert Paulus quoque II. Corinth. VI. 2. eodem quem diximus sensu. Ergo etiam capite LXI. vox δεκτὸς, *acceptabilis*, non ad homines debet referri, sed ad Deum Opt. Max. tempusque intelligitur quod appellat Paulus, Galat. IV. 4. πλήρωμα τοῦ χρόνου, *plenitudinem temporis.* idem Paulus Actor. XVII. 30. tempora quæ præcesserunt annum acceptabilem Domino, appellat τοὺς χρόνους τῆς ἀγνοίας. *tempora ignorantiæ.* Quod autem ait Baronius, primum annum prædicationis Christi caruisse oppositione: verum quidem est, Sacerdotes & cæteros veritatis hostes, Pharisæos, Sadducæos, Herodianos, quum non statim diuinarent, quò hæc Christi tenuia principia forent tandem peruentura; remissius initio egisse: veruntamen ipsos iam inde ab hoc primo anno conspirasse in vitam Christi, ex Marco videtur posse colligi; qui etiam prius quam nomina XII. Apostolorum proponat. ita scribit III. 6. *Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium inibant aduersus eum, quomodo eum perderent.*

EXERCITATIO XIIII.

I. *Quid sit Sabbatum secundo-primum. Confessio aliquot veterum de obscuritate eius quæstionis. Sabbatum primum. Explicationes aliquot Patrum, Epiphanij, Isidori Pelusiotæ, Chrysostomi, vocis δευτεροπρώτου. Scaligeri sententia confirmata. Alia quædam.*

Anni. XXXII. Num. II.

Qvid sit sabbatum δευτερόπρωτον initio capitis sexti Lucæ, quærit Baronius principio anni Domini XXXII. Veteres Patres, quum omnes existimarent compositam esse illam dictionem à δευτέρος & πρῶτος, partim varias rationes excogitarunt, cur idem dies sabbatum primum & sabbatum secundum diuerso respectu posset dici: partim ignorationem suam ingenue sunt confessi; vt olim Gregorius Nazianzenus, sicut narrat Hieronymus in epistola ad Nepotianum; & Syrus interpres, qui vocem δευτερόπρωτον, vt sibi non intellectam, (quod iure mireris in homine Syro, cui ritus Iudaici debuerunt esse noti; & quidem adeo antiquo:) plane prætermisit. Arabs vero multo inuerecundius; qui compositæ vocis alteram partem dissimulauit, alteram expressit: sic enim verba Lucæ transfert, quasi inuenisset scriptum, ἐν σαββάτῳ δευτέρῳ, *sabbato secundo.* Denique vt numeri Platonis, propter suam obscuritatem

tatem in prouerbium abierunt: sic Iudæorum secundo-prima sabbata παροιμιακῶς iactata reperiuntur inter res præposteras. Iohannes Episcopus Citri in Responsis suis; Οἱ γὰρ μὲν παντάπασι παῖδας ἀμαθεῖς καὶ ἀνεπιστήμονες, τὰ ἄνω κάτω ποιοῦντας εὑρίσκονται· καὶ ἡ παροιμία τούτοις ὁμόστολος, ἄνω ποταμῶν χωροῦν λέγουσα τὰς πηγάς· καὶ τὰ παρὰ Ἰουδαίοις δευτερόπρωτα σάββατα, καὶ παρὰ τοῖς δεινοῖς σοφισταῖς τὰ πρωθύστερα. Mihi verò multo magis obscurum est, quid sit Sabbatum primum, cuius meminit Petrus, si Petri illa verba sunt, quæ profert Clemens Alex. libro sexto Stromat. ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον: *nisi apparuerit Luna, sabbatum quod primum vocant non agunt.* Sed cur dies idem primum sabbatum & secundum sabbatum diceretur, probabiles rationes, vt modò dicebam, alij Patres excogitare sunt conati: Epiphanius contra Ebionæos, p. 73. & contra non recipientes Euangelium Iohannis p. 197. sabbatum in veteri Lege duplex fuisse ait seruatum; vnum vocat τὸ φύσει σάββατον, & τὸ ἀπ' ἀρχῆς ὁρισθὲν σάββατον, *sabbatum naturale, quod ab ipso rerum conditu fuit definitum*, quodque singulis hebdomadibus in orbem redibat: alterum, τὸ ὑπὸ νόμου ὡρισμένον, quod à lege definitum erat: intelligit autem cessationem ab opere ob diei alicuius festi celebrationē Lege Dei imperatam. quoduis festum Hebræis appellatur sabbatum, vt vulgo notissimum est. Putat vero Epiphanius, Lucam designasse primum naturale sabbatum, post mactatum pascha, & primum diem Azymorum. Nam hoc sibi ista verba volunt p. 74. διὰ μετὰ τὴν τῶν Ἀζύμων γινομένην ἡμέραν, καὶ ὁρισθεῖσαν ἡμέραν σαββάτου, τῷ σαββάτῳ φύσει, τῷ μετὰ τὴν ἡμέραν τῶν Ἀζύμων εἰς σάββατον λελογισμένην, εὑρέθησαν διαβαίνοντες διὰ τῶν σπορίμων. Igitur ex hac Epiphanij sententia, naturale sabbatum de quo sensit Lucas, primum dici potuit propter antiquiorem eius institutionem, quàm legalium sabbatorum: potuit & secundum dici, quia in ordine dierum paschalium, posterius erat sabbato legali, quod agitabatur die decimaquarta mensis Nisan. Non videtur dubitandum, quin hoc velit Epiphanius isto loco. at p. 197. ratio huius compositionis obscure admodum explicatur. Alij diem Lucæ intellectum, ipsum putarunt esse diem primum Azymorum, non autem primum sabbatum naturale post primam Azymorum, quam ostendimus fuisse Epiphanij sententiam. Ex horum mente idem ille dies dicetur sabbatum primum & sabbatum secundum, quia est secundus Paschatis & primus Azymorum. Isidorus Pelusiota lib. III. ep. CX. δευτερόπρωτον εἴρηται, ἐπειδὴ δεύτερον μὲν ἦν τοῦ πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν Ἀζύμων. Chrysostomus in Matthæum, homilia XXXIX. Τί ἐστι δευτερόπρωτον; ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ, καὶ τοῦ σαββάτου τοῦ κυρίου, καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. σάββατον γὰρ ἑκάστην ἀργίαν καλοῦσι.

Quid

Quid est Secundo-primum? quando duplex cessatio erat, & sabbati principalis, siue, sic proprie dicti, & festi consequentis. sabbatum enim cessationem ab opere quamlibet nominant. Sed longe diuersam eius appellationis rationem Iosephus Scaliger excogitauit, sane quàm ingeniose atque erudite, ex accurata obseruatione rituum populi Iudaici & locutionum Hebraicarum. In re Scaligero conuenit cum Epiphanio; nam & illi placet sensisse Lucam de sabbato, quod proxime solemne Paschatis erat secutum. In explicatione nominis δευτερόπρωτον, nouum est quod obseruat Scaliger: non à δευτέρου & πρώτου conflatã esse illam vocem; sed à δευτέρα & πρώτῳ: vt sit secundo-primum sabbatum, illud sabbatum, quod secundam Paschatis proxime sit secutum. Rationes nouæ sententiæ ex ipso auctore petant sacrarum antiquitatum studiosi, libro sexto De emendatione temporum, in diatriba de tertio Domini Paschate; & Isagogicorum Canonum libro primo, capite sexto, & libro tertio in Commentario eius capitis. Tantum dicam; certum atque indubitatum sententiæ Scaligeri fundamentum esse in verbis Mosis, Leuitici XXIII. 15. vbi iubet Dominus numerare septem hebdomadas Pentecostæ ממחרת השבת ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα, à postero die sabbati. Nam quia iubentur numerare hebdomades ad Pentecosten, non ab ipso die Paschatis, sed à proxime sequente: mirum non est, Sabbata omnia à Paschate ad Pentecosten sumsisse appellationem ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχατος, vt primus obseruauit Scaliger: quem postea multi viri docti sunt secuti. Quicquid autem de hac quæstione statuatur, Baronij coniectura stare non potest; existimantis, reprehendendi discipulos Christi occasionem Pharisæis inde esse natam; quod Omer siue manipulus frugum nondum fuisset Deo oblatus, quando discipuli spicas decerptas manibus affriabant: quum per Legem non esset fas ante oblationem frugum, noui prouentus quicquam edi. Sane ex Isidori & multorum sententia in eundem incidunt diem oblatio Omer, & factum Apostolorũ: sed poterat horis saltem aliquot prius religioni esse factum satis; quam temere violatam fuisse ab Apostolis credere non dubium. At verius omnino est, quod & Baronius subijcit, sabbati naturalis die id contigisse. Apparet enim ex verbis Lucæ, sabbati dumtaxat violati religionem discipulis Christi fuisse obiectam à Pharisæis; nec præterea quicquam aliud.

II. APOSTOLVS *nomen vsitatum inter Iudæos tum non fuisse, cum Dominus suos instituit. Patriarchæ Tiberiadensis Apostoli. Huillus & Hillel an eiusdem viri nomina. Iudaicarum Synagogarum varij Schelichim.*

ANNI XXXII. Num. V.

DE prima institutione Apostolorum loquens Baronius, ita scribit: *Vsitatum nomen fuit apud Hebræos, vt Apostolos illos nominarent, qui assidue versarentur cum summo Sacerdote consulendi gratia.* Hic vero insigniter hallucinatus est Baronius, idque manifestissime: locum enim Epiphanij quem laudat, pessime accipit. Narrat Epiphanius in disputatione aduersus Ebionitas, Iudæorum sui temporis partem aliquam Tiberiade habitasse, & in alijs Palæstinæ locis, qui dispersionis suæ caput agnoscerent, quem Patriarchã nominabant: huic fuisse velut adsessores quosdam adiunctos, qui Apostoli dicerentur. Satis compertum est, post euersam vrbem reliquias populi Iudaici misere dissipatas, varijs in locis Orbis terrarum coegisse aliquot cœtus, alibi maiores, alibi minores. Alexandriæ maxima semper fuit Synagoga. Scimus fuisse non pœnitendas Romæ, Antiochiæ, & in plerisque magnarum vrbium. Quemadmodum autem vetus Synagoga Babylonica, cuius reliquię & etiamnũ in illis partibus Orientis durant, suum Æchmalotarcham habuit, cui tanquam Regi parebat: sic & reliquæ Iudæorum manus, vbiubi collectæ, suos duces sibi præfecerunt, quos fere appellarunt ראשי ישיבה ἄρχοντας τῆς παροικίας, præfectos congregationis. Tales Præfectos Romæ, Narbone, & plurimis alijs in locis sibi visos narrat Beniaminus Tudelensis in Itinerario suo. In Chronicis quoque Iudæorum, libro Iuchasin, & alijs Rabbinorũ scriptis, huius nominis & dignitatis non infrequens mentio habetur. Qui Alexandriæ vel in Syria aut Asia, propter diuturnam inter Græcos moram, Gręcę linguæ assueuerant; hi suos Præfectos Græca voce appellabant PATRIARCHAS. Itaque Patriarchæ Iudæorum Alexandriam colentium meminit Imper. Hadrianus in epistola ad Seuerianum Cos. apud Vopiscum in Saturnino. Origenis temporibus Patriarcha Iudæorum Alexandriæ fuit quidam Huillus, cuius ex Origene meminit Hieronymus aduersus Ruffinum. Putarunt viri summi hunc esse Patriarcham Hillelem, de quo Epiphanius contra Ebionitas: sed neque tempora satis congruunt, & circumstantia loci plane repugnat. Hillel enim cuius meminit Epiphanius, Iudæorum fuit Patriarcha Tiberiade & in vicinis locis collectorum, non autem Synagogæ Alexandrinæ. Quare verius est quod antè dicebamus, varias fuisse

fuiſſe diſperſionis Iudæorum partes, atque vt Euſebius loquitur, varios ἀποδασμοῖς, quorum illi qui inter Græcos habitabant, ſuos duces Patriarchas appellabant. Sane & Theodoretus in [illegible] videtur innuere, plures diuerſis locis fuiſſe Iudæorum Patriarchas. Epiphanius igitur, vt ad propoſitũ redeamus, de Patriarchis Tiberiadenſium Iudæorum ætatis ſuæ loquens, adſeſſores quoſdam ipſos ſcribit habuiſſe, qui APOSTOLI nominarentur. Baronius vero ad ſummũ Sacerdotem & Domini noſtri tempora, eam hiſtoriam refert; errore, quod nemo queat negare, prorſus immani. Nam quid habuit commune ſummus Pontifex ſtantis Reip. Iudæorum, cum præfectis tenuium reliquiarum, quæ vrbe deleta varijs in locis Aſiæ atque Europæ ſunt collectæ? Quare falſum eſt, Dominum noſtrum diſcipulis ſuis eam appellationem indidiſſe, vocem mutuatum ex communi vſu Iudaicæ Synagogæ. Atqui nullum dubium eſt, Dominum noſtrum, quum Syriace loqueretur, voce Syriaca vſum, & שליחין SCHELICHIN ſuos XII. diſcipulos appellaſſe, quos Euangeliſtæ qui Græce ſcribebant, ἀποστόλους dixerunt. Itaque Syriaca Paraphraſis, quam conſtat eſſe antiquiſſimam, & quæ dubio procul verbum Græcum ea voce expreſſit, quæ in Syriæ Eccleſijs primis illis temporibus fuit in vſu, Apoſtolos ſemper nominat שליחא. Si vt putat Baronius, iam inde à Chriſti tempore, vox Græca à Iudæis ciuitate fuiſſet donata; cur illam Eccleſiæ Palæſtinæ & Syriæ non retinuerunt? Verba Lucæ, quæ ſuadere contrarium videntur, mox interpretabimur. Nos in Iad Moſis Ægyptij, & alibi apud Rabbinos, in deſcriptione rituum Iudaicorum, mentionẽ variorum miniſtrorum fieri obſeruamus, qui שליחים id eſt, *Apoſtoli* nominantur. Inuenitur etiam in illorum ritibus, qui שליח ציבור ἀπόστολος τῆς συναγωγῆς nominatur, quaſi dicas, legatum Synagogæ: vt in perek quarto, tractatus Tahanioth, libro III. Iad Maimonidæ. Habent & hodiernæ Synagogæ ſuos Schelichim, quos volunt eſſe cantores, qui pro vniuerſo cœtu preces ad Deum mittunt. Ita enim quærentibus nobis de eorum officio Iudæi reſponderunt.

III. Exponuntur verba Lucæ, quos & Apoſtolos nominauit *collatione multorum auctorum, qui ſimiles locutiones vſurparunt. Alia quædam.*

IBIDEM.

GRæcam vocem Ἀπόστολοι tempore Domini noſtri in vſu non fuiſſe Iudæis, contra quàm crediderit Baronius, modò probauimus: nunc oſtendamus, ne id quidem ſatis eſſe certum, ætate Epiphanij Iudæos Tiberiadenſes & in reliqua Palæſtina id verbi habuiſſe in

vſu promiſcuo. Hoc verò ſatis arguitur vel vnico illo argumento, quod neque auctor Aruk vocis illius mentionem vllam facit, neque vſquam in libris veterum Rabbinorum, quod ſciam, legitur. Iudęos quidem Helleniſtas, quoties de ſuis rebus Gręci loquerentur, dictionibus πατριάρχης & ἀπόστολος fuiſſe, illa pręſertim ętate, vti ſolitos, facile concedimus; ſed ipſos inter ſe, ita appellitaſſe duces ſuos & eorum conſiliarios, non ſit mihi veriſimile: alioquin extarent omnino earum appellationum veſtigia in ſcriptis Rabbinorum. Legi ſane in illorum Commentarijs dictionem אפתרבא hoc eſt, πατριάρχης; ſed alio ſenſu. Vox ἀπόστολος extat aliquoties apud Ioſephum: verùm notione diuerſa pro ἀποστολὴ, *miſſio, ipſe mittendi actus*, vt libro XVII. pag. 541. ἀφίκετο εἰς τὴν Ῥώμην πρεσβεία Ἰουδαίων, Οὐάρου τὴν ἀπόστολον αὐτῶν τῷ ἔθνει ἐπικεχωρηκότος: qua fere ſignificatione literas dimiſſorias, quę aliter dicuntur libelli appellationis, Paulus Iuriſconſultus alijque Romani vulgo *Apoſtolos*, dixerunt. Quod igitur Epiphanius & alij mentionem faciunt τοῦ καλουμένου πατριάρχου καὶ τῶν καλουμένων ἀποστόλων inter Iudęos, ſic videtur accipiendum, quaſi diceretur, ijs nominibus iſtos appellari à Iudęis, quę Gręcis hiſce vocabulis reſpondeant. Ita paſſim eſſe locutos ſcriptores optimos, pauca exempla faciunt fidem. Polybius libro ſexto in deſcriptione armaturę Romanę; χάλκωμα σπιθαμιαῖον πάντῃ πάντως προστίθενται πρὸ τῶν στέρνων, καλοῦσι δὲ καρδιοφύλακα. *æream laminam duodecim ab omni parte digitorum pectori apponunt, & corditum, ſiue pectorale vocant.* ad verbum eſt, *& vocant Romani eam laminā* καρδιοφύλακα. An exiſtimare debemus milites Romanos Gręca voce eſſe vſos? minime: ſed commoda interpretatio adhibenda, quaſi dixiſſet, appellant verbo, quod ſi Gręce vertas, ſonat καρδιοφύλακα. ſic accipe illa ibidem, προσαγορεύουσι ταξιάρχους. & ἐκάλεσαν τάγμα, σπεῖραν, σημαίαν. nulla enim iſtarum dictionum Romanis in vſu vulgo fuit. Plato in Alcibiade priore de inſtitutione regia ſobolis apud Perſas loquens: δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν, τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν, οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσι. *vbi præterierunt bis ſeptem anni, puerum ſuſcipiunt inſtituendum, illi quos Perſæ vocant* βασιλείους παιδαγωγούς *regios pædagogos.* non vſurpabant Perſę Gręcas voces, verùm Perſicas eiuſdē ſignificationis. Ioſephus Belli Iudaici libro v. locum in Iudęa quemdam commemorat ὑπὸ Ἰουδαίων πατρίως Ἀκανθῶν αὐλῶνα καλούμενον: *quem Iudæi voce patria appellant* Ἀκανθῶν αὐλῶνα, *Spinarum vallem.* vult dicere Hebraica appellatione, quę tantundem ſignificet. Sic paſſim apud Patres Gręcos appellantur Ἑβραϊκαὶ ἀναγνώσεις, *Hebraicæ lectiones*, purę putę voces Gręce; ſed quas volunt ſignificare Hebraicis reſpondere. Et ſimilia his multa paſſim diligens Lector obſeruabit. Ita igitur verba

Lucæ accipi debent, VI. 13. οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασε. *quos & Apostolos nominauit*: hoc est, Selichin eos loquens Syriace appellauit; quæ vox idem significat cum Græca Apostoli.

IV. *Nomen* APOSTOLVS *varie accipi in Scripturis & apud Patres. Veri Apostolatus conditiones.* Ἀρχαὶ πνευματικαὶ & αὐθενταί. *Apostolatus* ἐξουσία πνευματική. *item* ἀρχὴ πνευματικωτάτη, & ἀρχὴ ἀρχῶν. *Episcopi dicti* Apostoli: *successores & vicarij Apostolorum.* Apostolatus *pro Episcopatu.* ἐπισκοπὴ & διακονία, *pro Apostolatu. Episcoporum olim cura duplex; de propria & de vniuersali Ecclesia.* νέος Ἀπόστολος. ἰσαπόστολος. *Ecclesiæ aut Sedes* Apostolicæ. Apostolicus. *Nomina communia & ritus proprie attributi Ro. Episcopis.* Papa. *Mos osculandi pedes. Nomina dignitatis male trahi in argumentum Monarchiæ absolutæ.* αὐθεντία τῆς Ἀποστολικῆς διαδοχῆς. *apud Synesium. An solus Papa ius habeat Euangelium communicandi Gentibus, & Apostolos creandi, vt vult Baronius. Ratione & exemplis contrarium demonstratur. Pantænus, Frumentius & alij à Patriarchis Alexandrino & Constantinop. missi.*

ANNI XXXII. Num. V.

MVnus & dignitatem Apostolorum Baronius hisce verbis describit; *Apostolos*, inquit, *ea de caussa elegit Christus, vt verbi prædicatione Orbi caligine offuso lumen veritatis impartirent.* Hæc descriptio propter multiplicem omissionem vitiosa est. Posset quidem in historico hæc negligentia ferri: nisi quæ deinceps ab auctore traduntur, legitimæ suspitionis iustam caussam præberent. Videtur enim non temere, sed certo consilio Apostolatum ita laxè descripsisse; ne accuratiore oratione multos honore & dignitate Apostolatus excluderet; quos ipse alibi & appellat Apostolos, & eorum munus verum Apostolatum fuisse contendit. Obseruent igitur tirones, non vno modo in Scripturis & apud Patres hoc nomen reperiri vsurpatum. In communi Græcorum vsu, ἀπόστολοι dicebantur certi homines, qui negotij gerendi gratiâ, magis quàm deferendi nuntij, aliquò mittebantur. Sic accipitur Iohannis XIII. 16. οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν; *non est missus maior eo qui misit.* & in ea ad Hebræos III. 1. Christus ipse dicitur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, *Apostolus & Pontifex confessionis nostræ*: vel quia caput ipse est & Princeps Apostolorum, vnde omnis in illos vis diuina atque auctoritas manauit: vel quia ipse quoque in hunc mundum à Patre ἀπεστάλη, *missus est*, Matth. XV. 24. Sic & Epaphroditum vocat Paulus scribens ad Philippenses, illorum

ἀπόστολον, II. 25. tanquam ad se missum ab illis, qui ipsi ministraret. At notione peculiari ac propria, illi duodecim Christi discipuli sic dicti sunt, quibus ipse, Orbem terrarum, non solum verbi prædicatione erudiendum commisit, vt ait Baronius : sed etiam auctoritatem amplissimam dedit, Ecclesiam suam fundandi, constituendi, verbo scriptisque docendi, & Episcopos illi pastoresque alios imponendi, qui deinceps iure ordinario essent eam recturi. Inter proprias Apostolorum notas sunt hæ duæ ; quod à Christo immediate electi & missi sunt, vt essent testes resurrectionis ipsius & omnium quæ vidissent. Ad priorem notam respicit Paulus, cum asserens sui Apostolatus dignitatem, initio epistolæ ad Galatas, *factum se* ait *Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.* Ad posteriorem notam pertinet, quod ait Dominus initio Actorum, ἔσεσθέ μοι μάρτυρες, *testes mihi eritis in tota Iudæa, Samaria, & vsq. ad vltimos mundi fines.* & quod Petrus capite eodem, versibus 21. & 22. ostendit enim necessarium fuisse, vt quicunque esset futurus Apostolus, Christum in terris vidisset, atque earum rerum testimonium posset præbere, quarum ipse extitisset αὐτόπτης, Actorum x. 41. Petrus se & reliquos Apostolos vocat μάρτυρας προκεχειροτονημένους ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *testes præordinatos à Deo.* & de ministerio Apostolorum sæpe vsurpantur voces διαμαρτύρεσθαι & μαρτυρεῖν, *testimonium exhibere*, vt Act. x. 42. & XXII. II. Quare Paulus I. Corinth. IX. I. cur Apostoli nomen iure posset sibi vindicare, hanc cum primis rationem affert, *quia Christum Iesum Dominum nostrum viderat.* Tertiam conditionem Apostolatui propriam notant Euangelistæ, cùm dicunt iussos fuisse illos ire per totum mundum, & prædicare Euangelium πάσῃ τῇ κτίσει, *omnibus creaturis*, vt loquitur Marcus, XVI. 15. Propterea Chrysostomus eximia quadam homilia in editione Sauil. tomo VIII. pag. 110. Ἄρχοντες inquit, εἰσὶν ὑπὸ Θεοῦ χειροτονηθέντες οἱ Ἀπόστολοι· ἄρχοντες, οὐκ ἔθνη καὶ πόλεις διαφόρους λαμβάνοντες, ἀλλὰ πάντες κοινῇ τὴν Οἰκουμένην ἐμπιστευθέντες. *Principes sunt Apostoli à Deo constituti ; Principes, qui non gentes aliquas aut vrbes diuersas regendas acceperint : sed quorum fidei Orbis terrarum in commune fuit concreditus.* Quarta nota est, potestas & dignitas longe maior & augustior, quàm vlli vnquam alij functioni spirituali fuerit attributa. Solis enim Apostolis dictum est à Christo, *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Iohan. XX. 21. quod etiam significat Apostolus I. Corinth. XII. 28. B. vero Chrysostomus eum locum tractans ea quam dixi homilia, vt magnitudinē muneris Apostolici exprimeret, comparationem spiritualium dignitatum (ipse ἀρχὰς nominat,) cum ciuilibus, quas αἰσθητὰς appellat, instituit ; & ait Apostolatum inter spirituales

rituales esse ὑπατείαν πνευματικήν, id est, supra omnes alias functiones spirituales sic eminere, vt supra omnes ciuiles magistratus eminet potestas Consularis. Itaque Apostolatũ nominat ἀρχὴν πνευματικωτάτην, *potestatem omnium maxime spiritualem:* item ἀρχὴν ἀρχῶν *potestatẽ potestatum*; & præterea, τὴν πνευματικῶν ἀρχῶν κεφαλὴν καὶ ῥίζαν καὶ ὑπόθεσιν, *potestatum spiritualium caput, radicem & originem*, siue, *fundamentum*: quoniam, inquit, Apostolatu continentur omnes inferiores potestates, quas eo loco Paulus enumerat. Hæ notæ quum nemini vnquam mortalium competierint, aut competere possint, præter illos XII. Apostolos, qui sunt à Domino instituti, & Matthiæ, Paulo & Barnabæ, qui postea in illum diuinum chorum sunt cooptati; certum est, appellationem APOSTOLORVM nemini præter illos quos dixi, posse tribui, nisi fortasse figurate & æquivoce. In scriptis tamen B. Cypriani & aliorum Patrum, est inuenire Episcopos non raro nominari Apostolos: improprie quidem, & ὁμωνύμως: quando discrimen est ingens inter Apostolos & Episcopos, quibus superiorum notarum nulla proprie conuenit: non tamen sine Scripturarum exemplo. Nam in Actis Petrus Apostolatum vocat ἐπισκοπήν, I. 20. & notum est, nomina ista, Apostolus, Episcopus, Presbyter, Diaconus, etsi multum inter se diuersas functiones significant; sæpe tamen nullo discrimine ab auctoribus sacris vsurpari: quare etiam Apostolatus vocatur διακονία Petro in eadem illa oratione. Adde quod, primis Ecclesiæ temporibus omnes Episcopi præter peculiarem curam propriæ sibi Ecclesiæ, in solidum sibi commissam, vt loquitur Cyprianus; etiam vniuersam, suo quodam modo, curabant, tanquam τὴν καθολικὴν ἐπισκοπὴν πεπιστευμένοι, *habentes fidei suæ creditum vniuersalem Episcopatum*; sicut scriptũ est in Constitutionibus Clementis, libro sexto, cap. XIII. vt hac saltem ratione APOSTOLI aliquo modo dici potuerint: qua de re multa alibi accuratè à nobis disseruntur. Igitur in epistola Cypriani LXV. & alibi, Episcopi nominantur Apostoli: & scribit idem non semel, *Apostolis vicaria ordinatione succedere Episcopos*. Epiphanius in epistola operis initio præfixa, vocatur νέος Ἀπόστολος, *nouus Apostolus*: cui appellationi congruit vox ἰσαπόστολος inter titulos frequens, quibus Græci insignioris nominis Episcopos vel Patriarchas solent ornare. Sæpe item *Apostolatus* ponitur pro Episcopatu. Sidonius Apollinaris, libro IV. epistola quarta ad Lupum Tricassinum Episcopum; *Præter officium, quod incomparibiliter eminenti Apostolatui tuo debetur.* epistola VII. ad Fontelum Episcopum Vasionensem; *Ego quoque ad Apostolatus tui notitiam pleniorem cum prærogatiua domesticæ familiaritatis accedo.* Hinc etiam Ecclesiæ siue Sedes dictæ sunt APOSTOLICAE, primo

quidem

quidem illæ, quas Apoſtoli opera ſua fundarant, *& quas* vt loquitur Tertullianus, De præſcriptionibus cap. XXI. *ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua, quod aiunt voce, quàm per epiſtolas poſtea.* Deinde vero quæuis Eccleſia, aut ſedes Epiſcopalis, dicta eſt Apoſtolica, *pro conſanguinitate doctrinæ*, ait idem Tertullianus cap. XXXII. quæ in fide ſemel ab Apoſtolis tradita conſpiraret. Sic & Sidonius eidem Lupo, Tricaſſium in Gallia Epiſcopo, tribuit Apoſtolicam Sedem, epiſtola prima libri ſexti: vbi etiam Petrum Apoſtolum vocat Lupi collegam. Et ita loquuntur illius ætatis & inferiorũ pij atque eruditi ſcriptores: improprie quidẽ ac durè: ſed tamen frequenti admodũ vſurpatione. Alij Epiſcopos vocabant non Apoſtolos, verùm APOSTOLICOS. Extant epiſtolæ duæ Venantij Fortunati ad Euphronium Epiſcopum Turonenſem, cui ſucceſſit Gregorius Turonenſis; quarum prior ita inſcribitur: *Domino ſancto & meritis Apoſtolico, domino & dulci patri Euphronio Papæ Fortunatus.* & in fine, *Ora pro me, domine ſancte & Apoſtolice.* in eadem tamen epiſtola Apoſtolatum Euphronio attribuit. *multiplici me prece, Apoſtolatui & ſanctæ charitati veſtræ commendo.* Accidit verò in appellationibus APOSTOLICI & APOSTOLICAE SEDIS, quod in alijs pluribus, & nominibus & ritibus Eccleſiaſticis videmus accidiſſe; vt quæ erant initio communia omnium, fierent propria paucorum, propter præcellentem eorum dignitatem. Sic *Papæ* nomen olim commune fuit omnium Epiſcoporum, vt certò conſtat ex Athanaſio, Epiphanio, Euſebio, Sidonio Apollinari, & alijs ſcriptoribus: poſtea tamen Epiſcopo Romano ἀντωνυμικῶς eſt tributum. Sic mos oſculandi pedes, olim genus fuit reuerentiæ & Epiſcopis & Abbatibus, & alijs ſanctimonia claris viris paſſim exhiberi ſolitæ; vt ſexcentis exemplis alibi probamus: poſtea is ritus ad cultum Ro. Pontificis proprie eſt tranſlatus. Sic igitur APOSTOLICVS, & APOSTOLICA SEDES de Romæ Epiſcopo, & Sede Romana ἀντωνυμικῶς in Occidente vſurpare ceperunt. Dico in Occidente & apud Latinos ſcriptores; nam in Oriente & apud Græcos auctores, præſertim paullo vetuſtiores, nunquam id inuenias: quum ipſi contra ſimilem aut eundẽ honorẽ ſuis Patriarchis haberent. Sic αὐθεντίαν τῆς Ἀποστολικῆς διαδοχῆς *auctoritatem Apoſtolicæ ſucceſſionis* celebrat Synesius epiſtola LVI. non vtique Romanã, ſed Alexandrinã Sedem intelligens; de qua etiam ſcribit initio epiſtolæ ſequentis, ἀνάγκη μοι θεία, νόμον ἡγεῖσθαι, πᾶν ὅ,τι ἂν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίσῃ. *diuinitus impoſita eſt mihi neceſſitas, vt pro lege habeam, quicquid illa Sedes conſtituerit.* Tanta fuit olim, cum Eccleſiaſtica diſciplina vigebat, Sedium Patriarchalium apud minores Epiſcopos reuerentia. Vt mirari nemo debeat, Roma-

nam

num Papam, cuius in toto Occidente maxima erat auctoritas, Apostolicum esse dictum, & eius sedem Apostolicam: quod videtur circa annum Domini CCCC. cepisse, vt è Vincentij Lirinensis, Augustini & aliorum scriptis potest colligi. Quemadmodum autem negare non possumus, nec debemus, veterum illius Sedis Episcoporum, ea extitisse in vniuersam Dei Ecclesiam merita, vt hoc honore & quouis alio essent dignissimi: ita non sunt ferendi Bellarminus & alij hodierni disputatores, qui etiam appellationes illas in argumentum Monarchiæ trahunt: quasi ignorarent, aliud esse, præstare dignitate inter fratres, & eiusdem ordinis viros; aliud Monarcham esse, & cum in fratres, tum in vniuersi Orbis Reges omnes ac Principes absolutam dominationem sibi vindicare. Obsecro, estne aliquis à sensu communi adeo remotus, qui inter ista quantum sit discrimen, non intelligat? Esto sane: dicatur Papa Ro. APOSTOLICVS, & eius Sedes APOSTOLICA: non solum quomodo Apostolici Tertulliano appellantur, quicunque in prædicatione eiusdem fidei Apostolis successerunt: sed etiam vt Petri Apostoli successor: modò Petri doctrina sincera per illum vigeat & incorrupta. Nunc iniquum est, & ridiculũ, Apostolicum dici, quod minus multo est, quàm Apostolum; eum cui omnia ferme tribuantur, quæ propria fuisse Apostolorum, nemini mortalium communicabilia supra demonstrauimus: quod fit à Bellarmino libro II. de Ro. Pontifice, cap. XII. Quid dicemus de Baronio, qui vnius Ro. Papæ proprium ius esse dicit Apostolos creandi, quod à Domini Apostolis nunquam esse factum legimus? Nimirum Baronij doctrina hæc est: Nemini qui à Papa auctoritatem non acceperit, ius esse prædicandi Gentibus Euangelij: quod ius nemo inter Apostolos sibi proprium esse voluit: at proprium tamen est Papæ, si Baronio credimus, tot locis id affirmanti. In anno DCCXCV. summa affertur epistolæ cuiusdam Hadriani Papæ, in qua sunt ista verba: *Adijcit Papa se permittere diuinum verbum Gentilibus prædicari.* Ipsius vero Baronij verba sunt in anno nongentesimo octuagesimo nono, de Adalberto Vngarorum Apostolo. *Ipse sciens Apostolatus munus, non sponte sua à quoquam, sed Dei nutu ab eo, qui primariam in Ecclesia Catholica retinet à Deo concessam auctoritatem, suscipiendum; Romam rursus statuit proficisci, vbi, si Deus id vellet, vt fecit, à Romano Pontifice acciperet ipsum ad Gentes Apostolatum.* idem in anno CIↃCXXIV. *Vir Apostolicus Otto probe sciebat, non esse alterius cuiuspiam, aut ab animi alicuius arbitrio pendere, sibi sumere ad gentes Apostolatum, quamuis inuitatus sit à secularibus dominis; sed esse primariæ Sedis Apostolicæ auctoritatis, Petri successoris & Christi vicarij dumtaxat.* Addit ibidem Baronius, Ottonis prædicationem

tionem secuta esse signa, *ne quid*, ait, *minus habere videretur ab antiquis Apostolis.* Quare si huic credimus, Papa Ro. non iam vt Petrus, de quo nihil simile narratur; sed vt Christus alter, Apostolos creat, & quidem Apostolis Christi nihilo minores. Triumphat igitur persæpe in postremis Tomis Baronius, de istis Paparum Apostolis. In anno vero nongentesimo nonagesimo septimo eius verba sunt, cum de Bonifacio Apostolo Gregorij v. loqueretur: *Huc prouoco Nouatores, vt discant, (si quæ tamen scintilla innati omnibus cognoscendæ veritatis luminis, in eis reliqua est;) quales sint veri Apostolici viri, & à quo Apostolatum ad Gentes accipere consueuerint, vt legitimi vocarentur & non adulterini Christi Dei ministri.* Sed hæc ægri somnia sunt, & pueriles næniæ, præterea nihil. Vana enim & futilis est de istis Apostolis gloriatio: qui falsa, absurda & ridicula vsurpatione alieni nominis sic dicti sunt; non vt voluit Baronius existimari proprie & verè. Quas diximus veri Apostolatus notas fuisse, eas non cõuenire istis quis non videt? æquivoce igitur sic dicti sunt, non vniuoce nec vere. Hoc etiam ex eo constat, quod primis Ecclesiæ tẽporibus ea nominis Apostolici vsurpatio, prorsus fuit inaudita. Nam Apostolos ab Apostolis fuisse constitutos, nusquã legimus. Si Petrus, si Paulus & cæteri Apostoli non hoc sibi sumserunt, vt Apostolos crearent: quo iure Petri successor creabit? Noua etiam doctrina est, & primitiuæ Ecclesiæ temporibus inaudita, ac proinde palàm falsa, quod ait Baronius; nisi permissu Papæ Euangeliũ prædicari Gentibus non posse. Primum nego, vllum in Scripturis vel verbulum extare, ex quo possit intelligi vni & soli Romano Episcopo id ius fuisse delatum, & cæteris omnibus Episcopis negatum. Deinde exempla priorum seculorũ contrarium euincunt manifestissime. Eunuchum Candacæ Euangelium Æthiopibus prædicasse, narrant veteres historiæ: at veniam eius faciendi ipsum vel à Petro, vel ab vllo alio Apostolorũ petijsse, eædem historiæ silent. De Pantæno Stoicæ sectæ Philosopho scribit Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem, *ipsum, ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetriano Alexandriæ Episcopo missum esse in Indiam, vt Christum apud Brachmanas & illius gentis philosophos prædicaret.* Eusebius quoque libro v. cap. x. narrat, Pantænum, quum in Schola Alexandrina doceret, tanto fuisse præditum zelo, ὡς καὶ κήρυκα τοῦ κατὰ Χριστὸν εὐαγγελίου τοῖς ἐπ᾽ ἀνατολῆς ἔθνεσιν ἀναδειχθῆναι, *vt ordinatus fuerit Euangelij secundum Christum præco gentibus in Oriente positis.* Obseruent antiquæ veritatis studiosi dicere Eusebium fuisse Pantænum ordinatum *præconem Euangelij*, non autem Apostolum, sicut de missis à Papa loquitur Baronius: obseruent etiam, dicere simpliciter Eusebium, Pantænum Alexandriæ agentem ordinatũ esse ad id ministerium; nempe

à Deme-

à Demetriano Episcopo Alexandriæ, vt diserte affirmat Hieronymus. Falsum igitur est, solum Papam Ro. ius habere Euangelij præcones ad Gentes mittendi. Melius hoc ipsum declarat historia Christianismi apud Indos instituti, quam totidem fere verbis exponunt Socrates libro I. cap. XIX. Theodoritus lib. I. cap. XXIII. Sozomenus lib. II. cap. XXIV. Omnes hi consentiunt, Frumentium missionem ad conuertendos Indos accepisse, non à Papa Rom. sed à Magno Athanasio Papa Alexandrino, vt vocatur veteribus. Socratis verba sunt: Ἀθανάσιος λαβὼν εἰς ἔννοιαν τὸ λυσιτελές, αὐτὸν Φρουμέντιον τὴν ἐπισκοπὴν διαδέξασθαι παρασκευάσει, εἰπὼν μὴ ἔχειν αὐτοῦ ἐπιτηδειότερον· γίνεται δὴ τοῦτο. καὶ Φρουμέντιος ἀξιωθεὶς τῆς ἐπισκοπῆς αὖθις ἐπὶ τὴν τῶν Ἰνδῶν παραγίνεται χώραν, καὶ κήρυξ τοῦ Χριστιανισμοῦ γίνεται. *Athanasius rei vtilitate considerata effecit, vt ipse Frumentius eum Episcopatum susciperet; quod diceret, aptiorem illo habere se neminem alium. Ita igitur factum est: vt Frumentius honore Episcopatus ornatus, in regionem reuertitur Indorũ, & Christianismi fieret præco.* Scribit Sozomenus, Athanasium, sacerdotes omnes qui tum forte Alexandriæ reperti sunt, conuocasse, & re cum ipsis communicata, Frumentium renuntiasse Indiæ Episcopum. de Romano Episcopo in tota hac narratione apud omnes historicos altum silentium. Addit Sozomenus, Frumentium in India tantam adeptum esse gloriam, vt illum Indi non minus mirarentur, quàm Apostolos: οὐχ ἧττον ἢ τοὺς Ἀποστόλους θαυμάζουσιν. at fuisse Frumentium Apostolum, aut vocatum esse illum Apostolum, non dicit Sozomenus, neque veterum quisquam. Adhuc videlicet hoc genus Apostolorum Baronianorum Ecclesijs erat incognitũ. Huc pertinet, quod apud Procopium legimus in historia Persica; Barbaras ad Euxinum & Mæotim gentes, Episcopos accepisse, non à Ro. Pontifice, sed à Constantinopol. Patriarcha; & quidem ἐκ διαταγῆς, *iussu* ipsius Imperatoris. Et libro vltimo auctor est idem Procopius, populos quosdam ex illa Barbarie, legatos ad Iustinianum misisse, ἐπίσκοπον σφίσιν ἱερέα διοικοῦντα δοῦναι; *petentes, vt sibi aliquis daretur Episcopus*: quoniam, inquit auctor, iam Abasgis eum dedisse Episcopos inaudiuerant. Omitto similia exempla, quæ veritatis studiosi ex historia prisca, facile colligent vel plurima. Iterum igitur dico; falsa est doctrina Baronij, Bellarmini & similium ex Hildebrandi schola Doctorum; qui leuibus ingenijs hodie persuadent, Euangelij apud gentes prædicationẽ, ex vnius Papæ Romani voluntate ac nutu pendere. Vanitatem & falsitatem insignem huius sententiæ, accurate refutamus alibi, in disputatione de cura vniuersalis Ecclesiæ, in primitiua Ecclesia omnibus Episcopis communi. Nunc hoc dumtaxat adijciam: vel illam historiam quam refert Baronius in anno supra mil-

lesimum vigesimo nono, de contentione inter Galliarum Episcopos orta super Martialis Apostolatu: refutando huic somnio sufficere debere. Nam quum in Concilio, ob id ipsum coacto rationes multæ afferantur, vt probetur Martialem iam olim pro Apostolo fuisse habitum: de Romano tamen Pontifice, à quo honorem illum accepisset, nihil ibi dicitur: ac ne arbitrium quidem illius controuersiæ ad Papá defertur. Vt finem faciam, quod initio dixi, hic repeto: videri Baronium, dignitatem Christi Apostolorum propterea negligentius hoc loco descripsisse; ne si veras Apostolatus notas proponeret, suis istis nouis Apostolis faceret iniuriam: de quibus, Tomis IX°. X°. XI°. & XII°. tam multa. Nos pro seruis Dei omnes habemus Euangelij sinceros præcones; & eorum memoriam religiose colimus: Apostolos proprie sic dictos, non alios agnoscimus, nisi eos quorum nomina in Scripturis sunt prodita.

V. *Ordo inter Apostolos cum Domino versantes. De ratione eius ordinis sententiæ Baronij opponitur sententia Abulensis. Gregorij Nazianzeni locus expenditur. Dominatio absoluta vnius in Ecclesia, Gregorij tempore incognita. Petri primatus ætati attributus.*

ANNI XXXII. Num. VI.

AIt Baronius: *Ordinem fuisse inter Apostolos, vt scilicet ex his aliquis tanquam caput inter eos præstaret; apud omnes antiquos Patres & ceteros in confesso fuit: illumque ipsum fuisse Petrum, pro comperto semper ab omnibus est habitum.* Loquitur Baronius de Apostolis cum Christo conuersantibus, sic agente cum illis, quomodo solet præceptor aliquis cum suis discipulis. Eo tempore fuisse aliquem inter discipulos Domini ordinem, facile equidem Baronio assentior. Semper enim in omni re, tempore & loco potior est ordo confusione: in familia auté Christi fuisse omnia quàm ordinatissima, & quam optime disposita, sine impietate negari non potest. Sed quæritur, illius ordinis quę fuerit ratio. Baronius, qui vt scripta arguunt, de mundi monarchia dormiens vigilans somniabat, gradus dignitatis inter Apostolos Christo μαθητεύοντας constituit; atque in hac sententia Patres & omnes scriptores vult consentire. De consensu quod ait falsũ est: probandũ hoc erat, non ponendũ. Res quoq; parũ probabilis. Nam inter discipulos magistro operá dantes caput constituere, ac dominationis vel solam vmbram imaginari, absurdũ est & ridiculũ. Nemo Patrum, nullus veterũ scriptorum hoc vnquam dixit. Ipse Episcopus Abulensis, adeo recens

auctor,

auctor, huius contrarium docet, quæstione XXVII. in decimum Matthæi caput. Negat ille, fuisse tum inter Apostolos pro gradibus dignitatis à Christo institutum ordinem. Probat autem Tostatus sententiam suam firmissimo argumento; *quia* inquit, *aliquando ipsi contendebant inter se, quis eorum maior videretur*, Lucæ XXII. & etiam quærebant hoc à Christo; Matth. XVIII. Christus autem noluit eis dicere, quis esset maior; Marc. IX. & semper durauit eis hoc dubium, quamdiu fuerunt cum Christo, etiam in die Cœnæ Domini, Luc. XXII. Non ergo posuit Christus istum ordinem. Addit & aliud argumentum, ex eo quod diuerso ordine recitata sunt nomina Apostolorum ab Euangelistis. Nam si aliquem certum ordinem dignitatis inter illos Christus instituisset; sine dubio ab omnibus Euangelistis ille ordo constanter fuisset seruatus. Existimat verò Abulensis, ordinis inter Apostolos illo tempore seruati rationem, positam fuisse in tempore, quo illorum vnusquisque in discipulatum fuerit admissus: quod à Baronij sententia sic alienum est, nihil vt queat magis. Qui subijcitur in Annalibus Gregorij Nazianzeni locus, ex eius concione Περὶ τῆς ἐν διαλέξεσιν εὐταξίας, non id dicit quod vult Baronius: imò vero plane contrarium tota illa disputatione demonstratur. Ait Gregorius; inter duodecim Apostolos, dum in schola Christi erudiebantur, ordinẽ fuisse aliquem seruatum: porrò hunc ordinem ita ipse explicat, vt singulis è duodecim, sua ministeria & suas prærogatiuas dicat fuisse attributas. Petro fundamenta Ecclesiæ fuisse credita; sed Iohannem præ cæteris fuisse Domino dilectum. καὶ φέρουσιν inquit, οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν: *& ferunt cæteri Apostoli hanc prærogatiuam honoris Iohanni habiti.* quædam Petrum interrogasse, quædam Philippum, quædam Iudam, nonnulla Thomam, ἕκαστον ἐν μέρει καὶ καθ' ἕν, *per vices vnumquemque & sigillatim.* Philippum de nonnullis interrogare cupientem, quod non auderet solus, Andream assumpsisse: Petrum quoque ob similem caussam Iohanni annuisse. Inter omnes autem Apostolos tres electione Christi præstitisse, Petrum, Iacobum & Iohannem, τῶν πρὸ ἄλλων, inquit, καὶ ὄντες καὶ ἀριθμούμενοι, *qui & præstiterunt reliquis, & nominantur ante reliquos.* Nihil in hac disputatione, nihil in tota illa homilia de vnius Petri in cæteros Apostolos dominatione; nihil de successorum Petri monarchia & imperio. Et erat tamen illius concionis id argumentum, quod de Ro. Pontificis monarchia postularet omnino fieri mentionem; si vllam eius notitiam Gregorij temporibus Ecclesia habuisset. Quia res illa adhuc ætate fuit penitus ignota, propterea nullum eiusmodi dominationis vestigium neque Gregorij huius scripta exhibent, neque Doctorum æqualium vllius. Non negamus, inter

Apostolos Petrum fuisse coryphæum: sed quicquid auctoritatis reperitur Petrus vsurpasse; id omne sub Christi discessum è terris est consecutus. Enimuero, vbi præsens erat Christus corporaliter, alio capite non fuit opus: estque oppidò res absurda, in domo patrisfamilias aliud caput desiderare, quàm ipsum patremfamilias. Verba Hieronymi affirmantis, ætati Petri delatum esse, cum ille caput collegij Apostolici est constitutus; quo consilio descripta sint hoc loco, equidē nescio: nam sententiæ auctoris, nihil dici potest magis contrarium. Neque vero solus Hieronymus ita existimauit; sed & alij plures, sicut obseruabamus ad annum Domini XXXI. num. XII. Iohannes Cassianus De incarnatione Domini, libro III. *Interroganti Domino Iesu Christo, quem eum crederent, quem confiterentur esse discipuli, respondet primus Apostolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: idem enim vnius habuit responsio quod habebat omnium fides. Sed primum decuit respondere, vt idem esset ordo responsionis, qui erat honoris: & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate.*

VI. *Expenditur dictum Baronij, Petrum ferijsse Malchum, quia erat Galilæus. verior caussa ostenditur, Petri* θερμότης. *qui dicantur Græcis* θερμοί; *quid* θερμότης: *& quo sensu à Patribus Petro* θερμότης *attribuatur.*

ANNI XXXII. Num. VII.

QVia dixit Iosephus Galilæos fuisse μαχίμους ἐκ νηπίων *pugnaces ab vnguiculis*, putat Baronius eam fuisse caussam, cur Petrus genere Galilæus Malcho auriculam præciderit. Hoc vero longè petitum esse & parum solidum, quis non videt? Nam quare Petrus potius quàm Iohannes? ambo enim Galilæi. Alij item Apostoli indidem orti. cur inter plures Galilæos solus Petrus gladium stringit? Non valet argumentum, *quod litem lite resoluit*. Patres, Chrysostomus, Cyrillus, alij, & ad hanc historiam apud Iohannem XVIII. 10. & sæpe alibi obseruant, Petrum fuisse θερμὸν, feruido ingenio virum: & multorum quæ ipse fecit aut dixit, præcipuam caussam assignant ipsius θερμότητα. Aliquando apud Græcos θερμότης vitij nomen est. Nam θερμὸν ἔργον dicunt facinus audax & impudens. & in Sapientia Sirach XXIII. 22. θερμὴ ψυχὴ, *anima calida*, de eo dicitur, qui turpi libidine totus flagrat. Absit verò vt hoc sensu accipiatur ea vox, quando Petrus θερμὸς appellatur, quod locis sexcentis occurrit apud Patres. Sciant igitur tirones, homines promptos ad agendum, animosos,

ſos, & quorum manus ſæpe conſilium anteuertit, Græcis dici θερμοὺς, *calidos*; vel propter ignis ſimilitudinem: quia inter omnia ignis eſt δραστικώτατον στοιχεῖον, *elementum vi agendi maxima præditum*, vt docent philoſophi & medici: vel quia homines δραστήριοι, & ad actionē parati fere ſunt calidi temperamenti. Non multò aliter Iohanni in Apocalypſi III. 15. ζεστὸς dicitur, homo pietatis zelo feruens. Per ſe θερμότης neq; virtus eſt, neque vitium: ſed vt ira cos audit fortitudinis; ita hic naturæ calor, agendi inſtrumentum eſt; generoſarum mentium fere comes. Gregorius Nazianzenus oratione XXVI. θερμὰς ſiue διαπύρους & μεγάλας φύσεις pro eodem ponit. Et ait ibidem Gregorius; μὴ καταγινώσκωμεν τῆς θερμότητος, ἧς δίχα μέγα τι κατορθωθῆναι πρὸς εὐσέβειαν ἢ ἀρετὴν ἄλλην ἀμήχανον. *non eſt condemnanda* θερμότης, *calida & feruens indoles, quæ ſi abſit, nullum facinus præclarum, quod ad pietatem ſpectet, aut ad virtutem aliam, peragi recte poteſt.* Patres igitur, qui tot locis θερμότητα Petro attribuunt; promptitudinem illius ad ſuſcipiendas actiones præclaras ſignificant, & generoſam mentem, quæ facile ad quiduis audendum ſpecie honeſti oblata impelleretur. Laudabilis omnino indoles: verùm quæ vt docet ibidem Gregorius, niſi recti notitia dirigatur, audaciam pariat interdum pernitioſam. Critici verò Græcorum obſeruant, nomen θερμὸς, cum de actionibus dicitur, in malam ſumi partem: vt apud Ariſtophanem in Pluto: ὦ θερμὸν ἔργον κἀνόσιον, καὶ παράνομον Τολμῶντε δρᾶν, ὦ δεσποτ᾽ ἀθλίω κακοδαίμονε. in bonum verò cum de perſonis, vt cum dicitur aliquis θερμὸς aut θερμουργός: & ita accipiendum apud Patres de Petro. Euſtathius Ἰλιάδ. β. θερμὸν μὲν ἔργον διαλλήλως τὸ ἀναιδὲς καὶ θρασύ· θερμουργὸς δὲ ἀνὴρ ὁ συνθέσει κατὰ λόγον ἐπαινετόν. Hæc per occaſionem ſuperioris iudicij Baroniani, dicta hoc loco voluimus: quia non ſemel in ſequentibus θερμότητος Petri in Patrum teſtimonijs futura eſt mentio.

VII. *Confirmatur ſententia Baronij diſſentientis à Caninio.* Agadoth *Iudæorum.*

ANNI XXXII. Num. XI.

QVæ de tribus apud Iudæos tribunalibus, de triplici Scripturarū explicatione in eorundem conuentibus, & de voce Raca mox deſcribuntur ex Angelo Caninio, ad illuſtrationem loci Matth. v. 22. à viris eruditiſſimis poſt Caninium accuratius tractata ſunt: vt in illis iam immorari nihil ſit opus. Obiter tantum indicabo, ipſum quoque Baronium ab eruditiſſimi viri, cuius ſententiam deſcribebat,

interpre-

interpretatione discedere, cum ad verba Christi applicat; quæ de tribus apud Hebræos tribunalibus dixerat. Nam Caninius quidem Domini verba, *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*, componit cum Trium virorum tribunali: at Baronius cum tribunali XXIII. virorum. Quæ expositio sine dubio verior est & melior. Nam III. viri de caussis tantum ciuilibus & pecuniarijs cognoscebant: Christus verò cùm hîc ait, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *tenebitur iudicio*, de sententia capitali & pœna mortis intelligit. Recte igitur Baronius verba Domini ad iudicia retulit viginti trium virorum, qui etiam de criminibus cognoscebant: etsi non eadem auctoritate, qua ipsi LXXI. viri in magno Synedrio. Iam quæ dicitur EXTENSIO inter varias Scripturarum interpretationes, homiliarum genus est, cum Scripturarum mysteria auditoribus explicantur. Rabbini vocant *Midraschim* & *Agadoth*: quam vocem Caninius vertit *extensio*: sicut Elias quoque in Thisbi est interpretatus; הוא לשון משיכה *est dictio extensionis*. Erunt igitur *Agadoth* qui dicuntur Græcis λόγοι διεξοδικοὶ, explicationes vberiores & prolixiores. Mihi tamen magis probatur quod idem Elias alibi adnotat, vocem esse deductam ab Hebraica נגד *indicauit, explicuit*. Nam & res & vox originem videntur habuisse à præcepto Dei apud Mosem XIII. 8. cuius versiculi prima vox est והגדת *vehiggadtha* & annuntiabis. Ei voci respondet apud Paulum in explicatione αὐτοπτῶν Sacramenti, καταγγέλλετε *annunciate* I. Corinth. XI. 26. Verum ista accuratius explicare, non est huius loci.

VIII. *Illustratur locus Matth.* VI. 7. *Preces & cantus Psalmorum male confunduntur à Baronio. Male negatur multiloquium à Deo prohiberi.* Βαττολογία & πολυλογία *vt differant. Battologiæ in hodiernis Ritualibus. Multiloquium in precibus Deo ingratum. Latinus & Arabs interpretes battologiam de multiloquio exposuerunt. Syriaca versio expenditur. Exempla battologiæ & multiloquij in precibus Paganorum. Litaniæ veterum.* μοσλαθεῖν *de precibus supstitiosis.* δυσωπεῖν τοὺς θεοὺς *apud Paganos ex supstitione. Idem verbum apud Patres ab alia mente.* ἀπειλεῖν. *Alia quædam.*

ANNI XXXII. Num. XIV.

DOmini nostri verba sunt Matthæi VI. 7. Προσευχόμενοι μὴ βαττολογήσατε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί. *Orantes ne vtamini battologia sicut Ethnici*: de quorum recta interpretatione agens Baronius, negat prohiberi à Christo prolixum Psalmorum cantum, quo vetus Ecclesia plurimum

rimum vtebatur. Hoc etsi verum est; ratio tamen quam affert, magnam ipsius incogitantiam arguit. Sic enim ait: *Vnde textus Euangelistæ non habet πολυλογίαν, sed βαττολογίαν: quod non simpliciter multiloquium, sed inanem sermonem demonstrat.* Sed hoc quid ad rem? Cantus enim Psalmorum, etsi vaticinijs, doctrinæ & δοξολογία habet preces permixtas, non raras, proprie tamen ad prædicationem laudum Dei spectat. Deum autem laudare, & quidem formulis è sacra pagina depromptis, nemo queat nimis, vel si dies totos, noctes totas, illi officio pietatis impenderit. Christus verò non de prædicatione Dei laudum agit; sed vt recte monet Augustinus, de modo concipiendi preces priuatas, quoties piorum aliquis opem atque auxilium Dei, aut delictorum veniam vult impetrare. Male igitur hæc confundit Baronius, male etiam multiloquium negat à Domino prohiberi, quia textus Matthæi non habeat πολυλογίαν, sed βαττολογίαν. Atqui hoc falsum est; & mire hic hallucinatus est scriptor Annalium. Nam statim sequitur in verbis Christi, quod modò dixerat illustrantis: δοκοῦσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. *putant enim se in multiloquio suo exauditum iri.* Vtramque igitur ponit expresse Christus, vtramque damnat, battologiam & πολυλογίαν, siue multiloquium. Etsi autem πολυλογίαν ponit Euangelista, velut prioris vocis interpretamentum; vim tamen illius non plene exprimit. In battologia duo vitia insunt; repetitio eorundem verborum, odiosa, inanis ac vana: item multiloquiū. Dominum nostrum qui Syriacè loquebatur, non esse vsum voce βαττολογεῖν scimus: sed non dubitamus, tantundem ipsum Syriace dixisse, quantum Græce Spiritus Sanctus eo verbo expressit. Quod autem è duobus vitijs quæ battologiæ inesse diximus, leuius hic ponatur à Spiritu Sancto, priora verba illustrante; id suspicamur eam vim habere; vt si damnat Christus in precibus nostris multiloquium, quod diximus esse vitium minus; ex eo statuere debeamus, multo magis ipsi displicere alterum vitium, nempe battologiam. Sic dixit Deus in Decalogo, *Non mæchaberis*, vt quàm longissime ab adulterio & grauioribus in hoc genere peccatis nos summoueret. Battologiæ exempla in hodiernis formulis multa sunt: vt cum verbi gratia, in Psalterio Iesu quindecim huiusmodi oratiunculæ proponuntur; *Iesu, Iesu, Iesu, miserere: Iesu, Iesu, Iesu, adiuua: Iesu, Iesu, Iesu, da hic mihi purgatorium meum*; quarum singulæ decies docentur repeti. Et huiusmodi formulæ multæ; in quibus committi battologiam non magis negari potest, quàm Solem meridie lucere. Porrò ipsum per se multiloquium in precibus Deo displicere, ex his Christi verbis eliciunt Patres. Et ea fortasse ratio afferri possit non absurde, cur Latinus Interpres, μὴ βαττολογήσητε

verterit

verterit, *Nolite multum loqui* : quum alioquin diuersæ significationis verba sint βαττολογεῖν & πολυλογεῖν, vt ostendimus. Hieronymus quoq; vir longe doctissimus, eandem vt videtur ob caussam, ad hanc Græci Latinique textus diuersitatem silet. Clemens Alexandrinus Stromatũ lib. VII. Christiano orationem attribuit, non multorum verborum: τῇ διὰ στόματος εὐχῇ οὐ πολυλόγῳ χρῆται; ad hunc Matthæi locum respiciens, vt apparet ex verbis quæ subijcit. B. Chrysostomus & in Commentarijs in Matthæum, & multo expressius in oratione altera de Anna Samuelis matre, sic mentem Christi explicat, vt exigere ipsum dicat à nobis, crebras quidem & assiduas preces, sed breues: ne oratio prolixior intentionem orantis frangat, & à proposito auertat. In quo præclare Paulo cum Domino nostro conuenire pluribus disputat ibidem, vir ille sanctissimus. Καὶ ὁ Χριστὸς, inquit, καὶ ὁ Παῦλος βραχείας καὶ πυκνὰς ποιεῖσθαι τὰς εὐχὰς ἐκέλευσαν ἐξ ὀλίγων διαλειμμάτων. *Et Christus & Paulus breues ac crebras fieri preces iusserunt, per modica interualla repetitas.* Idem sermone quinto de Anna, doctrinam eandem repetit: vbi etiam Deo gratissimæ precationis exemplum esse affirmat; si quis oculis in cœlũ sublatis dicat in animo suo, Ἐλέησόν με ὁ Θεός *Miserere mei ô Deus.* Ambrosius de Abel & Cain lib. I. cap. IX. *Diuine Dominus Iesus & impense & frequenter monuit orandum, non vt fastidiosa continuetur oratio; sed vt assidua frequenter effundatur.* In eandem sententiam & Arabs interpres τῷ βαττολογεῖν verbo expressit, quod multiplicare significat: etsi vox Græca, vt dixi, latius patet. Syrus voce vsus est obscuræ significationis, מפקקין: sed non est absurda, virorum eruditorum coniectura, qui literam ק pro ר suspicantes positam à Syris, deducunt à radice Hebraïca, נבע, quæ scaturire aut manare aquam significat, vt cum per angustum phialæ collum aqua manat & strepitum edit, quod proprie Latinis *bilbere* vel *bilbire.* Ad eum strepitum exprimendum, ficta vox apud Hebræos BAKBVK, & apud Græcos βομβύλιον, de qua ad Athenæum dicebamus, libro VI. cap. XVIII. Ita erit *Mephakkek* qui verba incondita funditat, verus βαττολόγος & πολυλόγος. Quod autem Dominus noster in exemplum precum propter battologiam & verborum profusionem vitiosarum, preces Gentilium affert; posset è Græcorum ac Latinorum auctorum libris hoc probari multis exemplis; nisi esset cuiuis obseruatu facile, in eorum monumentis accurate versanti. Vel vide preces, quas in vrbis periculo concipiunt apud Æschylum, in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, Thebanæ mulierculæ. Multiloquiũ primo in illis est insigne: versiculis enim amplius centum absoluitur illa supplicatio. Tum autem πολυλογίας paganorum in suis precibus caussa ibi exprimitur, quam alicubi Augustinus vere notat. Nam in

summa

ſumma rerum diuinarum ignorantia, quem potiſſimum deûm aut dearum orarent neſciebant: omnes igitur precabantur, vel certe plurimos, quod illic mulierculæ ſtudioſiſſimè faciunt. Huc refer illa Seruij ad primum Georgicorum. *Poſt ſpecialem inuocationem tranſit ad generalitatem, ne quod numen prætereat: more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus ſacris poſt ſpeciales Deos, quos ad ipſum ſacrum quod fiebat, neceſſe erat inuocari, generaliter omnia numina inuocabantur.* Adde quod Pagani crediderunt, ſuos Deos coaceruatis elogijs & congeſtis capi titulis. Quā ob cauſſam poeta Callimachus inducit Dianam petentem à patre Ioue, cum dono virginitatis nominum ac titulorum multitudinem.

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν,
Καὶ πολυωνυμίην.

Atque hæc de multiloquio in precatione illarum muliercularum: cuius vitij habes aliud inſigne exemplum in Theſmophoriazuſis Ariſtophanis: nam ibi mulieres in ludicro licet argumento, publicos mores ſacrorum exprimunt. Battologia vero in illis apud Æſchylum precibus etiam inſignior: ſæpiſſime enim verbis diuerſis ſententiæ eędem ab illis mulierculis repetuntur; de circumſtante periculo, & magnitudine metus ſui. Eiuſmodi erant & litaniæ ſiue ſupplicia Gentilium circa ſtatuas & aras, quibus vti moris erat in fortuna aduerſa: Romanis præſertim, vt ſæpe narrant Liuius & Dionyſius Halicarn. qui dicere hoc ſolet λιτανείας ποιεῖσθαι πρὸς ἕδεσι θεῶν καὶ βωμοῖς. Polybius verò, bonus cum primis auctor, eleganter id vocat μαγγανεύειν πρὸς τοὺς θεούς, quaſi dicas, lenocinium & blanditias indecoras adhibere vt deos flectas; libro xv. Non diſſimile apud alios ſcriptores καταδυσωπεῖν τοὺς θεούς; quo elegantiſſimo verbo id plane ſignificant profani auctores, quod hîc dicit Dominus de Gentibus; ipſas τῇ πολυλογίᾳ δοκεῖν εἰσακουσθῆναι; exiſtimare, ſe copia verborum, quaſi agmine facto, vt loquitur Tertullianus, quod petunt à dijs fore impetraturos. Vſurpant id verbi etiam Doctores Eccleſiæ; ſed ab alia mente; alludentes ad parabolam de vidua apud Lucam, cap. XVIII. non minus pie & ſancte, quàm docte & eleganter. In Liturgia Baſiliana, σὲ τοίνυν δυσωπῶ τὸν μόνον ἀγαθὸν καὶ εὐήκοον. ſic & in ea quæ aut eſt, aut dicitur, Chryſoſtomi. Iure aliquis miretur, verbum δυσωπῶ, quod *pudorem incutere* ſignificat, à viris pijs vſurpari, cum Deum alloquuntur. Sed hanc illis vocem extorſit zeli vehementia, & de eius bonitate certa fiducia. Magis mirum eſt verbum ἀπειλεῖν, quod eſt *minari*, Gregorio Nazianzeno in ſimili argumento vſurpatum. Narrat ille, Gorgoniam ſororē ſuam, cum aliquando morbo laboraret inſanabili, ad altare acceſſiſſe & capite illi admoto, cum lacrymis & clamore magno, preces ad Dominu

Tt feruen-

feruentissimas effudisse, μὴ πρότερον ἀνήσειν, inquit, ἢ τῆς ὑγιείας τυχεῖν ἀπειλοῦσαν; *minantem se non prius altare dimissuram, quàm esset nacta sanitatem.* ô fidei vehementiam! ô Christi bonitatem humana mente incomprehensibilem, per quam vere pijs tantum licet! Gregorius eleganter ait, ipsam εὐσεβῆ τινα καὶ καλὴν ἀναισχυντίαν ἀναισχυντῆσαι, *pia quadam & honesta impudentia egisse impudentem.* Factum Deo placuisse exitus probauit: sanata enim ab altari recessit Gorgonia.

IX. Comam iactare *aut* caput, *non intellecta locutio Baronio, explicatur, & ritus eius supstitionis.* σείειν τὴν κόμην. περιδινεῖν τὴν κεφαλήν.

IBIDEM.

SVbijcit auctor: *Putamus insuper Dominum alludere voluisse ad eam quæ in Syria erat idololatriam; cum videlicet Deam Syriam circumferentes, quasi diuino quodam perciti spiritu essent, phanaticè multa iactabant: cuius ritus meminit Apuleius.* Hæc coniectura non solum est longe petita atque aliena; sed etiam penitus absurda: neque profectò eius venisset in mentem Baronio, si morem illum de quo loquitur, satis intellexisset. Non intellexisse apparet ex ipsa locutione qua vtitur. quid enim est, *phanaticè multa iactare?* quis vnquam sic locutus est? Sacerdotes Matris Deûm, quæ & Dea Syria dicebatur, in ducenda pompa & obeundis religionis suæ ritibus, soliti comam iactare, nescio quæ inania interim funditantes. Obseruabamus olim ad Lampridij Heliogabalum, Græcos scriptores in huius ritus mentione σείειν τὴν κόμην ἄνετον dicere, quod Varro, Vlpianus I. C^tus^, Lampridius, Isidorus, alij Latini semper dicunt *iactare comam inter fanaticos.* Apuleius pluribus expressit hoc modo: *denique capite demisso, ceruices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum.* Lucianus in Asino dixit, τὴν κεφαλὴν κάτωθεν ἐκ τοῦ αὐχένος ἐλίσσειν. Baronius, qui non intelligebat tot verborum circuitu hoc tantum significari, quod alij scriptores dicunt, *iactare caput*; ac ne illud quidem satis capiebat quid esset, *iactare caput* vel *comã*, pro eo dixit *iactare multa*: putauit enim *iactare* hic significare πολυλογεῖν, ac proinde hunc ritum ad multiloquium pertinere. qui error vix ferendus sit in aliquo tirone literas Latinas mediocriter callente. Meminit huius consuetudinis etiam Theodoretus; cuius locum subijciam, vt eo melius Lector intelligat, nihil quicquam verba Christi cum hoc ritu habere communis. Sic ille, De oraculis libro x. *Festa vero & sacrificia, ceu nefandos & horribiles quosdam dies, in quibus caro cruda comeditur, & distractiones corporum fiunt, cum ieiunijs & fatigationibus, & ad sacra ipsa obscena verba funduntur, aliæque fiunt insaniæ agentium se cum*

turbatione

turbatione ceruicisq. iactatu, nulli deorum consecrari dixerim. Affine est quod obseruat Dio Chrysostomus in oratione prima de regno, consuetudinē esse τῶν λεγομένων ἐνθέων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀσθμαίνειν καὶ περιδινεῖν τὴν κεφαλὴν, καὶ πειρᾶσθαι δεινὸν ἐμβλέπειν, *virorum & mulierum quæ dicantur Deo plenæ, anhelare, caput iactare, & torua tueri,* siue, *ad toruitatem vultum componere.* Hieronymus in epitaphio Paulæ matris. *Cernebat ante sepulcrum sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere boum, sibilare serpentum, mugire taurorum: alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere.*

X. Baronij diligentia negligens. Probatur legiones Romanas non semper eodem loco easdem esse habitas: sed sæpius sedes mutasse.

ANNI XXXII. Num. XV.

Centurio ille cuius fides à Domino prædicatur, Matth. VIII. 10. si credimus Baronio legionis Ferratæ, siue Ferreæ fuit Centurio. Iure aliquis περιεργίαν illius miretur, cui in opere tam serio vacauit istud quærere: rursus meliore iure negligentiam eiusdem aliquis culpauerit, quod tam negligenter id quæsierit. Errat enim Baronius & falsa ducitur coniectura. Commemorat Dio libro LV. quot olim ætate Augusti, quot iam sua, legiones à Romanis Imperatoribus alerentur, & vbi tum castra haberent singulæ, cum ipse illa scribebat: scribebat autem sub Alexandro Seuero. Baronius putat, non solum eadem nomina durasse ab Augusto ad Seuerum, per annorum spatium amplius ducentorum: sed etiam easdem legiones in ijsdem præsidijs semper hæsisse. Quoniam igitur Dio legionem Σιδηρεῆν, à ferro cognominatam, sua ætate in Iudæa collocat: Baronius etiam temporibus Domini nostri legionem eandem, id est, eiusdem nominis, in Iudæa existimat mansisse. Sed neque hoc dicitur à Dione; & absurdius est, quàm vt credi temere debeat. Imo verò falsum est: nam stabilitatem istam legionum earundem in ijsdem præsidijs, nullo argumento quisquam confirmauerit: nos autem facile probare possumus, rem aliter habuisse. Exempli gratia; legionem Quintam, sua ætate statiua habuisse in Dacia; Decimamquintam in Cappadocia, auctor est Dio Cassius: at Neronis & Vespasiani temporibus, Quintam in Mysia, Decimamquintam in Pannonia prætenturas suas habuisse, nos scimus. Scribit enim Iosephus, ad bellum Iudaicum ex illis locis eas fuisse accitas, & bello confecto eodem remissas. Ἁλώσεως libro VII. cap. XV. de Tito: ἧκεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ πλεῖν ἐπὶ τῆς Ἰταλίας διεγνωκὼς, δυοῖν αὐτῷ ταγμάτων συνηκολουθηκότων, ἑκάτερον ὅθεν περ ἀφῖκτο πάλιν ἀπέστειλεν. Εἰς μὲν

τὴν Μοισίαν τὸ πέμπτον, εἰς Παννονίαν δὲ τὸ πεντεκαιδέκατον. Missum igitur faciamus somnium Baronianum: neque dubitemus legionum stationes, pro temporibus mutari solitas ex arbitrio Imperatorum, & ducum summorum. Itaque narrat Iosephus libro eodem, capite IV. Decimã legionem, quum ante bellum Iudaicum in Euphratis ripa tenderet, postea custodię Ierosolymorum à Tito fuisse destinatam. Duodecimam vero, quæ prius in oppido Syriæ Rhaphanæis castrametabatur; postea ignominiæ caussa, quod hosti aliquando cessisset, procul inde submotam, & in Melitinen ad fines Armeniæ fuisse amandatam. at Dionis seculo Decimæ quidem in Pannonia superiore, Duodecimę verò in Cappadocia statio fuit. Ita vides nihil in eo genere trabali lege fixum fuisse, neque stabile.

XI. *Vtrum vna fuerit mulier an plures quæ Dominum lauerunt & vnxerunt, quæstionem esse philologicam, & male Baronium libertatem diuersa sentiendi in talibus velle eruditis adimere. Auctoritas Ecclesiæ ad philologica decidenda non pertinet. Origenis Comm. in Matth. scripti post homiliam de Magdalena. Ecclesiæ consensus nunquam negligendus, sed non semper pro lege habendus. Origo opinionis quæ pro lege hodie obtruditur. Rituales libros varie deprauatos, non esse normam veri. Rationes Maldonati & Baronÿ diluuntur. In Scripturis non est prius nec posterius. Versio Latina Baronium decepit. Arabs interpres interdum* λατινίζει. *Baronÿ iudicium de Clementis Constitutionibus.*

ANNI XXXII. Num. XVII.

NOn immorabor quæstioni, quam tanta contentione mox agitat Baronius, super muliere illa, quæ apud Lucam VII. 37. pedes lauit vnxitque Domino CHRISTO. Tantum dicam; per mihi videri mirum, quando melioribus olim seculis in huiusmodi quæstionibus philologicis, non ad cor & medullam verbi diuini, sed ad corticem dumtaxat spectantibus, liberum fuit vnicuique eruditorum, & sentire quod rectissimum putaret, & sententiam suam modeste proferre in medium: cur hodie eidem libertati, pari modestiæ iunctę, non sit locus. Nam cur illa perierit? quando? quo iure? nisi quod noua plerunque tuentur iura, qui verbis tenus odium Nouatorum profitentur. Baronius igitur in hac quæstione & alijs pluribus huic connexis atque implicitis, grauissime eos accusat, qui diuersas putant fuisse mulieres, quæ Dominum lauerunt, vnxerunt, & capillis suis pedes sanctos terserunt, Matth. XXVI. 7. Marc. XIV. 3. Lucæ VII. 37. Iohannis XI. 2. & XII. 3. atque eandem hanc esse Mariam Magdalenam

lenam vult credi, quæ Marci XVI. 1. ad Christi corpus vnguendum aromata dicitur emisse. Non illũ circumstantiæ mouent longe diuersissimæ, personarũ, locorũ, temporũ, quæ contrariũ potius suadent: non veterum Patrum auctoritas, qui diuersis mulieribus, vel tribus, vel minimum duabus, has narrationes attribuerunt. Etsi autem immorari istis quæstionibus, vt iam dixi, propositum nobis non est; breuiter tamen rationes Baronianas, si placet, expendamus. Initio, Ecclesiæ auctoritas, ceu firmissimi clypei vmbo obijcitur, quo diuersa sentientes, non doceantur, aut confutentur, sed obterantur. Hoc quidem est Alexandrum agere, nodum secare, non soluere. Ego verò, quæ mea est imperitia, hactenus ignoraueram, Ecclesiam Catholicam, aut etiam, si vis, Romanam, philologicarum istiusmodi quæstionum & controuersiarum esse iudicem supremum. Sciebam, Ecclesiam Dei esse columnam & firmamentum veritatis: sed illius vtique veritatis, quę Scripturis diuinis continetur declarata; in qua salus ęterna est posita; quæ constans est, certa, immutabilis, æterna; quam negare, hæresin est committere. In istis philologicis quæstionibus, nulla versatur hæresis; nulla absoluta necessitas, vel sic, vel aliter sentiendi. Alioquin hæreticus fuerit B. Chrysostomus, hæreticus Hieronymus, Eusebius item, Augustinus, Ambrosius, Theophylactus, Euthymius, Leontius, alij μυρίοι ὅσοι; qui vel dubitarunt de veritate eius sententiæ, quam solam iubet haberi Baronius pro vera; vel aperte contrariam derenderunt: quod prolixe facit Ambrosius ad caput Lucæ vltimum. Basilius quoque Seleucensis breuiter in homilia de Lazaro; vbi serio affirmat tres in Euangelijs memorari Marias. Οὐχ αὕτη, inquit, ἐστὶν ἡ πόρνη ἡ ἐν τῷ Ματθαίῳ, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ Λουκᾷ· ἄλλη γὰρ αὕτη· ἐκεῖναι μὲν γὰρ πόρναι γυναῖκες ἦσαν, καὶ πολλῶν γέμουσαι κακῶν. αὕτη δὲ σεμνὴ καὶ σπουδαία. Denique Origenes tractatu in Matthæum XXXV. scribens, multos de vna atq; eadem muliere superiora loca omnia accepisse; clare ostendit multos aliter sensisse: quibus se ipse adiungit, validissime diuersa opinantes confutans. Nam quod ait Baronius, eundem re accuratius expensa sententiam mutasse, quia in homilia de Magdalena multa illi tribuat, quæ diuersis competere alibi disputauerat: leue est ac triuolũ: sumit enim Baronius, quod nos illi non concedimus; eam homiliam post Commentarios in Matthæum fuisse scriptos. Atqui illa homilia, siquidem genuina est, iuuenem sapit, & à scholæ declamationibus recentem, vel certe ἀκμάζοντα & ætate cum maxime florentē. Commentarios in Matthęum à sene scriptos esse, & iam prauis opinionibus corrupto, auctor est Hieronymus in vita Origenis. Accedit, quod in panegyricis illis laudationibus, non tam exquisitæ veritatis, quàm le-

gis

gis encomiasticæ ratio haberi solet. Itaque prępostere facit Baronius, cum veram Origenis sententiam è scripto oratorijs figuris picto, & penicillo Gorgiæ elaborato, mauult cognoscere, quàm ex opere serio, vbi accurata diligentia, rationum momenta expenduntur. An igitur tot magni viri, atque adeo pars altera primitiuæ Ecclesiæ errauit? Nam si recte Baronius Ecclesiæ auctoritate suam propugnat sententiam, errarint illi necesse est, qui contrarium docuerunt. Sed quomodo constabit nobis, Ecclesiam Catholicam de propositis quatuor, vel etiam pluribus quæstionibus inter se cohærentibus, aliquid definiuisse? nunquam illæ in vllo Concilio sunt agitatæ: canon aut Ecclesiæ determinatio nulla profertur: & Iesuita Maldonatus, licet eandẽ sententiam cum Baronio tuens, parcius tamen Ecclesiæ nomen iactat. *Hoc*, ait, *ego multo arbitror esse probabilius, quod tacitus Ecclesiæ sensus in hanc partem inclinet.* honesta plane oratio: nam Ecclesiæ sensus ne tacitus quidem est contemnendus: at rursus non ita vrgendus, vt recte sentiendi norma semper ἀπαρεμφασίστως censeatur, etiam in quæstionibus id genus philologicis. Quare idem virulentissimæ linguæ scriptor, opinionem tacito assensu Ecclesiæ per multa secula confirmatam, de Mariæ Magdalenæ dominatione in castro Magdalo, ceu putidam & anilem fabulam iure reijcit, nec sine stomacho, ad caput vndecimum Iohannis: & Cusanus, Caietanus, Bellarminus, Sixtus Senensis, Baronius ipse, quot, obsecro, huiusmodi falsas narratiunculas refutarunt, quas prioribus seculis Ecclesia Romana, non tam suo fortasse, quàm seculorum vitio est amplexa? Baronius verò inconsiderate, ne dicam aliquid grauius & verius: qui Tertulliani auctoritate ridicule hic abutitur, vt efficiat; omnia Ecclesiæ vetusta dicta & facta, ceu à Deo profecta, exceptione omni maiora esse: de quo ne per somnium quidem vnquam cogitasse Tertullianum, certissime compertum est, vt alibi, volente Deo, pluribus ostendemus. Porrò vnde ortus sit ille Ecclesiæ Romanæ consensus tacitus in ea sententia, quam tuetur Baronius, declarat Lyranus, ad caput XI. Iohannis: *Consuetudo*, inquit, *Ecclesiæ tenet, quod eadem mulier fuit, de qua narrat Lucas tacito eius nomine, & quæ hic dicitur soror Lazari. Nec mirum; quia officium Ecclesiasticum à S. Gregorio ordinatum est, qui fuit huius opinionis.* Rei igitur veritas ita habet: primis seculis libertas illa vigebat, de qua antè diximus: post officium à Gregorio Magno ordinatum, paullatim ea opinio in Ecclesia Romana inualuit, ac tandem obtinuit, quæ libris ritualibus continebatur. Sed Gregorio viro sanctissimo & modestissimo, nunquam fuit animus, opinionem suam in rebus eiusmodi, pro lege inuiolabili Ecclesiæ obtrudere. Reuocetur igitur libertas antiqua; & argumentis veritas in-

quiratur, non falsis præiudicijs, & inanibus μορμολυκείοις eludatur. Enimuero meminisse debuerat Baronius, Ecclesiam Romanam, quæ se hodie posse errare negat; in eo certe non exercuisse suam ἀναμαρτησίαν, (etsi debuerat profectò, siquidem talis erat,) vt in ritus Ecclesiæ nihil falsi irreperet; nam etiam in Rituales libros, in ipsum inquam Ecclesiæ Romanæ officium & Missales libros, multa falsa, absurda, ridicula irrepsisse, quis hodie dubitat? fatetur hoc etiam Pererius Iesuita verbis disertis in præfatione libri XVI. Commentariorum in Danielem: sed multo luculentius & expressius id ipsum ingenue agnoscit Lindanus episcopus, De optimo genere interpret. scriptur. lib. tertio, cap. III. affirmare non dubitans, in libros rituales Ro. Ecclesiæ, *non solum è Nicodemi Euangelio Apocrypha esse infarta: verum etiam secretas preces, atque adeo*, *proh dolor* ait, *ipsum Missæ canonem turpissimis mendis esse conspurcatum*. Taceo veteres querelas de mendacijs & fabulis in diuino seruitio receptis, Petri Cluniacensis, Aliacensis Cardinalis, Comitis Mirandulani, Raphaelis Volaterani & ipsius Espencæi Doctoris Sorbonici, qui illas querelas refert, in suis ad Pauli Ephesinam Epist. Commentarijs. Vt redeam ad propositum; receptam opinionem ratione vnica maledicus Maldonatus defendit, ad caput XXVI. Matthæi. *quod*, ait, *Iohannes capite* XI. 2. *volens describere Mariam sororem Lazari & Marthæ, Maria autem*, inquit, *erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit capillis suis pedes eius, qua descriptione minime vsus fuisset, si plures fuissent mulieres, quæ pedes Domini vnxissent; nec enim lector de qua è multis loqueretur, intelligere potuisset*. Atque hanc rationem, tanti ille facit, vt omnibus argumentis, pro contraria sententia afferri solitis, quæ ipse fatetur esse plurima, hoc vnicum non dubitet obijcere. Sed quis Maldonato dixit, Iohannem accuratam descriptionem Mariæ eo loci instituere? præterea falsum est, quod ait; si plures mulieres Christum vnxerunt, incertum ab Iohanne lectorem dimitti, quænam hæc sit. Nam illa altera de qua potissimum ambigitur, Lucæ VII. Maria non dicitur, sed solo insignitur peccatricis epitheto. hæc nominatur Maria, Lazari & Marthæ soror esse dicitur, pietas denique illius vbique laudatur. An hæc illi satis esse non videbantur mulieri denotandæ, in tanta præsertim Euangelistarum simplicitate? Sed negant alij, notam hanc debuisse peti ex postfacto: ac proinde omnino hanc eandem esse, cum illa muliere, cuius historiam narrat Lucas capite septimo: recte enim ab eo quod ante gesserat describi Mariam, non ab eo quod postea fecit, & capite sequenti eidem Iohanni describitur. Hæc obiectio ne verbulo quidem dissolui meretur. Nam quid occurrit crebrius in Veteri aut Nouo Fœdere, quàm huiusmodi anticipationes? omnino qui

ita disputant,non magnum vsum habent Scripturarum. ignorant enim, quod toties obseruat Augustinus, maxime in libro II. De consensu Euangelistarum, quodque vulgatissimo Rabbinorum verbo dici solet, *In diuinis oraculis non esse prius neq; posterius.* Sane quando Iohannes Euangelium scribebat, tam posterior vnctio, quàm prior multo antè contigerat. Quare non minus potuit Iohannes cap. XI. Mariam denotare nota vnctionis, quam nondum narrauerat; quàm Matthæus sub initia Euangelij Iudam nota proditionis, quæ extremo demum libro describitur. Sic autem ille capite X. 4. καὶ Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης ὁ παραδοὺς αὐτὸν, *qui Christum prodidit*, postea nempe: prorsus vt Iohannes, ἡ ἀλείψασα, *quæ vnxit*, postea. Marcus III. 19. καὶ Ἰούδαν Ἰσκαριώτην, ὃς καὶ παρέδωκεν αὐτὸν: hoc est, ὃς ἤμελλε παραδιδόναι, vt loquitur Iohannes in mentione Iudæ VI. 7. Aliud argumentum stabiliendę opinioni vulgatæ exsculpit Baronius è capite XII. Iohannis. *Dicimus*, ait, *attestatione Iohannis Euangelistæ, imo* CHRISTI, *apertissime constare, vnam eandemque personam fuisse Mariam Lazari & Marthæ sororem, cum Maria Magdalena. Nam cum in Bethania eadem soror Lazari vnxisset pedes Iesu, ac Iudas ob eam caussam esset ei infensus; ipse* IESVS *furentis discipuli audaciam reprimens, dixit; Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. cæterum eandem ipsam, quæ ad vnguendum corpus Iesu paratum vnguentum ad sepulcrum attulit, Marcus Euangelista fuisse Mariam Magdalenam affirmat.* Hæc Baronius: quæ propterea pluribus descripsi, vt statim Lector cognosceret, immanissimas hallucinationes illi esse firmissima argumenta. Nos enim negamus, Christum illa verba vnquam dixisse, ex quibus ea conclusio videtur posse elici: quanquam ne id quidem potest. Baronio sua versio, vt sæpe, fraudi fuit: qui si exemplo Hieronymi & Augustini Græca inspexisset, collectionis suæ vitium statim animaduertisset. Nam ita Dominus: Ἄφες αὐτήν· εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. *Sine eam, in diem pollincturæ meæ seruauit illud.* neque aliter legerunt veteres aut Commentariorum aut paraphraseon auctores, vt Syrus. Arabem excipio, ante paucos annos Romæ editum, qui hîc, vt alijs aliquot locis λατινίζει. Maledicus quinetiam Maldonatus, quum vulgatam versionem, Tridenti factam authenticam, reprehendere non auderet, Græca tamen in subsidium vocat, & sententiam eorum fatetur planiorem. Si igitur ex fonte corrigatur versio, quæ Baronium decepit; nihil erit caussæ, cur contendat aliquis de eadem muliere Iohannem XII. 3. & Marcum XVI. I. sensisse. Verùm de his & tota hac Baronij disputatione, statuat quisque vt volet: nos enim ista pluribus persequi sane piget. Obseruet interim Lector, quàm non magni faciat Baronius Constitutiones Clementis, pro quibus

bus Turrianus, & alij similis iudicij scriptores, tantum sudarunt. At Baronius aduersus huius libri auctoritatem Apocryphi exceptionem profert, eamque vt honestam debere admitti pronuntiat. Coniectura verò eiusdem de corrupto codice Clementino, qua facilitate profertur, eadem potest reijci: quum nullo plane testimonio fulciatur. Nam quod de Origene subijcitur, nauci non est. Origenes ait multos de vna muliere dicta Euangelistarum accipere; non dicit omnes; & quia non dicit, eo ipso clamat contrarium esse verum; hoc est, multos aliter censuisse, vt antè posuimus.

XII. *Diluitur argumentum Baronij à genere vnctionis. Error Baronij luxum illius adeo exaggerantis. Vnctio pedum delicatis vsurpata olim etiam alibi quàm Athenis. Athenienses λιτοί. Vnguentorum præcipuus vsus in triclinijs. Vnctio Christi illustratur ex antiqua consuetudine oleum aut vnguentum adhibendi venerationis gratia. Vnguenta ad pollincturam.*

Anni XXXII. Num. XXVI.

At etiam genus vnctionis trahit hic Cæsar in argumentum pro sententia vulgata. Probat vix ac ne vix quidem nepotibus luxu perditis, in more olim fuisse, vt pedibus vnguenta admouerent: deinde ait: *vt ex his etiam conijcere possis, inusitatum opus non fuisse nisi ab vna tentatum atque iteratum muliere; quæ etiam tertiò vnxit.* Ego verò huius argumenti neque pedes video neque caput: multo minus vllũ medium, quod sit σύνδεσμος τοῦ συλλογισμοῦ. Nam si hæc tam insolens luxuria fuit, vt nemo præter hanc solam tale quid tentare fuerit ausus, non vir, non fæmina: cur hęc ter, vt placet Baronio, eandem nepotinã vnctionem repetit? cur potius vnica ter, quàm tres singulæ semel? Nimirum id voluit Baronius; perdito luxu hanc omnes superasse. Ausam igitur ter, quod nulla mulierum Iudaicarum ne semel quidem. At ego te conuenio pie Lector, & iudicij tui facio, an sine iniuria Domini nostri IESV CHRISTI hæc dici queant. Ego non existimo; & demiror hæc tam temeraria potuisse scribi à viro graui: qui non videtur cogitasse, adeo exaggerari illum luxum non posse, vt illius approbatori & laudatori CHRISTO iniuria non fieret. Suauiter vero errat, cum solis Atheniensibus nepotibus, non Romanis neque aliarum gentium, hanc τρυφῶ fuisse notam disputat; quia de Atheniensibus nominatim id tradit Athenæus. Nos contra censemus, de alijs populis, quorum notus erat luxus, ne notatu quidem dignam Athenæo rem esse visam: de Atheniensibus notasse, quia Athenienses &

erant, & dicebantur λιτοὶ, tenuis victus & vitæ castigatæ: quod è Comicis antiquis & eodem Athenæo alibi verè obseruabamus. Plinij quoque locus de Nerone Principe, qui pedes vnguento tinguebat, non facit ad rem: neque eam vim habet, quam putauit Baronius. Nam loquitur Plinius de vestigijs pedum, à Nerone vngi solitis, cum foras prodibat; non autem in triclinio & balneo. Poterat Baronius adijcere Diogenis Canis exemplum: qui, vt erat homo præposterus, pedes aliquando vnxit; & caussam facti sciscitantibus respondit; iccirco pedibus admouisse vnguentum, quia inde odor ad nares perueniret; à capite verò in aerem euanesceret. Diogenes Laertius lib. VI. Τῷ μύρῳ τοὺς πόδας ἀλειψάμενος, ἔφη, ἀπὸ μὲν τῆς κεφαλῆς εἰς τὸν ἀέρα ἀπιέναι τὸ μύρον, ἀπὸ δὲ τῶν ποδῶν εἰς τὴν ὄσφρησιν. Prodijt in publicum Diogenes, aut certe alibi quàm in triclinio aut balneo, visus est, cum pedibus vnguentatis: ideo quæsitum ab illo, quæ esset facti ratio; quum præsertim odium deliciarũ Canis ille profiteretur. Nam alioqui nemo miratus esset, quod pedes vnxisset. Auctor est Athenæus priscos Græcos adeo fuisse vnguentorum studiosos, vt exploratum haberent ecquod vnguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum. libro XV. Ὅτι διὰ σπουδῆς ἦν τοῖς παλαιοτέροις ἡ τῶν μύρων χρῆσις, δηλοῖ ἐκ τοῦ καὶ ἐπίστασθαι ποῖον ἦν ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἡμῶν ἐστὶν ἐπιτήδειον. Enimuero hospitem esse in scriptoribus Græcis & Latinis oportet eum, qui ignoret luxum pretiosissimorum vnguentorum veteribus nepotibus in frequenti fuisse vsu; maxime autem cum in tricliniaribus lectis accumberent. Quare etiam in sui seculi Christianis B. Gregorius Nazianzenus id notat verbis hisce in oratione XLIII. σῆμερον καταστρωννύων ἐπὶ κλινῶν ἐλεφαντίνων, καὶ τὰ τῶν ἔργα μύρα χεόμενος. Nos tamen in istis sacrorum Domini pedum vnctionibus, non tam moris communis habendam esse rationem arbitramur, quàm mysterij latentis. Quod mysterium etsi capere satis nequimus, nedum satis explicare valeamus; inesse tamen credimus, & humili silentio adoramus. Scimus antiquis in more fuisse positum, vt testandæ reuerentiæ, & cultui religioso, vel qui proxime ad religiosum accederet, oleum vel vnguentum offunderent. Sic Iacob lapidi quo erat vsus pro ceruicali, oleum superfundit, Genes. XXVIII. 18. idemque statuam eo loco erectam, vbi Deus cum ipso erat locutus, simili veneratione prosequitur. Sic lapides vnguine delibutos, vt loquitur Apuleius, pagani in triuijs coluerunt, quod multi scriptores testantur. Clemens Alex. λιπαροὺς λίθους istos vocat, in VII. Stromatum. Sic Plato Homerum è Rep. sua vnguentis delibutum emittit; non contumeliæ caussa; sed quasi testatus eo facto, maiorem se illum agnoscere, quàm vt locum ciuis in

sua

ſua Rep. obtineret. Sic animalia quæ dijs conſecrabant, & libera ſinebant abire, vel quæ alioquin admodum admirabantur, vnguentis linebant: ſicut multis exemplis ad Suetonij librum primum, cap. LXXX. olim probauimus. An igitur hæ quoque mulieres ſanctiſſimæ, quum in Domino, quem eſſe Deum ignorabant, aliquid tamen ſupra hominem admirarentur, deuotionem ſuam hoc facto ſunt teſtatæ? Hoc videtur voluiſſe Chryſoſtomus, cum ſcribit de vna illarum, homilia LXXX. in Matthæum; πολλὴ ἡ εὐλάβεια ἦν, καὶ ἄφατος ἡ σπουδή, *magna erat huius mulieris reuerentia, & ſtudium erga Chriſtum, verbis inenarrabile.* At mens quidem illarum hæc erat: diuina vero prouidentia, quæ illas regebat, altiora myſteria moliebatur; ſicut ipſius Chriſti verba inſinuant, Marci XIV. 8. *Quod habuit ipſa fecit: anteuertit vnguento linere corpus meum ad pollincturam.* Eucherius Lugdunenſis, homilia in verſum ſecundum, cap. XXVI. Matthæi. *Significatio* inquit, *eſt non perditio: in proximo paſſurus ſum; ideoque hæc mulier hoc vnguentum mihi attulit ad ſepeliendum. Mos enim antiquitus fuit, vt nobilium corpora ſepelienda vngerentur, & cum aromatibus ſepelirentur.* Idem ſcriptor alio loco: *Myſterium eſt quod agitur; in quo mors & ſepultura cito fieri ſignificatur.*

XIII. Νάρδος πιστική. *Nardinum vnguentum bonum aliquando Laodiceæ ſolummodo factitatum.*

ANNI XXXII. Num. XXVI.

NΆρδον πιστικὴν Baronius interpretatur, non adulteratam. Nos aliquando dubitauimus, num potius à πίνω hoc nomen deduceretur: cauſſaſque non leues attulimus, cur id ſuſpicaremur. Obſeruamus tamen in alteram partem tranſire omnes fere Græcos: qui vocem πιστικὸς ſæpe vſurpant, de re fideliter facta, aut quæ fidei ſignificationem habeat. Sic Euſebius Demonſtrationis Euangelicæ lib. IX. vinum myſticum ſacroſanctæ Euchariſtiæ, vocat κέρασμα πιστικὸν τῆς καινῆς διαθήκης. & πιστικὸν βάλσαμον leges in literis Emanuelis Imper. ad Fridericum Imperat. Etiam de perſona ſæpe occurrit apud Cedrenum pro πιστός. vt p. 545. 577. 596. & ſæpe alibi ὁ πιστικώτατος τῶν θεραπόντων. *fideliſſimus miniſtrorum*, quod Ariſtophanes & melior Helleniſmus πιστότατος. Porro nardinum vnguentum magni tum fuiſſe pretij eo fit probabilius; quia illis temporibus, vnica fuit vrbs Laodicea, quæ vnguentum huiuſmodi cum laude conficeret: nec multo ante Galeni tempora in alijs etiam vrbibus cepit fieri quod commendaretur. Eum vide libro ſexto Ὑγιεινῶν.

XIV. *Affirmationes aliquot Baronianæ in historia sacra ostenduntur esse parum certæ.*

ANNI XXXII. Num. XXVII.

QVemadmodum affirmare non ausim, conuiuium illud Domino exhibitum Bethaniæ, Iohannis XII. idem esse cum eo quod Matthæus & Marcus commemorât, ille capite XXIV. hic XIV. ita nullam satis firmam video rationem, cur Baronius adeo asseueranter confirmet, diuersa esse. Diuersitas indicati temporis satis firmum argumentum non est. Nam dicit quidem Iohannes, venisse Christũ Bethaniam sexto die ante Pascha; eóque die habitum esse id conuiuium, fit ex illius narratione verisimile. At Matthæus & Marcus non præcise dicunt, Christum biduo ante Pascha Bethaniam accessisse. nulla igitur contradictio. Quod autem apud Matthęum & Marcum bidui illius paullo ante fit mentio; ne id quidem magni momenti est. nam, vt modò dicebamus, in sacra pagina neque prius est, neque posterius: cuius regulæ semper meminisse oportet: & sunt vbique illius certissima exempla. Incertum est etiam quod ait Baronius cum alijs multis: vnum horum conuiuiorum in domo Simonis Leprosi esse agitatum: alterum in domo Lazari: nam de Simonis quidem τοῦ λεπροῦ domo certo liquet, Euangelistis Matthæo & Marco id affirmantibus: de domo autem Lazari non satis constat: quia Iohannes id non expresse dicit, sed velut in medio relinquit. Auctor est B. Chrysostomus, fuisse olim qui affirmarent, fuisse qui negarent: neque tantus Doctor quicquam definit. Sic ille: ἡ Μάρθα διηκόνει· ὅθεν δῆλον ὅτι ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτῆς τὸ ἄριστον ἦν. τινὲς δὲ φασιν ὅτι ἐν ἀλλοτρίᾳ οἰκίᾳ τοῦτο ἐγένετο. Quod apud Matthæum & Marcum plures discipulorum leguntur murmurasse, apud Iohannem solus Iudas; facile eluditur & verè: obseruata familiari locutione sacris auctoribus, qui sæpissime, quod vnius proprium est, συλληπτικῶς pluribus faciunt commune. possent multa afferri exempla; sed insigne est, & huic loco appositissimum, quod extat apud eundem Matthæum XXVII. 44. vbi ambobus latronibus tribuitur, quod proprium fuisse vnius docet Lucas XXIV. 40.

XV.

XV. *Baronij dictum incautius refutatur, quasi fides Scripturarum penderet à fide Ecclesiæ Romanæ.*

ANNI XXXII. Num. XXVIII.

DIgnum est postremum Baronij argumentum, quo prolixam disputationem claudit, animaduersione nostra: *Certe*, ait, *etsi nulla alia subesset ratio, qua hæc ipsa mulier & peccatrix, eademque Maria soror Lazari Magdalena cognominata dici posset: tamen vt iustificetur* IESVS *in sermonibus suis, ne falsi vaticinij, (quod nefas est dictu) arguatur, affirmare necesse est, vnam eandemque esse Magdalenam, nec diuersas, seu plures; dum vnam tantum longè lateq; per Orbem diffusa Ecclesia prædicat Magdalenam.* Multū videlicet Baronio debet Dominus noster IESVS CHRISTVS, pro hac illius tanta sollicitudine, de sarta tecta conseruanda ipsius existimatione. Putauit enim Baronius, absque Romana Ecclesia foret, vacillaturam fidem vaticiniorum Christi. Quid igitur vetat quo minus istud Tertulliani, Baronio aptemus ex Apologet. cap. v. & dicamus, *Apud vos de humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius esse debebit.* Ego vero Baronium metu libero: credat, agat quicquid libuerit vel Romana, vel quæuis alia Ecclesia; veritas oraculorum diuinorum extra omnem posita est aleam. Cœlum & terra transibunt: Scripturæ θεοπνεύστου iota nullum, apiculus nullus præteribit, sed in æternum manebit. Firmitatem verò Verbi Dei in hominibus collocare, id verò quid est aliud, nisi creaturam Creatori anteponere? Quid enim si Romana Ecclesia mentem mutauerit? nam hodie multa aliter doceri quàm olim, & pueri sciunt. Quid si libros rituales suos emendauerit? actum erit videlicet de fide & constantia diuinarum prædictionum. Apage à populis Christianis tantam blasphemiam. Respondemus igitur Baronio: quamdiu salua erunt Euangelia; tamdiu lectum in Ecclesia & prædicatum iri factum huius Mariæ. mansura autem Euangelia ad finem vsque seculorum credimus, confidimus, & omnino πεπληροφορήμεθα: quare etiam illud pari fide credimus; veritatem huius prædictionis Christi per omnia quæ restant secula certo euentu fore comprobandam. Vanitatem metus Baroniani Chrysostomus ostendit, qui etsi contrarium eius sentiebat, quod hic pedibus manibusque defendit Baronius cum Ecclesia Romana; adeo tamen simile nihil metuit, vt contra iubeat nos hoc loco obseruare, quàm bene oraculo Christi fides constaret, quod toto Orbe quotidie impleretur. Sic ille homilia in Matth. LXXX. Τίς οὖν ἄθλιος, ὡς πρὸς τοσαύτην ἀντιλέξαι ἀλήθειαν

ἀλήθειαν; ἰδοὺ γὰρ ὃ εἶπε γέγονε, καὶ ὅπου ἂν ἀπέλθῃς τῆς οἰκουμένης, ὄψει καὶ ταύτην ἀνακηρυττομένην. Theodoretus in Curat. paſſ. ſermone XI. vt probet Euangelicis prædictionibus fidem ex euentu conſtare, inter alia exempla hoc quoque affert, & ſic ſcribit poſt narratam ex Euangelio hiſtoriam, ταύτην δὲ τὴν πρόῤῥησιν καὶ νῦν ἔστι περατουμένην ἰδεῖν. πανταχοῦ γὰρ γῆς καὶ θαλάττης καὶ τὸ εὐαγγέλιον τὸ θεῖον ἀναγινώσκεται, καὶ τῆς γυναικὸς ἡ πίστις ἀνακηρύττεται. *Hanc prædictionem cernere eſt, nunc quoque impleri. vbiq; enim terrarum & marium & diuinum Euangelium legitur, & mulieris huius fides prædicatur*. Similia his apud alios Patres, cum de hac muliere, tum de alijs perſonis, quarum in Euangelijs habetur mentio. Eucherius Lugdunenſis in homilia de vidua, quæ duo æra miſit in gazophylacium. *Quàm nobilis iſta paupercula, quæ dum ſeculum iſtud manebit, diuinis paginis celebrabitur?* Similia ſunt, quæ de celebritate nominis Ioſephi propter deſcriptam in Scripturis ipſius temperantiam ſcribit facundiſſimus Chryſoſtomus, in libro de ijs qui ſcandilizantur, editionis Sauilianæ, tomo VII. pag. 34.

XVI. *Alabaſtrum vitreum ex quo vnctus Dominus. Alabaſtrum fictitium Conſtantino datum, & ab eo loco publico poſitum, à Theodoſio ſublatum. Baronij fides in veteri hiſtoria recitanda.*

ANNI. XXXII. Num. XXIX.

NOn aſſentitur Baronius Epiphanio, qui ἀλάβαστρον μύρου exponit βικίον ὑέλινον, *vrceolum vitreum.* hoc illi non placet; ac Plinium potius ſequitur, qui vaſorũ vnguenti meminit ex alabaſtrite lapide excauatorum. ſed fruſtra eſt Baronius; neque enim contraria ſcribunt Plinius & Epiphanius, vt ipſe putat. Proprie alabaſtrum, ſiue ἀλαβαστρίτης λίθος lapis eſt candore ac λειότητι inſignis, ex quo vaſa excauabant, & eodem nomine appellabant. poſtea verò quum è vitro, & alia materia confieri cepiſſent eiuſmodi vaſcula, etiam hæc alabaſtra ſunt dicta: prorſus, vt pyxis dicebatur etiam aurea & argentea, teſte Seneca; quæ tamen κυρίως è buxo fiebat, & nomen è re inuenerat. Sic quum æris antiquior notitia fuerit atque vſus, quàm ferri, æris appellatio, etiam ferro eſt tributa; & vt eleganter grammatici Græcorum dicunt, ὁ ὑστεροφανὴς σίδηρος τὸ παλαιφανὲς τοῦ χαλκοῦ ἔχει ὄνομα. ſic δέλτος, βίβλος, πίναξ, & ſexcenta alia, de quibus ſæpe Euſtathius ac cæteri γραμματικῶν παῖδες. Recte igitur Epiphanius communem vſum reſpiciens, dixit, alabaſtrum eſſe vas vitreum. Simillime Etymologici magni auctor, poſtquam dixiſſet ἀλάβαστρον eſſe λήκυθον λιθίνην πρὸς μύρων ἀπόθεσιν, *vaſculum lapideum, in quo deponebantur vnguenta*: addit

mox

mox, σκεῦος τὸ ἐξ ὑέλου, ἢ μυροθήκη, *vas è vitro, vel vnguentum repositorium*; è qualibet materia. Constat vero Epiphanium cum illa scribebat, respexisse ad loca Euangelistarum; vt dubium non sit, credidisse illum, alabastrum cuius in Euangelio fit mentio, fuisse vitreum. Notat vero expresse Marcus, id vas quando vnctus est Dominus, fuisse confractũ: καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον, κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς. Hoc si Baronius obseruasset, intellexisset planos fuisse atque impostores, qui olim Constantino vas vnguentarium venditarunt, quasi illud ipsum esset, è quo fuerat Christus vnctus. Nam præter lapidis, aut potius vitri fragmina, nullæ potuerunt esse illius antiqui alabastri reliquiæ. atqui vas integrum habet narratio, quàm è Suida refert Baronius. Quem satis equidem mirari non possum, leuitatis culpam crimine falsi, in breui hac historia iuisse cumulatum. Leuitatis culpa in eo est; quod Græculi plani fraudem non animaduertit: credidit enim illud vasculum, quod memorant Euangelia, fuisse vere Constantino exhibitum. Crimen vero falsi sane manifestum. Nam quum dicat Suidas, vel ille potius scriptor, quem Suidas exscribit, Constantinum quidem in parte aliqua Fori id vas reposuisse: sed Theodosium Magnum illud sustulisse, non solum ex illo loco, sed in vniuersum è memoria hominũ: Baronius adeo existimationis suæ fuit securus, vt scriberet, *id vas à Theodosio Magno inde sublatum, & honestiore loco esse reconditum.* Prouoco ad Suidæ verba quæ sunt hæc: κάτωθεν τοῦ φόρου βικίον μύρου ὃ ἠλείψατο ὁ Χριστὸς, καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφόρικα, τεθέντα μὲν παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου· ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου: *in parte inferiore Fori erat vas vnguenti, quo est vnctus Christus, & multa alia miraculosa monumenta; à Magno quidem Constantino eo loci posita; sed à Theodosio Magno deleta.* Age, depellat si quis potest à Baronio crimen falsi: ego non possum; nisi prius oblitus fuero, quid sit ἀφανισθῆναι. Sed Græca, opinor, ille non viderat, & Latina interpretis ex animi sui sententia exposuit.

XVII. *Illustratur locus ex Euangelio Marci, ex Arabica interpretatione* ἐκστῆναι. κρατῆσαι.

Anni XXXII. Num. XXIX.

SEriem historiæ Euangelicæ persequens Baronius, ait paullo post de Domino nostro loquens; *Accurrerunt inde sui, vt tenerent eum, falsa quadam fama decepti, quod in furorem versus esset.* hanc sententiam ille expressit ex istis Marci, III. 21. Καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ᾽ αὐτοῦ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. Scimus hanc esse communem omnium fere interpretum expositionem: neque ignoramus, quæ de

scelere

ſcelere cognatorum Domini, ad hunc locum plerique illorum diſſerunt. Verum ſi Arabicæ interpretationis auctorem ſequi voluerimus; & Dominum noſtrum ſuſpicione vana ecſtatici furoris, & cognatos ipſius crimine atrocis conſpirationis, quam hoc loco comminiſcuntur interpretes, liberauerimus. Putauit paraphraſtes Arabs, ſenſum totius loci eſſe; Chriſtum premente turba vexatum adeo fuiſſe, vt ne reſocillandi quidem vires corporis facultas ei concederetur: itaque è preſſuræ vexatione atque inedia, deficientibus viribus in deliquium animi incidiſſe; vel certe metuiſſe qui aderant, ne id ei accideret. Ex hoc iſtorum metu ortus eſt rumor inter cingentem vndiq; turbam, quaſi id contigiſſet, quod metuebatur ne contingeret. Sparſum fuiſſe eum rumorem, ſignificat Euangeliſta, quando ait: ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη: quæ vertit Arabs, *quia malum eſt illi cor.* Gallice diceremus, *le cœur lui fault*: vel, *lui fait mal.* hæc fama vbi ad aures peruenit cognatorum & familiarium Domini, quid ipſi conſilij inierint oſtendit Marcus, & ait, καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν. vbi Arabs, non pro vincire, vt placet interpretibus, accepit: ſed pro ruentem ſuſtentare, vel prehendere, auxilij ferendi cauſſa. eadem dictione vtitur & Matthæus IX. 25. vbi Chriſtus mortuam puellam excitaturus, ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς, *manum illius prehendit.*

EXERCITATIO XV.

Perſij locus de Herodianis minus recte acceptus à Baronio.

ANNI XXXIII. Num. II.

HErodianos coluiſſe Herodem Magnum & viuum & mortuum, ad Prolegomena oſtendimus: nunc propterea repetimus, quia Baronius male capit locum Perſij, quem profert. Putat reſpexiſſe poetam ad Herodem Agrippæ vltimi Iudæorum Regis. Atqui ſi ad Herodianorum ſolemnia debet referri locus Satirici: certum eſt, non poſſe de alio Herode verba eius accipi, quam de Magno. illum enim ſolum colebant religioſo cultu Herodiani. Perperam igitur Baronius: at vetus Perſij ſcholiaſtes, rectè: *Herodes*, inquit, *apud Iudæos regnauit tempore Auguſti in partibus Syriæ: Herodiani ergo diem natalem Herodis obſeruabant, vt etiam Sabbata: quo die lucernas accenſas, & violis coronatas in feneſtris ponunt.*

II. *Iohannis corpus Sebasten quando translatum. falsa sententia Hieronymo attributa à Baronio.*

ANNI XXXIII. Num. IV.

VErum non est, quod pro vero audet prodere Baronius, scribere Hieronymum; *corpus Iohannis sublatum à discipulis eius, sepultum fuisse Sebastæ, quæ est Samaria.* Hieronymus non semel aut iterũ, sed sæpius ostendit, sua ætate corpus Iohannis Baptistæ situm fuisse Samariæ, siue Sebastæ: at translatum fuisse defuncti corpus in eam vrbem ab eius discipulis, nusquam memoriæ proditum est ab Hieronymo. Quare igitur hoc illi affingit Baronius? voluit nimirum hac artificiosa παρεγχειρήσει, persuadere lectoribus suis, iam inde à temporibus Domini cultum religiosum reliquiarum Iohannis cepisse. Nos verò de eo cultu nunc minime disputamus: id tantum volumus, facinus esse indignum, antiquis scriptoribus falsas affingere sententias: quod sine crassæ negligentiæ culpa, aut fraudis suspicione fieri, nec solet nec potest. Legem eandem sancio in me, quam in alios cupio latam: neque recuso, quin sit per me talioni locus. Porrò corpus Iohannis Sebasten delatum fuisse à discipulis Iohannis, cum Euangelistarum narratione parum congruit. Narrant enim Marcus & Matthæus, post cædem sancti Prophetæ, eius discipulos venisse, & corpus sepelijsse, atque in monumento condidisse. de translatione Sebasten nihil. Postea igitur id factum, & ab alijs quàm à Iohannis discipulis: & alio proculdubio seculo quam Domini nostri primo. Nicephoro quàm parum aut nihil esset tribuendum fidei, non semel antè diximus: nec multo aliter Baronius hic de illo pronuntiat.

III. *Quî sit factum, vt Herodes Christum & eius miracula tamdiu ignorarit. Dei iudicio voluntaria ignoratio punitur necessitate ignorandi. Bellum Herodis cum Rege Arabum: & in ea historia hallucinationes Baronij.*

ANNI XXXIII. Num. VII.

NOn abs re quæritur à Baronio post B. Chrysostomum & alios, quî fieri potuerit, vt Herodes Tetrarcha Galilææ tamdiu Christum & edita à Christo miracula ignorarit. Constat enim testimonijs Euangelistarum Matth. XIV. I. Marci VI. 14. Lucæ IX. 7. post mortem demum Iohannis, tantæ rei famam ad ipsius aures peruenisse. Verùm hoc temporis spatium quantum sit, ne inter erudi-

tiſſimos quidem viros conuenit. Baronius, qui cædem Iohannis in hoc anno tertio prædicationis Chriſti recenſet, quæſtionem longe reddit difficiliorem; quàm ſit apud alios, qui tempus à baptiſmo Domini ad Prodromi ἀποκεφαλισμόν dimidio fere ſpatio contractius produnt: quam controuerſiam, vt & alias eius generis pleraſque prætermittimus. Cauſſam ignorationis Herodis vere ſtatuit B. Chryſoſtomus, faſtum & incuriam rerum bonarum, à quibus vitijs Principes pauciſſimi omnibus ſeculis fuerunt immunes. Accedit improbitas, vt plurimum, aulicorum; qui etiam dedita opera perſæpe impediunt Reges & Principes, ne ad rerum illarum cognitionem perueniant, quas ſcire illos plurimum ipſorum intererat; vt vere queruntur Lampridius in Alexandro Seuero, & Vopiſcus in Aureliano. Taceo iuſtum Dei iudicium, qui voluntariam ignorationem neceſſitate ignorandi punit. quod ne ille quidem Rabbinus ignorauit, cuius diuina vox extat in Pirke Auoth capite IV. שכר מצוה מצוה ושכר עברה עברה *merces præcepti eſt præceptum; & merces tranſgreſſionis eſt tranſgreſſio.* id eſt, Deus ſeruantibus Legem hanc rependit gratiam, vt magis magiſque in dies illam ſeruent: negligentes Legem ita punit, vt magis ac magis in dies eam negligant. At Baronius, dum cauſſas huius ignorantiæ inueſtigat alias, atque illas ex hiſtoria conatur eruere; non ſenſit delapſus in abſurda, quæ ferri nullo pacto queant. Vult Herodem ſuperioribus annis prædicationis Domini noſtri è Iudæa abfuiſſe, occupatum in expeditione Arabica contra Regem Aretam. Obſecro verò, vnde habet ille Herodem per ſe bellum adminiſtraſſe, non abſentem per Legatos ſuos? Ioſephus enim à quo ſolo hiſtoriam didicit, contrarium verbis conceptis memoriæ prodidit. nam libro XVIII. p. 556. de vtroque horum Regum ita ſcribit: καὶ δυνάμεως ἑκατέρῳ συλλεγείσης, εἰς πόλεμον καθίσαντο, στρατηγοὺς ἀπεσταλκότες ἀνθ' ἑαυτῶν. *poſtquam vtrique erant copiæ conſcriptæ, bellum inter Reges conflatum eſt; qui vicem ſuam Legatos ſuos miſerunt.* Abſentia igitur Herodis propter bellum Arabicum, hiſtoria non eſt, verùm coniectura Baronij, vel potius ἀνερμάτιστος hariolatio, pugnans è diametro cum hiſtorica veritate. Tum autem quod ait, bellum hoc multos annos fuiſſe tractum, quia in eius explicatione Vitellij Præſidis Syriæ mentionem facit Ioſephus; mirificam ſuam chronologiam etiam hic oſtendit. Res ita habet. Belli huius cauſſa contracta eſt poſt Philippi Tetrarchæ mortem, vt clarum eſt ex hiſtoria Ioſephi. Qui fato functum eſſe Philippum ſcribit, anno Tiberij vigeſimo, vt habet Græca editio p. 555. vel etiam vigeſimo ſecundo, vt habet Ruffini verſio, & defendit Scaliger. Sed etſi prior numerus retineatur; bellum tamen ante proximum annum geri non

potuit,

potuit, propter Herodis profectionem Romam: vnde priusquam redijsset, & controuersia Regum in bellum apertum erupisset; annuo minus spatium præterijsse non potest. Ponamus igitur anno Tiberij XXI. exeunte bellum istud esse gestum: citius enim profectò non potest. is est annus, quo Vitellius missus est in Syriam, vt Pilato succederet. Quare falsum est, oportere, quia in eius belli narratione Vitellij incidat mentio, vt id multos annos fuerit tractum. Quum autem Dominicam passionem referat Baronius ad annum Tiberij decimum octauum, qui fuit tertius minimum annus ante gestum superius bellum; apparet quo iudicio scripserit Baronius, caussam cur prædicationis Christi primos annos ignorauerit Herodes, fuisse, quod bello gerendo occupatus, domo abesset: nam præter licentiam fingendi, à fide historici alienissimam, anachronismus est commissus, annorum quinque vel sex aut plurium.

IV. *Error Baronij ex institutis sectæ Essenorum de populi Iudaici moribus pronuntiantis. χόρτος. Euangelium Marci non scriptum Latine.*

Anni. XXXIII. Num. X.

IN miraculoso conuiuio, quod quinque millibus exhibitum esse à Domino narrant Euangelistæ, placet Baronio seorsim discubuisse viros & fæminas. Eam fuisse Iudæorum in conuiuijs consuetudinem, probat ille ex ijs, quæ scribit Iudæus Philo de Essenis. In quo perinde mihi facere videtur, vt si diceret aliquis, Gallos vel Italos, quoties mensæ assident ad epulandum, ab vno dumtaxat latere ἐπιχερῶ καὶ ἐχομένως, sedere nemine è regione, & rationem hanc afferret, quia est quædam familia monachorum in Gallia & Italia, quæ in accubitibus eam rationem seruat. Constat illos monachos non longius recessisse à communi more patrio, quàm recesserant Esseni à communibus populi Iudaici institutis. Quare absurdissimum est, coniecturam fieri de publicis moribus è sectæ vnius, & eius quidem admodum ἀλλοκότου, ritibus. Simile iudicium, vel potius παρεργία, cum turbis conuiuantibus loco strati fuisse ait fœnum, ex instituto Iudæorum, & affert locum Philonis de ijsdem Essenis: quàm apposite, facile omnes intelligunt. Philo narrat institutum sectæ austeritatem profitentis; Euangelistæ referunt quid fecerint turbæ in casu necessitatis. Sed vbi reperit Baronius fœnum quod conuiuantibus turbis loco strati subijceret? nam Marcus ait eos deposuisse se ἐπὶ χλωρῷ χόρτῳ, *super viridi herba*, vel *gramine*. fœnum est χόρτος: at χλωρὸς χόρτος non est fœnum. Hellenistarum idioma est, χόρτος pro herba vel gramine, χλόη vel πόα.

propterea Marcus addit vocem χλωεὺς. Latinus interpres hanc ἀκυρολογίαν est imitatus. Quod ait Baronius Marcum dixisse *contubernia*, pro eo quod in Græcis habetur συμπόσια, propterea dixit, quia Marcũ Euangelium Latine scripsisse credebat: quem supinum errorem solidis argumentis confutabimus σὺν Θεῷ ad annum Domini XLV.

V. *An Petrus Christum sequens probetur fuisse caput Apostolorum, quia os illorum fuisse reperitur.*

ANNI XXXIII. Num. XII.

Ait Baronius; *Tunc Petrus ex persona omnium, (quod esset ipsorum caput,) profitetur dicere, Domine, &c.* Iohan. VI. 68. Cogor eadem repetere, quia Baronius errorem suum repetit. Falsò enim tum Petrum fuisse Apostolorum caput contendit, cum & ipse & cæteri Apostoli Christo cœlesti magistro sic operam nauabant, vt in schola magistro discipuli. quare etiam discipuli vocantur & Petrus & reliqui Apostoli, atque alij præter Apostolos multi. Iam autem ostendimus in superioribus, absurdum esse & ridiculum, in schola aliud caput agnoscere, quàm ipsum præceptorem; aut in domo patrisfamilias, aliud quam ipsum patremfamilias & οἰκοδεσπότην. Quod aliquoties Petrus loquitur in Euangelijs, silentibus cæteris Apostolis, id B. Chrysostomus, Theophylactus & passim Patres, θερμότητος illius, (sic enim loquuntur) & zeli vehementiæ adscribunt: cuius præferuidi zeli & sanctissimi exempla aliquot B. Hieronymus collegit ad caput Matthæi XIV. 28. Nullus primorum Patrum eam caussam affert, quod Petrus iam tum esset caput Apostolorum. Fatemur Petrum & fuisse reuera, & dictum reperiri à Chrysostomo, Photio, Theophylacto, alijs, στόμα τῶν Ἀποστόλων, *os Apostolorum*, vel quod idem est, προήγορον τῶν Ἀποστόλων, vt apud Eusebium in prima historia Eccles. Sed non ex eo sequitur, Petrum præsente Christo fuisse caput Apostolorum. Exodi capite quarto, voce Dei constituitur Aaron לפה vt sit os Mosi, & loquatur pro illo. An propterea dominatio ipsi aliqua in Mosem attribuitur? Audiamus quod sequitur: *Et tu eris illi in Deum.* Potentia igitur penes Mosem; ministerium penes Aaronem. Non aliter Patres senserunt. Augustinus Quæstionum super Exodum libro II. *Et cum dicit, Tibi loquetur ad populum: satis indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium.* Procurator aut Syndicus ciuitatis, cum ciuium postulata Principi exponit, pro omnibus loquitur: & tamen caput ciuitatis non est. Primipilus aliquis desideria suorum commilitonum Tribuno militum aut Imperatori exponens; pro tota legione aut toto exercitu loqui-

tur;

tur; caput tamen legionis aut exercitus non audit. In vrbe inclyta, Mompelio, magistratui municipali (Consules vulgo vocantur;) attribuitur è corpore caussidicorum delectus aliquis iuuenis, quem ipsi è re nominant *le Parlier*; quia est os Consulum, & quasi publicus orator: atque eandem consuetudinem in multis Belgij vrbibus seruari audimus. Isti loquuntur pro suis ciuitatibus & sunt προφῆται Consulum atque omnium Magistratuum municipalium: & capita non sunt tamen neque ciuitatum, neque magistratuum pro quibus loquuntur, ipsis tacentibus: imò in plerisq; locis isti ne magistratus quidem sunt, sed verius ministri Magistratuum. Sic presbyter cùm sacra facit, cùm Deum orat, cùm peccata confitetur, pro vniuerso populo vocem mittit; etiam pro Episcopo vel Archiepiscopo, si Liturgiæ sacræ intersint: populi tamen caput non est, ac multo minus Episcopi vel Archiepiscopi; nisi fortasse ad actum, vt loquuntur Iurisconsulti. Sic qui pro Rege loquitur, os Regis appellatur, inquit Lyranus ad caput XV. Ieremiæ. Quin etiam os Dei rectè dici posse quemlibet fidelem Prophetam & Dei seruum, certum est è versiculo 19. eius capitis. ideo Basilius alicubi Gregorium Naz. vocat os Christi. Ignatius quoque ad Ephesinam Ecclesiam scribens, & ad superiorem Ieremiæ locum alludens, γίνεσθε, ait, διάκονοι Θεοῦ, καὶ στόμα Χριστοῦ. *Estote ministri Dei & os Christi.* Concludimus igitur, *loqui pro aliquo*, nullius dominationis, sed ministerij potius signum esse: multumque illos errare, qui Petrum Apostolorum in schola Christi versantium caput fuisse ex eo colligunt, quia pro cæteris aliquoties reperiatur locutus.

VI. *Defenditur vera lectio apud Cyprianum. Ecclesia post passionem Domini cepta est ædificari. Sententia Cypriani, Qui rebellat aduersus legitimum & fidelem Episcopum, extorris fit ab Ecclesia.* Obaudire.

B. Cypriani locum ex epistola ad Pupianum corrupte describit Baronius hoc modo: *Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine.* Obseruat Pamelius in antiquissima editione & optima quaque posteriorum, legi *ædificanda*, non *ædificata*. & ita omnino scribendum, tam hoc loco, quàm in simili epistolæ LV. vel certe ita exponendum. Veritas enim dicti huius, pendet è dicto Christi, Matthæi XVI. 18. vbi est verbum futuri temporis οἰκοδομήσω *ædificabo.* quando autem illa Petrus loquebatur, nondum Christus Ecclesiam suam ædificauerat: id enim ædificium post passionem est inchoatum. Et quum vere sentiant pij omnes Petrum eius ædificij fundamenta

fundamenta prima iecisse, cum illa gessit, quæ primo capite Actorum & secundo narrantur; absurdum dictu est, Ecclesiam fuisse ędificatam prius quàm aut Christi sanguis esset fusus, quod verum est huius ædificij cœmentum, aut Petrus & reliqui Apostoli manus operi admouissent. Verissima autem doctrina est, quam B. Cyprianus elicit ex interrogatione Christi & Petri responsione cum subijcit: *docens & ostendens, quia etsi contumax & superbia obaudire nolentium*, (perperam in recentibus editionibus *volentium*: nam apud Latinum interpretem, & sæpe apud Patres, *obaudire* idem est atque obedire:) *multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit; & illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.* Indubitata veritas est, quoties legitimo & vero Episcopo, qualis Cyprianus fuit, qui de se hæc loquitur, pia plebs adhæret, Ecclesiam Dei eam esse: vt si quis ab eo cœtu se auertat, extra Ecclesiam eum esse, dubitari non queat. Quum autem Cyprianus in caussa propria ita disputet, atque illos qui à se discesserant, extorres ab Ecclesia esse contendat: docet nos pius martyr, vnicuique Episcoporum ipsi similium, hoc est, doctrina & vita Christum imitantium, tantundem iuris esse similiter disputandi. Atque hęc Cypriani constans mens & sententia fuit; vnumquemque Episcopum suæ Ecclesiæ caput, petram, fundamentum esse: quare eidem, *rebellare aduersus Episcopum*, & *extra Ecclesiam esse* locutiones sunt idem significantes, vt in epistola XL. editionis Pamelianæ, & alibi. Nemo autem ignorat, qui Cyprianum legit, & asinus non est, ex omnibus Patribus hunc potissimum esse, qui dominationem terrenam in Ecclesia, & illud Satanicũ figmentum de vnius absoluta monarchia, radicitus conuellat ac funditus euertat: qua de re postea.

VII. An Marcus à Domino recesserit propter sermonem ipsius de manducanda carne sua, vt affirmat ex Epiphanio Baronius.

ANNI XXXIII. Num. XIII.

MIrum est, affirmare Baronium tanquam rem certam, Marcum Euangelistam, vnum illorum Christi discipulorum fuisse, qui propter non intellectum mysterium de manducanda eius carne, ab illo dicuntur recessisse, Iohan. VI. 66. Saltem faceret mentionem opinionis contrariæ, quæ & plures multo & præstantiores auctores habet. Nam excepto Epiphanio, (viro sane maximo; sed quem res arguit ipsa, leuibus auditiunculis nescio vnde acceptis, facile nimis aliquando fidem habuisse:) non memini legere idem de Marco apud vllum

vllum è magnis ſcriptoribus Eccleſiæ. At contra, Marcum Chriſti diſcipulú non fuiſſe, neque ea ſcripſiſſe, quę vſu cognouiſſet, verú quę fando accepiſſet à Petro, quàm multi ſcriptores memoriæ prodiderunt & antiquiſſimi & grauiſſimi? Papias in tertio libro extremo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Euſebij, id affirmat; parum grauis quidem auctor, ſed tamen antiquiſſimus. Hieronymus & ex profeſſo ſcribens de Marco, & alibi etiam, idem ait cum Papia, cuius etiam teſtimonio vtitur. B. Auguſtinus initio librorum de conſenſu Euangeliſtarum, tanquam rem certam & indubitatam ponit. Quid alios teſtes aſſiduos enumerem? inſtar omnium erit Gregorius Magnus; cuius inſigne eſt teſtimonium libro primo Dialogorum: *Mihi,* ait, *luce clarius conſtat quod Lucas & Marcus Euangelium quod ſcripſerunt, non viſu, ſed auditu didicerunt.* Næ tam expreſſum teſtimonium viri tanti, & quidem Romani Pontificis, inſuper haberi à Baronio æquum non fuit. quum præſertim probabilis admodum ſit coniectura, Epiphanium aliud agentem illa de Marco ſcripſiſſe. Scripturarum enim laudat auctoritatem, ex quibus clare id conſtare ait: ὡς, inquit, τοῖς τὰ εὐαγγέλια ἀναγινώσκουσι σαφὴς ἡ παράστασις. atqui verbum nullum in toto illo Iohannis capite, ac ne in tota quidem Scriptura, vnde ſimile quid de Marco poſſit colligi. Quæ mox recitat Baronius ſuper Hemerobaptiſtis ex Epiphanio, examinata ſunt ad Prolegomena, nec cauſſa eſt, cur illa repetantur. δὶς κράμβη θάνατος.

VIII. Baronianæ ἐπιστάσεως ſuper Domini verbis, Matth. XVI. 17. *ſcopus oſtenditur, & doctrinæ eius ſumma proponitur.*

ANNI XXXIII. Num. XVII.

IAm togas componamus & audientiam faciamus: magiſter adeſt. Adeſt, inquam, Cæſar Baronius, qui pedem ſiſtere nos iubet, & ad obſeruationem quandam ſuam, animaduerſione, vt ait, digniſſimá, diligenter attendere. Hæc obſeruatio cuius argumenti ſit, quóue ſpectet, quærendum non eſt: iam enim monuimus, digreſſiones, ſiue ἐπιστάσεις, quæ paſſim in his Annalibus occurrunt, vnius ferme omnes atque eiuſdem eſſe argumenti, & ad Papæ monarchiam illam infinitam ſtabiliendam, pertinere. Quum igitur omnipotentiæ Pontificiæ aſſertores vulgo ſic credant, ſic doceant; ad euincendum quod contendunt, facere cum primis verba Chriſti apud Matthæum XVI. 17. & 18. poſtquam Baronius Euangelicæ hiſtoriæ ſeriem ad illud tempus perduxit, quo putat illa fuiſſe dicta à Domino; non ſatis illi fuit verba Chriſti recitare, quod ſolum erat hiſtorici: ſed etiam interpretationem illorum

illorum accuratam, quod est Theologi, profert: atque inde miras quasdam conclusiones eliciens, suam ex his conficit obseruationem; vere, vt ipse profitetur, animaduersione dignissimam; hoc est, vt nos interpretamur, iustissimæ reprehensioni obnoxiam, & piorum omnium indignationi. Quod vt ostendamus, per partes Baronianam obseruationem considerabimus. Sunt autem istæ quinque:

I. Figmentum Baronij de Concilio inter Christum & discipulos habito.

II. Decretum in eo Concilio factum, auctore Petro, super orthodoxa fide.

III. Decretum alterum in eodem Concilio factum, auctore Domino nostro, super fundamento Ecclesiæ, Petro, & eiusdem monarchia.

IV. Explicatio verborum Domini nostri, & vis decreti huius ab eo facti.

V. Testimonia Patrum, quibus doctrinam suam Baronius confirmat.

Nunc sigillatim, hæc quinque capita expendamus.

IX. *Ad primum caput* ἐπιςάσεως *Baronianæ. Probatur nullam Concilij speciem habuisse Christi illud colloquium cum discipulis suis. Christus Magister: Apostoli & veteres Christiani discipuli ac discipulæ. Viæ docendi duæ, per sermonem docentis, vel per interrogationes. Christum vtraq; ratione vsum. Eundem solitum orare solum. Colloquium illud in via habitum. Concilium quid.*

DOminum nostrum Iesum Christum, toto ministerij sui tempore, Doctoris munus sustinuisse, atque incredibili studio implesse, modò falsos Legis interpretes arguendo, & populum Iudaicum in vera pietate instituendo; modò suos discipulos cura peculiari cœlestis doctrinæ arcana docendo, nemo est qui dubitet. Propterea passim in Euangelijs vocatur ῥαββονὶ, διδάσκαλος & καθηγητὴς *magister & præceptor*; frequentius multo quàm Κύριος, *Dominus*. Et qui Christū sequebantur, μαθηταὶ *discipuli* in Euangelijs proprie & κυρίως fere semper vocantur. eamque appellationem fideles, etiam post Christi assumptionem, initio nascentis Ecclesiæ retinuerunt, dicebanturque & viri *Discipuli*, & fæminæ μαθήτριαι, *discipulæ*, vt Actor. IX. 36. quum ipso nomine, (Patres obseruant,) profiterentur, in Ecclesia Christi vnum esse verum Doctorem, IESVM CHRISTVM, quemadmodum

expressis

expressis Domini verbis docemur, Matthæi xxiii. 8. εἷς ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητής, ὁ Χριστός. Ipsi vero duodecim Apostoli & erant peculiari ratione Christi discipuli, & ita dicuntur in Euangelijs; non quomodo cæteri, sed ἐξόχως καὶ ὑπερεχόντως, vt Homerus poeta. Quum autem tradendarum disciplinarum in scholis plures sint & diuersi modi; duo præcipui cum à philosophis antiquis, tum ab omnibus fidelibus præceptoribus reperiuntur vsurpati: vnus, quando solus loquitur qui docet; alter, quando interrogationes & responsiones adhibentur, & vel Præceptor suos discipulos interrogat, vel discipuli Præceptorem. His docendi modis optimum Doctorem Christum esse vsum, historia Euangelistarum non obscure significat. Solus loquitur Christus sæpissime; vt cùm sacramentum Eucharistiæ instituit, apud Matthæum, Marcum & Lucam: item in sermone de monte, Matthæi, cap. v. & in illis diuinis concionibus suis, quarum summæ recitantur in Euangelijs; interdum à discipulis interrogatur, vt Iohannis ix. 2. Est quando suos ipse discipulos interrogat; vt in ea historia, qua de nunc agitur; quæque extat apud Matthæum cap. xvi. Marcum cap. viii. Lucam cap. ix. Hæc quum ita sint; scribit tamen de hac historia Baronius, initio obseruationis suæ sic: *Eiusmodi tanti ponderis & auctoritatis actio Christi, typum quendam exprimit celebrandi Concilium: cum missis cæteris, solus cum discipulis, post preces Deo oblatas, de summa rerum quæstionem proponit.* Mirum & omnibus seculis inauditum est, quod hic narratur de typo Concilij à Christo tunc exhibito. Istud nemo veterum interpretum aut Doctorum, nemo recentiorum, opinor, ante Baronium dixit. Et quum inter omnes fere constet, originem Conciliorum è libris sacris repeti debere: nemo tamen in illa historia eam quæsiuit. omnes in capite xv. Actorum, primum sacri Concilij in Ecclesia Christiana celebrati exemplum extare credunt. Baronius contra, non solum hoc loco, sed etiam in anno Domini lviii. numero 119. originem eius instituti, & exemplum Concilij primi, in hac historia reperiri affirmat. Sed hæc sententia, non solum propter nouitatem cordatis viris debet esse suspecta; verùm etiam propter manifestam absurditatem reijci atque explodi meretur. Nam in historia, qua de hîc agitur, quid simile Concilij? Interrogat Christus Apostolos suos, nempe vt cupidus præceptor suos discipulos: eum siquidem docendi modum & esse & semper fuisse in Scholis vsitatum, iam diximus. Fortasse ex verbis superioribus Baronij dicat aliquis, eo argumento motum illum fuisse, quod preces Christi, quarum meminit Lucas ix. 18. putauit actionis, quæ postea commemoratur, initium fuisse. Nam Concilia à precatione solita incipere, nemo ignorat. Hoc verò nihil ad rem. quis

enim nescit, & Christum & omnes veros Christianos actiones suas omnes alicuius momenti, à precibus semper inchoasse? Quod etiam illi voluerunt olim, qui omnibus actionibus suis minimis maximis, vt auctores sunt Tertullianus, Chrysostomus & alij, crucis signaculum præmittere soliti. Id enim primis temporibus velut compendium quoddam fuit precum. Adde quod verba Lucæ aliter accipiunt magni nominis interpretes; atque ipse cum primis Maldonatus. Sic Lucas: Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον καταμόνας, συνῆσαν αὐτῷ οἱ μαθηταί, καὶ ἐπηρώτησεν αὐτούς. *Et factum est cum solus esset orans erant cum illo & discipuli, & interrogauit illos.* Putat Baronius, vnam continuam actionem hic describi, communem Christo cum discipulis: sed melius intelligas, Christum solum orasse; vt fere semper: (quam ob caussam notat auctor Glossæ, non reperiri Christum orasse vnquam cum suis discipulis:) & tamen præsto illi fuisse discipulos: qui dicuntur Lucæ συνεῖναι αὐτῷ, *cum Christo esse*, respectu turbarum, quæ nullæ omnino tum aderant: nam ab illis se Christus seduxerat cum suis discipulis, vt notat Marcus. At solum orasse Christum, innuit vox καταμόνας, *separatim*: pro qua dixit Latinus interpres, *solus*. Sententia igitur est: Dominum orasse solum; non tantum à turbis liberum, sed etiam Apostolis paullulum submotis: deinde inter eundum suos discipulos interrogasse: nam expresse notat Marcus: καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. *& in via interrogabat discipulos suos.* Nullum hic Concilium, nulla Concilij idea aut est, aut esse potuit. Nam Concilium quidem appellatur, vt recte alicubi dicit Thomas, conuentus iudicum ad deliberandum aliqua de re congregatorum: hic nullus iudex præter vnũ Christum: reliqui omnes sine vlla potestate, omnes discipuli; & Christus ipse non hic ceu Iudex sedet; sed vt doctor ac magister, inter suos discipulos familiariter versatur, illos docens. Quis vnquam Conciliũ appellauit colloquium inter præceptorem & discipulos habitum? Omnino sermonem huiusmodi Concilium vocare, est Domino iniuriam facere, suos ipsi discipulos æquare, & τύπον διδασκαλίας in formam consessus iudicialis vertere: quo nihil absurdius fingi potest. Baronium non ex ignorantia, sed certo consilio hunc errorem errasse, quæ mox dicemus palàm facient. Hic obiter adnotabo; consilium Domini quando hanc doctrinam per interrogationem proposuit, neminem è veteribus exposuisse videri luculentius, quàm factum est à Basilio Seleucensi in homilia super his ipsis Domini verbis.

X. *Ad secundum caput ἐπιστάσεως Baronianæ. Industria Baronij in concinnando fictitio isto Concilio conuenienter doctrinæ hodiernæ, quæ statuit Papam supra Concilium. Patrum iudicia de eo quod Petrus pro Apostolis omnibus loquatur. Non posse dici Concilium, in quo solus Petrus sancit Canonem fidei.* Κρύψις *Baroniana & artificium in dissimulanda conclusione doctrinæ quam proponit. Legitimi Concilij notæ aliquot. Maximus Abbas.*

IBIDEM.

VEniamus nunc ad res gestas huius Concilij : Baronius enim duo illius decreta commemorat: prius fidei canonem continet, inquit ille, cuius decreti auctor Petrus, approbator Christus : posterius ad πολιτείαν Ecclesiæ ac regimen pertinet ; atque huius saltem Baronius auctorem facit Christum. Quid cæteri Apostoli? quæ illorum partes in hoc Concilio? nullę prorsus : nam in narratione Baroniana, reliquorum Apostolorum, vt olim Megarensium, οὐδεὶς λόγος. Hæc quidem portentosa doctrina est, & prorsus noua : cuius auctor Baronius quare Nouator dici non queat, caussam equidem nullam video. Hic vero suspicionem meam dissimulare non possum, neque debeo. Existimo enim Baronium certo consilio, atque arte magna, colloquio ab Euangelistis narrato formā & nomen Concilij attribuisse : vt sub hoc exemplo, propter Christi præsentiam omnium longe efficacissimo, lectoribus incautis & ad scopum illius non attendentibus, persuaderet, supra Concilia esse Papam : quod est hodie doctrinæ Hildebrandinæ caput vnum inter præcipua. Sciant vero horum Annalium lectores, Baronij hanc esse artem qua passim vtitur, atque id summa dexteritate facit, vt rebus quas narrat, formam ac faciem induat proposito suo conducibilem. Hoc cum alibi locis innumeris est obseruare, vt palàm faciemus, si Deus voluerit, tum etiam hic insigniter. Sermonem enim Domini cum suis discipulis, & ἔργον διδασκαλίας, vt toties diximus, Concilium appellans; narrationem suam ita concinnat, vt ex ea facile sit colligere, Papam esse supra Concilium. Rem enim gestam sic narrat, vt quasi diuisum imperium cum Christo Petrus haberet, omnia ipse vnus agat, omnem auctoritatem Petrus vnus obtineat; denique Petrus vnus sit τὰ πάντα ; cęteri Apostoli κωφὰ dumtaxat sint πρόσωπα. Percurramus leui pede eius verba. *Petrus*, ait, *primus omnium, licet non ætate, vt sæpius diximus, sed dignitate, talem fert sententiam.* Petrum inter discipulos primum locum tenuisse, non inuiti concedimus : fuit enim ordo inter illos, vt supra dicebamus, XIII. 5. non autem confusio & ἀταξία : at caput tum fuisse Apostolorum,

 quod

quod sæpe dicit Baronius, aut quomodo hic loquitur, dignitate præstitisse, falsum esse ibi probauimus: omnes enim Apostolos condiscipulatus æquabat. Petro autem nihil dum eximij honoris Christus contulerat. Quin ipse Baronius paullo post fatetur, num. 23. Petrum caput Ecclesiæ nondum fuisse constitutum. quæ igitur tum fuit illius prærogatiua dignitatis? propter ætatem fuisse prælatum cæteris negat Baronius, affirmat Hieronymus: & videtur sensisse cum Hieronymo Dionysius, qui in libro De diuinis nominibus, capite tertio, vocat Petrum τὴν κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν θεολόγων ἀκρότητα: *verticem Theologorum supremum & vetustissimum.* quare enim *vetustissimum*, nisi quia erat omnium natu maximus? quam fuisse multorum sententiam antea probauimus: ac propterea primum respondisse. Nos id in medio relinquimus. At quod pro toto Apostolorum choro Petrus loquitur, in eo specimen nullum dignitatis præcellentis agnoscimus; sed vel ordinem inter pares, vel zeli vehementiam in Petro, vt superius ostendimus. Si erramus, cum B. Ambrosio erramus, qui affirmat, Petrum cùm respondit pro omnibus, primatum egisse, *confessionis vtiq; non honoris.* locum Ambrosij paullo post inter alia Patrum testimonia expendemus: cum B. Chrysostomo erramus: cuius verba subijciam in hunc Matthæi locum, ex homilia LV. Τί οὖν τὸ στόμα τῶν Ἀποστόλων ὁ Πέτρος; ὁ πανταχοῦ θερμός, ὁ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων κορυφαῖος, πάντων ἐρωτηθέντων, αὐτὸς ἀποκρίνεται· καὶ ὅτε μὲν τὴν τοῦ δήμου γνώμην ἠρώτα, πάντες εἶπον τὸ ἐρωτηθέν· ὅτε δὲ τὴν αὐτῶν, Πέτρος προπηδᾷ καὶ προλαμβάνει. *Quid Petrus os illud Apostolorum? Is vt calidus vbiq; chori Apostolorum coryphæus, quum omnes fuissent interrogati, solus respondet: & tunc quidem, cum de opinione populi Christus interrogabat, omnes dixerunt quod fuerant interrogati: sed cum de propria ipsorum opinione, Petrus prosilit* (anteuertit alios) *& sermonem occupat.* hæc Chrysostomus: qui Petrum coryphæum appellans chori Apostolici, ad ordinem respicit, qui fuit inter illos: cum ipsum vocat, *vbiq; calidum*, zeli vehementiam facit caussam, cur Petrus sæpe os Apostolorum fuerit; de quo ante dictum: quo etiam pertinent verba, προπηδᾷ *saltu anteuertit* & προλαμβάνει, *sermonem occupat.* Nullam hic habes dignitatis præcellentiam: quare Theophylactus mentẽ Chrysostomi duobus verbis expressit, πάλιν ὁ Πέτρος ὡς θερμὸς προπηδᾷ. sed de hoc Chrys. loco mox plura. Augustinus vero sic sermone XIII. de verbis Domini: *Vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis.* in ea homilia primatus Petri meminit Augustinus: sed cum interpretatione duobus locis, *in ordine Apostolorum primus.* quam sententiam pluribus persequitur B. Cyrillus in Iohannẽ. eum omnino vide, libro IV. cap. XXVIII. Addit Baronius: *Petrus talem fert sententiam, vt caussam*

ipse

ipſe definiat, & quid omnibus ſentiendum eſſet, erudiat, atque decernat, ac fidei canonem perpetuo permanſurum conſtituat. Subit mirari quod genus iſtud ſit Concilij: in quo interrogat Chriſtus ſententiam, Petrus ſolus conſtituit, Petrus ſolus CANONEM FIDEI condit. Non poſſumus legitimo vlli Concilio iſtud comparare: nam legitimi Concilij pręcipua & οὐσιώδης nota eſt, vt ſinguli conſeſſorum libere quid ſentiant, exponant, & vt de communi omnium ſententia decernatur ac fiat canon. Hic nihil ſimile; vnus Chriſtus interrogat; in quo nullum ſpecimen dignitatis: vnus Petrus Canonem fidei conſtituit: qui eſt in Eccleſia ſupremus apex dignitatis, vni Chriſto proprius. de reliquis Apoſtolis ſubiungit auctor: *vt nihil ferme iam eſſet opus conſulere cæteros tunc Apoſtolos, ac rogare quænam eſſent de ea re ſententiæ ac opiniones.* de ipſo autem Domino hæc: *Idcirco etiam ſatis fuit Chriſto Petrum fuiſſe locutum, ac quid de fide ſentiendum eſſet, clauum fixiſſe.* Ex his colliget facile attentus Lector, quò pertineat, nouum, inauditum & τερατῶδες figmentum de Concilio inter Chriſtum & diſcipulos habito. Nam ſi in eo Concilio, quod præſente ipſo Domino fuit celebratum, ſolus Petrus articulos fidei condit, Chriſto dumtaxat laudante, cæteris vero Apoſtolis omnibus muſſantibus, vt ſi eſſent numerus tantum: quis dubitabit hodie, cum abeſt Chriſtus ſaltem corpore, Petri ſucceſſorem Papam, omnia poſſe, & quidem ſolum, *vt nihil ferme iam opus ſit cæteris Epiſcopis*, quemadmodum loquitur Baronius de Apoſtolis? Res ipſa loquitur, ſequi hoc neceſſario è narratione iſta. Quod concluſionem hanc ipſis verbis non ponit auctor, magnæ id eſt artis: imò, caput hoc eſt artis Baronianæ. Nimirum hæc eſt illa κρύψις συμπεράσματος, concluſionis occultatio, cuius vim & efficaciam ad fallendum docet Ariſtoteles in octauo Topicorum. vbi obſeruat philoſophus, ſolere ſubtiles diſputatores & Sophiſtas, κρυπτικῶς πυνθάνεσθαι: quod in diuerſiſſimo ſcribendi genere ſtrenue imitatur Baronius, multa κρυπτικῶς ἱστορεῖν, vt antè expoſuimus. Obſeruent igitur candidi & prudentes Lectores, quanta dexteritate dogma nouum, quod Papa ſit ſupra Concilium, clam & tacite inſinuetur, quod Tomo ſexto palàm aſſeritur. Porrò ex ijs quæ dicit Baronius de typo Concilij in ea hiſtoria exhibito, quam ipſe ex animi ſui ſententia concinnauit; clare intelligitur, cuiuſmodi Concilium ipſi fuerit probatum, & quale hodie, in tanta eius remedij neceſſitate, ſperari queat ab illis qui rerum ſummæ Romæ præſunt: nempe eiuſmodi, in quo vnius dumtaxat voluntatis Papæ ratio habeatur, neque vllius præterea rei cuiuſquam. Quod ſi legitimi Concilij ea lex & norma eſt, vt inſinuat Baronius: quare in capite XV. Actorum non reperitur ſeruata? quare primis aut medijs Eccleſię

temporibus,

temporibus, pijs Patribus hoc arcanum fuit incognitum? quare è tot meliorum seculorum Concilijs nullum repertum est, quod hanc recti normam agnosceret? quare adhuc circa principium octaui seculi, Maximus Abbas legitimi Concilij notam statuit, vt literis fuerit conuocatum, de communi Patriarcharum consensu scriptis? Locus est in extrema disputatione cum Pyrrho, quam Tomo octauo descripsit Baronius. Θαυμάζειν ἐπέστη μοι, ait Maximus, πῶς σύνοδον ἀποκαλεῖς τὴν μὴ κατὰ νόμους καὶ κανόνας συνοδικοὺς ἢ θεσμοὺς γενομένην ἐκκλησιαστικούς· οὔτε γὰρ ἡ ἐπιστολὴ ἐγκύκλιος κατὰ συναίνεσιν τῶν Πατριαρχῶν γέγονεν. Negat habendam pro Synodo, in cuius indictione & celebratione leges synodales non fuerint seruatæ: earum autem legum Ecclesiasticarum, quæ ad Concilia pertinent primam, ponit hanc; vt de communi sententia omnium Patriarcharum indicatur Synodus: deinde alias legitimi Concilij conditiones plures recenset: in quibus ius eximium Romano Pontifici tribuitur nullum supra alios Patriarchas. Idem Maximus in alia disputatione cum Theodosio Cęsareę in Bithynia Episcopo, notá legitimæ Synodi hanc facit: *Illas*, ait, *nouit probas & sanctas Synodos pius Ecclesiæ canon, quas rectitudo dogmatum probauit.* Hodie dicat aliquis idem Romæ, & virum putabo. Et tamen hic est Maximus, qui aduersus Patriarchas Constantinopolitanos male de fide sentientes stetit firmus ad martyrium vsque, Romanis Papis bene sentientibus semper coniunctus, pietate & sanctimonia inter paucos vir insignis. Sed hæc isto loco satis.

XI. *Ad caput tertium* ἐπιστάσεως *Baronianæ: An Petrus sit constitutus summus Sacerdos, & Caput visibile Ecclesiæ. Baronius id probat ratione humana & exemplis. Docetur de rebus fidei disputandum esse è verbo Dei, non rationibus humanis. Scriptura principium omnium disputationum Theologicarum. Impia vox differentium extra Scripturas. Respondetur ad rationem Baronij, de præstantia monarchiæ. Ostenditur non sequi quod ille colligit. Formæ ex omnibus mixtæ laus. Veteris Ecclesiæ regimen formam* πολιτείας *retulisse ex omnibus mixtam. Caput vnum* CHRISTVS: *Episcopi instar Optimatum. ijdem dicti etiam* monarchæ. *Populi partes in ordinationibus. Synodorum auctoritas. Ordo inter Episcopos. Episcopis magnarum vrbium honos tributus: Romano præcipue. Dominatio olim ignota postea succreuit, infandorum caussa malorum. Respondetur ad exempla Baronij. Probatur male afferri exemplum Pontificis Max. apud Iudæos, ob varias caussas. item Romani & Atheniensis. Alia nonnulla.*

ANNI

ANNI XXXIII. Num. XVIII.

SEquitur decretum alterum huius ψευδωνύμου Concilij: quo Dominus noster, si Baronio credimus, Petrum constituit Sacerdotem summum, caput visibile Ecclesiæ, fundamentum & absolutum Monarcham. Atque id ita fieri debuisse, priusquam ad verba Christi accedat, duobus argumentis probat: quorum prius est ab vtili; posterius ab exemplo. Vtilitas vnius visibilis capitis illa commemoratur, quod eo pacto controuersiæ, quas necesse est in Ecclesia oriri, facile tolluntur, dubia soluuntur, Ecclesiæ vnitas atque integritas melius seruatur. Exempla in medium afferuntur tria; veteris populi Iudaici, Reip. Romanæ, & Atheniensis. Hæc conditor Annalium; cui breuiter responsurus, illud prius dicam. Si constaret liquidò eam fuisse diuinæ Sapientiæ voluntatem, vt militans in terris Ecclesia regio ac monarchico imperio sub vno visibili Capite regeretur; non hęc solum duo argumenta potuisse adferri; sed alia quàm plurima, ad laudandum istud Dei consilium; quod sapientissimum esse, Ecclesiæ vtilissimum, atque vno verbo cæteris eiusdem ordinationibus simillimum, nemo pius esset dubitaturus. Nunc quum fuisse eam Dei voluntatem, neque ex oraculis Scripturarum certò queat probari; neque ex primorum seculorum Patribus; quod paullo post luce meridiana efficietur clarius; frustrà esse Baronium, atque adeo præpostere agere, cùm priusquam Dei voluntatem è sacra pagina demonstrarit, argumenta affert, ex humana ratione deprompta; vt euincat, debuisse Christum ita facere, & quò esset ipsius Ecclesiæ consultum, Monarchiam absolutam, qualis hodie defenditur, oportuisse in terris instituere. Prius probet Baronius, ita Deum voluisse, atque eius formę regimen præcepisse: & protinus fideles omnes concedent, sapienter voluisse, sapienter fecisse, atque omnino sic fieri debuisse. Nam istæ quidem ex humana sapientia depromptæ ratiunculæ, vim magnam apud exercitatos in diuinis oraculis viros non sunt habituræ. Præclare & vere B. Hilarius libro sexto De Trinitate; *Hoc*, ait, *stultitiæ humanæ error inuexit, dum quod sapiunt ex se potius, quàm Deo sapiunt.* Quare operam ludunt Monarchiæ istius patroni, cùm multas & subtiles è penetralibus Philosophiæ rationes congerunt, quò vnius in Ecclesia monarchicum imperium defendant. *Pluralitas principiorum*, inquit Barlaam Episcopus Hieracensis, in epistola ad Gręcos de primatu Ecclesiæ Romanæ, *& carentia principij, initia sunt inordinationis: ex hac autem oritur solutio. Solutio verò est Dei alienum.* acutè. quis negat? Sed nos huic Barlaamo alium Barlaamum monachum opponimus, qui in breui

breui tractatiuncula De Papæ principatu, statim initio prudentissime monet, omnes huiusmodi disputationes ad principia reuocandas esse, de quibus inter contendentium partem vtramq; conueniat: quod ille dicit, ἀνάγαγεῖν ἐπὶ τὰς κοινῇ ὁμολογηθείσας ἀρχάς. Porrò principia statuit idem sapienter & pie, Scripturas. E Scripturis igitur, non ex proprio sensu probanda est ista Monarchia. Nam in diuinis consilijs cæcutit humana ratio. Quid magis absurdum humana ratione rem æstimantibus, quàm vt filius Dei mortem subeat, & quidem mortem Crucis? Itaque Petrus abominatur eius rei mentionem, & humana vsus sapientia Christo dat consilium, vt ab eiusmodi consilio abhorreat. Quod Petro tunc à Domino dictum est, id ipsum sibi dictum putent, quicunque οὐ φρονοῦσι τὰ τοῦ Θεοῦ ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων, hoc est, qui ad iudicandum de consilijs diuinis, non Scripturas, sed humanam consulunt sapientiam. Monarchici verò disputatores, vbi semel ingenio habenas laxarunt, vt sine Dei verbo velint sapere, quò, bone Deus, progressi sunt? Exemplo sit auctor Glossarum in Extrauag. Vnam sanctam, qui Rom. Pontifici verba Christi de se accommodans, Matth. XXVIII. 18. *Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terra*, in hanc blasphemiæ plenam & plus quam Satanicam vocem erupit: *Non videretur*, ait, *Dominus discretus fuisse, vt cum reuerentia eius loquar, nisi vnicum post se talem vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset.* En abominandæ impietatis abyssum, in quam necesse est eos incidere, qui de rebus diuinis ex alijs principijs quàm Verbo Dei audent disserere. *Euanuerunt* nimirum *in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Iam superioribus Baronij argumentis breuiter respondeamus. Primum erat, de vtilitate vnius in terris capitis visibilis, & monarchici, ad conseruationem Ecclesiæ. Equidem non nescio dominationem vnius & regimen monarchicum, potiorum philosophorum consensu, quibuscum & nos sentimus, ceteris omnibus formis πολιτειῶν præstare: sed illud addo; à rebus terrenis ad res Ecclesiæ persæpe duci argumentum non posse: cœlestis enim res est Ecclesia ac prorsus diuina, cuius tuitio & διεστὼ non ab humanis pendet consilijs, verùm ab vnius Dei voluntate. Igitur an expediat in Ecclesia, quæ summum Monarcham agnoscit Christum, Deum & hominem, cui ipsa arctissime coniungitur, vt capiti corpus, sponsa sponso; alium esse terrenum Monarcham, qui regio imperio illam regat, & dicat, *Sic volo, sic iubeo, mea pro ratione volantas*, vt hodie docemur; Dei esse vnius statuere, non autem cuiusquam mortalium. Ecclesia, Dei viuentis domus est; populus illius περιούσιος: quis igitur tantum sibi tribuat, vt ordinare domum Dei ex animi libidine audeat?

Quis

Quis ſanus non potius credat ; ſi vnius capitis viſibilis & Monarchæ dominatio ad ſalutem Eccleſiæ neceſſaria eſt : repertum iri ſine dubio illius inſtitutionē, claris & perſpicuis verbis expreſſam in Teſtamento Patris noſtri Ieſu Chriſti, qui Eccleſiam tantopere dilexit, vt propter illam ſeſe exinaniuerit, & quò illi ſalutem pareret, mortem ſubierit, & quidem mortem Crucis ? Quis etiam dubitet, repertum iri eius inſtituti atque præcepti perpetuam in Eccleſia praxin ; atque eam tum maxime illuſtrem , cùm maxime florebat doctrinæ Chriſti puritas atque integritas ? Quare in Verbo Dei & praxi primitiuæ Eccleſiæ quæſtionis huius deciſio eſt omnino quærenda : & eo ſtandum,quod ibi fuerit inuentum. Alioquin rationibus humanis ſi agitur , nihil agitur. Nam etſi fatemur regimen monarchicum eſſe optimum atque excellentiſſimum : non tamen concedimus,ad conſeruationem alicuius ſtatus illud eſſe ſimpliciter neceſſarium. Sunt enim & aliæ publicæ adminiſtrationis formæ , quas qui prudenter vſurpant , regiam nihil deſiderant. Itaque olim in populo Iudaico non vnius dominatio, ſed plurium optimorum quam Ariſtocratiam vocant,à Deo fuit inſtituta. Et Ioſephus ſcriptor grauiſſimus,libro quarto, cap. VIII. Moſem inducit Iudæis ſuis ita præcipientem : Ἀριστοκρατία μὲν οὖν κράτιστον, καὶ ὁ καὶ αὐτὴν βίος· καὶ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας· ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε· τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, καὶ αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες· ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Optimum eſt optimatum regimen, & in eius formæ Republica optime viuitur. Neque vos aliam vnquam Reip. formam deſideraueritis: ſed in hac ſemper acquieſcitote ; Leges pro dominis habentes, & ex illarum præſcripto omnia adminiſtrantes. Sufficit enim vobis quod Ducem,* ſiue *Principem habeatis* DEVM. Quis autem ignorat multos & olim fuiſſe populos, & nunc eſſe , qui in forma democratica aut ariſtocratica acquieſcant ? & tamen conſeruantur earum dominationes, vigent,florent,durant. Non igitur recte colligunt, qui ſic argumentantur : vnius in terris dominatio ad conſeruationem Eccleſiæ futura erat accommodatiſſima : ergo illam Chriſtus inſtituit. Tam facile enim eſt Chriſto conſeruare Eccleſiam ſuam in ſtatu ariſtocratico, aut quouis alio, quàm monarchico. Accedit huc, quod plurimi è veteribus ſapientibus , viri longe prudentiſſimi , pronuntiarunt ; illam adminiſtrationem publicæ rei eſſe omnium optimam, quæ ſit ex omnibus formis temperata : qualis erat Spartana, omnibus decantata. Romana etiam vetus ; cuius mixturam explicat accurate & prædicat magnifice Polybius libro ſexto. Atque hanc formam è pluribus mixtam , in primitiua Eccleſia poſſe obſeruari , nemo antiquitatis Eccleſiaſticæ peritus negauerit. Vnus Rex,vnus Monarcha, VNVM SOLVM CAPVT, ait Gregorius Ma-

gnus, epiſtola XXXVI. libri quarti, ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλή, inquit Baſilius in Aſceticis, p. 390. vel ſi quis alius auctor eius libri, *vnicum, & ſolum caput Eccleſiæ* agnoſcebatur, Dominus noſter, IESVS CHRISTVS. Epiſcopi in ſingulis Eccleſijs conſtituti, cum ſuis presbyterijs, & propriam ſibi quiſque peculiari cura, & vniuerſam omnes in commune curantes, admirabilis cuiuſdam Ariſtocratiæ ſpeciem referebant. Nam ſingulos Epiſcopos cum ſuis cleris Eccleſias quibus erant præpoſiti, in ſolidum curaſſe, neque vllum aliud ſupra ſe in terris caput agnouiſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, vel ex vnius B. Cypriani teſtimonio, vt alia nunc taceam. Hinc adeo eſt, quod Epiſcopi aliquando reperiuntur *Monarchæ* appellati, vt ante multos annos memini notare cum alibi, tum in vita Vdalrici Auguſtæ Vindelicorum edita; qui liber mihi nunc ad manum non eſt: & *monarchiam* etiam legas pro Epiſcopatu poſitam. Hilarus Papa Rom. ad Leontium Epiſcopum. *Dilectiſſimo fratri Leontio Hilarus. Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem eſſe, vt quæq; iniqua, & contra Patrum noſtrorum ſtatuta, in prouincia quæ ad monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe, aut non vis aut non potes, etiam nec nos ſilentij tui taciturnitate permittas corrigere.* Erant & populo ſuæ partes, ſub cuius aſſiſtentis conſcientia, vt loquitur B. Cyprianus, ordinationes fiebant: in quo ſpecimen aliquod fuit democraticæ πολιτείας. Porrò inter Epiſcopos primis illis & beatis temporibus, ordinem fuiſſe, cum ſcripta illorum ſeculorum legimus, facile animaduertimus; dominationem fuiſſe, aut regium vnius imperium in omnes, nuſquam deprehendimus. Et omnino nullum fuiſſe certum eſt, ætate ſanctiſſimi Martyris, Cypriani: qui in epiſtolis ad Romanos Papas (fratres ipſe appellat ſemper) Cornelium & Stephanum, toties illam inculcat ſententiam; *habere in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum vnumquemq; præpoſitum, ſiue Epiſcopum,* RATIONEM ACTVS SVI DOMINO REDDITVRVM: & ſimilia his multa in eius diuini viri monumentis. Quinetiam adminiſtratio Eccleſiarum, temporibus illis vſurpata, hoc ipſum euincit planiſſime. Nam illa propter quæ Caput viſibile & monarchicum neceſſarium eſſe Baronius & cæteri partium illarum hodie contendunt; per Epiſcopos omnia adminiſtrabantur, vel ſingulos cum ſuis presbyterijs, ſi leuius eſſet negotium; vel plures in Synodis congregatos, ſi res exigeret. Synodi dubia ſoluebant; Synodi controuerſias componebant; Synodi obſtinatos hæreticos vel ſchiſmaticos damnabant, & ex Eccleſia eijciebant: denique, licet primis illis temporibus caput viſibile & monarchicum nullum eſſet; nihil tamen ad Eccleſiæ regimen, conſeruationem & εὐεστὼ deſiderari potuit, quod non abunde ſuppeteret.

suppeteret. Loco dominationis erant sancta charitas, & inter Episcopos eiusmodi ordo, vt qui plurimum possent publicum bonum procurare, illi censerentur primi, & honoris quædam prærogatiua illis æquo animo à cæteris concederetur. Est autem ita natura comparatum, vt illi plurimum prodesse possint, qui ciuitates maximas & potentissimas inhabitant. Quod in Episcopis vel maxime vsu venire, quum & ratio & experientia omnium seculorum arguat; iure merito illis temporibus Episcopo Romæ, ciuitatis dominatricis & B. Petri successori, cæteri omnes primas sine inuidia concesserunt: ita tamen, vt fratrem agnoscerent, fratrem vocarent, non dominum, non Monarcham, non Vice-deum, non Omnipotentiæ Pontificiæ vindicem, vt hodie à suis parasitis vocatur. Hæc noua iura, ita erant primitiuæ Ecclesiæ incognita, vt ne appellationum quidem illarum vmbra, vel aliquod leuissimum vestigium in tota vetustate plurimarum ætatum possit deprehendi. Quæ postea mutationes acciderint in regimine Ecclesiæ, cupiditas dominandi quando primum grassari ceperit, noui tituli, noua iura quando primum sint excogitata, quibus artibus, per quos gradus, quibus quantisque motibus, bellis, sceleribus, parricidijs ad hoc fastigium humanę potentię Papa Ro. fuerit euectus; nemo qui proximorum seculorum historias legit, potest ignorare, nisi fungus est, aut iudicio diuino excæcatus. An autem Ecclesię Dei melius fuerit prospectum, postquam versa est prior charitas & legitimus ordo inter Episcopos, hinc in dominationem, inde in necessitatem parendi vni δεσπότῃ & Monarchæ, virorum eruditorum & vere piorum facio iudicium. Frustra igitur Baronius vtilitatem nobis prædicat vnius capitis visibilis, regio more imperantis; quum certissime compertum sit, primitiuam Ecclesiam nullum eiusmodi Monarcham agnouisse: & postquam longa dies illud caput monarchicum, ceu nouum τέρας, in lucem produxit; adeo nihil ex eo boni accessisse Ecclesiæ, vt contra, ex illo tempore omnia in deterius sint versa; succedentibus in locum prioris concordiæ, charitatis, εὐταξίας, & mutuæ reuerentiæ, tota passim Europa odijs, tumultibus, bellis, cædibus, parricidijs Regum & Principum, populorum vastationibus, & vix prius auditis lanienarum exemplis. Taceo de rapinis omnium totius Europæ regnorum, ad ditandum vnam vrbem; quarum exempla horrenda, vt alibi vere dicebamus, Matthæus Paris monachus, & alij historiæ Anglicæ scriptores luculenti & fide dignissimi, infinita suggerunt. Hæc quum sine extrema impudentia, aut pudenda historiarum ignoratione, nequeant negari; reuocentur prius res Romanæ ad antiquum modum oportet, quàm Baronio fides habeatur, vtilitatem sui Capitis visibilis, quale cer-

nitur hodie, prædicanti. Exempla quæ afferuntur, & prætermitti à Baronio, & negligi à me sine fraude poterant. Pietatis enim Christianæ non est, vitam vel priuatim vel publice instituere ad populorum aliorum exempla: verùm ex Lege Dei & Christi atque Apostolorum eius, quà documentis, quà exemplis. Pessimè verò caussæ suæ Baronius consuluit, cùm eiusmodi exempla in medium protulit, quæ hodiernam doctrinam de capite monarchico funditus euertant. Nam si ad exemplum Ecclesiæ Iudaicæ, Pontifex Maximus Ecclesiæ etiam Christianæ fuit necessarius; proferatur eius institutio è libris Noui Testamenti, claris verbis declarata, quemadmodum è Lege Mosaica proferri potest Pontificis Iudaici expressissima institutio. Episcopi, presbyteri, diaconi, apertis Scripturarum testimonijs sunt fundati: vbi habetur præceptum de Pontifice Maximo, & monarchico? vbi aliquà Sedis Romanæ mentio? Adde quod summus Sacerdos Iudaicus, typus fuit Christi, veri & ἀρχιερέως & ἱερέως, ac salutaris illius victimæ, cuius vmbram olim Iudæi, nos hodie tenemus veritatem. Vbi res venit, typi cessant; quis dubitat? Cessauit igitur profectò typus ille vnus Messiæ, & successerunt in eius locum XII. Apostoli: quorum hodie vicarij sunt, etsi non pari potestate cum Apostolis, omnes Episcopi, vt è B. Cypriano antea dicebamus. Postremò quum illis temporibus intra vnius populi fines, sane angustos, Ecclesia contineretur; viderint acuti homines cuiusmodi sit illa argumentatio; quia in Ecclesia vnius populi fuit aliquis Pontifex Maximus; ergo etiã in Ecclesia esse debet, per vniuersum mundum, quàm late Orbis patet, sparsa & fusa. Verùm esto: sit in toto mundo vnus Pontifex Maximus, quia fuit olim in populo vno: at sub veteris nominis obtentu, noua, inaudita, horribilia iura inuadi, Orbis terrarum dominationem rapi friuolis distinctiunculis velatam, in spiritualibus directe, in temporalibus indirecte, Omnipotentiam Pontificiam iactari; cædes Regum & Principum, quos pauci hęretici hęreticos pronuntiarint, vel nescio quo prætextu morti addixerint, (vt duos Henricos Galliæ Reges nuper,) doceri, iuberi, patrari, laudari, quis ferat? aut quod simile ius Lex Dei Iudaico Pontifici olim tribuit? Si igitur populi illius exemplo tueri se volunt Papę, Regibus parento extra muneris sui functionem, vtique in temporalibus; rerum ac personarum sacrarum curatione contenti sunto. Nam hæc fuerunt olim apud Hebræos Regum & Pontificum iura. Hoc vel illa Iudaici iuris regula ostendit, quam antè proferebamus, in disputatione de Anna Pontifice. Sed sunt & alia eius rei argumenta in Thalmudicis Digestis, & apud Maimonidam, cæterosque Rabbinos tam multa, vt id velle negare, extremæ sit impudentiæ. Vel lege ha-

Iacoth de Regibus & bellis eorum in libro Schophetim, apud Mosem Ægyptium. Et in Masseceth הוריות tractatu Thalmudico, capite tertio, pag. 13. demonstratur, Regem esse קודם לכהן גדול *superiorem Summo Pontifici* è tertio Regum I. 33. vbi Dauid Rex vocat se dominum Sadok Pontificis. Quin ille ipse Iosephi locus, quem affert Baronius, si recte intelligatur, conclusionem illius euertit. Non enim tribuit ille Pontifici vllam Hildebrandinæ similem Monarchiam, nullam Pontificiam Omnipotentiam: sed tantum, τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν, *vt inter reliquos Sacerdotes locum primum obtineat.* Quod autem ait Iosephus, præcipua quæque publicorum negotiorum à Sacerdotibus fuisse administrata; verum est de consessu vnius & Septuaginta virorum, id est Synedrio: quod è Leuitis & Sacerdotibus magna ex parte, non exclusis tamen reliquis Israelitis, vt antè dicebamus, componebatur. Sed Synedrij caput non fuit Pontifex, vt iam probauimus; verùm is qui dicebatur Nasi: Pontifex autem cum Synedrio intererat, infra Nasi censebatur; vterque verò infra Regem. De Pontificibus Romanorum & Atheniensium, idem responsum esto. Nam ne isti quidem, quod peritis rerum antiquarum est compertissimum, vllum monarchicum imperium in spiritualibus & temporalibus sibi vindicarunt. Solas curabant res & personas sacras: negotia Reip. non attingebant, nisi quatenus religionis caussa postulabat. Magistratibus penes quos imperium erat, obtemperabant, & eorum iussa capessebant: neque amplificandæ suæ potentiæ gratiâ turbas, seditiones, aut bella leguntur vnquam excitasse. Quid multa? nullus inter illos extitit Hildebrandus, nullus Bonifacius octauus, nullus Alexander sextus. Quorsum igitur hodie ista exempla vetustatis ad stabilienda iura θεῖς καὶ πατρίων nata? Aut quis tam hebes quin intelligat, à singularum ciuitatum Pontificibus, ridiculo errore argumenta duci ad Pontificem vniuersi mundi? Velim verò mihi dicant isti disputatores solertes, an Rex sacrorum apud Athenienses, aut Pontifex Maximus apud Romanos, ad populos suis Rebuspub. subiectos suam iurisdictionem, aut aliquam dominationis vmbram, porrigerent. Verùm de potestate Sacerdotum apud gentes, plura, si Deus voluerit, dicentur ad annum LVII. Obiter leuiora quædam hic adnotare non pigebit. In psephismate Atheniensium, cuius meminit Baronius, legitur apud Iosephum, ἐπ' Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος; pro quo est in Annalibus ex fide aliena, *sub principe Agathocle.* Aliter locutus esset, credo, Baronius, si obseruasset, quod nemo eruditorum ignorat, M. Tullium, Senecam, & Plinium, aut Græcam vocem Latinam solitos facere, aut *Prætorem* appellare, vel *magistratum*, illum Atheniensium Archonta, qui anno dabat nomen.

nomen. nemo certe Latinitatis veteris obseruans temere Principem dixerit: qua de voce mox dicentur plura. Iam cùm à thesi ad hypothesin transit auctor, & sic ait: *Quod diuino & humano iure ita semper factum reperiretur*, (nempe, vt apud plerasq; gentium esset vnus summus Sacerdos;) *Christum suorum Apostolorum Principem constituisse Petrum*: si recte capio Baronij argumentationem, etiam ad exempla Romanorum & Atheniensium respectum habuit Dominus, cùm Ecclesiæ suæ regimen ordinabat. Fortasse non erat ea mens Baronij: nemo tamen illa verba expendet, *quod ita semper factum reperiretur*, quin huius suspicionis illi veniat in mentem. Equidem scio Iesum Christum, pro illa sua infinita erga humanum genus indulgentia, in dictis factisque suis, naturæ hominum sese non raro accommodasse. Verum egisse illum rem tantam, humana exempla respicientem, salua pietate dici posse non existimo. Est enim Filij Dei maiestate indignum, vt dicatur consilij tanti caussas extra se quæsiuisse, & more ἀνθρώπων μερόπων deliberans, ratiunculis eiusmodi fuisse motus, quales paullo antè dicebamus. Sapientia Dei æterna est: consilia ab æterno fundata: rationes consiliorum humanæ menti incomprehensibiles. Quicquid igitur est, vel honoris, vel χαρισμάτων quod in Petrum cæterosue Apostolos est collatum; ante mundi fundamenta, non trabali lege, sed diuinæ prouidentiæ inuiolabili decreto fixum erat. Sed hęc, vt dixi, obiter.

XII. *Ad quartum caput* ἐπιστάσεως *Baronianæ. Sententia Baronij, Petrum esse constitutum petram & Monarcham in Ecclesia. Proponitur Matthæi pericopa expendenda. Summa & partes colloquij Christi cum discipulis suis. Consilia Dei non semel & simul electis patefacta. Caussæ non temere quærendæ eorum quæ fiunt impulsu Spiritus Sancti. Cur vnus respondet pro omnibus Apostolis? rationes duæ. Tostati laus. Cur Petrus sit ille vnus qui loquitur? I. ratio; solus Petrus id mysterium norat. ea confutatur. Articuli vis in* ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *II. præcellens virtus Petri. III. quod esset os Apostolorum: itaque eius vox est vox omnium Apostolorum. IV. Petri feruor. V. Quod esset coryphæus Apostolorum. Id esse argumentum præcellentis honoris, at non dominationis. Apostolorum chorus.* κορυφαῖος & κορυφαιότατος, *quis proprie, item metaphorice. Decemviri Rom.* ἔξαρχος. ἐξάρχειν μολπῆς. συνεχεῖν. *Petrus* ἔξαρχος *Apostolorum, item* ἀρχηγός. *cur & quæ eius partes. Admonitio de voce* Princeps *apud interpretes Græcorum Patrum. Ruffini locus animaduersus, & Christophorsoni. In Apostolorum pari potestate fuisse præcipuum honorem Petro delatum. Paritas ministrorum inaudita veteribus. Differentia inter honorem & dominationem.*

dominationem. Regnum Petri apud Ambrosium. & παῤῥησία Petri apud Chrysostomum : vel potius ἀγάπη. Soluitur obiectio; Petrum post Assumptionem Domini cepisse vti auctoritate. docetur auctoritatem illam nihil minus fuisse quàm monarchiam. Petri peculiaris προστασία in iaciendis Ecclesiæ fundamentis. sed in qua nihil fecit αὐθεντικῶς aut quasi habens potestatem aliquam in collegas. Soluitur obiectio è Chrys. αὐθεντεῖν τοῦ πράγματος dictum de Petro, at non αὐθεντεῖν τῶν Ἀποστόλων. Ambiguitas in voce Princeps : Princeps Sacerdotum, *titulus damnatus in Concil. Carth.* Princeps *ea notione qua dominationem significat, neque de Petro neq. de Papa legitur apud Patres.* Monarcha & Monarchia *voces in veteri Ecclesia inauditæ. Noua vocabula reijcienda ex vsu Eccl. nisi fuerint legitimo Conc. firmatæ.* ἀγέννητος *de Patre. Petrum pro Apostolis omnibus locutum esse. Diluuntur obiectiones aduersus eam sententiam. Petrum in hoc colloquio discipulum egisse, non Principem qui articulos de fide conderet, vt vult Bar. Cur Petrus post confessionem non laudatur, sed beatus prædicatur.* παῤῥησία *apud Chrys. non est* meritum. ἀπαῤῥησίαστος. *deuotio Petri. præmium confessionis.* Bar-Iona *cur additum.* caro & sanguis. *Petro facta promissio ad omnes Apost. pertinuit. Literalis expositio horum verborum ,* Tu es Petrus , & super hanc petram æd. *Arabs interpres* ῥωμαΐζει. *Græci textus Matthæi auctoritas pessimo exemplo spreta nonnullis. Hebraicus textus hæreticorum.* petra *soliditatem denotat, non dominationem. Alia multa.*

VEniamus iam ad τὸ συνέχον, & ipsum huius controuersiæ cardinem. Probat deinceps Baronius , Petrum in hoc sic falso dicto Concilio, à Domino nostro constitutum esse Ecclesiæ suæ petram, fundamentum, Principem & Monarcham. Hoc elicit ille è verbis Domini, Matthæi XVI. Nam dicit ibi Filius Dei se ædificaturum Ecclesiam suam super Petram, hoc est, Petrum, ait Baronius : & daturum se eidem Petro claues regni cœlorum. Petra, Claues & verbum *Pasce*, tria sunt Monarchiæ Petri, id est, Romani Pontificis firmamenta, & vt hodie Hildebrandistę putant, eius imperij totidem arces munitissimæ : vt nos firma fide credimus , Monarchiæ in Ecclesiam inuectæ non προτειχίσματα, sed ἐπιτειχίσματα. Sed clauium quidem ius & vim verbi *Pasce* non hoc loco, verùm in anno sequente explicat Baronius. Quare & nos duas illas partes istius disputationis in illũ locũ reijciemus. Summa igitur doctrinæ Baronianæ hîc propositæ est ; Dominum nostrum, quando dixit Petro, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hoc significasse ; Petrum in Ecclesia quam se

ædificaturum pronuntiat, futurum petram, id eſt, fundamentum primarium, (ita ſæpe appellatur Petrus in his Annalibus,) cui totum ędificium innitatur: neque ſolum fore fundamentum, ſed etiam vniuerſæ Eccleſiæ Principem ac Monarcham, tam ipſum, quàm eius ſucceſſores. Baronij verba: *inſtituto iam in Eccleſia collegio Apoſtolorum, ex illis vnum omniummaximum ac Principem, qui cæteris præeſſet elegit.* & poſtea: *Licet Chriſtus ſit auctor Eccleſiæ, protector ac moderator; tamen principatum quendam in ea eſſe voluit, ac monarchiam, quam Petro contulit, ac in eius ſucceſſores propagauit.* Hæc doctrina quàm vera ſit, aut quatenus vera ſit, melius cognoſcere non poſſumus, quàm ſi ad lapidem Lydium illam exegerimus, & verba Domini diligentiſſime expenderimus; ac quomodo melioribus Eccleſiæ temporibus, cùm exortæ nondum erant hodiernæ controuerſiæ, Patres illa intellexerint, accurate iuxta & candide conſiderauerimus. Quod ſi probauerimus, neq; Apoſtolos poſtquam hæc à Chriſto audiuerant, neque primorum ſeculorum Patres, cùm hæc eadem Chriſti verba vel ex profeſſo, vel obiter in ſuis ſcriptis exponerent, de monarchia quæ hodie defenditur, vnquam cogitaſſe: cauſſa profectò dici non poterit, quominus hæc doctrina pro noua, & aſſertores illius pro Nouatoribus ſint habendi. Ades igitur Lector philalethes, & ad Domini verba diligenter attende. ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοείην. Scriptum eſt Matthæi capite XVI.

Λέγει αὐτοῖς, Ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι;	15	*Dicit illis Ieſus, Vos autem quem me eſſe dicitis.*
Ἀποκριθεὶς δὲ Σίμων Πέτρος εἶπε· Σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος.	16	*Reſpondens Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus, Filius Dei viui.*
Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Μακάριος εἶ Σίμων βαρ-Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.	17	*Reſpondens autem Ieſus dixit ei; Beatus es Simon bar-Iona: quia caro & ſanguis, non reuelarunt tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.*
Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν· καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.	18	*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Inter cæteras inſignis eſt periocha hæc apud Matthæum; quæ Domini cum diſcipulis ſuis Apoſtolis colloquium deſcribit. Commemorarunt idem colloquium & Marcus & Lucas; ſed minus plenè: quare apud illos ea verba non leguntur, de quibus hodie diſputatur.

Narrationis Matthæi duæ sunt partes primariæ: prior, ipsum continet sermonem, quem vltro citroque habuerunt super capite quodam pręcipuo religionis Christianæ IESVS CHRISTVS & discipuli eius ab initio versus decimitertij, ad finem decimiseptimi. Sequentes duo versus, declarationem habent consilij Dei de ædificanda Ecclesia super ea doctrina, de qua actum fuerat, de Petri ministerio, quod eam ad rem Christus erat adhibiturus, & de eiusdem Ecclesiæ finem nunquam habitura duratione. Hoc consilium suis Apostolis statim initio communicauerat Christus; sed breuiter & obscure; quando dixit illis, se piscatores hominum esse illos facturum. Nunc aliquid amplius & multo augustius illis indicatur; quod ne tum quidem fuerat ipsis significatum, quando ad prædicandum primò missi sunt. Matth. IX. & X. Mar. VI. Luc. VIII. & IX. Ita solitus est Deus immortalis, iam inde à primis mundi temporibus, arcana consilia sua non ἀθρόως semel & simul, sed per partes, & temporum interualla, suis electis aperire; sicut antè obseruabamus, in disputatione de prophetia Iacobi. Hic igitur nomen ECCLESIAE primum occurrit, quod in Euangelijs ante hoc colloquium non legitur. Vt facile etiam ex eo sit conijcere, cepisse tunc Dominum, ædificationem Ecclesię, quam moliebatur, Apostolis apertius patefacere. Quos tamen parum percepisse Christi mentem, sequens historia declarat. Apparet enim illos nihil dum altius cogitasse, quàm de restitutione regni Dauidis in Iudæa: de quo etiam post passionem, paucis diebus ante Saluatoris assumptionem ipsum interrogant. Act. I. 6. At quæ priore parte comprehenditur doctrina, Apostolis ignota non erat, vt statim ostendemus. Sed imitatus est Christus fideles & nauos præceptores; quibus satis non est, vt sui discipuli præcepta artium, aut scientiarum theoremata nota habeant: verùm hoc amplius γυμνασίαν & exercitationem eorundem adijciunt: quò melius de traditæ doctrinæ veritate & oppositæ falsitate ipsis constet, atque vt sic dicam, πληροφορηθῶσι. Est enim docendi via duplex; ἀνασκευὴ confutatio falsi; & κατασκευὴ assertio veri. illa apud Aristotelem sæpissime pręcedit; hæc sequitur. Eandem methodum in hoc colloquio obseruatam, licet animaduertere. Quęrit à discipulis Dominus, quem se esse vulgo homines dicerent. Sciebant Apostoli omnes illas opiniones, quas commemorant esse falsas. Sed aliud est scire aliquid esse falsum: aliud actualiter, vt loquuntur in Scholis, illud condemnasse, vel audisse condemnari à suo Doctore. Omnes autem ab illis prolatas opiniones damnat Christus vnica vocula aduersatiua δὲ, *sed* vel *autem*. Ὑμεῖς δὲ. q. d. Sed vos qui harum opinionum falsitatem nostis. hæc est ἀνασκευὴ: sequitur κατασκευὴ.

 Veram

Veram ſententiam ex ore Petri interrogatione ſua elicit Seruator; quam voce grauiſſima deinde confirmat: non Petrum ſed DEVM eſſe illius auctorem ſignificans.

16 RESPONDENS SIMON PETRVS DIXIT.] Domini voce omnes interrogati ſunt; vnus reſpondet: Petrus nempe. Quare? Fortaſſe non male hic vſurpaueris quod prudenter dicebat Chryſoſtomus in Acta, homilia XXVIII. vbi Spiritus Sancti impulſu fit aliquid, facti cauſſam non debere quæri. λοιπὸν, ait, μὴ ζήτει διὰ τί; ὅταν πνεύματι κινῶνται. Veruntamen & Chryſoſtomus ipſe, & alij Patres propoſitam quęſtionem, cauſſis aliquot in medium allatis, ſoluerunt. Ea quæſtio duplex eſt: cur vnus loquatur pro omnibus: cur ex omnibus, Petrus: Ad priorem ratio gemina poteſt afferri; εὐταξία, ordo, ſiue decorum; & vnitatis ſanciendæ ſcopus. Ad εὐταξίαν faciebat cum primis, ne confuſe loquerentur omnes, neue ſermonem plures arriperent. Multi Patrum hanc cauſſam attigerunt: ſed omnium optime rem explicat Cyrillus, ijs verbis quæ poſtea afferentur. Poſterioris quoque ſæpe meminerunt Patres; qui multa feciſſe Chriſtum & eius Apoſtolos obſeruant *in typo vnitatis*, vt loquitur Auguſtinus, de baptiſmo contra Donat. lib. III. Idem in Iohannem tractatu XXVIII. *Reſpondet Petrus pro omnibus, vnus pro multis, vnitas pro vniuerſis.* & typum vniuerſæ Eccleſię geſſiſſe Petrum in hac confeſſione, eiuſdem Patris eſt ſententia. Ingenioſe verò Toſtatus quæſtione LVI. in iſtud Matthæi caput. *Forte*, inquit, *Chriſtus tenuit corda diſcipulorum cæterorum, ne reſponderent: quia fides Catholica vna eſt, vbicunque & apud quoſcunque ſit: ideo conueniens fuit, confeſſionem eius per vnum fieri, licet eſſet illa fides multorum.* Placet acumen viri, ſi in meliora ſecula incidiſſet, longe maximi. Sed quare Petrus loquitur cæteris ſilentibus? Baronio quidem ratio vnica pro omnibus abunde ſatisfacit; quod Petrus eſſet Princeps & Monarcha. Sed hoc eſt τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, quod Logicorum pueris non probatur. Patres igitur conſulamus. Euthymius propterea ſolum Petrum locutum fuiſſe exiſtimat, quia *Solus Petrus*, inquit, *vere Chriſtum & natura & proprie filium Dei hunc eſſe intellexit.* B. quoque Hilarius eiuſdem ſententiæ videtur fuiſſe. Nam in Matthęum canone XIV. ſic ſcribit. *Hoc in Petro conſiderandum eſt, fide eum cæteros anteiſſe. Nam ignorantibus cæteris primus reſpondit; Tu es filius Dei viui.* Sed quis putet Apoſtolos, tertium iam cum Chriſto annum agentes, ignoraſſe Chriſtum eſſe filium Dei? Viderant Spiritum Sanctum in eum deſcendentem. Audiuerunt cœleſti voce editum teſtimonium, *Tu es filius meus dilectus*, Iohan. III. 22. & quidem cum articulo ibi

ſcriptum,

ſcriptum, ὁ υἱός μου, ille vnicus & ſolus Dei filius. Vim enim articuli in ea locutione ſic exponunt Patres. Theophylactus; μετὰ τοῦ ἄρθρου ὁ υἱός. τουτέστιν αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ εἷς καὶ μόνος. Audiuerant Nathanaelem cum eodem articulo dicentem, *Tu es* ὁ υἱός, *ille vnicus Dei filius*. Ioh. I. 50. Sine articulo verò, ipſas etiam turbas audiuerant dicentes, Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς εἶ. *Vere filius Dei es*. Matt. XIV. 33. Viderant denique miracula à Chriſto edita, tot & tanta. Quare non eſt veriſimile, omnes Apoſtolos præter Petrum, primum illud religionis Chriſtianæ elementum ad hanc diem ignoraſſe. Apud Iohannem VI. 69. extat Petri eadem confeſſio, nomine omnium Apoſtolorum edita: Nos credimus & ſcimus, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος; *te eſſe illum vnicum Christum, illum vnicum filium Dei viuentis.* quæ confeſſio alio tempore & occaſione aliâ edita eſt, quàm hæc quæ Matthæo, Marco & Lucæ commemoratur. Quod ſi, vt probabile exiſtimant erudítiſſimi viri, atque in his Epiſcopus Ianſenius, tempore antecedit confeſſio illa apud Iohannem, iſtam apud Matthæum; patet manifeſtiſſime error Euthymij: quem errorem hodie multi, ſed alio fine, parum ingenue defendunt. Chryſoſtomum, qui videtur idem ſenſiſſe cum Euthymio, paullo poſt interpretabimur. Non prætermittam verba Toſtati, in hoc caput, quæſtione LVIII. *Videtur quod iſtud, quod nunc confeſſus fuit Petrus, non fuit nunc nouiter reuelatum, ſed ante hoc credebant illud diſcipuli.* Alij dixerunt, ideo Petrum pro omnibus locutum, quia virtute omnibus præſtaret. Euſebius Eccleſ. hiſtoriæ libro II. cap. XIV. Petrum his titulis ornat; τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν Ἀποστόλων, τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον, *fortem illum & magnum inter Apoſtolos, qui virtutis ergò ante reliquos omnes loqui ſolitus.* Etiam apud Chryſoſtomum homilia tertia in Acta, vbi loquitur de Petri auctoritate in electione Matthiæ, hæc verba leguntur, Εἰκότως ταῦτα ἐγένετο διὰ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρός: *merito hoc ita fiebat, propter excellentem viri virtutem.* Sed idem Pater in hunc Matthæi locum, plures ſimul cauſſas commemorat. Sic enim ſcribit: Τί οὖν δὲ στόμα τῶν Ἀποστόλων ὁ Πέτρος; ὁ πανταχοῦ θερμός, ὁ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων κορυφαῖος, πάντων ἐρωτηθέντων αὐτὸς ἀποκρίνεται. Καὶ ὅτε μὲν τὴν τοῦ δήμου γνώμην ἠρώτα, πάντες εἶπον δὲ ἐρωτηθέν· ὅτε δὲ τὴν αὐτῶν, Πέτρος προπηδᾷ καὶ προλαμβάνει. Habes hic tres facti cauſſas. Prima, quod Petrus eſſet os Apoſtolorum; altera, quod in omnibus eſſet feruentis ingenij: tertia, quod eſſet Apoſtolorum coryphæus. Obſeruat deinde, omnes locutos eſſe Apoſtolos, quando de vulgi ſententia Chriſtus illos interrogauit: at cùm de propria ipſorum, *proſilijſſe*, id eſt, *anteuertiſſe Petrum, & ſermonem occupaſſe.* In prima cauſſa, quod dicatur Petrus fuiſſe os Apoſtolorum, virtutis præſtantioris ſpecimen ineſſe,

quidam

quidam existimarunt, vt de Eusebio modò referebamus: at dominationis nullum id esse argumentum, probauimus anni huius initio. Quod si Petrus propterea sic loquitur, quia erat os Apostolorum, vt toties affirmat Chrysostomus: sequitur necessario, pro omnibus eum esse locutum, & fuisse omnium Apostolorum vocem, quæ ore Petri proferebatur. Quis tam fungus, qui collectionis huius necessitatem non intelligat? Omnino, aut non fuit os Apostolorum Petrus, quod affirmant Patres: aut edita ore illius confessio, omnium discipulorum fuit confessio. E multis locis vbi hoc affirmat Chrysostomus, afferam vnum, quo nihil desiderari potest expressius. Homilia in verba Pauli ad Gal. II. 2. vt probet non cepisse Petrum post abitum Domini zeli feruorem suum ostendere; sed iam antè solitum pro omnibus loqui, & os collegarum esse; affertur hic Matthæi locus, deinde verba hæc subijciuntur: ὥσπερ γὰρ τὸ στόμα ἀντὶ παντὸς τοῦ σώματος φθέγγεται· οὕτως ἡ γλῶττα τῶν Ἀποστόλων Πέτρος ἦν, καὶ ἀντὶ πάντων αὐτὸς ἀπεκρίνετο *quemadmodum os loquitur pro toto corpore: sic Petrus lingua erat Apostolorum, & pro omnibus ipse respondit.* Hieronymus in hunc locum: *Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur, Tu es Christus filius Dei viui.* Secunda caussa multo etiam minus dominationis significationem vllam habet, quod calido Petrus fuerit ingenio: qua etiam de re antea dictum est. Atque huius caussæ & θερμότητος Petri locis fere innumeris mentio fit apud Chrysostomum. Et quidem hanc rationem imprimis afferunt Patres. Hieronymus in caput XV. eiusdem Euangelistæ. *In omnibus locis ardentissimæ fidei,* (hæc est, quam Græci Patres appellant Petri θερμότητα.) *inuenitur Petrus. Interrogatis discipulis, quem homines dicerent Iesum, Dei filium confitetur.* Cyrillus in Iohannem, lib. XII. cap. LXIV. *Præueniebat alios Petrus: ardore namque Christi præcipuo feruens, & ad faciendum & ad respondendum paratissimus erat.* Theophylactus quoque è Chrysostomo, vt solet: ὡς θερμὸς ὁ Πέτρος προπηδᾷ. In tertia caussa quam notat Chrysostomus, specimen inest honoris: honoris inquam, quem Petro condiscipuli sui habuerunt; at non dominationis neque monarchiæ. Ait fuisse Petrum chori Apostolorum coryphæum. Familiare est Patribus, vt societatem Apostolorum, propter singularem consensum omnium, vocent chorum, (sic passim μοναχῶν χοροὶ & παρθένων χοροὶ, de monialibus:) & Petrum, eius chori coryphæum, vel vt loquitur Epiphanius, κορυφαιότατον. Propria est artis orchesticæ dictio κορυφαῖος, de præsule siue præsultore in chorea, à quo motus incipit. Chrysostomus initio homiliæ Kalendis Ianuarijs habitæ: Καθάπερ χορὸς τὸν κορυφαῖον ἐπιζητεῖ, καὶ ναυτῶν πλήρωμα τὸν κυβερνήτην. allusit eò Chrysostomus etiam verbo προπηδᾷν de Petro, quod & ipse sæpius vsurpat, & ex eo Theophylactus.

phylactus. proprie enim coryphæo à quo incipit saltatio, verbum προεπηδᾶν *præ alijs saltare* conuenit. Cum aliò transfertur vox *coryphæus*, honoris aliquam prærogatiuam significat, dominationem verò nullam. Sic Demosthenes dicitur Dionysio Halicarnasseo, dux & coryphæus chori oratorum : in Arte. ταύτην τὴν ὁδὸν καὶ τὸν τοῦ ἡμεδαποῦ χοροῦ ἡγεμόνα τε καὶ κορυφαῖον οἶδα μετιόντα. atque vt Epiphanius in Ancyroto, p. 484. Petrum appellat τὸν κορυφαιότατον τῶν Ἀποστόλων; quasi dicas, *maximè præcipuum* : sic idem Dionysius Appium Claudium cuius inter Decemuiros erat præcipua auctoritas, nominat τὸν κορυφαιότατον τῆς δεκαρχίας in historia vndecima. atqui certum est, omnes in collegio Decemuirorum pari iure fuisse. Nam vt ait Liuius libro III. institutum illorum fuit, *vt vnus fasces haberet & hoc insigne regium in orbem, suam cuiusq; vicem, per omnes iret*. Adeo autem appellatione coryphæi, vel etiam κορυφαιοτάτου, nullum peculiare ius dominationis attribuitur, vt in eodem collegio plures possint esse κορυφαιότατοι; putà in collegio Apostolorum Petrus, Iohannes & Iacobus, *qui & præstiterunt reliquis, & nominantur ante reliquos*, vt in anno superiore dicebamus è Gregorio Nazianzeno. Sic Dionysius idem, principes factionis optimatium appellat τοὺς κορυφαιοτάτους τῶν προεστηκότων τῆς ἀριστοκρατίας. Quem diximus proprie appellari coryphæum, is Græcis etiam ἔξαρχος dicebatur. ἐξάρχειν, canendi vel saltandi facere principium & alijs incentiuum dare; vnde ἐξάρχειν μολπῆς apud Homerum, & alios. ἔξαρχος, qui ducit choream. Sic Philoni in vita Mosis Maria eius soror dicitur ἔξαρχος mulierum Iudaicarum, p. 471. ex ipso Mose, Exodi XV. 20. vbi coryphæi siue ἐξάρχου munus eleganter describitur. *Sumpsit Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua ; egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris ; quibus præcinebat, dicens*. Septuaginta sic : ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν Μαριὰμ λέγουσα. præibat nimirum Maria voce, motuque, & cæteris modos dabat, quæ proprie συνηχεῖν dicuntur, *concinere*. nam ἐξάρχειν & συνηχεῖν sunt relata. Philo de vita theoretica, p. 618. ἡγεμὼν καὶ ἔξαρχος αἱρεῖται καθ᾽ ἕτερον (ἑκάτερον fortasse : in choro vtroque virorum & fœminarum) ἐντιμότατός τε καὶ ἐμμελέστατος. εἶτα ᾄδουσι, τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ ἀντιφώνοις ἁρμονίαις. Ex his intelligitur, quo sensu à Græcis Patribus ἔξαρχος appelletur Petrus. Theophylactus ad caput Lucæ XXII. Christum inducit Petrum sic alloquentem : σὲ τῶν μαθητῶν ἔξαρχον ἔχω. *habeo te meorum discipulorum* ἔξαρχον, *coryphæum*. & ita sæpius veteres : nihil aliud ea voce significantes, nisi, fuisse Petrum inter discipulos ordine primum. quod alia voce expressit Epiphanius in disputatione pro Euangelio Iohannis, p. 192. ἐξελέξατο Πέτρον ἀρχηγὸν εἶναι τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, *elegit Petrum, vt esset dux siue primus inter suos discipulos*.

discipulos. Coryphæus ἔξαρχος & ἀρχηγός. item κεφαλή. Caput, προστάτης, & προεστάτης (nam & his nominibus apellatur passim Petrus; vt alio loco dicetur:) ordinis vocabula sunt, non dominationis. Eleganter & vere Cyrillus in Iohannem, libro IV. cap. XXVIII. *Per vnum qui præerat, omnes respondent; sanctam profectò sanctisq; congruentem disciplinam optime conseruantes, & posterioribus prudentiæ atq; modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confuse, nec prosilientes impudenter, quasi rapta vti oratione; sed cedere ijs, qui & consilio & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoque ait, Prophetæ duo aut tres, & vicißim loquentur. Opus igitur erat, diuinitus comprobatæ prudentiæ; soli responsionem committere illi, qui Ordine maior erat.* En pulchre descriptum primatum Petri: quem & Augustinus tot locis ait, fuisse *primum ordine.* Hinc discimus, quomodo sit accipiendum, quod scribit idem Cyrillus, libro XII. cap. LXIV. vbi postquam dixisset Petrum alios Apostolos solitum anteuertere ὑπὸ θερμότητος, quod præcipuo ardore ferueret in Christum; subijcit hæc: *Et, quando Saluator discipulos interrogauit, dicens, Quem me dicunt homines esse? quum iterum post responsionem ab ijs quæreretur, Vos autem quem me dicitis esse? vt princeps caputq; cæterorum primus exclamauit: Tu es Christus filius Dei viui.* hic enim *primus* non significat monarcham, sed eum qui sit primus ordine, vt ex ipso Cyrillo, Augustino & alijs iam probatum est. *Princeps* Latinis est idem ac primus; qua de re mox. Apud interpretes Græcorum Patrum obseruaui hanc vocem persæpe esse positam pro Græca ἀρχηγός, quæ ductorem ordinis designat, non monarcham: sic quod dixerat de Petro Hieronymus in Catalogo, *princeps Apostolorum,* recte versum est à Sophronio, ἀρχηγὸς τῶν Ἀποστόλων: vel pro κορυφαῖος, id est, *præsultor in choro:* vel alia simili, quę dominationis nullam significationem continet: quam hodie in voce Princeps inesse volunt ex homonymia eius vocis mox explicanda. Meminerit igitur Lector, cùm apud Græcorum Patrum interpretes, Chrysostomi, Cyrilli, Eusebij, Hippolyti, aliorum, occurrit ea dictio Petro attributa, in Græco textu eiusmodi nomen extare, quod sine vlla ambiguitate primum in ordine significet, non eum qui cæteris dominetur. Exemplum vnum afferam, insigne. Eusebius Historiæ lib. II. cap. XIV. Petrum appellat, τὸν τῶν λοιπῶν ἀποστόλων προήγορον, ad verbum, *reliquorum omnium prælocutorem.* Ruffinus hęc verba sic vertit: *primorum Principem Petrum.* ineptissime. vnde enim illud *primorum*? in Græco nihil eiusmodi. deinde προήγορος non est *princeps.* quod verbi apud Ruffinum si accipias pro dominatore, falsissimam Eusebio sententiam affinges: si pro primo; mentem illius ex altera tantum parte expresseris: nam προήγορος non est primus simpliciter;

citer ; ſed *primus locutor*. itaque abſurdiſſima eſt Ruffini verſio. nec multo melior aut fidelior Chriſtophorſoniana, *reliquorum omnium Apoſtolorum facile principem*. Hęc de voce *princeps* apud Cyrilli interpretem. Addit Cyrillus, *caputq́ cæterorum*. hoc quoque ordinis vocabulum eſt, non dominationis, vt clare probabimus cum de Synodo Epheſina agemus. Barlaam in libello de Papæ principatu: Οἱ Ἀπόστολοι, inquit, τὰ μὲν πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἰσότιμοι πάντες ἐτύγχανον· τῆς δὲ ἱερᾶς αὐτῶν δωδεκάδος ὁ μακάριος Πέτρος ἐξῆρχετο· τοῦτο πλέον τῶν ἄλλων ἔχων, ὅτι τῶν ἄλλων παρόντων, αὐτὸς τῆς διδασκαλίας ἦρξατο, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἴσως ἠξιοῦτο. *Apoſtoli, quod ad Eccleſiam attinet, honore pares erant omnes : ſed in ſacro illo choro duodecim virorum Petrus erat coryphæus : hanc habens prærogatiuam, quod præſentibus cæteris, ipſe docendi initium faciebat ; ac fortaſſe etiam honos primo loco ſedendi illi deferebatur.* Videtur dici potuiſſe verius ; in poteſtatis æqualitate, fuiſſe aliquam inter Apoſtolos honoris diuerſitatem. Id enim loca illa Scripturæ ſine dubio innuunt, in quibus vel nominatur primus inter Apoſtolos Petrus, vt Matth. x. 2. Marc. III. 16. Actor. I. 13. & ſępe alibi: vel ſeorſim à reliquis nominatur, vt apud Ariſtophanem, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί. Marcus I. 36. *Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant*. Lucas VIII. 45. *dixit Petrus, & qui cum illo erant*. Act. II. 14. σταθεὶς Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα. & 37. *dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apoſtolos*. Quæ teſtimonia & ſimilia his, vt ad ſtabiliendam monarchicam dominationem ineptiſſime, imo verò impudentiſſimè, proferuntur : ita illorum opinionem euertunt, qui ſtudio inducendæ in Eccleſiam democratię & paritatis, veteribus Patribus exoſę, ferre non poſſunt Petro aliquam honoris prærogatiuam attribui. Sed errant iſti, & ſuo exemplo comprobant, veriſſime ac prudentiſſime dictum eſſe à Magno Baſilio in epiſtola ad Maximum ; *multos* τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς διαμαρτεῖν τοῦ μέσου, *præ ſtudio immoderato nitendi in contrarium, aberrare à medio*. quo ex fonte errores multos omnibus ſeculis manaſſe, non ignorant periti. Sentiamus igitur etiam in hac parte cum pia antiquitate. Caſſianus De incarnatione Domini, libro III. *Interroganti Domino Ieſu Chriſto, quem eum crederent, quem confiterentur eſſe diſcipuli ; reſpondet primus Apoſtolorum Petrus, vnus vtiq́ pro omnibus : idem enim vnius habuit reſponſio, quod habebat omnium fides. Sed primum decuit reſpondere, vt idem eſſet ordo reſponſionis, qui erat honoris : & ipſe antecederet confeſſione, qui antecedebat ætate*. Honoris prærogatiua, non eſt dominatio, neque imperium monarchicum, vt hodie docetur. Quare verſati in Patrum lectione ſciunt, ſæpe illos Petro attribuere τιμήν, honorem inter collegas, κηδεμονίαν & προστασίαν, *curam* & vt ſic dicam, *præſidentiam*, & ſimiles titulos : at regnum vel monarchiam, aut alias id genus hodierni typhi appellationes, nuſ-

quam

quam vnquam. Dicit ſane Ambroſius De fide libro quarto, *dediſſe Chriſtum Petro regnum*: ſed de regno cœlorum loquitur, & affert illud, *dabo tibi claues regni cœlorum*: clauium autem ius omnium Apoſtolorum fuiſſe commune notum eſt, qua de re dicetur ad annum ſequentem. Nos autem notabamus ad annum xxxi. diatriba xiv. eam auctoritatem quam reperitur vſurpaſſe Petrus inter Apoſtolos, Chryſoſtomo dici παῤῥησίαν, *libertatem* aut *fiduciam*. Noluit nimirum ille Pater, Petro attribuere ἀρχὴν, dominationem aut principatum aliquem in collegas: qui omnes vt docet idem alibi, communẽ ἀρχὴν πνευματικὴν *principatum* vel *dignitatem ſpiritualem* à Chriſto acceperant: conſulto igitur conſilio id omne quicquid eſt auctoritatis, quod Petrus inter Apoſtolos vſurpabat, appellatur à Chryſoſtomo παῤῥησία: quæ vox honeſtam & generoſam fiduciam ſignificat, natam è conſcientia recte factorum vel zeli vehementis. frequentiſſima vox apud Patres, præſertim Chryſoſtomum; de qua alibi multa ſumus dicturi, ſi Deo placuerit: male enim id verbi à multis ſcimus accipi: neque adhuc repertus nobis, qui vim illius apud Patres recte expoſuerit. Non igitur dominatio in collegas attribuitur Petro ab illo aurei oris Patre; ſed tantum παῤῥησία, *libertas*. vel pia quædam audacia faciendi aliquid eximium prę cęteris: putà, loquendi pro omnibus, & collegis ſilentibus. Et tamen hanc ipſam vocẽ alibi reuocat idẽ vir ſanctiſſimus; & eius loco ſubſtituit vocem ἀγάπη, *charitas*. In ſermone ſuper verbis Euangelij, Matth. xvii. 24. in editione doctiſſimi Sauilij, tomo v. p. 199. Πέτρος, inquit, ὁ πανταχοῦ θερμὸς, καὶ παῤῥησίας γέμων, μᾶλλον δὲ ἀγάπης ἢ παῤῥησίας, σιγώντων ἁπάντων, προσελθὼν τῷ διδασκάλῳ φησί. *Petrus in omnibus calidus, plenus libertatis, vel charitatis potius quàm libertatis, cæteris ſilentibus, accedit ad Magiſtum & ait.* Vides Chryſoſtomum, quaſi corrigentem ſe tribuere charitati, quod antea tribuerat παῤῥησία, *vſurpatæ cuidam licentiæ*: hoc nempe volens ſignificatum; quod collegis ſilentibus loquatur Petrus; nullum eſſe in eo facto aut ſimilibus alijs ſpecimen dominationis alicuius, aut maioris auctoritatis, quam in cæteros Apoſtolos vſurpauerit: ſed id omne profectum eſſe ex amoris vehementia, cùm erga Dominum, tum erga diſcipulos. Appello tuam fidem Lector; potuitne aliquid dici ab hodierna omnipotentia magis alienum? Hanc tamen Chryſoſtomi ſententiam deprehendere eſt etiam apud alios. Theophylactus ad finem ſexti capitis Iohannis, vbi ſolus inter omnes Petrus ſermonem arripit, ſic notat: φιλόστοργος ὢν ὁ Πέτρος καὶ φιλάδελφος, ὑπὲρ παντὸς ἀπολογεῖται τοῦ χοροῦ. *Petrus pro vniuerſo choro apologiam inſtituit, quia charitate præditus erat, & fratrum amans*: ſunt autem hæc è Chryſoſtomo ad verbum deſcripta. Tam longe

ab

ab eo abfuerunt Patres, vt aliquam Petro absolutam monarchiam in suis monumentis irent attributum. Sed obijciet hic fortasse aliquis; ita loqui veteres Doctores de Petro, adhuc inter condiscipulos in Christi schola versante, prius quàm dictum illi esset à Domino, *Pasce oues meas*: & priusquam τὴν ἀρχὴν ἐνεχειρίσθη, vt loquitur idem tomo v. p. 200. post assumptionem verò Domini, suo illum iure esse vsum, & monarchiam exercuisse. Non ita est: nam etsi fatemur, plus auctoritatis & Petrum & reliquos Apostolos vsurpasse, post discessum Saluatoris; tamen ne tunc quidem, si quam Patribus fidem habemus, dominationem vllam Petrus sibi vindicauit. Quare Chrysostomus illam ipsam auctoritatem Petri exaggerans, in sermone de controuersia inter ipsum & Paulum, v. tomo pag. 402. non μοναρχίαν illam vocat, sed προεδρίαν, *principem sedendi locum.* appellat & ἀρχὴν, sed communem omnibus Apostolorum: atq; id respectu subditi gregis. Ad verba Lucæ Act. 1. 25. *exurgens Petrus in medio fratrum dixit*, notat hæc Chrysostomus: Καὶ ὡς θερμὸς, καὶ ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ τὴν ποίμνην, καὶ ὡς τοῦ χοροῦ πρόκριτος, ἀεὶ πρότερος ἄρχεται τοῦ λόγου. *Petrus semper loquendi facit initium, & vt calidi vir ingenij, & vt gregem fidei suæ commissum habens à Christo, & vt primus chori Apostolici.* de prima caussa dictum prius; sed dignum notatu est, Chrysostomum etiam post Christi ascensionem eius caussæ meminisse. Nam si Monarcha tum fuit Petrus, quid oportuit mentionem facere eius θερμότητος in explicandis caussis, cur solus loqueretur? Cur in Consistorio primus Papa, quoties lubet, verba faciat, nemo hodie, opinor, quærit, nisi rerum imperitissimus: neque verò si quærat hoc aliquis, probaret Papa respondentem, propterea id fieri, quia sit feruidi ingenij aut zeli. Non cur loquantur Monarchæ, caussa quæri solet; sed cur taceant. Quod ad secundam caussam; sententia fuit Chrysostomi, Orbem terrarum Apostolis κοινῇ ἐμπιστευθῆναι, in commune & ex æquo fuisse commissum. Vide ad annum XXXII. diatriba quarta: verùm quia coryphęus Apostolorum erat Petrus, peculiari quodam modo prouincia (ipse vocat sępissime προστασίαν aut κηδεμονίαν;) illi dicitur fuisse demandata, quæ omnibus ex æquo, vt dixi, erat demandata. Chrysostomus verò ne quis putaret sic demandatam esse Petro curam ædificandæ Ecclesię, vt regio more posset in illa imperare: addit mox; Ὅρα δὲ αὐτὸν μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης· οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲ ἀρχοντικῶς. *Obserua Petrum omnia facere de communi Apostolorum sententia: nihil quasi haberet auctoritatem, aut principatum.* αὐθεντικῶς, est quod in Scholis dici solet *auctoritatiue*: ἀρχοντικῶς, vel vt habet alia lectio ἀρχικῶς, *iure magistratus.* Intellige autem, non gessisse se Petrum auctoritatiue erga col-

legas Apostolos: nam in gregē Christi & habuit spiritualem ἀρχὴν, & exercuit, vt sæpe alibi idem Pater obseruat. Oecumenius, vt fere solent omnes Græci, Chrysostomi vestigia sequitur, & verba illius reponit. Pro αὐθεντικῶς dixit Oecumenius, οὐδὲ μὴν ἐξουσίας; *nec tanquam habens potestatem*; nempe in Apostolos, vt exposuimus. Sed videtur Chrysostomus secum pugnare, cùm subijcit paullo post, de Petro. εἰκότως πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ, ἅτε αὐτὸς πάντας ἐγχειρισθείς: *meritò primus in negotio electionis auctoritatem Petrus vsurpat: vt is cuius curæ cæteri omnes essent traditi*: deinde subijcitur locus ex Euangelio Lucæ, XXII. 32. *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Possum respondere, illum locum, (vt & alios plures in eo Commentario) à descriptoribus male fuisse acceptum: quod ante nos viri eruditissimi monuerunt. Sed nihil opus eò confugere: Nam aliud est αὐθεντεῖν τοῦ πράγματος, quod Pręsidi Senatus conuenit, qui rem proponit deliberandam, mittit Senatores in suffragium, sententias colligit, & in negotiorum administratione primas obtinet: aliud αὐθεντεῖν τῶν συνέδρων, auctoritatem in collegas vsurpare; quod paullo ante negabatur esse factum à Petro. Quin paucis versibus ante hæc verba, illius auctoritatis, qua videtur Petrus in illis cætibus esse vsus, caussas reddit has duas: τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρός, singularem ipsius virtutem: & quod ὅτι ἡ ἐπιστασία τότε οὐ τιμή, ἀλλὰ πρόνοια τῶν ἀρχομένων: *tempore illo Præfectura in Ecclesia non erat honor, sed cura prospiciendi ijs qui parebant.* In quarta operis eiusdem homilia repetit Chrysostomus, quod toties dixit alibi: confessionem Petri communem omnium Apostolorum fuisse: quia ipse erat os omnium: deinde subiungit hanc admonitionem: *Obserua concordiam Apostolorum: qui Petro concione cedunt: neq; enim oportebat omnes loqui.* Si cedunt Apostoli Petro iure concionem habendi, ipsis tacentibus: habebant igitur; & ordo fuit inter illos, non Monarchia. In ijsdem sermonibus, cùm aliorum Apostolorum, tum præsertim Iacobi Ierosolymorum Episcopi, modestiam & ἐπιείκειαν sępe obseruari iubet in eo, quod Petro primas concederent: ridicule sane, nisi illud ponatur, de quo tunc nemo dubitabat; pari iure omnes fuisse. Ad caput nonum, vers. 32. adnotat idem Pater, quoties res Ecclesiæ erant tranquillæ, omnes communi opera eas administrasse; quoties verò, aut periculum imminebat, aut maioris laboris aliquod negotium occurrebat, Petrum prosilijsse in medium, & primas occupasse. οὕτως, inquit, οὐκ ἀπῄτει τιμὴν μείζονα; *adeo non hoc exigebat, vt præ cæteris honoraretur.* Ex ijs quę hactenus diximus certissimum est, Petri monarchiam quæ hodie à tot patronis acerrimis propugnatur, neq; Chrysostomo, neq; alijs Patribus, quorum testimonia recitauimus, fuisse cognitam, οὐδ᾽ ἐν ὀνείροις.

Scribit tamen Maldonatus in hæc ipsa Matthęi verba sic; *Prima caussa est, quod Petrus omnium fuerit Princeps, vt Chrysostomus ait, homilia* L V. Chrysostomus, vt vidimus, vocat Petrum Apostolorum τὸν κορυφαῖον. Maldonatus vertit *Principem* : optime, si vocem antiquam notione antiqua acciperet. Glossarium Gręcolatinum vetus: Κορυφαῖος, *auctor, princeps*. Sed moneo te Lector candide, in his disputationibus minus exercitate, caueas tibi in hac tota controuersia, ab huius nominis homonymia. Nam veteres Latini Patres, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, quando Petrũ vocabant *principem*, cum veteris Latinitatis auctoribus loquebantur, quibus *princeps* idem erat ac primus; aut, sicut est in Codice, primicerius. Sic apud M. Tullium *princeps Senatus*, aut *princeps ciuitatis*, & *princeps actor*, ὁ πρωταγωνιστής. Alibi explicat se Augustinus, cùm ait fuisse Petrum, *in ordine Apostolorum primum*, vt sermone X I I I. de verbis Domini. & in Iohannem tractatu C X X I V. *Petrus, natura vnus homo erat; gratia, vnus Christianus; abundantiore gratia, vnus idemq; primus Apostolus.* & in sermonibus de Sanctis, sermone, X X I X. *Hic est beatus Petrus, in illa cœlestium discipulorum schola præcipuus, ac primus id. &c.* Sed ignorandum non est, ex quo tempore Augustus astu singulari vsus Rempublicam occupauit, *Principis nomine*, vt ait Tacitus; cepisse hanc vocem duplici notione vsurpari, & modò τὸν πρῶτον, modò τὸν ἄρχοντα designare. Astutia Augusti & politicum sophisma in eo fuit, quod sub veteri nomine, (erat enim in Rep. qui dicebatur *princeps Senatus*,) imperium nouum sibi asseruit. Inde orta homonymia. nam etiam apud Tacitum & posterioris Latinitatis scriptores, *princeps* pro primo in crebro vsu est. vt cùm ait Tacitus in primo Annali, *idem dies accepti quondam imperij princeps, & vitæ supremus.* In Ecclesijs Africanis, qui Græcis dicitur ἀρχιερεὺς, (est autem Episcopus) vocabatur *princeps Sacerdotum*. propter vsum ancipitem eius vocis licet intelligere, vel ἄρχοντα sacerdotum, vel primum inter sacerdotes dignitate aut merito. Ita Optato scriptori Africano quidam Episcopi dicuntur *apices & principes omnium*, id est, κορυφαῖοι καὶ ἔξαρχοι τῶν ἄλλων. Sed quia iam ætate Augustini ad fouendam ambitionem suam vel alienã, eam appellationem quidã trahebant, & superbius aliquid ac τυφωδέστερον ea vox significabat: in Concilio Carthaginiensi illo, quo typhus titulorum est coërcitus, etiam iste *Princeps Sacerdotum*, damnatur. Et Baronio quidem in ea historia factum displicet: sed viris sanctissimis ratio facti constitit: & quæ sunt deinceps secuta, quæque hodie videmus, Deum Concilio præfuisse, & illos Patres spiritu fuisse actos prophetico, manifestissime arguunt. At qui hodie pro Romano Pontifice, sub nomine Petri decertant, longe aliter eam vocem & ipsi vsur-

pant, & apud Patres accipiunt. ex vſu enim vulgarium idiotiſmorum Gallici, Anglici, Italici, Principem volunt intelligi ἄρχοντα, atque adeo monarcham. Ita fit, vt ſub nominis antiqui obtentu noua iura introducantur, aut ab aliquot ſeculis introducta defendantur. Nos contra affirmamus, in vetuſtiorum & meliorum Patrum ſcriptis, ne ſemel quidem poſſe reperiri Petrum eo ſenſu Principem dictum, quo hodie & Petrus & Papa Principes nuncupantur. Affirmamus etiam, Patribus & Græcis & Latinis ignotas eſſe voces de Petro aut Papa MONARCHA & MONARCHIA. Nam quod in ſuperioribus obſeruabamus, reperiri eas dictiones poſitas pro Epiſcopo & Epiſcopatu, nihil hoc ad rem facit. Eſt enim manifeſtus nominis abuſus, ex paucorum & quidem obſcurorum ſcriptorum licentia; qui non Papam Romanum, ſed quemuis Epiſcoporum ita dixerunt. Eunomius quum de natura filij Dei male ſentiret, vt venenum ſuæ hæreſeos incautis propinaret, vocem ἀγέννητος, *ingenitus* de Patre vſurpare cepit. Fatetur Baſilius contra Eunomium, pium eſſe vocis illius ſenſum: & addit tamen: ἀλλ᾽ ὡς οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς κειμένην, καὶ πρῶτον στοιχεῖον οὖσαν τῆς βλασφημίας αὐτῶν, σιωπᾶσθαι ἂν δικαίως ἀξίαν εἶναι φήσαιμι: *ſed vt quæ nunquam in Scripturis extet, ſitque iſtorum blaſphemiæ primum elementum, iure dixerim dignam eſſe vocem quæ taceatur.* Cur non dicatur hodie idem, de typhi plenis vocabulis MONARCHA & MONARCHIA? quas non Scripturarum auctoritas, non aliquod legitimum Concilium, vt in vocibus ΤΡΙΑΣ ΟΜΟΟΥΣΙΟΣ, ΘΕΟΤΟΚΟΣ & alijs accidit, ſed pura puta ambitio, & hæreſis Hildebrandina in Eccleſiam ab aliquot ſeculis inuexerunt.

DIXIT.] Pro omnibus dixit, ac proinde eius ore omnes dixerunt. Hanc fuiſſe Patrum ſententiam, ſatis ſuperius probatum eſt. Gloſſæ auctor: *Petrus tanquam principalis inter alios, pro ſe & pro alijs dat reſponſum.* Dionyſius à Rickel Carthuſianus: *Petrus tanquam principalis pro omnibus dat reſponſum.* Ianſenius ſimiliter: *Petrus tanquam os Apoſtolorum pro omnibus reſpondet.* Nunc obiectiones diluamus aliter ſentientium. Chryſoſtomus dicit, omnes priores confeſſiones, Nathanielis, vel ipſorum Apoſtolorum, toto genere fuiſſe ab hac diuerſas: nam etſi faterentur illi filium Dei eſſe Chriſtum; neſciebant tamen eſſe filium ὁμοούσιον, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. ſciebant, ait Chryſoſtomus, Chriſtum eſſe filium Dei ἐξαιρέτως παρὰ τοὺς πολλούς, οὐ μὴν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς. Petrum igitur omnium primum hoc loco id eſſe profeſſum. Hæc ille: ex quibus videtur ſequi, ſolum Petrum hoc myſterium ſciuiſſe; ac proinde non pro omnibus locutum hic eſſe, verùm pro ſe vno. Reſpondeo: exiſtimaſſe hunc Patrē & alios cum ipſo, Petrum

ea

ea dixisse hac confessione, quæ prius ignorabant & ipse & omnes Apostoli. nam illam reuelationem cuius meminit Christus in responsione sua, illo ipso momento factam esse, quo petierat ab illis, *Vos autem, quem me esse dicitis?* Basilius Seleucensis homilia in hunc Matthæi locum: Τοσαύτης ἀγνοίας περὶ τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς περὶ αὐτὸν βοσκομένης, οὐδὲ τῶν Ἀποστόλων ὁ χορὸς ἀγνοίας ἐλεύθερος ἦν. *Quum tanta ignorantia de Christo hominum animos depasceretur, ne chorus quidem Apostolorum liber erat ab ignoratione.* Postea subijcit, Iesum Christum hac interrogatione *Vos autem quem me esse dicitis?* omnium Apostolorum animos suspendisse, & ad silentium redegisse: quia omnes ignorabant: tum adijcit; ἀλλ' ἐρώτησε μέν· εἰδὼς δὲ τὴν ἄγνοιαν, ὑποβάλλει τῷ Πέτρῳ θεϊκῶς τὴν ἀπόκρισιν. *Interrogauit quidem Dominus: sed gnarus ignorantiæ Apostolorum, responsionem Petro diuinitus suggerit.* Videtur sensisse Basilius, soli Petro factam esse reuelationem: sed factam esse simul omnibus innuit Chrysostomus, cùm ait, τοῦτο αὐτοὺς εἰσάγων ὁμολογῆσαι, *inducit*, siue *impellit Christus Apostolos vt hoc confiteantur.* Omnium igitur, non vnius Petri erat hæc confessio. Sed obijcitur: *cum collegis rem non contulerat, neque opiniones eorum erat rimatus. Suam igitur sententiam dixit, non collegarum.* sunt verba Francisci Lucæ hominis eruditi, ad hunc locum. Respondeo: Si hoc mysterium, vt multi putant, iam ante innotuerat Apostolis; falsum est, Petrum ignorasse quid sentirent collegę. Semel enim iam pro omnibus eandem confessionem ijsdem verbis edens, Ioh. VI. 69. dixerat, πιστεύομεν καὶ γνώσκομεν, *credimus & cognoscimus.* non ita profectò locuturus, nisi de collegarum sententia planè ipsi constitisset. Et est omnino parum probabile, imò absurdum, ignorasse Petrum, quæ fuerit suorum condiscipulorum fides super tanti momenti articulo. Sin, vt modò dicebamus, in ipso tempore quo sunt interrogati, hoc arcanum est eis reuelatum; idem Spiritus qui Petro hoc inspirauit ad confitendum, cæteris inspirauit ad credendum. Quicquid huius sit, Patrum hæc fuit sententia, vt ex ante dictis claret. Audet tamen Maldonatus, (sed quid non audet Maldonatus?) Caluinistarum hanc opinionem vocare: quam ille, vt & multi alij hodie, pęne pro hæretica habet. Audiamus igitur rationes Maldonati. *Si pro omnibus*, ait, *Petrus loquebatur, cur non omnibus à Christo dictum est, Beati estis, quia caro & sanguis non reuelauit vobis.* Acutum hominem! quia Petro dixit Dominus *reuelauit tibi*: ergò cæteris Apostolis non reuelauit. Pari ratione dicere possumus: quia Petro dixit Dominus *Beatus es*, & non dixit Beati estis: ergo solus Petrus beatus. Spero tamen concessuros mihi illarum partium Chrysippos, omnes Apostolos non minus quàm Petrum esse beatos. Dicamus sic potius: quemadmodum diuinâ

uinâ prouidentiâ effectum est, vt quum de sua sententia omnes Apostoli essent interrogati, *Vos autem quem me esse dicitis*; non, *Tu Petre quem me esse dicis*: pro omnibus tamen vnus responderet: ita eidem prouidentiæ diuinæ, id est, Christo vero Deo placuisse, vni Petro dicere, quod reuera omnibus Apostolis dicebatur. Caussam diuinorum consiliorum inquirere, non est humanæ fragilitatis. Potest tamen ex Augustino dici verissime & solidissime, *in typo vnitatis* hæc omnia esse facta; qua de re plura sunt dicta in superioribus. Addit Maldonatus: *Cur non omnibus mutata nomina sunt*? quasi certum esset tunc nomen Petro esse mutatum: aut vt melius dicamus, impositum illi esse nouum nomen: non autem in ipso aduentu primo illius ad Dominum: quod tamen ita perspicue dicitur ab Euangelista Iohanne, vt ipse Maldonatus paullo post eam sententiam tueatur: etsi non nescimus quosdam etiam è veteribus aliter sensisse. Sed multa argumenta contrarium suadent. verba Iohannis; verba Matthæi hoc loco: nam dicere *Tu es Petrus* aliud est, quàm, esto tibi nomen Petro. vsurpatio eius nominis ante hoc tempus, vt Matth. x. 2. & alijs locis: postremò similis exempli consideratio. Nam vt Iacobo & Iohanni in ipso principio noua imposita sunt nomina: sic & in Petro videtur factum. Vtut sit de tempore; imposuit Petro nouum nomen Christus, quia ita ipsi placuit: alijs omnibus non imposuit; sed quibusdam tantum illorum, vt filijs Zebedæi & Paulo, sicut placet Chrysostomo, vt antè docuimus: hoc quoque, quia sic illi placuit. Pergit: *Cur non omnibus dictum, vobis dabo claues regni cœlorum*. Iam dixi, ad sanciendam vnitatem dictum vni quod ad omnes spectabat. An putauit Maldonatus Petri vnius proprium fuisse ius clauium? Postremo ait; *Cur non omnes responderunt*? Quantò melius Tostatus, cuius verba ante recitauimus: Deum tenuisse linguas Apostolorum reliquorum, vt negotium vnitatis perageretur, sicut loquitur Optatus. Non est igitur propria Caluinistarũ hæc sententia, vt vult Maldonatus: nisi Caluinistæ fuerunt Chrysostomus alijque veteres Patres, & è recentioribus interpretibus præstantissimus quisque.

17 RESPONDENS AVTEM IESVS DIXIT EI:] Veritati ore Petri pronuntiatæ addit Dominus isto versu auctoritatem. Est in confesso apud omnes pios, cœlestis doctrinæ dogmata, neque auctorem alium posse habere quàm Deum: neque aliunde quàm à Deo auctoritatem posse accipere. Propterea Christus veritati quam Petrus pronuntiauerat, velut sigillum imponit, & confert auctoritatem. Quare intolerabilis est Baronij ad hunc locum oratio: *Petrus caussam definit*,

definit, decernit, fidei canonem constituit: quid de fide sentiendum esset solus Petrus clauum fixit. At per Deum immortalem, quis veterum Patrum ita locutus est? quis dixit solum Petrum fidei nostræ fundum esse ac basim? quis piorum hactenus non credidit, Prophetas & Apostolos fuisse ministros, voluntatis Dei præcones ac nuntios, fidei auctorem solum Deum? Mitto absurditatem absurdissimam & impietati proximam; in eo Concilio, (sic enim vult Baronius) cui Iesus Christus verus Deus interesset, confessorum aliquem solum ferre leges de fidei articulis. Nemo vnquam tantæ fuit auctoritatis, cuius sententia in aliquo Concilio dicta, ac probata, auctoritatem acciperet à persona dicentis, potius quàm ab vniuerso Concilio. Longe aliter Basilius Seleucensis, sermone illo cuius ante memini; Petrum in toto hoc colloquio, non Principis, non magistri, sed discipuli partes egisse; & quum videatur docere, ipsum tamen reuera, vt vnum è cæteris Apostolis, didicisse non docuisse: μετὰ τῶν ἄλλων μαθητῶν, inquit, διδασκόμενος ὁ Πέτρος συνεξηρεύγετο τῷ διδασκάλῳ τὴν δόξαν. *cum cæteris discipulis docebatur Petrus, & gloriam Magistro eructabat.* & iterum: τότε καὶ αὐτὸς διδασκόμενος, ὅτε διδάσκειν ἐφαίνετο. *tunc & ipse docebatur, cùm docere alios videbatur.* Facessat igitur commentum Baronianum de Concilio, in quo Petrus præsente Filio Dei articulos fidei condit. quam fabulam reperti sunt qui tanti facerent, vt suppresso auctoris nomine in sua scripta eam referrent: quod fecit Lucas Brugensis eruditus alioqui vir, ad istum Matthæi locum.

BEATVS ES SIMON BAR-IONA.] Basilius Seleucensis ad hæc verba notat: βεβαιώσας τοῖς ἐπαίνοις τὸν λόγον, παιδεύει τοὺς ἅπαντας. *Christus cum laudatione confirmauit Petri sermonem omnes erudijt.* Contra B. Chrysostomus ad sextum Iohannis obseruat, Dominum non laudasse Petrum neque reliquos Apostolos, post geminam huic editam confessionem. cuius dicti ille quidem rationes alias affert. Sed nos putamus vere dici posse, Petrum cùm hæc illi verba Deus dicebat, non fuisse ab eo laudatum. Sunt enim res diuersissimæ, laudare & beatum prædicare. maius enim hoc est & augustius quàm illud. Vere Philosophus in primo Nicomacheorum; δῆλον ὅτι τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος· ἀλλὰ μεῖζόν τι καὶ βέλτιον. *optimorum non est laus: sed maius aliquid & melius.* ideo, inquit, deos & τῶν ἀνδρῶν τοὺς θειοτάτους, *vt quisque virorum proxime accedit ad deos, eum* μακαρίζομεν, *beatum prædicamus.* Petrus igitur non laudatur, sed beatus esse pronuntiatur. Quoties hominem aliquem laudamus, caussas laudationis ex ipso petimus: cùm beatum dicimus, ad principium altius respicimus. Theophylactus in hunc locum:

Μακαρίζει

Μακαρίζει τὸν Πέτρον, ὡς ἐκ θείας χάριτος λαβόντα τὴν γνῶσιν. *Beatum prædicat Dominus Petrum, vt qui è diuina gratia cognitionem acceperit.* Caussa igitur beatitudinis est gratia Dei, non aliquid à Petro profectum. Nullum in eo Petri meritum, quem in huius confessionis editione Patres, vt antea dicebamus, citharæ comparant, à Spiritu Sancto pulsatæ. B. Ambrosius deuotionem Petri vocat, quam alij meritum: *Pro hac deuotione,* ait, *dicitur Petro, Beatus es.* iterum: *Quum vocaretur Simon, per hanc deuotionem vocatus est Petrus.* Enimuero tria in hoc negotio sunt obseruanda; reuelatio facta Petro, fides Petri, qui reuelationi credidit, & confessio ab eodem edita. reuelationem ex mera gratia Petro fuisse concessam, non est dubium: fidei meritum quidam tribuunt, (atque hoc meritum Tostatus Apostolorum omnium facit commune;) & multo magis confessioni: quia in confessione sit quædam difficultas, ait Abulensis. qui propterea in actu confessionis Petri meritum ponit. Non disputabo hic de voce meritum, qua B. Augustinus & alij Patres pio sensu passim sunt vsi. B. Chrysostomus mille locis & amplius voce pulcherrima vocat παῤῥησίαν, & ait nasci è præclare factorum conscientia. vnde ἀπαῤῥησίαστος illi dicitur, is qui non potest dicere Deo, libera me, quia ego tua mandata seruaui, quod facit Dauid in Psalmo admirabili CXIX. & alijs quàm plurimis. Sed παῤῥησία non est meritum, eo sensu quo multi hodie accipiunt: & in Petri confessione, quæ fuerit difficultas equidem non intelligo. Nam qui Cypriani tempore Confessores dicebantur, grauissima pro Christo mala passi erant à Paganis; & multi eorum mutilati parte aliqua corporis fuerant, quod morte ipsa est durius. itaque Confessoribus honos pene idem tributus ac Martyribus. Petrus in priuato colloquio Christum confitetur apud Christum: & quidem in loco tuto, procul à Iudæis & omnibus Corycæis, vt obseruat Chrysostomus initio homiliæ LIV. quæ est Latinis LV. Neque vero dubitari potest, Petrum qui à Spiritu Sancto gratiam reuelationis acceperat, ab eodem manantem gratiam confessionis accepisse. Quare si proprie loqui volumus, Petri nullum hic meritum. Vere tamen obseruant Patres, confessionem Petri præmium esse consecutam, vt loquitur Hilarius. Theophylactus similiter, ἀμείβεται τὸν Πέτρον ὁ Κύριος, μισθὸν αὐτῷ διδοὺς μέγαν. *Gratiam Petro rependit Deus, & mercedem illi dat magnam.* Verissime: ea enim est Dei bonitas, vt beneficia gratuito in suos collata, alijs beneficijs coronet, atque hoc mercedem appellet. Hæc propterea isto loco adnotauimus, quia ex ijs quę diximus ratio intelligitur, quare Dominus Petrum ita compellet; *Simon bar-Iona.* id est, filius Ionæ siue Iohannis. Quæritur quam ob caussam patris Simonis meminerit. Et est quidem huius quæstionis

nis solutio facilis & certa in Commentarijs Chrysostomi apud Augustinum de verbis Domini secundum Matthæum, sermone XIII. & apud alios. Sed eæ sunt diuitiæ Scripturarum, vt quemadmodum ait B. Augustinus, plures sensus & interpretationes possint esse veræ. Videtur ergo Christus, propterea suum Petro patrem reuocasse in memoriam, vt memor vilis & abiectę originis suæ magnitudinem collati in se beneficij melius intelligeret, & pluris æstimaret. Nam quid vilius patre Petri, de quo præter nomen nihil scimus? Piscator, vt videtur erat, aut filium certe suum eam artem curauerat docendum. Quanta esset autem vilitas piscatorum, & quidem eiusmodi piscatorum, quales erant Petrus & aliquot alij è Christi discipulis, prolixè declarat Chrysostomus, cùm alibi, tum in Iohannem homilia II. de ipso Iohanne & eius patre loquens. Quis igitur sapientiam Domini non admiretur, qui Petrum pronuntians beatum, quod longe superat omnem laudationem; simul illum admonet ἐξ οἵων εἰς οἷα id est, à quanta vilitate ad quantum honoris & boni fastigium sit euectus. quo etiam spectat illa locutio, *caro & sanguis*. nam apud Rabbinos sæpe, quando componuntur cum Deo homines, vilitati mortalium declarandæ, vsurpatur illa periphrasis, בשר ודם *caro & sanguis*, id est, homines, vt apud Zacuthum in Iuchasin, folio XX.

18 Et Ego Dico Tibi.] Hic incipit altera pars primaria huius colloquij: in qua Dominus post editam à Petro confessionem, consilium suum illi aperit de ædificanda Ecclesia Christiana, quę confessionem eandem perpetuo sit seruatura: simul declarat Christus Petro, velle se in eam rem illius opera ceu ministri primarij vti, & in regenda Ecclesia amplissimã se illi & collegis ipsius Apostolis potestatẽ fore daturum. Κἀγὼ δέ σοι λέγω. ad verbum, *Et ego verò tibi dico*. sed non admittit hanc phrasin Latinitas. itaq; Latinus interpres omisit particulam aduersatiuã δὲ, *verò* vel *autem*, quam ne Syrus quidem aut Arabs expresserunt. Poterat Latinitati facile consuli. Verte igitur: *Sed & ego dico tibi*, expressa vtraque particula. Nihil enim est in Scripturis tam minutum, quod si expendatur, thesaurum aliquem doctrinæ non contineat, vt sæpissime admonet Chrysostomus. quod verissimum esse, vel hic locus declarat luculentissime. Ait Dominus, Καὶ, *Et*. hæc vocula duo facta componit, quæ aliquam inter se similitudinem habent aut relationem. Potest ita exponi: reuelationi mysterij iam tibi à Patre reuelati; quod ego sim illi ὁμοούσιος, eiusdem naturæ, vt tu es eiusdem cum tuo patre naturæ: ego iam addam reuelationem alterius mysterij quod nondum nosti. Quidam è Patribus in hanc

hanc ſententiam expoſuerunt: Et tu confeſſus es quod verum erat, & ego confeſſionem tuam præmio ingenti proſequar. Addit Dominus δὲ; vt in ſimilitudine facti notetur diuerſitas longe maxima. Nam Petri quidem confeſſio, non ex eius ingenio oriebatur, ſed ex reuelatione à Deo facta: at præmium illud maximũ quod Petro Chriſtus ſe collaturum promittit, & tota Eccleſiæ ipſius ſtructura, ab eius poteſtate pendet; vt qui ſit vere non precario Deus, quod veteres nouique Arriani blaſphemi homines, ſceleſtiſſime & impijſſime iactitant. Sed Dominus vt poteſtatem habens loquitur, *ædificabo*, & *dabo tibi*. quemadmodum & Chryſoſtomus & alij Patres diuinitus obſeruant. En quam non otioſæ ſint hę voculę κἀ & δὲ, in Gręco textu, non temerè à Spiritu Sancto poſitæ. Etiam illa verba *Ego dico* verba ſunt ἀξιωματικὰ, vt Græci appellant, & plena Maieſtatis: quam videntur voluiſſe exprimere olim, qui verba Domini concinnarunt in formam eiuſmodi: *Amen amen dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. vt habent Theodoretus & Auguſtinus ſermone XXXIX. De ſanctis.

TIBI.] Petrum compellat, quum ea dicat Petro, quæ ad omnes Apoſtolos pertinebant. Quam eius rei cauſſam afferant Patres, ſæpius iam indicauimus. Sed vrgent nonnulli dicta quædam Patrum, contrariam, vt iſti volunt videri, ſententiam continentia: perperam, & contra veram auctorum ſententiam. Vnico id demonſtraſſe exemplo ſatis erit. Auguſtinus eo ſermone cuius modò memini: *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es P. &c.* Afferuntur hodie hæc verba, & acriter vrgentur. Sed veriſſimum eſt, quod alibi dicebamus, abſurdiſſime facere illos, qui de Patrum ſententia ex illorum homilijs potius ſtatuunt, quàm ex eorundem ſcriptis didacticis. Fere enim ſermones eius generis, qui ad laudandos Sanctos ſunt habiti, legem ſeruant encomiorum, non exactam veritatis normam. Quis autem neſcit Auguſtini eam fuiſſe ſententiam, vt crederet, Petrum in ea actione perſonas omnium Apoſtolorum, imò vniuerſam Eccleſiam repræſentaſſe? quinetiam in illo ſermone id præcipue agit Auguſtinus, vt Petrum & Paulum inter ſe comparans pares omnino illos fuiſſe demonſtret; Paulum enim Petro non minorem fuiſſe aliquoties verbis diſertis affirmat. Teneamus igitur, quod eſt veriſſimum, certiſſimum, quicquid illud eſt quod Petro ſequentibus verbis promittitur, id omne & cæteris Apoſtolis in vnius Petri perſona eſſe promiſſum. Epiſcopus Abulenſis, quæſtione LX. *Poteſt dici quod cæteri Apoſtoli meruerunt credendo, ſicut & Petrus; & præmium eis redditur; quia tamen ſolus hic Petrus locutus eſt, reſpondit ei ſoli Chriſtus, dirigendo verba ad eum. Et tamen verba quæ Petro dantur pro hac fide, dantur etiam*

alijs,

aliis, quum eadem sit fides omnium. Et potissime, quia quædam hic dicuntur, quæ non debuerunt dici à principio, in persona multorum; scilicet collatio clauium; sed in vnius persona ad significandum vnitatem; in qua solum clauium vsus debitus est.

TV ES PETRVS,] Tu is es cui ego in primo ad me aduentu nouum nomen imposui, Cephas, id est, Petrus; vel me impositurum promisi, quod ecce nunc præsto. Priorem interpretationem videri veriorem, antè dicebamus: & posterior tamen suos auctores habet. Chrysostomus hîc: σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, *Tu vocaberis Cephas*: quasi tunc primùm nouum cognomen Petro esset impositum. Baronius in hac historia tempora confundit: vult enim promissionem factam à Christo, *gratiam rependente*, inquit, *propter confessionem: atque impræsentiarum id Petrum esse feliciter consecutum, quod fuerat antè promissum.* Sed promissio, quæ initio Euangelij Iohannis habetur, confessionem, qua dehîc Matthæus, duobus minimũ annis antecessit; si modò Euangelicæ historiæ tempora, cùm ab alijs viris eruditissimis, tum ab ipso Baronio, rectè sunt digesta. Quomodo igitur illud stabit, promissionem factam esse à Christo *gratiam rependente*? Faciunt & Patres mentionem ἀμοιβῆς, præmij, quod Iesus Petro rependit: sed olim id fuisse promissum, propter futuram Petri confessionem, id verò non dicunt Patres. Quæri potest; si non imponitur hic Simoni nouum nomen, sed iam antè fuerat illi impositum; quorsum dicitur iam ipsi à Christo, *Tu es Petrus*? Responderi potest varie. Nam primo, fuit hæc Domino consuetudo, vt spiritualis doctrinæ arcana patefacturus, occasionem, ac velut ansam sermonum suorum sumeret interdum, ex aliqua rerum sensibilium similitudine. Sic differens cum muliere Samaritana, quæ aquam haustura venerat, doctrinam suam appellans aquam, *Qui biberit* inquit, *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*; Iohan. capite quarto. Sic in sexto eiusdem Euangelistæ, turbas panem desiderantes alendo corpori, ad rerum cœlestium cupiditatem reuocans, doctrinam suam nominat panem. Simile quid etiam hoc loco licet obseruare. Nam quia Simoni iam antè Petri nomen imposuerat; sumit ex eo Dominus occasionem dicendi illi; *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* quasi diceret; Tibi quidem à Petra nomen est Petro inditum; sed ego maiora iam molior, & super illa ipsa Petra Ecclesiam meam paro ædificare. Deinde etiam hoc modo potest responderi: Quemadmodum paullo antè Christus, cùm beatum prædicabat Petrum, priorem illius appellationem vsurpans, & patris quoque nomen adijciens, suæ illum humilis, & abiectæ originis iuit admonitum: ita nunc, cùm magnum illud

illud ſuum inceptum incipit Apoſtolis patefacere apertius,& eius ędificij curandi prouinciam, cum cæteris omnibus, tum imprimis Petro, parat demandare; nouum de induſtria nomen ipſi in memoriam reuocat, vt animum illius erigat, ſicut etiam Chryſoſtomus in hunc locum ſcribit. Simoni enim datum fuit Petri nomen, ſicut antè obſeruabamus, velut ſymbolum & pignus aliquod auxilij diuini, per quod in rerum maximarum adminiſtratione futurus eſſet inſtar petræ alicuius firmus, conſtans & intrepidus. *Petra* in omnibus linguis figurate accipitur ad firmitudinis & roboris ſignificationem; ſed naturalis. Nam ſi ego dicam de Titio aut Męuio, *Hic eſt fortis, vt petra aut rupes*; ſicut eſt apud poetá de Latino; *Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit*; hoc ſignificauero; ineſſe ei viro robur, quantum maximum in hominem ſolet cadere. At Petri fortitudo, toto genere fuit res diuerſa; quippe non naturalis, ſed ſupernaturalis, vt à Chriſto petra manans, qui homini vires ſupra hominem poteſt ſufficere. Propterea Patres non dicunt ſimpliciter, à petra dictum eſſe Simonem Petrum; ſed à Chriſto Petra; vocatur autem Chriſtus Petra, vt oſtendemus, quod ſit Deus manens in æternum. Quare illa verba; *Tu es Petrus*, ſic accipienda, vt ſi dixiſſet Dominus, Tu is es, quem ego Petrum dixi, à vera Petra. Petra autem vera ego ſum; quem tu modò confeſſus es Dei viuentis eſſe Filium. Obſeruant grammatici Græcorum, aliud eſſe πέτρας, aliud πέτρον: nam πέτραν eſſe rupem aut ſaxum ingens: πέτρον verò paruum lapidem, quales ſunt, qui Gręcis χερμάδες & χερμάδια, quod manum impleant dicuntur. Homerus Iliad. Φ. -- ἑτέρηφι δ' λάζετο πέτρον μάρμαρον, ὀκριόεντα, τὸν ἡ περὶ χεὶρ ἐκάλυψε. alibi pro eodem ponit χερμάδιον: vt, χερμάδιον λάβε χειρί. Euſtathius ad hęc verba Iliad. N. ὀλοοίτροχος, ὡς ἀπὸ πέτρης, adnotat; πέτραν eſſe montem; at πέτρον vel λίθον, ὃ τῆς πέτρας ἀποτμηθέν; *particulam è monte reſectam.* quod & poetæ verſus innuit, Odyſſ. K. de Læſtrygonibus:

Οἵ ῥ' ἀπὸ πετράων ἀνδραχθέσι χερμαδίοισι βάλλον. Hæc grammatica obſeruatio huic loco apprime conuenit. Nam vt ait Auguſtinus, non ſemel, & Ambroſius alicubi pluribus perſequitur; ſicut à Chriſto dicitur Chriſtianus; ſic à Petra, quod eſt alterum eiuſdem nomen, dictus eſt Petrus. Non igitur idem eſt Petra & Petrus: Chriſtus eſt rupes, Petrus eſt lapis ab illa rupe exciſus. Chriſtus eſt fortitudo ipſa & αὐτοδύναμις; Petrus eſt δυνατὸς, *fortis*, quia accipit vires à Petra. In idiomate Syriaco eadem diſtinctio, quod ad rem quidem ipſam attinet, locum habet; etſi in ipſis vocibus non ita clare apparet. apparet tamen etiam ibi, ſi res diligenter expendatur. Chriſtus eſt כאפא genere fæminino; nam ea vox Syris pro petra eſt fæminei generis: vt intelligamus

mus

mus illum esse τὴν αὐτοφυῆ πέτραν, vel vt Platonici dicerent, τὴν αὐτοπέτραν, ipsissimam, inquam, originem eius fortitudinis & virtutis, quę denotatur appellatione Cephæ; quæque Ecclesiæ vniuersæ compagem continet. Petrus mutato genere ὁ כאפא Cephas, tanquam à Cepha Petra denominatus. Quod in terminatione nulla est diuersitas, genio Syriacæ linguæ est tribuendum, quæ virorum nomina istius formæ, ab alijs substantiuis deriuata, ὁμωνύμως effert, non παρωνύμως, vt fere Græca & Latina; qua de re affatim dictum est, ad annum XXXI. diatriba XVI. In re quidem ipsa nihil propterea diuersitatis. Nam qui existimant, quod alicubi excidit Baronio, si à Petra Petrus esset deductum nomen, neque ipse Petrus esset petra vt Christus, non Petrum sed Petrinum fuisse nominandum: imperitiâ analogiæ, quæ est anima Grammaticæ, pueriliter errant. An enim negabunt Tullijs quondam & Calpurnijs à cicere & piso leguminibus nomina esse indita? & tamen *Cicero* dictus est primus Tullius, & *Piso* primus Calpurnius, qui eas appellationes ad posteros suos transmiserunt, non *Cicerinus*, neque *Pisinus*. sexcenta sunt id genus exempla. Errant etiam & quidem grauissime, qui existimant inter hæc duo nomina, Cepha Petra, & Cepha Petrus, nullum esse discrimen, quia literis scribuntur ijsdem: quod cum dicunt, grammaticorum pariter & philosophorum pueris propinant sese ridendos. Proprie & verè illa nomina sunt eadem, quorum significatio est eadem, non quæ scribuntur literis ijsdem. *Leo* brutum animal, & *Leo* hominis nomen, eodem modo scribuntur; sed diuersissime definiuntur, quia ὁ λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, vt de homonymis loquitur Philosophus; diuersa igitur nomina sunt. *Merula*, auis, *Merula*, viri nomen, non magis eadem nomina sunt, si proprie & ex rei veritate loqui volumus; quàm *amare* φιλεῖν, & *amare* πικρῶς. Simillime igitur *Cepha* & *Cepha* Petrus, si literas spectes κοινὸν ὄνομα, vt appellat Aristoteles homonyma: si τὸν λόγον τῆς οὐσίας, & definitionem vtriusque dictionis, res sunt diuersæ, ac multo magis inuicem distantes, quàm distent cœlum & terra. Falsissimum igitur est, & longe absurdissimum, quod à paucis annis fulciendæ nouæ Monarchiæ ab Hildebrandistis Nouatoribus excogitatum, passim hodie ab ijsdem occinitur: Petrum esse Petram, quomodo Christus est Petra; (accuratiores inter illos, vnam saltem aut alteram distinctiunculam adhibent:) quia Dominus, hîc illum compellans, voce eadem absque vllo discrimine bis vtens dixerit; אנת הו באפא ועל הרא באפא, *Tu es Cepha, & super hac Cepha.* falsitas huius argumentationis ex ijs quæ diximus paret manifestissime. Et verè Augustinus, quem hodie omnes Hildebrandistæ vt indoctum & imperitia Syriaci idiomatis lapsum, non verentur suggillare, Retract. lib.

lib. I. cap. XXI. *Non dictum est Petro, Tu es Petra: sed, Tu es Petrus: Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.* Ausus tamen Baronius, errorem illum secutus, Gręcum textum emendare, atque ita describere; *Tu es Cephas & super hanc Cepham, ædificabo Ecclesiam meam.* deinde Latinum interpretem Tridenti factum authenticum, Patrum illorum suorum auctoritate spreta, pari licentia corrigens, *Latine*, inquit, *sic dicenda sententia, Tu es petra, & super hanc petram.* En vere nouam nouitatem, ante hęc nouissima tempora, nunquam auditam. Nam cui veterum Patrum ante hos centum annos, suboluit huius arcani? Syrus interpres in partes trahi non potest, neq; Hebræus: quia apud illos ex ipso genio illarum linguarum necessario committitur homonymia in his vocibus: isti vero longe alio fine eandem homonymiam hodie primum in Latina lingua putide affectant. Syrus igitur & Hebræus in verbis Domini *Cepha* priore loco posuerunt pro *Petrus*: quem etiam alibi sic solent nominare. Scio Arabem paraphrasten aliter vertisse & plane congruenter correctioni Baronianę; אנת אלצהרה *Tu es petra.* nam alibi Petrus illi non ea voce nominatur, sed בטרס: quare non reliquit ambiguum quomodo verba Christi vellet accipi, vt Syrus & Hebræus; verùm in sententiam hodiernorum Hildebrandistarum non pedibus quidem, sed calamo palàm iuit. Sed nos tirones horum studiorum semel volumus monitos; illam Arabicam paraphrasin, quæ magno alioquin bono literarum Româ prodijt, recentem esse admodum, & multo meliores illa alibi reperiri: hanc verò nuper natam & Romæ editam interdum ῥωμαΐζειν: quod nusquam tamen certius deprehendi potest, quàm hoc loco. At per Deum immortalem, cui vere pio religio non erit verborum quæ protulit Dominus Petrum alloquens alium quærere interpretem, quàm ipsum Spiritum Sanctum, à quo sine dubio, textus Gręcus est profectus? Quum igitur verba Syriaca Domini Iesu, אנת הו באמא auctore Spiritu Sancto versa sint Σὺ εἶ Πέτρος, *Tu es Petrus*; intolerabilis est istorum Nouatorum audacia, quos Spiritui Sancto obstrepere non pudet; & dicere; non sic verti debuisse, verùm, Σὺ εἶ πέτρα, *Tu es petra.* Matthæum Hebraice scripsisse, nos quidem non negamus, multis veterum id affirmantibus: sed primitiuam Ecclesiam, iam inde ab ipso primo illius exordio, Euangelio Matthei Gręcè scripto esse vsam, & Græcum textum pro authentico habuisse, omni asseueratione nos confirmamus. Auctorem textus Græci fuisse Iacobum fratrem Domini, Athanasius grauis auctor, memorię prodidit: Iohannem Euangelistam alij dicunt, vt legitur in vita Matthæi, & apud Theophylactum: sunt qui Barnabæ Apostolo, sunt qui Lucę &

Paulo

Paulo id ipsum attribuunt. Quæ diuersitas sententiarum, vt de vero auctore certò pronuntiare nos vetat: ita illud certissimè demonstrat; ipsis Apostolorum temporibus, ab vno illorum, aut illorum auspicijs, vel potius Spiritus Sancti, cuius ipsi erant organa, Græcum textum ex Hebraico esse confectum. Constat sane, Ecclesiam Dei hunc ipsum textum inter libros Canonis sacri relatum, pari cum cæteris libris veneratione esse prosecutam: quod neque in Syriaca versione, quam tamen antiquissimam esse non dubitatur, neque in vlla alia reperitur esse factum. Verum textum Hebraicum Thomas fortasse & alij Apostoli in Orientis regiones vlteriores detulerunt: is certe quem vidisse ait Hieronymus, cuiusque meminit Epiphanius, non fuit ille γνήσιος textus Hebraicus, quem scripserat Matthæus: sed apographum quoddam illius, miris modis corruptũ: quod propterea in nullo vsu Ecclesijs illorum locorum & temporum fuit; sed in paucissimorum virorum eruditorum bibliothecis latebat, vt ostendit Hieronymus, proprium hæreticorum Ebionitarum & Nazaræorum, Catholicæ Ecclesiæ damnatum: quę, vt vere ait Dionysius Carthusianus, in secundum caput Iohannis, Hebraicum illud Euangelium inter falsa semper computauit. Quare error est periculosissimus, ne dicam hæresis, obtentu Hebraici contextus, qui iam inde à principio reperiri desijt in Orbis nostri notis Ecclesijs, Græci auctoritatem velle eleuare; quod omnes hodie Hildebrandinorum sacrorum mystæ in hac quæstione faciunt: Baronius verò etiam in alijs, vt in anno sequente, num. CLXX. vbi errorem illius pluribus confutauimus.

ET SVPER HANC PETRAM ÆD.] *Super hanc petram.* Quam? Veteres Patres, quorum auctoritatem illi persæpe minimi faciunt, qui plurimum illis tribuere volunt videri; pro ea libertate, quæ in Ecclesia olim vigebat; horum verborum interpretationes reperiuntur secuti, nonnihil inter se diuersas: ac proinde, illis auctoribus, ad propositam quæstionem varie potest responderi. Præcipuas Patrum sententias breuiter indicabimus. Prima esto illorum, qui vnumquemq; fidelium PETRAE nomine voluerunt designari. Origenes in Matthæum tractatu primo: *Luce cordi nostro illucescente, à patre qui in cœlis est, efficimur Petrus: & nobis dicetur, quod hunc sermonem sequitur, Tu es Petrus, &c. Petra est enim, quisquis Petri discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente Petra. Et super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina. In vnoquoque enim profecto est quæ à Deo ædificatur Ecclesia.* Hæc interpretatio facit illa quidem & Petrum esse petram, siue fundamentum Ecclesiæ: sed non solum, verùm communiter cum alijs omnibus non

tantum

tantum Apoſtolis, ſed cunctis electis. Itaque ſubijcit Origenes: *Quod ſi ſuper vnum illum Petrum tantum exiſtimas ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de Iohanne filio tonitrui, & Apoſtolorum vnoquoq;?* & plura in eam ſententiam. Gregorius Nyſſenus in elegantiſſimo libello de perfectione, poſtquam Chriſti nomen PETRA expoſuit: διὰ τούτων, inquit, καὶ τὴν τοιούτων πέτρα καὶ ἡμεῖς ἐσόμεθα, μιμούμενοι καθὼς ἐστὶ δυνατόν, ἐν τῇ τρεπτῇ φύσει τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀμετάθετον. *per hæc & ſimilia his, ipſi quoque fiemus* PETRA, *ſi imitati fuerimus, quantum fas eſt in mutabili natura, Domini noſtri naturam, neque conuerſioni, neque mutationi obnoxiam.* Ambroſius libro ſexto in Euangelium Lucæ: *Qui carnem vicerit, Eccleſiæ fundamentum eſt: & ſi æquari Petro non poteſt, imitari poteſt.* Poſtea: *Petra eſt Chriſtus; qui etiam diſcipulo ſuo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipſe ſit Petrus, quod de Petra habeat ſoliditatem conſtantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo, vt & tu petra ſis. Itaque non extra te, ſed intra te petram require.* Thomas in Catena aurea, ſiue continuo in quatuor Euangeliſtas commentario, ſic ex Origene: *Petra eſt omnis, qui imitator eſt Chriſti; aduerſus quem autem portæ præualent Inferorum, ille nec petra dicendus eſt, neque Eccleſia, neque pars Eccleſiæ, quam Chriſtus ſuper petram ædificat.* Secunda ſententia eſto illorum Patrum, qui appellatione Petræ intellexiſſe Dominum crediderunt Petri fidem, ſiue confeſſionem à Petro hîc editam. Chryſoſtomus diſerte in hunc locum: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ· τουτέστι, τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. Theophylactus itidem: αὕτη ἡ ὁμολογία ἣν ὡμολόγησας θεμέλιον μέλλει εἶναι τῶν πιστευόντων. *Hæc confeſſio quam confeſſus es, fundamentum erit credentium.* Auguſtinus in epiſtolam I. Iohannis, tractatu x. *Quid eſt, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Super hanc fidem; ſuper id quod dictum eſt, Tu es Chriſtus Filius Dei; Super hanc petram fundabo Eccleſiam meam.* Omnium optime hanc ſententiam declarat Baſilius Seleucenſis, ſermone in hanc Matthæi pericopam: Ταύτην τὴν ὁμολογίαν πέτραν καλέσας ὁ Χριστός, Πέτρον ὀνομάζει τὸν πρώτως ταύτην ὁμολογήσαντα. γνώρισμα τῆς ὁμολογίας τὴν προσηγορίαν δωρούμενος. αὕτη γὰρ ἀληθῶς εὐσεβείας ἡ πέτρα· αὕτη σωτηρίας ἡ κρηπίς· τοῦτο τῆς πίστεως τὸ τεῖχος· τοῦτο ὁ τῆς ἀληθείας θεμέλιος· θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι, παρὰ τὸν κείμενον ὅς ἐστι Ἰησοῦς Χριστός. *Hanc confeſſionem quum nominaſſet Chriſtus* PETRAM, *Petrum nuncupat eum, qui primus illam eſt confeſſus: donans illi hanc appellationem, tanquam inſigne & monumentum huius confeſſionis. Hæc enim eſt reuera pietatis petra: hæc ſalutis crepido, ſiue baſis: hic fidei murus: hoc veritatis fundamentum: fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, Ieſus Chriſtus.* Tertia illorum fuit ſententia, qui per petram κυρίως Petrum putarunt intelligendum; quorum teſtimonia paullo poſt recitantur nonnulla à Baronio, & plura paſſim occurrunt, quæ nullum ſit operæpre-

tium

tium hic describere. Quarta fuit eorum, qui veram petram,& verum Ecclesiæ fundamentum volunt intelligi, ipsum Christum: quomodo vocem PETRA esse isto loco accipiendam accurate & copiose docet magnus Augustinus pluribus locis, vt in Iohannem, tractatu CXXIV. De Trinitate libro secundo, cap. XVII. & multo vberius De verbis Domini secundum Matth. sermone XIII. & Retract. lib. I. cap. XXI. Cum Augustino & Patres alij sentiunt plures; sed instar omnium Patrum Paulus esto, quo fidelior mentis verborumq; Domini interpres, ne fingi quidem potest. Sunt autem Pauli verba, I. Cor. III. 2. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est* CHRISTVS IESVS. Neq; tamen obstat Paulinum hoc oraculum, quin & superiores Patrum interpretationes rectæ sint & orthodoxæ. Non enim rebus ipsis differunt inter se quatuor istæ sententiæ; sed modo tantum & ratione. Quemadmodum enim, si quis pius homo dicat, *Deus me sanauit*; aut *Medicus me sanauit*; aut *Rhabarbarum me sanauit*; etsi diuersis locutionibus, communem loquendi consuetudinē sequens, vtitur; idem tamen semper sentit: nempe sanatum se à Deo tanquam à caussa efficiente prima; à Medico, tanquam caussa secunda: à Rha-barbaro, ceu instrumento. Sic prorsus Patres, quando dixerunt ædificatam esse Ecclesiam super Christo, item super Petro, vel vnoquoque fidelium, necnon super fide, aut confessione fidei; in re optime consentiebant, & vt Augustinus dicere solet, locutionum hęc fuit diuersitas, non sententiarum. Christus nempe ædificij Ecclesiæ prima caussa efficiens, à quo ceu fonte vnico, vis omnis oritur, quę Ecclesiam instituit, tuetur, & facit durare. Petrus dum viueret, caussa efficiens secundaria extitit, vt Apostolus, & Apostolorum princeps: quos ait Paulus esse in isto opere Christi συνεργούς, & quasi operæ socios: post eiusdem verò obitum, Petri doctrina, quam viuus docuerat voce & scripto, quę μετωνυμικῶς sæpe dicitur Petrus in scriptis Patrum, & fuit, & est hodieque, ac semper erit, Ecclesiæ firmissimum fundamentum. Fides caussa est instrumentalis: vnusquisque fidelium, caussa materialis Templi Dei, *quod ædificatur*, ait August. in Enchir. ad Laur. *ex dijs, quos facit non factus Deus*. Quis neget omnes has piorum Patrum expositiones pias esse & orthodoxas? Omnes enim in vnum congruunt, adeóque sibi inuicem sunt affines, vt passim obseruare liceat, eosdem Patres modò hanc modò illam è superioribus expositionibus sequi, amplecti & proposito suo accommodare. Igitur Augustinus, qui tot locis tam expresse PETRAM exponit de Christo; alibi de fide accipit, & confessione Petri, vt in Ioh. I. epist. tractatu x. alibi etiam de Petro. Origenes qui primo in Matth. tractatu de sin-

gulis fidelibus vocem Petra contendit accipiendum : idem alibi de Petro verbis expressissimis interpretatur ; vt in Exodum homilia v. *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino.* Chrysostomi & Theophylacti verba attulimus, *Petram* explicantium, confessionem fidei : at quoties ijdem ex istis verbis Domini Petrum vocant petram, aut τὴν τῶν Χειστοῦ πέτραν ἀῤῥαγῆ ? & vt mox docebimus, Theophylacto hæ duę locutiones, *Ecclesia ædificatur super Petro*, &, *Ecclesia ædificatur super fide quam Petrus est confessus*, plane idem significant, & pro eodem vsurpantur. Hilarij in sexto libro De Trinitate contra Arrianos sunt ista : *beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens.* & in Matthæum canone XVI. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra* : & similia his alibi. Sed & hæc sunt ejusdem Patris verba, & quidem ex eodem libro illo sexto : *Super hanc confessionis petram Eccesiæ ædificatio est.* Mox de eadem Petri confessione loquens : *Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est : per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum.* Ibidem : *Petrus Filium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hæc reuelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum, hæc securitas æternitatis est.* Ad hunc modum solent Patres non solum in diuersis scriptis, sed etiam in eadem disputatione, vnam aut alteram è superioribus interpretationibus vsurpare. Basilius verò Seleucensis, eo quem paullo ante descripsimus loco, initio petram de fidei confessione exponens, mox in alteram interpretationem desinit, & solum Christum petram esse & fundamentum Ecclesiæ pronuntiat : clare nos docens, quomodo verba sint accipienda illorum è Patribus, qui aliter vocem PETRAM in Domini verbis videntur esse interpretati. Nam & hi suam Christo gloriam voluerunt manere intactam atque illibatam : *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.* Rom. XI. 36. Hæc quum ita sint, quis non demiretur, non indignetur, nouos patronos nouæ doctrinæ de Romani Pontificis Monarchia, ex omnibus Patrum expositionibus quas indicauimus, vnicam hodie probare, vnicam admittere ; eam nimirum, quę Petrum statuit, petram fundamentalem Ecclesiæ : cæteris omnibus nigrum Theta præfigere ; illam verò omnium maxime aspernari, reijcere, damnare, quæ Petram pronuntiat ipsum esse Christum ? Baronij paullo post insignia verba sunt : *Hanc sententiam*, inquit, de Petro interpretans, *Nouatores destruere volentes cauillationibus eò* AMENTIAE *prouecti sunt, vt dicere non erubescentes, eam non esse intelligendam de Petro,* SED DE CHRISTO, *in alienum prorsus sensum, & longe à vero diuersum, distrahere hæc verba non veriti sint.* Maldonatus audacter pronuntiat,

nuntiat; *nihil magis à sensu Christi alienum cogitari posse, quam vt dicere voluerit, super se ipsum, aut super aliam rem, quàm super Petrum fundatam Ecclesiam.* & quum vbique virulentus hic scriptor in magnos viros, pro sua modestia, pari petulantia & impudentia debacchetur; nusquam tamen maledicæ linguæ suæ laxiores habenas indulsit, quàm in hac disputatione; *hæreticos* tertio quoque verbo nominans illos, qui eandem cum Augustino & alijs sententiam tuentes, PETRAM exponunt de Christo: cuius Maiestatem defendere, hodie est hæresin committere. Bellarminus verò appositissime ad fallendum incautos & veritatis securos: qui libro primo de Romano Pontifice, commemorans quatuor paullo ante allatas expositiones; *Prima,* inquit, *est Catholicorũ communis; quæ Petram vult esse ipsum Petrum: cæteræ Erasmi, Caluini, Lutheri.* similia his Stapletonus, Suarius, alij caussæ eiusdem patroni. Adeo, vehemens studium partium, & veritatis hac in parte odium, plus quàm Vatinianum, vere θεήλατον πάθος, viros alioquin insignes excæcarunt. Nam si istorum stetur sententiæ, Catholicorum albo expungendi sunt Hilarius, Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Basilius Seleucensis, Theodoretus, Theophylactus, Lyranus & ipse Glossæ Ordinariæ auctor Strabus, atque vno verbo, præcipui quique Patrum; quos verba Christi aliter quàm istis Aristarchis placet, persæpe exposuisse, nemo ignorat, nisi qui scripta illorum nunquam attigit. Restat videamus, quam efficacibus pugnent isti argumentis, vt euincant, verba illa, *Et super hanc petram æd.* &c. de Christo accipi non posse. Omnium accuratissimè quod equidem sciam, eiusmodi argumenta congessit in hunc locum Maldonatus, acris & magni ingenij vir; si affectibus, si linguæ, si odio veritatis, potuisset moderari. Age igitur Maldonati rationes, breuiter si lubet, expendamus. *Primum,* inquit ille, *quis non videt pronomen demonstratiuum* hanc *positum esse loco relatiui, perinde ac si dixisset, Tu es Petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam.* Esto: concedamus pronomen *hanc* positum esse loco relatiui, vt vult Maldonatus: sed quomodo relatiuum feminini generis referetur ad antecedens diuersi generis? non enim opinor, *hanc* & *Petrus,* in genere conueniunt. & tamen quasi nulla esset in eo difficultas, *quis non videt?* inquit. Respondeo: B. Chysostomus, & B. Augustinus, & quicunque in huius loci interpretatione cum illis senserunt; nihil huius viderunt. Omnes enim pronomen *hanc,* non ad proximam vocem *Petrus,* retulerunt; sed ad confessionem Petri versiculo præcedente comprehensam. Chrysostomus ipsam confessionem hoc pronomine putauit significatam. *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ· τοῦτ᾽ ἐστι, τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. super hac petra; hoc est, super fide*

 confessionis.

confeßionis. Augustinus non ad actum confessionis, sed ad rem confessione designatam, retulit: Christum nempe, quem Petrus est confessus. Sermone XIII. de verbis Domini secundum Mat. *Tu es ergo,* inquit, *Petrus ; & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti, dicens, Tu es Christus, filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam.* & sæpe alibi. Est aliqua in modo interpretationis discrepantia; quum in re nulla sit, vt iam ostendimus : in eo autem conueniunt, quod pronomen *hanc* non ad nomen Petrus, sed ad pręcedentem versum retulerunt. Non igitur ita clarum & certum est, quod tuetur Maldonatus, vt debeat dicere, *quis non videt ?* Chrysostomus & Augustinus, duo fuêre præcipui auctores duarum expositionum, quas post illos plurimi sunt secuti: multi, sine dubio, ante illos fuerant secuti. quod Chrysostomus & Augustinus non viderunt, nemo illorum vidit, qui easdem cum ipsis sententias probarunt. Verùm, vt rationibus agamus, non solum auctoritatibus; dicimus, pronomen ταύτῃ, *hac,* vel, quia sic vertit Latinus interpres, *hanc,* duobus modis per leges rectæ interpretationis, posse accipi ; vno, vt vim relatiui habeat, siue vt loquitur Apollonius, ἀναφορικῆς ἀντωνυμίας; altero, vt accipiatur δεικτικῶς. Si pro relatiuo accipias, aut referetur ad præcedentem confessionem: quomodo factum esse dicebamus, ab ijs qui *petram* exponunt fidei confessionem, item ab ijs qui Christum ipsum volunt significari: aut ad vocem *petram* in præcedente dictione *Petrus* inclusam. nam vt antè monebamus, verba *Tu es Petrus* hoc significant, Tibi nomen Petro inditum est à Petra Christo. Nouum non est, vt relatio fiat ad vocem in præcedente aliqua dictione latentem. Homerus Iliad. Ω. σαώσετο ἄστυ καὶ αὐτούς. *seruauit oppidum & ipsos.* hîc pronomen αὐτοὺς, cui innitatur non habet; nisi latentem in voce ἄστυ, dictionem ἀστοὺς subintelligas, quod & Eustathius obseruat. Athenæus libro XIV. πολυήγυεις τῶν πολυήμερος, ἧς ἐν μιᾷ. hîc ad vocem μιᾷ, repetendum vocabulũ ἡμέρα, quod potestate continetur in præcedente dictione πολυήμερος. Iohannis VIII. 44. de Diabolo, ὅτι ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. *quia mendax est, & pater eius.* quid *eius?* nempe τοῦ ψεύδους, *mendacij*; quod verbi repeti debet è præcedente *mendax.* Hic verò eò facilius huic figurę locus esse potest, quia vox ipsa, quæ includebatur in nomine Petrus est expressa à Christo. Ita igitur connecti potest sententia. *Tu es Petrus,* à me Petra sic dictus; *super qua Petra ædificabo Ecclesiam meam.* Quid in hac expositione est adeo coacti, vt admitti non queat? Sin pronomen demonstratiuum proprie & δεικτικῶς interpretari lubeat, id quoque per leges rectę interpretationis licet; adeóque absurda non erit expositio, vt etiam venustatem non translatitiam locutio Domini sit habitura.

tura. Nam in omnibus linguis pronomina demonstratiua elegantissime interdum accipiuntur de loquentis persona. Ita interpretati sunt veteres Critici, illud Comici: *Tu si hic sis, aliter sentias.* Hic, ὅδ᾽ ἀνήρ, ego. Apud Sophoclem in Oedipo Coloneo, Polynices petit à Patre vt ignoscat, ὁρμωμένῳ τῷδ᾽ ἀνδρὶ τοὐμοῦ πρὸς κασιγνήτου τίσιν: *huic viro, ruenti* (accincto, parato) *ad vltionem fratris mei.* Hvic Viro, hoc est, mihi: atque hoc loquendi genere delectari Sophoclem, notat Scholiastes. Τῷδ᾽ ἀνδρὶ] δεικτικῶς. καὶ ἔστι πυκνὸς ἐν τῷ τοιούτῳ Σοφοκλῆς. verissime. Paullo post: Ὦ παῖδες ἥκει τῷδ᾽ ἐπ᾽ ἀνδρὶ θέσφατος βίου τελευτή. *O liberi, venit huic viro prædicta oraculo mors.* pro, mihi. In Trachiniis; Μηδ᾽ ἔπι δράσῃς, τῆς δέ γε ζώσης ἔτι. *si quid mali paras in meos, ne feceris hac superstite.* Hac, id est, me. Ita omnino accipiendum, quod ait Dominus Iudæis, Iohannis II. 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον. *Soluite templum hoc* dixit, corpus suum indicans, vt exponit Iohannes. Quare τοῦτον, accipiendum δεικτικῶς; estque verisimile, Christum cùm hanc vocem pronunciauit, suummetipsius corpus indicasse, vel palma pectus percutiendo, vt fieri amat, vel alio gestu. Sic igitur, *super hac petra*, non absurde, verùm eleganter dictum fuerit, pro super me; Domino nostro vocem suam gestu adiuuante, quod Græci dicunt λέγειν δεικτικῶς. Ex his apparet, quàm inique faciant, qui B. Augustinum traducunt velut imperitum, quod verba Christi de ipso Christo interpretatur. *Super me, inquit, ædificabo te, non me super te.* Adeo enim vituperari hæc interpretatio non debet, vt vel propter locutionis elegantiam mereatur approbari. Quum autem plures alij Patres de Christo vocem *petra* exposuerint; cur solus conuenitur Augustinus? Pergit Maldonatus; *Petrus enim & petra idem sunt. Nam quod Caluinus dicit, non sine caussa Euangelistam orationem variasse; cumque dixisset,* Tu es Petrus, *secundo loco non dixisse super Petrum, sed* super hanc petram, *vt aliam petram quàm Petrum significaret; puerile & ridiculum est. Nec enim Matthæus Græca, sed Hebraica, aut Chaldaica & Syriaca lingua scripsit. Quibus linguis ista generis differentia, quæ Græce & Latine est inter Petrum & petram, non reperitur: sed vno eodemq. nomine, siue Hebraice siue Syriacè Christus dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si veritatis quantam par est, habere rationem volumus, aliter quàm vna litura corrigi ista omnia non merentur. Primò, falsum est, *Petrum* & *petram* idem esse. Si vocum proprietatem respicimus, probauimus aliud esse πέτρον, aliud πέτραν. Si verba Christi diligenter examinamus; probauimus, cùm dixit Dominus, *Tu es Cepha, & super hanc cepham æd.* priore loco proprium esse nomen Simonis; quod sine extrema impudentia negari non potest. Nam constat inter omnes interpretes, Christum isto loco,

loco, aut nouum nomen Simoni imposuisse ; aut ante impositum vsurpasse, & mysterium in eo nomine latens aperuisse. posteriore loco aliter recte accipi posse nomen *petra* & res ipsa, & auctoritas Patrum, de quibus diximus, & ipsa generis mutatio, euincunt. Doceamus hoc ipsum familiari exemplo; si forte duris & ceruicosis Capitonibus veritas possit persuaderi. Inter Augusti libertos erat Antonius Musa, medicus, qui apud patronũ in præcipua gratia fuit. Fingamus huic Musę seruum fuisse, cui cùm libertatem daret & cognomen Musæ similiter imponeret, hæc verba dixerit: *Tu es Musa, & super hac Musa spes eruditionis tuæ erunt repositæ.* Ecce *Musa Musa*, vt *Cepha* & *Cepha*. an dicemus nomen esse vnicum bis positum ? minime. nam priore loco Musa est proprium viri nomen seruo illi impositum : posteriore, quia δεικτικῶς hoc pronunciatũ est; de ipso qui loquitur est intelligendum : deinde propter genus fœmininũ, apparet, eum qui hæc dicat, non proprium sibi nomen vsurpare : se metonymica locutione doctrinæ suæ mentionem inijcere, vt significet, idoneum se esse qui serui siue liberti sui studia curet. Possent alia multa afferri exempla : quæ vt similia sint, & proposito congruant, semper obseruandum, vt idem nomen vtriq; personæ sit commune, quæ in exemplum proferetur : sicut Cepha, vnum è Christi nominibus est; quod Simoni communicauit, cùm illũ Cepham nominauit. Hoc moneo, vt Lucæ Brugensis errorem obiter indicem ; qui ad verba Christi illustranda, hoc affert exemplum: *Persimilis*, inquit, *foret loquendi ratio, si Imperator militi nomine Leoni, rebus gestis nomen experimentis diceret, Tu es Leo, & hunc leonem præficiam exercitui meo.* Atqui omisit Lucas, id quod ad similitudinem exempli cum primis desiderabatur; vt Imperatori hæc verba dicenti, itidem vt militi quem alloquitur, nomen esset Leoni. Quare ita potius, aut simili modo, exemplum erat concipiendum. Leo Imperator dicit Leoni militi; *Tu es Leo, & super hoc leone sita est spes omnis victoriæ.* quanquam ne sic quidem per omnia respondet exemplum. Nulla enim hic generis diuersitas, quæ in verbis Domini est manifesta. Sine caussa deinde Maldonatus Caluini obseruationem verissimam vt puerilem & ridiculam traducit. Non ignorabat vir doctissimus (quod vult iste existimari,) Hebraice scriptum fuisse à Matthæo suum Euangelium : sed qui persuasum haberet, cum tota vetere Ecclesia, vt antea probauimus, Gręcum textum à Spiritu Sancto esse profectum : diuersitatem quæ in Græco textu reperitur, Euangelistæ attribuere non dubitauit. Si peccauit in eo Caluinus, imitatione veterum peccauit, Chrysostomi, Cyrilli, Augustini, & aliorum interpretum; qui nusquam non sacris ipsis auctoribus attribuunt, quæ in versionibus leguntur LXX.

Seniorum

Seniorum vel Latinis. Atqui auctoritas multo maior esse debet Greci textus Matthæi, propter caussas antè expositas, quàm vllius versionis librorum sacrorũ. Nimis igitur putida malitia est, eo nomine Caluino maledicere : quum ne tum quidem pij & modesti ingenij viri B. Augustinum reprehendere audeant, quando in Commentarijs Psalmorum aut Iohannis, multas vrget voces, velut à Dauide, aut ab Euangelista profectas ; quarum in textu Hebraico vel Græco nullum omnino extat vestigium. Reddit mox rationem Maldonatus, cur Matthæi interpres Græcus variarit genus in Πέτρος & πέτρα. *Dixit Petrus*, inquit, *quia vir erat cui vox illa tribuebatur. at petra mutato genere, quia in eiusmodi ædificijs nomen petræ fœmininum magis est vsitatum.* Hæc vera sunt ; sed ex his contrarium plane eius colligitur, quod probandum erat Maldonato. Ille enim pedibus manibusque id agit, vt euincat, Dominum vtroque loco vocem eandem vsurpasse. Nos verò non negamus *Cepha Cepha*, sine vllo literarum discrimine bis pronuntiasse Dominum : sed illarum duarum vocum diuersissimas fuisse significationes defendimus : ac propterea non posse dici eandem vocem. hoc solide antea probauimus. Quid hîc Maldonatus? idem fere quod nos: vocabula Πέτρος & πέτρα diuersa hîc significare. quomodo igitur, proprie loquendo, eadem vox erit, quum duæ sint, & terminatione, & genere, & significatione diuersæ? Hîc sine dubio allisa est nauis ad scopulum. Quantò autem solidior ratio est, iccirco dixisse Matthæi interpretem ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, mutato genere ; quia vnum de nominibus Christi est PETRA ; quàm vt subtilis hic disputator ait, *quòd in eiusmodi ædificijs nomen petræ magis sit vsitatum*? Altera verò ratio quam subijcit, multo etiam frigidior, ac prorsus friuola : Πέτρος inquit, *Atticum & rarum est.* Memini hoc etiam apud alios eiusdem disciplinæ alumnos legere. Sed neutrum Græce docti temere concedent. Ego scio apud omne genus Græcorum scriptorum, non solum apud τοὺς Ἀττικιστάς, in mentione petrariarum, siue machinarum πετροβόλων, & sæpe in alio sermone, vocabulum πέτρος mihi lectum & obseruatum, vbi πέτρα proprietate Hellenismi seruata, admitti non queat. Post hæc ita disputat Maldonatus: *cui dubium est, Christum his verbis aliquid magnum & singulare, tanquam fidei confessionis præmium, Petro concedere, aut promittere voluisse?* deinde vbi dixit, magnum illud & singulare præmium, non esse nominis mutationem: istis enim Doctoribus nihil videtur magnum, præter Regnum & Monarchiam ; subijcit hæc: *his ergo verbis*, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *significat, hanc se illi eximiam & singularem dignitatem concessurum, vt super eum Ecclesiam suam ædificaret, id est, eum Ecclesiæ caput constitueret, summque in ea Vicarium faceret,*

ceret. Verum est, Petrum confessionis suæ pręmium esse consecutum; qua de re satis multa in superioribus. Verum etiam est, præmium illud, ingens fuisse; quod donantis non solum potentiam & μεγαλοδωρείαν luculente probaret: sed etiam deitatem illius & τὸ ὁμοούσιον cum Patre certò demonstraret; sicut accuratissime ostenderunt Chrysostomus in hunc locum, & Hilarius in sexto de Trinitate, vt alios Patres omittam. Sed præmij loco dedisse Filium Dei Petro, vt esset Caput visibile Ecclesiæ, quale hodie depingitur, non iam Christi Vicarius, sed Vicedeus, Rex & Monarcha Ecclesiæ, imò totius mundi; id verò nemo dixit priscorum Patrum, nemo credidit in primitiua Ecclesia: recens istud commentum est, noua doctrina, sequioribus seculis excogitata; vsque adeo priscis Christianis inaudita, vt ne nomina quidem istius disciplinæ ante pauca secula fuerint cognita. Extant apud Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, alios Patres; tot homiliæ de laudibus B. Petri: vbi sæpe oratoria licentia diuini illius viri texuntur encomia. Quis illorum appellauit Petrum Caput visibile vniuersæ Ecclesiæ, eo sensu, quo hodie ista vocabula vsurpantur? quis illum Vicedeum, quis Monarcham nominauit? Hilarius illo quem dixi libro, id ex professo agit, (& erat in eo positum contra impios Arrianos, validum argumentum:) vt præmij propter confessionem Petro delati, extollat magnitudinem. Ait ibi inter cætera: *Hoc qui creaturam Dei potius confitens negat, prius est, vt neget Petri Apostolatum, fidem, beatitudinem, sacerdotium, martyrium: & post hæc se alienum à Christo esse intelligat; quia Petrus eum Filium Dei confessus hæc meruit.* Cur in hac enumeratione, cur in tota illa disputatione, quod longe maximum erat, vt placet hîc Maldonato, prætermittitur? Vicariatus nempe, regnum & Monarchia Petro concessa. Nam claues & ligandi potestas, adeo nihil habent commune cum singulari Monarchia Petri; vt idem Hilarius, in illa ipsa disputatione, eandem illam potestatem omnibus Apostolis affirmet esse tributam: & quidem *propter fidei meritum,* inquit: ne quis existimet, vni Petro hoc fuisse proprium. Theophylactus in hunc locum: *rependit gratiam,* inquit, *Dominus Petro,* μισθὸν αὐτῷ διδοὺς μέγαν, *datq; illi mercedem magnam:* videtur idem sentire cum Maldonato: sed accipe pie Lector quæ sit ista merces magna: *Vt super eo fundaretur Ecclesia, & omnes fideles confeßionem Petri fidei suæ fundamentum substernerent.* verba Theophylacti paullo post afferemus: nullum hîc regnum, nullus Dei vicariatus in Reges, nulla Monarchia Hildebrandina, pręmij loco concessa dicitur fuisse. & tamen non dubitat auctor, hoc ipsum quod ait Petro datum, appellare MERCEDEM MAGNAM. En doctrinam è diametro cum illa pugnantem, quam tuetur isto loco,

gratiarum

gratiarum & beneficiorum cœlestium malus æstimator, Maldonatus. Subijcit deinde: Quum proximo versu claues tradantur Petro, quæ metaphora Principem illum inquit designat: ergo etiam hîc alia metaphora, videlicet *petræ*, idem Principatus Petro traditur. *absurdum enim est*, inquit, *tam paucis verbis, rerum aut personarum mutationem fieri*. Quam vim habeat traditio clauium, ad sequentem annum erit examinandum: at *petræ* metaphoram non ius dominandi, sed soliditatem denotare, paullo post demonstrabitur. Quod ait, absurdam esse mutationem rerum & personarum in verbis Domini; volens ac sciens, opinor, errat: qui non ignoraret, nihil crebrius occurrere in Scripturis, huiusmodi mutationibus. Quare si quis dicat; Dominum versu decimooctauo aperire Petro & cæteris Apostolis consilium suum de ædificanda Ecclesia, quæ futura sit æternæ durationis; versu autem sequente, Petro indicare Christum, voluntatem suam vtendi opera & ministerio ipsius in ædificio illo procurando; quid in eiusmodi sententia futurum sit absurdi, pij eruditique viri velim iudicent. Quę deinceps sequuntur, partim iam refutauimus; partim ita leuia sunt aut aliena, vt in illis diutius tædeat immorari. Quædam dumtaxat attingemus. *Conueniebat, inquit, vt quemadmodum Christus Apostolos duodecim ad* XII. *Patriarcharum similitudinem elegerat; ita vnum veluti Abrahamum eligeret, qui propter maiorem fidem, omnium caput, & vt Abraham veteris, ita ille Euangelicæ Ecclesiæ fundamentum esset*. Hoc quidem argumentum plane topicum est, non analyticum; quod neque è Scripturis est depromtum; neque è scriptis Patrum; & curiosa dumtaxat coniectura nititur. Nam quod XII. fuerunt Patriarchæ & totidem numero Apostoli; leue est ad hanc comparationem instituendá, eo fine, quo instituitur à Maldonato. De potestate enim quæstio est, quæ hodie sub obtentu nominis Petri, Petri successoribus attribuitur. Huius verò potestatis ecqua in Abrahamo vmbra potest deprehendi? Itaque hoc simili nihil dissimilius. Petrus vnus fuit è XII. Apostolis: Abrahamus non fuit vnus è XII. Patriarchis: sed generis auctor, è cuius lumbis, vt loquitur Scriptura, & XII. Patriarchæ sunt orti, & pater illorum Iacobus & auus quoque Isaacus. Quod si tulisset Abrahami ætas, vt se viuo nascerentur XII. Iacobi filij, qui Patriarchæ sunt appellati; iure naturæ in potestate sua fuit illos habiturus, non minus quàm Isaacú. Ius enim patriæ potestatis ad omnes nepotes porrigitur, Καὶ παῖδας παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται. Quod simile ius in cæteros Apostolos Petrus habuit? Adde quod Abrahamus neq; dominatus est inter XII. Patriarchas, qui ipso viuente nati nondum erant: neque in populo Iudaico, posteris suis dominationis suæ successores vllos habuit. Nam

quum duplici potestate populus Iudaicus regeretur, sacerdotali & ciuili; neque Reges, quiue Regum locum obtinuerunt, neq; Principes Sacerdotum in suis muneribus Abrahami successores vnquam se dixerunt. Petrus, vt isti volunt, Rex & Monarcha inter Apostolos fuit; & ad posteros suos, Pontifices Ro. ius transmisit, vt ijsdem placet, non solum in coepiscopos & totum clerum dominandi; sed etiam in populos omnes, Reges Principesque omnes, atque vno verbo, in Orbem terrarum vniuersum. An hæc similia videntur? Scio Abrahamum dictum esse *patrem omnium credentium in præputio*, Rom. IV. II. si ad hoc exemplum dicat aliquis, Petrum fuisse patrem omnium in Christo credentium: etsi in Scripturis non legitur is titulus tributus Petro; assentiar tamen tota voluntate. nã & huic illius confessioni debetur hic honos; & laboribus quos in iaciendis Ecclesiæ fundamentis Petrus inter primos primus sustinuit longe maximos. Verissime Chrysostomus, homil. in verba Pauli, Galat. II. 2. non solum, inquit, illa Petro debentur, quæ opera ipsius effecta sunt, quando primum inchoata est Ecclesia Christiana; ἀλλὰ καὶ τῶν μετὰ ταῦτα ὑφ' ἑτέρων γινομένων κατορθωμάτων, οὗτος ἂν εἴη πάντων αἴτιος, ὁ τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν εἴσοδον παρασχών: *sed etiam eorum quæ sunt ab alijs præclare facta, merito habeatur auctor Petrus, qui initium præbuit, & aditum.* Sed hic titulus longe gloriosissimus, partim cæteris Apostolis communis, partim personaliter Petro est proprius; neque ad eius successores vllo pacto potest pertinere. Quare nihil hoc ad Papam; nihil ad controuersias hodiernas. Scio etiam Abrahamum reperiri in Biblijs dictum, *petram*, vt dicitur hîc Petrus ex istorum sententia. Isaiæ LI. I. *Attendite ad petram, vnde excisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum.* sed ne id quidem ad Maldonati propositum quicquam facit. *petra* enim hoc loco nihil aliud significat, nisi originem. & mens Prophetæ est; sicut excisus è petra lapis eiusdem est naturæ cum rupe vnde est excisus: sic vos componite vitam vestram ad exemplum Abrahami, & vt hunc locum explicans ait Maimonides in diuino opere More Nebukim, libro I. cap. XVI. לכת בדרכיו *iter per eius vias.* Postea recenset Maldonatus illos è Patribus, qui Petrum petram aut fundamentum Ecclesiæ vocarunt. quorsum autem? aut quis hoc negat, nisi qui à limine Patres nunquam salutauit? At non istud est præcipue, quod hodie in controuersiam vocatur: sed illud potius, quo sensu ita veteres sint locuti: an vocabulo *petræ* monarchiam aliquam intellexerint Petro fuisse collatam. nam hoc acerrime defenditur hodie: qua de re mox erit dicendũ. Interim obseruet Lector philalethes, vel fraudem manifestam in enumeratione Maldonati, vel crassam & pudendam ignorantiam. Orditur

ditur enim catalogum suum ab epistola Clementis ad Iacobum: quam esse ψευδεπίγραφον, adulterinam, absurdam, ridiculam, si ignorauit Maldonatus, post Cardinalis Cusani & aliorũ ex illis partibus admonitionem; expers fuit omnis melioris eruditionis: si non ignorauit, sed dissimulauit; omnis probitatis, & ingenui candoris, qui Theologum apprime decebat. Ego inter falsa scripta supponentem, quę certissima est hęretici nota; & ijs vtentem, quę norit ipse esse falsa ac supposititia, discrimen nullum agnosco.

ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.] Quid est *ædificabo*? Sicut architecti lapides quærunt, inuentos ad opus ædificij parant, cædendo, poliendo, & alijs rationibus; deinde probe paratos cæmento coniungunt inter se, vt ex omnibus recte compositis surgat opus ædificij: sic Dominus noster ex innumero mortalium numero quosdam eligit, electos erudit, fidem illis infundit, totosque adeo immutat lauacro παλιγγενεσίας, vt *nouæ creaturæ* dicantur, Paulo, II. Corinth. v. 17. Galat. vi. 15. tum autem ita paratos & concinnatos, vinculo charitatis, participatione eorundem mysteriorũ, communione eiusdem spei, velut cæmento quodam coniungit inuicem, vt è pluribus extruantur Ecclesiæ singulæ, ex omnibus Ecclesia Catholica. Hic obseruandum est, Christum structuræ illius ædificij quod est Ecclesia, gloriam sibi vni vindicare, cùm ait, *ædificabo*, & iterum, *Ecclesiam* MEAM meritissime. nam humanâ operâ traducere aliquem ad fidem Christi, nedum integram aliquam Ecclesiam instituere; nemo homo potest magis, quàm mortuum iam fœtentem præstare rediuiuum. Veruntamen vt monet Hieronymus in hunc locum, ea est bonitas Filij Dei, vt titulos sibi vni proprios, mortalibus ministris suis communicet, qua de re paullo post dicturi sumus. Quum igitur verus architectus huius ædificij sit vnus Christus, qui creat, qui concinnat, qui connectit inter se lapides viuos, & dat illis surgere in magnam molem; postremò, qui hanc compagem mille periculis obnoxiam præstat sua vnius vi & virtute sartam tectam: patitur tamen eius bonitas, vt nominentur etiam Apostoli architecti. nam Paulus nuncupat se architectum, I. Corinth. III. 10. quod ille per occasionem de se dixit, de Petro & cęteris Apostolis voluit intellectum. Christus petra & fundamentum Ecclesiæ; I. Corinth. III. 2. adeo vnicum, vt expresse affirmet Paulus, nullum aliud præter Christum posse poni fundamentum: & Chrysostomus ibidem obseruet, fideles Christo Petræ & fundamento Ecclesię ita adhęrere, vt nihil sit medium; sed vt palmes adhæret viti, nulla re interiecta, sic fidelium vnumquemq; huic fundamento debere cohærere.

Et tamen hoc fundamentum appellatur *fundamentum Apostolorum*, Eph. II. 20. imò ipsi Apostoli XII. totidem nuncupantur fundamenta, Apocal. XXI. 14. Sic quum Christus seruet propria virtute, per fidem apprehensus; fides tamen seruare dicitur, *Fides tua seruauit te*. Matth. IX. 22. Marc. V. 34. & sæpe alibi in Euangelio. quæ ratio est cur *petram* multi Patrum acceperint de fide, siue confessione fidei, vt dictum est. Igitur, siue super Christo, siue super Petro Apostolorum coryphæo, siue super fide dicatur fieri illa ædificatio, cuius hîc meminit Dominus, res eodem redit; quod & antè obseruabamus, & hîc testimonijs vno aut altero lubet confirmare. Epiphanius contra Catharos, affirmat Petrum esse petram super qua fundata est Ecclesia, idque κατὰ πάντα τρόπον, inquit, *modis omnibus*. Deinde explicat modos aliquot, quorum primus hic est: πρῶτον μὲν ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος· καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ τῆς ἀσφαλοῦς πίστεως, οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν. *primo quidem, quia confessus est Christum Filium Dei viuentis; & dictum est illi, Super hac petra firmæ fidei, ædificabo Ecclesiam meam.* manifestissime Epiphanius duas expositiones vocis *petra* pro vna atq; eadem accipit: nam & Petrum affirmat esse illam petram: & statim verba Christi exponens, *petram* interpretatur, τὴν ἀσφαλῆ πίστιν, *firmam fidem*. quæ erat Chrysostomi expositio. Theophylactus verò & copiosissime & clarissime, quid sit *ædificare Ecclesiam super petra* declarauit hisce verbis: non enim grauabor locum illius integrum describere. *Rependit gratiam Petro Dominus; vt super illo ædificetur Ecclesia.* Ecce Petrum petram & Ecclesiæ fundamentum: sed hoc quomodo sit intelligendum, ipse explicat statim: ἐπεὶ γὰρ ὡμολόγησεν αὐτὸν υἱὸν Θεοῦ ὁ Πέτρος, φησὶν ὅτι, αὕτη ἡ ὁμολογία ἣν ὡμολόγησας, θεμέλιον μέλλει ἔσεσθαι τῶν πιστευόντων. ὥστε πάντα ἄνθρωπον μέλλοντα κτίζειν τὸν τῆς πίστεως οἶκον, ταύτην τὴν ὁμολογίαν ὑποτιθέναι θεμέλιον. *Quoniam Petrus confessus est Christum Filium Dei, futurum ait, vt hæc confessio quam confessus es, sit credentium fundamentum: adeo vt quicunque domum fidei erit extructurus, is confessionem hanc substernat fundamentum*, siue *pro fundamento*. Nemo non videt, Petrum & confessionem fidei pro re eadem vsurpari à Theophylacto. Quum autem neque Epiphanius, qui ex professo varios modos explicat, quibus dicitur Ecclesia super Petra ædificari; neque Theophylactus, qui hæc Domini verba adeo perspicue & prolixe exponit; monarchicæ potestatis Petri vllam iniecerint mentionẽ, ac multo minus Papalis Omnipotentiæ: quis sanus dubitare potest, silentij caussam esse, quod commentum de Petri & Paparum monarchia, qui est hodie fidei articulus, cum primis necessarius, prorsus ignorarent? Hodie idem ignorare in Europa, hæresis est flammis expianda.

ET

ET PORTAE INFERI NON PRAEV.] Conſtat, per *Inferi portas* intelligi, quantum eſt quod habet potentiæ Inimicus hominis, ad exercendam & vexandam Eccleſiam; cuius ſaluti inuidens, perpetuas illi ſtruit inſidias. Sed de locutione quæ hîc vſurpatur, quæri poteſt, ſitne ea phraſis Græca an Hebraica. Eſt verò ipſa quidem phraſis vtrique linguæ communis; ſed eius vſus varius. Apud Iſaiam, XXXVIII. 10. *Vadam* בשערי שאול ἐν πύλαις ᾅδου, vt vertunt LXX. ſi illorum eſt textus Græcus qui extat hodie, ſeruato Hebraiſmo; quem melius neglexit Latinus, *ad portas Inferi*. Hic per *Inferi portas* intelligitur ſepulcrum, Orcus, ſiue locus mortuorum. Sapientia Salomonis XVI. 13. κατάγεις εἰς πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις. Similiter & Græci loquebantur. Euripides idem paullo aliter dixit initio Hecubæ: Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπὼν, ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν. nam idem eſt ac ſi dixiſſet, ἥκω λιπὼν ᾅδου πύλας. Interdum Græci ſpecie prouerbij dicebant de re odioſiſſima, *Portæ Inferorum*. Homerus Iliad. I. ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν. *odi illum inſtar portarum Inferi*. Alio ſenſu idem loquendi genus vſurpauit Dominus, pro potentia & molitionibus miniſtrorum. Nam quia olim apud Hebræos conueniebant proceres ciuitatis ad portas vrbis & ibi conſilia agitabant; ideo portæ Inferi hoc loco ponuntur pro conſilijs miniſtrorum Satanæ, ſæpe conuenire ſolitorum, & diu multumque deliberare, quò pijs poſſint nocere. Non poſſum aſſentiri Maldonato, qui *portas* hic in propria notione accipit, & interpretatur de portis vrbium quas impij quidem habitant, ſed pij obſident & oppugnant. Acuta quidem coniectura: ſed quam euertit, quod ſequitur, οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς; *non ſuperabunt viribus ſuis Eccleſiam*: tot enim verbis opus eſt, vt exprimatur vis Græci vocabuli κατισχύειν: quod Latinus interpres vna voce conatus exprimere, dixit, *non præualebunt ei*. Non ſolet autem verbum κατισχύειν vſurpari de reſiſtente, & vim patiente; ſed potius de oppugnante & vim inferente. Teneamus igitur cum omnibus interpretibus, non promittere his verbis Dominum Eccleſię ſuæ, illam de omnibus impijs triumphaturam, & eorum vrbes in ſuam poteſtatem fore redacturam: ſed iſtud potius; hoſtes Eccleſiæ de ipſa tanquam penitus à ſe deuicta, nunquam fore triumphaturos. Maldonatus verò etiam in eo parum videtur cauiſſe, quod verbum κατισχύειν hoc loco cum Hebræo יכל comparat; quum id potius reſpondeat verbo אמץ: nam ἰσχύς eſt אמץ *omets*. κατισχύσουσιν αὐτῆς, יאמצו ממנה potius quàm יכלו לה.

ADVERSVS

ADVERSVS EAM.] nempe Ecclesiam. nullum in eo dubium. Vt mirer valde in ea paraphrasi Hebraica, quæ est edita ab Iohanne Tilio Episcopo Briocensi, scriptum esse עליך *aduersum te*; vt de Petro intelligatur. qui videtur esse exscriptoris error, potius quàm interpretis: cuius tamen & alij extant insignes errores, vt doctissimus Mercerus admonuit. Certissimum est, hanc promissionem Ecclesiæ Catholicæ per totum Orbem diffusæ principaliter esse factam: deinde etiam cuiuis particulari siue Ecclesiæ, siue etiam personę priuatę; sed diuerso modo. illa nunquam sic premitur, vt penitus opprimatur: Ecclesię particulares nonnunquam & premuntur & opprimuntur: multo autem magis singuli fidelium. Patres tamen in hac promissione fiduciam suam fundasse, non solum cùm de vniuersa Ecclesia agebatur, sed etiam, cùm de particulari aliqua, aut etiam de quouis fideli, ostendemus in tractando Augustini loco, quem attulit Baronius.

Probauimus hactenus, verba Domini, de quibus hæc instituta est disputatio, à veteribus Patribus varie accepta fuisse: neque vllam priscis Ecclesiæ temporibns extitisse necessitatem de Petro illa exponendi, potius quàm de Christo, aut de confessione fidei, aut etiam de vnoquoque fidelium. Sed quoniam mutata sunt tempora, & quæ prius erant orthodoxæ interpretationes, factæ sunt hæreticæ; age, concedamus istis, verba illa, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, omnino de Petro esse intelligenda. Quid inde consequentur? non vtique id quod vnice expetunt, vt inseruiat hic locus fulciendæ Ro. Pontificis hodiernæ Monarchiæ. Nos enim negamus & iterum iterumque pernegamus, ei ædificio quadrare hanc PETRAM. Vt hoc demonstremus, duobus argumentis, neque longe petitis, neque curiosis vtemur. Prius à perpetuo vsu auctorum ducemus, qui metaphoram *petræ* ad soliditatem, firmitudinem, aut simile quid designandum amant vsurpare; non autem ad speciem vllam dominationis indicandum: posterius ab auctoritate illorum ipsorum Patrum, qui eam Domini vocem de Petro accipiunt; nam hi caussas diuersas eius appellationis in medium afferentes, dominationis vel Petri, vel Papę, quæ hodie defenditur, nullam penitus vnquam mentionem fecerunt. De his igitur deinceps agamus.

XIII. *Demonstratur accurata disputatione, vocem* PETRA *quoties metaphorice vsurpatur, vel in Scripturis, vel apud Patres, aut alios etiam auctores, referri semper ad aliquam petræ inhærentem proprietatem; nunquam autem dominationem aut imperium denotare.* Petra *nomen Dei; Christo duabus de caussis attribuitur: item fidei, Ecclesiæ, Scripturis, Apostolis, Martyribus, singulis fidelibus. Cautio necessaria, cùm nomina Deo propria de hominibus dicuntur. Alia nonnulla.*

IBIDEM.

Metaphorica PETRAE vsurpatio reperitur passim apud Patres, vel simpliciter ex vsu communi loquendi petita; vel cum allusione ad hæc ipsa Domini nostri verba. Vtrouis autem modo vsurpetur hæc metaphora, scopus illius est, declarare aliquid naturæ rupis, saxi aut lapidis conueniens. Durities vna est cum primis è lapidum proprietatibus. πέτραν igitur aut πέτρινον dixerunt hominem firmum aduersus affectus, qui etiam Latinis *durus* dicitur, & elegantissime Græcis ἄτεγκτος. Sophocles Oedipo Tyranno. - καὶ γὰρ ἂν πέτρου φύσιν σύ γ' ὀργάνειας. *tu vel lapidis naturam coegeris irasci.* Simillime Basilius Seleucensis, sermone quarto de Dauide: ἐν τούτῳ ποῖαν οὐκ ἂν ἐτίναξε πέτραν ἡ τοῦ θυμοῦ προσβολή; quin ipsæ virtutes *petræ* dicuntur, quod sint habitus ἀμετάθετοι & constantes, vel quod sint quasi editæ rupes extra aleæ periculum. Sic Chrysostomus, in libro ad eos qui scandalizantur, ait Iosephum quando ab impudica muliere tentabatur eius pudicitia, confugisse ἐπὶ τὴν τῆς σωφροσύνης πέτραν, *ad temperantiæ rupem*; & ipsam quidem facto naufragio perijsse, at Iosephum de eius libidine triumphasse. Inest etiam rupibus & saxis, vt statum suum & naturam immutabiliter conseruent. quò respiciens Chrysostomus, futuræ vitæ statum comparat petris: huius verò, floribus vernis. in eodem libro, τὰ ἐν τούτῳ ἄνθεσιν ἔοικεν ἐαρινοῖς· ἐκεῖνα δὲ πέτραις ἀκινήτοις. Proprium etiam est saxis propter duritiem suam, vt tractari, poliri & meliorem in formam mutari difficulter possint: iccirco, vt obseruat Hieronymus, ad caput primum Abdiæ, *& in malam partem* petra *frequenter accipitur. Auferam inquit, cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. &c. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: maximeque in hoc loco Abdiæ.* vbi *scissiones petræ* opponuntur Petræ Christo. Huc pertinet quæ dicitur Matthæo & Marco σκληροκαρδία, *durities cordis*, τῶν εἰς τὴν ἀλήθειαν λελιθωμένων, vt loquitur Clemens Alexandrinus, initio Protreptici. vbi etiam ostendit scriptor ille eruditus, homines insipientes dici λίθους καὶ ξύλα.

ξύλα, *lapides & ligna.* & est ibi prouerbium Grecorū, λίθων ἀναισθητότερος, de ignaro, insipiente & stupido. πρὸς δὲ καὶ λίθων ἀναισθητότερος ἄνθρωπος ἀγνοίᾳ βεβαπτισμένος : *quinetiam lapidibus stupidior est homo ignorantia obrutus.* vtitur Chrysostomus eo prouerbio, tomo v. p. 226. alibi stultos & bardos vocat λιθίνους, vt eiusdem tomi, p. 199. vel ὑπολιθίνους, vt in i v. p. 911. aut etiam λίθους, vt in eodem p. 870. Verùm istæ omnes metaphoricę locutiones, ex vsu communi loquendi sunt petitæ. At quoties vel Petrus, cæteriue Apostoli, vel Ecclesia, vel vnusquisque fidelium, vel Scriptura, vel bona opera *petræ* dicuntur Patribus; omnes hæ locutiones & his similes, ab vno fonte manant, neque è communi vsu loquendi petuntur: sed ad Christum & Christi hæc verba semper fit allusio. Quod vt melius intelligatur, principio notandum est, Dominum nostrum, Iesum Christum, duabus rationibus à Prophetis, Apostolis & Patribus dici PETRAM. Prior, quia Deus est, idem essentia cum Patre & Spiriru Sancto. In veteri Testamento Deus locis pene innumeris dicitur צור *Tzur*, quam vocem Græci interpretes, modò vertunt ὄρος, *montem*, modò πέτραν, *petram* aut *rupem*. Moses ben Maimon in More Nebukim, admirandę doctrinę scripto, libro primo, capite xvi. obseruat, hac voce significari montem, vel arcem in rupe sitam: item silicem durum; necnon מקור lapidicinam, vnde oriuntur venæ lapidicinarum, vt appellat Vlpianus leg. xiii. §. 5. Dig. De vsufructu. alibi in libris Iuris vocantur *venæ saxorum*: Deum verò appellari *Tzur* Petram, כי הוא התחלה והסבה הפועלת לכל אשר זולתו *quia ipse est principium & caussa, per quam facta sunt omnia præter ipsum.* Non dicit Maimonides, Deum appellari *petram*, quia dominetur omnibus rebus creatis: nam etsi verum est, Deum immortalem rerum omnium creatarum dominum esse, & absolutissimum Monarcham: hæc tamen metaphora non adhibetur ad exprimendam dominationem, sed ad indicandam originem rerum & caussam existentiæ: robur etiam significat, ac potentiam & æternam durationem: denique *Petra* cùm metaphorice de Deo dicitur, habito respectu ad naturam & proprietatem verę rupis, aut saxi alicuius durissimi, ad significationem nominis Tetragrammati proxime accedit: quod nomen, æternum & perpetuum Dei esse quum designet; צור siue *petra*, durationem notat, quæ est continuatio τοῦ εἶναι, & caussam existendi in creaturas collatam. Vni Deo proprium, & vere esse, & semper esse, sine principio & fine; & dare alijs, vt sint: res creatæ nonnisi vi creatoris subsistunt, & tamdiu subsistunt, quamdiu illi placet. Vt igitur propter veram essentiam Deus dicitur יהוה ὁ ὢν καὶ ὁ ὤν: ita propter perpetuam subsistentiam appellatur PETRA: idque apud Hebræos vnum est è nominibus

nominibus Dei. vt אל *fortis*; sed per antonomasiam Deus; ita צור *petra*, res durare idonea; per excellentiam Deus. Quare ab Interpretibus librorum sacrorum Græco & Latino, persæpe vox illa vertitur, non *petra*, aut *rupes*, vel *fortitudo*, sed D E V S. Exempla inueniet studiosus Lector, Deuteronomij capite X X X I I. 31. & sæpius in eodem capite. II. Samuelis X X I I. 32. Psalmo X X X I. 3. L X X I I I. 26. & multis alijs in locis. Ac nescio, num hæc vsurpatio vocis *petra* pro Deus, occasionem aliquam præbuerit profani sacramenti signo, θεὸς ἐκ πέτρας, quod exagitat Firmicus, De errore profanarum relig. cap. X X I. nam Diabolum & verba & ritus sacros retulisse ad suam impietatem, è Iustino, Clemente, Augustino, & alijs Patribus certissimum est. Accedit altera ratio cur Christus dicatur P E T R A, relatione facta ad Ecclesiam; quam ipse constituit, ipse redemit sanguine suo; cui dat esse & durare, τὸ εἶναι καὶ μένειν ἀσάλευτον. Quum igitur Ecclesia tritissimo in Scripturis loquendi genere, dicatur οἰκοδομή. *ædificium*, vt I. Corinth. I I I. 9. X V I. 5. & 15. Ephes. I I. 21. & *domus spiritualis*, vt I. Petri, I I. 5. Christus, vt plurimum, non simpliciter dicitur *lapis* aut *petra*; sed lapis eius ædificij, quod est Sion, siue Ecclesia. Isaiæ X X V I I I. 16. *Ecce ego fundo in Sion lapidem, lapidem munitionis, anguli pretiosi, fundamenti fundati.* & Psal. C X V I I I. 22. vocatur Christus, lapis ab ædificantibus reprobatus, sed qui factus sit *in caput anguli:* vt exponitur Matth. X X I. 42. Lucæ, X X. 17. Actor. I V. 2. & in prima Petri, II. 16. vbi dicitur λίθος ἀκρογωνιαῖος sicut etiam Paulo, in ea ad Ephesios, II. 20. Hæc metonymica appellatio tribuitur Christo, Ecclesiæ auctori & conseruatori, non propter imperium, quod iure obtinet in Ecclesiam; sed vt sciant fideles, inconcussæ firmitudinis, & durationis æternę opus esse Ecclesiam; quę fundamento nitatur Petra Christo: discant etiam, fidem in Christum debere esse firmam atque immotam. Chrysostomus in homilia quam habuit post captum Eutropium, vbi ille Ecclesia exijsset, loquens de Christo: διὰ τί ἐκλήθη ΠΕΤΡΑ; ἵνα μάθῃς τὸ ἀσάλευτον, καὶ ἑδραῖον τῆς πίστεως. *cur vocatus est PETRA? vt scias fidem esse rem inconcussam & stabilem.* Gregorius Nyssenus in libro De perfectione; exponens Christi nomina, *Petræ* appellatione ait significari, τὸ πάγιον, καὶ ἀμετάθετον, καὶ στερρόν. *naturam fixam, immutabilem & firmam*, non solum Christi, verumetiam eorum qui Christum sequuntur & imitantur. Eusebius Præparationis Euangelicæ libro primo, ait Ecclesiam ἑστάναι καὶ μένειν ἄσειστον, ὡς ἂν ἐπ' ἀσείστῳ καὶ ἀρραγεῖ πέτρᾳ, τῇ αὐτοῦ δυνάμει, βεβηκυῖαν τε καὶ ἐρριζωμένην, (τοῦ Χριστοῦ) ἀποφηναμένου. *stare & manere immotam, quia Christus pronuntiauit eam stare & radicatam esse, super immota petra, virtute sua.* P E T R A, vt vides, illa inquam petra cui innititur Ecclesiæ ædificium, est virtus

 Christi.

Christi. Simillime dicit Ambrosius, *Christum esse Petram Ecclesiæ*, VIRTVTE; qua & sustinet illam & continet. Procopius ad hęc verba Isaiæ, L. 7. *vt petram duram*, notat hæc: δυνάμεως γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα δι᾽ ἧς ἐκαρτέρουν. *virtutis opus erat, per quam patienter ferebant.* innuens hac breui notula, *petram* metaphorice positam, significare potentiam & firmitudinem, non ad dominandum, sed ad patiendum. Simillimum etiam est, quod dicitur Christus FVNDAMENTVM Ecclesiæ. Θεμέλιος, κρηπὶς, *fundamentum*, *basis*, & similes voces cùm metaphorice vsurpantur, vel initium significant; vel aliquid pręcipuam vim habens, vnde alia exoriuntur, quæ illi innitantur. Pindarus Pythionicarum ode quarta de Iasone, colloquium cum Neptuno instituente; βάλλετο κρηπῖδα σοφῶν ἐπέων. *iecit fundamentum sapientis orationis.* hîc *fundamentum* siue *basis* ponitur pro initio. Sic quum scribat Paulus ad Hebr. VI. I. *non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*; quærunt Theologi, quomodo pænitentia dicatur *fundamentum*: nam *fundamentum in ædificio non tenet secundum, sed primum locum*, inquit Thomas, parte III. quæst. LXXXIV. art. VI. soluit autem docte & vere: *pænitentiam non posse dici fundamentum spiritualis ædificij simpliciter, id est, in prima ædificatione; sed esse fundamentum in secunda reædificatione, quæ fit per destructionem peccati.* Diuerso sensu Pindarus Olymp. oda XIII. Eunomiam & Dicen, id est, bonas leges & iustitiam, appellat, βάθρον πολίων ἀσφαλὲς. *fundamentum tutum vrbium.* quia felicitas ciuitatis illis veluti duabus columnis innititur. Vtroque modo Christus est fundamentum suæ Ecclesię; & tanquam primus illius auctor; & tanquam solus eiusdem conseruator. Christus igitur, solus est Ecclesiæ fundamentum, vt affirmat Paulus. Zeno Veronensis, in sermone de spirituali ædificatione domus Dei: *In totius fabricæ fundamentis, non sicut in Iudææ templo plurimi, sed magnus, præclarus, speciosus,* VNVS *est lapis, qui quadræ turris totam* SOLVS *sustinet molem.* B. Augustinus, in Psalmum LXXXVI. docet, Christum, non solum esse fundamentum, vt Prophetas & Apostolos; sed esse *fundamentum fundamentorum.* deinde subijcit: *In ædificijs istis, non potest idem lapis esse in imo & in summo. Si fuerit in imo, in summo non erit: si in summo fuerit, in imo non erit. Angustias enim omnia pene corpora patiuntur, nec vbique esse possunt, nec semper. Diuinitas autem quæ vbique præsto est, vndique ad eam potest duci similitudo: & totum potest esse in similitudinibus, quia nihil eorum est in proprietatibus.* Res sunt affines *petra* & *fundamentum*, & pro eodem ponuntur: differunt enim non re, sed ratione tantum: quippe omne bonum fundamentum ponitur super petra, vt docet Christus ipse, Matthæi cap. VII. & Lucæ, cap. VI. Obseruat Eustathius, πέτρη sępe Homero antrum in rupe excauatum

significare;

ſignificare; vt in illo verſu Iliad. δ. Πέτρης ἐκβαίνοντα δεδεγμένον ἐν προδοκῇσιν, & alibi. Hanc quoque notionem eius vocabuli veteres Patres Chriſto acommodarunt; quo melius exprimerent; omnem Eccleſiæ firmitudinem in Chriſto eſſe, & à Chriſto. Dixerunt igitur, Eccleſiam eſſe velut antrum quoddam, tutiſſimum hominum receptaculum, in rupe excauatum, quæ rupes eſt Chriſtus: propterea dici illũ apud Iſaiam *ſpeluncam* & *petram*: propterea etiam dixiſſe Chriſtum, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Refert hanc Patrum ſententiam Procopius, in caput Iſaiæ XXXIII. Εἰκός δέ φασι καὶ Χριστὸν οὕτως εἰρῆσθαι (σπήλαιον καὶ πέτραν,) ἐν ᾧ καθάπερ τι σπήλαιον ἢ προβάτων σηκὸς ἡ Ἐκκλησία νοεῖται τὸ πάγιον ἔχουσα, καθ' ὃ καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν. Iſti Patres quos laudat Procopius, *petram* in verbis Domini, exponebant de Chriſto; & Chriſtum appellari *Petram* docebant, non ad denotandum ipſius imperium: ſed potius τὸ πάγιον, firmitudinem Eccleſiæ in Chriſto velut in antro & cauata rupe latitantis. Aliam quoq; rationem cur Chriſtus dicatur *Petra*, Paulus inſinuat I. Corinth. x. 4. de qua conſulantur eruditorum Theologorum ſententiæ diuerſæ: aliam item Matthæus, XXI. 44. quoniam Chriſto, ceu rupe duriſſima omnes Eccleſiæ illius hoſtes obterantur. plures item alias eius appellationis rationes affert acutiſſimus philoſophus & Theologus, Cardinalis Cuſanus, Excitationum, libri II. initio. Semper autem huius metaphoræ explicatio referri debet ad aliquam petræ inhærentem proprietatem: quæ plures quum ſint, præcipue tamen firmitudo ſpectatur, & cùm de Chriſto id nomen vſurpatur; & cùm de alijs rebus quæ relationem habent ad Chriſtum. Sic igitur FIDES dicitur petra & fundamentum, quæ eſt habitus à Chriſto infuſus, in electis ἀμετάθετος καὶ ἀμετάπειστος, atque immutabilis. Vnde eſt illa locutio frequens in Patribus, *ſtare in petra fidei.* Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi XIV. σὺ ἕστηκας ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως. Damaſcenus, in tertio de imaginibus: στῶμεν ἐν τῇ πέτρᾳ τῆς πίστεως. In ea quæ dicitur Iacobi Liturgia; τὴν Ἐκκλησίαν ἐθεμελίωσας ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως. Chryſoſtomus, tomo VII. pag. 30. de martyribus; οὐκ εἶξαν, οὐδ' ἐνέδωκαν· ἀλλ' ἔστησαν ἐπὶ τῆς πέτρας ἀκίνητοι. Cyrillus contra Neſtorium libro II. editionis Ro. p. 38. δέχου τὴν ἄγκυραν τῆς ψυχῆς τὴν ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν· στῆσον ἐπὶ πέτρας σοῦ ἑαυτοῦ πόδας. cui loco geminus eſt hic apud Chryſoſtomum: ὁ τῆς Ἐκκλησίας θεμέλιος ἡ πέτρα σαλεύεται· ἀλλ' ἐξ οὐρανοῦ τὴν Εὐαγγελικὴν ἄγκυραν ῥίψον, καὶ τὴν πέτραν στήριξον σειομένην. & apud eundem leges tomo quinto, p. 363. ψυχὰς πεπηγυίας ἐν τῷ θεμελίῳ τῆς ὀρθῆς πίστεως. Paulus Rom. XV. 20. cùm dicit ſe non ſolitum prædicare Euangelium, vbi Chriſti nomen iam fuiſſet auditum; *ne ſuper fundamentum alienum ædificaret*: docet nos;

proprie doctrinæ Christianæ præcipua capita, vt de cultu vnius Dei, de sacrosancta Trinitate, & salute per vnum Iesum Christum, & similia his pauca, esse verum fundamentum Ecclesiæ: cui possint quidem & alia multa superstrui; sed non paris momenti. Hoc sæpe legas apud Patres. Ideo Clemens obseruat in v. Stromat. differentiam esse inter fidem, quæ est fundamentum primum Ecclesiæ, & doctrinam ei fundamento superstructam: quæ illi dicitur, modò γνῶσις, modò γνωστικὴ οἰκοδομή, vel γνωστικὴ τελειότης. Ait inter cætera, ταῦτα γνωστικὰ ἐποικοδομήματα τῇ κρηπῖδι τῆς πίστεως τῆς εἰς Ἰησοῦν Χριστόν. *hæ sunt structuræ gnosticæ*, (siue, *pleniorem cognitionem afferentes*,) *super fundamento fidei.* Idem libro sexto: τῷ πίστιν εἰληφότι, τὸ γνώσεως μεταλαβεῖν οἰκεῖον πέφυκεν, εἰ προσεξεργάσασθαι καὶ προσοικοδομῆσαι χρυσόν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, τῷ καταβληθέντι θεμελίῳ γλίχοιτο. Idem in quinto obseruat, hæc necessaria doctrinæ Christianæ capita, quæ ipse appellat κοινὴν πίστιν, *fidem communem*, à Paulo nominari modò fundamentum, modò lac. ὁ Ἀπόστολος, ait, πρὸς ἀντιδιαστολὴν γνωστικῆς τελειότητος τὴν κοινὴν πίστιν, πῆ μὲν θεμέλιον λέγει, πῆ δὲ γάλα. & affert locum I. Cor. III. 2. *Lac vobis potum dedi, non escam.* Hæc Clementis doctrina originem habet è disputatione eximia Pauli I. Cor. cap. tertio. quæ tamen obseruatio, an per omnia menti Apostoli congruat, non est hic quærendi locus. Sane etiam Eusebius libro tertio Historiæ cap. XXXVII. distinguit inter τοὺς προκαταβληθέντας ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων θεμελίους, *fundamenta ab Apostolis statim initio iacta*, & ea quæ postea Euangelistæ & illorum successores ijs fundamentis superstruxerunt. A *petra* cùm pro fide accipitur, est verbum elegans πετροῦσθαι apud Patres: vt cùm dicunt, Petro id nomen esse inditum propter τὴν πεπετρωμένην πίστιν, *propter fidem in petram conuersam*, id est, firmissimam. de Stephano protomartyre id verbum elegantissime vsurpat Chrysostomus; ἐπάλληλα ἐδέχετο τῶν λίθων τὰ κύματα, πολλῷ πλέον τῇ πίστει πετρούμενος. Quemadmodum autem fides *petra* & *fundamentum* nuncupatur: sic etiam BONA OPERA nuncupat Paulus I. ad Tim. VI. 19. θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, *fundamentum bonum in futurum.* Oecumenius: τὴν τῶν ἀγαθῶν ἔργων πρᾶξιν θεμέλιον ὠνόμασε: *actionem bonorum operum nominat Apostolus fundamentum.* SCRIPTVRAE etiam appellantur Patribus *petra* & *fundamentum.* Origenes contra Cellum, tomo IV. p. 260. ait, domum Dei ædificari super summis montibus, πάντων τῶν προφητικῶν λόγων, οἵτινες αὐτοῦ θεμέλιός εἰσι; *omnium sermonum Propheticorum, qui sunt eius domus*, id est, *Ecclesiæ fundamentum.* Eleganter Chrysostomus in libro ad eos qui scandalizantur; docens rationem humanam non esse audiendam, quæ velit aliquando suadere, Solem & cæteras Dei creaturas melius potuisse disponi: Apage; inquit, nos contra

tra ἐπιλαβώμεθα τῆς πέτρας ἐκείνης, καὶ τῆς ῥήσεως τῆς λεγούσης, Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς πάντα ὅσα ἐποίησε, καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν: *apprehendamus illam petram, & dictum istud, Et vidit Deus omnia quæ fecit: & ecce omnia bona valde.* & in sermone de Luciano Martyre ait idem magnus Doctor, eum qui synaxibus frequens interfit, vbi Scripturæ recitabantur lingua non peregrina, sed omnibus intellecta, τοῖς θείοις ἀρδευόμενον λογίοις, καθάπερ ἐπὶ πέτρας τῆς ὀρθῆς τῶν πραγμάτων κρίσεως στῆσαι ἑαυτὸν, οὐδενὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἁλώσιμον. *diuinis irrigatum sermonibus, collocasse se velut in aliqua rupe; recto de omnibus negotijs iudicio, neque vlla rerum humanarum posse capi.* Ipsa quoque ECCLESIA vocatur *petra* & *mons* propter stabilitatem & firmitudinem, & διὰ τὸ στερρὸν αὐτῆς καὶ ἀσάλευτον, inquit Chrysostomus, in homilia, post captum Eutropium habita. Epiphanius in compendio de fide Catholica, Ecclesiam appellat, *sanctam Ierusalem, virginem Christi, & sponsam,* ἀσφαλῆ βάσιν καὶ πέτραν, *tutam basin & petram.* Hieronymus in caput Iobi XXIX. *Petra Ecclesia, fundata super Christum, firmissimam Petram, de se gratiam Spiritus Sancti, velut riuos effundit.* Augustinus De baptismo contra Donatistas, lib. III. *Pax Ecclesiæ dimittit peccatum, & ab Ecclesiæ pace alienatio, tenet peccata. Petra enim tenet peccata; Petra dimittit.* In ijsdem libris hæ locutiones vt idem significantes promiscue vsurpantur: *Ecclesiam esse petram: Ecclesiam esse in petra*; vel, *super petram, non super arenam.* item, *Extra Ecclesiam esse, & à petra foris esse, cui claues Dominus dedit, vbi se ædificaturum Ecclesiam dixit.* Nec solum Ecclesia sed etiam FIDELIVM quilibet, petra nominatur à Patribus, vt aliquot testimonijs antè probauimus. caussam accipe à Gregorio Naz. orat. XXVIII. *petras* dici fideles, propter στερρότητα καὶ βάρος λογισμοῦ. firmitatem & pondus mentis, id est, vt alij Patres dicunt, propter soliditatem fidei, & constantem professionem. Eximie verò illi *petræ* nominantur, qui inter Ecclesię membra excellunt; vt sancti MARTYRES. Sic Stephanum protomartyrem appellat Chrysostomus petram & columnam Ecclesiæ, tomo VII. pag. 579. Τί εἴπω τῆς πέτρας ἐκείνης τοῦ λογικῆς ἡμῖν ἂν δυνατώτερον; τί δ᾽ ἂν ὀφθείη τοῦ στύλου τῆς ἐκκλησίας στερρότερον; item duodecim Christi APOSTOLI ac PROPHETAE. nam Paulus ad Ephesios, II. 10. ait fideles superædificari *fundamento Apostolorum & Prophetarum*: id est, quod ipsi posuerunt; vel quod sunt ipsi Apostoli & Prophetæ, sicut Christus est lapis angularis. intellige autem μετωνυμικῶς, doctrinam, quam voce docuerunt, quam scriptis tradiderunt. Hieronymus ad Hedybiam quæstione octaua: *Petræ sunt, vniuersa vaticinia, Prophetarum: qui & ipsi à Petra Christo cum Apostolis Petræ vocabulum acceperunt.* quomodo autem Apostoli doctrinę Euangelicæ fundamenta iecerint super fundamentis, quæ olim Prophetæ

posuerant,

poſuerant, explicat Chryſoſtomus ſermone habito in titulum libri Actuum Apoſtolicorum. Hilarius in Pſalmi LXVII. enarratione: *Apoſtoli timent, fugiunt, diffidunt: ſed quia in his bonæ voluntatis eſſet affectus, perfecti ita ſunt, vt & fundamenta Eccleſiarum fierent & columnæ.* Iam inter Apoſtolos PETRVM frequentiſſime dici ab omnibus Patribus & petram & fundamentum Eccleſiæ, certiſſimum eſt: an autẽ eo ſenſu ijdem has Petro appellationes figuratas tribuerint, quo tribuuntur hodie & Petro & Ro. Pontificibus, id vero reſtat videndum. Qua de re prius quàm agimus, tirones monebimus, vt infinitam Dei bonitatem obſeruent; qui proprios vni ſibi titulos, mortalibus ſeruis ſuis communicare non dedignatur. Sic quum Ioh. VIII. 12. dicat ipſe, *Ego ſum lux mundi*: idem tamen, Matth. v. 14. Apoſtolis ſuis dicit, *Vos eſtis lux mundi.* Sic quum Ioh. XIV. 6. dicat Dominus, *Ego ſum veritas*: Eccleſiam tamen Spiritus Sanctus per Paulum loquens, nominat *veritatis columnam & firmamentum.* Sic vnus vere Doctor Eccleſiæ Chriſtus, Matth. XXIII. 8. & tamen ipſius miniſtri paſſim in Scripturis vocantur & Doctores & præceptores. Sic Eccleſiæ verus architectus vnus, Deus. *Ædificabo Eccleſiam meam.* & tamen Paulus non dubitat vocare ſe, *ſapientem architectum.* Quid magis Deo proprium quarto modo, vt ſic dicam, eſſe poteſt, quàm vt ſolus credatur eſſe, ſalutis æternæ auctor & largitor? Tota hoc Scriptura à principio ad finem nos docet. Paulus tamen ſæpe dicit, ſe homines ſeruare; idemq; Timotheum ita alloquitur, I. cap. IV. 16. *Hoc faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Sed quid alias Dei appellationes conſectamur? Ipſum DEI nomen & Moſi olim Deus ore ſuo tribuit, Exodi VII. 1. & cùm in Pſalmis tum alibi mortales, dicuntur Dij: paſſimque apud Patres legas de fidelibus, θεός, θεῶσαι & θέωσις, pio ſenſu vſurpata: & Scripturæ Cypriano, Optato, Auguſtino alijs è veteribus *deificæ*, vel *deifica inſtrumenta* dicuntur, *quia per illas terra transfertur in cœlum, homo deitate mutatur*, vt loquitur Petrus Chryſologus, ſermone LXVII. Hic verò etiam atque etiam obſeruandum eſt, niſi conſcelerati & impij eſſe volumus; quando appellationes proprie Deo conuenientes, vel vt cum B. Chryſoſtomo dicam, τὰ προσόντα τῇ φύσει τοῦ Θεοῦ, καὶ τὰ συνουσιωμένα αὐτῇ, (Hebraice vocant מדות *middoth*) hominibus tribuuntur; longe alio ſenſu illa debere accipi, quàm vbi de Deo dicuntur. Tantum enim κατὰ μέθεξιν, propter communicationem ex gratia Dei factam; vel potius, καθ' ὁμοίωσιν, propter aliquam conuenientiam, de ſeruis Dei eiuſmodi vocabula prædicantur, non vniuocè, ſed æquiuocè, vel analogicè, vt è Thoma docetur in Scholis; & non vno loco declarat Dionyſius Areopagita, præcipue cap. XII. de cœleſti hierarchia.

hierarchia. Præclare diuinus vir Chryſoſtomus, in homilia poſt captum Eutropium habita : αὐτὸς Θεός ἐστι, καὶ ἐμὲ θεὸν ἐκάλεσεν. ἐκεῖ φύσις πράγματος, ἐνταῦθα τιμὴ ὀνόματος· ἐστὲ καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες· ῥήματα ἐστὶν ἐνταῦθα, ἐκεῖ δὲ πραγμάτων φύσις. Docta, pia & neceſſaria eſt hæc obſeruatio. Docet Chryſoſtomus ; hoc genus appellationes, cùm Deo tribuuntur, rem declarare ; cùm hominibus, honorem nominis. Age, ſanctiſſimam hanc obſeruationem ; propoſito noſtro accommodemus. Dicitur Chriſtus Petra & fundamentum Eccleſiæ : dicitur & Petrus petra & fundamentum Eccleſiæ : an eadem notione qua Chriſtus? Omnino hoc volunt, qui animoſe adeo contendunt *Cepham & Cepham* eodem ſenſu Dominum dixiſſe. Itaque Petrum eſſe petram, vt Chriſtus eſt Petra, tot locis affirmat Baronius, & cum ipſo tota illa manus patronorum Omnipotentiæ Papalis : quinetiam affirmat Baronius, idque non ſemel, Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ primarium. Scio & Baronium & alios diſtinctiones hîc comminiſci inter fundamentum vitale, eſſentiale, principale, aut αὐθεντικὸς, & miniſteriale : qui ſi conſtarent ſibi, & bona fide agerent, iure merito dicere aliquid viderentur : nam pij omnes fatentur Apoſtolos eiuſmodi fuiſſe fundamenta Eccleſiæ : verùm ex ijs quæ paſſim docent ijdem de Monarchia, vel potius Omnipotentia Pontificia, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, de Vicariatu Dei in terris Petro quondam, vt iſti volunt, deinde eius ſucceſſoribus attributo, de poteſtate vnius ſupra Concilium etiam Oecumenicum, de iure deturbandi Reges de ſuis ſolijs, & neci illos addicendi, & ſimilibus capitibus, præſtigiarum technæ patent. Meminerint igitur pij, etiam in hac parte & loquendum & ſentiendum eſſe cum antiquis Patribus ; & cum Baſilio Magno dicendum in homil. de pœnitentia ; *Chriſtus reuera Petra eſt inconcuſſa : at Petrus propter petram : Ieſus enim dignitates ſuas largitur ſuis.* Dicamus verò id ipſum aliquanto apertius cum Chryſoſtomo ; etſi Petrus cæterique Apoſtoli petræ & Eccleſiæ fundamenta ſuo modo extiterunt : reuera tamen eam fuiſſe τιμὴν ὀνόματος, potius quàm φύσιν πράγματος : honoris, inquam, cauſſâ ſic eos dici, figurâ loquendi magis, quàm ex rei veritate : quum vnus ſolus, μονώτατος Iesvs Christvs, vere & rebus ipſis, vi Spiritus Sancti, atque vt loquuntur Patres, per ſpirituales influentias, conſtituat, foueat, ſuſtentet, protegat ſuam Eccleſiam : quæ eſt doctrina Pauli, in I. ad Corinthios, cap. III. 5.6.7. nec male hic vſurpaueris, quod apud prophetam Iſaiam legitur ; *Deum gloriam ſuam nemini mortalium dare.* Quum autem probauerimus, Chriſtum Petram dici, quia Deus eſt, & quia erga Eccleſiam ſuam ea operatur, quæ vnius dumtaxat eſt Dei præſtare ; concludimus certa

&

& indubitata ratione; eos qui volunt Petrum dici petram, quomodo Christus dicitur Petra, vel non satis intelligere quam vim habeat hæc argumentatio: vel scientes prudentesque è mortali facere Deum, aut certe Deo hominem æquare: quæ est intolerabilis & hominibus Christianis vox indigna. Sed quæritur hîc à nonnullis; si vera Petra Ecclesiæ, & verum illius fundamentum est solus IESVS CHRISTVS; gratia autem nominis non vni Petro est concessa, verùm omnibus Apostolis, vt paullo antè ostendimus: quid Petro singulariter conueniebat, cur hæc elogia illi potissimum tribuantur? Sunt qui hoc loco subtiliter philosophentur de diuersitate fundamentorum in eodem ædificio, & nescio quæ λεπτολογήματα afferant ex arte fabrili; atque vt dicam cum Eucherio Lugdunensi, ea quæ plana sunt, subtilitate sua reddant difficilia. Simplicissima & verissima responsio est; in dictis figuratis scopum dicentis magis spectandum esse, quàm in verba subtiliter inquirendum. Christus igitur quum omnibus Apostolis idem diceret, ac potestatem omnibus eandem conferret; peculiariter tamen ad Petrum vocem dirigit; voluitque eum, inter suos collegas pari potestate præditos aliquo modo eminere, vitandæ confusioni, &anciendæ εὐταξίᾳ, atque sicut Cyprianus ait, vt *originem vnitatis & rationem fundaret.*

XIV. *Ostenditur, ne illos quidem Patres qui* petram *de Petro sunt interpretati, de Monarchia Petri vnquam cogitasse. Expenditur sententia Cypriani: item Ambrosij, Isidori, Epiphanij, Eucherij Lugdunensis, Victoris Antiocheni, Theophanis Ceramei. Iudicium de Iodoci Coccij* Thesauro Catholico.

IBIDEM.

TRanseamus ad alterum argumentum. Nam si illi ipsi Patres, qui vocabulum *petra* in verbis Domini de Petro acceperunt, quíque Ecclesiam super Petro fundatam esse dixerunt, de Petri Monarchia, quam Baronius hoc loco elicit è voce *petra*, nihil cogitarunt: sequitur omnino, doctrinam hodiernam esse nouam. Cyprianus scriptor vetustissimus, vnus omnium veterum Doctorum frequentissime repetit, *Ecclesiam voce Domini super Petro vno esse fundatam*; vt in libro de vnitate Ecclesiæ & sæpe in epistolis. Atqui hic est Cyprianus, qui omnes Episcopos Apostolorum pariter successores esse credidit, omnes parem habere potestatem, omnes sibi commissos greges ęquo iure regere, *vni Deo actus sui rationem reddituros.* Hic est Cyprianus, qui semper cum Romanis Pontificibus suis ęqualibus, ex æquo egit, *collegas*

illos

illos & *fratres* appellans, & vicissim ab illis appellatus. Equidem temere dicere non ausim, aliqua ambitionis Romæ pullulantis iam tum extitisse indicia: parce enim loquendum autumo de sanctis Martyribus, qui per illa tempora Ecclesiam Romanam rexerunt; veruntamen, siue ea fuerunt indicia morbi quandoque erupturi; siue tantum suspiciones, quæ Cyprianum impulerunt: certe ex ijs quæ vir hic Dei in caussa Felicissimi, item Basilidis & Martialis gessit scripsitque; item ex epistola ad Pompeium contra literas Stephani Papæ: certissime constare potest, quæ Cypriani fuerit sententia de isonomia, siue ęquabilitate iuris inter omnes Episcopos: constare, inquam, potest manifestissime, praxin Ecclesiæ illorum temporum hanc fuisse; vt Ro. Episcopus pari iure cum cæteris censeretur, *frater & collega* à cæteris diceretur, sicque ageretur cum illo, vt cum fratre; maiore illo quidem natu, & qui ordine primus, cæteros aliqua honoris prærogatiua antecederet; sed tamen frater esset & collega, nihil amplius. Nemo Cyprianum legit, non excæcatus anticipatis opinionibus, qui hoc non animaduertit: & nobis in XVI. disputatione, de eo nonnulla erunt dicenda. Non igitur credidit Cyprianus, non credidit ætate Cypriani Ecclesia Dei, appellatione *Petræ* vllam vel Petro, vel Petri successoribus Monarchiam à Christo fuisse attributam. Ambrosius, De sanctis per annum, sermone II. *Petrus pro soliditate deuotionis, Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus; Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamentum posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq́ contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra ꝑ virtute Dominus nuncupatur.* En caussas tres, cur Petrus dictus sit Petra. Prima est, *soliditas deuotionis*; sic appellat Ambrosius, quam Græci passim θερμότητα; quam vocem ante exposuimus. ea fuit zeli vehementia, & studium flagrantissimum promouendæ Christi gloriæ; nam prę cupiditatis huius ardore quauis petra durior euasit hic sanctus Apostolus, aduersus omnes ærumnas. Altera caussa; *quod primus in nationibus fidei fundamentum posuerit*: hęc verissima Petri laus, ex historia Actorum notissima. Qui igitur primus inter primos Dei seruos ad id ministerium electos, Ecclesiæ Christianæ iecit fundamenta, meritissime, petra, basis & fundamentum Ecclesiarum appellatur. Eam ob caussam Petrum cum Aarone comparant nonnulli. Isidorus Hispalensis, De officijs, libro II. capite quinto scribit, Ordinis sacerdotalis fundamentum fuisse Aaronem in veteri Lege: *in nouo autem Testamento*, inquit, *post Christum sacerdotalis ordo à Petro cepit: ipsi enim primo datus est Pontificatus in Ecclesia Christi; Sic enim loquitur ad eum Dominus: Tu es inquit Petrus, &c.*

Hic ergo ligandi soluendiq; potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Vides Ambrosium & Isidorum caussam appellationis *petræ*, petere à ministerio Petri, & ex eo quod primus Euangelij prædicatione, in nationibus fidei fundamentum posuerit. Tertia caussa ponitur ab Ambrosio, *quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat.* Magnifica sane verba, vt dicebamus exercit. XIII. num. XVII. sed quæ de viuente quidem in terris Petro, sint ita accipienda, vt cùm Paulus dicit se homines seruare; de se seruo Christi locutioné vsurpans, quę proprie ipso docente Paulo, ad Christum pertineat. sic dicitur Ambrosio Petrus *continere compagem Ecclesiæ.* quum ipso interprete Ambrosio, sua virtute hoc Christus præstet; Petrus tantum deuotionem afferat. sed & de versante inter homines recte hoc dici potuit, & nunc ipso in cœlis cum Christo regnante, de doctrina Petri, & fide quam ille prædicauit, dicetur verissime. Si Petrum Ecclesiæ monarcham agnouisset Ambrosius, dixisset profectò illum non tantum deuotione, sed etiam imperio continere compagem Ecclesiæ: at ille *deuotionem* dumtaxat illi tribuit; de monarchia illius neque apud Ambrosium, neque apud Isidorum vllum verbum: contrà Isidorus eo ipso loco subijcit hæc: *Siquidem & cæteri Apostoli cum Petro par consortium honoris & potestatis acceperunt.* Epiphanius Ambrosio pene ęqualis, aduersus Catharos affirmat, *Petrum extitisse nobis solidam Petram fundantem fidem Domini, super qua ædificata fuerat Ecclesia*, idque κατὰ πάντα τρόπον, inquit, *omnibus modis*: deinde tres modos explicat. Primus modus, siue caussa prima est, confessio ab eo edita de Christi deitate, & facta ipsi promissio: altera est, confessio eiusdem de Spiritus Sancti deitate, Actorum, v. 3. & 4. Tertiam caussam ita explicat Epiphanius: ἀλλὰ καὶ ἐν τούτῳ στερεὰ πέτρα οἰκοδομῆς, καὶ θεμέλιος οἴκου Θεοῦ γεγένηται, ἐν τῷ ἀρνησάμενον αὐτὸν, καὶ πάλιν ἐπιστρέψαντα, εὑρεθέντα τε ὑπὸ Κυρίου, καὶ καταξιωθέντα πάλιν ἀκοῦσαι, Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Ὁ γὰρ Χριστὸς τοῦτο λέγων εἰς ἐπιστροφὴν ἡμᾶς ἦγε μετανοίας, ἵνα ἐν αὐτῷ πάλιν οἰκοδομηθείη ἡ εὐθεμελιώτατος πίστις, ἡ μὴ ἀπογνοῦσα ζωὴν τῶν ἀνθρώπων ὅσοι ἐμπνέουσι τῷ βίῳ, καὶ μετανοοῦσιν ἐν ἀληθείᾳ. *Sed etiam in eo solida petra ædificij & fundamentum domus Dei fuit Petrus, quando postquam negasset, & denuo conuersus esset, à Domino inuentus est, qui eo honore ipsum dignatus est; vt rursus illi diceret, Pasce oues meas, &c. Nam his verbis Christus ad pœnitentiæ conuersionem nos vocat, vt iterum in Petro fides optimo nitens fundamento ædificaretur: quæ de vita illorum hominum non desperat, qui vitali spiritu adhuc fruuntur, & reuera resipiscunt.* Geminus huic locus est in Ancyroto pag. 473. vbi prolixe docet Epiphanius, Petrum τεθεμελιῶσαι τὴν ἀσφάλειαν τῆς πίστεως, *firmitatem fidei fundasse*, κατὰ πάντα τρόπον, *modis*

modis omnibus; nam etiam ibi illa verba vſurpat: tota autem illa diſputatio ad tres cauſſas modò expoſitas referri poteſt. Sententia igitur Epiphanij fuit; Petrum Eccleſiæ petram & fundamentum eſſe factum, non ſolum quando de Chriſti deitate confeſſionem edidit; aut quando Eccleſię cura illi demandata eſt; aut cùm alia religionis Chriſtianę arcana prędicauit, vt deitatem Spiritus Sancti in compellatione Ananiæ: ſed etiam tum, quando permiſſus eſt cadere, vt ex illo caſu melior ſurgeret, ac ſuo exemplo ad verã pœnitentiã omnes animaret. Ambroſius ſimillime ad caput Lucæ XXIII. *Error Petri, doctrina iustorum eſt: & titubatio Petri, omnium petra eſt.* Ex his Epiphanij verbis colligas recte, veriſſimum eſſe, quod ait Auguſtinus contra Donatiſtas, *In Apoſtolo Petro primatum Apoſtolorum excellenti gratia præeminuiſſe*: at Monarcham Eccleſiæ factum eſſe Petrum, neque ex ſuperioribus locis Epiphanij poteſt colligi, neque ex vllo verbo, quod in eius viri monumentis extet. Eucherius Lugdunenſis homilia in natali S. Petri, ad hæc verba, *Et ego dico tibi* &c. notat: *Tu dicis & verum dicis, quia ego ſum Chriſtus filius Dei viui: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, fide fortis, & doctrina ſtabilis.* cur verba Domini exponens hic Pater, non dicit cum Baronio, *Tu es Petrus* &c. id eſt, *tu es Princeps & monarcha Eccleſiæ*? nimirum adhuc illa ſecula ignorabant hoc arcanum. Sed operepręetium fuerit, totam interpretationem Eucherij apponere. *Niſi enim in hoc nomine fortitudinem & ſtabilitatem Chriſtus intellexiſſet, quare ea quæ ſequuntur protinus addidiſſet? dicens*, Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Si Petrum non intelligis, Petram reſpice: Petra autem erat Chriſtus. Sic igitur à Petra Petrus, ſic à Chriſto Chriſtianus. Videamus itaq; quid ſit*, Et ſup. &c. *Super hanc petram, quam tu modò in fidei fundamentum poſuiſti: ſuper hanc fidem, quam tu modò docuiſti, dicens*, Tu es Chriſtus filius Dei viui: *ſuper hanc petram, & ſuper hanc fidem, ædificabo Eccleſiam meam. Huic enim ſententiæ Apoſtolus concordans, ait*, Fundamentum enim &c. *ac ſi dicat; Non eſt aliud fundamentum, niſi illa Petra quam Petrus poſuit in fundamentum, cùm diceret*, Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Super hanc petram ædificatur Eccleſia Dei.* Victor Antiochenus, qui aliquanto ante annum à Chriſto quingenteſimum creditur vixiſſe; cauſſam impoſiti noui nominis Simoni ita explicat. *Ne quis caſu aut temere Apoſtolos electos putet, Euangeliſta ſingulorum nomina ordine recenſet. Dicit autem Simoni impoſuiſſe nomen Petri, quò nimirum nomen rem ipſam anticipet. Quia enim Chriſtus Dominus ſupra Petram, hoc eſt, ſupra infractam, ſanamque Petri doctrinam inconcuſſamq; fidem, Eccleſiam ſuam ædificaturus erat, ob id prophetico Spiritu, Petrum illum appellat.* Hic eruditus ſcriptor, non magis credidit nouum nomen Petro impoſitum, portendiſſe illi Monarchiam, quàm

filijs Zebedæi, de quibus statim loquitur. In Collectaneis Iodoci Coccij, magna diligentia, sed non pari fide neque iudicio, congestis, extat descriptus hic locus è Theophane Cerameo, quem vixisse adnotat circa annum Domini ƆƆCCCXX. sermone de sanctis Apostolis: *Ego vero dico t. &c. Tu, inquit, Petrus es, petra fies fidei, verbi & Ecclesiæ firmatæ fundamentum, ac spiritualis ædificationis primus aditus. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Tali namque petra & rupe collocata, reliqua dogmata firme ac tute ædificabuntur.* Non potuit clarius exponi, Petrum propterea petram & fundamentum Ecclesiæ dici; quia articulus fidei quem ipse confessione sua est complexus, omnium fidei articulorum & totius doctrinæ Christianæ primus est, principium fidei, & vniuersæ religionis Christianæ fundamentum. Locus est egregius; quem religio fuit prętermittere. feci igitur contra morẽ meum, vt alienam fidem secutus, ex auctore mihi non lecto eum describerem. Atq; vt hoc obiter dicam, vel ex hoc vnico Theophanis loco apparet, quo iudicio scriptus sit ille Coccij Thesaurus Catholicus. Affertur enim hic locus, ad probandum dogma hodiernum, Petrum vniuersę Ecclesiæ Principem ac Monarcham esse: quod hic Theophanes, homo Græcus, nisi fuit schismaticus, adeo non credidit, vt toto animo detestaretur: ex eius autem verbis nullo pacto potest elici. quorsum igitur Coccio afferebatur hoc testimonium? Sed nemo eruditus & iudicio vel mediocri præditus, oculos in illam farraginẽ coniecit; quin statim intellexerit; propositum auctori fuisse, non veritate vincere: sed nube testiũ, quasi terriculamento aliquo incautis lectoribus & rerũ imperitis pauorem inijcere, *qui omnem illis sapientiam ex animo expelleret*, vt ait vetus poeta. Sciant igitur tirones, minus in his studijs versati, Coccium in opere illo concinnando, inter veros auctores & supposititios nullum discrimen statuisse; qui magnus est error, & pernitiosissima ἀκρισία. Altera verò non minor, quod de sensu & vera sententia auctorum quos afferebat ne minimum quidem fuit sollicitus: clamat hoc res ipsa, & nos si id ageremus, nullo negotio possemus demonstrare. Verùm vt eo omisso, ad propositum redeamus: possent ijs testimonijs quæ hactenus recitauimus alia addi; sed hæc satis superque sufficiunt, vt concludamus tandem, quod proposueramus demonstrare; ne illos quidem Patres, qui *petram* in verbis Domini de Petro acceperunt, de Petri monarchia, hac metaphora ipsi promissa, quicquam cogitasse. Neque id mirum: nam ipsi Petro, & cæteris Apostolis, quando ex ore Domini hæc verba sunt prolata; eius interpretationis, quæ regnum & monarchiam Petro spondet, ne venit quidem in mentem. Euincit hoc manifestissime, vel vnicum illud argumentum; quod vsque ad

passionem

passionem Domini penitus ignorarunt & Petrus & omnes Apostoli, quis inter ipsos esset, aut futurus esset, cæteris maior: sicut apparet ex illa contentione inter Apostolos orta, quæ cõmemoratur in Euãgelio Lucæ, XXII. 24. post sacrosanctæ Eucharistiæ institutionem narratam: qua de re plura erunt dicenda ad annum sequentem, disputatione XXIV.

XV. *Ostenditur quomodo Domini verba hæc progressu temporis aliter exponi ceperint, & ad Romanam potentiam stabiliendam trahi. Primò spiritualem. Anacleti & aliorum Paparum decretales falsæ. Concilium Ro. Zosimus & Bonifacius Papæ, item alij: Canon Concilij Niceni falsò laudatus à Papa Ro. Leonis Papæ noua & dura dicta de potestate Petri. Potentia temporalis ex ijsdem verbis adstructa. Hildebrandum præcipuum esse auctorem huius doctrinæ: eamq; merito* Hildebrandinã *posse dici. Eius epistola fundamentalis huius argumenti. Eiusdem dictatus. Sola Eccl. Rom. à Deo fundata. Appendices eius doctrinæ post Hildebrandum. Infallibilitas Papæ. Papa supra Concilium. idem* Vicedeus, & Omnipotentię Pontificię conseruator.

IBIDEM.

ET hæc quidem fuit melioribus seculis pręstantissimorum Ecclesię Catholicæ Doctorum, super Domini verbis sententia. Verùm vbi primæ sementi charitatis, simplicitatis, & φιλαληθείας successerunt astu Satanæ *lappæq; tribuliq; & infœlix lolium,* id est, amor nouitatis, ambitio & dominandi cupiditas; inter alia Scripturæ loca multa, quæ ausu immani versa sunt in parandæ potentiæ instrumenta; etiam hic locus cum primis, atque adeo præ cæteris omnibus, eidem proposito coactus est inseruire. Cui primo in mentem venerit huius subtilitatis, non memini obseruare. In decretali tertia Anacleti Papæ leguntur hęc verba; *Hæc sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit; & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecuta est; sic vt ipse beato Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* His verbis monarchia spiritualis Ro. Episcopo vindicatur ex isto Domini dicto, & reliquis promissionibus Petro factis. de Monarchia hodierna, quæ cœlum & terram complectitur, verbum nullum in tota illa decretali. Quam tamen falsam esse, & multis seculis post Papæ Anacleti tempora fictam, certissimum est: nam vt sępius iam diximus, & cordati viri etiam inter Pontificios ingenue agnoscunt, omnes primorum Paparum decretales adulterinæ sunt, aliquot

seculis

seculis post mortem illorum sanctissimorum Pontificum ab impostoribus, per summam impudentiam, confictæ. Non est hæc noua querela, sed vetus admodum, vt apparet ex Hincmaro Rhemensi, & alijs scriptoribus, præsertim Græcis: qui in disputatione de Papa has decretales semper reiecerunt, & falsi accusarunt. Hoc verò tam erudito seculo portenti simile est, reperiri, qui vel decretales illas epistolas, vel ridiculam illam donationem Constantini, tot eruditorum hominum, etiam illarum partium, obelis confossam, audeant defendere. Enimuero, qui doctrinæ de Monarchia Papali initia & incrementa diligenter, vti par est, in historia Ecclesiæ obseruarunt, non ignorant; Romanorum Pontificum ambitionem, quæ non obscuris indicijs etiam antè se prodiderat, propagari admodum cepisse, & velut in apertam lucem erupisse circa finem seculi quarti, & quinti initium. Igitur in Concilio Romano, quod celebratum est circa annum Domini CCCLXXXII. ad confirmandum Ro. Ecclesiæ primatum, Patres inter cætera argumenta, hæc etiam afferunt: *Sancta Romana Ecclesia, nonnullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est: sed & Euangelica voce Domini Saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nondum videlicet hi Patres verborum Christi vim satis capiebant. Adhuc igitur de primatu in rebus spiritualibus contendunt: de rebus temporalibus adhuc illis temporibus altum silentium: monarchiam verò Orbis terrarum, ne per somnium quidem Papæ, vel eorum parasiti, pestis omnium magnarum potestatum, cogitauerant. Adhuc synodica decreta obtendebantur; quę hodie proferre in eam rem, pars fuerit iniuriæ. Circa annum Domini CCCCXX. primò Zosimus, deinde Bonifacius, duo præcoces Hildebranduli, Reges agere incipiunt, & κατακυριεύειν τῶν κλήρων, in spiritualibus: qui non omittunt hæc Christi verba. Lege epistolam Zosimi ad Aurelium, & cæteros Patres Concilij Carthaginiensis: in ea reperies Domini promissiones has Petro factas; sed velut ἐν παραβύστῳ insertas, & in turba plurium argumentorum pro Romana potentia positas. Adhuc traditio Patrum, & canones ac regulæ Ecclesiasticæ cum primis vrgentur: vnde nata fabula de canone Niceni Concilij à Bonifacio Papa allato, qui factus nunquam est, nunquam visus, neque auditus in Ecclesia Dei. Nam ingeniosissimi illi huius caussę patroni, qui nuper in Concilijs Romæ editis tantum sudarunt, vt hoc mendacium aliquo veritatis colore imbuerent; non suo, sed caussæ quam defendebant vitio, egregie operam luserunt, & laterem lauerunt. Extat rescriptum Imper. Valentiniani, quo secundas agit Leoni I. Ro. Pontifici, magno sane viro, & aliâs bene merito de Ecclesia; sed tunc auctoritate sua

opprimenti

opprimenti, virum sanctissimum, etiam teste Baronio, vnum è Galliç nostræ luminibus, Hilarium Arelatensem. In eo rescripto Augustus potentiæ Romanæ circa res Ecclesiasticas, tres rationes affert; meritum Petri, dignitatem ciuitatis, & Synodica decreta. Hæc gerebantur anno Domini CDXLV. Quo tempore Leo Papa scribens ad Episcopos Galliæ, prouinciæ Viennensis, ostendit, mysterium se inuenisse in petra Petro, cuius vix dum satis suboluerat Papis prioribus. Sic enim philosophatur. *Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet: vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus esset à Petri soliditate discedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Mirum dictum! quod si ab alio esset profectum, manifestç impietatis damnare, nulla esset religio. Sed perspecta alijs in scriptis factisq; viri tanti ὀρθοδοξία & pietas, cogit nos benigna interpretatione durius dictum mollire, & quod Græci dicunt, τὰ λεγόμενα θεραπεύειν: qua de re proxima disputatione dicetur. In canone XXIX. Concilij Chalcedonensis, Leone sedente habito, caussa prærogatiuæ Sedis Ro. vnica assignatur, quod esset vrbs dominatrix. Post Leonem vt quisque Pontificum parandæ potentiæ fuit studiosissimus, ita petram Petrum in ore plurimum habuit. Verissime dictum est, cupiditates mortalium, vbi semel exorbitare ceperunt, sisti aut circumscribi non posse: οὐδαμοῦ γὰρ τῆς εἰς τὸ πρόσω φορᾶς ἵσταται inquit Basilius Magnus. Igitur vbi Romanæ potentiæ circa res spirituales ipsum prope iam fastigium in Europa erat impositum; pœnitere Papas suæ fortunæ cepit, nisi de capitibus Imperatorum, Regum ac Principum omnium tam libere possent statuere, quàm poterant de statu & fortunis suorum clericorum pro libitu disponere. Tum primum nouæ interpretationes multorum locorum è Scripturis ceptæ sunt excogitari, vt ex iure diuino competere hoc ius Papis plebi Christianæ persuaderent. Et multi quidem Papæ suas ad id inceptum symbolas contulerunt: sed dictu incredibile est, quantum vnus Hildebrandus qui Gregorius VII. est dictus, ingenij vir maximi, doctrinam illam promouerit. Vt iure liceat *Hildebrandinam* appellare eam doctrinam; quæ etsi primum auctorem Hildebrandum non habuit; sic tamen ab eo primo est exculta, & quod ad theoriam, & quod ad praxin, vt nulla temere scientia ab vno homine maiora acceperit incrementa, quàm hęc accepit ab Hildebrando. Testatur hoc ipsum ingenue in vita ipsius Onuphrius Panuinius, male eo nomine acceptus

tus ab ijs, qui nuper eum librum in Germania ediderunt. Docet hoc & Thomas, qui in Secunda ſecundæ, quæſt. XII. art. ſecundo, vt probet, Principes propter apoſtaſiam à fide amittere dominium in ſubditos; adeo vt obedire illis non teneantur; vnius Hildebrandi auctoritatem, in canone *Nos ſanctorum p.* rationibus omnibus & auctoritatibus opponit. Docet idem & Bellarminus; qui peruerſæ huius doctrinæ auctores curioſa diligentia enumerans, ab Hildebrando eſt orſus: non quia defuerint antè qui ſemina illius hæreſeos iacerent: ſed quia hic plurimum illam confirmauit quà ſcriptis, quà factis. Itaque & Baronius, vt Paulum V. aduerſus Venetos animaret, Hildebrandum præ cæteris elegit, quem illi imitandum proponeret. Quis autem eſt aut adeo hiſtoriæ imperitus, qui neſciat, aut frontis adeo perfrictæ, qui negare auſit, hunc Papam, delicias Baronij & Bellarmini, potentiæ Romanæ adſtruendæ ergò, cœlum terræ miſcuiſſe, & iura omnia diuina atque humana ſuſque deque habuiſſe? Nihil ego Bennonem moror, nihil alios Hildebrandi inimicos, qui de eius rebus ſcripſerunt. Si æquis animis ad cognoſcendam hiſtoriæ veritatem incumbimus, neque horum illius inimicorum, neque tot laudatorum ex eius factione habere magnam rationem debemus; quos hodie tanto ſtudio, tam inani operâ, è tenebris eruunt aſſertores dogmatis Hildebrandini. Nam & hos & illos, ſtudijs partium corruptos, à veritate, quæ erat in medio poſita, ſæpe receſſiſſe, nullum eſt dubium. Conſideretur illorum temporum hiſtoria, & facta huius Pontificis: alieno teſtimonio opus non erit, vt mores illius, mentem, ſcopum, & conſilia cognoſcamus. Ipſa quinetiam ſcripta, totum illius animum luculente nobis hodieque patefaciunt. Extat illius epiſtola ad Hermanum Epiſcopum Metenſem, in qua auctor rogatu illius Epiſcopi rationes accurate perſequitur, quibus nititur hæc doctrina. Legant illam, qui in Scripturis & ſcriptis vetuſtiorum Patrum mediocriter fuerint verſati; intelligent nullo negotio, *quid diſtent æra lupinis.* nam præter paralogiſmos, ſophiſmata, ignorantiam priorum temporum, & ſeculi illius cæcitatem, nihil in ea epiſtola quod mirentur inuenient. Extant pręterea inter eius epiſtolas, qui dicuntur DICTATVS PAPAE; ſunt autem ſententiæ XXVI. (quaſi totidem ϛοιχεῖα & elementa doctrinæ Hildebrandinæ,) dignæ Baronij iudicio, quæ in omnibus angiportis proponantur, V. D. P. L. P. vt ego autem exiſtimo, non ſine numine ad hæc noſtra tempora ſeruatæ, quò de illius Papæ meritis dubitari non poſſet. Habetur ibi inter cætera; *Quod ſolus Ro. Pontifex iure dicatur vniuerſalis. Quod ſolus Papa poßit vti imperialibus inſignijs. Quod ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur. Quod vnicum nomen eſt in mundo,*

mundo, videlicet Papæ. Imitatur Paulum, qui dixit de Christo, Philip. II. 9. *donauit ei nomen super omne nomen.* Audite cœli & terra. item, *Quod illi liceat Imperatores deponere.* Omnium vero prima sententia est hæc: *Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.* quæ mirifica verba, si cui videantur esse obscuriora, dabo illi interpretem, qui ista initia clarius enuntiet. In anno Domini MCXXVI. describit Baronius orationem Gregorij Cardinalis, ad monachos Cassinenses missi, in qua sic ipse refractarios fraterculos compellat. *Quænam autem Ecclesia vel monasterium, à Romanæ Ecclesiæ non disponatur arbitrio, cuius* IMPERIO *cœlum ipsum aperitur, & clauditur? Omnes quippe Ecclesiæ, à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, vel quibuscunque fidelibus conditæ sunt: Romanam vero Sedem solus fundauit Filius Dei, & super Petri Apostoli erexit fidem; cui etiam terreni simul & cœlestis* IMPERII *iura commisit: & illud verbum quod condidit cœlum & terram, Romanam fundauit Ecclesiam.* En verborum Domini fidelem interpretem. Sed & Hildebrandus ipse, in ea quam dixi epistola; caussas explicans, cur Henricum Imper. excommunicasset, subditosque eius à sacramento fidelitatis absoluisset; ab ijsdem Domini verbis, *Tu es Petrus*, &c. ceu firmissimo argumento, ducit exordium. Tantum secula profecerant. Nam Basilius, Gregorij, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, præ istorum sapientia pueros videri necesse est. Cui enim illorum venit vnquam in mentem, vt verba Domini ad Petrum sic interpretarentur? Necdum tamen penitus consummata fuit Hildebrandina sapientia: cui postea velut necessarium corollarium est adiectum, de Papę infallibilitate, & similia huic alia. Ac mirum est, quum per aliquot iam secula, tot homines ea disciplina habuerit occupatos, partim in praxi, partim in theoria; adhuc tamen, noua subinde capere illam incrementa. Nam verbi gratia; Papam esse supra Concilium; patrum & auorum nostrorum memoria, pauci dicere & asserere audebant. Quinimo ausus est Pius II. libro primo de gestis Bas. Conc. acerrime hanc thesin tueri, ESSE FIDEI CATHOLICAE, CREDERE CONCILIVM ESSE SVPRA PAPAM. At iam quintum Euangelium nescio vnde est allatum (non sane de cœlo:) quod in contrariam partem eam quæstionem docuit decidere. Itaque Bellarminus, De Concilijs libro II. cap. XVI. absolute definit, Papam esse supra Concilium; & venuste ait *hoc esse quasi de fide.* Igitur totâ passim Europâ sub imperio Pontificis, in auctoritatem rei iudicatæ dogma illud transijt. VICARII CHRISTI titulus nostra memoria videtur cepisse sordere, & parum dignus haberi Papali Maiestate. VICEDEVS igitur audit iam Papa Paulus V. cui etiam primo, opinor, mortalium, delatus & probatus est titulus, vt

dicatur OMNIPOTENTIAE PONTIFICIAE CONSERVATOR. Ventura ſecula quid noui ſint excogitatura exaggerando illi faſtigio, Θεῷ ἐν γούνασι κεῖται: nos mortales homunciones ignoramus. Tot nouorum commentorum cauſſa vnica eſt, cupiditas adſtruendæ terrenę Monarchiæ, non Petro quidem; cuius ſanctiſſimi Apoſtoli nomen dicis tantum cauſſa, per ludibrium obtenditur; ſed verò Pontifici Romano; cui vni per tot ambages, tot periculoſiſſimos errores paratur illa ſponſa. *O curuæ in terras animæ, cœleſtium inanes.*

XV. *Ad quintum caput* ἐπιστάσεως *Baronianæ. Soluuntur obiectiones factæ è Patribus: prius generali reſponſione; dicere illos Petrum eſſe Eccleſiæ fundamentum: at nihil de Ro. Papæ Monarchia, multo poſterius nata cogitaſſe: deinde ad ſingulorum teſtimonia. Cypriani* amplitudo. *Tertulliani ſententia; Origenis, Hilarij, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini. &c. Domini verbis contentam promiſsionem, non proprie pertinere ad Eccleſiam Romanam, ſed ad omnes, putà Conſtantinopolitanam, & ad ſingulos etiam fideles. de Leone I. bono fine illum auxiſſe in maius Ro. Sedis dignitatem; neq; tamen hodiernam Monarchiam vel obtinuiſſe, vel illi inhiaſſe. dura quædam illius dicta expenduntur. Patrum ſcripta non ſemper ad viuum reſecanda. Expenduntur verba Legatorum Celeſtini in Epheſino Concilio.* Legatus Apoſtolicæ Sedis. *Petrus* ἔξαρχος & caput Apoſtolorum: columna fidei. *Admonitio ſuper epilogo Baronij.*

ANNI XXXIII. Num. XXI.

COgnita mente Patrum, facile eſt quod iam reſtat negotium. Nam illa tot teſtimonia, quæ paratu tanto è Patribus XV. profert Baronius, hoc vnum probant; Chriſtũ ſuper Petro Eccleſiam ſuam fundaſſe. Id verò apud omnes ſanos in confeſſo eſt. Verùm hæc locutio figurata quum ſit, & omnino interpretationis indigeat; ſola eſt interpretationum diuerſitas, quæ errorem parit, quæque in controuerſiam vocatur. Quibus antiqua Theologia placet, ij Patrum primitiuæ Eccleſiæ communem ſententiam probant & tuentur; vt per Petrum intelligatur miniſterium Petri, qui primum lapidem ædificij Eccleſiæ inter primos primus poſuit: in quo poſt lapſum pœnitente, inſigne miſericordiæ exemplum ad ſalutem Eccleſiæ eſt editum; qui fidem rectam & profeſſus eſt & conſtanter docuit. Hanc fuiſſe Patrum illorum mentem, qui *petram* in verbis Domini de Petro expoſuerunt, clare probatum eſt in ſuperioribus; vbi etiam obſeruabamus, Patrum acceptiones in ſpeciem diuerſas vocis *petræ*, in re ipſa nihil

nihil quicquam differre. Hæc vetus Theologia, nouæ doctrinæ assertoribus Baronio, Bellarmino, alijs, placere non potest; qui primatum ordinis, quo fuit olim Petrus contentus, ceu folia tartari, & rem nugatoriam respuunt; omnia potius remittere parati, quàm vt de dominatione, imperio, & absoluta Papæ Monarchia, aliquid imminui patiantur. Quare hoc primum Baronio respondemus, iniquè ipsum facere & absurde, qui tot Patrum testimonia præstruat ei conclusioni, quam vult inferre. Omnino enim doctrinam hodiernam de regno Papæ, & potestate illius tam in tẽporalibus quàm in spiritualibus, tueri vult Baronius: de qua potestate priscę Ecclesię Patres vel cogitasse, sine infando & turpissimo mendacio dici non potest. Hoc melius intelligemus, si testimonia singula breuiter excusserimus. Procedat igitur in numerum, qui primus occurrit B. Martyr Cyprianus: cui viro sanctissimo, cùm tribuit Baronius *temporis antiquitatem*, *doctrinæ præstantiam*, *martyrij dignitatem*, rectè facit; neque erit aliquis pius, qui secus sentiat. sed quare AMPLITVDINEM eidem attribuit? potentiam enim ciuilem, & aliquam ex eiusmodi potentia manantem maiestatem Latine loquentibus ea vox denotat. Scio in veteri Glossario verti vocem *Amplitudo*, μέγεθος. quod si rectum esset, pari iure *amplitudo* tribui Cypriano posset, ac dicti sunt *Magni* Basilius & Gregorius I. sed enim diuersæ notionis vocabula sunt, *magnitudo* & *amplitudo*. quæ vox auctore Tullio, *potentiæ aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magnam abundantiam* significat. E Cypriano igitur quinque testimonia affert Baronius. In primo & quinto dicitur, *Ecclesia super Petrum fundata*; & Petrum *pro omnibus Apostolis esse locutum*. quod nihil facere ad hodiernum dogma, toties antè dictum, probatumque est. In secundo dicit gloriosus Martyr, *Petro oues suas Dominus pascendas tuendasque commendauit*. respicit vocem Domini apud Iohannem, *Pasce oues meas*. qua ex voce an possit iure sumi argumentum pro Monarchia Papali, quod fit hodie, expendetur ad annum sequentem. In tertio ait Cyprianus, *Super vnum Petrum ædificatam esse Ecclesiam Dei*. Nihil hic noui; nisi fortasse aliquis velit vocem *vnum* vrgere. absurde. Nam sententia fuit Cypriani, vni Petro dixisse Dominum, *Tu es Petrus*, &c. & claues illi tradidisse: non vt aliquam illi potestatem daret, quam alijs negaret: omnes enim pares honore ac potestate fuisse affirmat idem, illo ipso loco, quem mox affert Baronius: sed vt Ecclesiæ vnitas ostenderetur, quod toties idem Cyprianus, & alij Patres tam expressis verbis inculcant. Quemadmodum autem Apostolos pares inter se fuisse honore & potestate affirmat Cyprianus; ita successores Apostolorum Episcopos tantundem posse eiusdem fuit sententia. Quod igitur in testi-

monio mox allato è libro de vnitate Ecclesiæ, *vnam Cathedram* commemorat Cyprianus; id ad Romanam Monarchiam stabiliendam referri nullo pacto potest. Ipse explicat se paullo post: qui vbi dixit *eum qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia non esse*: addit, sicut vna est Ecclesia, vnum baptisma, vnus Deus; ita omnes Episcopos, qui in Ecclesia præsident, vnum esse: *eosq; vnitatem firmiter tenendo, Episcopatum quoq; ipsum vnum esse, atque indiuisum, probare debere.* deinde adijcit statim, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* quo ex loco & similibus alijs, clarum est, *vnam Cathedram* & *vnum Episcopatum* dici à Cypriano, non de Ro. Episcopo; sed de vniuerso corpore Episcoporum per vniuersam Ecclesiam diffuso. Itaque idem epistola XXVII. verba Domini ad Matth. *Tu es Petrus* & quæcunque deinceps sequuntur, sic interpretatur, vt dicat Dominum eo loco Ecclesiæ suæ rationem disposuisse, & ordinasse vt vnus Episcopus in quaque Ecclesia particulari institueretur, *per quos*, ait, *omnis actus Ecclesiæ gubernetur.* Et sæpe idem ex illis Domini verbis probat, vnius Episcopi in vna Ecclesia particulari institutionem, *diuina lege esse fundatam.* In epistola autem XL. vt schismaticos presbyteros confutaret, qui partem Ecclesiæ Carthaginiensis, inanem aliquam prætexentes caussam, à se legitimo Episcopo abducebant, & separatim colligebant, ita disputat: *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest.* Ex quo loco apparet manifestissime, *vnam Cathedram* dici non de sola Romana, sed de quauis alia, quæ fidem Petri & vnitatem cum Ecclesia Catholica à Petro fundata, & ab eo deducta, seruaret. Nam Cyprianum non credidisse vnum Ro. Pontificem inter omnes vniuersæ Ecclesiæ Episcopos Monarchiam obtinere, vel eo ipso clarissime & certissime probatur, quod ex illo modò afferebamus; *singulos Episcopos Ecclesiæ Catholicæ partem in solidum tenere.* Simile est, quod ait alibi; omnes Episcopos, modò seruent fidem & vnitatem, liberos esse & soli Deo actus sui rationem teneri reddere. epistola LII. *Manente concordiæ vinculo, & perseuerante Catholicæ Ecclesiæ indiuiduo sacramento, actum suum disponit & dirigit vnusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.* epistola LIV. *Quod si de collegis aliquis extiterit, qui vrgente certamine, pacem fratribus & sororibus non putat dandam; reddet ille rationem in die iudicij Domino, vel importunæ censuræ, vel inhumanæ duritiæ suæ.* in quinquagesima quinta, scribens Cyprianus ad Cornelium Ro. Episcopum; *singulis ait, pastoribus, portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Audebitne aliquis, dicere

Cyprianum

Cyprianũ quando hæc ſcribebat, vnicũ agnouiſſe vel Dei, vel Chriſti Vicarium in terris, Monarcham Eccleſiæ, qui regio more imperaret Aut ſi ætate ſancti illius Martyris, vnus hic fuiſſet pietatis Chriſtianæ articulus, vt eſt hodie, auſuſne eſſet vir modeſtiſſimus, cum Ro. Pontifice ex æquo agere; ſicut factum ſemper fuiſſe ab illo, vel ea luculente probant argumenta, quę diatriba XIV. è plurimis pauca afferebamus? Certum atque inuictum eius æquabilitatis & iſonomiæ, quæ Cypriani temporibus vigebat inter Romæ epiſcopum & cæteros omnes; vel vnica ad Pompeium epiſtola exhibet, contra literas Stephani Papę ſcripta: vbi etſi non optimam cauſſam defendit Cyprianus; agendi tamen modum, & libertatem quam vſurpat, diſciplina Eccleſiaſtica illorum temporum ferebat. Itaque eo nomine reprehenſum olim fuiſſe Cyprianum, non legimus. Et B. Auguſtinus, quum tam multa aduerſus Cypriani ſententiam, & epiſtolam illam, qua ſe tuebantur Donatiſtæ, diſputauerit; fuiſſe tamen in hac parte peccatum à Cypriano, nuſquam dixit. Age, vſurpent eandem hodie libertatem Pariſienſis Epiſcopus, vel Hiſpalenſis, aut Toletanus: dicant Pontificem Ro. *ſuperba, ad rem non pertinentia, ſibi ipſi contraria, imperite atque improuide ſcripſiſſe*, quod ait ibi Cyprianus de Stephano; ſentient, quod ęgre fortaſſe nunc concedant; cum temporibus mutatam eſſe Eccleſiæ diſciplinam, atque adeo plane in contrarium vertiſſe. Sed de pij huius Martyris ſententia ſuper hoc articulo, quam aliquid fatemur habere difficultatis, alibi, ſi voluerit DOMINVS, accurata diligentia diſputabimus. Sequitur ὕστερον πρότερον Tertullianus, diſcipulum magiſter. Meritò autem Baronius ſpem in hoc teſte non magnam ponit: debuit vero prorſus nullam. Locus è libro de præſcriptionibus, itemque alter è De monogamia, id ſolum volunt, quod toties iam diximus à nobis non negari. Tertius verò è libro De pudicitia, quo conſilio huc ſit allatus, neſcio. Τί γὰρ κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ; In XXI. capite eius libri, vnde ea verba ſunt deſcripta, Tertullianus Apoſtolicum, id eſt, Ro. Pontificem acriter ſuggillat, vindicantem ſibi remittendorum delictorum poteſtatem. Quum autem Eccleſia ſemper crediderit, ex verbis Domini ad Petrum cuiuis etiam presbytero legitime ordinato, nedum Epiſcopo, aut Ro. Papæ, Petri ſucceſſori, id ius competere: Tertullianus contra diſputat, & vni Petro PERSONALITER id fuiſſe à Domino conceſſum, conatur probare. Errauit Tertullianus: errauit & Baronius, qui illius errore cauſſam ſuam putauit adiuuari. Origenis duo teſtimonia, noui nihil habent: & toties eadem repetere piget. De mente Epiphanij ſatis antè dictum nobis. In Hilarij verbis oratoriam obſeruo paraphraſin verborum Domini noſtri; neq; aliud quicquam

quicquam inuenio. Ait Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hilarius: *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum.* Christus: *& portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* Hilarij paraphrasis cum pigmentis: *dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret.* Christus: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Hilarius: *ô beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur.* Christus: *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Hilarius: *cuius terrestre iudicium, præiudicata auctoritas sit in cœlis.* Vides virum sanctum nihil quicquam noui dicere: sed tantum verba Domini alio dicendi genere, & facundia Gallicana exprimere. Quid igitur lucri inde fecit Baronius, quod illa hîc descripsit? An ille putauit sententiam Domini plus ponderis habituram, Hilarianis expressam verbis, quàm Dominicis? Absit. Proferret potius illa loca, ex quibus potest constare, quid hic Pater intellexerit per petram Petrum. Nos autem iam ante aliquot prolatis testimonijs docuimus, Hilarium vocem *petram* in oratione Domini modò exposuisse de Petro, modò de confessione Petri, aut fide: de monarchia autem Petri nunquam. Hieronymi locus ex epistola ad Damasum, videtur aliquid continere, quod ad Baronij propositum faciat. Sic ille: *Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra domum hanc agnum comederit, profanus est.* Sed ne commemorem quę scribit idem alibi de æquo iure inter omnes Episcopos, Romanum comparans cum Eugubino; aut quæ scribit de pari potestate omnium Apostolorum; dico *Cathedram Petri* hoc loco esse fidei orthodoxiam, quam olim professus est Petrus, quamque Hieronymi tempore Damasus profitebatur, & docebat. Extra illius fidei formulam qui delirabat, is eadem operâ, & à Damaso & ab ipso Christo deficiebat. Sic B. Cyprianus epistola XL. de schismaticis qui à se defecerant, loquens; *Quisquis alibi collegerit*, inquit, *spargit.* Ex ante dictis, facile omnes intelligunt, quàm nihil sit in hac interpretatione longe petitum, aut coactum. Sed quia Sophistæ ad suas præstigias occultandas illa magni viri epistola, multum solent abuti, disseremus de illa accuratius, cum bono Deo, ad annum XXXIV. In duobus reliquis eiusdem Hieronymi locis nihil noui. Transeamus igitur ad Ambrosium. Primus ex ea profertur hic locus: *Vos autem quem me esse dicitis? Petrus statim loci non immemor sui, primatum egit; primatum confessionis vtique, non honoris: primatum fidei non ordinis.* Si præcepto Rhetorum parere Baronius voluisset, omnino erat omittendum illi hoc testimonium. Nam quod specimen est prudentię vel artis, testem te excitare, qui ab aduersa parte dicat? destruendę

autem

autem Monarchiæ Pontificiæ, nihil istis verbis fingi potuit expressius. Non honoris, non ordinis primatum Petro relinquit Ambrosius. Potuit igitur Petrus petra esse & fundamentum Ecclesiæ, etiam sine illo primatu : multo autem vtique magis, sine illa monarchica dominatione & pompatica, quæ hodie in negotio religionis vtramque conficit paginam. Sed addit Baronius : *Hæc de Petro Ambrosius, cùm nondum caput Ecclesiæ à Domino fuerat constitutus.* Esto : nam & nos credimus cum Patribus, Petro post ascensionem Domini, aliquem esse tributum à cæteris Apostolis & ordinis & honoris primatum. At non animaduertit Baronius, hac solutione destruere se, quod toties antè posuit, & nos confutauimus ; Petrum etiam cùm sequebatur Christum, fuisse caput condiscipulorum suorum ; imò fuisse illorum dominum : qualem eum nobis depingebat in illo suo fictitio Concilio. Præterea quid respondebit Chrysostomo, qui, vt antè ostendimus, Petrum Apostolatu suo fungentem in Actis, negat fecisse aliquid ἀρχοντικῶς, *pro imperio*; omnia de consilio cæterorum Apostolorum, imò ex concessione ipsorum ; sic enim ille docet ijs verbis quæ sunt antè descripta. Obsecro, tenuitne hanc disciplinam Hildebrandus, perfecti Papæ idea, vt Baronio placet ? Audiamus vnicum illius apophthegma. Sententia siue dictatus XVII. illius sic habet. *Quod sententia Papæ à nullo debeat retractari, & ipse omnium* SOLVS *retractare possit.* Sequitur alius Ambrosij locus ; *Hic est ergo Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis, imo pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur.* Hæc quoque verba prudentius à Baronio essent prætermissa : nam & ipsa illius proposito valide aduersantur. Dicit Ambrosius, Petrum ideo esse dictum fundamentum, quia præ cæteris Apostolis loquebatur. Loqui pro alio, nullam affert loquenti dominationem in illum pro quo verba facit : ministerium hoc est, non imperium : neque vnquam fando est auditum, aliquem qui pro alijs loquebatur, propterea regio more illis imperasse. Tertius locus Ambrosij : *Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum, non de carne Petri ; sed de fide dictum est, quia portæ Inferi non præualebunt, sed confessio fidei vicit Infernum.* Videtur Baronius sui propositi oblitus : ego enim ab illo expectabam testimonia Patrum, quæ probarent, Petrum, eò quod esset petra & fundamentum Ecclesiæ, dominationem habuisse in collegas ; quæ aliquam saltem vmbram hodiernæ monarchiæ referret. Omnino hoc illi erat probandum, vt tueretur quod prius dixit de monarchia Petro istis verbis delata. Ille verò non solum hoc non facit ; sed etiam tela aduersarijs suggerit, quibus confodiatur. Nam si vt hîc ait Ambrosius, propter fidem quam est confessus, dictus est Petrus petra & fundamentum Ecclesię :

de

de monarchica dominatione Papæ actum esse, quis non videt? res enim distinctæ & diuersissimæ sunt, fide excellere, & monarcham esse: vt probari vtrumque eodem medio, (id autem est petræ appellatio,) non queat. De quarto Ambrosij loco satis antè tractatum est. Et verò non semel probatum est, ex ijs quę Patres interdum prędicant augustius de Petro, nullum posse trahi argumentum dominationis illius: quam tamen nisi probat Baronius, quorsum nos hic moratur? Augustinus in Retractationibus, non id dicit, quod facit illum dicere Baronius, testem eum laudans: nihil enim affirmat de mente B. Ambrosij: sed tantum quo sensu verba illius cantarentur ore multorum. atqui verba Ambrosij non vnam admittere possunt interpretationem. sed nolo in eo immorari: nam quid hoc ad rem? debuerat verò recordatio illius loci B. Augustini Baronium mouere, vt remitteret aliquid de sua contentione in hac disputatione. Quod subijcit, eos etiam Patres, qui fidem Petri faciunt Ecclesiæ fundamentum, alijs in locis super ipso Petro Ecclesiam fundare: hoc quidem verissimum est: sed non explicat Baronius, quo sensu dicant illi Patres, Petrum esse Ecclesiæ fundamentum: est enim, docendo fidem, quam est confessus, non dominationem vsurpando. Cyrillus igitur, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus, quia nihil dicunt, quod Monarchiæ commento faueat, sine responsione cum bona gratia dimittantur: præsertim quum illa ipsa testimonia fere omnia antea sint à nobis tractata, aut ad sequentem annum accurate tractanda. Tantum dicam, quod ait Chrysostomus, *Petrum vniuerso terrarum Orbi à Christo esse præpositum*, in vno è testimonijs hic allatis; perperam à Baronio ad caussam præsentem accommodari: quum tot locis idem Pater affirmet eandem *curam vniuersi Orbis, omnibus Apostolis in commune esse traditam*, vt docebamus in disputatione de nomine Apostolus, & dignitate Apostolatus: quum dicat etiam idem non rarò de Paulo Apostolo, quod dicitur hic de Petro. Vnicum afferam locum, sed illustrem: nam sermone altero in sanctum Paulum, non est veritus Chrysostomus sic scribere: ὁ Μιχαὴλ δὲ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐνεχειρίσθη· Παῦλος δὲ γῆν καὶ θάλατταν καὶ τὴν οἰκουμένην καὶ τὴν ἀοίκητον. *Michaeli quidem gens Iudæorum tradita est: Paulo verò terra & mare, totusque Orbis, quà habitabilis, quà non habitabilis.* quid mirum de Paulo? quum de Euangelista Timotheo, eadem verba vsurpet idem Pater, quæ de Petro. In quinto contra Iudęos, hæc de Timotheo leguntur: ὁ δίκαιος ἐκεῖνος, ὁ ἅγιος, καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης προστασίαν ἐγκεχειρισμένος: *ille iustus, ille sanctus, cui Orbis terrarum cura erat commissa.* Transeamus ad Augustinum: cuius vera sententia super recta interpretatione verborum Domini, cùm ex alijs scriptis

eius,

eius, tum maxime è libris Retractationum poteſt cognoſci. Id opus non multo ante obitum ſuum vir ſanctus compoſuit. Auguſtinus igitur, & toto vitæ curſu cùm alia monumenta ſua ſcriberet, & ſub extremum vitæ tempus, credidit, *petram* in verbis Domini eſſe exponendũ de ipſo Chriſto, potius quàm de Petro : ac licet hanc interpretationem ipſe non reijciat, imò aliquando illa vtatur; alteram tamen præfert, & vt ſuam tuetur. Quoniam autem neque ſchiſmaticus neque hæreticus, opinor, fuit Auguſtinus, dubitari non poteſt, cum Eccleſię Catholicæ doctoribus ipſum & ſenſiſſe in re tanti momenti, & locutum eſſe: aut certe eam ſententiam probaſſe & literis mandaſſe, quam eius ætatis Eccleſia Catholica non damnabat. Quæro igitur ab hodiernis diſputatoribus, qui tanta confidentia Auguſtinum ignorantię accuſant, & eius interpretationem reijciunt; ſi crediſſet illorum temporum Eccleſia Catholica, hiſce Domini verbis, Petrum Monarcham Eccleſię, imò Orbis terrarum eſſe conſtitutum, potuitne B. Auguſtinus hoc ignorare? aut ſi non ignorauit, eſtne veriſimile, virum tantum in re tanti momenti, vt quidem hodie exiſtimatur, ſeorſim à Catholica ſenſiſſe? Non iam diſputo, quàm vera ſit Auguſtini ſententia. Hoc dico & affirmo; quod tanti nominis Epiſcopus, ita ſenſerit, ita ſcripſerit, idque adeo conſtanter, neque propterea quiſquam illum reprehenderit; certiſſime eo probari, doctrinam hodiernam de Petri monarchia ex illis Chriſti verbis, Eccleſiæ Catholicæ fuiſſe adhuc ignotam. Scimus, quum idem Pater in quæſtione de prædeſtinatione, & libero arbitrio quædam aduerſus Pelagium diſputans, à communi tunc Eccleſiæ ſententia nonnihil diſcrepantia, libellis ſuis inſeruiſſet; non defuiſſe in noſtra Gallia, & in alijs prouincijs, qui ſe illi opponerent: quíque eius ſcriptis poſt ipſius mortem publice cenſoriam notam apponi poſtularent. Si hodierna fides de Papæ Monarchia tum obtinuit in Eccleſia, cur nemo illi ne Paparum quidem, contradixit? cur permiſſus eſt interpretatione ſua præcipuum fundamentum eius dominationis funditus euertere? Sed verbis nihil opus. Eſt enim luce meridiana clarius, poſt tempora Auguſtini inuectam eſſe in Eccleſiam Dei opinionem de monarchia Petro verbis illis Domini delata. Quod ſi à principio, & vſque ad Auguſtini tempora hæc doctrina Eccleſiæ Catholicæ fuit incognita; quo iure poſtea eſt introducta? quis nouus Apoſtolus, quis Angelus eam inuexit? Quanquam ſi credimus Paulo, poſt traditum ſemel Euangelium, neq; Apoſtolus aliquis, neque vllus Angelus de cœlo veniens, ſi nouam doctrinam afferebat, erat audiendus. Galat. 1. 8. Sed Baronius hoc loco in verbis Auguſtini è Pſalmo contra Donatiſtas, exultabundus inſultat NOVA-

toribvs: hoc eſt ijs, qui antiquam fidem in hoc capite retinent, & quantum poſſunt ex alta obliuione reuocant in lucem. Enimuero ſuauiludij ſunt, quicunque audent in hac vtique diſputatione, Nouatorum meminiſſe: quum ſine impudentia perdita & plus quàm Diabolica, negari nequeat, Monarchiam quæ hodie ab iſtis defenditur, vel Petri, vel Ro. Epiſcopi, recens eſſe commentum, primis ſeculis Eccleſiæ non auditum, ac ne nomine quidem, aut vlla ſuſpicione cognitum. An propter humani ingenij vitium, & eam quam antè vocabamus è Baſilio ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, immoderatum ſtudium trahendi in contrarium, ad noua aliquando declinent, quos vocat Baronius Nouatores; non eſt hîc quærendi locus: at in quæſtione de Omnipotentia Papæ, Nouatores eos appellare, qui illam doctrinam non probant, hominis eſt qui habeat cor plumbeum, frontem æream. Porrò Auguſtinum in illo Pſalmo, per *Petri ſedem* intelligere, doctrinam fidei à principio acceptam, & perpetuo cùm in alijs Eccleſijs, tum præcipuè Romæ ſeruatam, certiſſimum eſt: & miror quibuſdam viris doctiſſimis ea verba negotium feciſſe, quæ ſunt planiſſima. Quemadmodum apud Irenæum & Tertullianum prouocantur hæretici ad Eccleſias ab Apoſtolis fundatas, vt ex ijs diſcant, quæ tradita fuerit ipſis fides à primis illis Eccleſiarum fundatoribus: ſic Auguſtinus, eo loco Donatiſtas reijcit eodem. Sed quoniam, (vt ait Irenæus in eo ſermone, libro tertio, capite tertio,) *valde longum erat omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones*; inſtar omnium in exemplum ſumitur Romana, illis temporibus, confeſſione omnium, ſanctiſſima, integritate fidei florentiſſima, & propter ſucceſſionem Petri, ciuitatis maieſtatem, & ipſum imperium nobiliſſima ac notiſſima. Quare non dicit ſimpliciter Auguſtinus, Numerate ſacerdotes, ſiue Epiſcopos Romę; ſed ſic: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede.* Eſt magni ponderis illud *vel*: quaſi diceret cum Irenæo, quoniam longum eſt omnium Eccleſiarum enumerare Sacerdotes, ſiue ſucceſſiones Epiſcoporum, vbi doctrina Catholica ſemper eſt ſeruata à principio, & nunc cum maxime ſeruatur; ſaltem conſulite Romanos Epiſcopos, à primo illius Sedis auctore Petro. Tertullianus de præſcriptionibus, cap. xxxii. ita accipiendum eſſe docet: nam ibi ex omnibus Eccleſijs, quæ originem ſuam ad Apoſtolos, vel Apoſtolicos viros referre poterant, duæ in exemplum ſumuntur; Smyrnæorũ prius, deinde Romanorũ: poſtea additur in commune de omnibus alijs: *proinde vtiq. & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatũ conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Addit Auguſtinus; *Ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperbæ Inferorũ portæ.* id eſt, Eccleſia Romana, à Petro in vera fide fundata, petra eſt inuicta.

Quod

Quod dictum est Petro propter fidei firmitudinem, id tribui Ecclesiæ Ro. in eadem fide firmiter stanti, mirum non est: quum eadem illa verba etiam alijs Ecclesijs Patres aptarint; vt Chrysostomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Ortus erat in noua Roma tumultus ingens propter Eutropium, qui in Ecclesiam confugerat, velut in asylum. exigebant potentissimi Eutropij inimici vt sibi ille redderetur: quod à clero impetrare quum non possent, ausi sunt minas illi intentare & vim minari atque arma. sed mansit clerus intrepidus, ope Dei fretus, & vocem illam Domini, ait Chrysostomus, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ Inferorum aduersus eam non præualebunt*; loco habens pignoris adfuturi diuinitus auxilij. Ipsa verba Patris aurei proferam: Καίτοιγε, ὁ πόλεμος ἐκτὸς ἔρρευσεν· ἐντὸς γὰρ ἐξήπτετο καταφυγὼν καὶ παριστάμεθα μὴ δεδοικότες τὸν ἐκείνων θυμόν. Τί δή ποτε; Εἴχομεν ἐνέχυρον ἀσφαλὲς τὸ, Σὺ εἶ Πέτρος· καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν· καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Chrysostomus igitur promissionem Domini, Petrum alloquentis sermone comprehensam, non minus ad suam, aut quamuis aliam Ecclesiam putauit pertinere, quàm ad Romanam. In titulo epistolæ quam scripsit Ignatius ad Philadelphenses, sunt hæc verba de Christo; ὃς κατὰ τὸ ἴδιον βούλημα ἐστήριξεν αὐτοῦ βεβαίως τὴν Ἐκκλησίαν ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, οἰκοδομῇ πνεύματος ἀχειροποιήτῳ. *qui pro suæ voluntatis arbitrio firme stabiliuit ibi*, (nempe Philadelphiæ) *Ecclesiam super petra, ædificatione Spiritus, non manu facta.* Neq; dubitandum est, semper in Ecclesia esse existimatum, promissionem eo loci factam Petro ad quamuis particularium Ecclesiarum spectare; imo etiam ad quemuis fidelium. Quare Chrysostomus initio homiliæ quam habuit post reditum ab exilio priore, hæc verba sibi aptat; & quod periculo fuisset liberatus, caussam hanc affert; τὰ κύματα διαλύεται· ἡ δὲ πέτρα ἕστηκεν ἀκίνητος. & postea allatis Domini verbis, *portæ Inferi non præualebunt aduersus eam*: ὁ πολεμῶν inquit, τὴν ἰσχὺν ἑαυτοῦ καταβάλλει· ἡμῖν δὲ λαμπρότερον ἐργάζεται τὸ τρόπαιον. *qui nos oppugnat, vires suas in cassum consumit; nostrum vero triumphum reddit illustriorem.* De ignoratione linguæ Syriacæ, quæ etiam hîc B. Augustino objicitur à Baronio, satis antea responsum. Sed quum lingua Punica, vt apparet ex Plauto & ipso Augustino, ab Hebraica sine vllo dubio manarit; non potuit Augustinus ignorare, quod Baronius alijque volunt ipsum ignorasse; nisi vernaculam linguam ignorauit. Nam quod isti obseruant super vocibus (*cepha*, Petrus, & *cepha* petra; id commune fuit omnium idiomatum, quę ab Hebręa vel Syriaca erant deducta. Punicam verò cum illis omnibus linguis magnam habuisse affinitatem, præter alia argumenta certissima, expresse affirmant veteres scriptores. Augustinus,

gustinus, Locutionis de Genesi, libro I. *Locutio est, quam propterea Hebræam puto, quia & Punicæ linguæ familiarißima est; in qua multa inuenimus Hebræis verbis consonantia.* Contra literas Petiliani libro II. cap. CIIII. *Christum Hebræi dicunt Meßiam, quod verbum Punicæ linguæ consonum est, sicut alia Hebræa permulta, & pene omnia.* Hieronymus in Hieremiam, cap. XXV. *Tyri & Sidonis Carthago colonia: vnde & Pœni sermone corrupto, quasi Phœni appellantur, quorum lingua Hebrææ linguæ, magna ex parte confinis est.* Priscianus libro quinto; *Lingua Pœnorum, quæ Chaldææ vel Hebrææ similis est & Syræ, non habet neutrum genus.* Postremò addit Baronius de Augustino: *Idem Pater fidißimus assertor primatus Petri: vt cùm ait, Quis enim nesciat Apostolorum Principem, beatißimum esse Petrum?* Iam diximus, quid sit *Princeps* Latinis; & Petrum dici Augustino *principem Apostolorum* probauimus, quia ordine primus esset inter illos, vt idem Augustinus alibi loquitur. Hac notione si accipit Baronius, cum ipso sentio. Sed aliquot iam secula sunt, ex quo eiusmodi sententia Romæ hæresin sapit, & qui illam præ se ferunt sarmentitij fiunt & semaxij. Itaque latet paralogismus in voce *Princeps*; & Baronius vetus dictum tollit, ἄλλο μὲν εἶς· ἄλλο δὲ Μενεκλῆς. Augustinus vero & vniuersa Ecclesia Africana, quàm adhuc essent insueti ferre iugum Romanæ seruitutis, declaratum est ea controuersia, quam habuerunt Episcopi Concilij Carthaginiensis super canone Concilij Niceni, cum Zosimo & Bonifacio Papis: cuius negotij, pars magna fuit ipse beatissimus Augustinus. de quo vt finiam, vellem isti Doctores, qui ad Monarchiam absolutam Orbis terrarum tanta contentione iter Papis muniunt: hæc verba ex eodem Psalmo illi potius suggererent, & ad animum subinde reuocarent; *Honores vanos qui quærit, non vult cum Christo regnare.* Ventum est ad Leonem Magnum: de quo Pontifice, quàm honorifice sentiamus ipsi, iam ostendimus. Non enim ignoramus, quantus hic fuerit sinceræ fidei defensor, & pro recta fide quantos labores sustinuerit, quàm Ecclesiæ Dei vtiles. Neque verò dubium mihi est, tantum illud studium, quod videmus ab eo adhibitum, vt Sedes Romana in maius extolleretur, à bono principio fuisse profectum, & ad finem optimum spectasse. Vastabant illa ætate Ecclesias Orientis Nestoriani, Eutychiani, Dioscorus & alij perditissimi hæretici: qui magnas quotidie in Asia, Ægypto alijsque regionibus, strages, vt apri vineam ingressi, edebant: neque erat qui progressibus eorum sese opponeret, qui quidem bonam caussam multum posset adiuuare, præter Romanum Episcopum. Nemo autem peritus rerum Ecclesiæ ignorat, operâ Ro. Pontificum per multa secula Deum esse vsum, in conseruanda sarta tecta rectæ fidei doctrina. Hoc intelli-

gens Leo Magnus, & quotidiana experientia edoctus, quantum veræ fidei interesset, vt paratum illi semper esset in Sede Romana præsidiū firmissimum; modis omnibus vt ita esset procurauit; quod quidem minus videri mirum debet, quia sic Ecclesiæ Dei expedire, optimus quisque tum credebat: & erat ita reuera illis temporibus. Non est putandum Leonem Monarchiæ inhiasse, qualis postea fuit excogitata. Rerum Ecclesiasticarum finibus eius auctoritas circumscribebatur: regnum, imperium & dominatio temporalis in Ecclesiam nondum irrepserant. Quare Leonem cum Hildebrando comparare, aut alijs multis eorum, qui postea in illa sederunt sede; hoc verò esset, non solum Leoni Papæ, verùm etiam Leoni illi terribili tribus Iudæ, Domino inquam nostro, Iesu Christo, facere iniuriam. Et tamen excusare omnia Leonis dicta, quę ad ὕψωσιν eius Sedis pertinent, nemo, vt existimo, ab affectu liber, tentauerit. Non loquor de illis verbis Leonis, quæ hîc describuntur à Baronio: sed de ijs, quæ superiore diatriba sunt allata. Quis veterum Patrum ante Leonem dixit, gratias cœlestes, quas in totum Ecclesiæ corpus diffundit Christus, per Petrum, quasi per quoddam caput transmitti? hoc si intellectum ad literam verum est, falsò dixerunt crediderúntque Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, & alij viri sanctissimi & Leone vetustiores; hoc fuisse alios Apostolos, quod erat Petrus, pari honore, pari potestate omnes à Christo donatos, & tantum ratione vnitatis Petrum fuisse cæteris prælatum. falsò etiam dixerit Chrysostomus, quod antè afferebamus, fideles sic adhęrere capiti Ecclesiæ Christo, vt palmes adhæret viti, neq; esse quicquam medium. Quod additur à Leone, *Petrum in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum*, magnam desiderat æqui lectoris ἀνεξικακίαν; nam si verba spectentur, videtur præclusa omnis sanæ interpretationis via. Quid enim est *assumi in consortium indiuiduæ vnitatis*, nisi transscribi in numerum personarum sacrosanctæ & ὑπερφυοῦς Trinitatis? sed huiusmodi sententiæ, adeo manifeste impiæ & blasphemæ, vel venisse vnquam sancto viro Leoni in mentem, credat per me qui volet; ego nunquam in animum inducam, vt vel de eo suspicer. Qui libellum legerit, Tomum Leonis dictum, & ex historia didicerit, quanto cum plausu, quanta cum gratiarum actione, & laudatione huius Pontificis, totus Orbis Christianus id scriptum olim sit amplexus; tantę impietatis tantum virum nunquam arcesset. Sed nouum non est, (iam olim obseruatum B. Athanasio) vt viris pijs in scribendi calore quædam excidant dura & δυσθεράπευτα. & Basilius Magnus aduersus Eunomium vere scribit, quosdam Patrum & vocabulis & locutionibus periculosis esse vsos, οὐχὶ πρὸς ζητήσεις ὑποκειμένας ἀποτεινομένους· ἀλλ'

ἀλλ' ἁπλῶς οὕτως ἐφ' ἑαυτῶν ἐν ἁπλότητι καρδίας διαλεγομένους : *non respicientes ad quæstiones quæ inde oriri poterant, sed simpliciter loquentes inter bene sentientes, in integritate cordis.* Potius igitur quæramus rationem commodam verba Leonis exponendi de coniunctione Petri pastoris Ecclesiæ, cum Christo, non quatenus vna est è tribus sacrosanctæ Trinitatis personis; sed quatenus etiam ipse, licet diuerso modò, est Ecclesiæ Pastor. Sic quoque dura locutio, fateor : sed quæ tolerabilior tamen videatur, quàm sit illorum importuna ἀκρισία, qui hodie dictum Leonis παρακεκινδυνευμένον, in alium finem vrgent. Agebatur autem quintum iam seculum, cùm viuebat Leo, qui sedere incepit anno Domini quadringentesimo quadragesimo : nec multis annis eum præcessit Celestinus, de cuius Legatis facit postea Baronius mentionem. Profert verba sane magnifica, de Petro & de Romano Pontifice : sed quæ eo minus ponderis habere debent, quia proferuntur à ministro Papæ, qui erat οἴκοθεν μάρτυς. Iniquissimum enim fuerit & iniustissimum, Papam aut Papæ ministros in propria caussa esse iudices. Et sunt quidem ea verba, vt obseruat Baronius, in Synodo dicta; sed non sunt à Synodo dicta; quod erat obseruandum, ille autem non obseruat. Multo autem minus eadem fuerunt à Synodo decreta, aut in Canones relata. Quid tum enim, si illa dicta sunt in Synodo? quum ne vmbra quidem vlla appareat consensus Synodi. Ne sacris quidem voluminibus quæ continentur omnia, Dei oracula sunt : vt orationes multæ, quæ sunt insertæ, virorum interdum non probatissimorum, vt amicorum Iobi; interdum etiam pessimorum, vt Rapsacis. In Synodo Nicena secunda multa à considentibus Episcopis dicta sunt, quæ si quis, vt à Synodo decreta protulisset; non tulisset Baronius, & illi Concilio fieri iniuriam exclamasset. Expendamus tamen illa ipsa verba, si placet. fallor enim, aut nullam in ijs profectò dominationem monarchicam sumus inuenturi. Sic igitur in origine scriptus est locus è Concilio Ephesino, quem affert Baronius, in edit. Germanica, p. 195. Φίλιππος πρεσβύτερος καὶ πρεσβευτὴς τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας, εἶπεν· οὐδενὶ ἀμφίβολόν ἐστι, μᾶλλον δὲ πᾶσι τοῖς αἰῶσιν ἐγνώσθη, ὡς ὅτι ὁ ἅγιος καὶ μακαριώτατος Πέτρος, ὁ ἔξαρχος, ἡ κεφαλὴ τῶν Ἀποστόλων, ὁ κίων τῆς πίστεως, ὁ θεμέλιος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἀπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος καὶ λυτρωτοῦ τοῦ γένους τοῦ ἀνθρωπίνου, τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἐδέξατο· καὶ αὐτῷ δέδοται ἡ ἐξουσία, τοῦ δεσμεῖν, καὶ λύειν τὰς ἁμαρτίας· ὅς τις ἕως τοῦ νῦν καὶ ἀεὶ τοῖς ἑαυτοῦ διαδόχοις καὶ ζῇ καὶ δικάζει. Quod vocat Romanam Ecclesiam *Sedem Apostolicam*; iam ostendimus cùm de appellatione & munere Apostolorum loqueremur, omnes Ecclesias quæ Apostolorum doctrinam seruarent, APOSTOLICAS fuisse olim dictas; sed illas præcipue, quæ hoc

amplius

amplius fundatæ essent ab vno aliquo ex Apostolis. Diximus etiam commune hoc nomen tractu tẽporis, (neq; enim ita fuit à principio,) in Occidente attributum esse Romanæ, sicut alia plura. Hoc si ad honorem veteris Ecclesię Ro. refertur, laudo: sin eo argumento adstruitur Monarchia hodierna; rem censeo ridiculam, & quæ solidiorum argumentorum inopiam arguat. Initio Actorum Concilij Niceni II. celebrati aliquot seculis post istud Ephesinum, recensentur Legati Sedium Patriarchalium, & primo loco nominantur, οἱ ἐπέχοντες τόπον τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας, *tenentes locum Apostolicæ Sedis Adriani Archiepiscopi Romæ.* deinde sequuntur Iohannes & Thomas presbyteri & monachi τοποτηρηταὶ τῶν Ἀποστολικῶν θρόνων τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως. *locum tenentes Apostolicarum Sedium eius quæ est in Oriente diœceseos.* & ita sæpe in illis Actis. adhuc igitur Sedes Antiochena & alię Orientis tam dicebantur Sedes Apostolicæ, quàm Romana. Addit Legatus de Petro; ὁ ἔξαρχος, ἡ κεφαλὴ τῶν Ἀποστόλων. *princeps & caput Apostolorum.* Sine caussa ad hos titulos exclamant quidam viri boni; quasi aliquid tyrannicum saperent, siue illi Petro attribuantur, siue Romano Pontifici: sed non ita est. Ordinem hæ voces & legitimum primatum denotant; non dominationem monarchicam. Vt dominatio & κατακυρίευσις pestis est Ecclesiæ; ita ordo & certa distinctio eiusdem est salus. Vocem ἔξαρχος antè exposuimus, ac satis superq; probauimus, eum dici ἔξαρχον, non qui dominetur cæteris, sed qui operis eiusdem socijs det principium agendi, vt pręsul dat saltandi incentiuum vniuerso choro. Photius de Nectario, quem simul Episcopum Constantinopoleos renuntiatum ait fuisse, & Concilij Oecumenici secundi præsidem: ἅμα τε τῆς βασιλευούσης ἐπίσκοπος, καὶ τῆς συνόδου ἐχρημάτιζεν ἔξαρχος. Neque vero solus inter Apostolos Petrus audit ἔξαρχος apud Patres; sed etiam alij. In acrostichide Damasceni de transformatione, Petrus, Iohannes & Iacobus, vt præcipui in collegio Apostolorum, (quod ante dicebamus è Gregorio Naz.) nominantur ἡ ἀκρότης τῶν Ἀποστόλων, *summus vertex,* & οἱ προέκκριτοι *præcipui,* & μαθητῶν οἱ ἔξαρχοι, *antesignani discipulorum,* vt vertitur illa vox in editione Hœscheliana. alij *princeps,* vt hîc in ea versione quam descripsit Baronius. rectè: modo caueat Lector ab homonymia eius vocis, de qua antè admonebamus. CAPVT vero Apostolorum dici Petrum, mirum non est: & Baronius pessime eam vocem accepit, si putauit ad monarchicam dominationem illam spectare. CAPITIS appellatione metaphorica aliquando fons & origo vitæ denotatur: quo sensu Christus dicitur *caput corporis Ecclesiæ;* Coloss. I. 18. Ephes. V. 23. & sæpe alibi. hac notione *Caput* vnum est è nominibus Dei & Christi, quę proprie sunt incommunicabilia. ideo in

in Asceticis Basilij, dicitur Christus, ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλή, *vnicum & solum reuera Caput.* Sic Coloss. II. 10. Saluator nominatur *caput omnis principatus & potestatis* : quia vni Christo proprie conuenit omnis dominatio, omnis potentia, omne imperium : quod ille mortalibus, vt lubet, communicat. Aliquando *caput* idem est ac principium & origo negotij alicuius vel institutionis. Sic Petrus qui post Ascensionem Domini primus Ecclesiæ iecit fundamenta, dicitur aliquando *Caput Ecclesiæ*, vt apud Hieronymum alicubi. hîc *caput* idem est atque ἀρχηγός, *auctor primus.* itaque ἀρχηγός & κεφαλή sæpe coniunguntur. vt cum in ijsdem Actis Ephesinis dicitur Nestorius, ὁ τῆς καινῆς διαστροφῆς ἀρχηγός, καὶ κεφαλὴ τῶν κακῶν, *nouæ deprauationis primus auctor, & caput malorum.* Sæpe ordinis differentiam in paritate potestatis ea vox denotat, & *caput* idem est ac *primus.* Sic in canone Apostolico XXXIV. instituitur, vt in vnaquaque prouincia vel natione sit vnus inter Episcopos prouinciæ primus, & caput omnium : non qui dominetur, sed qui ordinem seruet in administratione rerum, quæ ad omnes in commune spectent. itaque eodem canone, & sancitur institutio huius capitis cùm fieri aliquid maioris momenti vetatur, ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης. *sine sententia & cognitione Capitis*, siue *primi Episcopi* : & cogitur in ordinem hoc caput, ne honorem vertere possit in dominationem ; cùm vetat Canon, ne possit primus Episcopus quicquam facere περιττόν, ἄνευ τῆς πάντων γνώμης, *nisi de communi omnium sententia.* Photius in illum locum: *Ne primo quidem Episcopo permittit Canon*, τῇ τιμῇ καταχρώμενον, εἰς δυναστείαν ταύτην ἀμείβειν, καὶ ἐναυθεντεῖν, *vt honore abutens, eum vertat in dominationem, siue Principatum, & in cæteros auctoritatem vsurpet.* Petrus igitur appellatur hoc loco *caput Apostolorum*, propter primatum ordinis ; non propter imperium aut dominationem monarchicam : & *Caput* hac notione, idem est, ac coryphæus, vel ἔξαρχος. Atque hoc sensu & Romanum Pontificem *Caput* reperiri appellatum non negamus. In breui homilia Gregorij Naz. de creatione Episcopi Doarorum, extant hæc verba de Papa, τίμιον ἴσμεν, κεφαλὴν γινώσκομεν, ἅγιον καλοῦμεν. *honore dignum scimus, caput agnoscimus, sanctum appellamus.* An propterea Gregorius Papam coluit, vt dominum suum, Ecclesiæ Monarcham, & ipse se illi subiectum agnouit ? Minime gentium : & hoc oratio illa ipsa ostendit, & tota historia creationis Episcopi Doarorum, quę apud ipsum extat & Basilium Magnum : quem libere conquerentem in ea narratione de Ro. Pontificis fastu iam tum intolerabili, inuerecunde carpit Baronius in illorum temporum historia. Addit Philippus de Petro : *columna fidei*, ex Paulo ; qui Gal. II. 9. Iacobum, Cepham, & Iohannem vocat στύλους, *columnas.* Subijcit, *fundamentum Catholicæ Ecclesiæ,*

eleganter & vere. Significat enim, propter fidei confessionem dici Petrum petram, siue fundamentum Ecclesiæ, non autem propter Monarchiam, vt placet Baronio. Postremò sequitur; *qui vsque nunc & semper, per suos successores,* (vel ὁ αὐτὸς δ. *in suis successoribus) & viuit & iudicat.* hæc paullo aliter habentur in Latinis quæ descripsit Baronius. Quo autem sensu ista dixerit Philippus, iure dubites. Potest accipi simpliciter dictum ad laudem Petri, cuius spiritus cum Christo viuit in cœlis, doctrina & fides durant in fidelibus successoribus, & durabunt, quamdiu Ecclesia Dei terras colet. Atque eadem Petri doctrina δικάζει. iudicat, decernitque de rebus Ecclesiæ: quia fideles Petri successores, Episcopi Ecclesiæ, de rebus fidei iudicant ex antiqua fide, quam Petrus & cæteri Apostoli semel tradiderunt. Sed potest intelligi hoc dictum à Legato Papæ, in honorem ipsius Papæ. ostendimus enim antea, cepisse iam illa ætate trahi verba Domini & Petro factas promissiones, ad honorem vnius Sedis Romanæ: verùm eam interpretationem primis temporibus fuisse ignoratam, satis antea demonstratum est. Nihil igitur è Concilio Ephesino, quod caussam Monarchiæ Papalis adiuuet, attulit conditor Annalium. Qui ἐπίστασιν digressionemque hanc suam tandem claudens, & quasi re bene gesta exultans; Ecclesiam super Petro fundatã æternùm mansuram ait; atq; omnes contritum iri, qui in illam petram offenderint. Hoc & nos toto affectu optamus vt fiat, tota credulitate confidimus futurum: sed illos grauiter & periculose putamus errare, qui lapidem de quo hæc dicuntur apud Matthęum XXI. 44. qui est IESVS CHRISTVS, pertinere putant ad Papam: aut qui Ecclesiam Dei viuentis, cui morte sua Dominus ad cœleste regnum patefecit aditum, Monarchiam esse autumant, in terris imperitantem, & sub obtentu friuolarum distinctionum, vniuersi mundi dominationi inhiantem; Reges & Principes superbe sub pedibus suis calcantem. Eiusmodi terrenum imperium qui animo conceptum fouent, & vano splendore, ac specie fallaci rerum præsentium decepti, sibi plaudunt; rogo illos, obsecro, obtestor per DEVM immortalem, videant, ne quam ipsi putant esse fiduciam in vera petra, exitus tandem probet, vel in hac, vel in altera certe vita, esse friuolam extra verbum Dei iactationem, ac prorsus inanem gloriationem, illi similem, vel illam ipsam; *Sedeo Regina, & vidua non sum; & luctum non videbo.* Apocalypseos XVIII. 7.

XVII. *Quo sensu dixerit Dominus Petro,* Vade post me Satan. *phrasis Hebraica,* Tu mihi es in Satan. *Patrum sententia de peccato Petri opponitur sententiæ Maldonati. Refelluntur qui putant peccasse Petrum per arrogantiam, & eò trahunt verbum* φρονεῖν. ἐπιτιμᾶν.

Anni XXXIII. Num. XXVI.

NEgat Baronius, quando Christus illa dixit Petro, *Vade post me Satana; scandalum es mihi:* propterea dictum esse Petrum Satanam, quod Diabolico Spiritu ageretur, cùm illa Christo diceret, quorum gratia obiurgatur. Sane hæc phrasis ex vsu Hebraici sermonis vnde manauit, videtur exponenda. Porrò apud Hebræos ea locutio eiusmodi vim, opinor, non habet, vt si quem hac voce increparent, hunc vellent intelligi esse quem vocamus Diabolum, Satanam, τὸν ἀντικείμενον & τὸν πονηρόν. Extat exemplum II. Samuelis XIX. 22. vbi Dauid repudians consilium Iobi ab Abisai suggestũ, de occidendo Semei, vt hîc Dominus Petri consilium reijcit, de non subeunda morte, sic ait: *Quid mihi est vobiscum filij Saruiæ? cur efficimini hodie mihi* לשטן *in Satan?* ex quo apparet instar prouerbij esse, soliti de eo vsurpari, qui malum & pernitiosum daret consilium, faciens in eo officium veri Satanæ, id est, aduersarij & inimici. Hoc etsi verum est, ego tamen non video, qui possit negari, Petrum quando passionem Christi, sic est auersatus, & quantum in ipso fuit, auertere Deum ab eo consilio voluit; ex suggestione Satanæ, (licet ignorantem,) illa & sensisse & dixisse. Omne enim peccatum est à Diabolo: peccatum autem est, quicquid fit sine fide. Rom. XIV. 23. Hoc autem Petri consilium adeo ex fide non erat, vt ipsam potius fidem radicitus euelleret. Iccirco apud Chrysostomum Dominus ita Petrum alloquitur; *Ego tibi dico, vt ipse non patiar, consilium id esse Diaboli.* & Ruffinus in benedictione Dan, ait Petrum cùm hæc dicebat, *præ amore nimio, per ignorantiam non recte equitasse in fide*: id est, peccasse in fide. & Chrysostomus homilia in illa, *Pater, si possibile est,* &c. ait Dominum obiurgatione sua, vtentem magna καταφορᾷ, *vehementia* (proprie est ictus grauis cæsim ferientis:) Petrum ὑβρίσαι, id *contumeliose accepisse.* Vt mirer valde reperiri Theologos, qui vocent in dubium, an sit hic aliquid à Petro peccatum. Maldonati in hunc locum verba sunt: *Cur tam acriter Christus Petrum reprehendit? Non tam, quod Petri culpa, si qua tamen fuit, quàm quod rei de qua agebatur magnitudo, mereatur.* Vult Petrum appellatione Diaboli increpitum esse à Domino, propter culpam vel leuissimam, vel prorsus nullam. quæ est mira Theologia & noua.

Nam

Nam veteres, qui Petrum excusabant, illi verba hæc: *Satana, scandalum mihi es*, à superioribus distinguebant, & Diabolo non Petro volebant esse dicta, vt Hilarius, & Petrus Chrysologus, sermone XXXVII. Hieronymus duplicem interpretationem affert; quarum prior, ipsa est Hilarij: posteriore non negat peccasse Petrum: sed causam affert, quia promissiones illi factæ omnes ad futurum tempus referebantur. Sunt qui arrogantiâ peccatum esse à Petro contendant; idque eliciunt è verbo φρονεῖν doctissimi interpretes. Quos ego falli non dubito: nam id verbum per se positum, nullam habet superbiæ significationem: simpliciter enim est, cogitare, mente vti, διαλογίζεσθαι. quare vt μέγα φρονεῖν de superbiente dicitur; sic ταπεινὰ φρονεῖν de humili & modesto. Apud optimos auctores leges locutiones sexcentas, in quibus φρονεῖν vsurpatur, vbi suspicio de arrogantia nullum habet locum: vt κακὰ φρονεῖν τινὶ, *velle nocere.* & φρονεῖν τὰ βέλτιστα τῶν κοινῶν, *optime animatum esse erga Remp.* apud Dionysium Halic. quinetiam apud Apostolum τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖν. & τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος, in octauo capite ad Rom. de arrogantia peculiariter non dicuntur, sed de peccato in genere. Si quid igitur in Petri hoc facto affine arrogantiæ notare voluerunt Euangelistæ, non voce φρονεῖν id fecerunt; sed potius verbo ἐπιτιμᾶν, quod Euthymius hîc explicat *reprehendere*: vetus interpres rectè, *cepit increpare Dominum.* durum sane verbum: quod & Matthæus & Marcus vsurpant de Petro, ad exprimendam vehementiam, qua ille vsus est Dominum alloquens: quę etsi, vt vere ait Baronius, ab ingenti amore proficiscebatur: à peccato tamen Petrum non præstabat immunem. Peccatum enim est, quicquid cum Dei voluntate & decretis non congruit. Iansenius Episcopus in hunc locum libere & verè: *Vnde simpliciter à se repellentis oratio habenda est; qua non indigne etiam Petrus repulsus fuit: quum reuera Satanam ageret reuocando à iussis Dei.*

XVIII. Defenditur traditio de transformatione facta in monte Thabor: qui Græcis Itabyrius *vel* Atabyrius. *Gemini locus emendatus. altitudo eius montis varie prodita magnis scriptoribus.*

ANNI XXXIII. Num. XXIX.

MOntem in quo facta est Christi transformatio, fuisse montem Thabor, certum est: & sine caussa de eo quidam dubitant; in his Maldonatus. Est enim vetustissima in Ecclesia traditio, mutationem illam in eo monte factam esse: & Euangelistæ Matthæus ac Marcus, quando eum montem vocant ὑψηλὸν *sublimem*, tacite significant, de monte illo se loqui: nam in eo tractu nullus fuit mons, qui

altitudine certare poſſet cum Thabor: quem Ioſephus ſemper Itabyrium appellat; alij è Græcis Atabyrium, vt Polybius. In Gemini Elementis Aſtronomiæ, capite, περὶ ἐπισημασιῶν τῶν ἄστρων, bis ſcriptum eſt Σαταβύριον, mendoſe, pro Ἀταβύριον. Scribit Ioſephus Belli Iud. lib. IV. cap. ſexto, hunc montem τὸ ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδίους ἀνίσχειν, *habere altitudinem ſtadiorum XXX.* quod non congruit cum obſeruatione Polybiana, qui in quinta hiſtoria, τὴν πρόσβασιν, ait, ἔχει πλεῖον ἢ πεντεκαίδεκα σταδίων, *aſcenſum habet ſtadiorum amplius quindecim.* fieri poteſt, vt de diuerſis partibus montis ſenſerint Polybius & Ioſephus: non enim vna ſolum ex parte adiri ſolent magni montes. Teſtimonio Gemini cognoſcimus hunc montem habere altitudinem κατὰ κάθετον, *ad perpendiculum*, ſtadiorum fere quatuordecim: vt non ſit mirum quod Ioſephus ait de triginta ſtadijs, ſi accipiatur de vijs & flexibus circa montem, per quos aſcenditur. Iohannes Damaſcenus inuſitatæ altitudinis montem hunc fuiſſe oſtendit, cùm ſic ait in elegante homilia de transformatione: Νῦν γὰρ Θαβὼρ ἀγαλλιᾶται, καὶ γήθεται τὸ θεῖον ὄρος καὶ ἅγιον, τὸ ὑψηλὸν, οὐχ ἧττον τῇ δόξῃ τε καὶ λαμπρότητι, ἢ τῷ ἀερίῳ μετεωρίσματι.

XIX. *Sententia Baronij de didrachmorum penſitatione probata. Doctrinam de immunitate clericorum, (quæ hodie vocatur ridicule* Libertas Eccleſiaſtica) *ex iure diuino, non autem è liberalitatibus Principũ, eſſe nouam, & hominum ingratiſſimorum. Locus Hieronymi male tractatus Baronio. Papam eſſe Monarcham, ſacerdotes omnes Reges, è Bar. ſententia.*

ANNI XXXIII. Num. XXXI.

IN hiſtoria de didrachmis à Petro exactis, multa dici poterant, quæ breuitatis cauſſa prætermittimus. Mihi Baronij ſententia non diſplicet, qui refert ad penſitationem à Deo inſtitutam, in vſum tabernaculi aut Templi. & hæc multorum virorum doctiſſimorum eſt ſententia. Itaque quaſi precario exiguntur hæc didrachma, non ſuperbe & cum violentia, ſicut ſolent exigi tributa à Principibus ſeculi impoſita. Sed quid eſt apud Baronium *didrachmate perſoluto*? nam hęc formatio neque per analogiam ſtare poteſt, neque vllo exemplo nititur. δίδραχμον Græci, & Latini *didrachmum* dicunt. Quod autem clericorum immunitatem hinc probat auctor, tanquam ex iure diuino manantem; communis eſt error multorum ab aliquot retro ſeculis. Nemo dubitat ante leges Conſtantini & aliorum Principum, ex quorum liberalitate & indulgentia ſancita eſt clericis immunitas, prædia Eccleſiaſticorum, iuris communis fuiſſe. Hoc ſi contra legem diuinam

fuiſſet,

fuisset, sine dubio vbi primum extitit Imperator Christianus, statim in ipso principio ius illud sublatum esset, tanquam impium. Atqui non statim à Constantino, sed varijs temporibus à varijs Imperatoribus, iura immunitatis sunt concessa: & qui illa accipiebant, liberalitati concedentium Principum omnia semper tulerunt accepta. Est igitur noua Theologia, quę docet propter illa iura nihil Principibus debere Ecclesiasticos: potuisse enim illos ex iure diuino immunitatem sibi vindicare, vel inuitis Principibus. noua, inquam, hæc Theologia est, & qui illam hodie tuentur, certissimi sunt Nouatores, bipedum ingratissimi, & beneficijs quæ à Principibus acceperunt longe indignissimi. Nos quidem institutum laudamus, vt veris Christi sacerdotibus immunitate consulatur, & alijs etiam modis: sed hanc turpem & fœdam Nouatorum istorum ingratitudinem, alienissimam esse à fide & disciplina priscæ Ecclesiæ contendimus: neque dubitamus, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, & similes Patres, si hodie viuerent, auctores tanti flagitij totis animis fore detestaturos. Iam suo tempore Hieronymus, qui nihil vlla ex parte simile hodiernæ immunitati suis temporibus vidit; clericos propter illam Principum liberalitatem, qua iam tum fruebantur, infelices pronuntiabat: intelligebat, credo, vir diuinus, quantum Ecclesia Dei periculum adiret, ne ditata corrumperetur. Baronius mala fide locum illum Hieronymi, dimidia parte truncatum describit, & pium illius affectum dissimulat. Sic autem magnus ille vir: *Dominus noster tributa, quasi Regum filius non debebat: sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem iustitiam. Nos infelices, qui censemur nomine, & nihil dignum tanta facimus maiestate: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis, à vectigalibus immunes sumus.* Sed de his immunitatibus, quæ hodie libertatis Ecclesiasticæ nomine censentur, alibi, si Deus volet, plura sumus dicturi. Interim notent studiosi, caussam, quæ à Baronio assignatur, cur clerici debeant esse immunes: quia, inquit, Christus *instituit regale sacerdotium*: nam ex sententia huius & omnium aliorum Hildebrandinæ doctrinæ assertorum, Papa est Monarcha absolutus, Rex Regum; imò solus in Orbe Imperator (ait Martha in epistola Romæ scripta ad Paulum v.) solus Rex, solus Princeps, vicedeus, omnipotentia Pontificia præditus: Episcopi autem, ac vel infimi ordinis sacerdotes, Reges sunt quouis Rege potiores. & obtenduntur quidem spiritualia, quorum administrationem ad clerum proprie spectare, nemo ignorat: sed ad temporalia extendi potestatem Sacerdotũ, quando Baronius & alij Reges illos nominant, sciunt omnes illius doctrinę periti. Hanc igitur Theologiam nouam esse, & illius assertores iure dici Nouatores, quis negare ausit?

XX. *Iosephi*

XX. *Iosephi & Plinij dissensus in fluuij Sabbatij natura. defenditur Plinius auctoritate Rabbinorum. Iosephi locus emendatione traducitur in eandem sententiam. Origo multarum transpositionum in libris veterum. Iosephus iterum emendatus.*

Anni XXXIII. Num. XXXVII.

OCcasione fontis Siloæ, historiam fluuij Sabbatici commemorans hoc loco Baronius, Plinium erroris arguit, qui miraculosam eius naturam contrario modo atque Iosephus exposuerit. Nam quum dicat Iosephus, hunc fluuium septimo quoque die veluti rediuiuum exoriri; post sex dierum cessationem vel defectum: Plinius contra scribit, lib. XXXI. cap. II. *In Iudæa riuus sabbatis omnibus siccatur.* Sed Plinium aduersus Iosephum tuentur omnes Rabbini, qui illius siue historiæ siue fabulæ mentionem faciunt. Omnes enim narrant, hunc fluuium currere, id est, magno impetu ferri כל ימי השבוע חוץ בשבת *omnibus diebus septimanæ, præter sabbatum.* Confirmat hoc & ipsa appellatio: nam vt ait Elias Grammaticus, Sabbaticus, vel Sabbation, dictus est, מפני שביתתו בשבת *propter cessationem ipsius in sabbato.* Et sane, quum soleant Rabbini hoc etiam argumento vti, ad euincendum, non solis Iudæis, sed omnibus Gentibus imperatam esse quietem diei Sabbati; non est dubium, vulgo creditum esse ab illis, hunc fluuium, quem putant nonnulli eum esse, qui Eleutherus Straboni dicitur, septima die quiescere. Huic traditioni quum vnus, quod sciam, Iosephus repugnet; diu est cùm subijt animum suspicio, paucorum verborum traiectione & nonnullorum omissione, iam olim & ante Ruffinū eius locum esse corruptum; ita, vt arbitror, restituendū. πολὺς γὰρ ὢν ὅτε ῥεῖ, καὶ κατὰ τὴν φορὰν οὐ χαλαῖος, ἐξ ἡμερῶν ἀριθμὸν, ἔπειτα δὲ πᾶς ἐκ τῶν πηγῶν ἐπιλείπων, κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι, καὶ ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾶν τὸν τόπον· εἶθ' ὥσπερ μηδεμιᾶς γενομένης μεταβολῆς, μετὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι· καὶ ταύτην ἀεὶ τὴν τάξιν ἀκριβῶς τετήρηται διαφυλάττων. *Nam quum sit magnus quando fluit, feraturque impetu non leni, per spatium sex dierum; postea totus ab ipsis fontibus deficit, & die septima cessat, præbetque aluei locum oculis spectandum, qui est siccus: deinde quasi nulla facta esset mutatio, post diem septimam erumpit; atque hunc ordinem exacte semper ab eo seruari obseruatum est.* Sæpissime alibi monuimus, & certis exemplis probauimus apud Strabonem, Athenæum & alios veteres auctores, quos vigilijs nostris illustrauimus; solenne esse librarijs, vt quando duæ vicinæ periodi in verbum idem aut simile desinunt; sicut hîc in ἐκδίδωσι & ἐκδίδωσιν, alteram periodum errore sibi familiari omittant: quod

videtur

videtur huic loco fuisse fraudi. Accidit hoc in omni genere scriptorum innumeris locis : in Iosepho autem non solum hîc, sed & alibi sæpe, vt docuerunt me Christianissimi Regis membranæ, de quibus antè dixi. Exempli gratia : Originum libro II. cap. II. post hęc verba in pag. 33. περιτρέχοντα περισκιῶσιν αὐτῷ : omissa sunt quædam verba, quorum postremum est αὐτῷ. Scribe è libris Regijs : περιτρ. περισκιῶσιν αὐτῷ, καθάπερ καὶ δοῦλοι τὸν δεσπότας· καὶ οἱ συνόντες ἰσχὺν αὐτῷ, καὶ μ. atque hæc verba etiam Ruffinus agnoscit.

XXI. *Cur Syriacæ legiones imaginem Seiani non habuerunt inter signa. Locus Suetonij. Mos Baronij.*

ANNI. XXXIII. Num. XLVIII.

LEgitur apud Suetonium libro III. cap. XLVIII. de Tiberio : *Largitus est quædam munera Syriacis Legionibus, quod solæ nullam Seiani imaginem inter signa coluissent.* Hoc Baronius refert ad ritus Iudęorum, qui imagines nullas colere fas putabant : atque hoc iterum repetit in anno LXVIII. sed hallucinatur insigniter. nam Legiones Syriacæ, vt plurimum, Syrorum hominum non erant ; multo autem minus Iudæorum. deinde res ipsa arguit, propterea id ab illis factum ; quia Seiano minus fauebant ; cuius vel inuidebant fortunæ, vel fidem erga Imperatorem habebant suspectam. Non fuisse religione impeditos clarum est : quando colebant Legionum signa. Sed Baronius omnia rapit ad suum propositum, etiam ex leuissimis occasionibus.

EXERCITATIO XVI.

I. *Numerum annorum vitæ Domini in terris, & Paschatum inter baptismum & passionem ab eo actorum, non esse adeo certum ac putauit Baronius. Fabulæ de castellis Magdalo & Magdalel.*

ANNI XXXIV. Num. I.

INitio anni trigesimi quarti pollicetur conditor Annalium, se in explicandis quæ restant de vita Domini nostri, ἐν ἀνθρώποις πολιτευομένου, & passione eiusdem, *exactam temporum rationem allaturum.* Quod vtinam quàm fuit illi facile polliceri, tam fuisset facile rebus ipsis præstare. Sed enim alios humeros, si fateri verum licet, id onus postulabat. Nam de numero annorum, quos in terris egit Christus, item Paschatum, quæ inter baptismum & passionem

passionem celebrauit, sine accurata cognitione Kalendarij Hebræorũ & doctrinæ Cyclorum Solis & Lunæ, sperare se aliquid certi posse pronuntiare; id verò est falsa spe se lactare, eademque operâ sibi & alijs imponere. Quando enim quæstiones istę, & similes his aliæ, expressis Scripturarum testimonijs decidi non possunt: nihil melius, neque consultius video, quàm doctrinam temporum & epilogismos Cyclorum in subsidium vocare. Hæc secunda nauigatio est, omnium tutissima. Quod igitur tradit Baronius, Regem Messiam anno ætatis suæ trigesimo quarto passum esse: nec nisi quatuor Paschata inter baptismum & passionem interuenisse: vulgo receptam opinionem sequitur, rationibus haut scio quàm satis firmis nitentem. Nam qui cyclum Lunæ & veram literam Dominicalem in consilium adhibuerunt, viri longe præstantissimi, & in ea parte eruditionis exercitatissimi, aliter sentiunt; & passionem Domini, non decimo octauo Tiberij anno congruere, sed sequenti XIX. contendunt: ac proinde anno ætatis passum esse, non trigesimo quarto, vt statuit cum vulgo Baronius; sed tricesimo quinto; qui est annus ærę Dionysianæ trigesimus tertius: nec quatuor dumtaxat Paschata inter baptismum Christi & passionem interuenisse; verum quinque: nisi putemus, quæ est nonnullorum virorum eruditorum sententia, cùm anno Tiberij XV. Dominus est baptizatus, post Paschæ solemnia id esse factum. Id verò Ecclesiæ traditioni quum repugnet, memoriam baptismi Christi sexta die mensis Ianuarij ab antiquissimis temporibus colenti; cur non admodum probabilis censeri debeat opinio de quinque Paschatibus Domini, caussam nullam video. Primus, quod sciam, nostra memoria assertor quinti Paschatis extitit Gerardus Mercator, insignis Mathematicus: cuius sententiam viri summi & amplexi sunt, & nouis argumentis, ex Hebraici Kalendarij ratione præcipuè, desumptis, confirmarunt. Sed nos huiusmodi quæstiones, quæ ad institutum nostrum proprie non pertinent, doctis Chronologis tractandas relinquimus. Vt ad propositum accedamus, recte Baronius verba illa interpretatur, ex vndecimo capite Iohannis, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας, stuporemque illorum castigat, qui castellum Magdalum ex his verbis finxerunt, cuius hæ essent dominę, & à quo Magdalena inuenisset nomen. Quæ igitur scribuntur ab eodem supra, in anno XXXII. numero 23. de castello Magdalel in Galilæa, & Magdalo in Iudæa, friuola & non nauci esse, ipse iam testis est Baronius. Et sane putare Magdalenam à castello aut turri sic dictam fuisse, quia Hebræis *migdal* est turris; non minus est absurdum, quàm existimare, omnes qui Mosis nomine sunt appellati, ab aquis fuisse extractos; qui Abrahami, patres fuisse

multorum

multorum populorum; qui Isaaci, propter risum matris sic esse dictos. De conuiuio quod Bethaniæ paullo ante Pascha vltimum fuit Christo exhibitum in domo Lazari, vt mox affirmat Baronius, dictum est anno superiore.

II. *De locutione illa*, Osanna filio Dauid. *Imperfectæ phrases acclamationum & inscriptionum.* Osanna *idem quod* βάϊα. βάϊα φοινίκων. θαλλοὺς vel κλάδους φοινίκων. Εἰρεσιώνη apud Iosephum.

Anni XXXIV. Num. V.

De voce Hosanna post tot viros doctissimos, qui de illa egerunt, verbum non adderem; nisi viderem, Baronium veram illius interpretationem ex ignoratione priscæ elegantiæ, & Hebraicæ phraseos, repudiare. Auctor est Elias in Thisbi הושענא *Hoschahana* compendio sermonis dici solitum in acclamationibus, pro הושיעהנא *Hoschina na* Ναὶ σῶσον, *serua obsecro.* Hoc quum verum sit ac certum, negat Baronius ea notione hanc vocem posse isto loco accipi. *Vitiosa enim*, inquit, *esset locutio, quæ nullum congruentē refert sensum orationis.* Sed Baronium cùm ita sentiebat, ratio fugiebat: cui tamen hanc hallucinationem iure condones, quum doctissimus vir Angelus Caninius, (ex quo ille desumpsit, quicquid de hac voce scripsit,) in eodem luto videatur hæsisse. At quis nescit morem esse in omnibus linguis seruatum, vt in eiusmodi acclamationibus, sicut & statuarum inscriptionibus, sententiæ semiplenæ persæpe efferantur, atque audientibus relinquantur supplenda verba ad sensum perficiendum necessaria? Talis illa acclamatio apud Lampridium in Alexandro Seuero; *Iuueni Imperatori, patri patriæ, Pontifici maximo.* supple, salutem precamur, aut tale quid. & istæ ad Pertinacem: *Gladiatorem in spoliario*, supple, poni volumus. &, *delatores ad Leonem.* &, *delatoribus metum*, &, *victoriæ populi Romani feliciter*: *fidei militum feliciter*: nempe, euenire optamus, vel speramus: apud Euagrium lib. II. cap. XVII. Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη. *Leoni multos annos*: subaudi, optamus. Omitto sexcenta id genus exempla. Quare etiamsi nulla esset alia ratio illa exponendi, Ωσαννὰ, τῷ υἱῷ Δαβίδ. *Osanna, filio Dauid*; commodissime tamen accipi sic possent, *Serua quæso*, ô Deus: *Filio Dauid*, hoc precamur. Votum namque hoc esse populi Iudaici, Regi Messiæ læta precantis, petentisque à Deo vt illi benediceret; cum res ipsa arguit, tum à doctis viris prolixe disputatum est; Theodoro Beza primùm; deinde à Iesuita Maldonato: qui dissimulato Bezæ nomine, alienam sententiam erudite confirmauit. Verissime autem obseruauit Beza, nec prætermisit Maldonatus,

ſine cauſſa inſolentem videri tertium caſum, *filio David*: quum verbum Hebraicum, vnde eſt *Hoſanna* ita ſæpe conſtruatur; vt in ſimillimo loco, Pſalmo LXXXVI. 16. הושיעה לבן אמתך quod poſſis vertere, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ τῆς παιδίσκης σου. Græci interpretes, ſic: Σῶσον τὸν υἱὸν τῆς παιδίσκης σου. Hæc interpretatio ſimpliciſſima eſt. Sed poteſt hæc dictio etiam aliter accipi; quoniam, vt veriſſime obſeruauit doctiſſimus Caninius, in ſcriptis Rabbinorum ex hac dictione fit nomen πχυικον; cuius plurale extat in Ritualibus illorum, cùm dicunt הושענות לסוכות *Hoſananoth le ſucoth*, id eſt, formulæ hymnorum vſitatæ in celebrando feſto Tabernaculorum, ſeptem dierum: quorum ſinguli habent ſibi proprias Hoſannas, quæ dicuntur, *Hoſanna primi diei*, *Hoſanna ſecundi diei*, & ita deinceps. ſic autem & hymni illi nominantur, & frondes arborum, putà, palmæ, oleæ, aut ſalicis, quas tenere manibus per illos dies ſolebant, quia ſubinde repetitur ea formula, *Hoſchiana na*, vel *Ana hoſchiana na*, & ſimiles quidam verſus intercalares in quibus id verbum ineſt. Poſſumus igitur in his, *Oſanna, filio David*, eam vocem ſic interpretari, vt ſit idem ac βάϊα, quod nomen in ea hiſtoria Iohannes vſurpauit. tum autem, ſupplendo locutionem imperfectam, *Oſanna filio David* interpretabimur; hæc baia, ſiue termites palmæ, oleæue, aut ſalicis, aliaſue arboris frondes in honorem filij David; videlicet φέρομεν καὶ πάλλομεν, *geſtamus & vibramus*. Erat moris apud veteres, vt quorundam feſtorum pompas deducentes, oliuæ termites geſtarent, qui propterea θαλλοφόροι dicebantur. meminit horum etiam Chryſoſtomus, tertio in Annam ſermone: vbi eos coniungit ἀγωνοθέταις & χορειάρχαις. aliquando è plurium arborum frondibus & fructibus concinnabatur quaſi faſciculus leuis quem geſtabant, vt fuit illa quæ dicebatur Athenienſibus Εἰρεσιώνη, & hæc Iudæorum *hoſchana*, quam propter eam cauſſam Εἰρεσιώνην appellat Ioſephus, libro tertio, capite x. vbi eius conficiendæ è myrto, ſalice, ſpadice palmæ, & perſea, rationem hanc exponit. Iuſſit Deus Iudæos, inquit, feſtum Tabernaculorum per octo dies agitare, in vrbem metropolin conuenientes: ὁλοκαυτοῦν τε καὶ θύειν τῷ Θεῷ ἐπὶ χαριστήρια φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν Εἰρεσιώνην, μυρσίνης καὶ ἰτέας, σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένην, τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος. Videtur Epiphanius alludere ad concinnationem huius ireſionæ Iudaicę, cum ſermone εἰς τὰ βάϊα, id eſt, die palmarum habito, ait, οἱ μὲν τοὺς κλάδους ἔκοπτον, οἱ δὲ τοὺς θαλλοὺς ἔπλεκον. *alij ramos ſecabant, alij frondes virentes inter ſe connectebant*. Porrò has frondes in ducenda pompa quatiebant in honorem eius cui pompa ducebatur; quod Græci dicunt, κλάδους ἐπισείειν: Patres in hac hiſtoria, βάϊα σείειν vel ἐπισείειν.

Epiphanius ſermone eodem: τὰ βαΐα τῆς νίκης, ὡς νικητῇ τοῦ θανάτου βαστάσωμεν, τοὺς κλάδους τῶν ἐλαιῶν τῷ ἐκ Μαρίας κλάδῳ θεοπρεπῶς ἐπισείοντες. mox: παῖδες βαΐα σείουσιν. Alludit ad morem hunc & hanc hiſtoriam Chryſoſtomus homilia in magnam ſeptimanam, ita ſcribens: οὐδὲ οἱ ἐξ Ιεροσολύμων μόνοι, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης μυρίανδροι πάντοθεν Ἐκκλησίαι ἐξέρχονται ἀπαντῶσαι τῷ Ἰησοῦ, οὐ βαΐα φοινίκων κατέχουσαι, καὶ ἐπισείουσαι.

III. *Locus Cyrilli Ieroſolymitani expenditur, ab interprete & Baronio male acceptus.*

Anni XXXIV. Num. VII.

IN Cyrilli Ieroſolymitani teſtimonio de palma, quæ termites ſiue ſpadices aut baia turbis præbuit Chriſtum ſequentibus; impoſuit Baronio Latinus interpres; ex cuius verſione ipſe collegit, adhuc Cyrilli ætate, poſt tot Iudææ vaſtationes, & Romani exercitus caſtrametationem, in illo ipſo loco diuturnam, adhuc extitiſſe illã arborem in rerum natura. Sed hoc beatus Cyrillus non dicit: qui in decima Catecheſi longum texens catalogum omnium teſtimoniorum, quibus illuſtrata eſt gloria Domini, palmæ quidem meminit; verùm extare eam, cùm ipſe illa ſcriberet, non dicit: & quia non dicit, credere non debemus. dixit enim & notauit expreſſe in ijs rebus, quas ſcire nos voluit & credere ab ætate Domini ad ſuam duraſſe. Sic de ligno Crucis, τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ, μέχρι σήμερον παρ᾽ ἡμῖν φαινόμενον: *ſanctum Crucis lignum teſtatur, quod hodieq; videtur apud nos.* de ſaxo quod ori ſepulchri fuerat impoſitũ; μαρτυρεῖ καὶ ὁ λίθος, μέχρι σήμερον κείμενος, *teſtatur & lapis, qui hodieq; ibi iacet.* Si quis dicat; cur teſtem laudat palmam, ſi illa arbor iam non extabat? Reſpondeo; non eſſe propoſitum Cyrilli eo loco, illa dumtaxat commemorare, quæ olim Chriſto exhibuiſſent teſtimonium, & adhuc ipſius ætate extabant: ſed ſimpliciter omnia fere, quæ in Scripturis legerentur in eo genere inſignia. Itaque verbum μαρτυρεῖ, aut μαρτυροῦσι, quod in eo ſermone plus quàm vicies repetitur, etſi præſentis eſt temporis, fere tamen ibi accipitur Cyrillo in ſignificatione præteriti. pauca enim extabant illorum quæ ibi recitantur; pleraque iam olim eſſe deſierant. Eiuſmodi ſunt iſta; ἄνεμοι περισταλόμενοι καὶ φιμούμενοι, *venti iuſſi & repreſſi.* neque enim tunc venti illi extabant: quinque panes in millia quinque diuiſi: tenebræ quæ tempore paſſionis ſunt factæ: vmbra Petri, quæ in virtute Chriſti ſanauit ægrotos, & plura alia. Cyrilli verba de palma ſunt: ὁ φοῖνιξ ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος μαρτυρεῖ, τὰ βαΐα παρασχὼν πᾶσι τοῖς τότε εὐφημοῦσι. *palma huius conuallis teſtatur, quæ termites præbuit omnibus, qui tunc* Chriſtum *laudabant.*

 expreſ-

expreſſimus ancipitem ſenſum verborum Græcorum: ὁ φοῖνιξ ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος. interpres ſic: *Palma quæ eſt in valle.* quaſi dixiſſet Cyrillus, ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος ὤν. hic fons erroris Baroniani: quum verba auctoris ſic potius debeant ſuppleri & exponi, ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος τότε ὤν. *palma quæ tunc erat in conualle.*

IV. Compendium rerum Domini apud Baronium, interdum parum accuratũ.

ANNI XXXIV. Num. VIII.

IN eo compendio rerum Domini, quod Annalibus ſuis Baronius inſeruit, nonnulla occurrunt, in quibus vel iudicium ipſius iure deſideres, vel diligentiam. Exemplum habes iſto loco, vbi res exponuntur, quas geſſit Chriſtus in Vrbe, poſtquam pullo vehens turbis plaudentibus, eam eſſet ingreſſus. Omittit enim hiſtoriam de eiectis è templo emptoribus & venditoribus. quam tamen partem rerum à Domino geſtarum, tanti fecit vir maximus Hieronymus, vt pronuntiare non dubitarit, omnium miraculorum quæ ſunt ab eo facta, iſtud eſſe longe maximum: non vt quidam exiſtimabant, Lazarum è mortuis excitatum, aut quoddam aliud. Sic ille, Commentarijs in Matthæum, ad caput XXI. *Plerique arbitrantur maximum eſſe ſignorum, quod Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita ſit Patris; quod transfiguratus in monte, gloriam oſtenderit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe; quod vnus homo, & eo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantã eijcere multitudinem, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam ac ſidereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Hæc Hieronymus. Baronius fortaſſe propterea huius rei tantæ mentionem nullam fecit; quia putabat hanc hiſtoriam eſſe eandem, cum alia quæ narratur Iohannis capite ſecundo. Sed melius ſine dubio doctiſſimi quique interpretum. Chryſoſtomus in hunc locum Matthæi. *Hoc & Iohannes ſcribit: ſed ille quidem in principio Euangelij: at Matthæus ad finem. Vnde fit veriſimile, bis idem eſſe factum & diuerſis occaſionibus: quod apparet ex ipſis temporibus, & ex reſponſione.* Sed & prior illa hiſtoria ſimilis huic, cuius ſtrictim meminit Baronius in anno XXXI. num. XXXVIII. ingens plane fuit miraculum, vt erudite obſeruat Dionyſius Carthuſianus.

V. Exploditur

V. Exploditur allata traditio ex Isidoro Pelusiota de ficu à Christo maledicta.

ANNI XXXIV. Num. IX.

SEquitur historia arboris fici à Domino maledictæ, & statim exarefactę: cuius historiæ mysteriũ acutè declarat Chrysostomus, cùm in Matthæum, homilia LXVIII. tum etiam in graui sermone de serpente æneo, editionis Sauilianæ tomo septimo, pag. 450. Pelusiotę verò Isidori locus de eadem arbore, aut prætermittendus erat Baronio, aut non sine excusatione proferendus. Continet enim traditionem futilem, absurdam, & verbo Dei apud Mosem palàm repugnantem. Et Isidorus quidem vocat λόγον ἀπόῤῥητον, sermonem indictum, inauditum, & à senibus nescio quibus traditione ad se delatum: sed miror ipsum, virum grauem & eruditum, non statim repudiasse, vt meram fabulam, μῦθον non λόγον. Quomodo enim ficus ad Ierusalem nata potuit illa esse ficus, quæ Adamo & Euæ folia tegendo pudori præbuit? Genes. III. 7. Nondum Deus immortalis è loco vbi conditi fuerant ipsos expulerat. adhuc igitur erant in illo γέμοντι ἡδονῆς horto Heden, cum folijs sese ficulneis tegebant. Qua erga ratione in Iudęam translata illa ficus ex Hedene & Mesopotamię regionibus? Nemo enim dubitat, opinor, quin locus Paradisi inter Tigrin & Euphratem sit quærendus. Adde quod arbores diuersas confundit hæc traditio: ficum, vnde folia sunt decerpta, & arborem scientiæ boni & mali, quam Isidorus eo loco appellat ξύλον τῆς παραβάσεως, *arborem transgressionis*. Scimus quosdam è veteribus fuisse eius sententię: sed quos pars sanior Theologorum solidis rationibus, dudum confutauit. Melius igitur fecisset Baronius, si hallucinationem Isidori tam insignem dissimulasset; neque Annalibus Ecclesię id genus fabellas dignas putasset.

VI. Κῆνσος in Euangelijs, pro tributo. Censitores, ἐξισωταὶ perequatores. *Sententiæ grammaticorum Græcorum de voce κῆνσος, Suidæ, Hesychij, Moschopuli.* χαίνω. δραχμὴ pro denario. *An proprius nummus fuerit olim ad pensionem tributi.* νόμισμα κήνσου *in Euangelijs. Tributi è censu & capitationis differentia. Baronij hallucinationes.*

ANNI XXXIV. Num. X.

VOx κῆνσος, quæ in Euangelio Matthæi ter legitur, apud Marcum semel, etsi Latina dictio est; non tamen ex vsu communi Latine scribentium vsurpatur. Romanis scriptoribus *census* est descriptio agrorum, & reliquarum fortunarum, in censum deferri solitarum. Sic

Sic dixit Cicero, quarta in Verrem, *Siculos ex censu, quotannis tributa conferre.* & auctor Glossarij, *Census* ἀπογραφὴ οὐσίας, ἀποτίμησις. Et olim quidem muneris Censorij pars erat, habere & ordinare census: sed postea, Censoribus sublatis, missi sunt per prouincias, quos vocabant Censitores; qui modum agrorum quem quisque possidebat, metiebantur, & in tabulas censuales referebant: ex quibus tributi pro sua virili cuique præstandi ratio constabat. Glossarium, *Censitor*, ἀπογραφεὺς, τιμητής. Hesychius, Κηνσίτωρ ὁ τὴν γῆν μετρῶν. hic est qui dicitur ἐξισωτὴς Gregorio Naz. in oratione, de Iuliano censitore. In Cod. Theodos. *peræquatores*, sunt ad verbum ἐξισωταὶ, sic dicti, quod libros censuales emendarent, & onus tributi habita ratione census ex æquo inter ciues diuiderent. Quum autem pensitationis præstandę modus penderet à censu, obtinuit in prouincijs, vt ipsum tributum appellaretur κῆνσος, *census*. Sane etiam apud Romanos scriptores, *census* interdum, non descriptionem aut æstimationem bonorum significat, sed ipsa bona. vt, *homo tenuis census.* & apud Satyricum, *- misera est magni custodia census.* id est, magnæ pecuniæ, vel ingentium opum. Sed in Euangelijs κῆνσος est ipsum tributum, ὁ φόρος. quare pro eo quod Matthæus & Marcus dixerunt, ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, Lucas habet, ἔξεστι Καίσαρι φόρον δοῦναι. At Græci grammatici quum Romanæ huius vocis proprietatem non intelligerent, more suo ad nugas confugerunt. Suidas genus pecuniæ, quo solueretur annuum tributum sic dictum putauit voce Græca. Κῆνσος, τὸ νόμισμα, ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ χαίνω τὸ κόπτω. quantum hîc ineptiarum? Primò, census nunquam legitur pro aliquo certo pecuniæ genere. nam qui in Euangelijs sic accipiunt, parum firma coniectura nituntur; quum ibi κῆνσος idem significet, vt ostendimus, ac φόρος *tributum.* Et cùm dicit Dominus, ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου, *ostendite mihi numisma census*, manifestè discrimen ponit inter censum, hoc est, tributum, & pecuniam quæ tributi nomine pensitabatur. Deinde absurdissimum est, à verbo poetico χαίνω, deducere nomen κῆνσος: quod non scribitur per η vt tum postularet analogia; sed per ι, simplex, aut etiam per ε, vt apud Theophilum in Institutionibus; Κένσος, σανὶς, ἤτοι χάρτης, ἐν ᾧ Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο. adde quod verbum χαίνω non significat κόπτω, *ferio*, vel, *cudo*, eo sensu, quo dicitur κόπτειν νόμισμα, *nummos cudere*, sed *cædo* & *occido.* Apud eruditissimũ grammaticũ Hesychium, ita scriptum est: Κένσος, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον. vel, νομίσματος ἐπικεφαλαίου. sed ipse scripserat per ι κίνσος, vt liquet ex antecedentibus & sequentibus dictionibus. & alio loco idem distinguit inter κῆνσος herbæ nomen, nescio in qua dialecto, & κίνσος *tributum.* τὸ γὰρ τέλος, ait, κίνσος, διὰ τοῦ ι. sed hęc

partim

partim inepta sunt, partim falsa. Moschopulus : κῆνσος νόμισμα δραχμῆς ἰσοστάσιον· δράχμη δὲ ἱστᾷ κοκκία ἑκκαίδεκα. *Census est nummus, qui pendit drachmam ; drachma autem pendit grana sedecim.* Plutarchus & alij Gręci scriptores solent Romanum denarium exprimere voce δραχμή: ita accipio id nomen in hoc Moschopuli loco. Existimauit hic grammaticus, censum fuisse dictum pecuniæ genus, quo tributum solueretur ; & quia mox vbi dixisset Dominus *ostendite mihi numisma census*, ostenditur illi denarius ; putauit , nummum qui appellabatur *census*, fuisse denarium Romanum, siue drachmam Græcam. Baronij quoq; eadem fuit sententia ; cuius verba sunt ad hunc locum. *Moris fuit apud Romanos, vt numismata pro ratione tributi vel census ab Imperatoribus cuderentur ; nec vno semper modo eadem permanerent : sed numismata tributorum, à cæteris vsualis pecuniæ nummis in eo differrent, quod istorum pretium semper idem esset : numismata verò census vel tributi, cùm mutaretur tributi qualitas,* (diceret potius, *quantitas,*) *eadem ad rationem tributi recens formarentur.* deinde subijcit locum Lampridij, è vita Alexandri Imper. qui tale quid factum esse sub illo Principe significat. Sed quod dicitur de Alexandro Mammææ, ad Tiberij tempora temere non debet referri. Videtur enim Lampridius peculiare aliquod illius optimi Imperatoris institutum notare voluisse. At Baronius Lampridij testimonium sic accepit, vt intelligeret semper hoc fuisse seruatum in Imperio Ro. Sed mirum est, ne vnum quidem historicorum, qui vitas Imperatorũ, siue Alexandro priorũ, siue posteriorũ, literis tradiderunt, quicquam eiusmodi scripsisse. Nam insigniter fallus est idem Baronius in anno Domini nongentesimo sexagesimo quarto, cùm hanc suam obseruationem ex ijs voluit confirmare, quæ de Nicephoro Phoca scribunt vitę illius auctores, Curopalates, Cedrenus & alij. Narrant illi, leuioris monetæ genus cudi iussisse eum Imperatorem : ita vt illius temporibus duplex moneta in communi vsu versaretur, grauior & leuior : tributa exegisse in pecunia grauiore: ipsum erogasse minoris pretij monetam, cum stipendia vel militibus, vel alijs solueret. Hæc historia simile nihil habet obseruationi Baronianæ. Cedreni clara sunt verba : Ηλάττωσε δὲ καὶ τὸ νόμισμα, τὸ λεγόμενον τεταρτηρὸν ἐπινοήσας· διπλοῦ δὲ τοῦ νομίσματος ἐκ τότε γεγονότος· ἡ μὲν εἴσπραξις τῶν βασιλείων φόρων, τὸ βαρύτερον ἀπῄτει· ἐν δὲ ταῖς ἐξόδοις τὸ μικρὸν ἐσκορπίζετο. Quod igitur Domino petenti sibi ostendi numisma census, exhibetur denarius : non ita accipiendum, vt factum est à Baronio. Nam quum vario & multiplici genere nummorum Iudæi tum vterentur ; propriorum gentis suæ, vicinarum regionum, & Romanorum : nullum est dubium, quin tributum quod Cęsari pendebatur, in pecunia Romana exigeretur, non Iu-

daica

daica aut quauis alia. Dominus igitur numiſma cenſus appellat; non certum genus numiſmatis, quo ſolo tributa ſoluerentur: ſed pecuniam Romanam, quę ſola ab exactoribus eius tributi accipiebatur. Denarius autem Chriſto oſtenditur, velut in exemplum pecuniæ Romanæ: neque id fuit peculiare aliquod monetæ genus ad tributi ſolutionem cuſæ: verùm omnes denarij erant pecunia Romana, & tam denarij, quàm alij nummi Romani dici poterant numiſma cenſus. Quare errat Baronius & qui illum ſecutus eſt Lucas Brugenſis, dum colligunt ex hac Euangelica hiſtoria, legitimum tributi modum, quod Romani à ſubditis ſuis exigebant, fuiſſe denarium. Confundunt enim tributũ, quod pendebatur pro modo agri quem quiſque poſſideret, & aliorũ bonorum; cum capitatione quæ capitibus ſingulorum ſubditorum aliquando imponebatur, & genus fuit exactionis vel grauiſſimę, vt ex Ammiano Marcellino & alijs ſcriptoribus ſatis conſtat: quo in errore & Syrus interpres videtur verſatus.

VII. *Repetitiones quædam antè dictorum.*

ANNI XXXIV. Num. XIII.

DE Magdalenis ſatis antè dictum: oſtendimus non probatum eſſe à Baronio, quod voluit probatum. Ibi etiam refutauimus commentũ quod hîc quoq; repetit, de luxu inaudito, cuius ſanctam Magdalenam ream facit, quando pedibus Domini vnguentum affudit. Coniectura autem de tecto capite propter calumniam proditoris Iudæ, parum ſolida: nam ab Euangeliſtis cauſſa eſt expreſſa, quam prætexuit Iudas. quare nihil opus aliam comminiſci.

VIII. *De æſtimatione xxx. argenteorum, quos accepit Iudas præmium proditionis, diſputatio aduerſus Baronium. In vilitate pretij quo æſtimatus eſt Chriſtus myſterium latere. Rabbinis præterquam in grammatica parum eſſe tribuendum. Pretium agri figuli. Alia nonnulla.*

ANNI. XXXIV. Num. XV.

DE æſtimatione triginta argenteorum, (Euſebius hiſtoriam narrans, ſtateres nominat, argenteos nempe, quaternarum drachmarum:) quos proditor Iudas accepit à ſceleratiſſimis Sacerdotibus, proditionis præmium: non perſuadet Baronius, neque alij qui ab opinione vulgata recedentes, pretium illud ſanguinis arbitrantur fuiſſe, vel librarum argenti triginta, vel aureorum coronatorum trecentorum. Mihi magis probatur quod ſcribit Hieronymus, in Matthæum;

Matthæum; infelicem Iudam non cogitasse quanti pretij rem venderet; sed Christum, mundi Saluatorem, Dei Filium, ceu vile aliquod mancipium minimo pretio addixisse. Quinetiam ipse pretium nullú certum petit; sed vt fieri amat ab ijs qui malas merces cupiunt extrudere, æstimationem operæ suæ permittit Sacerdotibus. *Certam* inquit Hieronymus, *non postulat summam, vt saltem lucrosa videretur proditio: sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare.* Hoc, mea quidem sententia, & verissimum est,& mysterio non caret. Non enim temere factum videtur; quod Filius Dei, *qui sese exinaniuit, assumpta serui forma*, Philip. II. 7. triginta argenteis venderetur, sicut Lege Dei mancipia siclis totidem æstimantur. Exod. XXI. 32. & apud Iosephum libro IV. cap. VIII. Facit hoc quoque non parum ad Domini abiectionem declarandá, quando caput eius tam parui est æstimatum. Sic apud Græcos conuitium in seruos vsitatum fuit, à vilitate pretij, quo erant parati; ἀλωνήτους enim vocabant. Sic etiam populus Dei conqueritur in Psalmo XLIV. (Lat. XLIII.) 14. venditum se esse à Deo vili pretio,vel potius nullo. *Vendidisti*, ait, *populum tuum sine pretio magno; & non auxisti rem pretijs eorum.* Sic apud prophetam Amos, II. 7. Deus immortalis proceribus Iudæorum exprobrat, quod venderent iustum nummo argenteo, pauperem pari calceorum: quam prophetiam de Christo quidam sunt interpretati. Vænijt igitur Dominus noster IESVS CHRISTVS triginta argenteis siclis, hoc est, coronatis Gallicis circiter decem, vel vt aliorum supputatione colligitur,duodecim. Vile sane pretium, non dicam Christi Filij Dauid; aut etiam hominis ingenui; cuius in Iure ciuili Ro. nulla dicitur esse æstimatio: verùm mediocris saltem seruuli, vt scimus ex auctoribus illorum temporum. Baronium,ne huic sententię accederet, duo mouerunt: Eliæ Leuitæ aliorumque Rabbinorum testimonium quod affert; & emptio agri ex illa pecunia. Ad prius respondemus; Rabbinis vbi de lingua Hebraica agitur, & vocis alicuius proprietate, vel aliquo Thalmudico instituto,meritò à Christianis tribui non parum: vbi verò à verbis venitur ad res, aut ad historiam, vel rerum antiquarum veteris populi explicationem; nisi falli & decipi volumus, nihil admodum esse illis fidei habendum. Sexcentis hoc argumentis facile probarem, si id nunc agerem. Quod igitur Elias in Thisbi suo scribit, è libris priorum Rabbinorum, vocem כסף *argentum*, vel *argenteus nummus*, quoties absolute ponitur, accipi in Lege pro siclo, in Prophetis pro libra, in Hagiographis pro קנטרין pro centenario, (id enim est *Kanterin* Eliæ,) vel talento; nullo pacto admittimus, & falsum esse multis Iosephi testimonijs scimus posse

 demonstrari.

demonſtrari. Non negamus mutationes accidiſſe in re nummaria, apud Iudæos, vt apud omnes populos : ſed quæ vno hoc generali canone comprehendi non poſſint. Epiphanij locus qui ſubijcitur, ad res Iudaicas eius ætatis qua viuebat in terris Dominus, non pertinet, vt cuiuis attente legenti facile eſt intelligere. Nam ait, ἀργυρείων δὲ πολλοὶ τύποι κατὰ καιροὺς γεγόνασι : *argenteorũ nummorũ varijs temporibus variæ formæ extiterunt.* deinde ſpecies quaſdam ſubijcit, quę ad res Iudęorum nihil ſpectabant ; vt δίχρυσον, quæ vox in totis Biblijs, quod ſciam, non extat. Quod attinet ad emptionẽ agri, quam valde vrget Baronius, negans potuiſſe ea pecunia vllũ agrum emi, nedum iſtum, qui ab Euangeliſta dicitur Ager figuli : reſpondeo, falſum ab eo ſumi pro vero. Nam apud Hieremiã ager, vt videtur, non malus, emitur pretio ſiclorũ ſeptemdecim, capite XXXII. 9. Agrum autem hunc figuli ſine cauſſa exiſtimat Baronius magni fuiſſe pretij. Fingit magnos reditus ex argilla ad figlinam. Sed quis hoc dicit? atqui ex ijs quæ de illo agro ſcribunt Hieronymus, & alij, qui terram ſanctam deſcripſerint, vilitatem loci & λυπρότητα facilius colligas, quàm vllum οὖθαρ ἀρούρης, Modus quoque illius agri non magnus, pedum ad CXL. Poſtremò illud non prætermittam : quod ſine vlla dubitatione affirmat Baronius, eos nummos, qui Lutetiæ & Romæ oſtenduntur, reuera ex illis eſſe, qui olim Iudæ traditi : mirari me, vnde illã certitudinẽ & πληροφορίαν ſit conſecutus ; nam omnes alij, quos legere memini, dubitanter ea de re loquuntur, non vt hic tanquam de re compertiſſima. Et tamen hic eſt Baronius, qui lignum è titulo Crucis, quod Romę ſeruatur, non dubitabat ſupra vocare in dubium, & tantum non falſum pronuntiare. De Hieremiæ nomine quod videtur irrepſiſſe pro nomine Zachariæ, non diſſentiet à Baronio, qui plura ſimilia exempla habuerit in numerato : quorum nonnulla in diſputatione de Quirinio ſupra notauimus. Miratus ſum Villalpandũ, ſuis in Ezechielem lucubrationibus, Baronij ſententiam confutare ; quum ſit multo minus probabile, quod ipſe ſtatuit. Fuêre ſane è veteribus nonnulli, qui extare locum in Hieremia dicerent ; ſed in alijs exemplaribus, quàm quibus Eccleſia vteretur, vt Eucherius Lugdunenſis, homilia in verſum ſecundum, cap. XXVI. Matthæi. Sed abſit, vt credamus Eccleſiam Catholicam alia Prophetarum ſequi exemplaria, quàm quæ ex eodem fonte manent, vnde & illa erant deſcripta, quibus vſi ſunt Apoſtoli.

IX. Expenditur

IX. *Expenditur interpretatio loci Hieremiæ quam affert Baronius è Ionathane, & R. Camio. De vocibus Hebraicis & Rabbinicis,* ceseph, schekel, manan, maha, mania. pheles, *vnde* φόλλις. *Error Græci interpretis. Mos Scripturarum, numerum per partes efferendi. Ionathan parum accuratus interdum.*

Anni XXXIV. Num. XX.

MIrari non raro subijt, Baronium, qui, vt res arguit, nullam prorsus Hebraicę literaturę peritiam habuit; sæpe tamen illas literas attingere, & de rebus sibi incognitis non vereri pronuntiare. Scimus non defuisse illi Romæ viros earum literarum callentes, quorũ opera vteretur: sed non erat viri prudentis, alienas sententias tanquã domi natas referendo, litem suam facere. Quum igitur sciret ille, sententiæ suæ de magna pecunia ad emendum Figuli agrum necessaria, locum Hieremiæ posse opponi, vbi ager emitur pretio septemdecim siclorum; consultis viris Hebraice doctis ea didicit, quæ superiori disputationi subiecit. Ait, erroris argui eos, qui putant verba Hierimiæ siclos dumtaxat XVII. denotare; quum designentur à Propheta viginti septem & semis argenti libræ; Chaldæo Paraphrasta, inquit, & Dauide Kimchi (Camium alij malunt dicere,) ita locum interpretantibus. Sane verum est, de horum duorum interpretatione. Sed male de Baronio meriti sunt illi ὑποβολεῖς, qui hoc ei suggesserunt: quod non eadem opera monuerint, hanc expositionem nullo pacto ferri posse, ac proinde à doctis meritissime explodi. Nam quum notissimũ certissimumque sit, in Scripturis pro eodem poni voces כסף *argentum*, & שקל *siclus*; atque eam ob caussam, cum in diuinis oraculis, tum apud Paraphrastas & Iosephum, sine discrimine persæpe hæc duo nomina vsurpari: quæ iusta ratio mouit Paraphrastam Ionathanẽ, vt pro שקלים illo Hieremiæ loco poneret מנין *minas*? Etenim, si recte hoc loco vox Hebraica sic exponitur, cur alibi idem Ionathan aliter vertit? cur reliqui Paraphrastæ neque vocem *Schekel* neq; vocem *ceseph* vocabulo Mina vnquam expresserunt? Opponimus igitur illi horum duorum interpretationi, ante omnia ipsius Scripturæ auctoritatem, quæ nullo modo patitur, vt *schekel* & *mina* pro eiusdem æstimationis pecunia habeantur; docens expresse, schekel, siue siclum partem esse minæ sexagesimam. Ezechielis XLV. 12. Opponimus consensum interpretum & Iosephi, vt diximus, qui siclum & nummum argenteum pro eodem nummo vsurpant; quod pauca exempla demonstrabunt. Geneseos XLV. 22. dedit Ioseph Beniamino, ait

Moſes שלש מאות בסף *trecentos argenteos*. Onkelos vertit תלת מאה סלעין דכסף *trecentos ſiclos argenti*. ſic & Ionathan. In verſione Græca hoc loco, itemque alio eiuſdem libri, XXXVII.27. manifeſto errore argentum verſum eſt in aurum, & χρυσοῦς poſitum pro ἀργυροῦς. alibi paſſim recte ἀργυρους. ſæpe etiam σίκλος leges pro Hebraico *ceſeph* argentum. vt Deuteron. XXII. 19. *multabant illum*, ait Moſes מאה בסף *centum argenteis*, hoc eſt, vt recte habet vetus verſio, *centum ſiclis argenti*. Conſentiunt Paraphraſtæ Onkelos & Ionathan, qui vertunt מאה סלעין דכסף *centum ſiclos argenti*. & Græcus, ζημιώσουσιν αὐτὸν ἑκατὸν σίκλους. quare *ceſeph* & *ſiclus argenti*, vel ſimpliciter *ſiclus* idem ſunt. In obſeſſa Samaria, vt narratur II. Regum, (Latinis IV.) VI. 25. caput aſini æſtimatum eſt octuaginta *ceſeph*, id eſt, argenteis, vt habet Latinus Interpres, & Ioſephus IX. cap. ſecundo, ὀγδοήκοντα ἀργυρῶν νομισμάτων. Septuaginta, ὀγδοήκοντα σίκλων ἀργυρίου. Ionathan vocem *ceſeph* bis in eodem verſu poſitam, prius ſimpliciter retinet, deinde eius loco ponit *ſilhin dicſaph* ſiclos argenti. Opponimus Hieronymum, qui ſine vlla dubitatione ſeptemdecim ſiclos ab Hieremia intellectos ſcribit: & vocem *ſtateres* in Latina verſione, ſiclos monet denotare. Error Ionathanis inde ortus, quod putauit Prophetam per ſeptem ſiclos & decē argenti vel argenteos, diuerſæ pecuniæ ſummas denotare: quum nemo ignoret in literis ſacris verſatus, conſuetudinem Hebræorum, per partes exprimendi numerum aliquem, qui poterat totus ſemel enuntiari. Illuſtre exemplum apud Ezechielem, cùm ait XLV. 12. *viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli minam facient*. poterat expedire vno verbo, ſexaginta ſicli, non autem, XX. XXV. & XV. Sic Daniel hebdomadas ſuas diuidit, in LXII. VII. I. Sic igitur & Hieremias, ſeptem ſiclos & decem argenteos dixit, pro ſeptemdecim ſiclis, vel argenteis, ex illa conſuetudine Hebræorum. quanquam Hieronymus aliam quoque rationem affert, propter myſterium latens in numeris ſeptem & decem. R. Dauid Kimchi ſuæ expoſitionis rationē nullam affert; apparetque ipſum, non adhibita iudicij lima ſecutum eſſe, vt paſſim ſolet, Targum Ionathanis. Atqui Paraphraſtæ illi quantum ſit in hac parte tribuendum, iudicium eſto doctiorum. Ego obſeruaui, parum ſibi illum conſtare, in eiuſmodi locis exponendis, vbi rei pecuniariæ ſit aliqua mentio. Nam Geneſeos trigeſimo capite, 28. vbi ait Moſes Ioſephum fuiſſe venditum Iſmaelitis בעשרים בסף *viginti argenteis*, vt habent Onkeli paraphraſis & Latina verſio, legitur in verſione Ionathanis, בעשרין מעין דכסף id eſt, *viginti obolis argenteis*: quod nemo ſperaſſet ab eo, qui apud Hieremiam vertit *mina*. nam quota pars minæ eſt obolus? in mina ſunt LX. ſicli, in ſiclo vigin-

ti

ti gerim, siue oboli ; obolus autem Chaldaice exprimitur voce מעא. Igitur obolus pars est minæ millesima ducentesima : ex quo apparet insignis vel securitas, vel hallucinatio huius Paraphrastæ, nisi est ab exscriptore peccatum. Exodi XXX. dicit Dominus apud Mosem, עשרים גרא השקל, id est, vt recte Latinus interpres, *Siclus viginti obolos habet.* Onkelos similiter, עסרין מעין סלעא at Ionathan sic ; עשרין מנין סלעא vbi pro obolis posuit vocem *manin*, duas confundens vt videtur, voces, quarũ altera minam aut pondus significat, altera obolũ : etsi non nescio voces מנין & מניא varie accipi in scriptis Rabbinorũ. Apud Ezechielem IV. 10. pro שקל quod ibi significat mensuram ponderis, pondo, dixit, פילס pro quo male editũ in Venetis Biblijs *phile.* per mem. nam *pheles* est pondus, statera. vnde φόλλις pecuniæ genus apud Epiphanium, & Latinis *follis*, sub Imperatoribus medij seculi.

X. *Curiositas Baronij circa dominum domus in qua Dominus vltimum Pascha egit. In manifesta contradictione inter Scripturas & Nicephorum, nullum esse locum dubitationi, in qua hæret Baronius.*

Anni XXXIV. Num. XXI.

Sequitur historia nobilis de vltimo Paschate à Domino cum discipulis suis celebrato, Quam tractationem Baronius parum auspicatò aggreditur à quæstione de domino illius domus, in qua Pascha suum Iesus Christus agitauit. Hanc verò quæstionem esse inutilem & inanem, quis non videt? aut quis postulet se scire, hodie præsertim post tot secula, quod Spiritus Sanctus siluit ; Matthæi XXVI. 18. verba Domini sunt ad suos discipulos, ὑπάγετε πρὸς τὸν δεῖνα ; *ite ad illum.* Marcus XIV. 14. & Lucas XXII. 11. οἰκοδεσπότην *patremfamilias* simpliciter nominant. At non satisfaciunt ista curiositati huius auctoris : qui hoc primum peccat, quod contra prudentissimum Theophylacti præceptum, ἃ ἡ γραφὴ ἀπεσιώπησεν, οὐ δεῖ ἐξετάζειν, *ea non oportet inquirere, quæ Scriptura tacuit* ; quæstionem ἀπέραντον frustra mouet : deinde quod in manifestissima antilogia inter Spiritum Sanctum & scriptorem fabulosum, Nicephorum Callistum ; dubitat vtri potius fidem habeat ; nec secundum Euangelistas contra fabularum consarcinatorem pronuntiare audet. Atqui contradictio est manifesta. Narrat Euangelista Lucas, Petrum & Iohannem iussos fuisse à Domino, ire in vrbem, & locum parare ad Pascha comedendum, in domo cuiusdam, ex certis indicijs, quæ habentur in Euangelio, ipsis agnoscendi. Hæc narratio euincit manifestissime, patremfamilias illum, ad quem mittit Christus, non esse Iohannem. quomodo enim Iohannes ad Iohannẽ

mitteretur?

mitteretur? Nullus hic eſt dubitandi locus. Nicephorus igitur parum omnino prudenter; *Hæc cœna*, inquit, *paratur in domo, vt aiunt, Iohannis Euangeliſtæ.* Audiamus nunc Baronium ſedentem arbitrum inter amanuenſes Spiritus Sancti & Nicephorum: *An apud Iohannem, Dominus noſter hoc anno celebrauerit Paſcha, dubium valde redditur, quod Lucas ſcribit, ipſum Iohannem cum Petro miſſum ad perquirendum, vbi Paſcha parandum foret.* Iudicent pij lectores, an hoc ſit pręſtare verbo Dei eam reuerentiam, quæ ipſi debetur. *Nos aliter iuuenes ſancti docuère parentes.*

XI. *De nomine* PASCHA *obſeruatio. quàm varie & Græci & Latini vocem Hebraicã enuntiarint. Chaldaica lingua Philoni, ipſa Hebraica. Toleti in eo hallucinatio. Locus Gregorij Nazianzeni animaduerſus. Indicatur ſcripta lectio apud Ioſephum. Curioſitas veterum aſsignandi falſa etyma, quum non ignorarent vera; vt in* Ieſus, paſcha, Leuites, baptiſma.

IBIDEM.

QVandoquidem plura, volente faciente Deo, de Paſchate & veteri & nouo, nobis deinceps erunt dicenda; prius de ipſo nomine quædam hîc obſeruabimus, in eorum gratiam, qui etiam in literis ſacris eruditionem cum ipſa ſcientia amant coniungere. Obſeruo igitur, nomen Hebraicum פסח, quod pro ijs punctis quæ in Hebraicis Biblijs illi appinguntur, ſonat *peſah*; diuerſis admodum formis cum à Græcis, tum à Latinis eſſe enuntiatum. In Græca veteris Teſtamenti verſione πάσχα pro Hebræa voce ſcriptum eſt vbiq;, libro vnico excepto. Nam in ſecundo Paralipomenon, vbi ea vox decies ſepties occurrit, nunquam πάσχα, ſemper φασὲκ reperitur ſcriptum. Iure autẽ ſuſpicetur aliquis, eius libri verſionem diuerſi auctoris eſſe, quàm ſit Pentateuchi interpretatio. Obſeruant enim librorum ſacrorum interpretes, illud quaſi proprium Theodotionis, quod pro פסח dixerit *phaſec*. Theodoretus Quæſtionibus in Exodum: ὁ Θεοδοτίων φασὲκ (vel potius vt habent libri meliores, φασέχ) αὐτὴν τὴν Ἑβραίων τεθεικὼς φωνήν. Latinus Interpres Bibliorum Hebraicorũ conſtanter, (ſi vnum aut alterum locum excipias) *Phaſe* vertit: imitatus procul dubio nonnullos è Græcis interpretibus, qui eo modo vocabulum Hebraicum expreſſerant. Nam etiam Græcorũ Patrum nonnulli eam vocem vſurpant, qui Paſcha Iudaicum appellant φασῆ, vel φασῆ νομικόν: Dominicum verò, πάσχα, vel πάσχα σταυρώσιμον. cui differentiæ ſimilem in idiomate Æthiopico, ſibi obſeruatam eſſe, ſcribit beatæ & illuſtris memoriæ vir Ioſephus Scaliger. Etiam apud Hieronymum

a liquot

aliquot locis *Phase* est pasche Mosaicum. Apud Philonem in Allegorijs pag. 53. pro voce Hebraica modò φασέκ legitur, modò πάσχα. idem vero lib. III. de vita Mosis, p. 467. ita scribit; ἄγεται τὰ διαβατήρια, δημοτελὴς ἑορτή, ὃ χαλδαϊστὶ λεγόμενον πάσχα *celebrantur Diabateria, quasi dicas*, Transitoria, *festum publicum, quod dicitur Chaldaïce Pascha.* Hæc Philonis quum legisset Toletus, scripsit, *Pascha* esse nomen Chaldaicum, Hebraicum verò *Phase*: falso & absurde. nam Hebræi פסח *pesah* dicunt, non *phase*. sed non animaduerterat Toletus, Philoni linguam Chaldaicam & Hebraicam esse idem. In libro de Abrahamo ita scribit: χαλδαῖοι μὲν τὸν ἄνθρωπον ΕΝΩΣ καλοῦσι. quis ignorat Enos pro homine vocem esse Hebraicam? nam Chaldæi & Syri dicunt Enas; Arabes Anas. In secundo de vita Mosis, p. 448. scribit Philo, Biblia versa esse à Septuaginta Senioribus è Chaldaica lingua in Græcam. Atqui puerum in literis sacris esse oportet, qui nesciat versionem Septuaginta Interpretum, ex Hebræo esse desumptam. Et ne coniecturis sit opus, ipse Philo, in libro Περὶ τῶν δέκα λογίων, p. 523. quam vocem alibi dixerat esse Chaldaicam, fatetur esse Hebraicam: ἣν Ἑβραῖοι πατρίῳ γλώττῃ πάσχα προσαγορεύουσι *hoc festum Hebræi patria lingua vocant Pascha.* In paraphrasibus Onkeli & Ionathanis hoc nomen semper scribitur פיסחא *pischa*, & similiter in Ierosolymitana פסחא. Non defuerunt, qui Hebræum פסח scriberent Grçce φάσκα, vnde postea ortum esse nomen Pascha affirmat Gregorius Naz. Locus Gregorij est insignis; quem propterea huc transcribere non grauabor. In sermone XLII. qui inscribitur in sanctum Pascha, de eo nomine hoc episodium magnus ille Pater, in gratiam, vt ait, τῶν φιλομαθῶν καὶ φιλοκάλων inserit. Τὸ πάσχα, inquit, τοῦτο τὸ μέγα τι καὶ σεβάσμιον, Φάσκα τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται, κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν· δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν· ἱστορικῶς μὲν διὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πρὸς τὴν Χαναναίαν φυγὴν καὶ μετανάστασιν· πνευματικῶς δὲ διὰ τὴν ἐκ τῶν κάτω πρὸς τὰ ἄνω, καὶ γῆν τῆς ἐπαγγελίας, πρόοδον καὶ ἀνάβασιν. Ὅπερ δὲ πολλαχοῦ τῆς γραφῆς συμβὰν εὕρομεν, ἀπὸ τῶν ἀσαφεστέραν μεταποιηθέντα τινὰ τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὸ σαφέστερον, ἢ τῶν ἀγροικοτέρων ἐπὶ τὸ εὐφημονέστερον, τοῦτο κἀνταῦθα τεθεωρήκαμεν. τοῦ γὰρ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναί τινες νομίσαντες, εἶτα ἐξελληνίζοντες τὴν φωνὴν κατὰ τὴν τοῦ Φι πρὸς τὸ Πι, καὶ τοῦ Κ πρὸς τὸ Χι μεταποίησιν, πάσχα τὴν ἡμέραν προσηγορεύκασι· παραλαβοῦσα δὲ ἡ συνήθεια τὴν φωνὴν ἰσχυροτέραν ἐποίησε, περιηχούσης τῆς τῶν πολλῶν ἀκοῆς, ὡς εὐσεβεστέρῳ ὀνόματι. Hæc Gregorij obseruatio in summa continet hanc sententiam. Pascha esse vocem Hebraicam, dicique in ea lingua *phasca*, & transitum eo nomine significari: historicè quidem, propter fugam ex Ægypto & transmigrationem in Chananæam: at secundum spiritualem intelligentiam, propter progressum & ascensum

ſum à rebus inferioribus ad ſuperiora,& ad terram promiſſionis; (paradiſum, electorum ſedem,ſic nominat.) Cæterum accidiſſe in ea voce ait Gregorius, quod in pluribus alijs è ſacra Scriptura vſuuenit; vt obſcuriores quum eſſent, fierent dilucidiores, & ex agreſtioribus, concinniores. Nam quum exiſtimaſſent nonnulli nomen *phaſca* Dominicam paſſionem denotare; pro ea affinitate quæ eſt inter literas φι & πι, item κ & χι, quæ facile inuicem mutantur; PASCHA hanc ſolemnitatem dixerunt. quod nomen,inquit, ſemel in vſum receptū, conſuetudo poſtea firmauit; accedente vulgi approbatione,quod vocem hanc vt pietati accommodatiorem, lubens admiſit. Hanc tanti Patris obſeruationem ſi admittimus; primis temporibus naſcentis Eccleſiæ, quod nos vocamus Paſcha, dicebatur Phaſca: neque alterum nomen ſtatim cognitum eſt, ſed primò à paucis inuentum, deinde paullatim vſu Eccleſiarum eſt confirmatum. At iſtud ſi concedimus, videtur ex eo ſequi neceſſariò,aliter in Euangelijs initio ſcriptum fuiſſe hoc nomen, quàm ſcribitur hodie. Nam quomodo primitiua Eccleſia diuerſum nomen vſurpaſſet, ab eo quod in libris ſacris extabat, quodque in ſynaxibus aſſiduè legi audiebat? Dicet fortaſſe aliquis, accidiſſe illam mutationem, ante quam ſcriberentur Euangelia. Sed hoc menti Gregorij non conuenit: cuius narratio temporis non mediocris ſignificationem habet. Euangelium autem,ſaltem Matthei conſtat ſcriptum, & ex Hebraico mox verſum in Græcum, annis non adeo multis poſt iactæ Eccleſiæ prima fundamenta. Confirmat nonnihil Gregorij ſententiam, quod nos apud Ioſephum obſeruabamus. Nam ex comparatione antiquiſſinarum membranarum,quæ in Bibliotheca ſeruantur τῦ θεοςεφῦς Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIII. didicimus; vbicunque hodierna ſcriptura habet πάσχα, primitus fuiſſe ſcriptum φάσκα: quæ vox aliquot etiamnum locis reperitur ſeruata,vt libri quinti initio, p. 120. libri XVII. cap. XI.pag.534. vt videatur hodierna lectio, ab aliquo librario Chriſtiano eſſe profecta, qui aliam eius nominis ἐκφορὰν non norat, præter illam, quæ erat in vſu Eccleſiæ. Verum huic Gregorianæ ſententiæ, multa poſſunt opponi. Nam primò, vix ſit probabile, mutatam eſſe primæuam Noui Teſtamenti lectionem, tot præſertim locis. Deinde quum extet vox *paſcha* apud Septuaginta Interpretes, & Philonem, qui à Chriſtianis profectò non accepit; non poteſt eſſe verum, quod affirmat Gregorius, Hebraicum vocabulum φασκά transformatum eſſe in πάσχα à nonnullis, qui putarent exprimendæ paſſioni Domini eam vocem eſſe commodiorem. Septuaginta enim interpretibus, non tanta fuit eius myſterij notitia, vt huius veniret illis in mentem. Verius igitur eſt,

Apoſtolos

Apoſtolos quum Hebræum *peſah* eo pacto enuntiarunt. Septuaginta Interpretum ſecutos eſſe exemplum : illos autem ſui temporis pronuntiationem reſpexiſſe : quam duraſſe Apoſtolorum temporibus, etiam Syrus paraphraſtes arguit, qui ſcribit פצחא *patſcha*, vel vt ipſi pronuntiant *paſcho*. צ pro ס ſcripſerunt, vt alluderent ad verbum Chaldæis proprium, quod *lætari*, & *hilariter agere* ſignificat. id enim optime conueniebat ei feſto, quo Domini reſurrectio celebratur, & omnia gaudij ſigna eduntur. Mos fuit hic veterum, ſiue curioſitas, vt in vocibus peregrinis quarum non ignorarent etymum, ſatagerent aliquid inuenire, quod earum ſignificationi accommodarent. Sic in dictionibus Hebraicis etyma Græca aut etiam Latina Patres ſæpe comminiſcuntur ; non quod veram originem ignorent, ſicut multi hodie ſibi perſuadent ; ſed ex mera illa quam dixi curioſitate. Sic nomen IESVS à Græco ἰᾶσθαι *ſanare*, deduxerunt, etiam illi quos vera eius origo & ſignificatio non latebat. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi x. Ἰησοῦς ἐστι, κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτήρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, ὁ ἰώμενος. Sic Ambroſius etymum duplex dat nomini Leuites, lib. II. de Abel & Cain. *In Leuitis figuralis agni præceſſit myſterium, verum venturum Leuiten, qui proprij corporis paſſione, tolleret peccatum mundi. Leuites ſignificatur ſuſceptus pro me, vel ipſe mihi leuis.* prius etymum è lingua Hebraica, poſterius è Latina. Sic Anaſtaſius Sinaita monachus, homo Græcus, qui non ignorabat vnde vocabulum βάπτισμα deducatur ; quod ſciret peccatum originale ſacro lauacro ablui, ſcripſit βάπτισμα dici, quaſi βάπτασμα, ἐν ᾧ βάλλεται, ἤγουν πίπτει τὸ πταῖσμα. Sic igitur & vocem πάσχα à Græco verbo πάσχω deduxerunt, non quod veritatem ignorarent, ſed propter illam quam dixi piam curioſitatem. Ambroſius libro eodem, capite VIII. *Paſcha Domini tranſitus eſt à paſſionibus ad exercitia virtutis. Et ideo Paſcha Domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni veritas Dominicæ paſſionis annuntiabatur, & nunc eius celebratur gratia.* Sic ſcribit Iuſtinus in dialogo cum Tryphone, agnum qui totus aſſabatur, fuiſſe ſymbolum τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ, δι' οὗ πάσχειν ἔμελλεν ὁ Χριστός. Philo Iudæus, etſi non dicit ille quidem expreſſe πάσχα deduci à πάσχω, crebra tamen alluſione id videtur ſignificare : vt De herede rerum diuinarum, p. 345. πάσχα ἐστὶν ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ, τὴν δ' εὔλογον εὐπάθειαν ἑκουσίως πάσχῃ.

XII. *Quæstio de die, quo Dominus Pascha vltimum egit. Dissensus inter Græcos & Latinos: & in eam rem quædam non protrita obseruantur.*

Anni XXXIV. Num. XXIV.

VEtus & magnis contendentium studijs agitata quęstio est, quam deinceps tractat prolixe Baronius; quo die Iesus Christus vltimum suum pascha celebrarit, & an die eodem cum Domino cæteri Iudæi agnum Paschalem ederint. Quum autem natura sua quęstio hæc philologica aut historica potius sit, quàm mere Theologica & δογματική; ac proinde diuersas opinantium sententias, salua pietate, possit admittere: euenit tamen, propter consequentias, quæ ex eius decisione eliciuntur; vt problema philologicum, natura mutata, euaserit inter Romanos & Gręcos quęstio de fide; vel inter ipsos Romanæ Ecclesiæ Catholicos diuersa opinantes, quæ proxime accedat ad dogmata de fide. Græci, qui ad confectionem corporis mystici panem adhibent fermentatum; vt sententiæ suæ approbandæ necessitatem alijs imponant, & Romanam Ecclesiam, quæ azymis vtitur, erroris conuincant; Christum diem legitimum anticipasse contendunt. προλαβών, inquit Xanthopulus, ὁ Χριστὸς πρὸ μιᾶς ἡμέρας ἐποίησε τὸ πάσχα. Placet igitur Græcis, cæteros Iudæos ex præcepto Legis tunc decima quarta luna primi mensis Abib siue Nisan Pascha mactasse & edisse; at Iesum Christum, qui erat κύριος τοῦ Νόμου, supra Legem, & Dominus illius, decimatertia Luna cum discipulis suis nouum Pascha edisse: ex quo sequitur, Christum quidem ἔνζυμον siue fermentatum panem & communem adhibuisse: Iudæos verò ex institutione diuina azymũ. Cedrenus pag 144. Ὅτι οὐ κατὰ τὴν ιδ ἐπετέλεσε τὸ πάσχα· ἀλλὰ πρὸ ταύτης τὸ μυστικὸν ἐτέλεσε δεῖπνον· ὅτε καὶ ὁ ἁγιασμὸς τῶν ἀζύμων, καὶ ἡ προετοιμασία ἑορτῆς ἐγίνετο· εὑρίσκεται τοῖς μαθηταῖς μεταδιδοὺς οὐ θύματος οὐδ' ἀζύμων, ἀλλ' ἄρτου καὶ ποτηρίου. Putant summi viri, hoc velle Cedrenum; Dominum Pascha Mosaicum celebrasse, verùm pane fermentato; quia diem anticipauerat, neque ante sequentem ac Lunam XIV. azymorum vsus incipiebat. Merito igitur quærunt ijdem, quale hoc pascha esset sine azymis: nam tale Pascha inter Iudęos nullum vnquam fuisse celebratum, satis constat. Sed longe alia est profectò mens Cedreni, qui hoc vult potius: Christum eo tempore Iudaicum Pascha omnino prætermisisse; & id solum celebrasse, quod ipse instituit, nouum pro vetere. Hoc declarant manifestò illa verba, μεταδοὺς οὐ θύματος, *nullius victimæ*, id est, agni Paschalis, *participes suos fecit*. Hanc Græcorum mentē alij scriptores planius explicant. Petrus Alexandrinus Episcopus & martyr

martyr, in fragmento egregio, quod nactus sum ab Andrea Darmario Græco mercatore. Ἐν ᾧ καιρῷ ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν κατὰ σάρκα ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστός, τὸ κατὰ νόμον οὐκ ἔφαγε πάσχα· ἀλλ' ὡς ἔφην αὐτὸς ὡς ἀληθὴς ἀμνὸς ἐτύθη ὑπὲρ ἡμῶν ἐν τῇ τοῦ σκιώδους πάσχα ἑορτῇ, ἐν ἡμέρᾳ παρασκευῆς, τῇ ιδ' τοῦ πρώτου μηνὸς τῆς σελήνης. Negat, vt vides, expresse, Dominũ nostrum comedisse Pascha Legale, quando ipse veritatem Paschatis Iudaici exhibuit, & pro nobis in locum agni Paschatis mactatus est. Metrodorus de festo Paschatis, in Excerptis Photianis: Λέγει, τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ μὴ τὸ νομικὸν φαγεῖν πάσχα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν· μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρόν, ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ. Negat hic quoque, Christum celebrasse Pascha Iudaicum die quinta septimanæ, quia non erat id tempus legitimum, sed sequens dies. postea addit; Dominum ne sequenti quidem die Pascha Iudaicum egisse: quia non dicatur preparasse agnum, neque panem azymum, neque aliud quicquam eorum, quæ ad eam solemnitatem requirebantur: sed, inquit, ἴδιον μυστικὸν δεῖπνον ἔφαγε, *cœnam suam mysticam comedit*, & discipulis suis panem & calycem diuisit. Anonymus scriptor in ijsdem Eclogis, cap. CXVI. κατὰ μὲν οὖν ἄλλους τῆς παρουσίας αὐτοῦ ἐνιαυτοὺς ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν ὁ Χριστός, τὸ νομικὸν ἐπετέλει πάσχα· καθ' ὃν δὲ παρεδόθη, οὐκέτι. Quoniam ergo persuasum est Græcis Christum ad Pascha suum ἔνζυμα adhibuisse, non azyma; & ipsi pane fermentato in hoc mysterio vtuntur, & alios suum exemplum necessario sequi debere contendunt. Vrgent Græci inter alia argumenta, vocem ἄρτος vsurpatam Euangelistis & Paulo in priore ad Corinth. in sacramenti huius institutione; & quia dicitur ἄρτος à verbo αἴρω quod est attollo, ad suæ sententiæ confirmationem magnum in ea dictione volunt esse momentum. quasi ignorarent, id esse nomen commune quod omnes panum aut placentarum ideas complectitur, vt vel vnus Athenæus luculente probat. Itaque Lucæ XXIV. 30. ἄρτος manifestissime est panis azymus; nullus enim tunc panis alius fuit in vsu Iudæis. At quanto prudentius & Christianæ charitati conuenientius Ecclesia Romana, quę consuetudinem suam vtendi pane azymo, sic tuetur, vt Græcos non damnet morem contrarium seruantes, sicut legitur in Concilio Florentino, & sæpe repetit Gennadius. Innocentius III. Mysteriorum Missæ libro IV. cap. XXXIII. *Adhuc multi sacrificant de fermentato, quibus tanquam vere Catholicis Ecclesia Romana communicat.* Barlaam Episcopus Gyracensis, siue Hieracensis, in epistola ad Græcos: *Quoniam Apostoli eadem nobis tradentes mysteria, non distinxerunt siue fermentatum, siue azymum: sed Orientalis Ecclesia continuo incepit fermentatum: Occidentalis verò azymum, eò quod gerit imaginem puritatis & sinceritatis & veritatis: vtraque ego quidem similiter adoro & colo: Latinos verò in*

tantum prudentiores æstimo ; quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant ; sed similiter venerantur : horum autem multi non timent in sancta blasphemare. Sed Grçcis opinionum suarum immodice amantibus, hoc temperamento & moderatione fieri satis non potuit. Itaque iure hoc loco illos reprehendit Baronius : præsertim si verum est quod ille ait, *ausos esse quosdam nouantes Græculos affirmare, Matthæum, Marcum, Lucam, in temporis circumstantia lapsos, ab Iohanne esse correctos.* Mira res & vix credenda de hominibus, qui dici se Christianos & haberi postularent. Nec tamen solus Baronius blasphemiæ huius Græcos arcessit : verùm iam olim Nicolaus Lyranus & Bonauentura in Lucam, atque vt recentiores taceam, minime vanus homo Thomas in quarta parte, distinct. XI. quæstione secunda, art. 2. Græcos huius impietatis faciunt reos. Gennadius tamen, qui acriter satis hunc popularium suorum errorem singulari libello confutauit, nihil simile ipsis obijcit : vix prætermissurus, credo, si in eius argumenti scriptis Græcorum sententiam adeo detestandam reperisset. Quicquid huius sit, error Græcorum excusari non potest ; qui rem & naturâ suâ & confessione Romanorum ἀδιάφορον verterunt in fidei dogma. Tum autem opinio illorum, qui factum à Christo Pascha Iudaicum non negant ; sed die non sua neque legitima factum contendunt, quo pacto defendi queat, non video : nam Christum ἐν ἀνθρώποις πολιτευόμενον exacte Legem seruasse atque implesse, in confesso est apud omnes. Atque hęc cum Græcis. Obiter hoc loco Cardinalem Bellarminum erroris sui admonebo. Scribit ille libro quarto, De sacramento Euchar. cap. VII. Iohannem Caluinum, etsi non plane damnarit in scriptis suis azymorum vsum in hoc mysterio ; factis tamen damnasse : quia omnes qui illum sequuntur pane vtantur fermentato : sed hoc falsum est. Nam quæ magis est doctrinæ Caluini tenax Ecclesia, quàm Geneuensis ? at hæc etiamnunc in azymis sacrosanctam Eucharistiam celebrat. Nam quum initio Reformationis alia consuetudo esset introducta, anno M. D. XL. reditum est ad morem antiquum. Vtinam Bellarmino tam facile persuaderi posset, vt ad veram antiquitatem, hoc est, ad Domini nostri exemplum & formulam ab eo exhibitam, pateretur doctrinam exigi, quam secula nouissima introduxerunt ; ipse autem defendit vt vetustissimam, quæ est recentissima. Sed hic hodie multorum ludus est, vires ingenij strenue exercere, vt probent Solem meridie non lucere.

XIII. *Proponuntur diuersæ sententiæ eorum qui à Græcis dissentientes, Christum & Iudæos eadem die Pascha egisse, partim affirmant, partim negant.* Paulus Burgensis *auctor sententiæ, & de translatione feriarum apud Iudæos.* Liueleus Anglus. *Alia.*

ANNI XXXIV. Num. XXV.

TRactat vero Baronius & alteram disputationem aduersus ipsius Romanæ Ecclesiæ Doctores, præstantis eruditionis viros, qui de proposita quæstione secus pronuntiarunt, quàm vulgò in eadem Ecclesia credatur. Communiter recepta opinio in Ecclesia Ro. est: Dominum nostrum Luna decimaquarta celebrasse Pascha eadem die atque hora, quibus & cæteri omnes Iudæi idem faciebant. Et verò negari non potest, Matthæi, Marci, & Lucæ narrationes id videri significare: sed quum clare & perspicuè aliud suadeant Iohannis verba, locis aliquammultis; nefas autem sit, vel suspicari, parum inter se Euangelistas consentire: fuêre iam antiquitus, qui cęteros ex Iohanne putarent exponendos. Quod enim modò dicebamus, Græcos existimare Christum, die non sua τὸ πάσχα θῦσαι: recens illorum commentum non est, sed vetusta multorum opinio, vt apparet ex Origenis, B. Chrysostomi, Theophylacti & Euthymij scriptis. Quemadmodum igitur in hodierna controuersia de fide & operibus, summa disputationis in eo, nisi fallor, vertitur, vtrũ Paulus è Iacobo sit exponendus, an hic potius ex illo: sic in ea quam tractat hoc loco Baronius, caput rei in illa quæstione videtur positum; vtrum Iohannes è cæteris tribus Euangelistis exponi debeat, an contra. Et Romanę quidem Ecclesiæ Doctores, non hodie atque heri, sed iam ante plura secula, quum opinionem Græcorum de die illegitima, iure merito non probarent; necessaria, vti existimabant, consequentia ducti, pronuntiarunt; & Christum & omnes Iudęos, eadem die decimaquarta, sicut Lege Mosis cautum est, agnum Paschalem mactasse & comedisse: atque ita Iohannis dicta omnia ei sententiæ accommodarunt, quam reliquorum Euangelistarum verbis credebant contineri. Verum eiusmodi interpretationes, quales mox in Baronio videbimus, sane violentas, quum verbis Iohannis parum viderentur conuenire; non defuerunt, omnibus, credo, seculis, qui aliam à communi sententiam, magis probarent. Non teram tempus commemorandis multorum opinionibus, quæ vel nullos habuerunt sectatores, vel paucos. Pauli vero de sancta Maria, Carthaginiensis primò, deinde Burgensis in Hispania Episcopi, sententia, & semper habuit, & nunc cum maxime habet

habet ſectatores, viros longe præſtantiſſimos. Hic enim vir doctiſſimus, qui & genere Iudæus erat, è ſanguine Leuitico deſcendens, vt ſcribit ipſe de ſe, & Hebraicæ literaturæ admodum peritus, adhibita ad elucidationem propoſitæ quæſtionis doctrina Kalendarij Hebræorum, eius ſententiæ primus, quantum memini, auctor extitit, (viuebat autem Paulus hic, & ſuam illam Poſtillam ſcribebat ante annos ducentos) quam poſtea ſecuti ſunt, & ſcriptis ſuis confirmarunt, Paulus Mittelburgenſis Epiſcopus Foroſempronienſis in ſua Paulina, Iohannes Lucidus, Onufrius Panuinius, eremita Auguſtinianus, Iohannes Hentenius Nechlinienſis Hieronymianus apud Euthymium, Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis, Maldonatus Ieſuita, & plures alij inter Catholicos Romanos, viri inſignes: ex ijs verò Catholicis, qui Proteſtantes nominantur, neque pauciores, neque doctrina inferiores, vt Sebaſtianus Munſterus, Iohannes Stoeflerus, Heinricus Buntingus, Ioſephus Scaliger, Sethus Caluiſius, & Eduardus Liueleus, Anglus; dum viueret, in Academia Cantabrigienſi Hebraicæ linguæ profeſſor; vir probitate & doctrina cum primis excellens. Nobis quidem Liueleus notus non fuit; ſed præter illa quæ de eo accepimus à viris magnis, qui nouerant; abunde vtriuſque, & probitatis, inquam, & doctrinæ, fidem nobis faciunt, quæ vidimus eius ſcripta: in quibus eſt Chronologicum opus, quod ab eius heredibus publicari, (etſi propter immaturam auctoris mortem, ad vmbilicum non perductum,) Reip. literariæ non parum intereſt; vel propter aſtronomicas ſupputationes Eclipſium, quæ doctrinæ temporum inſeruiunt, in quibus Liueleus operam poſuit diligentiſſimam. Atque in hoc opere ſententia accurate defenditur, quam à Paulo Burgenſi acceptam, prǽſtantiſſimi illi viri, quos modò nominaui, atque alij plures ſunt amplexi. Etſi autem in explicandis ſuis ſententijs, non ſemper & in omnibus partibus hi viri inter ſe conſentiunt: in his tamen duobus omnes conueniunt; quod communem Eccleſiæ Romanæ ſententiam deſerunt; quodq; Dominũ noſtrũ tempus legitimum celebrandi Paſchatis ſeruaſſe docent, & Iudæos feſtũ tranſtuliſſe, propter canonem Hebraici Kalendarij ADV pertendunt. Ioſephi Scaligeri verba ſunt, libro VI. De emendatione temporum, in diatriba de paſſione Domini. *Quum igitur Chriſtus paſſus ſit quartadecima Niſan, & veſpera tertiæ decimæ Niſan ciuilis, Paſcha cum diſcipulis ſuis celebrarit; neceſſario Dominus Paſcha anticipauit.* Poſtea: *Prima Azymorum Chriſtus comedit Paſcha, Matthæus* XXVI. 17. *in qua immolabat agnum. Marcus* XIV. 12. *Sed quomodo prima Azymorum, feria quinta, quum poſtridie eſſet prima Azymorum, quartadecima Niſan, feria ſexta? Interpretatur Lucas;* ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. *cap.* XXII. 40.

in

in qua oportebat mactare Pascha. Sed Iudæi ἔθυσαν *quidem postridie, at non vtiq;* ᾗ ἔδει θύειν. *Quartadecima enim Luna immolandum erat, non quintadecima. at Christus quartadecima immolauit. Neomenia enim Nisan illius anni erat* 5. 19. 105. *in qua est nouilunium vetus. Ergo coniunctio luminarium fuit feria sexta, Martij vicesima. Quintadecima Luna, eadem feria. Quare quartadecima fuit feria quinta, in qua Christus rite agnum comedit.* mox : *Idem etiam sensit Paulus Episcopus Burgensis, qui ex Iudaismo nomen Christo dedit.* Liueleus postquam exposuit verba Iohannis, ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, de quibus postea agit Baronius; *Hoc* inquit, *Iohannis testimonium pro passione Christi ponenda in decimaquarta die Nisan, quæ semper Paschatis parasceue est, inconcussum manet: eoque magis, quod alia quoque ab eodem Euangelista memorentur, quæ huic nostræ sententiæ stabilimento sint. Cap.* XIII. 1. *narrat Christum cum discipulis vltimam suam cœnam ante festum Paschæ comedisse. Quo autem die ad vesperam cum discipulis suis postremum cœnauit; eodem ad meridiem crucifixus est.* Similia his alij eiusdem sententiæ defensores: qui tamen, vt dixi, non per omnia consentiunt. Baronius igitur horum doctrinam, qui à communiter recepta Romæ discedunt, & translationem festi, (Paulus Burgensis appellat repulsam) in Kalendario Hebraico expositam tuentur, magna vi oppugnat, non suis tamen, sed Francisci Toleti armis; qui paucis annis ante Baronium id argumentum accuratissime tractauit. Etsi autem propositi nostri προηγουμένως non est, in hoc genus quæstionibus immorari; paucis tamen, quàm sint valida tela quibus pugnat Baronius, expendamus.

XIV. *Respondetur ad rationes à Baronio allatas, vt probet doctrinam de translatione feriarum esse recentem & vanam.*

IBIDEM.

INitio huius disputationis ait Baronius, doctrinam de translatione feriarum, *ex lacunis recentiorum Hebræorum esse petitam.* Sed iudicat cæcus de coloribus; quod omnino parum prudenter ab eo factum. Nam ipse quidem harum literarum peritiam nullam habuit: at viri summi, quos antè nominaui, clarissime demonstrarunt; doctrinam de translationibus feriarum, quæ in Hebræorum Kalendario ingeniosis canonibus explicatur, non esse Iudæorum recentiorum, vt vult Baronius, inuentum; sed rem esse antiquissimam, & vsu cognitam etiam ante Domini nostri aduentum in terras. Sunt in eruditorum manibus quæ super ea re duo Pauli, Episcopi insignes, quæque eruditissimus Munsterus & illustris Scaliger scripserunt: quorum sententiam nouis argumentis ex vera antiquitate Iudaica Liueleus erudite confirmauit.

confirmauit. Baronius igitur, & ex quo ille sua accepit, Toletus, magnæ doctrinæ alioquin viri, melius fecissent, si à veteri dicto in hac quæstione sibi cauissent, *Ne supra crepidam sutor iudicaueris.* Quæ proximè afferuntur ex Anatolio, Philone, & Iosepho, hoc solum probant; Iudęos seruasse institutum celebrandi Pascha post ęquinoctium vernum, μεσοῦντος τοῦ μηνός, cùm Luna erat plena, die Nisan XIV. Nempe hoc ipsum scriptores isti dicunt, quod apud Mosem Dei verbis præcipitur. loquuntur enim de ordinaria solemnitate, & magis frequenti: nam translatio canonis ADV, non fiebat omnibus annis: neque hoc posterius decretum Synedrij legem Dei antiquauit: sed dumtaxat interpretatum est, & commodiorem vsum illius docuit, sicut explicat pluribus ad Matthæum Burgensis Episcopus. Quod addit: *Idem Philo alibi, hæc ipsa vna eadem die, ab omnibus fieri solita testatur*: etsi daremus absolute verum esse (non est autē; sed opus habet interpretatione; nam immundis in mensis proximi diem XIV. differre licuit:) ad rem tamen non facit: non enim dicit Philo eo loci, vnam aliquam certam diem sic propriam esse celebrationi Paschatis, vt nulla vnquam facta sit eius solemnitatis translatio; quod Baronio erat demonstrandum; sed hoc potius; in festo Paschatis singulos ex vniuerso populo sacra facere, neque sacerdotes tunc morari; Lege permittente nationi Iudæorum vniuersæ sacerdotium vna die quadam, per omnes annos, vt sacra sua sibi quisque operaretur; ἐν ᾗ ἑορτῇ, ait, θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστοι, τῶν ἱερέων αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες· ἱερωσύνην τοῦ Νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει πάντι μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος. Etiam apud Eusebium ex Anatolio leges, δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετ' ἰσημερίαν ἐαρινήν, μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός: *oportere Pascha celebrare ex æquo omnes, post æquinoctium vernum, in ipso primi mensis medio.* Sed ne id quidem facit ad rem: loquitur enim, vt modò dicebamus, de solemnitate ordinaria; quæ neque immundorum festum succidaneum, neque translationem interdum fieri solitā excludit. Quis autem dubitat, quoties Pascha celebrabatur, omnes, (quos quidem sontica aliqua caussa non impediret,) die eadem festū agitasse? Duo postrema testimonia Iosephi, pertinent ad designationem temporis, quo incipiebant Iudæi sacra procurare, siue in parasceue sabbati, siue in aliorum festorum, atque vt ipsi loquuntur, in bonorum dierum parasceuis. Quam totam obseruationē scitu pulcherrimam, neq; omnibus notam, melius cognoscent studiosi ἀρχαιολογίας Ἰουδαϊκῆς ex ijs quæ Iosephus Scaliger, Iohannes Buxtorfus, & Eduardus Liueleus è penetralibus librorum Thalmudicorum prompserunt, super interpretatione locutionis Mosaicæ, בין הערבים *inter duas vesperas.*

XV. Locus

XV. *Locus Iohannis expenditur, & eius Baroniana interpretatio exploditur. Ἐπιφώσκειν de Luna; item de tempore. Locus ex Euangelio Lucæ explicatur. Vespera siue ὀψία duplex; ἄλλη πρωΐα & ὀψία.*

ANNI XXXIV. Num. XXVIII.

POst hæc aggreditur Baronius soluere obiectiones, quæ aduersus communem opinionem ex Euangelio Iohannis fieri solent. Primus locus est Iohannis XIII. I. vbi disertis verbis dicuntur cœna & lotio pedum fuisse πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα *ante festum Paschatis.* hoc videtur repugnare narrationi Matthæi, qui tempus illud sic designat, τῇ πρώτῃ τῶν Ἀζύμων *prima die Azymorum*, XXVI. 17. & Marci, τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν Ἀζύμων, ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον. *prima die Azymorum, quando Pascha mactabant.* item Lucæ, ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν Ἀζύμων, ἡ λεγομένη Πάσχα, *appropinquabat festum Azymorum, quod dicitur Pascha.* Hoc enantiophanes ex eo natum est, quod Pascha Domini fuit diuersum à Paschate Iudeorum. quare solutio facilis est & certa, quam antè proposuimus è Scaligero: Iohannem locutum esse de festo Iudæorum: cæteros de tempore legitimo ex Lege, quod Christus seruauit. Hac ratione tempus idem, ineuntis Lunæ decimæ quartæ, siue desinentis decimætertiæ, quæ erat feria quarta, dies Iouis, Nisan XIII. hoc inquam, idem tempus, Christo erat ἑορτὴ Ἀζύμων, initium festi Azymorum, siue Paschatis, vt scribunt tres Euangelistæ; & πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, ante festum Paschatis, vt appellat Iohannes. Firmum istud est argumentum diuersæ obseruationis Christi & Iudæorum; & per consequens, factæ translationis. Qui verba Iohannis de eo Paschate accipiunt, quod ipse Christus celebrauit, auctores se esse absurdissimæ sententiæ non animaduertunt. Nam si Pascha egit Christus ante festum Paschatis, hoc est, antequam eius ritus tempus legitimum aduenisset; (id enim est, πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα) non igitur seruauit Legem: neque πληρωτὴς sed παραβάτης τοῦ Νόμου fuit: quod etiam cogitare impium est, nedum absurdum. Sed Baronius, vt hoc enantiophanes tollat; *constat*, inquit, *communi loquendi vsu Iohannem esse locutum*: & verba illius interpretatur, *de die artificiali, ab ortu ad occasum; non de naturali, quod à vespera diei XIII. ex instituto Iudæorum incipiebat.* At huic obseruationi, etiamsi alibi locus esse queat; hic tamen, vix ac ne vix quidem potest. propriam enim locutionem & κυρίαν, res ipsa desiderabat. Nam quis ita loquitur? *Ante festum Paschatis cœna Paschalis celebrata est, & Christus lauit pedes suorum discipulorum.* nimis manifesta ἀτοπία; quam non tollit

Baronij commentum, vt de insecuto die artificiali senserit Iohannes. Manet, inquam, absurditas manifesta, si fingamus vt illi placet, dicere Iohannem, cœnam Paschalem factam à Christo, prius quàm aduenisset Pascha; quia diei Paschalis pars posterior, (is est dies artificialis) nondum aduenerat. Nam tota Paschalis solemnitas ad priorem diei partem pertinet: vesperam videlicet & primam noctem illius diei quę dicitur *prima Azymorum.* Exeunte enim die præcedente post meridiem, mactabatur agnus, deinde parabatur, & fermentum omne exterminabatur: ac tandem in vespera, quę erat initium diei primę Azymorum, edebatur, protrahebaturq; conuiuium ad primam noctem. Addit Baronius, *Nec vero est ista vulgaris tantum loquendi consuetudo, sed quæ reperitur etiam in diuinis Scripturis sæpius vsurpata, atque etiam ab ipsis Euangelistis: Lucas enim sic ait; Dies erat Parasceue, & sabbatum illucescebat; quum tamen ex Legali institutione Parasceue desijsset præcedenti hora nona, & tunc Sabbatum incepisset.* Si verum est quod hîc dicitur, atque hæc locutio frequenter occurrit in Scripturis; male sibi auctor consuluit, qui ea potissimum exempla delegit, ex quibus nihil colligi eius potest, quod instituit probare. Sed existimauit Baronius verbum ἐπιφώσκειν, quo vtitur hîc Lucas, & Matthæus etiam in testimonio quod sequitur, de die artificiali solum dici, quando Sol lucet: falsus verò est, & cum eo multi alij, quibus ita fuit persuasum. Proprie ἐπιφώσκειν, siue ἐπιφαύσκειν, & ἐπιφαίνειν, de sideribus dicuntur, præsertim Sole & Luna, quæ, vt loquitur Scriptura, pręsunt diei ac nocti. Lucas Actorum, XXVII. 20. μήτε δὲ ἡλίου, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων ἐπὶ πλείονας ἡμέρας. Vetus Interpres, *neque Sole neque sideribus apparentibus.* At quoties non de sideribus, sed de tempore ea vocabula dicuntur; compendium id est sermonis, quod vt redigatur ad orationem plenam, necessario quædam sunt supplenda. Nam exempli gratia, si dicas, ἡμέρα ἐπιφώσκει, & de artificiali die intelligas, supplendum erit sic quod deest: ὁ ἥλιος ἐπιφώσκει, οὗ ἐπιφώσκοντος γίγνεται ἡμέρα, *dies illucescit*, id est, *Sol illucescit, quo illucescente, est dies.* Sin autem dicas, ἡ τρίτη ἡμέρα ἐπιφώσκει, *tertia dies*, vel *tertia feria* aut *quarta illucescit*, siue *exoritur*, & de naturali die intelligas, qui ex Hebræorum consuetudine incipit à vespera; tunc verbo ἐπιφώσκειν intelligitur ortus & splendor Lunæ, aliorumque siderum, quæ noctem illustrant & inchoant sua apparitione. Cùm ergo dicit Lucas, XXIII. 54. καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, sic accipiendum, vt si dixisset, καὶ ἐπέφωσκεν ἡ σελήνη, ἡ ἄγουσα τὸ σάββατον; quomodo apud Aristophanem dicit Strepsiades τὴν σελήνην ἄγειν τὰς εἰκάδας: hoc est, illuxit Luna, qua exoriente, simul exoritur dies

naturalis

naturalis Sabbati : non enim necesse est, vt de die accipiantur verba Lucæ à Solis ortu ad occasum, quod facit Baronius, & necessario faciendum putat. Syrus interpres, vt & Liueleus obseruat, τὸ ἐπιφώσκειν expressit verbo *Naga*, quod Isaię XIII. 10. Lunę tribuitur. לא יגיה אורו οὐκ ἔσται ἐπιφώσκουσα τὸ φῶς αὐτῆς. Ioelis autem II. 10. de alijs stellis. Testimonium ergo Lucæ, opinionem Baronianam non confirmat, nihil etiam ad rem proximum Matthæi, vbi idem verbum vsurpatur. sed de illis Euangelistæ Matthæi verbis plura dicenda erunt ad num. CLXX. vbi errorem portentosum in illorum explicatione admittit Baronius. Restat locus Marci XV. 42. Καὶ ἤδη ὀψίας γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον; *& cùm iam sero esset factum, quia erat Parasceue, quod est ante Sabbatum.* Hic ait Baronius; proprie loquendo, illud SERO non fuisse parasceuen, aut προσάββατον, sed ipsius Sabbati principium. Respondeo; ὀψίαν siue vesperam, duplicem esse; prior est inclinantis Solis, quæ post meridiem incipit: iam enim tum incipit Sol vergere ad occasum. δείλην πρωΐαν & ὀψίαν Græci vocarunt, hoc est, vt exponunt veteres Critici, τὸ πρῶτον τῆς δείλης μέρος, τὸ εὐθὺς ἐκ μεσημβρίας : *prima pars* δείλης, *quæ incipit statim à meridie.* Altera vespera est occidentis Solis & horizontem subeuntis; quam Græci dixerunt ὀψίαν δείλην, & Critici exposuerunt, τὸ τελευταῖον τῆς δείλης μέρος, τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς, *postremam partem* δείλης, *quando Solis est occasus.* Sic prorsus apud Hebræos, duplex est *hereb*, ὀψία, siue vespera : prior à nona hora, hoc est, à tertia exacta post meridiem; quod erat tempus oblationis vespertinæ : altera paullo ante occasum Solis, quod principium erat Iudæis diei sequentis. Etsi autem Parasceues appellatione tota dies Veneris aliquando intelligitur; proprie tamen dicta παρασκευὴ à nona hora inibat. Christum autem, verum illum agnum, qui tollit peccata mundi, tempore vespertinæ oblationis fuisse cruci affixum, ratio suadet, & multi viri doctissimi existimant. Verè igitur Marcus, qui de tempore proximo post mortem Christi loquens, Parasceuen illud vocat, & vesperam, nempe priorem, & προσάββατον, non autem sabbatum.

XVI. *Secundus locus ex Euangelio Iohannis. Præceptum de cauenda pollutione pertinere ad primum & vltimum, non ad omnes septem festi Paschalis.* PASCHA *dici quidem de toto festo Azymorum : sed victimas alias præter agnum Paschalem, non appellari* pascha : *neq; de ijs dici* φαγεῖν τὸ πάσχα. *Latina interpretatio in loco Deuteronomij minus commoda, fraudi fuit Toleto & Baronio. Discrimen inter agnum Paschalem & oblationem pacificam.*

ANNI XXXIV. Num. XXIV.

HIc tractatur Baronio locus Iohannis secundus XVIII. 28. qui vel solus, si res æquis animis æstimetur, confutandæ opinioni vulgatæ, quam ille tuetur, sufficere debeat. Narrat Euangelista, Iudæos, qui è Caiaphæ P. M. domo Christum ad Pilatum deduxerunt, non esse ingressos Prætorium, & Pilato, vt cum illis loqueretur foras fuisse prodeundum : caussam addit Euangelista, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, *vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Iudæi igitur Pascha nondum manducauerant : at Christus manducauerat : non ergo eadem die Christus & Iudæi Pascha comederunt. quid clarius ? aut quod validius telum conficiendæ opinioni vulgatæ potest excogitari ? Itaque fatetur Maldonatus, huius argumenti tantam esse efficaciam, vt propter illud multi eam sententiam sint amplexi, quam oppugnat Baronius. Qui vt eludat vim Achillei argumenti, ait PASCHA in Scripturis appellari, non solū agnum Paschalem, sed etiam quamuis aliam victimam, ex illis quæ per septem Azymorum dies copia ingenti mactabantur. Respondeo : etiamsi hoc illi concederemus, non tamen propterea effecturum quod intendit. Nam loqui Euangelistam de primo die Azymorum, & solemnitate agni Paschalis, illa verba ostendunt, *vt non contaminarentur.* Præceptum enim de vitanda immunditia, de quo Euangelista intelligebat, vel proprium eius diei fuit, quo Paschalis agnus mactabatur, offerebatur, edebatur : vel communis diei primo & vltimo ; quos duos dies diserte separat à cæteris Deus, Numerorum capite XXVIII. & vtrumque eorum vocat *congregationem sanctam*, cęteros non item. Alioquin si per continuos dies septem ptæceptum idem fuisset obseruandum ; quum tot modis pollutio contraheretur, quos Lex prodit ; quis potuisset in illo statu dies septem manere ? Quare pars maxima, sine dubio, facta esset maledictioni obnoxia. Expenderet igitur Baronius illa verba, ἵνα μὴ μιανθῶσι. Sed redeo ad nomen PASCHA, siue PHASE. ego verò nego in tota Scriptura locum vllum extare satis clarum, vnde colligi recte queat, victimas per septem Azymorum dies mactari solitas, esse appellatas eo nomine : aut dictum reperiri de illis, MANDVCARE PASCHA, vel vt Iohannes hîc loquitur, φαγεῖν τὸ πάσχα, cum articulo, cuius vis non temere negligenda. In loco Deuteron. XVI. 2. quem affert Baronius, Hebraica veritas habet, *Immolabis Phase Domino Deo tuo, pecudes & boues* : non vt est in Latina interpretatione, *de ouibus & de bobus* : quod etsi nolim penitus damnare, si accipiatur recte, & ex mente Mosis : in errorem tamen induxit Toletum, (inde accepit Baronius ;) qui Commentario

mentario in Iohannis caput XIII. annot. III. ex hoc vnico loco male accepto, pronuntiat, PASCHA *etiam dici animalia quæ offerebantur septē diebus Azymorum.* atque hæc est quarta huius vocis significatio, illi primo, opinor, obseruata. Nam Bellarminus libro III. de Ecclesia triumphante, in dissertatione de pascha, hanc notionem prætermittit, quatuor commemorans. rectè. at Toletus de hac obseruatione sua ita scribit; *Hoc valde attendendum est, pro resolutione eorum quæ dicenda sunt.* Nimirum vere iudicabat Toletus, nisi admissa hac significatione vocis *pascha*, obiectionem ex isto loco Iohannis solui, saltem probabiliter, non posse. Sed ille vir eruditissimus, si Hebraicam veritatem consuluisset, ac diligenter expendisset, ab interprete Latino, qui vertit liberius, ῥινὸς ἀγελῶν ἑαυτοῦ & in errorem induci non siuisset. Multum enim hæc inter se differunt, *Immolabis Phase, pecudes & boues*; vt est in origine; & *Immolabis Phase è pecudibus & bobus*; vt est in vulgata. Hebraica verba duplex genus sacrificiorum commemorant; pascha, id est, agnum Paschalem; & oues ac boues, hoc est, oblationem pacificam, quæ die XIV. ante agni mactationem offerebatur, ex ouibus & bobus, vt docent varijs locis Rabbini. Vide Maimonidæ Iad, in tractatu de oblatione Paschatis. Et Rabbi Schelomo in Scholijs suis ad illum Deuteronomij locum, diserte ponit discrimen inter פסח agnum paschalem, & oblationem è bobus & pecudibus; quam ait addi solitam ad conuiuium agni: quanquam alij vt Rambam, auctores sunt, pacificam oblationem ante agnum solitam edi. In scriptis Rabbinorum hæc oblatio vocatur חגיגה vel חגיגת יד, hoc est, *festiua victima diei* XIV[e]. Male igitur verba Mosis accipiunt Toletus & Baronius, qui colligunt ex hoc loco, etiam alias victimas præter agnū dici *Pascha.* Græca interpretatio veritatē melius expressit; Καὶ θύσεις τὸ πάσχα Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου, πρόβατα καὶ βόας non autem, οὐκ προβάτων καὶ βοῶν, vt Latinus. Paraphrastes Chaldæus, filius Vzielis ita expressit: *Et mactabitis Pascha coram Domino Deo vestro inter vesperas, & oues & boues crastino die.* Vides quam accurate separet mactationem Paschatis à cæteris: vt de errore Toleti nullum possit esse dubium. Sed quod adijcit Ionathan verbis Mosis illa, *crastino die*, non probo: nam vt ostendi, oblatio pacifica ex ouibus & bobus, non solum reliquis diebus Azymorum offerebatur; verùm etiam die XIV. cum agno Paschali, vel potius ante agnum. Onkelos, verba Mosis paullo aliter accepit; nam per צאן intellexit agnum Paschalem. Sed & hic inter Phase & alteram oblationem discrimen facit. Sic ille: *Et immolabis Phase coram Domino Deo tuo de natis ouium,* (id est agnis,) *& victimam sanctificatam de bobus.* Testimonia quæ adnotat Baronius è libro secundo Paralipomenon contra ipsum manifestissime faciunt: quod

quod non esse ab eo visum, mirari satis nequeo. Capite XXX. 15. ita scribitur. *Immolauerunt Phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini.* ergo aliud est *Phase*, siue *Pascha*, aliud *holocausta*. capite XXXV. 8. dicuntur dati boues cum omnibus ad victimas Paschatis: vbi *Pascha* laxe acceptum totam solemnitatem significat festi Paschatis & Azymorũ: neque nos negamus hanc acceptionem huius vocis: at victimas ipsas boum vel aliorum animalium dici Pascha, hoc vero est quod negamus. Multo autem minus vel in toto illo libro, vel in vllo alio Scripturarum loco, reperitur illa locutio, φαγεῖν τὸ πάσχα, eo sensu quo accipi volunt Toletus & Baronius. Manet igitur testimonium hoc Iohannis aduersus vulgo receptam opinionem, firmum, & vt Iesuita etiam Maldonatus recte iudicat, ineluctabile.

XVII. *Discutitur tertius Iohannis locus. An dies quilibet Azymorum vocaretur Pascha. Error crassus negantium vllorum festorum fuisse parasceuas, nisi Sabbati. Probatur, omnia magna festa habuisse suas parasceuas.* ἡ προεόρτιος. Parasceue *pro toto die Veneris. Quartus locus Iohannis.*

ANNI. XXXIV. Num. XXX.

TErtius Iohannis locus est hic; ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, *erat Parasceue Paschatis*, XIX. 14. Hoc quoque argumentum non leue aduersus receptam opinionem. Nam si dies quo Dominus est cruci affixus, Parasceue fuit Paschatis; nondum videlicet Pascha præterierat. Atqui suum Pascha Christus celebrauerat. Quare aliud Pascha fuit commune Iudæorum, aliud Christi proprium. Res clara. Sed negant Toletus & Baronius, quam vocat Iohannes Parasceuen Paschatis, fuisse Parasceuen Paschatis; verùm Sabbati: quę tamen ita dicatur Euangelistæ, quia accidit eo anno, vt idem dies esset & Sabbati parasceue, & dies ipse Paschatis. Igitur appellatione τοῦ πάσχα sabbatũ hîc debere intelligi: *quoniam*, inquit auctor, *& singuli illi septem dies Pascha dicebantur.* Sane si nouas antiquis vocabulis significationes licet attribuere, vicit Baronius. Modò probauimus notionem incognitam veteribus voci *Pascha* affictam esse à Toleto: hęc non minus falsa. Nos enim negamus verum esse quod hic affirmatur. Nam vbi obseruatum est, singulos Azymorum dies *Pascha* fuisse dictos? hoc neque Scripturarum, neque Rabbinorum vllo exemplo queat demonstrari. Fateor nomen PASCHA aliquando solemnitatem denotare totam & Paschatis & Azymorũ (quod erudite obseruatum est ab Humberto

Episcopo

Episcopo Sylux candidæ, in disputatione contra Græcos:) sed non ita, vt singuli dies Azymorum dicantur Pascha : etsi probe memini diem vltimum Azymorum eidem Humberto nominari *octauas Paschæ*, imitatione Ecclesiæ hodiernę, quæ præcipuis festorum, suas octauas attribuit. multo verò minus, vt φαγεῖν τὸ πάσχα possit vsurpari, de quouis alio Azymorum die, sicut vsurpatur de primo, qui erat verus, & solus, si proprie loqui volumus, dies Paschalis. Baronium in exemplo quod affert mire fugit ratio. Instituit probare singulos Azymorum dies dici *Pascha*, & de quouis eorum dici posse φαγεῖν τὸ πάσχα: & affert exemplum, in quo illa vox necessario accipienda de tota solemnitate; βουλόμενος μετὰ τὸ πάσχα ἀναγαγεῖν αὐτὸν τῷ λαῷ; ait Lucas XII. 4. de Herode; *volens post Pascha producere eum populo*; hoc est, postquam præterijssent dies Azymorum: ἦσαν γὰρ ἡμέραι τῶν Ἀζύμων, inquit ibi Lucas. Post hæc ait Baronius, solum fuisse Sabbatum, quod Parasceuen haberet: Paschatis vero aut reliquorum festorum, nullam fuisse parasceuen. Qui si Commentarios Rabbinorum à limine saltem salutasset, non potuisset nescire, passim facere illos mentionem ערב יום טוב hoc est, τῆς παρασκευῆς τῆς ἑορτῆς. vnicuique enim יט diei bono siue festo attribuitur sua vespera προεόρτιος, parandis rebus ad festum necessarijs destinata. Leges igitur in Thalmud, Iad Rambam, Iuchasin Zacuthi, & alijs scriptis Rabbinicis, ערב ראש השנה *parasceuen capitis anni*, siue Kalendarum nouarum : ערב עצרת *parasceuen Pentecostes*; ערב פסח *parasceuen Paschatis*: vel distinctius, *parasceuen primi diei boni Paschatis* : &, *parasceuen posterioris diei boni Paschatis.* hoc est, vltimi diei totius solemnitatis cum Paschatis, tum Azymorũ. In Michlol Kimchi quo loco agit de forma nominum in *vt*, editionis Venetæ, fol. 221. dictum huiusmodi affertur è Misna מן אומנות שלש אומניות עושין מלאכה בערבי פסחין עד חצות *ex omnibus artibus tres artifices faciunt* (exercent,) *artem in parasceuis Paschatum, ad medium* ipsius Parasceues. Tres autem illos artifices volunt quidam esse istos: חייטים *sartores*; רצענים *cerdones, calceolarios*; & ספרים *scribas*. Sed videntur & alij artifices artes suas exercuisse diebus præparatorijs magnorum festorum. Nam exempli gratia; de cauponibus, qui tabernas ac popinas exercent, & Rabbinis dicuntur חנונים *chanuanim*, lego in Iuchasin, pag. XXVI. fuisse in Vrbe Ierusalem qui eas artes exercerent; deinde sequitur; והיו ממלאין מדותיהם מערב יום טוב מפני ביטול בית המדרש *atque hi mensuras suas implebant iam inde à parasceuis bonorum dierum, propter cessationem domus concionis* : hoc est, nè diebus festis cogerentur abesse à concionibus. Auctor Megillath Thaanith, capite XI. quod est de mense Schebat, vt res diuersas, sed

quæ

quæ magnam affinitatem haberent commemorat *harbe ſabbatoth* paraſceuas ſiue cœnas puras ſabbatorum ; & *harbe iom tob*, paraſceuas dierum bonorum, id eſt, magnarum ſolemnitatum. Fit ibidem mentio etiam ערב יום טוב הראשון של חג *præparationis boni diei prioris feſti Tabernaculorum.* In his & ſimilibus locis, quæ ſunt paſſim obuia, ערב *hereb*, eſt quod Gallice dicimus, *la veille de la feſte*, illa inquam, veſpera, quæ præcedit feſtum diem. Græci dicunt τὴν προεόρτιον : qua voce vſus eleganter Philo, De vita contemplatiua, p. 616. cùm appellat τὴν ἑβδομάδα προεόρτιον μεγάλης ἑορτῆς; alludens ad hunc morem Iudaicũ obſeruandi paraſceuas feſtorum maiorum. Ac proprie quidem, vt ipſa vox indicat, ſola veſpera eſt paraſceue : quare in edicto Auguſti apud Ioſephum, libro XVI. cap. X. paraſceues ſabbati tempus definitur ab hora nona ; ſed tamen totus ille dies, nempe Veneris, cuius pars erat illa ὀψία, appellatur paraſceue Sabbati. Sic Iudæis qui Paſcha ſuum comederunt ineunte die decimaquinta, paraſceue Paſchalis fuit, proprie quidem loquendo, veſpera diei decimæquartę; quo fere tempore Dominus noſter cruci eſt affixus : laxe verò accipiendo, dies ipſa decimaquarta fuit illis & ſabbati paraſceue, vt ſemper ; & Paſchatis paraſceue, ſicut ait Iohannes, propter tranſlationem feriæ. Sed de Paraſceue plura inferius dicenda erunt, in diſputatione de cœna pura. Interim notet Lector, quod hic num. XXX. negat Baronius, *vllam fuiſſe Paſchatis Paraſceuen*; eius contrarium diſerte ab eodem affirmari num. CLXI. Quartus Iohannis locus eſt, XIII. 29. vbi dicuntur Apoſtoli, verba Domini ad Iudam, *Quod facis fac citius*, ſic accepiſſe, quaſi ille dixiſſet, *Eme ea, quibus opus habemus ad feſtum.* hoc cùm apud ſe cogitabant Apoſtoli, feſtum intelligebant Paſchatis. Nondum igitur aduenerat Paſcha Iudæorum : at Domini Paſchalis cœna iam erat tranſacta. dixit enim illa Chriſtus in vltima cœna. Quare diuerſum fuit tempus Paſchatis Chriſti & Paſchatis Iudæorum. Baronius quidem aliter accipit : ſed cur eius interpretatio probabilior quàm iſta cenſeri debeat, rationem nullam affert. Pergamus igitur.

XVIII. *Quintus locus ex Euangelio Iohannis.* μεγάλη ἡμέρα *in ſacris libris Græcis, & in Hebraicis,* bonus dies *quid. Sabbatum cur aliquando ſic appelletur.*

ANNI XXXIV. Num. XXXI.

POſtremus locus ex Iohanne affertur hic, XIX. 31. Οἱ οὖν Ἰουδαῖοι, ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ, ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν· (ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου·) ἠρώτησαν τὸν Πιλάτον.

Iudæi

Iudæi ergo, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, quoniam parasceue erat, (erat enim magnus ille dies sabbati;) rogauerunt Pilatum. Parenthesis ab Euangelista adiecta, *erat enim* &c. valet ad indicandum eximium cultum eius Sabbati, præter communem religionem dierum septimorum. propterea dicit Iohannes fuisse illum diem magnum. Iudæis *bonus dies* dicitur, dies festiuitate aliqua solemnis, vt primus & postremus Azymorum; item primus & vltimus festi Tabernaculorum, & id genus alij. Græci interpretes veteris Testamenti, & scriptores Noui ac Patres vocant ἡμέραν μεγάλην, diem magnum, vt hoc loco Iohannes. Sic VII. 37. de vltimo die festi Tabernaculorum. ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς. In oratione quæ olim tributa Petro, sic scriptum est apud Clementem in VI. Stromatum. οὔτε νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν. *neque Kalendas celebrant, neque Azyma, neque festum,* (intellige festum Tabernaculorum, quod Hebræis simpliciter dicitur, *chag* ἑορτὴ:) *neque magnum diem.* Sabbatum igitur de quo Iohannes loquitur, propterea *dies magnus* ab illo dicitur, quia in eundem fuerat feria Paschatis translata. Hoc quoque argumentum firmissimum est aduersus illam opinionem, quam tuetur Baronius. Qui vim illius euitare conans, prolatis testimonijs docet, etiam alios dies festos, præter diem Paschatis, fuisse eodem modo appellatos: quod quidem verum est, vt nos modo probauimus: sed hoc dicere, nihil est dicere. Non enim illud est quod in controuersiam vocatur. Illud quæritur; cur ab Iohanne sabbatum illud dictum sit, *dies magnus.* Constat, propter ipsius Sabbati religionem non fuisse ita dictum: nunquam enim ea appellatio Sabbato reperitur tributa propter ipsum. Caussa igitur est, concursus alterius diei, cui nomen diei magni conueniat. Baronius vult eum fuisse Azymorum secundum: sed ne hunc quidem Hebræi magnum, vel bonum appellarunt: solique sunt è septem Azymorum diebus, primus & vltimus, qui ita dicti fuerint. vltimum non conuenire loco Iohannis certum est. Sequitur igitur; illud sabbatum de quo Iohannes, appellatum fuisse *diem magnum,* propter concursum primi Azymorum, qui erat dies magnus. Necessitas huius conclusionis aliter eludi non potest, nisi quis probauerit claris testimonijs, dies Azymorum, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, quoties in *sabbatum* incidebant, hanc vim habuisse, vt ipsum redderent diem magnum. Hoc vero absurdum est, neque probari vnquam poterit. Nam ea ratione, non duæ solummodo magnæ fuissent festiuitates Paschales, sed tres accedente tertia ad duas omnibus notas.

XIX. *Sextus locus ex Euangelio Iohannis. Quomodo intelligendum sit apud Iohannem ἐν τῷ πάσχα, & apud Matthæum & Marcum κατὰ ἑορτὴν in mentione moris liberandi vnum captiuum.*

I. I. I. D. I. M.

POstquam visus sibi est auctor soluisse argumenta, quæ afferri solent ex Euangelio Iohannis contra vulgatam opinionem: iam ex eodem Euangelio ipse confirmat sententiam quam tuetur. Euangelistæ verba sunt XVIII. 39. *Est autem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha.* Ita disputat Baronius. Pilatus ait morem esse, vt in die Paschatis vnum captiuum in gratiam ipsorum liberet: idemque Pilatus, vult Christum iam dimittere: ergo is erat dies Paschatis. Colorem veritatis habet hæc argumentatio; sed colorem dumtaxat, vt quæ philosopho dicuntur χολοβάφινα & aurum mentiuntur. Nam si volumus vrgere illa ἐν τῷ πάσχα, vt à Baronio accipiuntur, & præstationem huius consuetudinis ad hoc exemplum necessario exigere: iure miretur aliquis, cur potius petitio ista fieret, post solemnia Paschatis peracta, quàm antè. Vult enim Baronius, hæc esse acta, postquam & Christus & Iudæi Paschalem agnum comederant. At cur eiusmodi negotium iuridicum non procurabatur in parasceue Paschatis, quando cætera ad festum pertinentia curare moris erat? Omnino maior est hæc absurditas, quàm vt exemplum in Domino nostro editum extra ordinem, propter furorem procerum Iudæorum, existimari debeat ius ordinarium. Melius igitur ἐν τῷ πάσχα, *in Pascha* interpretabimur laxe & simpliciter, tempore festi Paschatis & Azymorum. Quare Matthæus & Marcus dicunt, liberationem hanc fieri solitam κατὰ ἑορτὴν, tempore festi huius, quod plurium fuit dierum. Nisi malit aliquis extendere illa verba ad festa etiam alia nobiliora: non enim dixerunt Matthæus & Marcus κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν, *tempore huius festi*: sed ambo sine articulo, κατὰ δ' ἑορτὴν, *tempore festi*, quod Gallice diceremus, *es festes*. vel etiam, *a chasque feste*. Docti iudicent. Mihi quidem articulus non temere videtur prætermissus.

XX. *Locus*

XX. *Locus ex Euangelio Matthæi. An decretum de non capiendo Christo die festo, propter religionem sit factum. Probatur, Iudæis fas non fuisse diebus parasceues sabbati, aut festorum, judicia capitalia exercere, aut mortuos sepelire. Exponitur contra Baronium locus ex historia Tobiæ. Circumcisio in die sabbati. Alia.*

ANNI XXXIV. Num. XXXII.

MAtthæi xxvi. 5. Ἔλεγον δὲ μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ. Verba sunt Iudæorũ in Synedrio deliberantium super capiendo & occidendo Christo. Quod consilium vt sine tumultu populi perduci ad exitum posset; non oportere die festo manus in illum inijcere, de communi sententia statuunt. Negari nequit, probabile admodum hinc elici argumentum contra eam opinionem, pro qua pugnat Baronius. Nam si decretum hoc seruatum est; tuto affirmari potest, diem quo Christus est captus, festum Iudæis non fuisse. quo posito sequitur necessario, diuersis diebus Christum & Iudæos Pascha egisse, & Baronium hactenus multa satagendo nihil egisse. Ille verò duo respondet. Negat hoc decretum vllo pacto religionis caussa fuisse factum: negat etiam fuisse id seruatum; Principibus Sacerdotum occasione vtentibus Iudæ proditoris, operam suam vltro offerentis. Ego posterius facile concederem, nisi vetaret prius. Politica consilia decretaq; mutationibus scio esse obnoxia: sed quod negatur, religionis respectum esse habitum, quando id decretum est factum; id verò mihi per videtur mirum: quum res qua de agebatur, vt si qua alia, religionem violaret. nam quid est, quod religionem violat, si istud non est; capere, in ius rapere, vexare omni contumelia, cædere, occidere? Quare etiamsi Pharisæi & Principes Sacerdotum, pro ingenita sibi immanitate, religionis in eo nihil ponerent: iure tamen vereri poterant, ne populus magna ex parte Christi admiratione imbutus, factum abominaretur. Nam auctores consulti huius à populo sibi metuisse, ostendit Euangelista, cùm addit; caussam faciendi decreti fuisse, ne populus tumultum concitaret. Quod addit; eo ipso, quia Iudæi solo metu populi impediuntur, ne Dominum die festo crucifigant; probari, licuisse talia pręstare festi tempore, salua religione: mihi longe aliter videtur: neque enim rei licitæ, aut juris constituti argumentum mihi est, scelestissimorum propheticidarum factũ: sed tantum furoris illorum inauditi, & contemptus Dei atq; omnium rerum sacrarum. Quin profertur potius aliquod exemplum iudicij criminalis die sacro legitime administrati, & capitalis supplicij exacti. Non ignoro afferre quosdam vnum aut alterum exemplum, è Numerorum

rorum capite XV. & Iohannis VII. 44. item X. 31. ſed falſo, vt à viris doctis dudum eſt demonſtratum. quare alijs opus eſt exemplis, vt hoc paradoxum fieri queat probabile. Nos interim proferemus hoc loco grauiſſimi ſcriptoris teſtimonium expreſſum, quo omnes Baronianæ coniecturæ vno ictu conficientur. Moſes ben Maimon libro vltimo Iad, ſectione prima, quæ inſcribitur Sanedrin, capite vndecimo, tractans de varijs differentijs inter iudicia Mammonoth, id eſt, ciuilia & Animarum, ſiue capitalia, ait inter cætera. אין דנין דיני נפשות לא ערב שבת ולא ערב יום טוב שמא יתחייב ואין אפשר להורגו למחר *Iudices rerum capitalium non iudicant in paraſceue Sabbati, aut in paraſceue diei feſti: quia non debet id fieri, & reus occidi poſtridie non poteſt.* De ſindone & myrrha ad Domini pollincturam emptis, mirari ſubit reſponſionem Baronij: concedit fieri id non potuiſſe propter honorem feſti, quia Paſcha erat: vult die ſabbati eſſe illa empta. At ſi rapere in ius, cædere, damnare, affigere cruci, die feſto Paſchatis putat Baronius fuiſſe licitum: quæ malum! importuna religio illum inceſſit, vt exiſtimet, rei ad opus pium faciendum neceſſariç emptionem fuiſſe illo die legibus vetitam? Quod autem arbitratur ſabbato illa curare omnia quæ ad funus ſpectabant, licitum fuiſſe; inſigniter fallitur: neque hoc vnquam illi concedent iſtarum politicarum tranſlationum defenſores. Nam & in Hebraico Kalendario, & in Thalmudicis & Rabbinorum ſcriptis, inſtituti huius cauſſa redditur hiſce verbis. *Non facimus*, inquiunt, *duo ſabbata continua* משום ירקיא המשום מויא *propter olera, & propter mortuos*; quoniam mortuorum cadauera in illis calidioribus locis per autumnales calores ſeruari non poterant: neque cibi in plures dies parati, pręſertim ex oleribus. Et omnino falſum eſt, quod probare hic conatur pater Annalium, Lege Moſis prohibitum non fuiſſe die feſto ſepelire mortuos. Quid magis contrarium diei bono, quàm pollutio? quæ porrò maior ex Lege pollutio, quàm contactus mortui? De exemplo Tobiæ è capite ſecundo, quod hic profertur, facilis reſponſio. Non enim ius commune id fuit, ſed caſus neceſſitatis. Ordinem verò & naturam ipſam rerum fœde peruertunt, qui hæc confundunt, vt alibi ſumus dicturi. At ſi, vt hîc diſputatur, die Paſchatis fas fuit iudicia capitis exercere, reos damnare, & morte afficere; ſequitur vt & mortuos ſepelire, eo die iuris fuerit ordinarij, idque etiam ipſis licitum fuerit ſabbatis, ſicut hîc affirmatur. Hoc vero falſum eſſe, & libri Rabbinici ſexcentis locis docent, & illud ipſum Tobiæ exemplum planiſſime arguit: nam ibi pollutionem contraxiſſe dicitur, qui mortuum contigerat: quare ne ingredi quidem in ædes ſuas audet; ſed propter pollutionem contractam, noctem perpetem

ſub

ſub dio agit. καὶ ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἐκοιμήθην μεμιαμμένος, παρὰ τὸ τεῖχον τῆς αὐλῆς. Non igitur feſtum continuauit, vt vult Baronius: ſed bonum diem abrupit, & totum ſe dedit officio pietatis & luctui: propterea ait, impletum in ſe fuiſſe, quod dixerat propheta Amos, fore vt feſta Iudæorum in luctum mutarentur. στραφήσονται αἱ ἑορταὶ ὑμῶν εἰς πένθος. Adde quod de feſto die ibi agitur; at Baronius hoc loco de ſabbato diſputat: & quidem de ſabbato duplici religione ſancto. quid igitur ſimile? Circumciſio in die ſabbati, nihil ad rem: nam eius rei extat in Lege expreſſum iuſſum. In ijs autem, quæ Deus expreſſe iuſſit, locum habuit quod dicere ſolent Iudæi, *Qui obſeruari iuſſit Sabbatum, is profanari iuſſit Sabbatum.* At occidendi hominem die feſto, qui poſtea Sabbato foret ſepeliendus, nullum extat in Lege Dei neque iuſſum, neque exemplum. Iſtud neque locus Moſis euincit, qui citatur è cap. XXI. Deuteronomij, neque locus Philonis. Quid? ante decretum Synedrij tempore Iudæ Maccabæi factum, non putarunt Iudæi fas ſibi eſſe Sabbato vim vi repellere; ſed hoſti inuadenti iugulum præbebant: manſitque in animis quam plurimorum ea ſuperſtitio, etiam poſt factum decretum, quo neceſſitas illa ceſſandi molliebatur: tanta fuit religio diei ſeptimæ: & credet aliquis, die bono Paſchatis & Sabbati res eiuſmodi fuiſſe licitas? Sunt qui dicant, à Phariſæis & cæteris tanti criminis complicibus, hæc fuiſſe vſurpata; non quod illa crederent licita: ſed quia Legem & auctorem Legis Deum, ludibrio habebant, vt homines perditi & ad omne ſcelus proiecti. Ego cum illis potius ſentio, qui arbitrantur iſtos, medullam quidem & interiorem vim præceptorum diuinorum nihili feciſſe, atque adeo ſuperbe contempſiſſe: quum tamen exteriorem corticem videri vellent ſeruare, meri hypocritæ, & verè, quod ait Dominus, τοῖχοι κεκονιαμένοι.

XXI. *Edendi agni Paſchalis tempus varie definitum. Depellitur accuſatio nouitatis, qua vſus Baronius aduerſus doctrinam de tranſlatione feriarum. Error defendentium hodie modicam vetuſtatem contra veram antiquitatem propter ſemel acceptam conſuetudinem. Reuelationem Pauli Middelburgenſis non debere à Baronio reijci, qui tot ſimiles alias pro veris tueatur. Oſtenditur origo, antiquitas & cauſſa decreti facti ſuper tranſlatione feriarum.* R. Gamaliel. *Liuelei Angli in ſumma doctrina ſumma modeſtia. Cur non ſit Chriſtus accuſatus, quod Paſcha ſeorſim celebrauerit, non ex decreto Synedrij. Sententia nonnullorum; Sacerdotes libertatem ſequendi potius verba Legis quàm decretum ſuum, non ſuſtuliſſe. Quod hodie in ſimili quæſtione de communione ſub vtraq; ſpecie non conceditur.*

ANNI

ANNI XXXIV. Num. XXXIV.

IN fine diſputationis ſuæ repetit Baronius, quod toties antè dixerat: expreſſo Dei iuſſu cautum eſſe, vt Paſcha celebraretur decimaquarta primi menſis die, ſub veſperam. Et hoc quidem veriſſimum certiſſimumque eſt: etſi illud fortaſſe non perinde certum, quomodo INTER DVAS VESPERAS quod Lex ait, ſit accipiendum. Non iam loquor de diſcrimine inter duas veſperas, quod viri doctiſſimi accurate expoſuerunt, ſicut ſupra dicebamus: de ipſius diei decimæ quartæ principio & fine loquor, & ea diuerſitate, quam ſuper eo dum ſcripta lego veterum & recentiorum, obſeruo. Diximus veſperam eſſe duplicem, priorem & poſteriorem. Dies apud Iudæos à poſteriore veſpera incipiebat, deſinebat in priorem. Cùm dicitur Paſcha edendum fuiſſe veſpera diei decimæ quartæ; id plerique omnes ſic accipiunt, vt in veſpera deſinentis diei XIV^æ. mactaretur & pararetur: ederetur verò poſt iam exactam decimamquartam, incipiente decimaquinta. Itaque præceptum de edendo agno decimaquarta Luna, Exodi XII. 6. 18. interpretationis egere cenſetur ab iſtis; qui in ea locutione diem accipiunt non ex vſu Iudæorum, qui deſinat poſt priorem veſperam; ſed ſecundum rationem diei artificialis. Alij contra; ineunte decima quarta die agnum fuiſſe comedendum; quum in fine diei decimætertiæ fuiſſet mactatus & paratus. Quarum ſententiarum vtra ſit verior, & an eadem ratio ſemper fuerit ſeruata, non eſt hic locus accuratius expendendi. Ait verò tandem conditor Annalium: *Faceſſant igitur qui ex reuelationibus quibuſdam inanibus, & commentitijs ſcriptis nomine Gamalielis, vel aliorum, ac denique ex ſimulato Iudæorum Concilio, de tranſlato Paſchate, nouam in Eccleſiam Dei inuexerunt opinionem.* Hic vero Baronius antiquum obtinet, doctiſſimis Theologis, grauiſſimis Epiſcopis, atque alijs præſtanti eruditione viris, φιλονεικίας & nouitatis vitium obijciens: quod antiquam doctrinam longitudine temporis ſepultam, reuocare in lucem ſint conati. Eſt enim hodie genus hominum, qui errores modicæ vetuſtatis pertinaci obſtinatione malint tueri, quàm ad veram antiquitatem aſpirare, aut pati vt alij aſpirent. Diuinitus olim dictum in Metaphyſicis Ariſtoteli, κατὰ τὰ ἔθη τὰς ἀκροάσεις συμβαίνειν, pro ſuis quemque moribus accipere quæ audit, aut quæ legit ſcripta doctorum; & vulgo hominum nihil probari niſi τὸ σύνηθες; tum addit verba aurea, ἡλίκην δ' ἰσχὺν ἔχει τὸ σύνηθες, οἱ νόμοι δηλοῦσιν· ἐν οἷς τὰ μυθώδη καὶ παιδαριώδη μεῖζον ἰσχύει τοῦ γινώσκειν περὶ αὐτῶν διὰ τὸ ἔθος. *quantam autem vim habeat Conſuetudo, Leges declarant, in quibus fabuloſæ & pueriles narrationes plus valent cognitione vera earum rerum,*

propter

propter consuetudinem. verissime & prudentissime, nec minus hodie quàm olim. Nam si verum amamus, hæc vna inter præcipuas caussa est, cur multi hodie, non solum in Politicis, quod philosophus ait; sed etiam in Theologicis, opiniones super rebus grauissimis, quas iuuenes imbiberunt, ac propterea credunt esse antiquas, propugnare malint, quàm ex antiqua veritate emendare: ὃ γὰρ μεταδιδάσκειν χαλεπώτατον, ait alicubi Chrysostomus. Baronius igitur, ne in huius quidem generis quæstionibus pati potest discedi ab eo quod Romæ creditur. Quod ait de reuelationibus inanibus, conuitium est, in Paulum Episcopum Forosempronienfis iactum; qui narrat se in somnis ab Apostolo Paulo edoctum de erroribus omnium Chronologorum in annis vitę Domini. Vide eius Paulinam, libro decimo operis secundi. Hoc si Baronio tantopere displicebat; cur tot fictas & palàm falsas narrationes, non multo magis probabiles, in Legendis præsertim Sanctorum, probabat? Hieronymum, Chrysostomum, Gregorium Magnum, alios viros pios, in studijs suis non dissimili modo diuinitus fuisse adiutos legimus: nec video equidem caussam, cur hominis grauis narratio, non dissimilis Hieronymianæ, ab eo respui debeat, qui tam multa alia magis ἀπίθανα credat, & credi postulet. Quod iterum clamitat, doctrinam de translationibus feriarum nuper admodum fuisse excogitatam, & commentitijs dumtaxat scriptis niti; iterum respondemus, iudicare cœcum de coloribus. Gamaliel vetustissimus Magister, de quo multa Zacuthus, in hoc argumento citatur, cum in Kalendario Hebraico, tum ab alijs Rabbinis. huius scripta, quia hodie nusquam fortasse extant, commentitia tamen non meliore iure à Baronio appellantur. quàm nominaret aliquis commentitios libros Papiniani Responsorum, vel Pauli ad Sabinũ, vel Marciani ad Edictum; quorum hodie nihil extat præter paucas sententias in Pandectas Iustiniani relatas. Vt taceam quæ ab alijs viris summis scripta sunt ad refutandam hanc calumniam, quæque in manibus eruditorum versantur: lectori tantum indicabo, Eduardum Liueleum in opere Chronologico suo, nondũ edito, disputationi Cardinalis Toleti, qua doctrinę de translationibus feriarum nouitatem probare conatus est, luculente respondisse, & docuisse; licet aliquando post destructionẽ Templi in harum rerum ignoratione versati sint Iudæi, quod Epiphanius ostendit, & scripta quorundam ex ipsis Rabbinis: Kalendarium tamen Iudæorum, quo hodieque vtuntur; cum primis verò hanc de translatione feriarum doctrinam, rem esse antiquissimam, & ante Domini tempora cognitam. Sed melius fecero, si quæ de prima huius inuenti origine idem obseruat, verbis ipsius hîc recitauero.

Iosephus

Iosephus Scaliger in suis Notis in Computum Iudaicum, confirmat translationes huiusmodi dierum, tempore secundi Templi sub Seleucidis obtinuisse : imò fatetur Scaliger, eas sibi videri sub ipsis quoque Regibus ante captiuitatem Babylonicam vsitatas fuisse : hac ratione ductus ; quia quum propter aliquas aëris incommoditates institutæ fuissent, aër Ierosolymitanus, post eam captiuitatem calidior aut pestilentior non fuerit, quàm antè. Verum profectò non Ierosolymitanum, sed Babylonicum & Persicum cœlum illius reiectionis feriarum instituendæ caussam fuisse docet Iudæorũ Talmud in ר״ה *capite primo. In Chaldæa enim habitantes Iudæi, in hunc modum loquuntur :* לרירן חביל לן עלמא לרירהו לא חביל לחו עלמא *quod ad nos,* inquiunt, *mundus nobis corruptionem affert : sed illis nequaquam. Id interpres ita declarat :* אנו בני בבל חם לנו העולם ויש לנו חבל לפי שבבל עמוקה היא ואינה ארץ הרים וגבעות בארץ ישראל ואין שולט בה אויר ואין בני ארץ ישראל צריכים לעבר משום מתיא ומשים ירקיא אלא בשבילנו : *Nos Babylonij in calidiore mundi parte versamur, à qua corruptio nobis est ; eo quod Babylonia profunda sit, & non terra montium & vallium, vt terra Israelis, cui aër non dominatur. proinde illi nulla intercalatione (translatione,) propter mortuos aut olera opus habent, nisi in nostram tantum gratiam.* Hactenus ὁ μακαρίτης Liueleus : qui in toto hoc argumento chronologico Iosephum Scaligerum, virum maximũ, maximè admirans ; non raro tamen ab eo dissentit : verùm ita, vt modestiam prius laudes an doctrinã non scias. - ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Ex his apparet manifestissime, quam sit inanis & friuola criminatio duorum Cardinalium Toleti & Baronij (vt alios sileam) de nouitate & fabulositate harum translationum. Illa fortasse iustior fuisset accusatio Iudæorum ; quod ausi fuerint expressam Dei jussionem suis decretis, saltem ex parte, irritam facere. Nam vbi de voluntate Dei liquido constat, facessant necesse est, si pij esse volumus , omnia hominum inuenta & ἐντάλματα. Sed Iudæi, non antiquare se Dei iussionem , verum interpretari & commodiorem illius vsum docere dicebant. Illud mirum est ; si decreto huius Synedrij solus Christus cum suis non paruit ; proditorem Iudam Sacerdotibus & Pharisæis hoc non indicasse : aut ipsos, cum prætextum criminandi Christum apud populum anxie quærerent, & perdiu nullum inuenirent, hac accusatione vsos non fuisse. Mihi quidem hoc argumentum esse pro recepta vulgo opinione non pęnitendum videtur. Nam quantum istud erat ; ausum esse hominem priuatum, propria auctoritate, separare sese à totius Ecclesię communione, & quod in ipso foret, Pontificum Maximorum & vniuersi Synedrij decretum antiquare ? Patriarcha Gennadius aduersus Græcos scribens, non absurde, vt equidem arbitror, dicit ; ipsos cùm asserunt Christum pane fermentato vsum in suo

Paschate,

Paſchate, Iudam & Sacerdotes iuſtificare: iuſtam enim cauſſam condemnandi Chriſti illis ſuggerere, quam ipſi quum omnia facerent, inuenire nullam vnquam potuerunt. Θαυμάζω, inquit, τὰ πλεῖστα, πῶς οἱ Ἰουδαῖοι ἐρευνῶντες αἰτίαν οὐχ εὗρον, οὐδ᾽ ὁ Ἰούδας πολλὰ καμόντες, καὶ νῦν οἱ ἡμέτεροι ἀδελφοὶ προχειρίζουσιν αἰτίαν καὶ προσδῶσι δικαιοτάτην Ἰούδᾳ τε καὶ τοῖς Ἰουδαίοις. Humbertus contra calumnias Græcorum: *Inſuper & adminiſtratis Iudæis materiam magnam ſibi placendi ſuper interfectione Domini & permanendi in errore ſuo, & fidem noſtram euacuandi.* Idem contra Nicetam: *Si iuxta tuam aſſertionem Chriſtus Paſcha fecit tertiadecima Luna cum fermentato, dupliciter reus fuit: iuſte puniendus ſecundum Legem; quia Paſcha fecit in tempore non ſuo, & quia cum fermentato. Quapropter mors eius nihil nobis conferet; qui non pro noſtris peccatis, ſed pro ſuis interijt; ſcilicet, quia fuit tranſgreſſor ſanctæ Legis.* Poteſt Humberto reſponderi; Chriſtum, qui vt homo Legi fuit obnoxius, eamque exacte ſeruauit toto vitæ ſuæ curſu: interdum tamen Legis dominum egiſſe, vt in hiſtoria porcorum demerſorum & ſimilibus apparet. Hic verò non ſine ratione quærunt aliqui; quomodo fieri potuerit, vt ille paterfamilias, ad quem miſit Chriſtus, non obſtupuerit ad hunc nuntium, aut ſibi non metuerit: cur etiam, (ſicut modò dicebamus) aut Iudas hoc ſiluerit apud Sacerdotes; aut Sacerdotes apud populum. Iohannes Maldonatus, qui vtriuſque opinionis rationes accurata diligentia recenſuit, ad has obiectiones reſpondet: Non potuiſſe patremfamilias Chriſti factum mirari; qui ignorare non poſſet ex Legis Dei præcepto Paſcha celebrandum ea die, qua Chriſtus celebrauit: vtut ex decreto Synedrij aliter eo anno fieret: Sacerdotes quoque qui Chriſtum accuſarunt; aut ignoraſſe ipſum ea nocte agnum comediſſe; aut non auſos eſſe id crimen obijcere; quum ſcirent Dominum ex Legis præſcripto ſuum Paſcha celebraſſe. Quid commodius ad hæc obiecta reſponderi queat, non video. Quod ſi hæc vera ſunt, vt exiſtimat acutus ille Ieſuita, occurrit hîc animaduerſione noſtra res longe digniſſima. Videmus enim Sacerdotes, Phariſæos, Scribas, & reliquos Synedrij Patres, quando auctoritate decreti ſui diuini præcepti vſum, ex parte mutarunt; hanc tamen reuerentiam verbo DEI OPT. MAX. habuiſſe, vt ſi quis illo ſtare mallet, quàm decreto nouo obtemperare; impune hoc ipſi eſſet. Hic igitur vere pij obſeruent, quanto durius hodie, in non diſſimili negotio agatur cum fidelibus, qui præcepto Chriſti, quàm hominum mandatis morem gerere ſatius ducunt. IESVS CHRISTVS, quando ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit, dixit ſuis diſcipulis, & in eorum perſona dixit omnibus omnium ſeculorum fidelibus, Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. *ſumite hoc poculum, & bibite ex eo omnes.*

Præceptum hoc Domini primitiua Ecclesia exactissime semper seruauit; nisi forte extremæ necessitatis casus aliquis interueniret, qui rem penitus impossibilem redderet. Exemplum primæ Ecclesiæ, & multo magis institutionem Domini insecutę ętates per annos amplius mille constanter seruarunt: donec paullatim cessante zelo priore, & vera pietate languescente, vsus contrarius est introductus, ac tandem etiam decretis nonnullorum Patrum confirmatus: quos res ipsa clamat aduersus Domini verbum multo audentiores, & erga populos Christianos longe extitisse iniquiores, quàm olim Synedrij Iudaici Patres aduersum Legem Dei fuerint, aut erga populum Iudaicum. Antiquatũ est, quod ad vsum populi, præceptum Domini: & quod sine lacrymis & horrore non possum dicere, eò ventum; vt expresso Iesu Christi mandato paruisse, certissima atque ea teterrima hæresis censeatur, & facinus flammis expiandum. En quò calamitatis incidimus miseri mortales, postquam à recta via semel excidimus. Colophon malorũ est, quod nouo & olim inaudito dogmate adinuento, de Pontificia infallibilitate, quæ est hodie norma fidei vnica, salutaris remedij ne spes quidem vlla Ecclesiæ, tyrannide oppressæ, est relicta. Sed hæc querela suum locum paullo post est habitura.

XXII. *Historia vltimæ cœnæ Domini minus recte inchoata à lotione pedũ Apostolicorum. An mos lectorum tricliniarium à Romanis ad Iudæos transierit. Philonis locus videtur id suadere. contrarium probatur ratione primò, deinde ex historia. An mos accumbendi notus fuerit temporibus Patriarcharum. Locus è Genesi, & alius è propheta Amos. Forma accubitus. Alia quædam.*

ANNI XXXIV. Num. XXXVI.

HIstoriam vltimæ cœnæ Domini, Baronius à lotione pedum factæ per Christum, cuius Euangelistæ meminerunt, auspicatur: præpostere sine dubio, quod & ipse fatetur. Sed affert rationem facti sui, quia nonnulli existimarunt, Christũ pedes discipulorũ suorũ lauisse ante commissioné prioris conuiuij Paschalis: quod etsi damnat ipse; *videri tamen*, ait, *posse probari ex multis*: & ex eo imprimis, quod morem fuisse constet & Iudæorum & aliorum, pedes ante accubitum lauandi. Est hoc quidem verũ, & vel pueris notũ: sed id sententiam modò memoratã, cum verbis Iohannis apertissime pugnanté, vt mox dicetur, nihil potest adiuuare. Quare totum hoc tmema inter illa ponendum, quę ἄῤῥητα ἀμείνω. In proximo placet, quod disputat aduersus eruditissimũ Petrũ Ciacconũ, existimantem Iudęos morem accũbendi

in

in lectis inter cibũ ſumendũ, à Romanis accepiſſe. Sane Philo Iudæus in libro de vita contẽplatiua, videtur affirmare, & Grecos & Barbaros omnes populos morẽ conuiuandi in lectis ſumpſiſſe à Romanis. Ita enim ſcribit ; Ἴσως δ' ἄν τις ἀποδέξαιτο τὴν ἐπιπολάζουσαν νυνὶ πανταχοῦ τῶν συμποσίων διάθεσιν, κατὰ πόθον τῆς Ἰταλικῆς πολυτελείας καὶ τρυφῆς· ἣν ἐζήλωσαν Ἕλληνές τε καὶ Βάρβαροι, πρὸς ἐπίδειξιν μᾶλλον ἢ πρὸς εὐωχίαν ποιούμενοι τὰς παρασκευάς· τρίκλινά τε καὶ πολύκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμιωτέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα. στρωμναὶ ἁλουργεῖς, συνυφασμέναι χρυσῷ. Videtur, inquam, dicere Philo, lectos tricliniares & totum illum apparatum, qui erat ſuperbiſſimus, tranſijſſe ab Italis, ſiue Romanis, non ſolum ad Iudæos, verum etiam ad Græcos, Ægyptios & alios populos Orientis. Sed non ita accipienda ſunt Philonis verba ; qui de luxu tantum, non autem de modo conuiuandi loquitur : quod ex ſequentibus eius verbis melius adhuc apparet. Cæterum iacendi decumbendique morem inter epulandum, antiquiſſimis temporibus fuiſſe cognitum, ac ferme cum ipſis hominibus cepiſſe, perſuadent ratio & hiſtoria. Ratio ; quia is ſitus commodiſſimus omnium, ſeſſione excepta, qui ad eam rem poterant adhiberi. Oportuit enim primos illos homines cibum ſumſiſſe, aut ſtantes, aut genibus incumbentes, aut ſedentes, aut iacentes. Stetiſſe, aut incubuiſſe in genua, nemini, opinor, fiet probabile. Si ſederunt, vel more noſtro ſederunt ad menſas ; quod illo rudi ſeculo, (menſis, ſcamnis, ſedilibus, cathedris nondum inuentis) ſtatim factum non eſt : vel paſſim vt cuique occurrebat aliquid ſeſſioni opportunum & ἐξ αὐτοστικός, vel humi. Porrò humi ſediſſe oportuit, vel coxim, vel porrectis tibijs, aut ὀκλαδίξ poſitis, & implicitis, vt hodie Turcæ dum epulantur, & ſartores Galli perſæpe dum artem ſuam acu exercent. Atqui omnibus his poſituris (ſeſſionem ad menſam ſemper excipio) commodior eſt cibum ſumentibus poſitura iacentium, & cubito ſiniſtro, vt fuit olim moris, innitentium. Vt nullum videatur eſſe dubium, vetuſtiſſimum eum fuiſſe morem ; primis illis hominibus ſuper gramine aut fœno ſeſe reclinantibus ; poſtea etiam ſuper lanatis pellibus, vt videre eſt apud Homerum. Ouidius : *Qui poterat pelles addere, diues erat.* Procopij pene eadem verba ſunt de Mauris, Καθεύδουσι Μαυρούσιοι ἐπὶ τῆς γῆς, κώδιον οἱ εὐδαίμονες αὐτοῖς, ἂν οὕτω τύχῃ, ὑποστρωννύμενοι. Gotthicorum libro IV. Inde eſt *dormio*, à δέρμα *pellis.* Poſtea lecti ſunt inuenti, menſæ, ſcamna, cathedræ, & totum inſtrumentum domus ad vſus vitæ huius neceſſarium. Tunc etiam ſedendi ratio hodierna eſt inuenta ; & hominibus induſtrijs, à voluptate alienis, facile probata, atque paſſim recepta, conſuetudine iacendi in morem ſedendi vertente. Itaque apud Homerum, vt Athenæus

 obſeruat,

obseruat, sedent heroes, non in lectis tricliniaribus iacent. & in Genesi XLIII. 33. sedent fratres Iosephi in conuiuio quod ipse illis exhibet. Mansit tamen apud plerasque gentes antiquus mos iacendi inter epulas, à beatioribus vbique retentus, tanquam ad quietem & τρυφὴν omnium aptissimus. Quod suggerit ratio, confirmat historia; quæ docet nos, consuetudine decumbendi vsos fuisse non solos Romanos, nec primos; sed antiquissimis seculis Græcos, Medos, Persas, Celtas, Indos, Iudæos, alios populos. Philo tamen Iudæus, in libro de Iosepho, aliter pronuntiat: referens enim historiam de fratrum Iosephi conuiuio, vbi ipsi sedent, sic scribit, p. 377. μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων. *nondum recepto more ab hominibus eius ætatis accumbendi in conuiuijs.* sed ego Philoni in hac obseruatione non multum tribuo. Nam ibi Iosephus excipit fratres, vt homines peregrinos & frugi moris erat excipere: non vt homines lauti & τρυφηλοὶ eius seculi celebrabant conuiuia. Adde quod, verbum ישב etiam de ijs dicitur, qui decumbunt in lectis tricliniaribus, vt in loco Ezechielis, quem postea afferemus. Itaque Iosephus eandem fratrum Iosephi historiam commemorans, κατάκλισιν illis attribuit, quam ita expresse negat Philo: verba Iosephi sunt libro secundo, pag. 41. ἐπὶ δεῖπνον αὐτοὺς παραλαμβάνει, καὶ κατακλίνονται οὕτως ὡς καὶ παρὰ τῷ πατρί. Iudæi igitur inter eos populos numerandi, qui priscum morem iacendi inter epulas retinuerunt. Recte hoc suspicatus est Baronius; probauit vero pessime, quod mox ostendemus. Sunt autem eius rei certa testimonia in Scripturis, & scriptis Rabbinorum. quędã hîc indicabo. De improbis fæneratoribus, qui pauperes, vt solet fieri, vexabant, scribit propheta Amos, capite II. 8. ועל בגדים חבלים יטו אצל כל מזבח *super vestimenta in pignus accepta discumbunt, iuxta quoduis altare.* Paraphrastes Ionathan, vt notat Rabbi Schelomo, per *vestimenta* denotari putauit isto loco lectos; nempe tricliniares, quos in ædibus deorum & εἰδωλείοις sibi parabant, vt in ijs epularentur, & comederent idolothyta, de quibus Paulus I. Cor. cap. x. igitur pro eò quod habet textus Hebraicus, *& super vestimentis discubuerunt*, dixit Ionathan *super lectis*. eò nempe respiciens, quod à verbo נטה quo vtitur Amos, deducatur vox מטה lectum significans. Græci id vocabulum hîc alia notione acceperunt, pro extendere; licenter enim admodum verterunt, τὰ ἱμάτια αὐτῶν δεσμεύοντες σχοινίοις παραπετάσματα ἐποίουν; *vestes suas funiculis ligantes, aulæa faciebant.* Rabbi Schelomo Ionathani assentitur, & modum accumbendi Iudæorum indicat, explicans vocem יטו his verbis לשון מסיבה שבל מסיבה סעוך בחטייה היא שהוא נסמך על שמאלו *Vox* iattu *accipienda est notione* mesiba, *accu-*

bitus:

bitus : quia omnis accubatio ad epulas fit cum inclinatione ; accumbens enim innititur sinistræ suæ. situm intelligit conuiuantis, qui cubito sinistro innititur. Latini verbo *fulcire* eleganter exprimunt. Persius ; *-mihi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro.* Græci dicunt ἐρείδειν ἀγκῶνι. Philo de epulis Essenorum loquens, veterem posituram illam sic expressit, p. 616. στιβάδες εἰσὶν εἰκαιοτέρας ὕλης, ἀφ' ὧν εὐτελῆ πάνυ χαμαίστρωτα παπύρου τῆς ἐγχωρίου, μικρὸν ὑπερέχοντα κατὰ τοὺς ἀγκῶνας, ἵνα ἐπερείδοιντο. Nonnus apud Iohannē de Christo ad mensam post lotionē reuerso ;

Καὶ παλάμης ἀγκῶνα παλινδίνητον ἐρείσας
Ἀκρότατον περὶ κύκλον ὁμοστόργοιο τραπέζης, Εἶπεν ἑοῖς ἑτάροις.

Hic situs neq; plane iacentis est, neque plane sedentis. iccirco Hebrei hoc dixerunt *sedere in lectis.* Ezechiel XXIII. 41. de muliere delicata & peccatrice ; *Sedet in lecto magnifico ; & mensa instructa est ante ipsum.* & in superiore loco Mosis de fratribus Iosephi, Onkelos verbum Hebraicum, quod sedere significat, expressit verbo אסחר quod Syris est accumbere.

XXIII. *Expenduntur rationes Baronianæ. Error immanis ex interpretatione Latina pronuntiantium de veritate Hebraica. vt cùm Baronius* TRICLINIVM *putat extare in Biblijs Hebraicis : & cùm Bellarminus in controuersijs vrget voces Latini interpretis, quarum nullum in Hebræo textu vestigium.* Triclinij *neque nomen neque rem extare in Biblijs. Enumerantur voces Græcæ, quæ possunt obseruari in Biblijs Hebraicis. Locus è Pirke Auoth, vbi vox Triclinium.* περίκλινα *apud Philonem. Alia nonnulla.*

ANNI XXXIV. Num. XXXVII.

NVnc videamus quibus argumentis probet Baronius Iudæos accubuisse, non sedisse ad mensam. Ait ; *vetus esse* TRICLINII *nomen, & vsum apud Hebræos, de Samuele agens diuina Scriptura testatur, dum ait, Assumens itaque Samuel Saulem & puerum eius, introduxit eos in triclinium & dedit eis locum in capite.* Et verum est quod hic dicitur, vocem *triclinium* extare in Scripturis ; extat enim in Latina versione, quæ est sacra Scriptura : & falsissimum tamen est atque absurdissimum, quod ex eo colligit Baronius : reperiri nomen hoc & rem nomine significatam, in ea quæ proprie sacra Scriptura est, & totius veritatis origo. Triclinium κυρίως cœnaculum est, siue œcus trium capax lectorum & nouem conuiuarum. is enim Græcis, eius nominis auctoribus, credebatur esse quasi legitimus conuiuantium numerus. neque dubium, ab eiusmodi persuasione non solum nomen esse ortum, sed

etiam

etiam fabricam eiuſmodi œcorum. Veteres Iudæos, de quibus loquuntur auctores ſacri veteris Teſtamenti, ſimile quid obſeruaſſe in numero conuiuarum, aut cœnaculis ſuis & lectis tricliniaribus, affirmare potuit Baronius, probare non potuit: nihil enim eiuſmodi in Scripturis legitur. At vocem TRICLINIVM illis vetuſtiſſimis Iudæis fuiſſe vſurpatam, quod hic auctor affirmat, aut extare in Hebraicis Scripturarum codicibus, tam apertum eſt & patens mendacium, vt mirum ſit viro graui potuiſſe id excidere. Si quia Latinus interpres eam dictionem vſurpauit, recte inde colligitur antiquos Iudæos & rem & nomen *triclinij* in vſu habuiſſe; dicamus licet, triumphos Romanorum ijſdem fuiſſe notos: nam extat vox *triumphare* apud Latinum Interpretem, Ezechielis XXII. 5. pro Hebraica *hitkilles* ἐνέπαιξεν, *irriſit.* quomodo interpres idem pręcedente verſu τὸ קלסה recte vertit *irriſio.* dicamus etiam, arcus triumphales Romanorum extitiſſe ijſdem Iudæis in vſu, & extare in ipſorum libris: quia I. Regum XII. 15. pro Hebraico *Iad*, legitur in Biblijs Latinis *fornix triumphalis.* dicamus Græcorum & Romanorum Triremes fuiſſe illis temporibus à Iudæis vſurpatas: quia reperitur id verbi in Latina verſione. dicamus etiam voces Græcas *problema, parabola, mœchari*, alias, quibus Latinus interpres vtitur, extare in Hebraica veritate. At per Deum immortalem, quid ineptire, nugari, mentiri eſt, ſi hoc non eſt? Ego in totis Biblijs Hebraicis voces Gręcas obſeruare iſtas dumtaxat memini. συμφωνία Danielis III. 5. ψαλτήριον ibidem: vbi etiam κιθάρα & σαμβύκη. ſed eas voces Græcas eſſe prima origine non exiſtimo. apud eundem prophetam extat vox Chaldaica כרוזא *caroza* præco, à Græca κῆρυξ, vt videtur, & verbum כרז ibidem pro κηρύσσω. רפסודות *rapſodot* pro ratibus, à Græco ῥαψῳδεῖν, etſi diuerſæ notionis, vel à ſimplici ῥάπτειν videtur factum; II. Paral. II. 16. μάχαιρα *gladius* legitur, vt quibuſdam placet, Geneſeos XLIX. 5. vide Scholia R. Schelomonis in illum locum. In Cantico Canticorum III. 19. אפריון *aphirion* eſſe φορεῖον, ferculum, putauit Hieronymus ad caput ſeptimum Iſaiæ: quod eruditis merito improbatur; vt & quod ibidē ſubijcit de vocibus NVGAE & MENSVRA apud Hebræos. Sunt etiam Rabbini, qui Numerorum XX. 10. המורים *hammorim*, contendant eſſe vocem Græcam μωροί. qui ſi dicerent Græcum μωρὸς deductum eſſe ab Hebraico *moreh* rebellis, non ἀπὸ τοῦ μὴ ὁρᾶν, vt nugantur Græcorum grammatici, aliquid dicerent: at cùm putant vocem Græcā μωρὸς fuiſſe Moſi vſurpatam, ridiculos ſe præbent. Alias præter iſtas dictiones Græcæ originis non facile diligens lector in Biblijs Hebraicis reperiet. Baronium vero de voce *triclinium* in errorem adeo puerilem incidiſſe, etſi

mirum

mirum eſt, ego tamen minus miror. Nam ex quo Latina verſio Tridenti facta eſt authentica, & pretium Hebraicæ veritati eſt ademptū; tam prodigioſam ſententiam noua monſtra parere neceſſe erat. & eſt ſane nouum τέρας argumentatio iſta Baronij; quæ ſi admittitur, nomen DEVS erit Hebraicum, quia illo vſus eſt Latinus interpres. Hoc prodigioſo argumentandi genere etiam alibi vtitur Baronius, vt antè obſeruabamus in XII. 18. Sed conditorem Annalium, propter literarum Hebraicarum imperitiam facilius excuſes: Bellarminum verò qui illius linguæ magiſterium eſt profeſſus, quis non indignetur ad probationem dogmatum hodie controuerſorum id genus offucijs abutentem? Exemplum vnum afferam, ex quo de fide illius in cæteris fieri poteſt coniectura. Libro primo De purgatorio capite XV. probat Bellarminus doctrinam de purgatorio primis mundi ſeculis fuiſſe notam, extaréque illius in Geneſi mentionē ſaltem implicitè; quia leguntur hæc cap. XXIII. *Et ſurrexit Abraham ab officio funeris.* nam quia ab aliquot ſeculis celebrari ceperunt officia mortuorum inter Chriſtianos; vrget vir acutus vocem *officium* & ex illa voce colligit tale quid feciſſe Abrahamum in funere vxoris ſuæ. Hoc tam verum eſt, quàm illa ſuperior Baronij obſeruatio de *triclinio* vera erat. Hebraica veritas habet; *ſurrexit à mortuo ſuo*; vel, *à conſpectu mortui ſui*: id enim eſt, מעל פני מתו. iccirco ſimpliciſſime Græci ἀπὸ τοῦ νεκροῦ. Ionathan voce *conſpectus* adiecta, ſententiam per ſe planam, reddidit planiorem. Bellarminus vero è Latina interpretatione iam authentica ſic diſputat, quaſi eſſet vſus Moſes voce *officium*. Exſpecto quàm mox exorietur aliquis ex ea ſchola, qui priora ſecula erroris accuſet, quod Moſem Hebraice ſcripſiſſe crediderint, qui Latine ſcripſerit. Hæ ſunt hodie artes defendendi nouas opiniones, apud idiotas & vulgus imperitum ac falli facile, fortaſſe efficaces; peritis & literarum intelligentibus deteſtandæ neſcio dicam, magis an ridendæ. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Sed non dimittendus es Lector erudite, ſine alicuius elegantioris obſeruationis mantiſſa. Scito igitur, affirmationem Baronij de voce TRICLINIVM Iudæis vſurpata, ſic falſam eſſe, vt parua mutatione traduci ad veritatem queat. prima tempora Hebræorum ille cogitabat: & hoc falſiſſimum eſt. dixiſſet idem de Iudæis poſt Chriſti ſeculum; verum dixiſſet. Nam in Pirke Auoth, capite quarto, extat Rabbi Iacob pulcherrima ſententia in hæc verba. *Seculum hoc ſimile eſt veſtibulo ante ſeculum venturum: para te in veſtibulo, vt ingrediaris in ipſum palatium.* Huic Doctori, ſane veteri, ſed qui ſine dubio vixit poſt Chriſtum, primus ad palatium aditus dicitur פרוזדור *prozedor*, mira voce, & vt ego ſuſpicor, corrupta à voce προσείσοδος. Rambam exponit בית שער *domus portæ,*

portæ, πυλάδια Græcorum intelligens. at palatium hîc dicitur טרקלין *teraclin*, hoc eſt triclinium. Maimonides exponit ההיכל *palatium* vel *templum*. conuenienter quidem huic loco : ſed neque ille tantus Magiſter, neque alij Rabbini eius libri ſcholiaſtæ, quid eſſet proprie *Triclinium*, aut cuias vox, intellexerunt. Tantum abeſt vt verum ſit, iam inde à primis ſeculis id nomen Hebræis fuiſſe familiare. In Scripturis ὁ κοιτὼν cubiculum dicitur חדר המטות *œcus lectorum*. In Cantico canticorum, I. 12. Regis מסב exponitur à Græcis ἀνάκλισις, à Rabbinis dicitur eſſe accubitus in orbem diſpoſitorum. ac videtur Philo ijs verbis quæ paullo ante deſcripſimus, vim dictionis Hebraicę voluiſſe exprimere, cùm triclinijs addit περίκλινα, œcos intelligens, vt eſt conijcere, rotundos cum ſuis lectis conuiuialibus, ei formę cœnationum accommodatis. In libris Rabbinorum *meſiboth* ſunt lecti conuiuantium. & היה מיסב paſſim pro ἀνέκειτο, de eo qui ad menſam accumbat, cubito ſiniſtro innitens, vt ipſi Rabbini interpretantur.

XXIV. *Expenditur locus ex Euangelio Iohannis*, γενομένου δείπνου. *Alius locus ex Euangelio.*

Anni XXXIV. Num. XXXVIII.

Reditur hîc ad hiſtoriam lauatorum à Chriſto pedum Apoſtolicorum. Refutantur longa oratione, qui dixerunt id factum ante cœnam agni Paſchalis. Enimuero ſi Euangelij verba diligenter expenduntur, expediri vno verbo res poteſt. Clare enim dicit Euangeliſta; καὶ δείπνου γενομένου, & *vbi cœna eſſet peracta*. ſed eludunt iſti, & γενομένου volunt eſſe, *parata*, non *tranſacta*. hoc verò ita aperte contradicit Iohannis verbis, ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου. *Chriſtus ſurrexit à cœna*; vt ad Prætorem vel ad agnatos amandandi ſint eius ſententiæ auctores. De ritibus Iudaici Paſchatis, (qua de re mox auctor agit,) ſunt in manibus eruditorum, quæ è Ritualibus Iudæorum & libris Thalmudicis protulerunt in apertam lucem Paulus Burgenſis, Emmanuel Tremelius & Ioſephus Scaliger; quorum nominibus poterat Baronius ſuos Annales reddere illuſtriores, & animi ingrati crimen eadem operâ euitare. Non enim ſuis profecto plumis, verùm alienis σεμνύνεται καὶ ἐναβρύνεται ἐν τοῖς τοιούτοις. Quod mox ait, illa Domini verba, *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet*; niſi ad baptiſmatis myſterium referantur, probare Apoſtolos priuſquam ad priorem cœnam ſe accingerent, totum corpus lauaſſe: id mihi oppidò negligenter dictum videtur. Sentio enim cum eruditiſſimo Ianſenio; allegoriam eam eſſe ex vſu communis vitæ depromptam. quare κατ' ὃ ῥητὸν de ijs intelligendum

gendum qui corpus totum in balneo lauarunt; sed postea egressi è balneo, dum accedunt ad lectū conuiuialem, pedes macularunt. at secundum anagogen, omnino lotio totius corporis de baptismo accipienda: pedū verò ablutio, de affectuū purgatione & eius quē Theologi nominant fomitē peccati, etiam in electis post peccatū remanentem.

XXV. *Absurditas coniecturæ Baronianæ de cœnatoriis Domini, & de veste eiusdem pretiosa super cœnatoriam. ἱμάτια numero plur. de vno pallio. Nonni licentia, χιτῶνας vocem pro vno pallio ponentis. veste aut linteo succingi habitus seruilis. Hallucinationes Baronij variæ: & vanissima coniectura de pretiosa Christi veste ad instituendam S. Eucharistiam. Alia non pauca.*

ANNI XXXIV. Num. XXXIX.

IN ijs quæ mox subijciuntur de vestimentis Domini, doctrinā & iudicio instructi Lectores, præter friuolas coniecturas, aut etiam manifestò absurdas, quid inuenturi sint, equidem non video. Principio sic disputat: quia dixit Iohannes Christū posuisse vestimenta quando se accingebat ad lauandos pedes discipulorum suorum, *par est credere*, inquit, *eum in veste cœnatoria remansisse*. quare autem? ego enim non capio. Si numerū pluralem vult vrgere Baronius, dicendū illi erit, Christum vestem non vnam, sed plures posuisse. Quare, siue intra vestem cœnatoriam habuit aliam accūbens, siue supra cœnatoriam, vt docetur in Annalibus; quia dixit Iohannes posuisse ipsū τὰ ἱμάτια, & placet Baronio numerū multitudinis vrgere; necessario sequetur, & cœnatoriam & alteram simul Christū exuisse. Quę est igitur hęc Logica ἀσύλλογιστος? Non animaduertit vir eruditus, ἱμάτια isto loco appellari, ab Euangelista, non plures vestes; sed vnicum Christi pallium. Hoc manifestū est & certissimū ex ipso Iohanne, qui XIX. 23. narrans quo modo pallium Domini in quatuor partes fuerit scissum, eodē numero vtitur; ἔλαβε ait, τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. nam solū pallium appellari ab Iohanne τὰ ἱμάτια, nemo potest dubitare, qui locum inspexerit. itaq; Nonnus sententiam eandem cum Iohanne numero non eodem expressit.

Θεσπεσίην ἐσθῆτα θεηγενέος βασιλῆος
Ισάριθμοι δάσαντο.

Idem poeta elegantissimus in capite XIII. Iohannis & historia lotionis, pro τὰ ἱμάτια dixit eodē numero τοὺς χιτῶνας: poetica licentia dure abusus illa voce: nam χιτὼν est vestis interior, vt tunica: ἱμάτιον, exterior, vt pallium: & hanc proprietatem accurate seruat Iohannes XIX. 23. Porrò caussam cur Dominus noster posuit pallium, docte ostendit ille eruditus paraphrastes, isto versu;

 Δοῦλοι

Δούλιον ἔργον ἔτευξεν ἑοῖς ἑτάροισιν ὑφαίνων.

ſignificat enim, Ieſum Chriſtum habitum ſerui aſſumpſiſſe, vt miniſtraret diſcipulis, pedes lauando ipſis. Seruorum erat, ſine pallio aut alia veſte exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteo ſuccinctos, miniſtrare. Inde illa Suetonij in Caligulam indignatio, quod *Senatores ſummis honoribus functos cœnanti ſibi, modò ad pluteum, modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo,* (iſtud eſt quod Iohannes λεντίον dixit,) *paſſus eſt.* libro IV. cap. XXVI. quo ex loco apparet, non ſolum ſeruos, ſed etiam ingenuos, qui ſeruilia miniſteria erant obituri, ſeruilem illum habitum aſſumpſiſſe. Exemplum habes apud eundem in ipſo Caligula, popæ & victimarij miniſterium exercentis, cap. XXXII. Huc pertinet quod legimus apud Philonem; qui pag. 617. Eſſenorum conuiuia deſcribens, ſocietatis plane philoſophicæ, obſeruat, mancipiorum quidem vſum ipſos repudiaſſe; quod dicerent ſeruitutem contra ius naturæ introductam fuiſſe; ſed liberorum opera vtentes cauiſſe, ne vllam habitus ſeruilis ſpeciem inter miniſtrandum præberent: ac propterea diſcinctos, & demiſſis veſtimentorum alis in cœnationem ſolitos ingredi. ἄζωστοι, inquit, καὶ καθειμένοι τοὺς χιτωνίσκους εἰσίασιν ὑπηρετήσοντες, ἕνεκα τοῦ μηδὲν εἴδωλον ἐπιφέρεσθαι δουλοπρεποῦς σχήματος εἰς τοῦτο τὸ συμπόσιον Pallium & omnis exterior veſtis quæ brachia includit, inepta eſt ad miniſteria quæ liberum brachiorum motum requirunt: ideo ſerui ponere ſoliti; ideo etiam Chriſtus ponit. At Baronius ait, Dominum in cœnatorijs remanſiſſe. In quo trifariam decipitur. Errat cùm putat miniſterium illud obiri poſſe in veſte cœnatoria. Errat cùm non obſeruat ſeruilem habitum à Rege Regum conſulto conſilio eſſe aſſumptum. Errat poſtremò cùm fingit Dominum more Romano cœnatoria induiſſe, menſæ accubiturum. Nam ex comparatione duorum locorum apud Iohannem, quorum mentionem modò fecimus, certo conſtat, Dominum noſtrum & in cœna & extra cœnam eaſdem veſtes duas geſtaſſe; exteriorẽ, pallium; interiorem, tunicam. Valeat igitur figmentum illud de cœnatorijs Chriſti: nos Baronio id credere, aut cuiuis idem affirmanti, parati non ſumus: niſi prius teſtimonijs Scripturarum, aut Hebræorum ſcrtptorum docuerit, morem illum Romanum ac Græcum Iudæis illa ætate adeo fuiſſe in vſu, vt etiam tenuiſſimæ fortunæ homines, (his ſimilem ſe geſſit Chriſtus, quamdiu vixit in terris,) eum vſurparent. Locus de veſte nuptiali è capite XXII. Matthæi, non id probat, quod vult Baronius; imo ſi attente legatur, plane contrarium ſuadeat: ſicut ſæpiſſime ſolent teſtes Baroniani, hinc ſtare, illinc dicere. Ergo quum eo loco ſuum conuiuã Rex increpet, quod palatiũ ſuum ingreſſus ſit, non ornatus veſte lauta,

quę nuptiarum apparatui conueniat: πῶς εἰσῆλθες ὧδε μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; non de cœnatoria veste, sed de forensi eius verba debent accipi. Nam conuiuialia indumenta non sumebant, nisi quando accumbebant: iste verò reprehenditur, quod domo non venerit ornatus veste festiuitati congruente. B. Hieronymus, *vestem non nuptialem* opponit, non vt Baronius, cœnatorijs, sed simpliciter, sordidę: *arguit illum impudentiæ, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales.* Hoc figmentum de cœnatorijs Domini, sequitur aliud πλάσμα longe vanissimum. Diuinat enim Baronius, Iesum Christum, non cœnatoria tantum veste, sed maioris decoris gratia, proprijs superindutũ vestimentis, cœnasse: *& hoc*, inquit, *sic esse putandum.* imo verò hoc putandum non est: non enim dicitur ab vllo Euangelistarum: neque verbum vllum in hac historia ab illis ponitur, quod eò ducat. & quod caput est, non conuenit hoc cęteræ Christi vitę: qui semel assumptam serui formam, vt loquitur Apostolus, perfectam humilitatẽ dictis, factis, cultu, victu, omnibus denique rationibus, & professus est, & semper seruauit. Postremò ridiculum nimis, existimare aliquem cœnatorijs amictum, aliam vestem superinduisse, *maioris*, vt ait, *decoris gratia.* Nam si decus & gloriam Dominus noster in illa cœna spectauit, & fuit vsus in Iudęa vestium tricliniarium; poterat induere cœnatoria ita pretiosa, vt decoris caussa nihil opus esset vestem aliam contra morem & contra decorum superinduere. Auctor Satyrici: *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria, sine dubio, sed iam semel lota.* Persius: *Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina læna est.* vbi vestis δειπνῆτις magni pretij intelligitur. At Baronio placet, Dominum & Apostolos parum splendide ornari potuisse vestibus cœnatorijs, nisi aliud accederet indumentum superiniectum ad splendorem augendum; quę coniectura quum sit vanissima; etiam illud vanum est, quod sindonem fuisse eam vestem, nihil addubitans pronuntiat. Sed de sindone & eo qui fugit cùm Saluator captus est, περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, inferius erit agendum, ad sectionem LXVIII. Tollebam manum de tabula: sed reuocat me in lineam exemplum singularis audaciæ in tractandis sacris literis, quod statim sequitur. Nam quum dicat Iohannes XIII. 4. de Christo ad lotionem se accingente, τίθησι τὰ ἱμάτια, *vestes ponit*, hoc est pallium, vt ostendimus; & de eodem post lotionem peractam, ἔλαβε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *sumpsit vestimenta sua*, pallium nempe, quod posuerat; quis ferat Baronij licentiam, hic quoque fingentis, Dominum nostrum ad instituendam sacrosanctam Eucharistiam pretiosam aliam vestem induisse, & pro actionibus vestimenta subinde mutasse? Hoccine est diuina oracula cum timore & tremore

tremore tractare, humana figmenta sacris narrationibus ex suo sensu illis immiscere? Enimuero non poterat continere se Cardinalis Baronius, vel Cardinalitios certe iam tum animos gerens; aulæ Romanæ splendori & regiæ Pontificum pompæ assuetus; quin aliquid de moribus hodiernis Domino affingeret. Sed meminisse debuerat, Christo in terris agenti nunquam fuisse probata humana consilia; propter quæ seuere adeo Petrus ipse fuit ab ipso increpitus, sequi non præire iussus. Dominum igitur nos quoque sequamur, & nostros potius mores eius exemplo formemus; quàm ex affectibus nostris ac vitijs, falsos ipsi mores affingamus.

XXVI. *Quot lectis Christus & Apostoli accubuerint in vltima cœna. Cœnationes à numero lectorum trium vel plurium nomina habuerunt apud Græcos. An Petrus eodem lecto cum Domino discubuerit. Eucharistiæ institutionē male comparari cum Apophoretis Gentiliū.*

ANNI XXXIV. Num. XL.

CONijcit Baronius Christum & Apostolos tribus lectis accubuisse; in vno cubuisse ipsum cum Iohanne & Petro: reliquos in duobus iacuisse quinos. Sed raro factū legimus, vt quini vno in lecto accubarent: & quare tres potius lectos in eo cœnaculo fuisse quàm quatuor credamus, ratio nulla suadet necessaria. Nam tricliniū illud nemo Euangelistarum vocauit. Quemadmodum autem œci triclini erant multi, sic & tetraclini, vbi quatuor lecti, pentaclini vbi quinque; hexaclini, vbi sex; & ita deinceps: nam δεκακλίνους οἴκους, ἑξηκοντακλίνους, atque etiam ἑκατοντακλίνους, vbi decem, sexaginta & centum lecti in historijs Græcorum legi scimus. Petrum autem cum Domino & Iohanne in eodem lecto discubuisse, nescio an patiatur dici vox νεύει: non enim poterat commode illo situ, oculorum nutu dare signum supra se cubanti. Et vere, si proximus Iohanni fuisset Petrus, verbis poterat cum illo agere, vt oculorum nutibus non esset opus. Quod autem sacra Domini Cœna cum Apophoretis comparatur, adeo vt dici videatur mos ille quasi occasionem præbuisse illius instituendæ; hoc equidem vix ferendum existimo. Quid enim commune terribili mysterio, cum Apophoretis Gentilium, quibus originem dederunt luxus, delitię & lasciuia? Scimus Eucharistiam à Græcis Patribus non raro dictam δῶρον ἐξιτήριον, quia discedentibus ex hac vita communicabatur, sicut paullo post ostensuri sumus: at propter leuem aliquam conuenientiam, institutionem illius ad Græcorum vel Romanorum apophoreta referre non debemus, nec sine piaculo possumus. Omnino

nino si exemplum aliquod Christus est secutus, aliunde id petere, quàm è ritibus Iudaicis in celebratione Paschatis, ferme impium videtur. Quare illa potius consulant studiosi Lectores, quæ de secundis mensis in solemnitate Paschali Iosephus Scaliger & alij viri illarum literarum callentes dudum obseruarunt. Nam & quæ mox Baronio ijs de rebus adnotantur, ab illis fontibus deriuata.

XXVII. *Refellitur obseruatio Baronij super caussa contentionis de primatu inter Apostolos, post vltimam Domini cœnam.*

ANNI XXXIV. Num. XLII.

POst hæc sequitur obseruatio, prorsus quales esse omnes vt plurimum Baronij ἐπιστάσεις, in superioribus monebamus. Nam quia Lucas narrationi de institutione S. Eucharistiæ subiungit statim historiam cuiusdam φιλονεικίας, quæ fuit inter Apostolos, dum inter se quærerent, quis ex omnibus esset maior: Baronius occasionem inquirit, vnde eiusmodi quæstio orta sit illo tempore inter ipsos: atque eam à se inuentam, vult à nobis magna cum attentione audiri. *Est*, inquit, *obseruatione dignum, nunquam Apostolos de primatu quæstionem mouisse, nec indigne tulisse Petrum præpositum cæteris esse; verum haud æquanimiter tolerare potuisse, Iohannem vel Iacobum fratres apud Christum primos haberi.* Vult enim Baronius, Petrum ea iam tum maiestate inter condiscipulos excelluisse; vt libenter ipsi se reliqui omnes subijcerent; quum alium præter Petrum principem locum gratiæ apud Christum obtinere, & sibi præferri, pati non possent. Hanc obseruationem alibi equidem legere non memini: & est profectò nemini mortalium conuenientior quàm Baronio; qui omnes etiam leuiculas, etiam falsas occasiones studio summo aucupatur, vt hodierni fastus & typhi aliquam saltem imaginem vel vmbram inter Apostolos inueniat. Sed mirum est, huius subtilissimæ obseruationis nemini veterum, nemini, quod sciam, recentiorum interpretum venisse in mentem, præter Baronium. Quid quod isti animaduersioni repugnat è diametro B. Chrysostomi obseruatio, in principium capitis XVIII. Matthæi? vbi docet, ex æmulatione reliquorum Apostolorum aduersus Petrum natam esse quæstionem huic simillimam, vel potius eandem; τίς ἄρα μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; ad quæ verba notat magnus ille interpres; Apostolos quum vidissent Christum pro se & Petro tributum soluisse, tulisse id ægre, & ἀνθρώπινόν τι παθόντας, hoc est, humani ingenij vitio, velut expostulantes cum Domino, voluisse ab eo quærere, τίνος ἕνεκεν ὁ Πέτρος ἡμῶν προετιμήθη; καὶ εἰ μείζων ἡμῶν οὗτός ἐστι:

quam

quam ob caussam Petro plus honoris tribuisti quàm nobis? & an ille nobis est maior? verùm pudore impeditos, quominus affectum ita manifeste proderent, illud dumtaxat quæsiuisse; *Quis ex omnibus esset maior?* Quare falsum est, quod affirmatur hoc loco in Annalibus; reliquos Apostolos vnius Petri superiorem dignitatem pati potuisse: nunquam aduersus illum ex indignatione murmurasse. Hieronymus in illum Matthæi locum, idem cum Chrysostomo obseruat: *Quia viderant*, ait, *pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis prælatum.* Igitur si credimus Hieronymo & Chrysostomo, Apostoli adeo non crediderunt Petrum esse omnium maximum, vt leui suspicione oborta alicuius maioris dignitatis Petro attributæ, sibi illum anteponi non potuerint pati. quid magis contrarium dici potuit obseruationi Baronij? Sic autem & alij interpretes. Beda vti solet Hieronymum κατὰ πόδας sequitur, totidem verbis: Theophylactus suum Chrysostomum: item Euthymius: qui postea addit; vidisse Apostolos Petrum in terris sibi præponi; (honoris vel ordinis prærogatiuam intelligit Euthymius; non typhum hodiernum:) ac propterea doluisse: sed postea vbi perfecti euaserunt Apostoli, honore sibi inuicem cessisse. Ipsa Euangelij verba digna consideratione sunt: nam apud Lucam ita simpliciter quæstio proponitur: *Facta autem est & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Non excipitur hic Petrus, quod omnino erat necesse, siquidem is Petrus tum fuisset, de cuius præcellente dignitate, & vt hodie patroni eius caussę loquuntur, de cuius dominatione ac monarchia inter Apostolos constaret. Valeat igitur Baroniana obseruatio, non solum vt leuis & vana; sed etiam vt manifesto falsa & Scripturis repugnans. Vide iterum infra ad numerum Baronianum LXIV.

XXVIII. *Παρέκβασις in sequentem disputationem*

De Sacrosancta Evcharistia

Anni. XXXIV. Num. XLV.

Perducta est Euangelicæ historiæ series, ad Cœnæ Domini institutionem Dominicam. Qua occasione vsus est conditor Annalium, vt ad hodiernas controuersias super illo diuino mysterio diuerteret, Romanæ Ecclesiæ scita & placita defenderet, ac diuersa sentientibus inclementer diceret. Quod si Baronius ex accurata comparatione eorum, quæ Christus hoc sacramentum instituens docuit fecitque, cum ijs quæ fiunt hodie & docentur, siue à partis Romanæ

Catholicis,

Catholicis, siue ab ijs quos desiderium reformationis à Romanis disiunxit, palàm fecisset ac liquido demonstrasset, cum institutione Christi & praxi Apostolicorum temporum ac proxime insecutorum, melius illorum quàm horum & doctrinam & praxin congruere; quis à partium studio alienus, hoc est, vt ego interpretor, vere Christianus, non gratiam illi habuisset, aut sententiam illius non probasset? Nam vt instituere sacramenta ad salutem in Ecclesia solum Deum posse, firma fide pij omnes credunt; ita veram de illis doctrinam, verum illorum vsum, & legitimos ritus, (de necessarijs loquimur, non de ijs qui ad decorum & ornatum pertinent:) è solo DEI OPT. MAX. verbo, & historia eorum quæ Apostoli docuerunt feceruntque, hauriri tuto posse, pari fidei firmitudine veri omnes fideles persuasum habent. Meminerunt illi, Paulum Apostolum, vt deprauatam nonnihil disciplinam circa hoc mysterium in Ecclesia Corinthiorum emendaret; reuocasse illos ad primam institutionem, & velut speculũ, in quod intuentes de suis actionibus iudicarent, verba Domini ob oculos illis posuisse; *Ego*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Meminerunt, beatum Christi martyrem Cyprianum, vt Hydroparastatarum siue Aquariorum errorem, quem in huius sacramenti administratione committebant, in melius reformaret; Pauli exemplo, reuocasse ipsos, ad Euangelicæ veritatis ac Dominicæ traditionis rationẽ; *ne*, inquit, *ab eo quod Christus magister & præcepit & gessit, nouella institutione decederent. Hæc*, ait magnus doctor, *radix atque origo est traditionis Dominicæ, ad quam est reuertendum; ne aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit.* Obijciebatur Cypriano, reformationem hanc tentanti, consuetudo, à multis iam recepta, & plurium annorum vsu firmata: sed hanc ille sequendam negat; *quærendum est enim*, ait, *ipsi consuetudinis auctores, quem sint secuti.* Addit verò consilij sui rationem solidissimam, firmissimam, & nulli vnquam præscriptioni obnoxiam. *Nam quod Christus debeat solus audiri*, inquit, *Pater etiam de cœlo contestatur, dicens; Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi; Hunc audite.* Si igitur ab historica narratione digredi animus erat Baronio, fuit hîc locus exercendę industrię, in illa quam dixi comparatione instituenda, & accurate explicanda: quò posset rebus omnibus æqua lance diligenter expensis, nudam veritatem oculis hominum subijcere, & sui erroris illos admonere, quos ratio vicisset ab archetypo longius aberrare. Etsi ad vltimam dudum odiorum lineam est peruentum; neque vlla amplius, nisi in vnica Dei misericordia & omnipotentia meliorum spes concordiæ studiosis restat: existimo tamen, si hanc viam auctor Annalium esset ingressus, quam ipsa propositi sui ratio ei sug-

gerebat

gerebat, & pijs omnibus atque εἰρηνοποιοῖς opus hoc multo futurum fuisse acceptius; & fructu etiam, vt equidem reor, non fuisse cariturum. Magna enim est vis veritatis; si quis illam, quæ natura sua simplex est, simplice animo & sine mangonio proponat. Non debebat Cardinalis Baronius, qui opus Annalium in se recepisset, huius pulcherrimæ laudis palmam alij concedere. Atenimuero longe aliam fuisse illi mentem, & ab huiuscemodi sanctis cogitationibus, ipsum fuisse alienissimum, vel sola hęc pars Annalium luculente probauerit. Id namque vnum tota hac disputatione, & aliquot alijs eiusdem argumenti, cum in anno quinquagesimo septimo, tum alibi, videmus ipsum agere; vt omnes opiniones circa hoc sacramentum, quas in Ecclesiam Romanam longa dies inuexit, & quæcunque ad hodiernam illius praxin attinent; mordicus propugnet. Omnia Baronius probat, omnia tuetur; & quidem pari contentione omnia. Illam igitur, cuius modò mentionem faciebamus, comparationem omittit. ipsam adeo tanti huius sacramenti institutionem Dominicam, Euangelistis accuratissime descriptam, & à Paulo Apostolo totidem fere verbis repetitam, pęne prętermittit: certe in Annalibus suis, vbi alia quamplurima minoris longe momenti αὐτολεξεὶ solet recitare, non describit: deniq; ita breuiter strictimque Dominicæ institutionis verba attingit; vt locum illum, ceu in vadoso mari periculosam aram, vel naufragijs infamem scopulum, consulto consilio euitasse queat videri. Olim fuisset hoc valde mirum; nunc aliter viuitur, postquam Romæ semel constitutum est, veri rectique normam in caussa religionis esse non verbũ Dei, non antiquitatis consensum, sed Ecclesiæ, hoc est, vnius Papę infallibilitatem. Igitur inter ipsa prima verba huius suæ de Eucharistia disputationis, vocabulum TRANSSVBSTANTIATIO heri & nudiustertius natum, & Ecclesię Dei funestum, vsurpat Annalium pater: rem ipsam & dogma, post tot secula sancitum, spreta operis sui lege, quæ res singulas suo quasque loco ac tempore narrari postulat, hic adstruit: doctrinam de sacrificio, non quam vetus Ecclesia nouit; sed illam quæ ab aliquot seculis in Romana cepit vigere, magno conatu hîc defendit: sacramenti huius mutilationem, inuentum plane nouitium, & vere, vt cum Cypriano dicam, furtum spirituale, falsò obtentu antiquitatis, alio huius tomi loco tueri non veretur: linguam peregrinam, expressis verbis Paulo damnatam, & vno verbo, ritus omnes, qui pertinent ad modum celebrandi huius mysterij hodiernum, cum hoc loco, tum alibi, quoties datur occasio, sine vlla exceptione defendit. Postremo diuersa sentientes de hoc venerando sacramento, quorum alios sola vis conscientiæ & odium tot nouitatum

in

in re tanti momenti, vt à Romanis sese disiungerent compulit; alios fortasse caussæ nescio quę multum diuersæ; omnes pariter à Baronio, tot tantarumque nouitatum patrono NOVATORES appellantur. Atque hæc summa est Baronianæ doctrinæ & disputationis huius ac similium aliarum: in quibus pręter commune seculi malum, in studio partium φιλονικίαν, & cupiditatem iure vel iniuria vincendi, nihil equidem animaduerto singulare. Nulla hic ex erudita antiquitate obseruatio non protrita: nulla canæ simplicitatis reuerentia: nihil deniq; eo viro dignum, qui in operis fronte omnes, etiam in alijs castris militantes, ad disquisitionem rerum à se traditarum prouocasset. Quod si ne illi quidem respectum vllum primæuæ fidei habent, qui eximiam præ cæteris notitiam illius, & profitentur, & tenent: quid à Vasquijs aut Suarijs, & id genus Scholasticæ palęstriæ athletis æqui speremus; qui vetustatis auream simplicemque veritatem, sibi vt plurimum ignotam, ne possunt quidem vel amare, vel desiderare? ignoti enim, vt est verbum vetus, nulla cupido. De Baronio vero & hac illius dissertatione, an ita sit vt modò dicebam, restat iam videamus: neque enim committendum est, vt specioso Annalium titulo tyronibus fucus fiat, & recentibus deprauationibus opinio falsa vetustatis concilietur. Tu modo Lector Christiane, æquus ades, & ad cognoscendum de re longe grauissima, quæque ad salutem animæ cum primis pertinet, animum adhibe; quantamque rei qua de agitur magnitudo desiderat, præsta attentionem. Ego alio in opere, quod iamdiu serio meditor, de toto hoc argumento, volente Deo, fide summa & accurata diligentia acturus; interim Baronij vestigia persequens pro ratione instituti, ex vberrima messe pauca hîc delibabo.

XXIX. *Aditus ad primam partem huius disputationis. Cognitio rerum ex accurata cognitione nominum.*

IBIDEM.

ORditur Baronius disputationem suam ab enumeratione variarum appellationum, quæ sacramento Eucharistiæ reperiuntur attributæ. optimo sane consilio: sed quod minus feliciter est executus: nam & multa nomina prætermittit, & eorum quæ affert vim non explicat. Atqui cognitione cum primis digna res hæc est; pulcherrimæ θεωρίας & animaduersionum grauissimarum plena. Vt verissimũ hîc quoq; appareat illud Platonis in Gorgia, ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα. cognitionem nominum sequitur rerum ipsarũ cognitio. Sapiens quoq; Epictetus, vere & sapienter, ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. Galeni etiam vox est, libro tertio De simpl.

medic.fac. ἡ τῶν ὀνομάτων χρῆσις ταραχθεῖσα καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιταράττει γνῶσιν. *conturbatus nominum vsus, & rerum ipsarum cognitionem conturbat.* Vtinam oraculi huius veritatem, cum in alijs doctrinæ Christianæ capitibus, tum vel maxime in re sacramentorum, experientia non comprobasset. Quo diligentius faciendũ duximus, vt Cœnę Domini varias nomenclaturas non solum commemoraremus, sed etiam paullo diligentius expenderemus, atque exponeremus.

XXX. ΚΟΙΝΩΝΙΑ, Communio. *Eius appellationis caussa. quantum sit mysterium, & quam arcta fidelium cum Christo communio. quam varie illa exprimatur in Scripturis. Quomodo Christus hanc coniunctionem procurarit. eius desiderium adeo à natura insitum, vt eius vmbra tenuis sit in scriptis philosophorum. Organa in eum finem à Deo ordinata. Sacramentorũ in communi opere operationes diuersæ, & cuique propriæ. Ad communionẽ etiam reliqua sacramenta inseruire. Cur id nomen peculiariter attributum Eucharistiæ.* ἱεραρχικὰς τελετάς. ἱεροτελεστικὴ πραγματεία. *Locus Dionysij Areopagitæ illustratus. Baptismus cur proprie* φώτισμα. *Nicolai Cabasilæ sermones* De vita in Christo. Communio *olim, quod omnes communicarent.*

Anni XXXIV. Num. XLVII.

E Nominibus Sacramenti Eucharistiæ, quæ recensere hoc loco, numine propitio, instituimus, quædam sunt in Sacris literis diserte vsurpata; quædam è verbis in Scriptura positis deducta: plurima Patrum pietas adinuenit, & vsus Ecclesiæ comprobauit. Incipiemus ab ijs quæ extant in Scripturis; & quidem ab eo potissimum quod naturam & finem huius mysterij optime omnium explicat. Pauli verba sunt in priore ad Corinthios x. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν; *Calyx benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Non appellat Paulus Cœnam Domini Communionem, tanquam proprio eius nomine: sed vim & efficaciam Sacramenti huius exprimens, ait eam esse communionem, siue participationem corporis Christi: significans, Eucharistiam legitimo modo sumptam, instrumentum esse eius coniunctionis, per quam in corpus vnum cum filio Dei, Iesu Christo coalescimus, & cum cæteris etiam omnibus fidelibus, qui sunt omnes eiusdem corporis membra. In scriptis Patrum *Communio* est vnum è proprijs appellationibus

appellationibus huius sacramenti : quod quidem meritò sic appellatur : nam ipsa per se communio Ecclesiæ cum Christo, capite suo, etiam extra Eucharistiam considerata; magnum est sacramentum: propterea Paulus scribens ad Ephesios, cùm de ea loqueretur, erumpit in has voces; *Sacramentum hoc* (siue mysterium) *magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Id vero arcanum tantum est, vt sapientia illa Dei admirabilis, tunc primum verè innotuerit hominibus, sicut scribit idem Apostolus III. 9. eiusdem, quando ei placuit istud ipsum communionis huius mysterium, ab omnibus seculis in vno Deo absconditum, mortalibus palàm facere. Nam quid magis admirabile aut magis stupendũ, quàm iungi, atque adeo coalescere in corpus vnum, hominem cum Deo, creaturam cum creatore, mortalem cum immortali, finitum cum infinito, cœnum cum cœlo? Hoc maius est miraculum, quàm de nihilo mundum creasse. iure igitur exclamat Paulus, magnum esse hoc mysterium. Quod humani ingenij metas quum longe transcendat, solet Spiritus Sanctus, infirmitati hominum more suo condescendens, naturam, vim & efficaciam illius varijs modis exprimere. Aliquando dicitur Christus *sponsus*, Ecclesia *sponsa*, vt aliquot locis in Apocalypsi, & II. Corinth. XI, 2. Christus appellatur *maritus* Ecclesiæ suæ : quo pertinet epithalamium Psalmi XLIV. & illi sancti amores, qui describuntur in Cantico canticorum. Et vt Genes. II. 24. iubentur iuncti coniugio deserere patres & matres, vt adhæreant suis coniugibus : sic Lucę XIV. 26. negatur posse esse Christi discipulus, *qui non oderit patrem suum & matrem suam* : comparatè videlicet, præ Christo Ecclesiæ sponso. Aliquando dicitur Christus esse caput corporis, quod est Ecclesia, vt Ephes. I. 22. IV. 15. VI. 15. vbi etiam legas, pios κολλωμένους τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμα εἶναι, *ita arcta coniunctione Christo adhærere, vt vnus spiritus cum illo fiant.* ibidem, corpora Sanctorum appellantur *Templa Spiritus Sancti.* quomodo iam III. 16. dixerat, *Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* repetit hoc Paulus & in altera ad Corinthios; vbi dicitur Deus, non solum ἐνοικεῖν, *inhabitare in suis* : verum etiam ἐμπεριπατεῖν, *inambulare*, velut in templis suis nempe. Idem Apostolus sæpius asserit, Christum *fratrem nostrum esse*, siue vt loquitur Rom. VIII. 29. πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. dicit etiam aliquoties, fideles *Christum induisse*, vt Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. quò spectans dicebat Chrysostomus in XXI. Stratuarum; Christum suis esse non solum caput, domum, mensam, radicem, sed etiam vestem; quando in baptismo Christus induatur. Paulus verò alibi non solum esse electos *membra* Christi confirmat, sed cum hac adiectione, *è carne eius & ossibus eius.* Ephes. V. 30. Eodem spectat & concio Christi

in ſexto Iohannis, in qua toties repetit, fidelium ciborum proprium eſſe cibum carnem ſuam, & proprium potum ſanguinem ſuum: & quod apud eundem Euangeliſtam dicit Dominus, *ſe vitem eſſe, fideles palmites.* denique hæc coniunctio tam arcta eſt, vt non dubitarit Hilarius libro VIII. de Trinitate, naturalem Patris & Filij vnitatem aſſerens contra Arrianos, qui voluntatum eam eſſe vnitatem volebant, in exemplum adducere naturalem noſtri cum Chriſto vnionem, atque inde argumentum ducere; quæ tamen caute accipienda ſunt, nec præter auctoris mentem vrgenda. Porrò huius tam arctæ coniunctionis vt capax fieret homo, primum creatura; deinde creatura labe peccati infecta, ac proinde pœnis Inferni obnoxia, hoc conſilium iniuit profunda Dei ſapientia; vt Filius ipſius verus Deus, exinaniens ſeſe, & ſerui habitum induens, humanam carnem aſſumeret; & hoc amplius, morte ſua vitam nobis pareret, ac ſimul aditum ad inæſtimabilem illum honorem patefaceret, vt fiamus θείας κοινωνοὶ φύσεως, *diuinæ conſortes naturæ,* vt ſcribit B. Petrus, in ſecunda ſuarum l. 4. ſiue vt Iohannes ait initio Euangelij ſui, *vt nanciſceremur poteſtatem filios Dei fieri,* hoc eſt, deos: nam quis niſi Deus poteſt eſſe filius Dei? Itaque paſſim apud pios Patres legas, (qua de re poſtea pluribus agetur) electos in futura vita futuros deos: non vt veteres quidam hæretici, & patrum noſtrorum memoria execrandus Seruetus impio ſenſu, κατὰ μέθεξιν οὐσίας, participatione ſubſtantiæ, & ipſius deitatis: ſed quo ſenſu dicebat modò Petrus, *fore conſortes diuinæ naturæ*, & Paulus I. Corinth. IV. 8. συμβασιλεύσειν, cum ipſo regnaturos, & eo bono fruituros, quod ſicut idem ait I. Corinth. II. 9. *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* Hic eſt fructus admirabilis, quem in hac quidem vita leuiter deguſtant fideles, in futura vero pleniſſime ſunt percepturi, ex illa coniunctione ſui cum Chriſto, quam vocat Paulus μέγα μυστήριον. Quis pius hæc reputare & attente de ijs cogitare poteſt, quin cadat in faciem pronus, & Deum admirabundus exclamet, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Etſi autem, vt ante dicebamus, è Paulo, fuit hoc myſterium de communione hominum cum Deo, prorſus abſconditum, donec eſt cœlitus reuelatum: inſtinctu tamen naturę, etiam philoſophos rudis quędam eius ſuſpicio, ad rei deſiderium videtur commouiſſe. Nam Pythagorei primò, deinde Platonici, multa diſſeruerunt de ſupremo hominis bono, quod ſtatuebant in eo eſſe, vt Deo ſimilis euaderet ac tandem etiam Deus. quare etiam aureum quod vocant Pythagoræ carmen ita deſinit;

Ἢν δ᾽ ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ᾽ ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος Θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητός.

atque

atq; hunc etiam finem fuiſſe teletarũ paganicarũ poſtea oſtendemus. Sed philoſophi quidem ex primæuæ lucis reliquijs, balbutire de iſtis aliquid fortaſſe potuerunt: certi verò aliquid pronuntiare, aut viam indicare eò perueniendi, non potuerunt. Sacrę literę vtrumq; abunde præſtant: præmium pietatis, quod ne capiunt quidem humani ingenij anguſtię, ob oculos nobis proponunt: quæ item à Deo ſint eò perueniendi ordinata media, nos docent. Media porrò illa ſunt duorum generum: alia Deus porrigit nobis, Verbum ſuum nempe & Sacramenta; alia nos adhibemus, ſed gratis ab ipſo accepta, fidem videlicet; quam cœleſtibus beneficijs accipiendis, ſolam quaſi manũ hominibus à Deo eſſe conceſſam, omnes, credo, pij Theologi conſentiunt: nam de voluntate hominis, an & quatenus illa poſt acceptam gratiam Deo in hoc opere cooperetur, non eſt hic dicendi locus. Dicitur igitur Chriſtus habitare in nobis PER FIDEM, Epheſ. III. 17. & Chryſoſtomus in II. Timoth. homilia ſecunda differens de baptiſmo & Euchariſtiæ perceptione, τὸ πᾶν, ait, τῆς πίστεώς ἐστι. *totum opus eſt fidei.* iterum ibidem, πρὸς τὴν πίστιν τὴν σὴν τὸ πᾶν ἐνεργεῖται. & ſæpe alibi docet idem. Cyrillus quoque in defenſione anathemiſmi XI. contra Theodoretum, expreſſiſſimis verbis, vt & alij Patres Græci ac Latini paſſim. Et verbum & ſacramenta tendunt eodem, ſed diuerſis nonnihil vijs. Verbum Dei per miniſtros ipſius prædicatum, voluntâtem eius patefacit, promiſſiones declarat, vocationem proponit, gratiam ſpondet. Sacramenta eandem gratiam, propius, vt ſic dicam, animis noſtris admouent, & exhibent aliquantò efficacius. Sunt enim organa illius & veluti canales, pignora quædam futurorum bonorum, & hoc amplius fidelibus ſocietatem corporis vnius inter ſe colentibus, vſum pręſtant teſſerarum. Atque hæc quidem ordinaria ſunt inſtrumenta, quibus ad ſalutem hominum Deus vtitur: cæterum cauſſa efficiens, vnica eſt Spiritus Sanctus: cuius efficax gratia per Verbum & Sacramenta illam de qua diximus communionem cum Chriſto noſtram in nobis operatur. Sunt autem Sacramentorum diuerſæ inuicem operationes: nam etſi vnus eſt omnium finis, vnum opus: modis tamen operantur diuerſis. Itaque propria baptiſmi operatio, dicitur ἀναγέννησις, regeneratio, ſiue παλιγγενεσία: quia per ſalutaris baptiſmi aquam Adamo veteri morimur, nouus in nobis formatur, atque adeo ipſi creatura noua euadimus, vt loquitur Paulus Galat. VI. 15. qui etiam mutationem hanc quę fit in nobis per baptiſmum, μεταμόρφωσιν nominat, Rom. XII. 2. Patres vero, μεταποίησιν, μετάπλασιν, μεταστοιχείωσιν, & ſimilibus alijs nominibus. Euchariſtię propria operatio, manducatio eſt ac dicitur corporis Chriſti, & potus ſanguinis: ſiue vt loquitur

tur hîc Paulus communio corporis & sanguinis Christi. Nam vt per lauacrum regenerationis nascimur Christo: ita per manducationem mysticam magis magisque vnimur cum Christo, & fimus, vt dicebat Paulus, caro de carne eius, ossa de ossibus eius. Quam ob caussam hoc sacramentum dicitur per excellentiam *Communio*; quia hunc modum Christus instituit longe efficacissimũ, perficiendæ vnionis quàm arctissimæ inter sese & membra sua: itemque membris ipsis inter se: nam teste Paulo, vnum corpus multi sumus, omnes qui de eodem pane participamus. Fit sane illa communio, & per Dei verbum, & per baptismum: nihilominus tamen nomen *Communio* Eucharistiæ tribuitur ceu ipsi propria. Rationem affert Thomas hanc, Parte III. Quæst. LXXIII. art. IV. *Dicendum*, ait, *quod id quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur huic antonomastice propter excellentiam.* Sed longe vberius Dionysius Areopagita (verus an falsus; scriptor certe antiquissimus;) hanc quæstionem tractauit, Hierarchiæ Eccles. capite tertio. Proponit eruditus ille scriptor huiusmodi dubitationem: Quare nomina communia τῶν ἄλλαις ἱεραρχικαῖς τελεταῖς (Sacramenta ille sic nominat, quasi dicas, *sacras teletas* vel *initia*) nempe κοινωνία & σύναξις, de Eucharistia ἐξαιρέτως ἀνηγόρευται, *peculiariter vsurpantur*; ἑκάστης ἱεροτελεστικῆς πραγματείας. καὶ τὰς μερικὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συναγούσης, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν δωρουμένης. hoc est; *quum vniuscuiusque sacræ initationis operatio*, (id est, vnum quodque sacramentum, siue omnia sacramenta) *vitas nostras diuisas*; (id est, diuersis passionibus ac vitijs obnoxias: sic passim apud hunc scriptorem, diuisio aut dissectio in malam partem sumitur è Platonis & Platonicorum disciplina, atque illi coniunctioni opponitur, per quam fimus vnum cum Christo:) *ad deificationem reducat, per quam* VNI *assimilamur*; *& rerũ diuisarũ ad vnitatẽ Deo conuenientẽ contractione, communionẽ atq; vnionem nobis largiatur cum* VNO, id est, Deo, qui est vnus. Respondet autẽ Dionysius, Eucharistiam propterea appellationes omnibus Sacramentis communes sibi vindicare, quia reliqua, nempe baptismus & confirmatio, de quibus antè dixit, & ordinis sacramentum quod postea explicat, per Eucharistiam perficiantur: non enim perfectè illa tradita censeri, nisi accesserit Eucharistia, quasi cæterorum consummatio. Hoc propterea dicit Dionysius; quia in veteri Ecclesia baptismum & chrisma statim sequebatur Eucharistia: quam etiam infantibus, vt reliquis νεοφωτίστοις dabant. Addit, simillimum posse & in baptismo obseruari, quod φώτισμα *illuminatio* antiquæ Ecclesiæ dicebatur; quum tamen donum illuminationis etiam alia sacramenta conferant. Hæc Dionysius. Propria igitur huius sacramenti, quod

Communio

Communio dicitur operatio non eſt, ipſa communio, ſiue coniunctio noſtra cum Chriſto: ſed tantum modus inſeruiens illi coniunctioni, quem eſſe diximus, manducationem myſticam corporis Dominici, & potum eius ſanguinis. Quòd dicebamus, commune eſſe omnium ſacramentorum, operari noſtram cum Chriſto coniunctionem, adeo verum eſt; vt quidam è Græcis, quum de ſacramentis ſcriberent, titulum operi præſcriberent, Περὶ τῆς πρὸς Χριστὸν συναφῆς, *De coniunctione cum Chriſto*; ſiue, quod idem eſt, Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς, *De vita in Chriſto.* In Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca, volumen extat Nicolai Cabaſilæ, ſermones XII. continens, quorum ſeptem inſcribuntur Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς, in quibus agit auctor de ſacramentis; quæ ſunt illi, vt Ambroſio, Cyrillo Ieroſolymitano, & pleriſque veterum, qui de eo argumento ſcripſerunt ex profeſſo, tria numero, baptiſmus, Chriſma, ſiue confirmatio, & Cœna Domini. Exponitur in illis ſermonibus, quid & quo modo ſacramenta ſingula noſtram cum Chriſto coniunctionem operentur. Legi eum librum aliquando magna cum voluptate, & more meo Excerpta confeci nonnulla; ſed vtinam liber ipſe ederetur; dignus eſt enim quem non ignorent pij, ſiue ſtylum ſpectes, ſiue rem ipſam. Interim lemmata ipſa illarum ſeptem orationum, ſiue ſermonum, (λόγους ipſe dicit,) ſubijciam, vt tanto melius pius & eruditus Lector, id quod diximus intelligat.

α. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ἵνα τρόπον διὰ τῶν μυστηρίων τῷ Χριστῷ συναπτόμεθα.

β. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ἤτοι περὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος· ἵνα συντέλειαν παρέχῃ τῇ ἐν Χριστῷ ζωῇ.

γ. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ἢ περὶ τοῦ θειοτάτου μύρου· ἤγουν ἵνα συντέλειαν αὐτῇ δίδωσιν ἡ τούτου τελετή.

δ. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ἵνα συντέλειαν αὐτῇ τὸ ἱερὸν παρέχεται δεῖπνον.

ε. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ἢ περὶ τοῦ θυσιαστηρίου.

ϛ. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ἃ ποιοῦντας τὴν μεμυημένοι δυνήσονται φυλάττειν αὐτήν.

ζ. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς· ὁποῖος γίνεται ὁ μεμυημένος, τὴν ἀπὸ τῶν μυστηρίων χάριν φυλάξας, τῇ παρ' αὐτοῦ σπουδῇ.

Extat in ea quæ dicitur Bibliotheca Patrum Liturgiæ expoſitio, eiuſdem auctoris, & plane affinis argumenti. Redeo ad nomen *Communio.* Pachymeres, eruditus Dionyſij interpres, cauſſam aliam affert, cur Euchariſtia dicta ſit eo nomine: διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων: *quia primis temporibus omnes qui digni erant, myſterijs, id eſt, Cœnæ*

Domini

Domini participabant. Confirmat hoc etymum, quod ſcribit Chryſoſtomus in caput XI. prioris ad Corinthios, & ſæpius repetit, Cœnam Domini debere eſſe omnium communem: quoniam, inquit, ſi herus aliquis ſeruos ſuos conuiuio excipiat, non poteſt aliquis ſeruorum ſibi vni vindicare, quæ in commune ſunt omnibus propoſita. Hieronymus in caput XI. prioris ad Corinth. *Dominica cœna debet omnibus eſſe communis: quia ille omnibus diſcipulis ſuis qui aderant, æqualiter tradidit ſacramenta.* Summa eſt: Cœnam Domini dictam eſſe *Communionem*, primò, quia ſit organum noſtræ cum Ieſu Chriſto coniunctionis: deinde, quia fideles ipſos, eiuſdem membra, charitatis vinculo inter ſe adſtringat; poſtremò, quia omnibus fidelibus dignis in commune olim in ſynaxibus proponeretur. Poſtea igitur cum deficiente zelo populus Chriſtianus communicare deſijt, niſi ſemel in anno, vt toties queruntur Iohannes Chryſoſtomus, Iohannes Caſſianus, & alij; ſimul cepit, quę prius erat & dicebatur communio, fieri θέαμα καὶ ἄκουσμα, ſpectaculum & acroama; qua de re plura inferius.

XXXI. ΚΥΡΙΑΚΟΝ ΔΕΙΠΝΟΝ. COENA DOMINICA. *Locus Pauli expenditur, & cur Cœna ab eo dicatur Euchariſtia. Chriſti ἀρχισύμβολον δεῖπνον. Mos veterum prandere parce, cœnare laute. Cœnæ paganicorum ſacrorum.* δοχὴ de Cœna D. item conuiuium Domini, & Eccleſiæ. *Varie obſeruatā olim fuiſſe horam Cœnæ. Chryſoſtomi criminatio, & eiuſdem reſponſio.* Cœna Domini *dies ſolemnis. Agapæ.*

IBIDEM.

PAulus in priore ad Cor. XI. 20. Συνερχομένων ὑμῶν, ἐπὶ τὸ αὐτὸ οὐκ ἔστι Κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. *Conuenientibus vobis in vnum, hoc non eſt Cœnam Domini comedere.* Sunt interpretes nonnulli, qui vocant in dubium, an per κυριακὸν δεῖπνον, Paulus ſacramentum intelligat Euchariſtiæ. Syrus ſane Paraphraſtes, quem & Arabs vbique fere in Epiſtolis ſequitur, vtramque vocem in interpretatione ſua diſſimulauit. pro *Cœna* dixerunt vterque, *comeditis & bibitis.* at τὸ Κυριακὸν ſic expreſſerunt, quaſi ſcriptum inueniſſent (quod tamen non exiſtimo) κυριακικὸν, & ad τὴν κυριακὴν diem Dominicam retulerunt: fortaſſe ideo, quia primis temporibus Cœna Domini ſingulis diebus Dominicis celebrabatur. Cæterum Pauli verba omnino de myſtica Cœna eſſe accipienda, non videtur dubitandum: & miror Benedictum Iuſtinianum virum eruditum, in nuperis Commentarijs, expedire ſe ex illa dubitatione non potuiſſe. Atqui peccatum Corinthiorum, quod reprehenditur

ditur ab Apostolo, etsi proprie ad naturam & substantiam sacramenti huius non pertinebat; quia tamen occasione sacramenti admittebatur; & erat coniunctum cum venerandi mysterij contemptu & contumelia; in ijs nempe conuiuijs, quæ sacramento adijcere moris erat, exercendæ charitatis ergò; propterea Paulus, totam illam Corinthiorum actionem, quæ sacro & communi conuiuio constabat, à potiore parte vocat Cœnam Dominicam. Vere enim obseruat Chrysostomus, Paulum eo loco appellasse δεῖπνον *cœnam*, quod erat potius, si temporis rationem habeas, ἄριστον prandium. mane enim sine dubio Corinthi Eucharistiam celebrabant, quam sequebantur postea epulæ communes. caussam affert Chrysostomus, παραπέμπων αὐτοὺς ἤδη τῇ ἑσπέρᾳ καθ' ἣν τὰ φρικτὰ μυστήρια παρέδωκεν ὁ Χριστός, *vt remitteret illos iam inde ad illam vesperam, qua Dominus tremenda mysteria tradidit.* Hoc autem significat magnus ille Pater: quum pro vsu Ecclesiæ, quem ipsi Apostoli haut dubie instituerunt, communicandi mane ante vllum cibum sumptum, conuiuium illud cœleste dicendum esset ἄριστον vel ἀκράτισμα, prandium aut ientaculum: Cœnam tamen fuisse dictum, in honorem primæ institutionis, & eius quod Dionysius Areopagita vocat eleganter τὸ θειότατον καὶ ἀρχισύμβολον δεῖπνον. Gregorius Magnus in Euangelia, homilia XXXVI. aliam rationem reddit: *Hoc*, ait, *conuiuium Dei, non prandium, sed* COENA *vocatur; quia post prandium cœna restat; post cœnam verò conuiuium nullum restat: & quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit, vt hoc non prandium, sed Cœna vocaretur.* Fortasse etiam eius appellationis hæc quoque ratio reddatur non male; quod δεῖπνον maius est aliquid, quàm ἄριστον, & sacris epulis conuenientius. Nam veteres Græci & Latini prandebant parcè, & vt plurimùm soli cum suis; inuitationes ad cœnam fiebant. Cœna Domini, priuatæ epulæ non sunt naturâ suâ; sed publica quædam omnium fidelium inuitatio. Appositissime Plutarchus in hanc rem, problemate sexto, libro VIII. τὸ δεῖπνον φασὶ Κοῖνα διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι· καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. *Aiunt, Cœnam Romanis dictam, ob* κοινωνίαν, *communionem; veteres enim Romanos solos modice prandere solitos; cœnare verò vnâ cum amicis.* Photius obseruat, Paulum, quando dixit, ἕκαστος τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει, vsurpasse δεῖπνον pro ἄριστον, κατὰ τὴν τότε συνήθειαν: hoc, vt videtur significans, priscis temporibus omnia conuiuia fuisse appellata δεῖπνα, etiam quæ non fierent in fine diei. vel certe illud de quo Paulus loquitur ratione horæ diei prandium potius fuisse quàm cœnam. quare etiam Chrysostomus tomo v. p. 367. hunc locum tractans, ἄριστον appellat commune conuiuium, quod Paulus hic reprehendit, & δεῖπνον vocat. Sane

quum in multis paganicis ſacris epulę agitarentur; δεῖπνα illa fere nominari inuenias non ἄριστα. Sic in Oſchophorijs Athenienſium, inter alia miniſteria fuerunt mulieres quæ δειπνοφόροι dicebantur. Patres Euchariſtiam aliquando vocant δοχὴν, quo vocabulo epuli ſolemniorės apparatum denotari apparet è Lucæ XIV. 13. hinc apud Ignatium in epiſtola ad Smyrnæos δοχὴν ἐπιτελεῖν, pro Cœnam celebrare: etſi alij malunt ad Agapas veterum referre. Tertullianus vocat *conuiuium Dominicum* libro tertio ad vxorem. Ambroſius *conuiuium Eccleſiæ* lib. I. de Abel & Cain. Optatus libro V. *conuiuium, cuius totum dominium Dei eſt.* nonnulli *prandium.* Zeno Veronenſis ſermone ad neophytos, *Hortor vos natiuitatis tantæ feſta læto celebrare conuiuio; cœleſti prandio, honeſto, ſalubri atque perpetuo.* In veteri Tragœdia. *Chriſtus patiens*, verſu eodem & prandium nominatur & cœna. Sic enim, ait poeta, ſiue is fuit Apollinaris, ſiue Gregorius Nazianzenus: Μύσταις ἄριστον παραθεὶς, δεῖπνον μέγα. Ex epiſtola Auguſtini ad Ianuarium cognoſcimus, fuiſſe quaſdam in Africa Eccleſias, vbi Sacramentum celebrabatur fine diei: alias in quibus & ad mane & ad veſperam. mane quidem, vt videtur propter auctoritatem vniuerſæ Eccleſiæ, quæ jam inde à principio ea conſuetudine vbique fere eſt vſa, vt ſumatur Euchariſtia, non à refectis illa die, ſed à ieiunis: ad veſperam verò, vt poteſt intelligi ex Auguſtino, quia Paulus has epulas ſacras *Cœnam* vocauit; & quia ſcriptum eſt apud Lucam XXII. 20. *Similiter & calycem poſtquam cœnauit.* Quæ etiam fuerunt, vt arbitror, cauſſæ, cur illi Ægyptij, de quibus loquitur Socrates libro quinto, priuſquam ad myſteria accederent, laute cœnarent; ſacram vero cœnam circa veſperam ſumerent, παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθέντες, ait Socrates. Sed Patres ſolidas reddunt rationes, cur Dominus quidem in cœna, vel potius à cœna, hoc Sacramentum inſtituerit: nos verò eam temporis circumſtantiam ſeruare non debeamus, certe non teneamur. qua de re etiam Cyprianus agit in epiſtola ad Cæcilium. Narrat Chryſoſtomus in epiſtola ad Acacium, inter alias criminationes fuiſſe hoc quoq; ſibi obiectum, quod poſt ſumptum cibum communionem dediſſet; quam accuſationem ipſe vt grauiſſimum crimen à ſe amolitur: *Id ſi feci*, ait, ἀποβάλοι με Χριστὸς ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ. *ejciat me Chriſtus de regno ſuo.* mox tamen inimicos ſuos, qui inter depoſitionis ſuæ cauſſas hanc ponere non erubeſcerent, grauiſſime increpans; Chriſti exemplum affert, qui poſtquam cœnaſſet communionem tradidit. Καθελέτωσαν, inquit, ἰδοὺ τὸν Κύριον, ὃς μετὰ τὸ δειπνῆσαι τὴν κοινωνίαν ἔδωκε. Porro etſi Græci Latinique è ſuperiore loco Pauli hoc myſterium ſæpe nominent δεῖπνον & Cœnam Domini: ſæpe tamen in libris Latinorum aliud eo nomine ſignificatur, quàm

ipſum

ipsum sacramentum. Quum enim esset institutum, vt ille dies publica solemnitate celebraretur, quo die hoc mysterium à Christo fuit institutum; appellatio *Cœnæ Domini* ei festiuitati est indita. Vide Isidorum De officijs Ecclesiasticis libro I. cap. XXVIII. Eligius sermone XI. *Vocatur hæc festiuitas Cœna Domini, eò quod hoc die Dominus cœnauerit cum discipulis, eiusq́; Sacramentū corporis & sanguinis sui tradiderit.* & in XV. ait, *propter illam caussam, quintam feriam dierum Cœnam Domini ex antiqua Patrum consuetudine vocari.* In memorabili decreto Gelasij de libris Apocryphis, habes quæ fuerint eius ætate lectiones in Cœna Domini, quę item in Pascha Domini. Præter cœnam mysticam fuit primis Christianis in vsu aliud conuiuium, quod Tertullianus etiam *Cœnam* appellat, fuse describens Apologetici cap. XXXIX. vulgo *Agape* dicebatur, de quibus lege Chrysostomum & alios interpretes in superiorem locum Pauli, & Photium ac Balsamonem ad canonem XI. Concilij Gangrensis. Hæc cœna à mysterijs toto genere fuit diuersa: & postea templis est eiecta, ac tandem penitus sublata.

XXXII. *Digreßio: respondetur Maldonati disputationi, qua probare voluit, neque in Scripturis, neque apud Patres nomen* CŒNA *reperiri vsurpatum de sacramento Eucharistiæ: quorum vtrumq́; falsum esse probatur. Ostenditur quanta pestis sit in religione studium partium. Probatur omnia falsißima esse, quæ in ea disputatione affirmauerat Maldonatus. Obiter perstringitur Iesuita Cretensis.*

IBIDEM.

HIc ego facere non possum, quin Christianos & vere pios Lectores sub illustri exemplo commoneam, quantum sit hodie malum vbi de veritate agitur in caussa religionis, ex odio personarum nata pertinacia, & illa quam antè nominabamus è Basilio, ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, immoderatam cupiditatem trahendi omnia in partem contrariam; quod vitium plane contrarium est illi συγκαταβάσει & condescensioni Christianæ, quam tot locis pij Patres commendant. Cuius alibi quum mentionem fecissemus, à parricidarum magistro Cretensi Eudæmonoiohanne, certissimo Satanæ ministro, ridiculis conuitijs excepti sumus: quasi nihil esset aliud συγκατάβασις, nisi proditio veritatis, & totius religionis Christianæ abiuratio. Homo væcors & imperitus nescit, quo sensu tot pijssimi Patres condescensionem in disputationibus de religione laudauerint. nos enim cum Patribus & loquimur & sentimus. Sed omitto feram illam truculentam, nihil nisi Regum parricidia vel in Iouis patria, vel in vrbe septicolli

edoctam. Occaſionem inuehendi in me Cretenſis Alaſtor arripuit ex eo, quod dixiſſem deſiderare me in nonnullis Ieſuitarum moderationem aliquanto maiorem & non adeo præfractum, ſed pia συγκαταβάσει temperatum, animum. Non defuiſſe mihi iuſtam cauſſam cur illa dicerem, vel ex ijs lectori conſtabit, quæ hic ſumus dicturi. Nam quum inter Proteſtantes conſuetudo illa inualuerit, vt ſacramentum Euchariſtiæ *Cœnam Domini* plurimum appellent; auſus eſt Iohannes Maldonatus diræ impietatis propter huius nominis vſurpationem illos arceſſere. Longa igitur digreſſione ad Matth. XXV. 26. demonſtrare conatus eſt, vocabulum COENA de ſacramento neq; in Scripturis vſquam extare, neque à Patribus vnquam vſquam eſſe vſurpatum. quinetiam affirmat idem, *Patres nefas duxiſſe hoc ſacramentum vocare Cœnam. Caluiniſtæ verò*, inquit, *ſine Scripturæ auctoritate, ſine veterum auctorum exemplo, ſine ratione, nullo iudicio Cœnam vocant.* ibidem inter alia horrenda figmenta de ijs quos oderat, illud ſane palmarium eſt, quod affirmat, *Caluiniſtis nefas videri aliter loqui.* En quò præcipitem egerit hominem doctum & ſine controuerſia acerrimi ingenij, immoderatum partium ſtudium, & τῆς ἀνθολκῆς ἡ ἀμετρία. Mentem, doctrinam, rationis vſum, & omnem pietatis ſenſum, cùm illa ſcriberet videtur amiſiſſe. Falſum eſt non extare in Scripturis nomen *Cœna* de cœna ſacra & myſtica. Falſiſſimum eſt, non legi apud Græcos Patres aut Latinos Euchariſtiam ita vocatam. Scimus & antè diximus, non vno modo locum Pauli ab interpretibus ſolitum exponi: ſed vtut exponatur, ſemper verum erit, antiquos Patres verba Apoſtoli *Cœnam Dominicam edere*, accepiſſe de ſacramento & ſacra Cœna, non communi. Chryſoſtomus in eum locum, κυριακὸν δεῖπνον interpretatur τὸ δεσποτικὸν, *herilem*, ſiue τὸ τοῦ δεσπότου, *cœnam heri noſtri*: quis autem dominus, aut herus noſter præter Chriſtum? dicit etiam eo nomine innui τὰ φρικτὰ μυστήρια, *tremenda myſteria.* quare certo certius eſt, auctore Chryſoſtomo, Paulum eo loco nomine δείπνου *Cœnam*, id eſt, Sacramentum Euchariſtiæ intellexiſſe. Itaque idem Pater paullo poſt, *menſam Domini*, item, *Cœnam Domini & myſteriorum communionem*, pro eodem vſurpat. Scribit etiam ibidem, *Cœnam Domini* eſſe, facere quod iubet Paulus *mortem Chriſti annuntiare*: quis autem ſanæ mentis dubitat, illa Pauli verba aliò quàm ad Sacramentum Euchariſtiæ referri non poſſe? Chryſoſtomo alij Græci interpretes aſſentiuntur: nam Benedictus Iuſtinianus, qui de nonnullis contrarium affirmat, neque Chryſoſtomi, neq; aliorũ verba diligenter expenderat. Photius quidem verba Pauli explicans, quaſdã commemorat cœnas communes, quas ait etiam κυριακὰ δεῖπνα fuiſſe dicta. idem tamen cùm dicit numero ſingulari & cum

articulo

articulo τὸ κυριακὸν δεῖπνον, sacramentum sine dubio intelligit; vt cùm ait; οὐκ εὐθὺς εἰς τὸν περὶ τοῦ Κυριακοῦ δείπνου λόγον εἰσῆλθεν· ἀλλ' ἄνωθεν ἐκκόπτει τὸ κακόν. Theodoretus in idem Pauli caput, Κυριακὸν δεῖπνον τὸ δεσποτικὸν καλεῖ μυστήριον: mox addit de Paulo: *ostendit communes cœnas, cum cœna Dominica pugnare ex diametro.* Chrysostomus tomo v. Sauilianæ editionis, in homilia super Pauli verbis, *oportet hæreses esse*, proponit hanc quæstionem; cur Paulus malum morem reprehensurus in communibus conuiuijs admitti solitum, mentionem injecerit φρικτῶν μυστηρίων. atque in eo sermone Κυριακὸν δεῖπνον manifestissime interpretatur de S. Eucharistia. Idem Pater tomo VII. ad scandalum passos, p. 26. ὁ τραπέζης κοινωνήσας μυστικῆς, ὁ δείπνου μεταχὼν φρικωδεστάτου. In secunda oratione Nazianzeni leges δεῖπνον λαμπρὸν *cœnam splendidam Euangelicam*; & sunt viri docti qui referant ad Cœnam Domini: in his etiam Benedictus Iustinianus. ego non existimo de sacris mysterijs ibi loqui Gregorium. Dionysius Areopagita, capite III. Ecclesiasticę Hierarchiæ, quo loco agit de Cœna Domini, actionem Christi in qua Cœnam suam instituit, nominat θειότατον δεῖπνον καὶ ἀρχισύμβολον: vbi obseruat Maximus, *Cœnam* appellari Dionysio ipsa mysteria. Σημειῶσαι, ait, ὅτι ἀρχισύμβολον ἔφη τὸ μυστικὸν τοῦ Κυρίου δεῖπνον τῶν θείων μυστηρίων. ibidem, & apud Pachymerem, alterum interpretem, atque etiam apud alios Patres Græcos, δειπνεῖν *cœnare* de participatione mysteriorum vsurpatur. In disputatione de Paschate veterem scriptorem produximus, cuius sunt huiusmodi verba de Christo sua mysteria instituente, τὸ ἴδιον δεῖπνον ἔφαγε. Protulimus etiam Cabasilæ verba τί τὸ ἱερὸν δεῖπνον conferat ad vitam in Christo. & sæpe in eius scriptis δεῖπνον κυριακὸν, aut μυστικὸν, aut ἱερὸν δεῖπνον Eucharistia appellatur. Liber de cœna Domini, qui habetur inter opera Cypriani, non tamen est Cypriani, sed mediæ vetustatis scriptoris cuiusdam, vt legi in manuscripto codice illustris Bibliothecæ Oxoniensis. Mihi tamen videtur is liber etiamsi Cypriano falso ascribatur, maiorem sapere vetustatem, quàm multis placeat. Is igitur liber inscribitur *de cœna Domini.* qui interpretantur eam ἐπιγραφὴν de festiuitatis illius die, quæ dicta est Cœna Domini, ne vnum quidem in toto libello verbum possunt deprehendere, quod ipsorum faueat sententiæ. quum tamen in omnibus eius argumenti orationibus, quales sunt inter opera Bernardi sedecim, aut septemdecim, & apud alios multos, aliqua, vt plurimum, festiuitatis commemoratio fieri soleat, cuius caussa sunt scriptę. quare sine dubio in libelli Cypriano adscripti inscriptione *Cœna Domini* est ipsa Eucharistia. Hieronymus in verba Pauli: *Dominica cœna debet omnibus esse communis.* COENA *autem ideo dicitur, quia Dominus in Cœna tradidit sacramenta.*

menta. B. Augustinus epistola CXVIII. *Apostolus alibi dicit; Conuenientibus ergo vobis in vnum, non est Dominicam cœnam manducare. hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam cœnam vocans.* Gregorij Magni locum paullo ante attulimus, quo idem expressis verbis affirmatur. Innocentius III. Mysteriorum Missæ lib. IV. cap. XII. *Quæri solet quale corpus suum Christus dedit in Cœna, mortale an immortale, passibile an impassibile.* Bernardus, siue alius Bernardo fortasse antiquior, in sermone de Cœna Domini, editionis vltimę p. 1679. *Christus in cœna illa munerans & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatio.* mox. *Sane in mensa vna in Cœna Domini, de vno pane consecrato Petrus & Iudas accepit, bonus in vitam, pessimus in pœnam.* In Humberti Syluæ candidæ Episcopi disputationibus habitis Constantinopoli; & in ipsius Humberti verbis, & in oratione illius Græci qui cum ipso disputat, sæpe Eucharistia nominatur aut *mystica cœna*, aut etiam simpliciter *cœna*. Eckbertus aduersus Catharos, sermone vndecimo: *Olim Christus in Cœna sua inconsumpto & integro corpore coram discipulis sedebat ea hora, qua manducabant corpus eius.* Atque hæc satis: plura enim congerere testimonia nihil attinet. Iam tu pie Lector iudicabis, quo spiritu ferretur Maldonatus, cum odio Protestantium adductus, adeo asseueranter affirmauit, Patres nefas duxisse sacramentum Communionis vocare *Cœnam.* Baronius longe modestior, qui fatetur veteribus nomen *Cœna* vsurpatum fuisse pro Eucharistia: *licet*, inquit, *ea voce vt alijs abuti soleant Nouatores.* At nos illis non patrocinamur, si qui sunt, qui abutantur; qua de erit alius dicendi locus. Sed si verbum Apostolicum reuocasse in vsum, alicuius nouitatis suspicionem mouet: obsecro, cuius criminis debent esse suspecti, quos tædet cum Apostolis loqui? Sed Baronius, qui propositum habebat Communionem sine communicantibus, Missas priuatas, & eiusmodi crassos & recentes abusus alios defendere; non ferebat æquo animo vocabula antiqua & Apostolica ex alta obliuione retrahi in lucem, quæ vere antiquæ & Apostolicæ doctrinæ desiderium in vtentium animis poterant excitare. Hinc illæ lacrymæ. Hinc illa Maldonati vitrea bilis, vel potius furor δαιμονιώδης. Nam quod affirmat idem Protestantes nefas ducere sacramentum hoc aliter vocare quàm *Cœnam*; mera calumnia est, merum mendacium. Inspiciantur vel obiter Protestantium Confessiones: reperientur ibi cum aliæ mysteriorum appellationes, tum præsertim hæ duæ non rarò *Communio & Eucharistia.* Inspiciatur Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia, vbi multo crebrius occurrit appellatio *Holy Communion* quàm *Lords Supper.*

XXXIII. ΕΥΛΟΓΙΑ. Benedictio. *quid significent* εὐλογεῖν *&* εὐχαριστεῖν *in S. Cœnæ institutione.* Cos hillel *in conuiuio Paschali. Voces & locutiones vsitatæ in hoc sacramento,* benedicere, ἁγιάζειν, sanctificare, ἁγιασμὸς *in vsum communem aut diuinum.* τὰ ἁγιάσματα. ἄρτον ποιεῖν *apud Iustinum.* Conficere corpus Christi; *siue,* sacramentum corporis Christi, *aut* similitudinem corporis Christi. συμβόλων δημιουργὸς *Christus. idem,* corpus suum facere, *aut* creare *dicitur. Vis benedictionis sacramentalis. quo sensu dicatur Sacerdos* conficere corpus Christi; *quum elementorum sanctificatio fit à Domino.* ποιεῖν σῶμα Χριστοῦ *in Liturgijs.* ἀναδεῖξαι, *&* ἀνάδειξις *panis Eucharistiæ apud Basilium. Eius liber contra Pneumatomachos male suspectus Erasmo.* ἀναφαίνεσθαι *de hoc sacramento. Vocis* εὐλογία *in hoc argumento varia acceptio.* Eulogia. *Mos mißitandi eulogias: item dandi non communicantibus.* δῶρον. ἀντίδωρον. κλαστόν. κατάκλαστον.

IBIDEM.

PAuli verba sunt, I. Corinth. x. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν. *Calyx benedictionis, cui benedicimus.* de cœna Domini loquitur. εὐλογία igitur est ipsum Eucharistiæ sacramentum. & ita postea hæc vox est accepta. Euangelistæ & Apostolus Paulus in explicanda horum diuinorum mysteriorum institutione, duobus verbis promiscue vtuntur, ad declarandam Domini actionem, εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν; ex quibus verbis duo huius sacramenti nomina originem habuerunt, *Eulogia,* & *Eucharistia.* Vtraque vox à parte vna totam Domini actionem designat. Nam Christus in eodem actu, & Deum Patrem laudauit, & gratias illi egit, & hoc amplius panem sanctificauit, hoc est, consecrauit in vsum Sacramenti, vt esset in mysterio corpus, siue caro & sanguis Christi, sicut ipse ostendit cùm dixit, *Hoc est corpus meum.* Tot effectus diuersi, saltem ratione, vno verbo exprimi quum nequeant; & Scripturæ & Patres varijs nominibus ac locutionibus tantum mysterium expresserunt. Docent igitur nos tres Euangelistæ & Paulus, Dominum panem sumpsisse, ac deinde vinum, & vtrumq; εὐλογῆσαι, siue εὐχαριστῆσαι, antequam traderet discipulis. Qua in historia hoc primum obseruare iuuat, quomodo Filius Dei vmbras Legis ad veritatem traduxerit. Mos enim fuit populo Iudaico, conuiuium illud in quo edebatur agnus Paschalis, poculo claudere, quod dicebatur כוס הלל ποτήριον ὑμνήσεως, vel vt Paulus loquitur, ποτήριον τῆς εὐλογίας: poculum

poculum laudis. nam εὐλογεῖν etiam laudare significat; quò respexit Syrus interpres, cùm verba Pauli ita vertit, בסא חר דתורדיתא *poculum laudationis.* & in Græcis Liturgijs non vno loco dicitur hoc sacramentum θυσία αἰνέσεως. *sacrificium laudationis.* Dicebatur poculum illud Iudaicum, & כוס של ברכה *poculum benedictionis.* quomodo etiam exponitur ποτήριον εὐλογίας apud Paulum. εὐλογεῖν, siue *benedicere* hac notione idem sunt atque ἁγιάζειν, *sanctificare*; quę vocabula pro ratione rei de qua vsurpantur, debent exponi. Aliquando de ijs rebus dicuntur, quę sanctificantur ad vsus humanos: vt apud Paulum, I. ad Timoth. IV.4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reyciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & actionem.* nam ibi loquitur de cibis corporalibus. Aliquando dicuntur eadem verba de ijs rebus quæ sanctificantur ad vsus diuinos. Sic passim apud Patres aqua baptismi dicitur εὐλογεῖσθαι, ἁγιάζεσθαι, benedici, sanctificari, consecrari, in vsum sacri lauacri. Sic ergo & panem Eucharistiæ Christus εὐλογήσας ἔκλασε. Pro quo dicitur & ἁγιάζειν. *sanctificare* passim apud Patres Gręcos & Latinos, nempe in vsum sacramenti. vnde τὰ ἁγιάσματα, vnum è nominibus Eucharistiæ, de quo postea dicetur. Iustinus in dialogo cum Tryphone dixit, ἄρτον ποιεῖν. *panem facere*, vel *conficere*, hoc est, Christi exemplo εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν, benedictione & gratiarum actione consecrare in Sacramentum corporis Christi. *Similæ oblatio*, Iustinus ait, *figura erat panis Eucharistiæ*; ὃν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους οὗ ἔπαθεν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ Κύριος ἡμῶν παρέδωκε ποιεῖν; *quem in memoriam passionis suæ Dominus noster tradidit (præcepit,) facere.* alludit Iustinus voce ποιεῖν ad vocem Christi apud Paulum I. Cor. XI. 24. Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Hoc facite in meam, siue, mei recordationem.* Latina Ecclesia in eam rem verbum *facere* interdum vsurpauit. vnde est apud Augustinũ, de Trinitate, lib. III. cap. X. *panis ad hoc factus*, hoc est consecratus: sed eadem plurimum frequentauit verbum *conficere.* vnde est apud Latinæ linguæ Patres de sacerdotibus vsu tritissima phrasis, *conficere corpus Christi*, pro eo quod dixit Iustinus ἄρτον ποιεῖν, *panem facere*, vel *conficere.* Hieronymus ad Heliodorum, de Sacerdotibus loquens, *qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus ore sacro conficiunt.* idem ad Euagrium: *ad presbyterorum preces, Christi corpus sanguisq; conficitur.* & ita passim apud Latinos Patres. Quid est *conficere corpus Christi*? est conficere sacramentum corporis Christi. nam vtroque modo loquuntur Patres, nullo discrimine. Ambrosius, de ijs qui mysterijs initiantur, cap. IX. *Hoc quod conficimus corpus ex Virgine est.* idem De sacramentis lib. IV. cap. IV. *vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi.* mox. *Ergo sermo Christi*

sti hoc conficit sacramentum. Arnobius in Psalmum CXXXIX. *Quid tam magnificum, quàm sacramenta diuina conficere?* dixerunt etiam *conficere symbola corporis Christi*, pro eodem: sicut apud Dionysium Areopagitam dicitur Christus ὁ τῶν συμβόλων δημιουργός. item, *signa*, vel *signacula*, vel ἀντίτυπα, *corporis Christi*, aut *similitudinem*: sicut dixit Ambrosius ibidem, *mortis similitudinem sumere*, & *similitudinem pretiosi sanguinis bibere.* Sic accipiendum quod legitur apud Patres, Christum *corpus suum facere*, vt apud Tertullianum lib. IV. contra Marcionem: id est, *figuram corporis sui* inquit ibidem Tertullianus. vel *creare corpus suum.* in libello De cœna Domini sub nomine Cypriani: *Dominus vsque hodie hoc veracissimum & sanctissimum corpus suum creat: & sanctificat, & benedicit.* ipsum quidem Domini corpus semel in vtero gloriosæ Virginis creatum, conceptum & formatum, atque ex eadem postea natum, neque vnquam esse desijt, neque iterum fuit vnquam creatum. Creat igitur corpus suum Christus, quando, sicut loquitur Beda, *creatura panis & vini transit in sacramentum corporis Christi.* siue quod idem est, quando Christus virtute sua panem & vinum immutat vt fiant sacramenta corporis sui. Vis enim benedictionis in hoc sacramento ea est, vt res natura sua communes & sensibus corporeis perceptibiles, τῇ προσθήκῃ τῆς χάριτος, vt loquitur Theodoretus, & postea pluribus exponetur, id est, post accessionem gratiæ, mysterium contineant suo modo, & significent, quod sola mente concipitur, sola fide percipitur. Ideo dicebat Hesychius in Leuitici caput XXII. 14. sanctificationem mystici sacrificij, & mutationem, esse *à sensibilibus ad intelligibilia translationem.* Hoc voluit Augustinus, qui tot locis distinguendum monet inter sacramenta corporalia, quæ ipse definit, *signacula rerum diuinarum visibilia, & inuisibilem gratiam*, siue *donum spirituale*, quod per sacramentum exhibetur. vt in libris De doctrina Christiana, De catechizandis rudibus, contra Faustum lib. XIX. in Iohannem & sæpe alibi. Porrò etsi dicitur etiam Patribus Sacerdos *conficere corpus Christi*, vel *sacramentum corporis Christi*; proprie tamen loquendo, non Sacerdos, sed Christus ipse est, qui totum illud mysterium conficit, sicut alio loco pluribus exponemus ex Augustino, & Chrysostomo, & alijs Patribus. Vide ad num. Bar. CXCVII. Præclare Eckbertus contra Catharos, sermone XI. *Quod dicitur Sacerdotes corpus Domini facere, siue conficere, quod idem sonat in laico sermone, non ita intelligimus, quod ipsi corpus Domini quasi de nouo creent, & ei essentiam dent: sed eorum facere, nihil aliud ibi est, nisi quod super illud visibile sacrificium, quod in altari est, faciunt officium suum, & dicunt orationes & benedictiones & statuta signa faciunt, & tunc virtute diuina præstatur, vt sit ibi verum corpus Domini, & verus sanguis eius, vbi prius nihil aliud erat,*

nisi panis & vinum. Illud ergo opus sacerdotum, quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, vt ipsi dicantur FACERE CORPVS DOMINI: *& est fortasse sumptus hic modus loquendi, ex eo quod Dominus tunc dicebat, Hoc facite in meam commemorationem.* In Ecclesiæ Græcæ Liturgijs, verba εὐλογεῖν & ποιεῖν FACERE, non Sacerdoti tribuuntur, sed Deo: vt in Chrysostomiana, εὐλόγησον ὦ δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον. ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου. In Basiliana oratur Deus, *vt Spiritum Sanctum suum immittat* ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι, *in proposita dona & illa benedicat, sanctificet, atque ostendat,* siue *efficiat,* nempe corpus Christi. Quærunt eruditi viri, quid sit ἀναδεῖξαι in hoc Basilij loco. Quidam referunt ad panis consecrati eleuationem, cùm populo ostenditur. Græci in eius ritus mentione κουφισμὸν & ὕψωσιν, vel ἀνύψωσιν appellant, vt Iohannes Damascenus, Maximus monachus, & Anastasius Sinaita. Alij interpretantur ἀναδεῖξαι ostendere aliquo effectu præsentiam suam; quæ est Bellarmini etiam sententia, libro IV. de sacramento Eucharistiæ, cap. XIV. & quidem ἀναδεικνύειν non male potest exponi ostendere, vel etiam attollendo ostendere. Verùm ex alio einsdem Basilij loco discere est, fuisse id verbum alio sensu vsurpatũ ad denotandam illam partem Liturgiæ, quæ pertinet ad panis & vini consecrationem. Locus Basilij est in capite XXVII. libri ad Amphilochium de Spiritu Sancto. Nam vt hoc obiter dicam, magno Erasmo non assentior, qui partem postremam eius libri suspectam habuit: parum memor, Iohannem Damascenum bis eius meminisse & τριακοντακέφαλον librum nominasse; quia in capita diuisus esset triginta, vt hodieq; diuiditur. Omitto nunc graues alias caussas quæ me mouent. Basilius igitur in eo libro ritus sacros aliquot commemorans, non è Scripturis deriuatos, sed Apostolica traditione acceptos, inter prima exempla ponit, τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας. *Verba quæ pertinent ad inuocationẽ super ostensione, hoc est, confectione panis Eucharistiæ & poculi benedictionis.* quis potest dubitare, præsertim si totũ locum legerit, ἀνάδειξιν, hoc loco esse confectionẽ sacramenti Eucharistiæ? & sciunt periti Grçce ἀποδείκνυσθαι, atq; ἀναδείκνυσθαι sçpe non ostensionẽ rei alicuius significare, sed effectionẽ: & quidẽ solent de rebus magnis illa verba vsurpari, vt in principio mellitissimi Herodoti, ἔργα μεγάλα καὶ θωϋμαστὰ ἀποδεχθέντα. Quare dubitari, mea quidem sententia, non potest, quin ἀναδεῖξαι in Liturgia Basilij, id sit, quod Hieronymus, Augustinus & alij Patres Latini dicunt *conficere corpus Christi;* siue, *sacramentũ corporis Christi.* Obseruabamus non dissimile verbũ in eadẽ re apud alios Patres, ἀναφαίνεσθαι, quasi dicas, repente existere, & conspiciendum

ſpiciendū ſe dare. docent enim Patres, ad Sacerdotis inuocationē, per Spiritus Sancti operationē, elementa ſanctificari, ſic vt quę prius erant tantum panis & vinū, iam incipiant dici & eſſe in myſterio corpus & ſanguis Chriſti: propterea dicunt ijdē, Chriſtū apparere in Euchariſtia, & videri: nempe oculis fidei, vt diſerte exponit Chryſoſtomus libro tertio de ſacerdotio. ποιοῦσι δὲ τοῦτο πάντες διὰ τῶν ὀφθαλμῶν τῆς πίστεως. *hoc omnes faciunt*, (vt videant ipſum Chriſtum,) *per oculos fidei*; ſed hæc vberius infra exponentur. Hæc igitur eſt Baſilij ἀνάδειξις; hoc aliorū Patrum ἀναφαίνεσθαι. Hippolytus Martyr, in libello De conſummatione mundi: τὸ τίμιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις οὐκ ἀναφανήσεται. *non exiſtet illis diebus pretioſum corpus* & *ſanguis Chriſti.* id eſt, non conficietur ſacramentum Euchariſtiæ; & vt ſtatim ipſe ſubijcit, λειτουργία σβεσθήσεται). Verbum *conficere* non de ſolo communionis ſacramento Latini vſurparunt; ſed etiam de alijs ſacramentis: vt *conficere oleum*, nempe in vſum Chriſmatis, apud Optatum libro ſeptimo: ſicut apud Iuſtinum *conficere panem*, quod antè expoſuimus. Oecumenius verbo κατασκευάζειν vſus in locum Pauli ſuperiorem: ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν· οἶδας ὃ λέγω. Igitur εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν, ἁγιάζειν, ποιεῖν, κατασκευάζειν, ἱερουργεῖν τὸ ἅγιον σῶμα, vt in Liturgijs, vel ἱερατεύειν τὸ σῶμα Κυρίου, vt in Aſceticis apud Baſilium, ἀναδεικνύειν, ἀναφαίνειν, *benedicere, ſanctificare, conſecrare, conficere, creare*, vel vt loquitur Auguſtinus apud Gratianum De conſecratione, diſtinct. II. can. LXXII. *in myſterio potentialiter creare*, item, *in vſum religionis aſſumere*, & ſimilia vocabula pro eodem vſurparunt veteres; cùm actionem Sacerdotis intelligerent, per quam hoc ſacramentum paratur, & res ſenſiles fiunt intelligibiles; quæ eſt maxima mutatio, vt ſuo loco infra declarabitur; vbi illa verba Patrum exponentur μεταβολή, μεταποίησις, μεταστοιχείωσις & ſimilia, quæ hodie contra auctorum veterum mentem, ad ſtabiliendam Tranſſubſtantiationem, vulgo trahuntur. Porrò nomen εὐλογία, aliquando ſimpliciter pro Euchariſtia acceperunt: vt apud Cyrillum in epiſtola ad Caloſyrium, ἀκούω ὅτι ἀπρακτεῖν φασὶν εἰς ἁγιασμὸν τὴν μυστικὴν εὐλογίαν. idem in Iohannem lib. XII. cap. XXXIX. aliquoties coniungit τὴν μυστικὴν εὐλογίαν & τὸ ἅγιον βάπτισμα. Sic εὐλογίαν γάμου cùm dicunt, totum ordinem intelligunt conſecrandi nuptias, cuius pars erat ſacramentum Euchariſtię, ſicut hodiéque eſt in multis locis, & in Eccleſia etiam Anglicana. Aliquando εὐλογίαι dicuntur ſingulæ hoſtiæ, vel particulæ, quæ communicantibus porrigebantur. Sic accipe apud Cyrillum in epiſtola ad Neſtorium, Concilij Epheſini, pag. 80. edit. Germ. προσιέμεθα τοίνυν ταῖς μυστικαῖς εὐλογίαις, καὶ ἁγιαζόμεθα. Clemens, Conſtitutionum libro octauo, ταῖς προσαπευούσαις ἐν τοῖς μυστικοῖς εὐ-

λογίας τὰς διάκονοι διανεμέτωσαν τῷ κλήρῳ. *quæ fuerint reliquæ benedictiones,* id eſt, particulæ ſiue buccellæ panis conſecrati, *eas diaconi Clero diſtribuunto.* Maximus in Dionyſij Hierarchiam Eccleſ. cap. III. ἢ τάχα τὸν κυφισμὸν καὶ τὴν ὕψωσιν τῆς μιᾶς εὐλογίας τοῦ θείου ἄρτου φησί. hîc μία εὐλογία eſt vna particula panis conſecrati. iterum idem, κυφίζων ὁ ἱεράρχης τὸν ἅγιον ἄρτον ἐδείκνυ τὴν εὐλογίαν, λέγων τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Appellarunt etiam εὐλογίας partes conſecrati panis, quas moris erat in primitiua Eccleſia mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos ἐπιδημοῦντας, declarandæ dilectionis ergo, & conſenſionis in fide. Euſebius in quinta Hiſtoria cap. XXVI. πέμπειν εὐχαριστίαν, id dixit. Poſtea illa conſuetudo fuit prohibita; extatque ſumma canonis Concilij Laodiceni, in hæc verba etiam apud Balſamonem. Περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ Πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας μεταπέμπειν. vbi notat Scholiaſtes, fuiſſe olim moris, miſſitare huc illuc ſancta myſteria, ſiue panem ſanctificatum in vſum myſteriorum, quod hoc canone prohibetur. Similiter etiam Latini *Eulogias* dixerunt fruſta panis benedicti quidem, ſed non in vſum Euchariſtiæ; qui & mittebatur ad abſentes, vt ſæpe legitur in epiſtolis Auguſtini & Paulini; & ſacris peractis à Sacerdote, *dabatur ijs qui communicare non fuerant parati,* vt eſt in decreto, quod Pij primi nomine circũfertur. Dabantur eędẽ Eulogię & Catechumenis, qui ius ſumendæ Euchariſtię non habebant. Itaque hoc illis erat loco ſacramenti: atque adeo ſacramentum quoddam hoc illis erat: nam ita diſerte appellat Auguſtinus libro II. De peccatorum meritis & remiſſ. cap. XXVI.. laxiore videlicet notione, quia precibus ſanctificabatur. Ac propterea panem illum vocarunt etiam ἀντίδωρον, quoniam locum obtinebat δώρου, id eſt, S. Euchariſtiæ: hoc namque ſignificat τὸ δῶρον, vt poſtea dicetur. Extremæ Baſilij Liturgiæ, ſubiecta ſunt hæc verba; μετὰ τὴν εὐχὴν ἐξέρχεται ὁ ἱερεὺς καὶ δίδωσι τὸ ἀντίδωρον. *poſt vltimam Liturgiæ precationem, exit Sacerdos, & dat panem benedictum.* Dixerunt eundem panem & κλάστον aut κατάκλαστον, propter fractionem, quam videntur in eo diuidendo obſeruaſſe, ſicut obſeruabatur in Euchariſtiæ diſtributione. Exempla aliquot protulit vir doctiſſimus & amiciſſimus, Iohannes Meurſius. Extat vero ea vox in Canonico Iure Græcorum non ſemel; vt in Demetrij Chomateni Reſponſionibus apud Leunclauium p. 320. vbi quæritur, an Græcus Sacerdos Latino qui ſacris interfuiſſet, debeat μεταδοῦναι κατακλάστου, *dare partem panis benedicti.* Sunt qui obſeruent non ſolum panem benedictum ſub nomine Eulogiarũ fuiſſe olim miſſitatum; ſed etiam alia nonnulla, vt ſalẽ & vinũ. Conſtat conſuetudinem mittendi Eulogias diu fuiſſe in Gallijs frequentatam; ſicut teſtantur ſcriptores Gallici, qui eius moris faciunt

mentionem

mentionem, vt Gregorius Turonensis, & alij, quos laudat clarissimus Pithœus in Notis ad Capitula Caroli Magni. Nuperrime verò etiam formulas ea in re vsitatas, in Marculpho à se edito publicauit, iuuenis propter morum singularem probitatem, & multiplicem eruditionem mihi charissimus, Hieronymus Bignonius Parisiensis.

XXXIV. ΤΟ ΣΩΜΑ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. Corpus Christi. *Origo appellationis à formula institutionis. nomen* Corpus *varie accipi. Discrimen inter rem visibilem & rem inuisibile in Sacramentis, quarum nomina sæpe permutantur. Alia nonnulla.*

Anni XXXIV. Num. XLVIII.

VErba formulæ qua vsus est Saluator mundi instituens hoc Sacramentum, versa sunt in nomenclaturam ipsius. Dixit Dominus, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*. inde sumpsit vetus Ecclesia, cùm appellauit Cœnam Dominicam, *celebrationem corporis & sanguinis Domini*, sicut loquitur Augustinus in III. de doctrina Christiana : vel simpliciter, *Sacramentum corporis Christi*, aut maiore etiam compendio, *Corpus Christi*. Hinc istæ locutiones sacramentales, *suscipere corpus Domini*, vt apud Originem, homil. XIII. in Exodum : & διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, vt in canone XVIII. Concilij Niceni : & ἱερατεύειν τὸ σῶμα Κυρίου, vt apud Basilium, pag. 597. & similes his multæ aliæ apud Patres Græcos & Latinos. Hic primò obseruandum est, quoties ita loquimur, vocabulum *corpus* paullo aliter accipi, quàm in Dominica institutione, quæ tamen dedit exemplum huiusmodi locutionum. In verbis Domini *corpus* significare carnem certum est : nam proprie si acciperetur, superflua esset quæ statim subijcitur mentio sanguinis : quum τὸ Corpus, si κυρίως accipias & carnem & sanguinem complectatur. Sed norunt mediocriter exercitati in lectione Scripturæ & Patrum, solere *corpus* vsurpari pro carne, & contra aliquando, τὸ caro, poni pro corpore. At quoties hoc mysterium appellatur ἁπλῶς *corpus Christi*, aliter ea vox est intelligenda : totum enim illud significat, quod in Communione percipiunt fideles. Nemo autem dubitat, fideles quoties rite Eucharistiam sumunt, & carnem & sanguinem Christi percipere, hoc est, totum Christum, & cum Christo omnia eius munera, atq; adeo vt loquitur Damascenus, αὐτῆς τῆς θεότητος αὐτοῦ μετέχειν. Obseruandum præterea est, in doctrina de sacramentis, quæ est Symbolica Theologia, vt appellat Dionysius Areopagita, hoc est, doctrina de signis à Deo institutis, vt clare explicat Augustinus tot locis, & nos inferius dicturi sumus; eam esse affinitatem,

nitatem, σχέσιν & mutuam relationem inter ſigna & res ſignificatas, vt eorum nomina promiſcue vſurpentur, ἐναργείας ἕνεκα, ait Baſilius ad Amphilochium, de re loquens non diſſimili; quum tamen eadem nomina docendi cauſſa, ſint accurate diſtinguenda: neque enim confundi patitur vera Theologia ſigna viſibilia cum rebus inuiſibilibus, quæ in illis honorantur, ait idem Auguſtinus: qui tot locis inculcat doctrinam de diſcrimine inter externa ſignacula, & intus latens ſpirituale donum. Docent igitur Patres, cùm appellatur hoc myſterium *Corpus Christi*, nomine rei ſignificatæ ſignum affici atque intelligi. Notiſſimus eſt Theodoreti locus. *Dominus*, inquit, *ſymbolo corporis, corporis nomen dedit.* notiſſima ſunt hodie & pueris Auguſtini verba ad Adimantum, Manichæi diſcipulum, *Dominus non dubitauit dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* notiſſimus etiam eſt hic eiuſdem Patris locus ex enarratione Pſalmi tertij: *Chriſtus Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis figuram commendauit & tradidit.* neque hodie ignorat quiſquam eruditorum, paullo ſaltem de ſua ſalute ſolicitior, ſexcenta eiuſdem Patris & aliorum teſtimonia, quibus expreſſe monemur, nomen rei inuiſibilis exteriori ſigno communicari. Quod cùm dicimus, neque venerandi huius ſacramenti virtuti atque efficaciæ, per quam, modo ineffabili, carne Chriſti & ſanguine paſcimur, & vt loquitur Tertullianus, anima noſtra Deo ſaginatur, quicquam imus detractum; neque præſentiam Chriſti in Euchariſtia negamus, ſicut luculente ſuo loco poſtea ſumus oſtenſuri. Tantum dicimus, patronos Tranſſubſtantiationis, male ad nouæ doctrinæ defenſionem trahere eiuſmodi Patrum loca, vbi hoc ſacramentum appellatur *Corpus Chriſti*, aut ſimiles locutiones vſurpantur. quarum locutionum interpretationem quum tot locis ijdem Patres nos doceant; coguntur Tranſſubſtantiatores hodierni, vt clariſſimam eorum mentem offuſo ſepiæ atramento eludant, miris & indignis modis illorum verba torquere, ſicut poſtea aliquot exemplis demonſtrabitur. Ibi oſtendetur, quid de hac quæſtione ſenſerit Tertullianus: quem obſeruat Baronius non raro in mentione huius ſacramenti illud appellare *Corpus Chriſti.* vere hoc quidem Baronius: illud parum candide; quod diſſimulauit eundẽ Tertullianũ alibi mentẽ ſuam expoſuiſſe, cum voci *corpus* ſubijcit interpretamentum, *id eſt, figura corporis*: vt libro IV. contra Marcionem, capite XL. nam qui ſuis interpretationibus illum locum aliter eſſe accipiendum conati ſunt docere; ſolidis rationibus poſtea à nobis refutabuntur. Pugnamus interim in enumeratione inſtituta.

XXXV. H

XXXV. Ἡ ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ. Novvm Testamentvm. *Appellatione* Testamenti *&* *verbum Dei & Sacramenta affici.* διάκονοι τῆς καινῆς διαθήκης *apud Paulum & in Liturgijs, sensu nonnihil diuerso.* ὅρκια.

Ibidem.

Lvcas xxii. 20. Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. *Hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo.* Matthæus paullo aliter, quod ad verborum complexionem: Τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Hic est sanguis meus noui testamenti*: id est, quo sancitur nouum Dei fœdus cum humano genere: siue Testamentum Christi, quo salutis heredem Ecclesiam suam instituit. Dicebamus in sermone de coniunctione fidelium cum Christo, duo esse eius coniunctionis præcipua instrumenta, Verbum & Sacramenta. vtrumque horum vsitatissimo loquendi genere, appellatur fœdus siue testamentum. Eo sensu dicimus *Vetus & Nouum Testamentum*; totam Scripturam in duas partes ὁλοσχερῶς diuisam ijs nominibus appellantes. Circumcisionem, quod fuit veteris populi Iudaici sacramentum, Deus ipse nominat בריתי *fœdus meum*, siue vt Græci verterunt, quos sequitur Apostolus in epistola ad Hebræos, τὴν διαθήκην μου, *testamentum meum.* Sic Ecclesiastici xliv. 21. ἐν σαρκὶ αὐτοῦ ἔστησε διαθήκην. *in carne eius stare fecit testamentum.* Interdum *Noui testamenti* appellatione & Verbum simul & Sacramenta intelliguntur; vt cùm ait Paulus II. Corinth. iii. 6. ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης, *qui nos reddidit idoneos, vt essemus ministri noui Testamenti.* intelligit enim totum ministerium Apostolatus; quod & verbum complectitur & sacramenta. In Liturgia Basilij habetur inter alias precatio, quæ dicitur εὐχὴ προσκομιδῆς, *oratio oblationis,* in qua superiora Pauli verba vsurpantur, sed paullo aliter; nam ita orat Sacerdos; εὐδόκησον δὴ Κύριε τοῦ γενέσθαι ἡμᾶς διακόνους τῆς καινῆς σου διαθήκης. neque enim appellatione *Testamenti* intelligitur hoc loco vt apud Paulum pars vtraque sacri ministerij, Verbum & Sacramenta; sed posterior tantum; neque verò de alio vllo sacramento sacerdos cùm illa pronuntiat sentit, nisi de solo sacramento Eucharistiæ. itaque continuo subijcitur tam in Basiliana, quàm in ea quæ dicitur Iacobi Liturgia, λειτουργοὺς τῶν ἁγίων σου μυστηρίων. Eruditissimi viri obseruarunt eodem genere loquendi sacramenta, aut res sacramento significatas dici *Testamentum*, quo Homerus est vsus, cùm victimas mactandas ad sanciendum fœdus aut pactum, appellauit ὅρκια *iusiurandum*; quia victimæ adhibebantur ad feriendum fœdus, & iureiurando firmandum.

dum. Græci apud poetam ὅρκια interpretantur, τὰ ἐν ὅρκοις χρειώδη, vel εἰς ὅρκον χρήσιμα.

XXXVI. ΤΡΑΠΕΖΑ ΚΥΡΙΟΥ. MENSA DOMINI. *Mensa cœlestis, sacra, mystica,* φρικώδης, λογική, *spiritualis de Cœna Domini.* Mensa spiritualis, *de prædicatione verbi. Chrysostomi locus animaduersus.*

IBIDEM.

Apostolus I. ad Cor. x. 21. οὐ δύνασθε τραπέζης Κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων. *non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Hîc mensa Domini est ipsa Eucharistia: quam exemplo Pauli Patres ita sæpe nominant. Apud Optatum libro quinto, *ministri qui mensæ Dominicæ famulantur,* sunt sacerdotes qui sacramentum hoc administrant. Augustinus De peccatorum meritis &c. contra Pelag. lib. I. cap. XXIV. *Ecclesiæ Christi institutum tenent, præter baptismum & participationem Dominicæ mensæ, non solum non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quenquam hominum peruenire.* Leo I. de ieiunio septimi mensis sermone sexto, *Sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis.* In Græcorum Patrum monumentis frequens est vsurpatio huius appellationis; sed cum diuersis epithetis. *Cœlestis mensa.* Liturgia, quæ Iacobi nomen præfert; καταξιώσας ἡμᾶς μετασχεῖν ταύτης τῆς ἐπουρανίου τραπέζης. *Sacra mensa.* Chrysostomus homilia separata in verba Pauli I. Cor. x. I. οὐ μυστηρίων κοινωνία, οὐ τράπεζα ἱερὰ, οὐχὶ ἀπόλαυσις τοῦ σώματος, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος, ἡμᾶς ὠφελῆσαι δυνήσεται. vides facundiam viri magni. nam rei eiusdem, nempe Eucharistiæ, quinque ponit appellationes pro vna. *Mystica mensa.* idem, tomo v. Sauil. pag. 367. ἔπειτα ἐπὶ τὴν μυστικὴν τράπεζαν ἐξάγει τὸν λόγον. hoc est, transit ad sermonem de Cœna Domini. sic idem sæpissime. Theodoretus de prouidentia, sermone x. ἡ μυστικὴ αὐτὴν ὑποδέχεται τράπεζα. *Mensa terribilis.* Chrysostomus homilia in locum Pauli, *oportet hæreses esse;* ἡ τράπεζα ἡ φρικώδης κοινὴ πᾶσι πρόκειται. *terribilis illa mensa, communis proponitur omnibus.* nec mirum ipsam mensam vocari φρικώδη, quum per mensam intelligatur ipsa Eucharistia, quam passim idem & alij Græci vocant τὰ φρικτὰ μυστήρια vt Gaudentius Brixensis *pauendum mysterium.* quin ipsum templum vocatur à Chrysostomo φρικωδέστατον χωρίον, *Locus maxime terribilis.* vt edit. Sauil. tomo VII. pag. 225. *Rationalis mensa.* Theodoretus in sexto sermone de prouidentia, ἐπὶ τὴν λογικὴν μετέβη τράπεζαν ἡ τροφή. *Spiritualis mensa;* πνευματικὴ τράπεζα, sæpissime apud Græcos Patres. quanquam

quanquam non ſemper eo nomine Euchariſtia intelligitur. Chryſoſtomus homilia octuageſima quarta in ſexto tomo Sauiliano; διὰ τοῦτο ἑπτὰ ἡμέρας ἐφεξῆς σύναξιν ἐπιτελοῦμεν, τὴν πνευματικὴν ὑμῖν παρατιθέμενοι τράπεζαν, ποιοῦντες ὑμᾶς ἀπολαύειν θείων λογίων. Hic, *apponere menſam ſpiritualem*, non dicitur de communione; ſed de prædicatione Scripturarũ; quod eſſe genus alterum manducationis ſpiritualis Chriſti, Patres nos docent. In homilia eiuſdem Patris LXXVIII. legimus Paulum in hiſtoria illa, quæ narratur cap. XVI. Actorum, appoſuiſſe commentarienſi à quo cuſtodiebatur in carcere menſam ſpiritualem: cui tamen datam fuiſſe communionem Lucas non dicit: ſed tantum in fide fuiſſe inſtitutum & baptizatum. Quare videtur à Chryſoſtomo in ea hiſtoria admiſſum ἁμάρτημα μνημονικόν. tribuit enim Paulo verba è verſu 34. παρέθηκε τράπεζαν, *menſam appoſuit*, quæ non dicuntur de Paulo, ſed de ipſo carceris cuſtode. Chryſoſtomi verba ſubijciam: εὐθέως αὐτὸν ἐμυσταγώγησε, καὶ μετ' ἐκείνου τὴν οἰκίαν ἅπασαν· καὶ μετὰ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν, καὶ μετὰ τὴν τράπεζαν τὴν πνευματικὴν παρέθηκεν αὐτῷ καὶ τὴν σωματικήν. Ait Paulum cuſtodi appoſuiſſe & ſpiritualem menſam, & poſtea etiam carnalem. Si per menſam ſpiritualem Cœnam Domini intelligit; rem dicit, quæ expreſſè non dicitur in Scriptura: ſed videtur feciſſe coniecturam ex vſu perpetuo veteris Eccleſiæ, quæ ſemper adiecit baptiſmo participationem corporis Chriſti, præſertim in adultis: ſed & in infantibus perdiu is mos ſeruatus, vt notum ex Auguſtino & alijs. verùm poteſt menſa ſpiritualis etiam de doctrina fidei intelligi, vt iam oſtendimus. At illud, Paulum appoſuiſſe eidem menſam communem poſt ſpiritualem, quomodo exponemus? ſed hæc obiter. Porrò menſam hanc vetus Eccleſia appellauit θυσιαστήριον & altare, qua de re poſtea erit dicendum. Hodie Græci in celebratione S. Euchariſtiæ duas menſas adhibent: vnam vocant πρόθεσιν, quaſi dicas, menſam propoſitionis: in qua ponuntur panis & vinum ante conſecrationem; ipſi vocant τὰ δῶρα: quibus in priore menſa poſitis, tribuunt venerationem: deinde transferuntur quæ fuerunt ibi appoſita in alteram menſam, vbi fit conſecratio, & poſt conſecrationem adoratio λατρείας. eam menſam vocant & altare, & ἅγιον βῆμα, ſicut poſtea pluribus exponetur.

XXXVII. ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΗ ΤΡΟΦΗ. Alimentvm Spiritvale. *Christum & in sacramento & extra sacramentum esse alimentum spirituale.*

Ibidem.

PAulus I. Cor. x. 3. 4. sacramenta veteris Legis appellat βρῶμα πνευματικὸν & πόμα πνευματικὸν, *cibum & potum spiritualem.* Patres similiter sacramentum gratiæ Eucharistiam passim appellant τροφὴν πνευματικὴν, vt Gregorius Nyssæ, Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus, alij. Leo Magnus, *In mystica distributione spiritualis alimoniæ.* Gregorius vero Nyssenus verba Pauli de Christo interpretans, inter alia ipsius nomina recenset etiam hæc βρῶμα καὶ πόμα, in elegante libello de perfectione: docens, Saluatorem, etiam extra sacramenta consideratum, esse cibum & potum spiritualem Ecclesiæ suæ. & Theodoretus quoque in decimo de prouidentia, Christum in præsepi iacentem appellat πνευματικὴν τροφήν. Cæterum quomodo hoc sacramentum sit & dicatur cibus spiritualis, postea explicabitur in sermone de manducatione sacramentali.

XXXVIII. ΚΛΑΣΙΣ ΑΡΤΟΥ. Fractio Panis. Frangere panem *apud Hebræos & cibum & potum complectitur.* Fractio panis *de Cœna, non excludit alteram speciem.* ἕνα ἄρτον κλᾷν, θρύπτεσθαι. *Fractio hostiæ in tres partes. item in nouem. Alia.*

Ibidem.

EVangelistę Matthęus, Marcus, Lucas, expresse notant de Domino sacramentū hoc instituente, εὐλογήσας ἔκλασε, *quum benedixisset fregit.* vel εὐχαριστήσας ἔκλασε, *postquam gratias egisset fregit.* & Paulus hanc circumstantiam, vt apprime ad rem facientem, iisdem verbis expressit. Inde apud Patres κλᾷν ἄρτον, & κλάσις ἄρτου de celebratione Eucharistiæ. & sunt tam è veteribus quàm è recentioribus, qui de sacramento hoc interpretentur verba Lucæ & in Euangelio xxiv. 35. *cognitus est ipsis in fractione panis.* & in Actis ii. 42. ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. & xx. 7. *quum essent congregati discipuli* τοῦ κλάσαι ἄρτον, *ad frangendum panem.* Syrus quidem interpres in vtroque Actorum loco, ipsam vocem Græcam *Eucharistia* in paraphrasi sua vsurpauit. Hebræis, quod nemo ignorat, qui vetus Testamentum legit, *frangere panem*, vsitatissima locutio est, de cibum sumentibus; & *frangere panem cum aliquo*, est συνδειπνεῖν. atque vt Gręci à parte altera, potu nempe, totam actioné appellarunt συμπόσιον:

sic

sic Hebræi ab esu & fractione panis totum conuiuium denotarunt. Quare illi qui istis Lucæ testimonijs abutuntur ad defensionem communionis sub altera specie; non minus pueriliter errant, quàm si dicerent in Grecorum conuiuijs nullum cibum fuisse appositum, neque omnino quicquam aliud præter vinum aut alium potum; quia conuiuium illis dicitur συμπόσιον, *compotatio*: cui etiam respondet Hebraicum משתה pro conuiuio: aut si dicerent, fideles quando orant Deum prece Dominica, nihil præter panem ad victum petere; quia dicunt, *Panem quotidianum da nobis.* quum, vt obseruat Augustinus, *à parte quæ excellit, tota sufficientia nomine panis significetur*: epistola CXXI. Ignatius in epistola ad Ephesios: ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ θανεῖν. Hîc *frangere panem*, est celebrare communionem in synaxi: vbi sub vtraque specie sacramentum fuisse tunc temporis administratum, nemo est opinor, qui neget; & oporteret eum frontis esse plus quàm meretriciæ, qui auderet negare. dicit vero Ignatius, *vnum panem frangentes*, vt eos hortaretur ad vnitatem colendam præsertim in synaxibus, sub ductu vnius Episcopi. confer alium locum in epistola ad Smyrnæos. Idem auctor in epistola ad Philadelphenses, de Eucharistia loquens, verbum θρύπτεσθαι vsurpat. εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη. *vnus panis omnibus est comminutus.* nam θρύπτεσθαι proprie de ijs vsurpatur, quæ in partes minutas franguntur. ex quo videtur intelligi, partes quæ singulis fidelibus præbebantur, fuisse valde paruas: quare etiam sunt qui *micas* vocent, vt postea dicemus. Augustinus quoque in eam rem vsus verbo *comminuendi*, epistola LIX. ad Paulinum. *cùm illud quod est in Domini mensa benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.* Etiam hodie sacerdos panem consecratum frangit; sed non ad distribuendum: solus enim vt plurimum communicat: quare non est ea veteris Ecclesiæ fractio; neque ipsius Christi; qui fregit panem, non solum vt passionis ipsius symbolum esset fractio: sed etiam, vt τὰ κλάσματα, partes fractas discipulis daret. Quum autem in Ecclesia Romana frangatur hostia in tres partes: Gothicæ Ecclesię, quę Hispanias diu insederunt, morem seruarunt diuersum, & in partes nouem hostiam diuiserunt; quas certo ordine in patena imponebant: & quum Domini nostri in terris agentis historiam essent nouem hisce nominibus complexi, *Corporatio, Natiuitas, Circumcisio, Apparitio, Passio, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum*; fractione panis vsi sunt, ad commemorandam & memorię altius imprimendam Christi historiam: nouem enim partibus fractæ hostiæ hæc nouem nomina imposuerunt; vt legitur in Liturgia quam vocant Mosarabicā.

XXXIX. ΑΡΤΟΣ. ΑΡΤΟΣ ΕΠΙΟΥΣΙΟΣ. PANIS. PANIS SVPERSVBSTANTIALIS & QVOTIDIANVS. Sacramentum panis. *Ἐπιούσιος ab οὐσία diuerso sensu deducitur à Patribus. Eucharistiæ vtilitas ad corpus & animam.* Panis Angelorum: Panis vitæ: panis sanctus. panis Dei. *Locus Ignatij illustratus de pane quo fruentur fideles in altera vita.* panis propositionis.

IBIDEM.

IN Scripturis & apud Patres hoc sacramentum aliquando appellatur *Panis* simpliciter; sed multo sæpius cum epitheto. Lucæ XXIV. 35. *fractionem panis* quidam, vt modò dicebamus, exposuerunt de Eucharistia: in his Augustinus de Consensu Euangelistarum libro III. *Non incongruenter accipimus*, ait, *hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsque ad sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.* Appellat *sacramentum panis* ex illis Lucæ verbis, ipsam Eucharistiam. Cyprianus ὑποβολιμαῖος De cœna Domini: *Hoc sacramentum aliquando Carnem & sanguinem; aliquando* PANEM *Christus appellat.* Sæpius tamen Patres, vt panem sacrum & mysticum à communi distinguant, epitheta adijciunt; quorum nonnulla hîc iuuat commemorare. Vocant igitur hoc sacramentum Græci ἄρτον ἐπιούσιον: verba enim ista ex oratione Dominica interpretantur de Eucharistia plerique veterum, vt Tertullianus De oratione, Ambrosius libro V. de sacramentis, Cyrillus Ierosolymitanus oratione mystagogica quinta, Augustinus in epistola CXXI. ad Probam, & sæpius alibi, Isidorus Hispalensis, De off. Eccl. lib. I. cap. XVIII. itemque plures alij è Patribus. Et Græci quidem Patres cùm de Eucharistia interpretati sunt, rationem nominis hanc reddiderunt; quod panis mysticus & animæ & corporis substantiam fulciat: ἐπιούσιος, ait Cyrillus, ἀντὶ τοῦ τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς κατασκευαζόμενος. mox: εἰς πᾶσάν σου τὴν σύστασιν ἀναδίδοται εἰς ὠφέλειαν σώματος καὶ ψυχῆς. Ambrosius in simillimo loco paullo aliter. *Non iste panis est, qui vadit in corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit: ideó Græce ἐπιούσιος dicitur.* quasi animæ tantum prodesset hic panis: quum dicat Cyrillus diffundi ipsum per totā hominis σύστασιν *substantiam*, & pertinere eius vtilitatem ad corpus & animam. sed ita solent veteres in describenda efficacia huius sacramenti, modò animæ & corporis meminisse, modò animæ tantum. Damascenus in epistola ad Zachariam

riam episcopum Doarorum, ait corpus Christi, quod in sacramento accipitur εἰς σύστασιν καὶ εἰς τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς ἡμῶν χωρεῖν. *transire in naturam*, (ita possumus hic vertere σύστασιν,) *& substantiam animæ nostræ.* at in libris de orthodoxa fide, vbi eadem verba, etiam corporis meminit. σῶμά ἐστι καὶ αἷμα Χριστοῦ, εἰς σύστασιν ἡμετέρας ψυχῆς τε καὶ σώματος χωροῦν. Etiam Chrysostomus nomen ἐπιούσιος deducit ab οὐσία homilia in orationem Dominicam; αὐτὸν ἐδίδαξεν ἄρτον ἐπιούσιον, τουτέστιν, ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα, καὶ συγκροτῆσαι ταύτην δυνάμενον. Sed verius idem, Commentarijs in Matthæum interpretatur ἐφήμερον; *quotidianum*; & non obscure deducit à voce ἐπιοῦσα. Nusquam autem Chrysostomus in veris operibus, nisi me fallit memoria, verba Dominicæ orationis retulit ad sacramentum. Et est omnino illa interpretatio, vtut multis Patribus probata, si fateri verum volumus, longe petita & minus solida; sicut firmis rationibus probat Abulensis, in sextum Matthæi caput, quæstione CXI. Ambrosius vertit ἐπιούσιος *transsubstantialis*; & cum hanc interpretationem, tum Latini interpretis *quotidianus* accommodat Eucharistiæ. Dicitur & *panis Angelorum*: Liber de Cœna Domini: *Panem Angelorum sub sacramento manducamus in terris.* item θεῖος ἄρτος sępe; & ἄρτος ζωῆς, *panis vitæ.* Christus ait apud Iohannem, VI. 48. *Ego sum panis vitæ.* Ex eo Patres sacramentum hoc, quò fideles vnum fiunt cum Christo, appellarunt *panem vitæ.* Chrysostomus in priorem ad Corinthios, homilia XXVII. Σὺ ἄρτον ζωῆς λαβὼν πρᾶγμα θανάτου ποιεῖς καὶ οὐ φρίττεις; In Liturgijs Græcis ἅγιος ἄρτος sæpius occurrit, etiam in ipsa distributione, apud Chrysostomum. *Panis Dei* legitur apud Ignatium, non frequenter, vt ait Baronius; sed semel tantum in epistola ad Romanos. sed eo loco *panis Dei*, non est Eucharistia, vt existimauit Baronius & multi alij; sed est ipse Iesus Christus extra sacramentum in regno suo cœlesti consideratus. Verba Ignatij sunt: οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς, οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου· ἄρτον τοῦ Θεοῦ θέλω, ἄρτον ζωῆς. Non nego S. Eucharistię hęc elogia conuenire; sed hæc interpretatio menti Ignatij parum videtur congruere; qui toties profitetur, se optare dissolui & esse cum Christo. Obseruandum igitur est, licet instituta sint sacramenta solummodo ad hanc vitam, & tantisper dum gloriosus Christi aduentus exspectatur: sæpe tamen Patres locutiones sacramentales vsurpare de futuræ vitæ bonis cùm loquuntur. Dicunt igitur, pios in cœlis pane fruituros, quem hîc in Eucharistia delibauerint. Liber de Cœna Domini, non Cypriani quidem, sed non indignus Cypriano: *Panem Angelorum sub sacramento manducamus in terris; eundem sine sacramento manifestius edemus in cœlis; non ministerio corporali, sæpe repetitis actionibus ad eundem reuertentes; sed consummato sacerdotio*

nostro

noſtro, erit & permanebit perpetua & ſtabilis, implens & reficiens nos ſufficientia; qua proferet ſe palàm abſque vllis integumentis, omnibus conſpicabilis, ſummi præſentia ſacerdotis. Petrus Laodicenſis in orationis Dominicæ expoſitione. *Panis* ἐπιούσιος παρὰ τὸ ἐπιέναι, *hoc eſt, ab eo quod aduenturus eſt. vt ſit ſenſus; Tu panem, non præſenti ſeculo congruum, ſed eum qui ſanctis in futurum ſeculum repoſitus eſt, da nobis hodie.* Damaſcenus ſimiliter, capite de myſterijs, οὗτος ὁ ἄρτος ἐστὶν ἡ ἀπαρχὴ τοῦ μέλλοντος ἄρτου· ὅς ἐστιν ἐπιούσιος· τὸ γὰρ ἐπιούσιον δηλοῖ τὸν μέλλοντα, τουτέστι τὸν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. ſunt autem hæc pene ad verbum deſumpta ex Athanaſij libro de incarnatione Chriſti; cuius ſententiam pluribus exponimus alibi. Innocentius III. Myſteriorum lib. V. cap. XXIV. *quinque panes ſunt nobis neceſſarij; quatuor in via, & quintus in patria. corporalis ad ſuſtentationem, ſpiritualis ad informationem, doctrinalis ad eruditionem, ſacramentalis ad expiationem, æternalis ad fruitionem.* Hæc mentem Ignatij explicant, quem Baronius & alij putarunt loqui de pane ſacramentali, minus rectè; quum ipſe intelligat de æternali & fruitione Chriſti in altera vita, vbi carne & ſanguine Chriſti, hoc eſt, toto Chriſto ſine figura & ἀκατυπώτως, vt loquitur Damaſcenus, fruituri ſunt electi. Dicitur prçterea panis myſticus ἄρτος προθέσεως, *panis propoſitionis*, ſed ante conſecrationem, vt innuit Iſidorus Peluſiota, epiſtola CXXIII. libri primi, & oſtendit Damaſcenus capite de myſterijs, & praxis hodiernæ Eccleſiæ Græcę: quæ priorem menſam vbi apponitur panis adhuc communis, vocat, *Menſam propoſitionis.*

XL. ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ. EVCHARISTIA. *Cur hoc ſacramentum dicatur gratiarum actio.* εὐχαριστία *male vertitur* bona gratia. εὐχαριστηθεῖσα τροφή. αἷμα εὐχαριστηθέν. Euchariſtia *vox biſariam accipi ſolita.*

IBIDEM.

EAdem ratio quæ vocis εὐλογία, vt iam diximus. Non extat hæc dictio in Scripturis pro Sacramenti huius nomine: quam tamen Apoſtolorum tempore natam non dubitamus. Vſurpat illam Syrus paraphraſtes antiquiſſimus: extat etiam in epiſtola Ignatij ad Smyrnæos, & apud Iuſtinum, Irenæum, & omnes antiquiſſimos Eccleſiæ ſcriptores. Quare hoc ſacramentum dicatur Euchariſtia, id eſt, *gratiarum actio*, pluribus explicat Chryſoſtomus in Matthęum homilia XXVI. & alibi ſæpe. Auguſtinus De ſpiritu & litera, cap. XI. *Theoſebia, ſi ad verbi originem Latine expreſſam interpretaretur, Dei cultus dici poterat; qui in hoc maxime conſtitutus eſt, vt anima ei non ſit ingrata.*

Vnde & in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur. quod & alibi repetit. Nos antea obseruabamus, Euangelistas in Eucharistiæ institutione verbo vno εὐχαριστεῖν plures actiones inuicem coniunctas denotasse: quare etiam Eucharistia easdem actiones omnes designat; Dei laudationem, gratiarũ actionem, precationem & symbolorum consecrationem: neque recte Isidorus in libris Originum εὐχαριστίαν vertit *bonam gratiam.* etsi sectatores inuenit Lombardum, Thomam & alios. Apud Iustinum multis locis distinguuntur εὐχὴ & εὐχαριστία, precatio & gratiarum actio: in Apologia vero altera eiusdem, τροφὴ εὐχαριστηθεῖσα appellatur, panis consecratus, non sola gratiarum actione, verùm etiam, vt ipse loquitur, δι' εὐχῆς, per preces, & verborum Christi recitationem. Apud Clementem Alexandrinum libro quarto, sanguis Martyrum pro gloria Christi effusus, appellatur αἷμα δι' ἀγάπης εὐχαριστηθὲν, sanguis per charitatem cum gratiarum actione fusus, & honori Dei consecratus. hanc enim vim habet verbum εὐχαριστεῖσθαι eo loco, cuius sensum interpres non est assecutus. Origenes contra Celsum tomo VIII. scribit, panem qui Eucharistia appellatur, esse symbolum gratiarum actionis aduersus Deum. Sic ille: ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος Εὐχαριστία καλούμενος. Quo ex loco & similibus apparet, non solum actionem ipsam & huius sacramenti celebrationem, vocari Eucharistiam; sed etiam symbola ipsa corporis Christi, panem & vinum. Cyprianus de lapsis: *In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.*

XLI. ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ. LITVRGIA. *Exponuntur accuratè vocum* λειτουργὸς, λειτουργία & λειτουργεῖν *variæ acceptiones, cum apud alios scriptores, tum in Scripturis & apud Patres. Locus ex Actis* λειτουργούντων δὲ αὐτῶν. *Alia.*

I B I D E M.

ΛΕιτουργεῖν primâ notione est opus facere publicum, vel publico: sed latius postea illa vox est accepta. Apud Græcos scriptores, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, alios, λειτουργεῖν est, publico præstare vel operam vel pecuniam: λειτουργία, eiusmodi præstatio siue operæ, siue pecuniæ. περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργεῖν & λειτουργεῖν τὴν περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργίαν Aristoteli in Politicis lib. IV. dicuntur magistratus, qui Remp. curant. ibidem, οἱ εὔποροι, diuites & pecuniosi, qui tenebantur priuato sumptu functiones publicas obire, dicuntur λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *opibus suis Reip. inseruire.* Tales igitur in Rep. Atheniensium plures erant; sed omnium nobilissima & gratissima fuit

τριηραρχία,

τριηραρχία, præfectura triremis, quam sua pecunia aliquis instruxisset: de quo munere tam multa Demosthenes & alij oratores; vide initium eius Lysiæ orationis, quæ inscribitur ἀπολογία δωροδοκίας ἀπαράσημος. Dicitur λειτουργεῖν etiam ille, qui artem aliquam exercet, aut negotium curat, ex quo ad publicum aliqua redit vtilitas. Sic παιδοποιΐα, liberorũ procreatio & educatio, Aristoteli in septimo Politicorum est genus λειτουργίας. & Gregorius Nazianz. in epitaphio Gorgoniæ ait, ipsam aliquamdiu operam quærendis liberis dedisse; deinde totam se Deo consecrasse, λειτουργήσασαν κόσμῳ καὶ φύσει, ὅσον ὁ τῆς σαρκὸς ἐβούλετο νόμος: *postquam debitam operam præstitisset mundo & naturæ ac legi carnis satisfecisset.* Clemens quoque Alex. in quinto Strom. scribit, nuptias habere λειτουργίας καὶ διακονίας, τῷ Κυρίῳ διαφερούσας. *functiones quasdam & ministeria ad Dominum pertinentia*, hoc est, quorum ratio Domino reddenda, siue illa recte obieris, siue secus: illa autem ministeria esse ait curam liberorum & vxoris. Interdum quæuis ἐργασία, & operæ præstatio, etiam inhoneste, dicitur λειτουργία. Nam in Nouella Iustiniani XIV. meretrices dicuntur τὴν ἀνοσίαν λειτουργίαν πληροῦν. Quinetiam res ipsæ dicuntur λειτουργεῖν, quibus est aliqua pensitatio imposita. Nouella XLIV. συγχωρείτω τὰ ἐργαστήρια λειτουργεῖν τὰ συνήθη τε καὶ νενομισμένα: loquitur de officinis mille & centũ nouæ Romę, quæ tenebantur sũptus ad funera præstare: de quibus & Leo loquens Nou. XII. ait ea esse ἀποτεταγμένα εἰς ταύτην λειτουργίαν. Sic & de rebus diuinis cùm vsurpatur hoc vocabulum, habet significationem modò latiorem, modò angustiorem. In septimo Politicorum, αἱ περὶ τοὺς θεοὺς λειτουργίαι, dicuntur omnia erga deos officia, ad quæ opus pecunia. Iustinus initio libri de monarchia originem idolatriæ, inde repetit, quod primis temporibus, viris potentioribus inferiores instituerint τελετὰς καὶ λειτουργίας τελεῖν, id est, cultus quosdam exhibere Deo potius, quàm hominibus debitos. Septuaginta Seniores vocem עבדה quæ Dei cultum & latriam significat, passim verterunt λειτουργίαν. Ezechielis XXIX. 20. pro פעלתו *operam illius*, vel *mercedem*, dixerunt ἀντὶ τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, sensu feliciter expresso. At I. Paralip. XXVIII. 9. minus proprie vox מלאכה quæ artificij opus significat vertitur λειτουργία. Numerorum VIII. 24. λειτουργεῖν λειτουργίαν posuerunt pro eo, quod venustissima translatione dicitur in Hebræo, *militiam militare*, id est, obire ministerium, & in eo se exercere. Paulus ad Romanos scribens XVI. 27. λειτουργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς, *ministrare alicui in rebus carnalibus*, id ipsum intelligit, quod ex Aristotele afferebamus, λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *inseruire præbendâ pecuniâ.* In ea ad Philipp. λειτουργὸς & λειτουργεῖν non multo aliter vsurpantur de officijs priuatim Pauli exhibitis. Alibi & apud

Patres

Patres λειτουργὸς dicitur, qui operam Deo, aut officium pietatis vel ministerij, qualecunque id sit, præbet. de Angelis dicitur, Heb. I. 14. de ipso Christo, τῶν ἁγίων λειτουργὸς *Sanctuarij minister*, in eadem VIII. 2. de magistratibus, Rom. XIII. 6. de quouis fideli pie vitam instituente; vt cùm B. Chrysostomus sermone tertio in Annam, edit. Gr. tom. v. pag. 76. patres monet, dent operam, vt filij sui fiant ciues ciuitatis cœlestis: quò τὴν ἐκεῖ λειτουργίαν ἀξιωθῶσιν ἐπιτελεῖν, *digni reperiantur, qui functiones obeant illius ciuitatis.* & postea sæpissime repetit, eos qui vitam pie agunt, τὴν λειτουργίαν ταύτην τελεῖν. *hoc fungi officio*, nempe pietatis. ergo λειτουργία est quodcunque pietatis officium, etiamsi à priuato præstetur. Veruntamen vsus Ecclesiæ vocem communem peculiariter aptauit ministerio & cultui, qui publice Deo exhibetur, & eius cultus ministris. Sed hìc quoque multiplex diuersitas. Apud Dionysium quem Areopagitam vocant, vetustissimum sane scriptorem, in Ecclesiastica Hierarchia, λειτουργοὶ sunt diaconi. Ille enim auctor, suo quodam instituto & consilio, voces in Ecclesia vsitatas perpetuo refugit, & alias earum loco vsurpat, sibi proprias. igitur λειτουργοὶ Dionysio sunt diaconi; ἱερεῖς, sacerdotes, ἱεράρχαι episcopi; quos alij auctores voce originis quidem eiusdem, sed diuersæ formæ, ἀρχιερεῖς solent dicere. Basilio, Gregorijs Nazianzeno & Nysseno, Chrysostomo, & cæteris Patribus, ministri Ecclesiæ omnes, præsertim vero presbyteri & episcopi vocantur λειτουργοὶ τοῦ Θεοῦ, vel τοῦ θυσιαστηρίου, vel τῆς καινῆς διαθήκης, & οἱ τὴν λειτουργίαν τοῦ θυσιαστηρίου πεπιστευμένοι. Basilius in libro de Spiritu Sancto meminit cuiusdam, μακρὸν ἐν τῇ λειτουργίᾳ τοῦ Θεοῦ διαζήσαντος χρόνον. *qui longum tempus vixerat in Dei ministerio.* eam autem esse Episcopi periphrasin, declarant sequentia: nam ait ab eo se fuisse ad ministerium Ecclesiæ ordinatum. Λειτουργὸς igitur est omnis minister Ecclesiæ; proprie tamen illi qui ministrant ad altare; & λειτουργία laxè quidem omne ministerium, quod ad sacra pertinet: sed proprie magis, ministerium cultus diuini, & quicquid circa sacram mensam peragitur. Sæpe ergo λειτουργεῖν, non est quoduis circa res sacras ministerium obire; sed ea, per quæ Deus à Christianis colitur: putà, orare, Scripturas recitare, aut interpretari, concionari, sacramenta administrare. Balsamon ad Concilium Sardicense λειτουργεῖν exponit ἱερουργεῖν, hoc est, *sacrorum functiones obire.* Sic dixit Paulus ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον, Rom. XV. 16. *pro fungi sacro ministerio prædicationis Euangelij.* Ab hac notione dictæ sunt ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΙ, descriptiones quædam ordinis seruandi in sacris celebrandis: cuiusmodi sunt, quæ hodie circumferuntur sub titulis partim veris, partim

falſis, Petri, Iacobi, Andreæ, Baſilij, Chryſoſtomi & ſimiles. Latini vocant *Ordinem agendi*, vel *Officium*. Græci aliquando ἀκολουθίαν, & Balſamon non ſemel. In Ritualibus Hebræorum partim eiuſdem, partim affinis ſignificationis ſunt תבנית quaſi dicas, forma agendi; & סדר *ordo*, item מחזור vt ſi dicas, Circulum in ſe redeuntem. Quemadmodum autem res diuina diuiditur, vetuſtiſſimo Chriſtianorum inſtituto, in cultum matutinum & veſpertinum, ita in Patrum libris fit mentio Liturgiæ matutinæ & veſpertinæ. In Actis Concilij Epheſini pag. 295. ἐπιτελέσαι μὴ συγχωρήσαντες τὰς ἑσπερινὰς ἢ τὰς ἑωθινὰς λειτουργίας. & notat Balſamo, λειτουργίαι aliquando conſtare ſola oratione, ſine vlla ſacramentorum adminiſtratione. Obtinuit tamen, vt Liturgia peculiariter dicatur, quæ celebrationem corporis Chriſti continet. Itaque Iuſtinianus Nouella ſeptima ἱερὰν λειτουργίαν deſcribens, duas illius partes commemorat, recitationem Scripturarum, & adminiſtrationem ſacroſanctæ Cœnæ Domini: ἐν οἷς, inquit, ἱερὰ γέγονε λειτουργία τῶν τε θείων διαγινωσκομένων γραφῶν, τῆς τε ἱερᾶς καὶ ἀῤῥήτου μεταδιδομένης κοινωνίας. Quum igitur tot & tam diuerſis modis accipiantur voces λειτουργία & λειτουργεῖν, tam in Scripturis, quàm apud Patres; puerilis & prorſus vanus eſt illorum conatus, qui in hodierna controuerſia de ſacrificio Chriſtianorum, locum illum ex Actis XIII. 2. vertunt *ſacrificantibus*, & hodiernum E. R. ſacrificium eo teſtimonio defendunt. Nam etiamſi de genere ſacrificij nulla eſſet hodie diſputatio; tamen ratio afferri nulla poſſet, cur de ſacrificandi actione, potius quàm de prædicatione Verbi, aut de precationibus, id verbum ſit eo loco accipiendum. Quare non eſt audiendus Baronius, qui in anno XLIV. num. 83. optimam Veteris interpretis verſionem, *miniſtrantibus*, miſſam facit, & vertit ipſe *ſacrificantibus*. Multo minus Bellarmino credendum, qui libro I. de Miſſa, cap. XIII. non dubitauit verſionem illam *ſacrificantibus* defendere hoc argumento, *quia*, inquit, *cùm accommodatur hoc verbum ad ſacra, & abſolute ponitur in Scripturis, vbique accipitur pro miniſterio ſacrificij*. Sed eſt inſignis error viri inſignis: nam in illo ipſo exemplo quod ſubiungit, fugit eum ratio manifeſtiſſime. Lucæ enim I. 23. λειτουργία non eſt ſacrificium: ſed generalis vox eſt, quæ complectitur omnia miniſteria à Leuitis aut Sacerdotibus præſtari ſolita, cùm obibant vices ſuas. Zachariæ autem, vt ait Lucas, ſors contigerat ſuffitus offerendi, non autem ſacrificandi. Adde quod & Lucas hoc loco, & Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos ijs locis quos indicat Bellarminus, de cultu Iudaico loquuntur; non de ritu Chriſtiano, de quo ſermo

eſt

est in Actis, vbi extat illa vox λειτουργούντων. Nec minus est iustæ reprehensioni obnoxium, quod scribit idem initio libri I. de missa, *vocabulum λειτουργία à Patribus Græcis vix aliter accipi, quàm pro ministerio sacrificij Eucharistiæ offerendi.* nam hæc obseruatio, quàm sit à vero aliena, satis constat ex antè dictis. Nemo autem versatus in Græcorum Patrum lectione ignorat, λειτουργίαν persæpe illis dici quicquid fit ad Deum colendum. itaque cantus Psalmorum etiam in domo priuata & ad mensam, appellatur Chrysostomo λειτουργία, in Psalmum XLI. ἐπεὶ ῥαθυμοῦντές ποτε παρήσομεν τὴν καλὴν ταύτην λειτουργίαν. Quare idem Pater, Commentarijs in Acta, λειτουργούντων exponit κηρυττόντων, *prædicantibus*; vnam sacri ministerij partem nominans, ex qua cæteræ intelligerentur. Hæc ita certa sunt, vt iam incipiat pudere viros eruditos ex illis partibus eius interpretationis, quam pedibus manibusq; Baronius, Bellarminus & tot alij mordicus defenderunt. Nuper enim Benedictus Iustinianus sui illos omnes erroris admonuit.

XLII. ΣΥΝΑΞΙΣ. SYNAXIS. COLLECTA. Συνάγειν. σύναξις *vox ab Hellenistis aut primis Christianis facta.* ἀποτάξις. καρυοκατάκτης. *Expenditur obseruatio Augustini super vocibus* Ecclesia, *siue* conuocatio, *&* Synagoga, *id est*, congregatio. κολάζειν *de canibus.* συναγωγὴ *de Ecclesia Christiana. Latina exigenda ad Græca.* σύναξις *de Iudaica congregatione.* Synagogæ *&* Archisynagogi *hæreticorum.* συνοδία. παρασυναγωγή. παρασύναξις. Colligere. Collecta. σύναξις *de conuentibus sine Eucharistia. Deus* συναγωγός. αἰσθητὴ σύναξις. *Locus Chrysostomi. quot synaxes in hebdomade. Missa pro* σύναξις. *Alia quædã.*

IBIDEM.

IN plerisque huius sacramenti appellationibus, quas vel iam attulimus, vel deinceps allaturi sumus, meminisse oportet eius, quod paullo antè dicebamus è Dionysio & Thoma; multa nomina tribui antonomastice mysterio huic, quæ omnibus conueniant. Eius generis est vox *Synaxis*, sicut ijdem illi scriptores obseruant. Συνάγειν est cogere cœtum, ad aliquid agendum; vel congregare amicos ad conuiuium. vnde est in septimo Athenæi ἀπὸ συμβόλων συνάγειν, *de symbolis conuiuari.* Hesychius, συνάγειν, μετ' ἀλλήλων πίνειν. iterum è poeta nescio quo; συναγώγιον, συναγώγιον, συμπόσιον ἔθος. neque hæc posterior significatio ab hoc loco est aliena. vtraq; enim notio apprime conuenit legitimis Christianorum conuentibus; vbi & doctrina sacra proponitur,

ponitur,

ponitur, & cœleste conuiuium apponitur. Proprie σύναξις idem prorsus est ac συναγωγή. nam & *synaxis* & *synagoga*, ab eodem verbo deducuntur. Sed videntur primi Christiani, de industria vocis formationem nouam vsurpasse, vt discrimen ponerent inter Christianas synaxes, & Iudaicas synagogas. Nam ante principium Christianismi parum, quod sciam, fuit vsitatum nomen σύναξις: neque memini apud vetustiorem aliquem scriptorem eam vocem obseruasse: quum apud omnes veteres Græcos, nomen συναγωγὴ sit vsu tritissimum. confirmat hoc analogię obseruatio in similibus dictionibus. exempli gratia; ἀπαγωγὴν dicunt veteres, ἄπαξιν, nemo. παραγωγὴ quid sit apud Tacticos, quid apud alios auctores, sciunt & mediocriter Gręce docti: παράξις etiam versatissimis in ea lingua vox, opinor, ignota. idem dicendum de καταγωγὴ & κάταξις: quæ posterior vox, si alicubi legeretur, tam è verbo quod frangere significat, posset videri deriuata, quàm ab eo quod *deducere*: nam κατάξαι est *frangere*, vnde ὠτοκάταξις pugilũ, quibus familiare malum est habere aures cæstibus contusas: & καρυοκατάκτης, apud Aristotelem in Mechanicis, & apud alios auctores, instrumentum quod Plauto dicitur *nucifrangibulum*. ad euitandam igitur ambiguitatem, eiusmodi forma nominum ab ἄγω, quod est *duco*, vsitata non fuit. Vt dubitandum non videatur, quin vocabulum σύναξις, vel ab Hellenistis Iudæis fuerit primò excogitatum, vt alia multa; vel à nouis Christianis, propter illam quam dixi caussam. Hoc notare volui, vt ostenderem, quàm vana fuerit illorum curiositas, qui magno Augustino persuaserunt, Ecclesiam Iudæorum dictam esse *synagogam*, id est, congregationem, *quod congregari & pecora solent*, *atque ipsa proprie, quorum & greges proprie dicimus*; Christianorum vero Ecclesiam, *id est, conuocationem; quia conuocari magis est vtentium ratione*. sunt ipsissima verba Augustini ex enarratione Psalmi LXXX. idemque alibi non vno loco eam obseruationem repetit. quam hodie Bellarminus & alij cum auide arripiunt, vt veteri Ecclesiæ Iudaicæ detrahant: animaduertisse non videntur frigus istius argutiæ; cui præbuit occasionem verbum Latinum *congrego*, à voce grex deductum. Atqui in voce Gręca συναγωγὴ deficit hæc argutia; vt & in Hebraicis Synagogæ appellationibus. neque satis verum est Ecclesiam dictam esse à verbo quod sit proprium ratione vtentium. nam καλεῖν, vnde Ἐκκλησία, & ἀνακαλεῖσθαι de vocatione & reuocatione canum in Kynegetico Xenophontis leguntur. sed & in eo fugit ratio Augustinum, quod de re eadem agens in Psalmum LXXVII. scribit, *Nostram*, inquit, *Apostoli nunquam dixerunt Synagogam, sed semper Ecclesiam*. hanc magni Patris affirmationẽ labefactat vnicus saltem Iacobi locus II. 2. ἐὰν εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν.

ὑμῶν. *si ingrediatur in vestram synagogam*; hoc est, in Ecclesiam vbi conuentus est Christianorum. Latinus interpres vocem Græcam Iacobo vsurpatam vitans, vt videtur de industria, vertit, *in conuentum vestrum.* itaque affirmatio Augustini non de Græco textu, sed de Latina versione reperitur vera: quam tamen ipse tot locis vere & docte monet ad Græcam veritatem esse exigendam. Ignatius epistola prima: χωρὶς πρεσβυτέρων Ἐκκλησία ἐκλεκτὴ οὐκ ἔστι, οὐ συνάθροισμα ἅγιον, οὐ συναγωγὴ ὁσίων. etiam hîc *synagoga* vsurpatur de Ecclesia Christiana. contrà de Iudaica synagoga nomen σύναξις obseruaui aliquando positum, etsi rarissimè. Theophylactus in Matthæi caput XXVIII. ὢ παράνομοι Ἰουδαῖοι πρὸς τὸν ἀλλόφυλον Πιλᾶτον συνάγονται, ἀντὶ τῆς νενομισμένης συνάξεως. Est alioquin illud verissimum, quod antè dicebamus; primos Christianos nomen synaxis vsurpasse vt cœtus suos ipso etiam nomine discernent à Synagogis Iudaicis, vel hereticorum. Nam auctor est Epiphanius in disputatione contra Ebionitas, hæreticos de quibus ibi loquitur, suos conuentus appellasse *synagogam*, non Ecclesiam, & suos præpositos *Archisynagogos.* itaq; Zacharias Papa, cùm Gregorij Magni Dialogos in Græcam linguam verteret, vocem *congregatio* semper vertit συνοδία: & ita Græci aliquando nominant Ecclesiam. Ireneus de Valentino, ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας. dicuntur συνοδίαι etiam societates monachorum, vt in prouerbio quod alibi exponimus è Palladij Lausiacis, ὁ σπόγγος τῆς συνοδίας. At falsorum Christianorum conuentus appellantur vulgo à Græcis παρασυναγωγαί, aut etiam interdum παρασυνάξεις. Latini scriptores σύναξιν *collectam* dicunt, & συνάγειν *collectam agere*; & ita sæpe apud veteres Patres, & in antiquis Martyrũ Actis: aut etiam *colligere*, vt in edicto Theodosij ad Insignium Præf. Prẹt. *sibi existimant colligendi copiam contributã.* inde apud Augustinum sæpe, *colligere* simpliciter & *colligi*, pro conuertere aut conuerti ad fidem Christianam. Porrò in ijs veterum scriptorum locis, vbi occurrunt dictiones συνάγειν aut σύναξις, iudicio Lectoris est opus. Nam quod affirmat Dionysius, ipsam Cœnæ Domini celebrationem *synaxin* peculiari nomine appellari; verum id quidem est: sed non vbique locum habet. Ipse Dionysius in libro de sacramentis sic accipit, vt puto, semper. itaque obseruat Pachymeres σύναξιν Dionysio, non significare congregationem populi, vt ipsius ætate ea vox accipiebatur; quæ & συνέλευσις Iustino dicitur; sed coniunctionem cum Christo, quæ fit per huius sacramenti participationem. Sic ille ad caput tertium; Σύναξιν νοητέον, οὐ τὴν τοῦ λαοῦ, καθὼς τὴν λέξιν συνήθως ἐκλαμβάνονται. ἀλλὰ τὴν πρὸς Θεὸν συναγωγὴν, καὶ κοινωνίαν. & clarius capite IV. Σημείωσαι ὅτι σύναξιν μόνην τὴν λειτουργίαν φησὶ, καθ᾽ ἣν τῶν θείων μυστηρίων κοινωνοῦσιν

κοινωνοῦσιν οἱ ἄξιοι· ἐπὶ τούτῳ γὰρ καὶ τὸ ὄνομα λαμβάνει, οὐ διὰ τὸ συνάγεσθαι τὸν λαόν, καθώς οἰηθείη τις, ἀλλὰ διὰ τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν, καθ᾽ ἣν τῷ Σωτῆρι Χριστῷ, ὡς μέλη τῇ κεφαλῇ συναγόμεθα. *Obserua solam Liturgiam, in qua mysteriorum fiunt participes qui digni sunt, à Dionysio appellari* Synaxin. *nam eo sensu id nomen ipse accipit, non quia* συνάγεται *congregatur populus, vt aliquis existimare queat: sed propter communionem cum* V N O, *per quam Seruatori Christo, vt membra capiti,* συναγόμεθα, *coniungimur.* Hæc obseruatio vera est: nam ipsum Deum, qui per sacramenta hanc coniunctionem operatur, Dionysius συναγωγὸν propterea appellat, initio Hierarchiæ cœlestis: ἐπιστρέφει ἡμᾶς πρὸς τὴν τοῦ συναγωγοῦ πατρὸς ἑνότητα. Alijs scriptoribus συνάγειν & σύναξις simpliciter vsurpantur de conuentibus Christianis, sine respectu ad Eucharistiam. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi XVIII. ἐκκλησία καλεῖται φερωνύμως, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι, καὶ ὁμοῦ συνάγειν. & quam Theologi appellant Ecclesiam visibilem, eam dici obseruaui à Basilio M. αἰσθητὰς συνάξεις, in vtraque homilia in Psalmum XXVIII. Aliquando expresse distinguitur synaxis à celebratione sacramenti. Socrates libro quinto; πάντα τὰ συνάξεως ποιεῖ, δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς. Chrysostomus homilia in Acta XVIII. ostendit, in vicorum & pagorum Ecclesijs, sacramentum quidem diebus tantum Dominicis solitum celebrari; at preces & synaxes quotidie. εὐχαὶ ἐκεῖ διηνεκεῖς διὰ σὲ· ὕμνοι καὶ συνάξεις. διὰ σὲ προσφορὰ καθ᾽ ἑκάστην Κυριακήν. idem homilia in verba Pauli I. Cor. XI. 19. συνιόντες οἱ πιστοὶ πάντες, μετὰ τὴν τῆς διδασκαλίας ἀκρόασιν, μετὰ τὰς εὐχάς, μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν τῆς συνάξεως λυθείσης. hic synaxis nomen generale est, quod omnia complectitur in conuentibus Christianorum fieri solita. alibi eidem, συνάξεως ἁγίας κοινωνεῖν, idem est ac πνευματικῆς μετέχειν διδασκαλίας. vt in x. Statuarum. Idem, aduersus Iudæos libro II. suos auditores hortatur, vt errantes reuocare in viam studeant; ἵνα, inquit, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν σύναξιν μετὰ πολλῆς παρρησίας ἀπαντήσωμεν, δῶρα τῷ Θεῷ κομίζοντες: *vt ad proximam synaxin pleni fiduciæ occurramus, dona Deo adferentes.* hic synaxis videri queat esse ipsa communio: nam donorum oblatio Eucharistiam designat, non tantum preces, aut verbi auditionem. quare doctissimus Erasmus de communione accepit: quem tamen eo nomine viri docti reprehendunt, in Notis Parisiensibus ad illum librum. Negant illi *synaxin* significare Eucharistiam: quod tamen verbis expressissimis & Dionysius & Thomas affirmant. Sed, vti dicebam, iudicio opus in hac voce exponenda. Apud Epiphanium legimus in epitome de fide Catholica; Apostolos instituisse συνάξεις ἐπιτελεῖσθαι τετράδι καὶ προσαββάτῳ καὶ Κυριακῇ. *vt fierent synaxes quarta feria, die ante sabbatum, & dominica.* Hic potest dubitari an simpliciter

conuentus

conuentus sacri intelligantur ad Verbum audiendum & orandum; an etiam de Cœnæ Domini celebratione senserit Epiphanius. Ratio dubitandi oritur ex obseruatione diuersa veterum Ecclesiarum. Nam vt testatur Socrates, pleræque omnes Orbis terrarum Ecclesiæ, & his diebus & sabbatis etiam ad synaxes conueniebant, in quibus mysteria celebrabantur. Alicubi, vt Alexandriæ, mos fuit diuersus, quod obseruat idem Socrates, illo libri quinti capite XXII. & è Iustini Apologia II. constat nonnullas Ecclesias ad participationem panis mystici diebus dumtaxat Dominicis, siue vt ipse appellat, Solis, conuenisse: Qui ante annos mille plus minus Græcos scriptores Ecclesiasticos in Latinum sermonem vertebant; ij fere vbique συνάξιν pro communione acceperunt; & vsum loquendi suorum temporũ secuti, *Missam* verterunt. Potest fieri, vt alicubi sic verterint, vbi de communione non agitur, & errarint: vbi verò de Eucharistia sermo est, nimis iniquum sit hodie, de voce quam in vertendo vsurparunt, negotium illis facessere. Nam & Iulianus interpres Nouellarum antiquissimus & eruditissimus, alijq; viri doctissimi, Græcas voces σύναξις & λειτουργία, sic exposuerunt, vsum, vt dixi, suorum temporum secuti. sed de illa voce postea. Græci loca synaxibus dicata appellarunt συνακτήρια. Postremo ne illud quidem prætermittemus; etsi non extat in Scripturis vox *synaxis*, at verbum vnde illa deriuatur, in eadem notione extare, vt Matth. XVIII. 20. Ioh. XV. 52. Act. XI. 26. XIV. 17. & XX. 7.

XLIII. ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ. MYSTERIVM. SACRAMENTVM. *Origo vocis* mysterium. *Varia notio eius vocis in Scripturis.* μυστήριον ἀνομίας *aut* κακίας. Sacramentum *diuersa notione.* *Cur Sacramentum Patres dixerint* mysteria. *Ea vox desumpta è sacris opertaneis paganorum. Pauli exemplo Patres multa Paganorum instituta & nomina traduxisse ad religionem Christianam. Mysteria variorum Deorum. Finis mysteriorum. Gradus in mysterijs.* κάθαρσις, σύστασις, μύησις, ἐποπτεία. *Signacula & typi mysteriorum, ac symbola. communio hominum cum alijs animalibus expressa in mysterijs. Confeßio in mysterijs & excommunicatio;* ἀντίφωνα λέγειν. *item sacrum silentium.* ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια. *Quomodo Patres nomina & instituta horum sacrorum veræ pietati accommodarunt.* μύησις, μυσταγωγία, τελεταὶ, *& id genus voces.* Τὰ μυστήρια *de Eucharistia. gradus in hoc sacr.* κάθαρσις, μύησις, τελείωσις vel ἐποπτεία. Catechumeni, *siue* competentes & fideles. *gradus circa lapsos. Bellarmini hallucinatio. Sacramenta viatica morientum.* θέωσις. *desideria epoptarum*

tarum & Competentium. Symbolum fidei. Silentium veteribus Christianis vsurpatum de hoc sacramento. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. norunt initiati. *siluisse autem non tam rem significatam quàm signum.* περιηχεῖσθ. ἐνηχεῖσθαι. *Calumnia paganorum, quod sacra sua occultarent Christiani. Responsio veterum. Siluisse veteres etiam alia præter hoc sacramentum. aliquando etiam apud Fideles quædam, vt vocem* ὁμοούσιος. *Caussæ huius silentij, I. rerum sublimitas. II. vt rerum sacrarum accenderetur cupiditas. III. metus à contemptu. inde locutiones figuratæ, & verborum ampullæ. Dionysij Areopagitæ stylus. Alia multa.*

IBIDEM.

VOx μυστήριον & in Scripturis sępe legitur, & à Patribus Gręcis Latinisque ita crebro vsurpatur, præsertim in mentione Sacramentorum, vt quædam accuratius de ea hoc loco adnotasse, operam lusisse videri, opinor, non queat. Originem nominis esse Hebraicam, vix potest dubitari. סתר *satar* est *occultare.* מסתר *mistar*, aut מסתור *mistor* est *res abscondita, secretum*; mysterium igitur. Gręci grammatici etymum varie explicant. μυεῖν est, *arcanam doctrinam tradere.* μυεῖσθαι, *illa doctrina imbui.* inde μυστήριον, vsitata formatione. Alij etymum sic explicant; παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα: *quod os claudant qui audiunt*: nempe ad seruandum silentium de quo postea. Iamblichus tamen, vt refert Photius, à magica obseruatione circa mures vult appellata τὰ μυστήρια; quod illius viri eruditione est indignum. In Scripturis aliquando tota doctrina Christiana vocatur mysterium, aut mysteria. Sic Matth. XIII. 2. Lucæ VIII. 10. Marci IV. 2. dicit Dominus, solis discipulis suis datum esse, γνῶναι τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, *nosse mysterium regni cœlorum.* & Paulo sępe in epistola ad Ephesios, atq; alibi, *mysterium* appellatur, vniuersa Christi & de Christo doctrina: quam Deus ab æterno absconditam apud se quum habuisset, tempore suo mortalibus patefecit, vt sępe idem Apostolus repetit. I. Corinth. IV. 1. Apostoli dicuntur οἰκονόμοι μυστηρίων Θεοῦ, *dispensatores mysteriorum Dei*, Verbi nempe, Sacramentorum, & totius doctrinæ Christi. & in Tragœdia *Christus patiens*, Apostoli sępe nominantur *Mystæ.* I. Timoth. III. 9. Fides appellatur *mysterium.* Aliquando capita quædam doctrinæ Christianæ peculiariter ita vocantur, vt I. Cor. XV. 51. *Ecce mysterium vobis dico; non omnes quidem dormiemus; sed omnes immutabimur.* & coniunctio Christi cum Ecclesia, dicitur *magnum mysterium*, Ephes. V. 32. sicut reuelatio Christi dicitur τὸ τῆς εὐσεβείας μέγα μυστήριον, in priore ad Tim. III. 16. In posteriore ad Thessal. II. 7. dicitur consummari

ſummari in Antichriſto τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας, *myſterium iniquitatis* ; hoc eſt, occulta quædam iniquitas, alta, profunda, & numeris omnibus abſoluta : nam ea vis eſt eius locutionis ; quam obſeruo etiam apud alios auctores. Ioſephus Iudaici belli libro I. loquens de Antipatro filio Herodis, bipedum ſceleratiſſimo ; ὃν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κακίας μυστήριον : *non errauerit, qui dixerit, vitam Antipatri fuiſſe malitiæ myſterium.* Nec multo aliter loquitur Dionyſius Halic. cùm in epiſtola ad Pompeium ait, Theopompum hiſtoricum cauſſas rerum quas narrat inquirere, καὶ πάντα ἐκκαλύπτειν τὰ μυστήρια τῆς τε δοκούσης ἀρετῆς, καὶ τῆς ἀγνοουμένης κακίας. Diuerſo ſenſu apud Herodianum libro octauo, ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος, iuſiurandum quod præſtabant Legiones, dicitur eſſe τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον, *imperij Romani graue myſterium*, ſiue, vt loquitur Tacitus, *arcanum dominationis.* iccirco id iuſiurandum Romani vocabant *ſacramentum*. Et μυστήριον apud Græcos, & *Sacramentum* apud Romanos, voces ſunt religionis, reuerentiæ cuiuſdam & maieſtatis plenæ. propterea iam inde à principio Eccleſia illarum vſum ſibi vindicauit ; neque ſolum in commune omnia religionis arcana nominauit myſteria & ſacramenta : ſed peculiariter doctrinæ illi, quam de ſignis Auguſtinus & Lombardus appellant, Græci συμβολικὴν θεολογίαν. eas dictiones accommodauit. Sacramenta enim & μυστήρια nuncuparunt rerum invisibilium ſigna viſibilia, quæ Deus ipſe in Eccleſia ſua inſtituit. Obſeruant doctiſſimi è Rabbinis, inter מצות & חוקים hanc eſſe differentiam ; quod *mitſuoth*, ſiue præceptorum ratio aperta eſt ; vt, Deum cole : honora patrem & matrem. at *chukim* ſtatuta, ſiue decreta earum rerum eſſe dicunt, quarum טעם ratio ſoli Deo ſit nota, & comperta, vt circumciſionis & ſimilium. Ad hoc genus pertinent Sacramenta Gratiæ ; quorum in nouo Teſtamento, nullum eſt, vt videtur, commune nomen, niſi fortaſſe σφραγὶς *ſignaculum* : quod tamen circumciſioni aut baptiſmo tribui fere videas à Græcis Patribus, S. Euchariſtiæ non ita frequenter. Syri ſacramentum appellant ארזא & רזין *arcana, myſteria*. Seuero Alexandrino baptiſmus nominatur ראזא *ſacramentum.* quod nomen etiam Chriſmati ab eo tribuitur, & Euchariſtiæ. aut plenius, *raza depagreh vademeh.* ſacramentum corporis & ſanguinis Filij Dei. & חתמא σφραγὶς, *ſigillum* : item רושמא *ſignum* aut γνώρισμα, nempe *nouæ vitæ.* dicitur etiam רהבונא ἀρραβὼν τῆς υἱώσεως ἡμῶν, *pignus adoptionis noſtræ in filios Dei.* B. Chryſoſtomus homilia VII. in priorem ad Corinth. ad Pauli verba, *loquimur Dei ſapientiam, quæ abſcondita eſt*, rationes multas affert, cur doctrina Chriſtiana, præſertim autem ſacramentalis, appelletur *Myſterium.* Prima ratio eſt, quia Deus illud ſuum conſilium de redemptione homi-

num clam habuit, ac ne Angelis quidem aperuit, priusquam hominibus ipsis illud panderet. deinde ex ea appellatione ipse elicit, fidei arcana non temere apud indignos esse euulganda : sed vt pretiosam margaritam à contemptu esse vindicanda. Elicit etiam inde, mysteria Dei non esse profananda λόγοις περιττοῖς, rationibus aut ratiocinationibus exquisite excogitatis. ὃ γὰρ μυστήριον, ait, κατασκευῆς οὐ δεῖται· ἀλλ' ὅπερ ἐστὶ τοῦτο μόνον καταγγέλλεται· ἐπεὶ οὐκ ἔσται μυστήριον θεῖον καὶ ὁλόκληρον, ὅταν παρὰ σαυτοῦ τι προσθῇς : *mysterium enim operosa argumentatione opus non habet, sed tantum illud enuntiatur quod est : nam si aliquid & ipse de tuo adieceris, iam non erit mysterium diuinum ; non certè ex omni parte.* Alia deinde ratio affertur à Chrysostomo : quia in mysterijs ἕτερα ὁρῶμεν, ἕτερα πιστεύομεν· ἑτέρως οὖν ἐγώ· ἑτέρως δὲ ὁ ἄπιστος περὶ τούτων διακείμεθα : *alia videmus, alia credimus ; aliter illis afficior ego fidelis, aliter infidelis.* Fidelis, ait, audit Christum in Cruce passum, & bonitatem illius admiratur : infidelis putat id esse infirmitatis illius argumentum. sic de cæteris. deinde quomodo sacramenta sunt mysteria declarans ; Infidelis, inquit, si lauacrum audiat, aquam simpliciter cogitat : ego non simpliciter quid agatur intueor ; sed animi purgationem per Spiritum. ille putat corpus mihi lauari : ego cogito sepulturam, resurrectionem, sanctificationem, Spiritus donationem : οὐ γὰρ τῇ ὄψει κρίνω τὰ φαινόμενα· ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας : *non enim ex aspectu judico de ijs quæ cernuntur, sed oculis mentis.* subijcit postea de Eucharistia. Sed totam illam disputationem apud ipsum auctorem legant studiosi : est enim insignis. Omitto quæ in eandem sententiam leguntur apud alios Patres. Sciendum verò est, primos Christianos, cùm sacramenta vocarunt *mysteria, teletas, mystagogiam,* aut similibus nominibus, transtulisse ea vocabula ex ijs Paganorum sacris, quæ Græci μυστήρια nominabant, & Latini etiam *mysteria*, aut *initia*, aut interdum *sacra opertanea* vt Plinius, aut *sacra operta*, vt Flaccus. Nam quod videmus fecisse Athenis Paulum, ductorem Christiani exercitus, sicut appellatur Hieronymo, vt inscriptionem fortuitam arte torqueret in argumentum fidei, & ex ara Ignoto Deo inscripta, occasionem sumeret verum Deum Atheniensibus annuntiandi ; id pios Doctores in conuertendis Gentibus magno cum fructu sæpe fecisse res arguit, & quæ hîc sumus obseruaturi manifestissime ostendent. Constat nihil magis olim paganos auertisse à fide in Christum, quàm opinionem nouitatis. Fit enim naturæ quodam instinctu & iudicio, (recto sane; si illo recte vtamur;) vt in religionis negotio noua omnia sint suspecta & fere exosa : traditas à maioribus opiniones mordicus retineamus : ita vt hac

potissimum

potiſſimum in parte verum ſit, quod antea dicebamus, τὸ μεταδιδάσκειν χαλεπώτατον: *res eſt difficillima contrarium aliquid docere eius quod prius fuit creditum.* Paulus igitur, quò facilius doctrina ſua admitteretur, amota ſuſpicione nouitatis, ingenioſo quodam, vt ſic dicam, ſtratagemate, aræ illius occaſionem arripit, & Athenienſibus eum Deum ſe dicit prędicare, quem ipſi iamdudum colebant. Inſignia Apoſtoli verba ſunt: ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *quem ergo ignorantes pie colitis, hunc ego vobis annuntio.* Nimirum, vt vere ſcribit B. Auguſtinus De vnico baptiſmo contra Petil. cap. quinto, *noluit Apoſtolus deſtruere verum, quod inuenit in lapide Paganorum.* Vide eundem plura in eandem ſententiam diſſerentem, libro ſexto extremo, De baptiſmo contra Donatiſtas. Hanc Pauli ſanctam prudentiam Antiſtites primos religionis Chriſtianæ ſæpe eſſe imitatos, facile intelligent, qui antiquiſſimos pietatis noſtrę ritus cum ijs comparabunt, qui prius fuerunt apud paganos. Multa nomina antiquæ ſuperſtitionis, multi ritus & cærimoniæ retentæ: ſed pia adhibita interpretatione omnia in melius verſa: planéque vt alicubi ait Beda, *pertinaci paganiſmo mutatione ſubuentum eſt, quum rei in totum ſublatio potius irritaſſet.* An hoc conſilium pro tempore vtile, in damnum veritatis poſtea verterit, non hic diſputo. Fuerunt ſane iam inde à principio Eccleſiæ viri magni, qui ritus paganicos in Eccleſiam inuehi quererentur, & inuectos eo ipſo nomine reſpuerent, *quia apud idola celebrarentur*, vt loquitur Tertullianus; cuius lege librum De oratione, capite XII. Verùm hęc quæſtio alibi accuratius eſt tractanda. Enimuero mirum dictu & cogitatu horrendum, quantopere olim Satan, per illa quæ dicebantur myſteria, hominibus illuſerit. Quoniam enim, neſcio quæ veritatis ſcintilla inter fœda alioquin mendacia, & denſiſſimas tenebras micabat; tanti hæc ſacra facta ſunt, vt fidem omnem res ſuperet; veréque Auguſtinus ſcribit, De Trinitate lib. III. cap. X. *Diabolum animas deceptas illuſaſque præcipitaſſe, quum polliceretur purgationem animæ, per eas quas* τελετὰς *appellant, transfigurando ſe in Angelum lucis, per multiformem machinationem, in ſignis & prodigijs mendacij.* Erant autem ſacra huius generis apud Græcos, (nam Romani non ita apud ſe coluerunt: noctu enim peragebantur præcipui fere horum ritus: Romani autem ſacra nocturna ſemper improbarunt, vt & Cicero teſtatur in II. de legibus:) plura & diuerſa: Matris Deûm in Samothracia; Hecatæ, multis in locis; Cereris & Proſerpinæ, Eleuſine in Attica; Bacchi in Bœotia; Mithræ in Aſia; Orphei paſſim in Græcia; Iſidis in Ægypto, & multis alijs in locis, teſte etiam Apuleio, qui *Teletas* vocat. Et erant alia maiora, alia minora, quibus initiandi præparabantur ad maiora. Ipſa ſacra μυ-

στήρια dicta; operatio ſacrarum μύησις; & qui percipiebant illa ſacra, μύσται, τελεσταὶ, τελίσκεσθαι, aut τελειοῦσθαι. Nam ſcopum ſacrorum dicebant τέλος, *finem*. Finem autem interpretabantur, perductionem animæ ad illum ſtatum, in quo erat prius quam deſcenderet in corpus. Olympiodorus in Platonis Phędonem: Σκοπὸς τῶν τελετῶν ἐστιν, εἰς τέλος ἀναγαγεῖν τὰς ψυχὰς ἐκεῖνο, ἀφ' οὗ τὴν πρώτην ἐποιήσαντο κάθοδον, ὡς ἀπ' ἀρχῆς. in quo apparet veriſſimum, quod dicebat Tertullianus Apolog. cap. XLVII. *omnia aduerſus veritatem, de ipſa veritate constructa eſſe, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris.* Nam iſtud τέλος Olympiodori, quid aliud eſt, niſi ſtatus perfectionis, ex quo excidimus in veteri Adamo, & in quem aut multo meliorem, per nouum Adamum ſumus reſtituti? Finem vero vltimum & fructum horum myſteriorum eſſe dicebant; quod initiati poſt mortẽ cum dijs eſſent habitaturi: quum non initiati, in cœno & luto, atque vt vetus poeta ait, Βορβόρῳ ἐν περιχοαῖς, ſeſe eſſent volutaturi. Plato in Phædone: Κινδυνεύουσιν καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν καταστήσαντες, οὐ φαῦλοί τινες εἶναι. ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι ὅτι, ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται· ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος, ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ θεῶν οἰκήσει. gemina his ſcribunt Plutarchus, Diogenes Laertius in Antiſthene, & Diogene Cane, & alij. Arrianus in diſſertationibus Epicteti, lib. III. cap. XX. ipſum inducit hæc dicentem; οὕτως ὠφέλιμα γίνεται τὰ μυστήρια· οὕτως εἰς φαντασίαν ἐρχόμεθα, ὅτι ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεστάθη πάντα ταῦτα ὑπὸ τῶν παλαιῶν. ex quo apparet, crediſſe Epictetum, cum reliqua turba ſapientum ſeculi, myſteria fuiſſe à priſcis inſtituta, ad emendationem morum, & hominum vitam corrigendam. Ciceronis verò de his ſacris locus eſt illuſtris in II. de legibus, ex quo facile intelligas, quanti fœdiſſimæ ineptiæ, in illis *ignorantiæ temporibus*, vt appellat Paulus, æſtimarentur. *Mihi*, ait, *cùm multa eximia diuináq; videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vitam hominum attuliſſe; tum nihil melius illis myſterijs, quibus ex agreſti immaniq; vita, exculti ad humanitatem & mitigati ſumus; initiaque, vt appellantur, ita re vera principia vitæ cognouimus: neque ſolum cum lætitia viuendi rationem accepimus; ſed etiam cum ſpe meliore moriendi.* Quam vocat M. Tullius *rationem moriendi cum ſpe meliore*, eam Sophocles affirmat fuiſſe certam ſpem viuendi poſt mortem, ſi quis eſſet initiatus: quum non imbutos illis ſacris mala in Inferis manerent.

– ὡς τρισόλβιοι
Κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
Μόλωσ' ἐς ᾅδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
Ζῆν ἐστι· τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Sed philoſophi Platonici, cum huiuſmodi ſacrorum, tum vniuerſæ, vt

ipſi

ipsi appellant θεωρητικῆς ἀληθείας, finem statuunt, vt euadat homo quàm simillimus Deo, atq; adeo, Deus fiat, sicut in diatriba de Communione dicebamus. Et scopus quidem ac finis vltimus horum mysteriorum iste fuit: ratio vero eorum sacrorum, illa in vniuersum erat: vt qui se disciplina imbuendos traderent, paullatim purgati ab huius vitæ inquinamentis, & peccatorum sordibus, per certos gradus & definita temporum interualla, ad nescio quorum ingentium arcanorum perceptionem, atque notitiam perducerentur. Olympiodorus; ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦντο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις· εἶτα ἐπὶ ταύταις αἱ ἀπορρητότεραι· μετὰ ταύτας συστάσεις· καὶ ἐπὶ ταύταις μυήσεις· ἐν τέλει δὲ ἐποπτεῖαι. *In sacris præcedebant publicæ purgationes; deinde has excipiebant aliæ reconditiores: post has aggregationes: tum sequebantur initiationes: ad extremum epoptiæ:* siue sacrorum omnium plena participatio. ἐποπτεύειν enim est, percipere quicquid sanctissimum est in sacris: nihil enim vlterius fuit, quàm vt fieret aliquis epopta. Tertullianus in Valentinianos auctor est; mystas qui tradebant sacra Eleusinia, *epoptas ante quinquennium instituisse, vt opinionem suspendio cognitionis ædificarent.* Sane gradus proponuntur hic ab Olympiodoro quinque: quibus fortasse respondebat hoc quinquennium: purgationes communes: purgationes reconditiores: συστάσεις, (quam vocem postea explicabimus:) initiationes & epoptiæ. atque eosdem gradus idem repetit, sic scribens: ἀνάλογον, inquit, αἱ ἠθικαί τε καὶ πολιτικαὶ ἀρεταὶ τοῖς ἐμφανέσι καθαρμοῖς· αἱ δὲ καθαρτικαί, ὅσαι ἀποσκευάζονται πάντα τὰ ἐκτὸς, τοῖς ἀπορρητοτέροις. αἱ δὲ περὶ τὰ νοητὰ θεωρητικαὶ ἐνέργειαι ταῖς συστάσεσιν· αἱ δὲ τούτων συναιρέσεις εἰς τὸ ἀμέριστον, ταῖς μυήσεσιν· αἱ δὲ ἁπλαῖ τῶν ἁπλῶν εἰδῶν αὐτοψίαι, ταῖς ἐποπτείαις. Peragebantur autem hæc initia, adhibitis quibusdam symbolis, quæ ad recordationem erant institutæ rerum certarum. Habes multa de huiusmodi signaculis apud Clementem in Protreptico, Arnobium libro quinto, & in erudito libello Iulij Firmici, quem ex professo de his mysterijs scripsit. In nonnullis sacris aqua adhibebatur in similitudinem baptismi. Augustinus De baptismo contra Don. lib. VI. cap. XXV. *In multis idolorum sacrilegis sacris, baptizari homines perhibentur.* Ad alia sacra adhibuerunt mystæ symbola panis & poculi; sed aquæ non vini, neq; κράματος. Iustinus Apologia altera narrat, malos dæmonas in Mithræ mysterijs S. Eucharistiæ æmulationem quandam tradidisse. ὅτι γὰρ ait, ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. Ecce panem & poculum; sed aquę, vt dixi, non vini: ecce verba solemnia super symbolis proferri solita: id enim significat isto loco vox ἐπίλογοι, q. d. *superdicta*; qua voce vtuntur Iurisconsulti. Etiam Arrianus loco paullo ante indicato, sacras myste-

riorum

riorum voces commemorat, quas magna cum reuerentia excipi solitas ostendit: ἱεραὶ, inquit, εἰσὶν αἱ φωναὶ αὗται καθ' αὑτάς. Iam quum Eucharistia & sit & dicatur communio, sicut antè est expositum: in ijsdem Mithræ mysterijs communio quæ est omnibus animantibus inter se, miro symbolorum genere exprimebatur. Porphyrius de abstinentia ab esu animalium libro IV. Ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις, τὴν κοινότητα ἡμῶν τὴν πρὸς τὰ ζῶα αἰνιττόμενοι, διὰ τῶν ζώων ἡμᾶς μηνύειν εἰώθασι· ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας, λέοντας καλεῖν· τὰς δὲ γυναῖκας ὑαίνας. τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας κόρακας· ἐπί τε τῶν πατέρων· ἀετοὶ γὰρ ἱέρακες· ὅ, τε τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνων περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφάς. *In Mythræ mysterijs nostram cum animalibus communionem velut ænigmate exprimentes, solent per ipsa animalia homines significare: ita vt eos qui eadem orgia participant, leones appellent: mulieres hyænas: qui ministrant, coruos. Fit hoc & in patribus: nam hi aquilæ dicuntur & accipitres; & qui Leontica sacra suscipit, animalium figuris omnis generis amicitur.* Præter huiusmodi signa quibus vtebantur in ipso actu initiationis, habuerunt & symbola alia, quæ pro tessera erant thiasotis eorundem sacrorum, per quę sese inuicem agnoscerent. Talia sunt apud Clementem, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκιρνοφόρησα· ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. *Bibi è cymbalo; fui cirnophoros, & sacrum vas gestaui; sacrum thalamum*, aut *thensam subij.* apud Firmicum, Θεὸς ἐκ πέτρας, *Deus è lapide*: apud vtrumque, Ταῦρου δράκοντος, καὶ δράκων ταύρου πατήρ, *Taurus draconis, & draco tauri pater.* Iam ad hæc mysteria admittendi confessionem peccatorum, saltem grauiorum, prius edebant. Apparet ex eo, quod narrat Plutarchus in Apophthegmatis; Antalcidam, cùm erat initiandus à mystagogo fuisse interrogatum, *cuius maximi peccati esset sibi conscius?* Idem in Laconicis similem historiam narrat; Λάκωνά τινα τὶς μυσταγωγῶν, ἠρώτα τί πράξας ἑαυτῷ συνοίδεν ἀσεβέστατον. *cum aliquis mystagogus Laconem initiaret, interrogauit eum, cuius facinoris maxime impij sibi conscius esset.* Palàm improbos & grauioribus sceleribus impiatos, aditum ad mysteria non habuisse, fidem facit vetus formula, vim excommunicationis habens: ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. *procul hinc, procul ite profani.* & multo magis notissima historia de Nerone Augusto ad sacra Eleusinia post occisam matrem accedere non auso. Suetonius capite XXXIV. Ad hæc, mysteriorum cupidis castimonia ad certum tempus indicebatur. Qui in casto erant, humicubitiones exercebant, à multis cibis abstinebant, & σκληραγωγίας multa instituta rigidissime obseruabant, quod Græci Latinique scriptores passim testantur, vt Apuleius, Porphyrius atque alij. Auctor est Libanius in Corinthiorum actione, mystagogos summa diligentia initiandos ante omnia monuisse, vt manus puras animumque sibi seruarent

purum:

purum: καὶ τὴν φωνὴν Ἕλληνας εἶναι; *& vt in voce siue sermone Græcos se præstarent.* hoc quidem profectò ridiculum ; quasi faceret ad veram pietatem, Græca potius, quàm alia lingua loqui. deinde subijcit, singulos priuatim fuisse interrogatos, (tunc videlicet, cùm peccata confitebantur ;) ὁ σῖτος, καὶ ὁ μὴ σῖτος δὲ ἐγκύπτω· οὐ καθαρὸς πρόσει. quorum verborum sententia est ; non accedere purum ad percipienda mysteria, nisi qui legitimum cibum comederit, & ab illegitimo abstinuerit. Possem hîc commemorare multa exempla obseruationum eò spectantium ; quas breuitatis caussâ prætermitto. Tertullianus obiter meminit in libro de ieiunijs aduersus Psychicos, *Xerophagias verò nouum affectati officij nomen, & proximum ethnicæ superstitioni, quales castimoniæ Apim, Isidem, & Magnam matrem certorum eduliorum exceptione purificant.* Etiam vestem, etiam comæ compositionem peculiarem habuerunt illorum sacrorum hierophantæ, vt præter alios, ostendit Arrianus in tertio Dissertationum. Obseruaui etiam in Mysterijs, populum aut initiatorum turbam Sacerdotibus respondisse, quod in historia Ecclesiastica dicitur ἀντίφωνα λέγειν, vel ᾠδὰς ἀντιφώνους, vt apud Socratem libro VI. cap. VIII. Scribit enim Aristophanis Græcus interpres, in quibusdam sacris Bacchicis, daduchos aut alios ministros sacrorum solitos adstantium coronam ita compellare, Αἰνεῖτε Θεὸν *Laudate Deum:* illos autem respondisse, Σεμελήϊ' Ἴακχε πλουτοδότα, *ô Semelæ fili Iacche, opum largitor.* quod videtur esse principium hymni alicuius in honorem Liberi Patris. Affine est apud Eusebium Historiæ lib. II. cap. XVII. τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια συνεξηχεῖν; *hymnorum vltima verba repetere concinendo cum ministris sacrorum.* è libro Philonis de Essenis, non vt putauit Eusebius de Christianis. Supra omnia diligentissime caueri solitum, ne horum sacrorum arcana τοῖς ἀμυήτοις, hoc est, religionis imprudentibus, quos profanos vocabant, innotescerent. Nam vt Diodorus Siculus scribit libro III. περὶ τῶν μυσταγωγουμένων κατὰ τὰς τελετὰς οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν τὰ κατὰ μέρος. Itaq; Herodotus, Plutarchus, Eunapius, alij scriptores, quum in eorum mentionem incidissent, negant fas sibi esse ea loqui quæ sciant. Artemidori verba sunt, libro II. cap. XLII. vbi de Hecate loquitur ; περὶ τούτων λέγειν, ὅτι ὅσιοι, ὅτι ἀσφαλές· εὔδηλος δὲ ὁ λόγος τοῖς μεμυημένοις τῇ Θεῷ· οἱ δὲ ἀμύητοι παρὰ τῶν μεμυημένων μανθανέτωσαν. Est Græcis in eam rem locutio elegans in crebro vsu, περὶ τὴν μυστικὴν εὔστομά μοι κείσθω. qua significant, perperam eos ore vti, id est loqui, qui mysteria euulgant. atque hoc qui facerent, ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια propriè dicebantur ; vt apud Plutarchum, Lucianum, Synesium, alios. Arrianus loco indicato: σὺ ἐξαγγέλλεις τὰ μυστήρια, καὶ ἐξορχῇ παρὰ χοιρέων, παρὰ τὸ ποῖ, ἀπὸ θυμάτων. Nam ἐξορχεῖσθαι est, irreuerenter

habere,

habere, foras proferre, atque vt exponit Hesychius χλευάζειν, καὶ ὑβρίζειν. proprie ἐξορχεῖσθαι significat ἐκβαίνειν τοῦ ῥυθμοῦ καὶ τῆς ὀρθότητος. *rythmum excedere & regulam rectam*, vt loquitur Aristides in docta disputatione κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, quem titulum alibi exponebamus. Atque huius silentij tanta fuit religio, vt nec qui violaret, nec qui oculos curiosos in hæc sacra immitteret, impune ferret. Rem memorabilem narrat Liuius libro XXXI. *Acarnanes*, inquit, *duo iuuenes, per initiorum dies, non initiati, templum Cereris*, (Athenis aut Eleusine) *imprudentes religionis cum cætera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit, absurde quædam percunctantes: deductique ad antistites templi, quum palàm esset per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt.* Nota est & Penthei laniatio propter inspecta mysteria: quò respiciebat Synesius, libro de prouidentia, scribens, quum loqueretur de silentio mysterijs debito: ὅ,τε ἐκφήνας, ὅ,τε ἰδὼν νεμεσᾶται παρὰ τοῦ θείου· καὶ λόγοι Βοιώτιοι τοὺς ἐνδιαλομένους καὶ ἐποπτεύοντας ὄργια Διονύσου σπαράττουσιν· ἀγνωσία σεμνότης ἐπὶ τελετῶν· καὶ νὺξ διὰ τοῦτο πιστεύεται τὰ μυστήρια. *& ei qui patefecit, & ei qui vidit succenset numen. sermones etiam Bœotij eos qui insiliunt & contemplantur, Liberi Patris orgia dilaniant. ignoratio mysteriorum est illorum veneratio: propterea nocti creduntur mysteria.* Ex ijs quæ diximus, vtcunque potest cognosci, quas opiniones de suis mysterijs pagani haberent; quos ritus in illis seruarent: de quibus plurima afferre quum possemus, ea dumtaxat hoc loco attigimus, quæ aliquam cum sanctissimis Christianæ pietatis institutis speciem affinitatis habere videbantur. Quod pij Patres quum intelligerent, quo facilius ad veritatis amorem corruptas superstitione mentes, traducerent; & verba sacrorum illorum quàm plurima, in suos vsus transtulerunt; & cum doctrinę verę capita aliquot sic tractarunt, tum ritus etiam nonnullos eiusmodi instituerunt; vt videantur cum Paulo dicere Gentibus voluisse, ἃ ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, ταῦτα καταγγέλλομεν ὑμῖν: quæ creditis, & facitis, vt pij sitis; ea quî possint ac debeant vere credi fieriue, vt sitis reuera pij, vos docere volumus. Hinc igitur est, quod sacramenta Patres appellarunt *Mysteria*, μυήσεις, τελετάς, τελειώσεις, ἐποπτείας, siue ἐποψίας, τελεστήρια, item τελεστικά, aut τελειωτικὰ μυστήρια, τελειωτικὰς θεώσεις, ἱεραρχικὰς τελετάς, interdum etiam ὄργια, sed rarius; & συμβολικὴν θεολογίαν siue ἱεραρχίαν: peculiariter verò Eucharistiam τελετῶν τελετὴν vt Dionysius Areop. cap. tertio Hierarchiæ Eccles. sicut etiam Bernardo dicitur, *sanctum sanctorum, sacramentum sacramentorum.* dicitur etiam antonomastice τὸ μυστήριον, aut numero multitudinis τὰ μυστήρια. Chrysostomus, homilia in Matthæum XLIV. πανταχοῦ τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ καταγγέλλομεν, καὶ ἐν τοῖς μυστηρίοις, καὶ ἐν τῷ βαπτίσματι, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασι. locis innumeris Patres baptismum appellant myste-

rium:

rium : hîc tamen *mysteria* separantur à baptismo, & Cœnam Domini auctor intelligit : apud quem, & apud alios Patres passim de sacra Communione leges, φρικτὰ μυστήρια, vel τὸ ἀπόρρητον μυστήριον, Gregorio Magno *magnum & pauendum mysterium.* De consecr. dist. II. canone LXXIII. appellarunt etiam τὰ ἔνδοθεν μυστήρια, q. d. *interiora mysteria.* Nam apud Epiphanium in fine operis, vbi instituta Ecclesiæ exponuntur, ita legas, Τὰ ἄλλα μυστήρια περὶ λουτροῦ καὶ τῶν ἔνδοθεν μυστηρίων ἐπιτελεῖται. vbi *mysteria* appellantur in genere omnia sacramenta ; at *mysteria interiora* dixit, pro Eucharistia. Sic apud Latinos aliquando *Sacramentum* est κατ' ἐξοχὴν ipsa Communio. Ambrosius in Apologia sancti Dauidis: *Quid mirum si vidit baptismatis sacramenta?* mox: *& de ipso sacramento plenius dixit, parasti in conspectu meo mensam.* Μυεῖσθαι in veterũ monumentis sæpe leges, pro Cœnæ Dominicæ fieri particeps. μύησιν pro ipsa actione: μύστης est sacerdos, qui etiam dicitur ὁ μυσταγωγῶν & ὁ ἱεροτελεστής. μυσταγωγεῖσθαι, imbui doctrina sacramentorum, aut particeps illorum fieri. Theodoretus, Curationum lib. v. καὶ τὰς γυναῖκας τελεῖσθαι καὶ μυσταγωγεῖσθαι ὁ νόμος κελεύεται : hoc est, vt ibidem dicitur, τῶν θείων μυστηρίων μεταλαχεῖν. Apud Chrysostomum tomo I. pag. 652. μυσταγωγία est ipsa Eucharistiæ institutio. ἡ ἐκ τῶν οὐρανῶν, ait, κατενεχθεῖσα μυσταγωγία. alibi est ipsa actio Sacerdotis: sic passim dicitur ὁ ἱερεὺς ἐπιτελεῖν τὴν θείαν μυσταγωγίαν. amat eam dictionem Dionysius; qui etiam hoc sacramentum nominat ἱεροτελεστίαν, (& sunt etiam alij ea voce vsi) & τὴν ἱεροτελεστικωτάτην θεουργεστίαν. In Liturgijs Græcis & alibi etiam, ἡ ἱερὰ τελετὴ, & ἡ κρυφία & ἐπίφοβος τελετὴ, aut ἡ μυστηρίων τελετὴ, aut simpliciter τελετὴ, est Eucharistia ; extatque ea vox etiam apud Latinos scriptores, aut Latine iam olim versos. Barlaam Episcopus: *Ecclesia Romana ante inchoatum schisma, pluribus quàm septingentis annis per azyma conficiebat Sanctissimam teletam.* in Nouella Leonis CXII. συναρμοστικὴ τελετὴ, est ordo benedicendi matrimonio, cuius pars erat etiam Communio. In Rituali Græco dicitur ἡ ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος. Quemadmodum autem gradus quidam in mysterijs paganicis seruati sunt, vt ostendimus : sic Dionysius capite quinto vniuersam τῶν τελετῶν τὴν ἱερουργίαν traditionem sacramentorum, distinguit in tres actiones, quæ & ritibus & temporibus erant diuisæ. Prima est κάθαρσις, *purgatio* : altera μύησις, *initiatio* : tertia τελείωσις, *consummatio*; quam & ἐποπτείαν sæpe nominat : aliquando ἐποπτικὰς ἑστιάσεις, q. d. *perfectæ contemplationis epulas*, vt capite primo Pachymeres ad caput III. τοῦτό ἐστι τὸ τέλειον ἐν πάσῃ ἐπιστήμῃ τὸ ἐπόπτας καὶ μετόχους τῶν θεωρημάτων γίνεσθαι, καὶ μὴ κατά τι ἐλλείπειν, ὡς τὸ γίνεσθε τέλειοι, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐπουράνιος. Quare epoptam esse, valet cognitione rerum diuinarum & sacramentorum

perceptione esse perfectum : ea videlicet perfectione, quæ in hac vita parabilis : nam hîc quidem, ex parte tantum cognoscimus, tanquam per speculum & in ænigmate, ait Apostolus, I. Cor. XIII. 12. & vt ait idem II. Corinth. v. 7. in hac vita per fidem ambulamus, in futura ambulaturi per speciem : quod eleganter Gregorius Naz. oratione x. dixit, αὐτῇ τῇ πηγῇ ἐντυγχάνειν, καθαρῷ νῷ καθαρὰν τὴν ἀλήθειαν ἐποπτεύοντας. Vere igitur censeri felicitas magna debet Christianorum epoptia : non quam mendaces mystæ Græcorum tradebant, quæ tamen in illa temporum cæcitate fiebat tanti, vt beatissimos omnium mortalium crederent epoptas. vnde prouerbium, quod alibi exponebamus, ἐποπτεύειν μοι δοκῶ, *videor mihi fieri epopta*, de eo qui se felicissimum crederet. Diximus quinquennio fuisse præparatos, qui futuri erant epoptæ : in ritibus priscæ Ecclesię duplicem animaduerto temporum obseruationem non parum diuersam : prior est circa illos qui fieri Christiani primò cupiebant : altera circa lapsos, id est, eos, qui grauiore admisso aliquo peccato, commune ius fidelium amiserant; deinde pœnitentes restitui in priorem locum optabant. Quod ad priores attinet, tempora contractiora illis fuerunt pręstituta, neque vlla fuit quinquennij necessitas : verumtamen etiam in istis certa temporum interualla sunt obseruata, & prius quàm ad panem cum fidelibus frangendum aliquis perueniret, stadium consuetæ exercitationis fuit decurrendum. Primo igitur fiebant Catechumeni, deinde Competentes, postremo Fideles & Christiani. Plena sunt Patrum monumenta, præsertim Augustini, testimonijs huius necessarię obseruationis. Circa lapsos disciplina fuit admodum seuera, & prorsus admiranda : cui reuocandæ in vsum operam impendisse, res futura sit Deo gratior absque dubio, quàm de fidei dogmatis subtiliter disputare extra Scripturas, & omnes dissentientes ferro & flamma persequi ; in quo hodie summus pietatis apex ponitur. Dicebamus, in admittendo initiandos quinque hos gradus fuisse obseruatos, purgationem communem, purgationem interiorem , σύστασιν, initiationem & epoptiam : simillime vetus Ecclesia in admittendis lapsis ad sacram Communionem quinque gradus seruauit, siue vt loquuntur scriptores Ecclesiastici τέσσαρας τόπους ἐπιτιμίων ἀνύεσθαι, *quatuor loca pœnæ obiri* præcepit antequam perueniret ad ipsam Communionem. Primus locus est, quem vocarunt πρόσκλαυσιν; in ipso primo aditu Ecclesię separati non solum à Fidelibus, sed etiam à Catechumenis aliquot annos (tres vt plurimum) manebant pœnitentes in squallore & pędore *omnibus fidelibus legationes deprecationis iniungentes*, vt loquitur Tertullianus in libro de pœnitentia. Proximus gradus siue locus dicebatur ἀκρόασις; ibi

ibi vt plurimum ἄλλην τετραετίαν εἰς ἀκρόασιν μόνον ad alios tres annos admittebantur pœnitentes, tantum vt audirent verbum Domini, quando in Ecclesia legebatur. Gregorius Neocæsareæ Archiepiscopus in epistola Canonica locum ita describit: ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης, ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα ἕως τῶν κατηχουμένων· καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. His fas non fuit precibus Ecclesię interesse. Tertius gradus siue locus dicebatur ὑπόπτωσις. ea fuit quædam interior admissio, vbi tres alios annos stabant pœnitentes, precum Ecclesiæ participes, vt & Catechumeni, quibus exeuntibus ipsi quoque exibant. Gregorius ita describit: ἡ δὲ ὑπόπτωσις, ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος, μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχηται. *hic locus*, ait Bellarminus libro I. cap. vlt. *dicebatur* ὑπόπτωσις, *quasi contemplatio rerum supernarum.* sed errat immaniter Bellarminus. an ille alicubi legerat ὑποπίπτειν pro *superna contemplari?* nugæ. ὑποπίπτειν aliquando significat humiliter se alicui subijcere. apud scriptores ecclesiasticos ὑποπίπτειν τῷ Θεῷ, est humili & deiecto animo Deum colere. Clemens Strom. lib. IV. ἁγιάζεται καὶ γάμος, κατὰ λόγον τελειούμενος, ἐὰν ἡ συζυγία ὑποπίπτῃ τῷ Θεῷ. *sanctificantur & nuptiæ recta ratione contractæ, si coniugium*, id est, maritus & vxor, *sese humiliter Deo submittant.* ab hac notione verbi huius deducitur ὑπόπτωσις, & hic tertius locus sic appellatur, q. d. humiliatio; vt vel sola appellatio sui officij pœnitentes admoneret. Restant duo nomina, σύστασις & μέθεξις, quarti & quinti loci, siue gradus. Quanquam sunt qui loca pœnæ tantum quatuor agnoscant: vt cùm scribit Balsamon ad canonem LXXV. epistolæ Basilij ad Amphilochium, τέσσαρες τόποι ἐπιτιμίων λύονται διὰ χρόνων δώδεκα. *quatuor loca animaduersionum Ecclesiasticarum absoluuntur spatio annorum duodecim.* Sed fere loca nominantur quinque, tria quæ diximus, & hæc duo. idem ad canonem XI. epistolæ Gregorij Neocæsareæ Ep. ὁ παρὼν ἅγιος πέντε τόπους μετανοούντων ὑπετύπωσε. *hic vir sanctus, loca pœnitentium quatuor designauit.* σύστασις igitur è mysterijs Gentium vox accepta, appellabatur statio inter fideles: ibi pœnitentes duos persæpe annos agebant; quod ad cætera, eiusdem conditionis cum fidelibus; neque iam cum catechumenis exibant; sola participatione mysteriorum cæteris fratribus inferiores. μέθεξις verò dicebatur ius communicandi, & vt loquitur Basilius aliquoties in descriptione harum pœnarum, ἡ κοινωνία τοῦ ἀγαθοῦ, *communicatio ipsius boni.* nam *bonum* est ipsa Eucharistia, vt postea dicetur. alij eodem sensu dixerunt ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, *peruenire ad consummationē, siue ad epoptiam.* Deceperunt Bellarminum, qui hæc nomina veteris disciplinę illi suggesserunt: nam ille μέστωσιν appellat absurde, malos auctores secutus, quæ erat dicenda μέθεξις, vel τελείωσις. Sed hæc à

nobis,

nobis, si Deus voluerit, vbertim & accurate alibi explicabuntur. Redeo ad Christianorum mysteria; quæ apud multos priscæ Ecclesiæ temporibus, in tanta reuerentia erant, vt multis dum cunctantur adi illa accedere, imprudentibus ætas efflueret. Horum male sanam cunctationem passim Patres obiurgant: qui vt desiderium Sacramentorum in animis hominum excitarent, atq; vt Paganos à suis falsis mysterijs auerterent; vtilitatem & fructum Sacramentorum mirifice vbiq; commendant, necessitatem illorum vrgentes, & miros effectus è Christi doctrina magnifice prædicantes. Spem meliorem morientibus attulisse mysteria Attica dicebat paullo antè M. Tullius. Patres contra, certam salutem & vitam æternam Christi mysteria digne percipientibus afferre, confirmabant: qui illa contemnerent seruari non posse: morientium denique viatica illa esse, quum docerent, è re nominarunt *viatica* ipsa Sacramenta, præcipue vero ipsam Eucharistiam. Finem verò & fructum vltimum Sacramentorum θέωσιν *deificationem* dicere non dubitarunt; quum scirent vanarum superstitionum auctores, suis epoptis eum honorem audere spondere. Passim igitur legas apud Patres, τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας τέλος εἶναι θέωσιν, finem sacramentorũ esse, vt qui vera fide illa perciperent, in futura vita dij euadant. quod pio sensu dici ab illis ostendimus iam in sermone de Communione. Itaq; Augustinus, cap. LVI. Enchiridij ad Laurentium de fidelibus loquens, qui in Scripturis vocantur *templum Dei*, dicere non dubitauit, *templum Dei ædificari ex dijs, quos facit non factus Deus*. & Athanasius oratione quarta contra Arrianos, verbo θεοποιεῖσθαι in eam rem est vsus: quod mox ab eodem explicatur, τῇ τοῦ πνεύματος μετοχῇ συνάπτεσθαι τῇ θεότητι, *participatione Spiritus coniungimur Deitati.* Idem ad Adelphium, Christus inquit, γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ θεοποιήσῃ, *factus est homo, vt nos in se deos faceret*. & similia dicta nusquam non apud Patres occurrunt. Quemadmodum autem epoptæ qui instituebantur quinquennio, docebantur cum ingenti cupiditate suæ epoptiæ tempus exspectare: vnde illa *suspiria epoptarum*, apud Tertullianum contra Valentinianos: sic erudiebantur Catechumeni, vt magna cum auiditate Communionem peterent, vnde illis Competentium nomen, sicut docent Augustinus, Isidorus, alij. Extant Patrum quà Græcorum, quà Latinorum, homiliæ plurimæ ad Catechumenos, in quibus multa dicuntur ad excitandam hanc in illorum animis cupiditatem. Mos etiam fuit, vt in publicis sacræ Liturgiæ precibus, Sacerdos pro Catechumenis Deum oraret, *vt eis desiderium regenerationis inspiraret*, sicut loquitur Augustinus in epistola CVII. & notat Chrysostomus, homilia II. in posteriorem ad Corinthios, Sacerdotem pro Catechumenis orantem, hac

precum

precum formula vti ſolitum : δεηθῶμεν ἵνα ὁ πανελεήμων καὶ οἰκτίρμων Θεὸς ἐπακούσῃ τῶν δεήσεων αὐτῶν : *oremus vt miſericordiſsimus & miſerator Deus eorum orationes exaudiat.* deinde quæ eſſent Catechumenorum preces exponit: δέησις δὲ κατηχουμένων τίς ἂν εἴη, ἀλλ' ἢ, ὥστε μὴ μεῖναι κατηχουμένους; *Quænam vero Catechumenorum ſit oratio, niſi vt ne maneant Catechumeni?* Ratio eſt : quia non cenſebantur Chriſtiani, qui ſacramentis nondum fuerant initiati : ac proinde ſi morerentur antequam fideles eſſent facti, ſpes ſalutis nulla erat, quod ſæpe affirmant B. Auguſtinus, Chryſoſtomus, alijque. Quanquam οἰκονομικῶς fortaſſe illa dicuntur : nam de Valentiniano, qui ante baptiſmum obierat, nihilo ſecius bene ſperaſſe Ambroſium notiſſimum eſt : votum enim baptiſmi pro baptiſmo illi fuiſſe, non dubitauit. ideo ait in eius laudatione, *ablutus aſcendit, quem ſua fides lauit, & petitio conſecrauit.* De ſymbolis Sacramentorum, per quæ diuinæ illæ cærimoniæ celebrantur, nihil attinet hoc loco dicere : illud vero, quod eſt & appellatur fidei ſymbolum, diuerſi eſt generis, & fidelibus teſſeræ vſum prȩſtat, per quam ſe mutuo agnoſcunt, qui pietati ſacramento dixerunt : cuiuſmodi teſſeras fuiſſe etiam in Paganorum myſterijs oſtendimus. Formulæ illi in myſterijs peragendis vſurpatæ, *Procul eſte profani* : reſpondet in Liturgia hȩc per diaconos pronuntiari ſolita ; ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. vel, ἔξω περιπατεῖτε ὅσοι ἐνεργούμενοι, ὅσοι ἀμύητοι. *Omnes Catechumeni foras diſcedite, omnes poſſeſsi, omnes non initiati.* alij aliter hanc formulam concipiebant. Noctu ritus multi in Myſterijs peragebantur : noctu etiam initiatio Chriſtianorum inchoabatur. Auguſtinus de ſymbolo ad Catechumenos, libro altero : *Sacramentorum rationem, ſiue tranſactæ noctis, ſiue præſentis ſancti ſymboli, exponendam ſuſcepimus ſanctitati veſtræ.* mox : *Quid eſt quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt?* & quæ in catechetica myſtagogica prima Cyrilli Ieroſolymitani dicitur ἑσπέρα τοῦ βαπτίσματος; Gaudentio nominatur tractatu quinto, *ſplendidiſsima nox vigiliarum.* Quod autem dicebamus de ſilentio in ſacris opertaneis ſeruari à paganis ſolito ; id inſtitutum veteres Chriſtiani ſic probarunt, vt religioſa eius obſeruatione myſtas omnes longe ſuperarint. Quemadmodum igitur dicit Seneca, ſanctiora ſacrorum ſolis initiatis fuiſſe nota : & Photius ex veteri ſcriptore numero CCXLII. philoſophiam diuinam diuidit in ῥητὸν καὶ ἀπόρρητον; Iamblichus autem libro III. de philoſophia Pythagoreorum, in τὰ ἀπόρρητα, quæ efferri non poterant, & τὰ ἔκφορα, quæ foras efferre ius erat : ita vniuerſam doctrinam Chriſtianam veteres diſtinguebant in τὰ ἔκφορα, id eſt, ea quæ enuntiari apud omnes poterant, & τὰ ἀπόρρητα, arcana temere non vulganda : de quibus neque in familiaribus colloquijs,

colloquijs, neq; in catechesibus, neque in concionibus verba temere faciebant coram paganis, Catechumenis, aut quibusuis alijs non initiatis. Basilius De Spiritu Sancto capite XXVII. doctrinæ Christianæ duas partes facit, τὰ κηρύγματα, *præconia*, & τὰ δόγματα : dogmata eo loco appellans, quæ alij vocant τὰ ἀπόρρητα, *arcana non euulganda*; τὰ δόγματα, inquit, σιωπᾶται· τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. *dogmata silentio premuntur : præconia publicantur* : atque ibi vir sanctus de silentio mysteriorum multa disputat. Qui propterea illam eius libri partem habent suspectam, & negant esse Basilij, quod Erasmo ante omnes, opinor, venit in mentem ; falluntur planissime : nam in hac re consentiunt omnes ad vnum veteris Ecclesiæ Doctores, Græci pariter & Latini. Gregorius Naz. coniunctissimus ille Basilij sodalis, oratione XLII. expressis verbis ait, μηδὲ ἐκφορα τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων εἶναι. *pleraque nostrorum mysteriorum, ne enuntiari quidem ijs posse, qui sunt extra fidelium communionem.* Quis ita hospes in Patrum lectione, cui sit ignota formula, in mentione sacramentorum potissimum vsu trita, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. *norunt initiati quod dicitur.* quæ formula in vnius Chrysostomi homilijs aut alijs scriptis, minimum quinquaginta locis potest obseruari; apud Augustinum in epistolis, in enarrationibus in Psalmos, tractatibus in Iohannem, homilijs siue sermonibus aut alijs scriptis, non multo rarius : extat & apud alios omnes, credo, Patres sæpissime. E plurimis quæ sunt nobis ad manum, pauca proferemus. Chrysostomus in Genesin ad illa verba è capite XLIX. 2. *lauabit in vino stolam suam* : Ὅρα, inquit, πῶς ἄνωθεν ἡμῖν ἐντεῦθεν τὸ μυστήριον ἠνίξατο· ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον. habes alterum testimonium, in homilia operis eiusdem XXVII. pag. 214. 34. Commentario in Psalmum CXL. de lingua loquens, ἐννόησον ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ μέλος δι' οὗ τὴν φρικτὴν θυσίαν ὑποδεχόμεθα· ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον. *cogita hoc illud esse membrum, quo tremendum sacrificium excipimus : sciunt fideles quid dicam.* In Matthæum homilia LXXII. οἶδε τὸ μυστήριον πόσου ἐλέου, πόσης φιλανθρωπίας; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. in Iohanne homilia XV. ἔδωκε καὶ ἑτέραν ταύτης πολλῷ μείζονα τράπεζαν, ἀλλὰ καὶ ταύτην μίαν· ἴσασιν οἱ συμμύσται τὸ λεγόμενον. *dedit Deus & alteram mensam, multo maiorem hac* : (terram modò mensam vocauerat.) *sed hanc quoq; vnam : sciunt symmystæ quid dicatur.* homilia XLVI. ἓν σῶμά ἐσμεν, καὶ μέλη ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ· οἱ δὲ μεμυημένοι παρακολουθείτωσαν τοῖς λεγομένοις. *vnum corpus sumus, & membra de carne eius, & de ossibus eius : qui sunt initiati aduertant animum ad ea quæ dicuntur.* homilia LXXXV. ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι· δι' ὕδατος μὲν ἀναγεννώμενοι, δι' αἵματος δὲ καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι. homilia XL. in priorem ad Corinth. locũ Pauli exponens XV. 29. de ijs qui baptziantur pro mortuis : βούλομαι

μὲ σαφῶς αὐτὰ εἰπεῖν· οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους· οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιοῦσι τὴν ἐξήγησιν· ἀναγκάζοντες, ἢ μὴ λέγειν σαφῶς· ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόρρητα. *cupio quidem perſpicuè rem dicere : ſed propter non initiatos non audeo : hi interpretationem reddunt nobis difficiliorem : dum nos cogunt, aut perſpicuè non dicere : aut arcana quæ taceri debent, apud ipſos efferre.* deinde addit, ſe quo poterit modo dicturum συνεσκιασμένως *obſcurè*, vel vt Lucretij vocem vſurpem, *adumbratim.* plane vt apud Theodoretum dialogo I I. negat orthodoxus, de Euchariſtia fas eſſe aperte loqui; quoties periculum eſt, ne adſint non initiati. Οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν· εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι. deinde reſpondet Eraniſta : αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω. & in dialogo primo dixerat iam Orthodoxus, quum mentio de myſterijs incidiſſet; Ἀξιῶ σε μυστικώτερον ἀποκρίνασθαι· τινὲς γὰρ ἴσως ἀμύητοι παρεστήκασιν. idem Chryſoſtomus in Philogonium; κεῖται ἐν τούτῳ τὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν, πνεύματι πανταχόθεν ἁγίῳ περιστελλόμενον; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. in Euſtathium Antiochenum : ἔστι θυσία ἡ χωρὶς αἵματος· ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον. Catecheſi priore ad baptizandos de calyce S. Euchariſtiæ : ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τοῦ ποτηρίου τούτου τὴν ἰσχύν· εἴσεσθε δὲ καὶ ὑμεῖς μικρὸν ὕστερον. *ſciunt initiati, vim huius poculi : ſcietis vos quoque paullo poſt.* oratione in omnes martyres ait, ipſos dum adhuc terras colerent choris cœleſtibus fuiſſe coniunctos, quoties hymnum Triſagium cum ipſis Cherubim canerent; καθάπερ ὑμεῖς ἴστε οἱ μυηθέντες. in homilia qua probat vtile nobis eſſe, quod prophetiæ ſint obſcuræ : μετ' ἐκτενείας διαφέρετε τὴν εὐχήν· εἰδότες τῆς ὑμετέρας συνόδου τὴν δύναμιν· ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. Sed deficiat me dies, ſi pergam omnia illius Patris teſtimonia in eam rem adnotare. Cyrillus Ieroſolymitanus in Procatecheſi eleganter ait, Catechumenos quibus fas non eſt cognoſcere ſacra myſteria, περιηχεῖσθαι, *vocem circumſonantem audire* : poſtea verò quam facti ſunt fideles ἐνηχεῖσθαι, *intus erudiri.* deinde verbis diſertis dat præceptum ſuis auditoribus, ne quæ didicerint poſtquam fidelibus fuerint aggregati, Catechumenis, quos ponit inter τῶν ἔξω *extraneos ab Eccleſia*, enuntient. Idem in prologo fideles ſollicite adiurat, ne librum homiliarum ſuarum catecheticarũ vel Catechumenis, vel alijs non Chriſtianis velint tradere; alioquin facti rationem Deo reddituros. & in ſexta catecheſi, ſcribit idem : περὶ μυστηρίων ἐπὶ κατηχουμένων, λευκῶς οὐ λέγομεν· ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ νοήσωσι : *de myſterijs præſentes ſi ſint Catechumeni clare non loquimur : ſed ſæpe multa dicimus tectè, vt qui norunt fideles intelligant.* Apud Dionyſium Areopagitam multis locis diſſeritur de hoc ſilentio, atque id ſanctiſſime ſeruandum præcipitur : vt Hierarchiæ cœleſtis, capite I I. non procul ab initio, & in ipſo fine

Eccleſiaſticæ

Ecclesiasticæ verò in singulis fere capitibus sæpius: atque vt ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια dixerunt pagani, de ijs qui arcana mysteriorum euulgabant: ita dixit Dionysius initio libri illius, ἀλλ' ὅρα ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. *vide ne enunties, aut parum reuerenter habeas sancta sanctorum.* Vtitur & Chrysostomus eo verbo aliquoties, vt in commentario ad Psalmum XLIII. & ad CXXXVI. B. Athanasio sui inimici obijciebant, quod calycem mysticum per irreuerentiam fregisset; atque in eo crimine exagitando tragœdias magnas ciebant. Ille contra in Apologia II. grauissime illos accusat, duobus locis, quod de mysterio Cœnæ Domini coram Catechumenis, atque etiam Græcis & ethnicis verba facere non erubuerint. καὶ οὐκ αἰσχύνονται, inquit, ταῦτα ἐπὶ κατηχουμένων, καὶ τό γε χεῖρον, ἐπὶ Ἑλλήνων τραγῳδοῦντες τὰ μυστήρια. Palladius quoque in vita Chrysostomi, pro magno scelere narrat, quod tumultu excitato contra virum sanctum ab eius inimicis, irruptio facta sit in Ecclesiam, & quidam non initiati oculis vsurparint, quę erat illis nefas videre. Ipse Chrysostomus in epistola ad Innocentium Papam, historiam illam sic narrat: Καὶ οὐδὲ ἐν τούτῳ εἱστήκει τὸ δεινόν· ἀλλ' ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειτο, εἰσελθόντες οἱ στρατιῶται, ὧν ἔνιοι καθὼς ἐγνώκαμεν, καὶ ἀμύητοι ἦσαν, πάντα τε ἑώρων τὰ ἔνδον, καὶ τὸ ἁγιώτατον αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐν τοσούτῳ θορύβῳ, εἰς τὰ τῶν προειρημένων στρατιωτῶν ἱμάτια ἐξεχεῖτο. Isidorus Pelus. lib. IV. ep. CLXII. de esu Eucharistiæ loquens; ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον. Gręcis Latini consentiunt; Ambrosius de initiandis: *Nunc de mysterio dicere tempus admonet, atq; ipsam sacramentorum rationem reddere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quàm edidisse æstimaremur.* iterum sub finem. *Signatum debet apud te manere mysterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio castitatis; ne diuulgetur quibus non conuenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos.* Gaudentius Brixiæ Episcopus, æqualis Ambrosij; tractatu II. *Modò ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt, & necessario tamen aperienda sunt neophytis.* vide & quintum tractatum. Omitto B. Augustini testimonia, quæ, vt dixi, plurima sunt. passim igitur apud illum leges, *sacramentum quod norunt fideles.* vt in X. de ciuit. Dei, cap. VI. in Psalmo XXXIX. & CIX. in Iohannem tractatu XXVI. in vndecimo autem sic; *Omnes Catechumeni iam credunt in nomine Christi, sed Iesus non se credit eis.* mox. *Interrogemus Catechumenū, Manducas carnem filij hominis? nescit quid dicimus.* iterum. *Nesciunt Catechumeni quid accipiant Christiani: erubescant ergo quia nesciunt.* Quum igitur soli fideles nota haberent religionis Christianæ mysteria, ijdemq; tanto studio illa occultarent; occasio Gentibus data est, traducendæ veræ pietatis; quasi tenebras sectaretur & lucem fugeret, ac notitiam

hominum

hominum. Itaque Celsus vt refert Origenes ludibrij caussa religionem Christianam subinde vocitabat κρύφιον δόγμα, *doctrinam clandestinam*. Origenes vero hanc calumniam diluens, ostendit, falsum esse capita doctrinæ omnia occultari: plurima enim quę Gentes irrideant palàm tradi & omnibus exponi: quod si quædam non passim omnibus communicentur; non magis eo nomine reprehendi iure Christianos posse à paganis: quàm suos ipsi philosophos reprehendant, disciplinam suam diuidere solitos in ἐξωτερικὰ, quæ foras proferuntur, patentque omnibus; & ἐσωτερικὰ, quæ intra scholæ fines continentur, suntque propria discipulorum interioris admissionis. Huc pertinet locus Gregorij Naz. in priore inuectiua; Εἰσὶν, inquit, ἐν παρ' ἡμῖν, καὶ ἐπίκρυφοι λόγοι τινες· οὐκ ἀρνήσομαι: *sunt etiam apud nos quidam sermones per occultationem prolati*, aut *proferendi: nolo diffiteri*: sed quantū esset discriminis, inter mysticos Christianorum sermones & fædas ineptias paganorum, postea declarat. Hactenus probauimus τὸ ὅτι; & arcana quædam sacrorum suorum siluisse veterem Ecclesiam apud non initiatos, demonstrauimus: idque aliquanto prolixius; quia docti sumus experientiâ, quàm difficile obseruationem hanc sint admissuri Theologi quidam hodierni, illi quidem non indocti neque obscuri nominis; sed in hodiernis controuersijs, quàm in priscæ Ecclesiæ institutis magis exercitati. Nunc quarum potissimum rerum silentium exercerent, & quas ob caussas id facerent, breuiter ostendendum. Et quidem in primo censu rerum silendarū posuisse veteres sacramenta, vel appellatio ipsa mysterij declarat. Nam vt vere ait Nicetas Choniates libro I I I. de Alexio Imp. tunc vere Eucharistiæ mysterium est mysterium, quando ἐχεμυθοῦμεν, & curiosas omnes quæstiones repudiamus. Zeno Veronensis scriptor vetustissimus & elegantissimus, sermone de continentia, loquens de vxore fideli mariti infidelis: *Quid quod illius sacrificium publicum est, tuum secretum? illius à quouis libere tractari potest: tuum etiam à Christianis ipsis, minime consecratis, sine sacrilegio videri non potest.* Epiphanius p. 136. aduersus Marcionitas: παρ' αὐτοῖς πάντα χλεύης ἔμπλεα καὶ οὐδὲν ἕτερον· ὁπότε καὶ τὰ μυστήρια ἐνώπιον κατηχουμένων ἐπιτελοῦσι τολμῶσι. *apud illos plena sunt omnia irrisionis, & nihil aliud: quando etiam mysteria præsentibus Catechumenis audent celebrare.* Sed quum in Sacramentis tria occurrant consideranda, symbola significantia, res symbolis significatæ, & ritus celebrandorum sacramentorum, quid est quod potissimum siluerunt veteres? Respondeo; Non adeo res in sacramentis significatas, & efficaciam illorum siluisse veterem Ecclesiam, ac symbola ipsa, & ritus celebrandi, ac rituum caussas. Non igitur dissimularunt Christiani, in Cœna Domini, siue vt ipsi loque-

bantur, in sacrificio altaris, peculiari quodam modo præsentem se venerari Deum Christianorum; sed quæ esset forma eius sacrificij, quod per symbola panis & vini peragitur, hoc veteres præ se non ferebant, verùm occultabant. Apud Theodoretum igitur, dialogo altero, symbola quidem ænigmaticè proponuntur; Panem ita circumloquitur, τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφὴν, *alimentum è talibus seminibus.* quis nisi arcani conscius hoc intelligat? iam alterum symbolum ita describitur, aut potius occultatur, Κοινὸν καὶ τοῦτο ὄνομα, πόματος εἶδος σημαῖνον: *Commune hoc quoque nomen, potionis speciem significans.* hoc quidem merum ænigma est: at res symbolis istis significatæ, sine vlla dissimulatione palàm exprimuntur. quærit Eranistes, *Post consecrationem quomodo hæc appellas?* respondet Orthodoxus; *Corpus Christi & sanguinem Christi.* B. Augustinus De catechizandis rudibus, cap. IX. *De sacramento quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire, quid res significet: cum tardioribus autem aliquanto pluribus verbis & similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident.* ex hoc loco apparet, rem sacramenti, vt appellat alibi Augustinus, multis esse declaratam, apud quos de symbolis seruabant silentium. Et valde mirum est, quod hîc Augustinus non obscure indicat, ne ijs quidem omnibus qui ad perceptionem sacramentorum fuerant admissi, doctrinam de symbolis clare fuisse expositam. Idem de Trinitate, lib. III. cap. X. *Infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione sumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur. Et si nunquam discant experimento vel suo vel aliorum, & nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum, cum offertur & datur, dicaturque illis auctoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso, liquorem illum omnino fluxisse.* Hic locus est insignis, ex quo discimus, pios illos antiquos, apud non initiatos rem quidem symbolis significatam non solitos tacere: imò contra, auctoritate grauissima solitos affirmare, sacramentum quod celebrabant, esse corporis Christi communionem; & præsentem Christum sacræ actioni interuenire: ritum vero peragendi sacramenti, naturam symbolorum, & modum præsentiæ, solis initiatis aperuisse. Huc etiam pertinet illa Maximi Madaurensis petitio in epistola ad Augustinum. *Illud quæso, vir sapientissime,* inquit, *vti remoto facundiæ colore atque exploso, qua cunctis clarus es; omissis etiam quibus pugnare solebas Chrysippeis argumentis; postposita paullulum dialectica, quæ neruorum suorum luctamine, nihil certi quicquam relinquere nititur; ipsa re approbes, quis sit iste Deus, quem vobis Christiani quasi proprium vindicatis, & in locis abditis, præsentem vos videre componitis.*

Hic

Hic quoque locus eximius eſt ad confirmandum id quod diximus. Nam ex huius miſeri philoſophi verbis, hoc primum intelligimus; etiam non initiatos, atque adeo etiam paganos, tantum dé S. Euchariſtia notum habuiſſe; Chriſtianos cum ad frangendum panem conueniebant, Deum ſuum Chriſtum præſentem adorare & videre (in myſterio nempe, & vt dicebamus è Chryſoſtomo, fidei oculis:) ſed rationem celebrandi ſacramenti, ignoraſſe. diſcimus præterea è verbis huius viri, paganorum curioſitatem, quoties inquirere auderent modum ſacramenti huius, arte fuiſſe eluſam à Chriſtianis. iccirco enim tanta contentione petit ab Auguſtino, vt miſſis ambagibus rem ipſam ſibi velit explicare. quod tamen ne ſic quidem ab eo impetrauit, vt docet Auguſtini reſponſio. Epiphanius in Ἀγκυρωτῷ p.492. formulam inſtitutionis, quæ nomina continet ſymbolorum, tecto ſermone enuntiat hoc pacto: ἔλαβε τάδε, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό μού ἐστι τόδε. *accepit illa: & poſtquam gratias egiſſet, dixit, Hoc meum eſt illud.* deinde. ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μού ἐστι τόδε. *voluit per gratiam dicere, Hoc meum eſt illud.* Similis & circa baptiſmum fuit obſeruatio. Dionyſius Areopagita in tractatu de baptiſmo, quem ipſe vocat θεογενεσίαν, quia renati ſacro lauacro fieri dij dicuntur, vt antè eſt expoſitum. ἑξῆς τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας ἐποπτεύσωμεν σύμβολα· καί μοι μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ θέαν ἴτω. *deinceps ſacra baptiſmi ſymbola contemplemur: nemo verò non initiatus ad hoc ſpectaculum accedat.* deinde exempla commemorat eorum qui propter temerata ſacra pœnas dederunt. Chryſoſtomus in epiſtolam ad Galatas capite quarto; ἐπὶ τῆς ἀναγεννήσεως τῆς ἡμετέρας, φύσις μὲν οὐδεμία, τὰ δὲ ῥήματα τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ ἱερέως λεγόμενα, ἅπερ ἴσασιν οἱ πιστοί: *in regeneratione noſtra, natura quidem nulla eſt; ſed verba Dei per ſacerdotem prolata, quæ norunt fideles.* Philotheus Patriarcha de Baſilio, Nazianzeno & Chryſoſtomo: πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, ὁμοούσιά τε καὶ ὁμόδοξα· ἐν οἷς καὶ τὸ βάπτισμα τὴν τελείωσιν ἔχει ἔν τε ὀνόμασι καὶ πράγμασιν· οἶδας ὁ μυηθείς. *Credimus in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, eiuſdem eſſentiæ, eiuſdem gloriæ. in quibus baptiſmus conſummatur & verbis & rebus ipſis: ſcis hoc tu qui es initiatus.* Iam quod ad ritus attinet, certum eſt, non ſolum ipſos paganis & non initiatis fuiſſe occultatos; ſed etiam cauſſas rituum paucis fidelium fuiſſe notas. Quare Baſilius inter arcana Eccleſiæ ponit varios ritus, quorum vſus quidem erat communis fidelibus, ſed cauſſas pauci norant. exempla affert, de trina merſione in baptiſmo, de conuerſione ad Orientem inter orandum, de more ſtandi die Dominica cùm Sacerdos orabat, & id genus alia. Et Chryſoſtomus in catecheſi baptizandorum, ait cerimonias baptiſmi ἔχειν μυστικόν τινα λόγον καὶ ἀπόρρητον, *habere myſticam aliquam rationem, quæ verbis*

vulgari non debeat. Ordinationem Episcoporum & presbyterorum inter ſacramenta vetus Eccleſia poſuit, propter impoſitionem manuũ & Spiritus Sancti inuocationem & acceptionem : quare huius etiam formulas clam habuit, & ſolis fidelibus notas eſſe voluit. Chryſoſtomus in poſteriorem ad Corinthios, homilia XVIII. ὁ μέλλων χειροτονεῖν, καὶ τὰς ἐκείνων εὐχὰς καλεῖ, καὶ αὐτοὶ ἐπιψηφίζονται, καὶ ἐπιβοῶσιν, ἅπερ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτεσθαι ἅπαντα. *Qui in ſacrum ordinem cooptaturus eſt aliquem, fidelium preces exigit illo tempore: atq; illi aſſenſu ſuo quæ geruntur comprobant & acclamant illa quæ nota habent initiati: nam apud eos qui initiati non ſunt omnia retegere fas non eſt.* Dionyſius ſub finem hierarchiæ Eccleſiaſticæ ; τὰς τελεστικὰς ἐπικλήσεις οὐ θεμιτὸν ἐν γραφαῖς ἀφερμηνεύειν, οὐδὲ τὸ μυστικὸν αὐτῶν, ἢ τὰς ἐν αὐτῷ ἐνεργουμένας ἐκ Θεοῦ δυνάμεις ἐκ τοῦ κρυφίου πρὸς τὸ κοινὸν ἐξάγειν. *Inuocationes quæ fiunt in ordinationibus ſcriptura explicare nefas ; neq; vim myſticam quæ illis ineſt : neq; etiam fas eſt ex occulto in communem lucem proferre, virtutes quas Deus per illas operatur.* Expoſuimus τὰς τελεστικὰς ἐπικλήσεις, *inuocationes quæ fiunt in ordinationibus*. poteramus accipere generalius de precibus quæ in omnibus initiationibus & omnibus ſacramentis fiunt : ſed Maximum & Pachymerem interpretes ſecuti ſumus, qui reſtringunt generalem vocem ad ordinationes, & interpretantur τὰς ἐπὶ τῆς χειροτονίας εὐχάς. Præter illa quæ ad ſacramenta pertinebant, fuerunt & alia, quorum cognitio non initiatis non patebat. Chryſoſtomus homilia ſexta in priorem ad Timotheum : τί δέ ἐστι τὸ, πρῶτον πάντων; τουτέστιν ἐν τῇ λατρείᾳ τῇ καθημερινῇ· καὶ τοῦτο ἴσασιν οἱ μύσται, πῶς καθ' ἑκάστην ἡμέραν γίνεται, καὶ ἐν ἑσπέρᾳ καὶ πρωΐᾳ. *Quid eſt quod ait Apoſtolus* primum omnium ? *hoc eſt, in cultu quotidiano : & hoc ſciunt initiati, quomodo quotidie fiat & veſperi & mane.* videtur ſignificare, & in veſpertina Liturgia & in matutina fuiſſe preces quaſdam, ad quas ſoli fideles admitterentur. & de matutina quidem, res clara eſt : de veſpertina, non ita conſtat, mihi quidem. Non recenſeo inter ſilenda myſteria doctrinam de Sacroſancta Trinitate, de incarnatione Ieſu Chriſti, & ſimilia capita Euangelicæ prædicationis : ſine quorum notitia Chriſtianus eſſe nemo poteſt. Non eſt tamen ignorandum , in tradendo myſterio Trinitatis, ſummopere cauiſſe veteres , ne apud paganos , aut Chriſtianos adhuc infirmos de tanti arcani ratione temere verba facerent. Quare etiam Gregorius Naz. oratione XLIV. de Spiritu Sancto loquens , ſic deitatem illius aſſerit , vt de appellatione Dei contendere non audeat. Ipſa illius verba deſcribam, quæ ſunt in eam rem inſignia. Οἱ δὲ Πνεῦμα Θεὸν νομίζοντες, ἔνθεοι καὶ λαμπροὶ τὴν διάνοιαν· οἱ δὲ καὶ ὀνομάζοντες, εἰ μὲν εὐγνώμοσιν, ὑψηλοί· εἰ δὲ ταπεινοῖς, οὐκ οἰκονομικοί· πηλῷ μαργαρίτην πιστεύοντες. *Qui*

Spiritum

Spiritum Sanctum Deum esse censent, diuini sunt viri, & præclaro animo: qui verò etiam ita nominant; si quidem apud bene sentientes verba faciant, sublimis animi ipsi sunt: sin autem apud abiectæ mentis homines; satis prudentes dispensatores non sunt; qui margaritam luto credant. Iure fortaſſe hoc aliquis miretur; quum tot expreſſis Scripturarum teſtimonijs doceamur, Spiritum Sanctum eſſe Deum, tertiam Trinitatis perſonam. Sed Patres ſtudio veritatis parem charitatem ſemper adijcientes, eam quam vocabant συγκατάβασιν, condeſcenſionem, & diſpenſatiuam prudentiam, plurimum vſurparunt. Minus mirum eſt, quod ijdem vocibus TRINITAS, ΟΜΟΟΥΣΙΟΣ, & ſimilibus, etiam poſt Concilium Nicenum, per aliquod tempus apud infirmos abſtinuerunt; φειδόμενοι, inquit Baſilius in libello de fide, p. 394. ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐκείνων, ἃ λέξεσιν αὐταῖς οὐκ ἐμφέρεται τῇ θείᾳ γραφῇ: *parcentes vti nominibus illis, quæ non extant in diuina Scriptura, ipſis dictionibus.* O pietatem veram & ſinceram! ô viros, vere θεοφόρους, vere Dei plenos! Eſt & aliud genus rerum, *quas in myſterio debemus ſemper intelligere, parcius autem ore proferre*; inquit Auguſtinus epiſtola CI. ad Aſellicum; vbi lector ſtudioſus earum rerum exempla inueniet. Sed nos res eiuſmodi inter illa non referimus, quæ tanto ſtudio ab antiquis Patribus conſtat fuiſſe occultata. Reſtat iam, vt de cauſſis huius ſilentij, quas ijdem Patres afferunt, aliquid dicamus. Sunt autem cauſſæ præcipuæ tres iſtæ. Prima eſt, ſublimitas eorum quæ occultabant, & vt Cyrillus Ieroſolymitanus loquitur, τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων. Locus eſt in procatecheſi; vbi de fidelibus verba faciens, qui Eccleſiæ arcana Catechumenis pandunt, ait inter cætera: ὁ κατηχούμενος ἐὰν ἀκούσῃ παρὰ τοῦ πιστοῦ, καὶ ὁ κατηχούμενος φρενιτιᾷ· οὐκ οἶδε γὰρ τί ἤκουσε, καὶ ἐλέγχει τὸ δόγμα, καὶ ἐκμυκτηρίζει τὸ λεγόμενον· καὶ ὁ πιστὸς ὡς προδότης κατακρίνεται: *quoties eiuſmodi myſteria Catechumenus audit à fideli, euenit, & vt Catechumenus ad inſaniam redigatur: (neſcit enim quid audiuerit; itaque rem coarguit, & quod ipſi dicitur naſo ſuſpendit adunco:) & fidelis tanquam ſecreti proditor ab omnibus damnetur.* deinde recens baptizatum compellat hoc modo. ἦς ποτὲ καὶ σὺ κατηχούμενος· οὐ διηγησάμην σοι τὰ προκείμενα· ὅταν τῇ πείρᾳ λάβῃς τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων· τότε ἂν γνώσῃ ὅτι ἀνάξιοι εἰσὶ κατηχούμενοι τῆς ἀκοῆς. Et veriſſime hoc dicit Cyrillus: nam quis à fide alienus paganus, aut Catechumenus in fide nondum confirmatus, myſterium noſtræ per aquam baptiſmi regenerationis, aut manducationis carnis Chriſti in Cœna Domini, ſine ſcandalo aut riſu audiat? Cyrillus alter in Iulianum libro VII. *Dicerem ſane de his,* (de baptiſmo) *etiam multa alia & vera, demonſtrans per Moſem & Prophetas præfiguratum eſſe hoc ſacramentum, & non nouum, vel nuper ortum, & à nobis inuentum; niſi, ſicut iam ante prædixi, revererer non*

initiatorum

initiatorū aures. Solent enim minus comprehensibilia à plerisq; rideri; quod præ imbecillitate mentis suæ, non vident, & omnino nihili faciunt, quæ omni admiratione prosequi decebat. Hodie longe alia mens est multorum Theologorum; qui officio suo nunquam satis fideliter se defunctos putant; nisi grauissima quæque arcana sapientiæ Dei, cuiuis ex ima populi fæce exposuerint, nihil quicquam reueriti τὸ ὕψωμα τῶν διδασκαλιῶν. Hinc illæ nonnullis in locis de prædestinatione, de æterno Dei ad damnationē decreto, & similibus mysterijs, etiam inter rudes literarū, & sedentes in pergulis suis artifices, agitari solitæ quæstiones. Altera caussa est; vt hoc silentio accenderetur cupiditas Catechumenorum. Præclare enim & verè Claudianus Mamertus presbyter, De statu animæ libro II. *Mortalium generi*, inquit, *natura datum est, vt abstrusa fortius quærat, vt negata magis ambiat, vt tardius adepta plus diligat, & eo flagrantius ametur veritas, quo vel diutius desideratur, vel laboriosius quæritur, vel tardius inuenitur.* Quod autem hæc etiam ratio sit spectata in hoc silentio, docet Augustinus, tractatu in Iohannem XCVI. *Etsi*, ait, *Catechumenis sacramenta fidelium non produntur; non ideo fit, quod ea ferre non possunt; sed vt ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur.* idem in Psalmum CIX. *Iudæi non agnoscunt sacerdotium secundum ordinem Melchisedech: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Fidelibus loquor. Si quid non intelligant Catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam.* Eodem spectat caussa ab Ambrosio allata, initio libri De initiandis. *Quod*, ait, *inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infundit, quàm si eam sermo aliquis præcurrisset.* Appellat Ambrosius *inopinantes*, non eos qui ex inopinato casu in mysteria diuina inciderint: sed eos qui ex ignoratione rei nullam de mysterio opinionem concipere potuerunt. affinis significationis vox est apud Polybium in sexta historia, ἀδοξοποίητος, cuius vim in versione nostra pluribus exponere sumus coacti; in laboriosissimis vero nostris Cōmentarijs accurate eam dictionem interpretamur. Tertia quam obseruamus caussa est, studium vindicandi à contemptu res sacras; & contra, maiestatis cuiusdam opinionem illis conciliandi. De Gentium mystis scribit Tertullianus aduersus Valentinianos: *diutius initiant quàm consignant: cùm epoptas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent: atque ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem.* Similem huic scopum & veteres Christiani in suis mysterijs sibi proposuerunt: quem quidem assecuturos se credebant, si de mysterijs, aut omnino apud vulgus non loquerentur, aut obscurè certe, remotisq; à cōmuni intelligentia dictionibus & loquendi generibus, vterentur. Commemorat hanc caussam

Basilius

Basilius verò Magnus, illo quem ante indicaui loco ; vbi auctoritate sapientissimi Mosis demonstrat, τῷ μὲν πεπατημένῳ καὶ αὐτόθεν ληπτῷ τῶν πραγμάτων παρέχεσθαι τὴν καταφρόνησιν· τῷ δὲ ἀνακεχωρηκότι καὶ ἀσυνήθει, φυσικῶς πως προσεζευγμένον τὸ περισπούδαστον : *rei pedibus hominum expositæ, & quæ statim sine vlla difficultate capi queat, præsto esse contemptum : rei vero ab vsu hominum remotæ & raræ, naturali modo quodam esse annexum, vt studiose requiratur.* Omnino hæc ratio est, cur nonnulli Patrum, eximie verò præ cæteris Dionysius quem Areopagitam vocant, (scriptor sane antiquissimus & elegantissimus; sed quem illum esse de quo habetur mentio in Actis, soli in hac luce literarum, imperiti, & cum linguæ Græcæ, tum antiquitatis Ecclesiasticæ penitus rudes, audent affirmare :) de Sacramentis nouo quodam & inusitato dicendi genere scripserint ; quod à cothurno tragico vel dithyrambicis ampullis non multum videatur distare. Sciebat videlicet Dionysius, tali genere dicendi Gentium mysteria tractari consuêsse ; Demetrius Phalereus ; τὰ μυστήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται, πρὸς ἔκπληξιν καὶ φρίκην, ὥσπερ ἐν ἀδύτῳ καὶ νυκτί. *mysteria*, inquit, *allegorijs exprimuntur, ad terrorem & horrorem ; tanquam in adyto & nocte.* Prorsus ad hanc ideam totus Dionysij liber de sacramentis, & reliqui etiam sunt compositi. Fingit voces nouas & compositiones format inusitatas, inauditas, mirificas : quæ simpliciter verbo vno aut altero dici poterant, diffundit in plures voces admodum sonoras & magnificas ; atque, vt verè obseruat Maximus, διὰ πολυπληθίας λέξεων σκοτοῖ τὸν λόγον, *congestis verbis multis, obscurat sermonem* : consueta & vsu Ecclesiæ recepta vocabula artis (vt sic dicam) studiose refugit ; tanquam ad illum quem quærebat ὄγκον parum accommodata. Igitur lauacrum regenerationis illi non dicitur baptismus, sed θεογενεσία, *generatio* aut *natalis Dei.* neque communio, *cœna Domini*, sed τελετῶν τελετή, initio cap. III. & ἡ ἱεροτελεστικωτάτη εὐαγγελία : & μυστήριον τὸ πάντων ἱεραρχικώτατον. Compositæ voces, Dionysio propriæ multæ sunt : vt ἐξουσιοποιός, ἐξουσιαρχία, in Cœlesti hier. cap. VIII. ὑπέραρχος ἀρχή cap. X. & πανόλβιαι χύσεις, θεομίμητος δύναμις, cap. XIII. Initio Ecclesiasticæ hierarchiæ, hæc sententia, *doctrina de sacramentis è Scripturis deprompta, solis fidelibus & initiatis est communicanda* ; hoc lacinioso verborum ambitu exprimitur. Ὅτι ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία, παίδων ἱερῶν ἱερώτατε, τῆς ἐνθέου καὶ θείας ἐστὶ καὶ θεουργικῆς ἐπιστήμης, καὶ ἐνεργείας καὶ τελειώσεως, ἐκ τῶν ὑπερκοσμίων καὶ ἱερωτάτων ἡμᾶς ἀποδεῖξαι λογίων χρή τοῖς τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας τὴν τελετὴν ἐξ ἱεραρχικῶν μυστηρίων καὶ παραδόσεων τετελεσμένοις. Hîc, doctrina de sacramentis Ecclesię appellatur ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία, *hierarchia nostra* : voce *hierarchia* & Latini quidam Patres vtuntur ; extatque ea dictio in ijs quæ Cypriano tribuuntur De cardinalibus operibus. Dionysius aliter

aliter id nomen vſurpat in libro de hierarchia cœleſti; aliter in hoc de Eccleſiaſtica: ibi ordinem & diſpoſitionem virtutum intellectualium, ſuperiorum atque inferiorum ſignificat: hîc doctrinam de ſacramentis, & alijs cærimonijs Eccleſię; quæ ſunt in poteſtate Epiſcopi, quem illi placuit appellare ἱεράρχην, non ἀρχιερέα, more cęterorum Patrum. Hanc igitur hierarchiam ait eſſe τῆς ἐνθέου καὶ θείας καὶ θεουργικῆς ἐπιστήμης καὶ ἐνεργείας καὶ τελειώσεως: *Deo plenæ, diuinæ, deum efficientis ſcientiæ operationis,* (ſiue, *efficaciæ,*) *& initiationis.* hoc eſt, pertinere ad ſcientiam & functionem ſacerdotalem, vel epiſcopalem. videtur tot verbis id voluiſſe dicere. Græci interpretes parum ſatisfaciunt. Hoc ille ait ſe demonſtrare velle ἐκ τῶν ὑπερκοσμίων καὶ ἱερωτάτων λογίων *è ſupermundanis & ſanctiſſimis oraculis.* eſt periphraſis Scripturæ. quibus autem? τοῖς τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας τὴν τελετὴν ἐξ ἱεραρχικῶν μυστηρίων καὶ παραδόσεων τετελεσμένοις, *ijs qui ſunt initiati, initijs ſacræ myſtagogiæ ex hierarchicis myſterijs & traditionibus.* eſt periphraſis fidelium, qui ſacramentorum facti ſunt participes. Vides ampullas plane tragicas: nam in choris tragicorum Græcorum, nihil ita turgidum, cui non poſſint huius ſcriptoris nonnulla comparari. Mox Ieſus Chriſtus dicitur, ὁ θεαρχικώτατος νοῦς, ἡ ὑπερούσιος καὶ θεαρχικωτάτη δύναμις: quæ verba in Latinũ ſermonẽ verti non poſſunt. vim dictionũ pluribus exprimere conabimur: *mens in qua supremũ Dei imperium reſidet & omnẽ ſubſtantiam tranſcendens, virtus quæ eſt ſummũ Dei imperiũ.* Alibi, ſententiam Iacobi I. 17. *omnis donatio bona, & omne donũ perfectũ, ſuperne eſt, deſcendens à patre luminũ,* ita imitatur, πᾶσα δόσις ἀγαθή, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, καὶ πᾶσα πατροκινήτου φωτοφανείας πρόοδος εἰς ἡμᾶς ἀγαθοδότως φοιτῶσα. *omnis donatio bona, & omne donum perfectum, & omnis proceſſio luminis illuminantis, à Patre excitati, ad nos aueniens, ex illius bonitate donata.* Cœna quam egit Dominus cum ſuis diſcipulis, dicitur huic τὸ θειότατον καὶ ἀρχισύμβολον δεῖπνον τῶν τελουμένων, *diuiniſſima & omnium Cœnarum quæ fiunt Cœna prima.* ita Græci interpretantur; ego rectius puto; *diuiniſſima Cœna, in qua ſunt inſtituta ſymbola rerum quæ fiunt:* id eſt, Euchariſtiæ, quæ hodie celebratur. Eidem in recenſione librorum ſacrorum, conſueti tituli nouis circumlocutionibus exprimuntur. Geneſis hoc pacto; ἡ τὴν ἐκ Θεοῦ τῶν ὄντων γενητὴν ὕπαρξίν τε καὶ διακόσμησιν ὑφηγουμένη. Ex his paucis intelligunt cordati iuuenes, & ſacrarum antiquitatum ſtudioſi, genium elegantis illius ſcriptoris, & ſcriptionis genus magnificum & ampullatum: cuius rei cauſſam ὁδοῦ πάρεργον voluimus indicare.

XLIV. Appendix

XLIV. *Appendix ad superiorem disputationē.* μυστήριον σωτηρίας. pretij nostri sacramentū. mysterium pacis & vnitatis. *& similia.*

IBIDEM.

SVperiori disputationi adijciendum est hoc corollarium. Nomina μυστήριον & sacramentū aliquando simpliciter Patribus vsurpantur de Eucharistia antonomastice : aliquando ad has voces aliquid adijcitur, quod vel dignitatem huius sacramenti declarat, vel finem ac scopum. θεῖον μυστήριον, *diuinum mysterium*, Iustinus alijq; passim Græci ac Latini. τὸ μυστήριον Κυρίου, *mysterium Domini*, Basilius, p. 597. τὸ δεσποτικὸν μυστήριον, *Dominicum mysterium*, Oecumenius ad XI. cap. prioris ad Cor. sic, *rei sunt Dominici sacramenti.* in Concilio Toletano, XII. τὸ τοσοῦτο καὶ τοιοῦτο μυστήριον, Basilius, pag. 597. μέγα τῆς σωτηρίας μυστήριον, *magnum salutis sacramentum*, idem in Liturgia : vt apud Augustinum, *pretij nostri sacramentum*, Confess. cap. XIV. quatenus hoc mysterium est memoria sacrificij illius Christi, in quo solo posita salus nostra, & pretium nostrum. *mysterium pacis & vnitatis*, ex Augustino Gratianus De consecrat. dist. II. can. 36. can. 58. canone autem 62. è tractatu XXVI. in Iohannem : *Hoc sacramentum pietatis est signum vnitatis, vinculum charitatis.* alibi dixit idem, *vnitatem corporis Christi participare*, pro sumere Eucharistiam, vt in III. de consensu Euangelistarum. *mysterium fidei*, Gregorius Magnus ; *Mysterium fidei dicitur, quia credere debes quod ibi salus nostra consistit.* apud Grat. can. 73. Harum appellationum & similium, si essemus, vt par erat, semper memores, & pie vitam instituere, & vnitatem colere cum membris Christi, fratribus nostris, velimus nolimus, diligentius studeremus.

XLV. DESIDERATA. *Eruitur hæc appellatio è loco veteris Glossarij. Desiderium initiandorum perueniendi ad epoptiam. Catechumenorū desiderium percipiendi sacramenta baptismi & Eucharistiæ.* desiderare *& desiderium, de sacramentis, præsertim de Eucharistia.*

IBIDEM.

PErtinet ad sermonem de mysterijs ea etiam obseruatio, quam hîc proponam. In optimo Glossario ita scriptum est ; *Desiderat.* λειτουργία. τελετή. mendum est manifestum, in quo tollendo viri clarissimi industriam suam varie exercuerunt. Solus Scaliger verum inuenit. Legendum enim vt ille emendauit, *Desiderata.* Ea vox ad ritus paganorum si referatur, significat epoptiam, quæ fuit pars vltima mysteriorum, vt ostendimus. ad hanc toto quinquennio præparabantur : quo temporis spatio docebantur futuri epoptæ ardentissimo desiderio, & cum suspirijs diem epoptiæ exspectare. Luculente hoc

 probat

probat locus Tertulliani ex initio libri aduersus Valentinianos; quem subijciam, vt est ab eodem magno Aristarcho felicissime restitutus. *Nam & illa Eleusinia heuresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est. Iccirco & aditũ prius cruciant; diutius initiant, quàm consignant; cum Epoptas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent: atq; ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem. Sequitur jam silentij officium. Attente custodiunt quod tarde inuenitur. cæterum tota in adytis diuinitas, tot suspiria epoptarum, totum signaculũ linguæ, simulacrum membri virilis reuelatur.* Iure igitur epoptię teleta dici potuit *desiderata*, ad quam tanto cum desiderio, per tot suspiria perueniebatur. Sed quia vocem λειτουργία vsurpasse veteres in suis mysterijs non legimus: præstat notulam hanc Glossatoris ad ritus Christianorum referre. Iam ostendimus Catechumenos & Competentes fuisse institutos desiderare tota cupiditate, sacramentorum participationem, quæ erat ipsorũ epoptia. Quamobrem *desiderata* est initiatio in Christianismo; id est, baptismus, & quoduis sacramentorũ, antonomastice vero S. Euchariſtia, teletarum teleta, sacramentũ sacramentorum, vt antè dicebamus è Dionysio & Bernardo. De hoc sacramento peculiariter vsurpari verbum *desiderare*, apud Latinos Patres obseruauimus. Tertullianus ad vxorẽ lib. I I. cap. I V. *quis patietur de cibo, de poculo inuadere, desiderare, in mente habere?* cap. V I. *De cuius manu desiderabit? de cuius poculo participabit?* Ambrosius de fratre suo. *Dei gratiã & accepit desideratã, & seruauit acceptã.* Idẽ de sacramentis libro quarto: *Ista gratia quã accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atq; perpetua. Veniebas ergo desiderans, vtpote qui tantã gratiã videras: veniebas desiderans ad altare, quò acciperes sacramentũ.* Eligius homilia VIII. *Quia metuenda pariter & desideranda Dominicæ Cœnæ sacramenta celebramus, fratres charissimi.* mox: *desideranda verò, quia in his tutissimũ nostræ salutis speramus habere suffragium.* Dicitur & de baptismo, qui erat Christianis initiationis principium. Optatus Mileuitanus libro quinto, *Quum ab accipientibus baptisma desiderari debeat, vos desiderandos esse proponitis.* Augustinus epistola C V I I. *Audit sacerdotẽ exhortantẽ populũ Dei, orare pro catechumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret.* de quo more diximus supra è Chrysostomo. Idem, de fide & operibus cap. sexto. *An vsq; adeo dissimulamus à sensibus nostris, vt vel nos ipsos non recordemur, quàm fuerimus attenti atq; solliciti, quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur? vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus quibus catechizantur, scrutantur, quanta vigilantia conueniant, quo studio ferueant, qua cura pẽdeant? Si tunc tempus non est discendi quæ vita congruat tanto quod accipere desiderant*

sacramento,

sacramẽto, quãdo erit. Huius desiderij mentionẽ faciens persępe Chrysostomus, obseruat aliquoties, primũ eius exemplũ ab Eunucho datum esse, qui in fide Christiana à Philippo institutus, cupiditate baptismi subito correptus, vehementiam desiderij sui, ipso loquendi genere declarauit, inquit Chrysostomus, cùm ait, Ἰδοὺ ὕδωρ, τί κωλύει βαπτισθῆναι; *Ecce aquã, quid impedit quominus ego baptizer?* idem alij Patres obseruant. Hilarius in Psalmum LXVII. loquens de Candace. *Ipse baptismi gratiam sibi postulat dicens; Ecce aqua; quis prohibet me baptizari? sacramentum ipsum baptismi adeo impatientis desiderij cupiditate præueniens, vt à diacono ministeriũ Apostolici officij salutis suæ cupidus exigeret.* Baptismo adiungebatur vnctio, quam etiam sacramenti nomine Patres appellant. ergo etiam de hac verbum *desiderare* vsurparunt. Zeno Veronensis, sermone de ieiunio. *Per quod admonet nos, vt vnguentũ regale & vnguentũ sacerdotale, si qui nondum consecuti sunt Catechumeni, desiderent ac requirant.* Huc pertinet quod ait Augustinus, De veritate relig. cap. XVII. populum Iudaicũ tempore seruitutis, in veteri lege, multis sacramentis fuisse oneratũ: *hoc enim,* ait, *talibus vtile erat ad desiderandam gratiam Dei.* Non prætermittam elegantem locum Gregorij Magni, quo egregie confirmantur quæ diximus. Sic ille in epistola XXIV. lib. septimi, loquens de Iudæorum quorundam conuersione. *Si sanctum Pascha elegerint exspectare, iterum cum Episcopo loquere, vt modò quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratq; solicitudinem, & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat, vt quanto exspectatur eis longa festiuitas, tanto se præparare, & eam desiderio feruenti debeant sustinere.*

XLVI. ΧΑΡΙΣ. GRATIA. προσέρχεσθαι πρὸς τὴν χάριν. venire ad gratiam. gratia salutaris & *similia.* gratia *nomen baptismi. Sacramentum & gratia Sacramenti.*

IBIDEM.

QVid sit *gratia* in doctrina Sacramentorum postea sedulò exponetur. hic tantum notabimus, & Gręcis Patribus sæpe nomen χάρις, & Latinis *Gratia* poni pro baptismo aut Eucharistia. Cyrillus Ierosolym. in quarta mystagogica, ait Salomonem Ecclesiastæ IX.7. cùm dicebat, *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe,* intellexisse de pane spirituali, αἰνιττόμενον τὴν χάριν, *ænigmatice designantem gratiam,* id est, sacramentum Cœnæ Domini. apud alterum Cyrillum sæpius occurrunt hæ locutiones, τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, & προσιέναι πρὸς τὴν ἁγίαν χάριν, de participatione Cœnæ Dominicæ. simillime apud Latinos, *venire ad gratiam.* Optatus libro V. de Eucharistia lo-

quens: *Veniunt gentes ad gratiam. exhibet ille qui inuitare dignatus est: ministerium exercet turba famulorum.* id est, sacerdotes. non multo aliter apud Chrysostomum, in oratione LXXXIX. οἱ τῇ χάριτι προσδραμόντες. etsi non de sola Eucharistia loquitur. Augustinus; *ipsa gratia partes vocantur.* de quibus verbis paullo post plura. Sic *gratia salutaris*, apud Cyprianum, de lapsis. *gratia communionis*, &, *sanctæ communionis gratia*, apud Gratianum è Concilio Toletano, De consecr. dist. IV. can. II. Sic ἡ θεία καὶ θεοποιὸς χάρις apud Simeonem Metaphrasten est periphrasis Eucharistiæ. nec minus sæpe de baptismo dicitur; qui plurima quum habeat nomina, quæ recensent Clemens Alexandrinus, Pædag. lib. I. Gregorius Naz. oratione XL. & Chrysostomus non semel, vnum illorum est χάρισμα, vel χάρις. in quarta mystagogica Cyrilli, προσέρχεσθαι τῇ χάριτι, est; *accedere ad baptismum.* Cæterum, siue Eucharistia, siue baptismus dicantur *Gratia*; semper meminisse oportet, familiarē esse Scripturis & Patribus locutionem, quæ nomina signorum & rerū significatarum inuicem permutat. Nam proprie, aliud sunt sacramenta, aliud gratia, *quæ sacramentorum virtus est*, inquit Augustinus in Psalmum LXXVII. Sacramentum igitur Cœnę Domini ore accipimus & manducamus: *at gratia non consumitur morsibus*, ait idem, tract. XXVII. in Iohannem, de sacramento Eucharistiæ disserens. Quare cùm ait Cyprianus in historia, quam narrat in libello de lapsis; *nec immerentibus ad salutem prodest, quod sumitur, quando gratia salutaris, in cinerē sanctitate fugiente, mutetur.* luce clarius est, sacramentalem eam esse locutionem; & *gratiam salutarem* appellari, non virtutem sacramenti, vt modò exponebat Augustinus, sed symbola gratiæ; id est, panem consecratum.

XLVII. ΤΑ ΑΓΙΑΣΜΑΤΑ. μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων: *& similes locutiones.* ἁγιάσματα *res sanctificatæ, non sanctificationes. Panis Eucharistiæ*, ἅγιόν τι καὶ ἁγιάζον. Sanctum Domini. τὰ ἅγια. τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. ἁγίασμα *pars templi. item aqua lustralis.* ἁγιασμὸς *pars Liturgiæ.*

IBIDEM.

APud Græcos scriptores Ecclesiasticos frequenter admodum appellatione τῶν ἁγιασμάτων intelligitur Cœna Domini. In Basilij Liturgia leges, μετέχειν τῶν ἁγιασμάτων, & μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων, de participatione panis quem frangunt fideles. Ibidem petit à Deo sacerdos pro populo, ὑποδέχεσθαι ἀξίως τὴν ἐλπίδα τῶν ἁγιασμάτων, εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου; *vt digne suscipiat spem rerum sanctificatarum, in viaticū*

vitæ

vitæ æternæ. Photius ad canonem Apostolicum VIII. ἑτοίμους πάντας καὶ ἀξίους ἀεὶ τῆς τῶν ἁγιασμάτων μεταλήψεως ὁ κανὼν βούλεται εἶναι· καὶ μάλιστα τοὺς ἱερωμένους. *hic canon vult, vt ij præsertim, qui sacra ministeria obeunt, semper sint parati ad participationem rerum sanctificatarum.* id est, Eucharistiæ. Balsamon ita sæpissime loquitur, vt ad interrogationes canonicas Timothei, in prima, ἐὰν καιροῦ τύχῃ ἐπιτηδείου, καὶ μεταλάβῃ τῶν ἁγιασμάτων ἀγνοῶν. *si nactus opportunitatem participauerit Eucharistiæ, ignorans.* ad tertiam; οὐ μόνον τῶν ἁγιασμάτων οὐ μεθέξει, ἀλλ' οὐδὲ πιστοῖς συνευξεται ἢ συναριθμηθήσεται. & ad canones Nicenos persæpe. In libro Iuris Canonici Græcorum, hoc sensu sępe vox ista occurrit: male verò docti vertunt *sanctificationes.* nam postulat omnino analogia, vt τὰ ἁγιάσματα vertamus *res sanctificatæ*; vt τὰ δόματα vel δωρήματα, *res donatæ.* τὸ λῆμμα, *res accepta,* τὸ ἀπάντημα, *res quæ occurrit,* non occursus. Ratio appellationis prorsus eadem, quæ in *eulogia* & *eucharistia.* de quibus antea est actum. nam vti dicebamus, εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν & ἁγιάζειν pro eodem accipiuntur. Itaque aliquando coniunguntur εὐλογεῖσθαι, vnde *eulogia,* & ἁγιάζειν, vnde τὰ ἁγιάσματα. vt cùm Cyrillus in epistola ad Calosyrium ait, in Ecclesia τὰς δωροφορίας ἁγιάζεσθαι καὶ εὐλογεῖσθαι καὶ τελειοῦσθαι παρὰ τοῦ Χριστοῦ. Etsi autem, proprie hęc vox passiuam significationem habet, vti diximus; non est tamen dubitandum, quin panis huius sacramenti, vi Spiritus Sancti, & sanctificetur & sanctificet, quatenus est instrumentum gratiæ. Origenes aduersus Celsum, libro VIII. ἡμεῖς δὲ τῷ τοῦ παντὸς δημιουργῷ εὐαρεστοῦντες, καὶ τοὺς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν, σῶμα γενομένους ἅγιόν τι, καὶ ἁγιάζον τοὺς μετ' ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους. *Nos vero Creatori rerum omnium morem gerentes, panes etiam qui offeruntur, cum gratiarum actione & oratione pro acceptis donis comedimus; qui quidem corpus fiunt sanctum quoddam, eos sanctificans qui bono cum proposito ipsis vtantur.* Apud Cyprianum De lapsis; quando ita scribit sanctus Martyr, *Cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire;* per *Domini sanctum* intelliguntur quæ vocant Græci τὰ ἁγιάσματα, panis nempe consecratus. Mox iterum: *sanctum Domini edere & contrectare non potuit.* deinde, vocat id ipsum *gratiam salutarem,* & ait in cinerem versam, vt modò dicebamus. ibidem, mysticum Christi sanguinem appellat *sanctificatum in Domini sanguine potum.* Græci aliquando etiam nominant τὰ ἅγια. Chrysostomus ad Innocentium Papam; ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειτο εἰσελθόντες. aliquando etiam ἅγια ἁγίων, vt in Commentario Hesychij in Leuiticum sæpius. & Gratianus è Concilio Rhemensi: *quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent; illis sancta sanctorum committuntur?* apud Dionysium initio Hierarchiæ Eccles. τὰ ἅγια

τῶν

τῶν ἁγίων in genere appellantur omnia ſacramenta. Interdum ἁγίασμα ponitur pro ſanctiore parte templi, vbi eſt menſa Domini : vt apud Euſebium Hiſtoriæ lib. VII. cap. XV. εἴσω τε πρὸς αὐτῷ ςήσας τῷ ἁγιάσματι. In poſteriorum ſcriptis ἁγίασμα ſæpiſſime legitur, non pro Euchariſtia, ſed pro aqua, vti vocant benedicta, ſiue luſtrali. Eſt & Liturgiæ pars, quæ vocatur ἁγιασμός, *ſanctificatio* ; in qua celebratur nomen Domini hac formula, *Sanctus, Sanctus Sanctus, Dominus Sabaoth.* Ita accipe apud Chryſoſtomum tomo VI. p. 4. μόνον ὕμνουν μετὰ πολλῆς τῆς φρίκης, τὸ μυστικὸν ἐκεῖνο τοῦ ἁγιασμοῦ ἀναφέρουσαι μέλος. Vide Seueriani homiliam ſecundam, eidem tomo adiectam, p. 597. & 598.

XLVIII. ΤΟ ΑΓΑΘΟΝ. ΤΟ ΤΕΛΕΙΟΝ. *Cur Euchariſtia nominatur* ipſum bonũ : *item* perfectio *vel* conſummatio.

IBIDEM.

Basilius Magnus epiſtola ad Amphilochium, canone LV. οἱ ἔξω ὄντες τῆς ἐκκλησίας, εἴργονται τῆς κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ. Balſamo exponit: ἀπείργονται ἐκ τῆς ἁγίας μεταλήψεως. igitur τὸ ἀγαθόν, *bonum* vel *ipſum bonum* aut *ſummum bonum*, vt apud philoſophum exponitur τἀγαθόν, eſt Euchariſtia. rectè. nam in Cœna Domini, ipſum Chriſtum in myſterio percipimus, in quo ſunt omnes theſauri bonorum, & qui ſolus eſt vere bonus. Idem, canone LXXV. οὕτω λοιπὸν καταξιούσθω τῆς τοῦ ἀγαθοῦ κοινωνίας. in LXXXI. οὕτω δεκτοὶ ἔστωσαν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ κοινωνίᾳ. In canonibus Ancyrani Concilij, & alijs, pro eo leges, ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, *venire ad id quod perfectum eſt.* & τελείως δέχεσθαι, *recipere aliquem plene & perfecte.* item μετέχειν τοῦ τελείου, & λαμβάνειν τὸ τέλειον. quare τὸ τέλειον, perfectio aut conſummatio, eſt ipſa Euchariſtia : quæ etiam Dionyſio dicitur τελείωσις, vt antè obſeruabamus: quia coniunctioni noſtrę cum Chriſto, cuius inſtrumenta ſunt Verbum Dei & Sacramenta, veluti colophonem imponit participatio corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Dominica : nullus enim reſtat alius modus, quo in terris verſantes arctius cum Chriſto capite noſtro coniungamur.

XLIX. ΜΕΤΑΛΗΨΙΣ. μεταλαμβάνειν τῆς θεότητος *apud Damaſcenum.* μεταλήψεως μετέχειν.

IBIDEM.

Obſeruat Iohannes Damaſcenus ſacramentum Communionis ita vocari : Μετάληψις λέγεται· δι' αὐτῆς γὰρ Ἰησοῦ θεότητος μεταλαμβάνομεν. *Appellatur* μετάληψις participatiò, *quia per illã participâmus Chriſti*

Christi deitatem, siue *diuinitatem* : etsi proprie θεότης est *deitas*. hoc autem propterea sic Damascenus, quia plures Patrum finem Sacramentorum statuebant, θέωσιν, vt per illa fideles dij fierent : quod antea exposuimus, atque ita passim omnes Patres loquuntur, & verba θεοῦσθαι ac θεοποιεῖσθαι vsurpant. Porrò hæc significatio vocis μετάληψις, apud Græcos Patres frequentissima est. Apud Iustinum in Apologia II. leges, μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου : *partem capere de pane super quo gratiæ sunt actæ.* sed μετάληψις, quando est nomen Eucharistiæ, non iam actionem significat, verùm ipsa symbola, ipsum Christi corpus mysticum. inde apud Chrysostomum homilia XVII. in eam ad Hebr. τῆς μεταλήψεως μετέχων, ad verbum, *participans participationis*, id est, cœnæ Domini. Inter epistolas Zonaræ nondum editas, vna extat, cuius hic est titulus, Εἰ φθαρτή ἐστιν ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ μετάληψις, εἴτε καὶ ἄφθαρτος. de qua plura dicentur inferius.

L. ΑΙ ΑΓΙΑΙ ΜΕΡΙΔΕΣ. PARTES. *Panis fractio in partes minutas.* κλάσματα. portio. buccella. mica. μερίδες. *De modo accipiendi Eucharistiam nonnulla.*

IBIDEM.

Apud Bedam in cap. x. prioris ad Cor. & apud Gratianum De consecr. dist. II. can. 58. extant hæc verba Augustini. *Nec quando manducamus partes de illo facimus : Et quidem in sacramento sic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi : vnusquisq; accipit partem suam ; vnde & ipsa gratia* PARTES *vocantur.* Iam ostendimus *gratiam* hoc loco esse symbola S. Eucharistiæ. quare hoc significauit isto loco Augustinus, vnam ex appellationibus Eucharistię esse PARTES. Videtur esse idioma Ecclesiarum Africanarũ. Olim in Ecclesia panis diuidendus fidelibus frangebatur in partes minutas, quas vocarunt è re κλάσματα, & μερίδας, *particulas*, potius quàm μέρη *partes* : quia vt aiunt Patres Concilij Niceni canone quinto, οὐ πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ᾽ ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν ὅτι οὐκ εἰς πλησμονήν, ἀλλ᾽ εἰς ἁγιασμόν. *non multum panis aut vini accipimus, sed parum ; vt intelligamus, non ad satietatem illa capi, sed ad sanctificationem.* Latini modò *partem* vocant, modò *portionem*. Augustinus *buccellam*, sed de Iuda, quem sacrę Cœnæ fuisse participem ipse credidit, alij negarunt. dixerunt & *micam*. Paschasius de corpore & sanguine Domini, cap. XVII. *Hoc mysterium dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe non quantum mica exhibet, sed quantum fides capit.* In historia insigni quam narrat Euagrius libro IV. cap. XXXVI. nominantur ἅγιαι μερίδες. Has partes olim

olim fideles de manu ſacerdotis manu ſua accipiebant. nam in XXI. Statuarum Chryſoſtomi, tomi Sauiliani, p. 605. ter ea de re dicitur δέχεσθαι τῇ χειρί. *manu accipere.* ſed apud Euſebium Hiſtoriæ lib. VII. cap. IX. legitur χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνειν, *manus porrigere ad ſuſceptionem ſanctæ alimoniæ.* quod melius exprimit morẽ antiquum: vtramq; enim manum porrigebant, & cauo dextræ ſuppoſita ſiniſtra panem ſuſcipiebant, vt eſt apud Cyrillum in quinta myſtagogica. Poſtea ſuperſtitio conſuetudinem inuexit conficiendi ex auro, vel alia materia pretioſa quædam δοχεῖα, vaſcula, quibus pro manu vtebantur. ſed damnatur & tollitur ea conſuetudo grauiſſimo can. CI. Concilij ſexti Oecumenici, ſiue in Trullo. Obtinuit tamen poſt illud decretum, etiam in nonnullis Græcæ Eccleſiæ locis, vt ſacramentum laicis non in manus traderetur, quod præciſe canon ille iubebat; ſed in os inſereretur. Balſamon in commentario ſuperioris canonis huius moris meminit, non tanquam vniuerſæ Eccleſię Grçcæ communis, ſed tanquam alicubi recepti. ἐν τισιν ἐκκλησίαις, inquit, μεταδίδοται τοῖς λαϊκοῖς τὸ ἅγιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἐγχειρίζεται. quem morem ipſe quum non poſſet negare verbis canonis repugnare, negat repugnare menti. Eum vide, atque obiter nota, μεταδιδόσθαι proprie dici, cum manu presbyteri in os ſacramentum inditur: ἐγχειρίζεσθαι, cum in manus traditur. Omitto alios ritus circa has particulas, de quibus non eſt hîc dicendi locus.

LI. ΤΑ ΔΩΡΑ: ΤΟ ΔΩΡΟΝ. DONA. *Oblationes in vſum Euchariſtiæ.* τὰ προκείμενα δῶρα. Sacrificium commemorationis. μεταλαμβάνειν τῶν δώρων. τὸ δῶρον, *gratia Sacramenti, tam de baptiſmo, quàm de Euchariſtia. Spiritus S. dictus* Munus. *Mali an accipiunt Corpus Chriſti.* δῶρον *ſacrificium. Locus è Concilio Niceno. item alius ex Epiphanio illuſtratus.*

IBIDEM.

IN Liturgijs antiquis & apud Patres, τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια δῶρα, appellantur oblationes panis & vini, ad ſacram communionem in Eccleſia veteri ſolitæ offerri. Erat moris primitus, Iuſtino teſte & alijs, vt ex his oblationibus ſumeretur ad conſecrationem in vſum Euchariſtię, quantum ſufficeret. Propterea in Græcorum monumentis τὰ ἅγια δῶρα, vel τὰ προκείμενα δ. aut ſimpliciter τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια, pro ipſo Chriſti corpore myſtico accipiuntur: vel propter iam factam conſecrationem; vel propter futuram. Nam in Liturgia Chryſoſtomi nondum facta erat conſecratio, cùm ait ſacerdos in prece myſtica:

ἀξίωσον προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ, τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου, τὰ δῶρα ταῦτα: *da vt à me peccatore & indigno seruo tuo, hæc dona tibi offerantur.* & in Liturgia etiam Romana, offeruntur Deo pro Ecclesia Catholica, *dona & munera.* Sed quid intelligi vellent per hæc dona, declarant sequentia verba Chrysostomi, σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων, καὶ ὁ προσφερόμενος. *Tu Christe idem es qui offers, & qui offerris.* Commemorationem enim vnici Christi sacrificij in Cruce oblati, vocabant *sacrificium*, & aliquando *sacrificium commemorationis*, aliquando *sacrificium corporis Christi*, vt postea ostendetur. Igitur τὰ δῶρα etiam, siue ante consecrationem, siue post, vsurpantur Patribus, pro ipso corpore Christi mystico, quod dicebatur offerri per commemorationem veræ illius oblationis semel factæ. Inde factum, vt *dona* acciperent pro ipsa Cœna Domini. idem enim est locis sexcentis apud Patres, μεταλαμβάνειν τῶν ἁγίων δώρων, & participare sacræ Cœnæ. atque hæc locutio ita fuit in Ecclesia Græca vsu trita, vt Balsamon ad canonem XIX. Concilij Carthaginiensis, vocem & pueris fidelium notam, *Eucharistia*, per istam interpretur: δίδοται inquit, ἡ εὐχαριστία, ἤγουν τὰ ἅγια δῶρα. Dicebamus supra, Græcos duabus mensis vti ad celebrationem Eucharistiæ: vna, in qua primò panis & vinum apponuntur, & præparantur ad futuram consecrationem. ibi igitur apposita, dicunt δῶρα, vel τὰ προκείμενα δῶρα. in qua appellatione quantum lateat significationis occultæ, declarat Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ, capite secundo. Dixerunt etiam hoc sacramentum τὸ δῶρον, diuersam ob caussam. Nam aliquando τὸ δῶρον *donum*, idem est ac *gratia*, proprie accepta pro virtute sacramenti, vt exponebamus ex Augustino. Itaque regeneratio, quæ est baptismi fructus, & quò spectat vis tota illius sacramenti, appellatur ἡ δωρεὰ vel τὸ δῶρον. Chrysostomus in Mattheum, homilia LXXXIII. Ἐν τῷ βαπτίσματι, διὰ αἰσθητοῦ μὲν πράγματος γίνεται, τοῦ ὕδατος, τὸ δῶρον· νοητὸν δὲ τὸ ἀποτελούμενον, ἡ ἀναγέννησις, εἴτουν ἀνακαίνισις. *In baptismate per rem sensui obiectam, nempe aquam, donum illud confertur: sed quod efficitur intellectu percipitur, regeneratio, siue renouatio.* Augustinus contra Manichæum, lib. XIX. cap. XVI. de baptismo differens; *Hæc omnia fiunt & transeunt, virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet: & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est.* & propterea baptismum etiam appellari τὸ δῶρον, Donum, obseruat Gregorius Nazianzenus, oratione XL. quæ est in sanctum baptisma. *Multis*, inquit, *nominibus appellatur* τὸ φώτισμα, *illuminatio*, id est, baptismus: deinde, δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρίσμα. *vocamus Donum, Gratiam, Baptismum, Chrisma, siue Vnctionem.* Basilius in sanctum baptisma, Cur, ait, differs baptismum, δέον ἐπιτρέχειν τῷ δώρῳ, *quum oporteat curriculo accedere ad Donum.* iterum, ἵνα βέβαιον

νιῶν παραμείνῃ τὸ δῶρον. Vt baptiſmum, ſic etiam Euchariſtiam appellarunt δῶρον, Donum; nempe Spiritus Sancti, cuius efficacia perficitur illa communio, in qua, ſicut antè dicebamus, poſitus eſt huius diuini ſacramenti fructus. Quinetiam ipſe Spiritus Sanctus, vnicus tanti myſterij effector, appellatur DONVM, & MVNVS κυρίως. Ambroſius in ſymbolum Apoſtolorum; *Æternitas eſt in Patre, ſpecies in Imagine, virtus eſt in Munere*; id eſt, in Spiritu Sancto. Propterea Paſchaſius in libro De corpore & ſanguine Domini, negabat malos corpus Chriſti vere accipere; quia non accipiant Donum, id eſt, Spiritum Sanctum. *Caro, ait, & ſanguis per eundem Spiritum Sanctum conſecratur: alioqui malo, nec caro eſt, nec ſanguis: quia ſine donante Spiritu nullum male præſumentibus donum ex Deo præſtatur; nam idem Spiritus Donum dicitur.* Aliquando Euchariſtia appellatur τὸ δῶρον, eandem ob cauſſam, propter quam dicitur & Sacrificium: quia videlicet eſt commemoratio ſacrificij ſemel à Chriſto oblati. Sic accipe in Liturgijs: vt in ea quæ habetur in Clementis Conſtitutionibus, lib. VIII. cap. XIII. ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προσκομισθέντος Κυρίῳ, τῷ Θεῷ δεηθῶμεν, ὅπως ὁ ἀγαθὸς Θεὸς προσδέξηται, αὐτὸ διὰ μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. *Oremus pro dono, quod Domino Deo offertur; vt Deus pro ſua bonitate illud ſuſcipiat, per interceſſionem Chriſti ipſius.* Donum ſiue ſacrificium, eſt ſymbolum corporis Chriſti, quod ſumitur in ſacra illa actione, ad celebrandam memoriam mortis Chriſti, vt poſtea exponetur. Patres aliquando ſimpliciter hoc ſenſu vſurpant τὸ δῶρον; aliquando τὸ σωτήριον δῶρον, aut τὸ νοερὸν καὶ μυστικὸν δῶρον. vt in primo tomo Chryſoſtomi, p. 916. Ita accipiendum in canone quinto Niceni Concilij; quo loco iubetur Synodũ haberi ante Quadrageſimam; ἵνα, inquit, πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται: *vt omni ſimultate ſublata Donum purum offeratur Deo.* Verum eſt, quod quidam ſcribunt, his verbis alluſiſſe Patres ad præceptum Domini, apud Matthæum, v. 23. ſed & illud veriſſimum eſt, appellatione *doni* hîc Paſcha & S. Euchariſtiam intelligi, & vt Patres loquebantur, ſacrificium Chriſtianorum. Non intellexit hunc vocis iſtius vſum, vir eruditus Conſalus Ponce de Leon, interpres libri Epiphanij, qui inſcribitur Phyſiologus, iſto loco, è capite quinto, πίε ὕδωρ ζῶν, τουτέστι τὸ ἅγιον δῶρον· κοινωνῶν γὰρ ἐν μετανοίᾳ ἀνανεώσῃ σεαυτὸν λοιπὸν διὰ τῆς αὐτῆς, καὶ τεθανατωθήσεται ἡ ἁμαρτία. *bibe aquam viuentem; id eſt, ſanctum donum: nam communicans cum pœnitentia, per ipſam te in poſterũ renouabis, & morti dabitur peccatum.* Et per ſe clarum eſt mediocriter verſato in Patribus Græcis, τὸ δῶρον, hic eſſe, Cœnam Domini: & vox proxima *communicans*, id oſtendit manifeſtiſſime. quare non debuit Conſalus alio referre. Aliquando Patribus Euchariſtia dicitur δῶρον

σωτήριον,

ἐξιτήριον, *donum à discedente donatum.* Sic scribit Basilius in homilia de charitate, Christum reliquisse ἐξιτήριον δῶρον τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς, μέλλοντα συμπληροῦν τὴν ἐν σαρκὶ οἰκονομίαν. *reliquisse,* inquam, *suis discipulis donũ profectitium, quum inibi esset, vt dispensationem in carne suam impleret.* Hieronymus ad caput XI. prioris ad Corinthios. *Christus etiam passurus, vltimam nobis commemorationem, siue memoriam dereliquit. Quemadmodum si quis peregre proficiscens aliquod pignus ei quem diligit derelinquat: vt quotiescunque illud viderit, possit eius beneficia & amicitias memorari: quod ille, si perfecte dilexit, sine ingenti desiderio non potest videre vel fletu.* Augustinus epist. CXVIII. *Saluator quo vehementius commendaret ministerij illius altitudinem; vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionẽ digressurus erat.* Gaudentius in secundo tractatu: *Vere istud est hereditarium munus Testamenti eius noui, quod nobis ea nocte qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit.* Eusebius Emissenus; *Quia corpus assumptum ablaturus erat, ab oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, vt die Cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis sui consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerabatur in pretium.* Hæc luculente exponunt nobis quo sensu dicatur S. Eucharistia δῶρον ἐξιτήριον. est enim tanquam pignus præsentiæ Christi post sideribus illatum ipsius corpus.

LII. ΕΦΟΔΙΟΝ. VIATICVM. *Nemo perfectè Christianus ante participationem sacramentorum. Sacramenta viæ subsidia. ostenditur tam baptismum quam Eucharistiam dici* viatica fidelium.

IBIDEM.

SEntentia veterum pietatis Christianæ Antistitum fuit, eos qui ad Christianismum aspirarent, prius quàm Sacramentorum facti essent participes, neque esse, neque dici posse Christianos, neque ad Ecclesiam pertinere. Aditum enim ad Ecclesiam, via quidem ordinaria, patere vnicum, ex institutione Christi, per baptismum: neq; satis esse, hanc semel esse ingressum; sed ali in ea oportere, foueri, & coniungi Christo capiti nostro etiam per sacramentalem panis eius manducationem. Passim igitur Patres, baptismum & sacramentum corporis Christi ad salutem docent esse necessaria; non quidem absoluta necessitate, sed ex ordinatione Domini. vide Augustinum libro I. de peccatorum meritis & remiss. cap. XXIV. & locis alijs quamplurimis. Propterea hæc diuinitus instituta sacramenta vocarunt ἐφόδια & *viatica,* quasi dicas, viæ subsidia: nam hæc vita, stylo Scripturarum, via quædam est. Basilius ita nominat baptismum,

 homilia

homilia in S. baptiſma: ἀσφάλισαι τὴν νεότητα τῷ τοῦ βαπτίσματος χαλινῷ. παρέδραμεν ἡ ἀκμή; μὴ ζημιωθῇς τὰ ἐφόδια, μὴ ἀπολέσῃς τὸ φυλακτήριον. *firma juuentutem freno baptiſmi. præteryt flos ætatis. caue iacturam viatici facias; caue amittas munimen & præſidium tuum.* Gregorio Naz. in eiuſdem argumenti oratione, baptiſta cùm adminiſtrat ſacramentum dicitur ἐφοδιάζειν, *viatico inſtruere.* Balſamon ad Interrogationes canonicas Timothei Epiſc. Alex. ait, τὸν δαιμονιζόμενον, quem vexant mali Spiritus, ſed qui habeat dilucida interualla, in quibus neque enuntiet, neque blaſphemet ſacramentum, in morte baptizari debere, ne diſcedat ex hac vita priuatus gratia baptiſmi, ἵνα στερηθῇ τοιούτου ἐφοδίου, *& careat tali vatico.* Cœna quoque Domini nuncupatur viaticum, & reſpectu vitæ huius, ad quam pie tranſigendam, magnum id eſt inſtrumentũ; & reſpectu mortis, quæ eſt via ad futuram vitam. in canone XIII. Concilij Niceni; Εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ δεσποτικοῦ ἐφοδίου μὴ ἀποστερείσθω. *ſi quis decedat, Dominico viatico ne fraudetur.* In pleriſque Liturgijs oratur Deus, vt γένηται ἡ μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, *participatio rerum ſanctificatarum, cedat in viaticum vitæ æternæ.* Thomas parte III. quæſt. LXXIII. art. 4. *Hoc ſacramentum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria: & ſecundum hoc dicitur Viaticum: quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi.* Paſchaſius de corpore & ſanguine Domini, cap. XIX. *Vnde hoc myſterium nonnunquam Viaticum appellatur; quia ſi quis illo fruitur in via, peruenit ad vitam, quam iam in ſe habet.* Idem, de ijs qui ſtatim poſt baptiſmum moriuntur; *Et ideo non obeſſe credimus, eos viaticum non accepiſſe huius ſacramenti ad vitam in via; quia in nullo poſt perceptam vitam declinauerunt à via.* Gaudentius in tractatu ſecundo: *Hoc illud eſt viaticum noſtri itineris, quo in hac via vitæ alimur ac nutrimur, donec ad ipſum pergamus de hac vita recedentes. vnde dicebat idem Dominus, Niſi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ipſis.* Extiterunt olim, qui è loco Iohannis quem affert Gaudentius, & altero eiuſdem cap. III. 5. ad literam acceptis, neceſſitatem quandam baptiſmi & Euchariſtiæ defenderent; ita præciſam, vt damnari omnes neceſſario crederent, qui neque baptiſmi neque Cœnæ facti fuiſſent participes. itaque mortuos baptizabant, & ſymbola Euchariſtię, panem ac vinum in os illis indebant: quæ manifeſta fuit impietas, alligantium gratiam ſignis ſacramentorum. Quare damnata eſt illa conſuetudo, canone vniuerſalis Synodi Penthectæ octuageſimo tertio, & Carthaginienſis apud Balſamonem nono: vbi ille error pluribus deſcribitur. Vere Auguſtinus: quum ſacramenta conſtent è re viſibili & gratia inuiſibili; quoſdam tamen rem viſibilem percipere, ad quos non pertineat gratia inuiſibilis: & contra,

hanc

hanc ab ijs interdum percipi, qui careant re visibili. Sed væ illis qui in administratione sacri lauacri, obtentu nescio cuius disciplinæ, moribundis infantibus officium suum negant.

LIII. ΠΑΣΧΑ. Pascha. *Nomen Pascha aliquando designat Christū; aliquando sacrificium illius in Cruce. Vnum Pascha verum. interdum est ipsa Eucharistia.* μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα. *interdum, sola commemoratio sacrificij Christi.*

Ibidem.

SCriptū est I. Cor. v. 7. Τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Hinc factum, vt & Christus ipse appelletur *Pascha*, & hoc sacramentum, de quo ipse dixit, *Hoc est corpus meum.* Vide hymnum Damasceni in Dominicam Paschatis, vbi Dominus postquam resurrexerat, appellatur *Pascha nostrum*, & *Pascha æternum.* ἀγαλλομένῳ ποδὶ πάσχα κροτοῦντες αἰώνιον. nisi malis accipere de ipsa festiuitate & gaudio propter resurrectionem. ibidem appellatur *Pascha mysticum.* Socrates libro v. cap. XXII. de Origene, ἓν πάσχα ἀληθινὸν γεγενῆσθαι λέγων, ὅπερ ὁ Σωτὴρ ἐπετέλεσεν, ἐνεργήσας κατὰ τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων, διὰ τοῦ προσομιλῆσαι τῷ σταυρῷ. *dicebat, vnum solum verum fuisse Pascha, quod perfecit Saluator, vim exerens suam aduersus contrarias virtutes, per passionem in Cruce.* Socrati, siue Origeni, *Pascha* est Christi sacrificium in Cruce. Aliquando *Pascha* dicitur ipsa commemoratio huius sacrificij, siue in Eucharistia; vt apud Isidorū Pelusiotā, lib. IV. ep. CLXII. σπουδαῖον εἶναι χρὴ τὸν ἐσχηκότα, τουτέστι φιλάρετον, τὸν μέλλοντα ἐσθίειν τὸ θεῖον καὶ ἀληθινὸν πάσχα. *oportet studiosum esse, hoc est amantem virtutis eum, qui Pascha diuinū & verū sit manducaturus.* Augustinus, contra literas Petiliani Don. lib. II. cap. XXXVII. *Aliud est Pascha, quod adhuc Iudæi de oue celebrant; aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* & Gregorius Nazianz. ita dixit, oratione XLII. in Cœna Domini communicantes μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα, *participare Pascha.* siue extra Eucharistiam: vt cùm ait Chrysost. sermone LXXXVIII. tomi V. ἐπεὶ ἀεὶ δυνάμεθα τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλειν, ἀεὶ πάσχα δυνάμεθα ἐπιτελεῖν. *quia mortem Domini semper possumus annuntiare, semper possumus Pascha agere.*

LIV. Vita. *Idioma Ecclesiarum Punicarum, baptismum appellare* salutem: *Eucharistiam* vitam. *etiam baptismo id nomen tributum.*

Ibidem.

AVgustinus de peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos, lib. I. cap. XXIV. *Optime Punici Christiani, baptismum ipsum, nihil aliud quam* SALVTEM, *& sacramentum corporis Christi, nihil aliud*

aliud quàm VITAM *vocant. Vnde, nisi ex antiqua vt existimo, & Apostolica traditione?* Mox. *Quid aliud etiam, qui sacramentum mensæ Dominicæ* VITAM *vocant, nisi quod dictum est, Ego sum panis vitæ?* Fuit hæc nomenclatura topica, Punicis Christianis propria, non vniuersis Ecclesijs communis: sicut etiam superiorum nonnullæ, doctis potius vsurpatę fuerunt, quàm in communem Ecclesiæ vsum receptæ. verùm & hoc nomen & illa sunt orta ex opinione, quæ semper viguit in Ecclesia, de vi & efficacia huius Sacramenti. Inuenias & baptismum in scriptis antiquorum appellari *vitam.* vt cùm ait Paschasius, in libro De corpore & sanguine Domini, de ijs qui statim post acceptum baptismum obierunt: *in nullo post perceptam vitam declinauerunt à via.* hic *vita* est baptismus, aut ipse Christus, quem induunt, qui lauacro regenerationis tinguntur. Galat. III. 27. ideo subijcit Paschasius, *sed permanserunt in vita, quæ Christus est.*

LV. NATALIS CALYCIS. *proprie dies Cœnæ Domini: interdum ipsa Eucharistia.* Sacramentum calycis.

IBIDEM.

ELigius Nouionij in Belgio Episcopus, qui ante annos mille viuebat, homilia x. *Vocatur hæc dies Cœna Domini; vocatur & Natalis calycis; & merito talibus præfulget vocabulis; quia hac eademq; die, mysticum Pascha Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta corporis & sanguinis sui illis atq; per illos nobis tradididit, & ipse celebrationis initium fecit.* Paschasius Abbas Corbeiensis de corpore & sangine Domini; *Hoc iudicium in Natali calycis mox excipitur, vt doceatur, quid contemtoribus immineat, si damnati à conscientia, pedem de mensa Domini non retraxerint.* leges apud Augustinum *Sacramentum calycis* De doctrina Christ. lib. quarto, cap. XXI.

LVI. ΘΥΣΙΑ. SACRIFICIVM. *προσένεξις, ἀναφορά, προσφορά, Sacramentum altaris, oblatio. alia id genus.*

IBIDEM.

IAm aliquoties diximus, Veterem Ecclesiam appellasse Cœnam Dominicam etiam *sacrificium*, propter memoriam sacrificij semel in Cruce facti & oblati: qua de re in dissertatione de sacificio Christianorum infra dicturi sumus, cum Deo, accurate.

LVII. ΛΑΤΡΕΙΑ. CVLTVS DEI. λατρεία τῆς οἰκονομίας. λατρεία *de cantu Psalmorum.* pietas.

IBIDEM.

GRæcis Patribus λατρεία est adoratio vni Deo debita. Ijdem λατρείαν nuncuparunt quicquid fit in honorem & cultum Dei, & patet ea vox latissime: nam apud Chrysostomum in Psalmũ XLI. ἐπιτελεῖν λατρείαν de eo dicitur, qui pietatem exercet in canendis Psalmis ad mensam communem. alibi idem λατρείας καθημερινῆς appellatione intelligit Liturgiam matutinam & vespertinam, apud Eusebium libro quarto vitæ Constantini, ἐπὶ τὴν λατρείαν τοῦ Θεοῦ παρεῖναι pro conuenire ad synaxin. aliquando peculiariter Eucharistiæ celebrationẽ significat. Cyrillus in epistola ad Nestorium, Actorum Conc. Ephes. p. 80. καταγγέλλοντες τὸν κατὰ σάρκα θάνατον, τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τὴν ἀναίμακτον ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις τελοῦμεν λατρείαν. *annuntiantes mortem secundum carnem vnigeniti Filij Dei, incruentum in Ecclesia cultum peragimus.* Sic in Græcorum Liturgijs sępe. Epiphanius solet dicere λατρείαν τῆς οἰκονομίας: vt in epitome fini operis adiecta: ἔν τισι δὲ τόποις λατρεία οἰκονομίας ἐν τῇ πέμπτῃ τοῦ σαββάτου, ὥρᾳ ἐνάτῃ. *in quibusdam locis cultus dispensationis celebratur, feria quinta, hora nona:* addit, ἐν ἄλλοις δὲ τόποις οὐ τοῦ σαββάτου λατρεία τῆς οἰκονομίας, ἀλλὰ μόνον ἐπιφωσκούσης τῆς Κυριακῆς. mox, προσευχὰς τελοῦντες καὶ λατρείας τῆς οἰκονομίας. editum est, λατρείας καὶ οἰκ. quam lectionem si retineamus, erit figura ἓν διὰ δυοῖν. Ex Augustini disputatione contra Faustum Manichæum, lib. XX. cap. XXI. discimus, veterem Ecclesiam, in illa quam sæpe diximus, commemoratione passionis & sacrificij Christi, quæ & ipsa sacrificium dicebatur, posuisse præcipuum Dei cultum, quem λατρείαν vocabant. quare idem aliquando *pietatis* nomine hoc sacramentum intelligit. De Trinitate lib. III. *Infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur.*

LVIII. MISSA. *Baronij multi errores circa hoc nomen refutantur. Non esse hanc appellationem antiquissimam probatur. Decretales primorũ Paparũ falsæ. Missa non est nomen Hebraicũ. Non est Iacobi inuentũ: neq; Petrus & Paulus eam Romanos docuerunt. Error Gratiani quem secutus est & auxit Baronius.* Μίσσα. Missa *vox Latina.* Missa Catechumenorum, Missa fidelium. ἀπόλυσις *è Cantico Sim.* Missam audire. λειτουργίας ἐπακούειν. *Variæ acceptiones eius nominis. Alia.*

ANNI XXXIV. Num. LIX.

OMnium huius ſacramenti nominum hoc eſſe antiquiſſimum pronuntiat Baronius. Iacobum enim fratrem Domini hanc nomenclaturam Ieroſolymitanis tradidiſſe: Petrum verò & Paulũ Romanis. deinde illius vſurpationem vetuſtiſſimam eſſe probat ex epiſtola Pij Papæ, proximi, inquit, Apoſtolorum temporibus. Hæc Baronius : quæ quidem adeo ſunt omnia falſa , adeo abſurda, adeo etiam pueris ἀνεξέλεγκτα, & ad refellendum facilia; vt mirari ſatis nequeam; homini tam erudito tam pueriles nugas placere potuiſſe. Obſecro, ſi nomen hoc omnium antiquiſſimum eſt, cur apud probatos auctores, qui per annos trecentos & amplius ſcripſerunt, nullum eius extat ſatis certum veſtigium ? non Syri, non Græci, illo vſi, non Latini. Iuſtinus, Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, alij multi, quorum certa ſcripta ad hanc ætatem peruenerunt, intra illud tempus quum viuerent, multa de hoc ſacramento diſſeruerunt: cur horum ne vnus quidem iſtius appellationis meminit ? Pij Papę I. vt & cæterorum omnium Paparum primi ſecundique ſeculi, ac fere etiam tertij, ſcripta, i. e. quæ ſub eorũ nominibus circũferuntur, eſſe omnia adulterina, & à planis atque impoſtoribus profecta, non ſemel iam indicauimus, & Cardinalem Cuſanum, alioſque illarum partium, huius ſententiæ auctores laudauimus. neque hoc profectò Baronius ignorauit; ſed vt falſam opinionem tueretur, falſum excitare teſtem eſt coactus. poterat Pio adijcere Euariſtum, Alexandrum I. Teleſphorum : nam in ijs etiam nænijs, quæ illis Papis attribuuntur, legitur vox Miſſa. Si verum eſt, quod affirmat Baronius, hoc nomen in Eccleſia Ro. & antiquiſſimum eſſe, & iam olim vſitatiſſimum ; cur à Pio I. ad Cornelium Cypriano æqualem tranſuolat, mediarum ætatum teſtem nullum producit? puduit, credo, ὑποβολιμαίων ſcriptorũ, quæ homines imperiti, quorum palato præter fabulas & mendacia nihil ſapit, modò nominatis Pontificibus adſcripſerunt. Cur igitur probat quę Pio attribuuntur? ſunt enim farinæ prorſus eiuſdem. Iam nomen *Miſſa* Hebraicum eſſe vel Chaldaicum , putidiſſimum commentum eſt, hominum neque Hebraicas neque Chaldaicas literas intelligentium, aut certe iudicij prorſus nullius : quod ab eruditiſſimis viris luce clarius eſt demonſtratum; imprimis autem à viro longe doctiſſimo Picherello presbytero, in locum Matthæi de S. Cœnæ inſtitutione. Genebrardus, qui exploſam etiam à Bellarmino & alijs doctis E. R. fabulam reuocare in ſcenam conatus eſt; neque doctrinę in ijs literis quas profitebatur, neq; iudicij, in vlla parte eruditionis laudẽ

tulit & omninò oleum atque operam perdidit. Quod autem Baronius ait, Petrum & Paulum Romanis eam appellationem tradidisse; tam falsum est, quàm argumentum quo id probare nititur, est falsum; Scilicet Iacobus ὁ ἀδελφόθεος id vocabulum Ecclesiam Ierosolymitanã docuit, quia hodie in ea quæ dicitur Iacobi Liturgia illud legitur. Omitto quod certò constat, eum Ordinem agendi à Iacobo scriptum non esse; de quo pluribus hic agendi locus non est. Sed demus id scriptũ esse γνήσιον: quum legatur hodie ea Liturgia Græcè & Latinè; cui literarum non penitus rudi persuadebit Baronius Latina Iacobi esse, Græca alicuius interpretis? qui mediocrem vsum Græcæ & Latinæ linguæ habuerit, & paucas paginas comparauerit, statim intelliget, Græcum textum esse autographum, Latinum apographum. Et sane Græca, etsi antiquitatis primæ faciem genuinam non exprimunt; vetusta tamen sunt; vt pote, quorum Patres Concilij in Trullo meminerint: Latina suæ vetustatis nullum habent simile testimonium. Quanquam videtur Baronius Gratianum secutus, auctorem scilicet cum primis locupletem, in hunc incidisse plus quàm puerilem errorẽ. Scribit ille, De consecr. dist. I. can. 47. sic. *Iacobus frater Domini secundum carnem, cui primum credita est Ierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus, cuius claritas per totum orbem circumfulsit, in scriptis addiderunt nobis Missæ celebrationem.* videtur Baronius ex istis verbis hariolatus esse, Iacobum nominis Missæ primum auctorem extitisse: absurde & prorsus ridicule; nam vt Romani etiam Critici obseruarunt, in Græco textu eius canonis è Concilio Trullensi, vnde hæc voluit videri Gratianus desumpsisse, non Missæ nomen extat, verùm λειτουργία, *Liturgia.* quare euersum est fundamentum Baronianæ hariolationis. Et verò Ecclesiam Ierosolymitanam à primo suo Episcopo nomen *Missæ* accepisse, quis non delirus sibi vnquam persuaderi sinet? Syriacæ Noui Testamenti paraphraseos vetustissimus sine controuersia auctor, voce Græca *Eucharistia* aliquoties vtitur: qui, si hoc nomen Hebraicum, vt isti volunt, vel Chaldaicum tanti Apostoli auctoritate in Ecclesijs Iudaicis vsu receptum fuisset; omnibus alijs nomenclaturis, istam proculdubio prætulisset. certè extaret alicubi apud Syros & Græcos scriptores illius mentio. Legitur sane in Græcorum monumentis, vox Μίσσα, sed auctorum mediæ ætatis; qui ante annos præterpropter sexcentos, de re militari scripserunt: & quidem pro vespertinis precibus aut matutinis, non pro hoc sacramento, vt recte obseruarunt viri doctissimi, & nobis amicissimi, Nicolaus Rigaltius & Iohannes Meursius, qui eorum seculorum voces collegerunt. Omnino vox MISSA originem Latinam habet, alijs omnibus linguis,

niſi quæ à Latina acceperunt, incõgnita. Sunt viri eruditiſſimi, qui exiſtiment, primò *miſſas*, aut neutro genere *Miſſa*, dictum fuiſſe; proprieque eam vocem oblationes ſignificare, quæ vel afferebantur, vel mittebantur, & ſacræ menſæ imponebantur. Nos non dubitamus, quin aliorum verior ſit ſententia. Proprie *miſſio*, vel quod idem eſt, *miſſa*, eſt ἄφεσις: quam vocem Græcis olim in dimittenda concione fuiſſe vſitatam, ex Plutarcho & alijs ſcriptoribus, viris eruditis eſt compertum. Sic in iudicijs Romanorum, cùm præco clamabat ILICET, iudicibus abeundi facta poteſtas intelligebatur. Sed in Græcorum concionibus vna fuit dumtaxat miſſio, cùm finita concione præconis voce clamabatur Λαοῖς ἄφεσις: in Liturgia vetere Chriſtianorum duplex fuit ἄφεσις, *miſſio*, ſiue *miſſa*. prior cum finitis lectionibus S. Scripturæ, & precibus illis, quibus poterant intereſſe Catechumeni, energumeni, & alij non initiati, voce diaconi iubebantur exire, quibus ſacram Liturgiam ſpectare fas non erat: poſterior, cum ſacris peractis & Euchariſtiæ celebratione finita, poſt εὐχὴν ἀπολυτικὴν à diacono pronunciatam, populo diſcedendi fiebat poteſtas: quod in Liturgia Chryſoſtomi intelligitur illis verbis, ὁ ἱερεὺς ποιεῖ ἀπόλυσιν, *ſacerdos facit miſſam*, hoc eſt, dimittit populum. ἀπόλυσις eſt ἄφεσις, *miſſa* vel *miſſio*. ſumptum verbum è Simeonis Cantico. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου δέσποτα, quæ ibidem recitantur. In pleriſque Proteſtantium Eccleſijs, tota actio celebrationis ſacræ Cœnæ Domini, clauditur hoc hymno, quem flexis genibus populus concinit: quod eſt pulcherrimum & ſanctiſſimum inſtitutum. Totus Ordo agendi, ſiue Liturgia, apud veteres in duas partes diuidebatur; quæ propter totidem miſſiones dictæ ſunt Miſſæ. *miſſa* pro miſſio, vt *remiſſa* pro remiſſio apud Optatum Mileuitanum, & Auguſtinum atque alios, tranſlatitium eſt. Prior eſt Miſſa Catechumenorum, vt in can. 84. Concilij Carthag. IV. altera Miſſa fidelium: quæ propter excellentiam vt ſola diceretur Miſſa tandem obtinuit. Inuentum eſt hoc nomen circa finem, vt videtur, tertij ſeculi, vel paullo antè. Nam ſi vera eſt epiſtola Cornelij Papę ad Lupicinum Viennenſem, circa annum Domini CCL. notum iam erat iſtud vocabulum. Quemadmodum autem dicebamus de voce ſynaxis, varie illam eſſe vſurpatam à Græcis, vel pro Euchariſtię celebratione, vel pro conuentu ad preces tantum & lectionem Scripturarum: ita plane vocabulum Miſſa, non vno modo vſurpatum reperitur ab ijs, qui primi in ſcribendo frequentarunt. Ambroſius, quem male quidam affirmant primum omnium huius nominis meminiſſe, epiſtola XIII. ad Marcellinam ſororem, *Ego manſi in munere, Miſſam facere cepi: dum offero raptum cognoui Caſtulum quendam.* hic ſine dubio

Miſſa

Missa est liturgia ad S. Euchariſtiam : quod oſtendit verbum *offero*, & alia quæ ſequuntur. apertiſſime verò id euincunt illa præcedentia, *poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis Catechumenis.* Quare Ambroſium non legerunt, qui affirmant ea notione vocem Miſſa in eius libris non extare. habentur apud eundem & precationes duæ, præparantes ad Miſſam, vt præ ſe fert titulus; in quibus Miſſa eſt cœna Domini, quod declarat totus illarum contextus. Pauca verba afferam digniſſima tanto Eccleſiæ Doctore ; *Fac me Domine Ieſu Chriſte, per gratiam tuam, ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire ac firmiter retinere, dicere & cogitare, quod tibi placet & expedit animæ meæ.* Miſſa igitur, Euchariſtia eſt. Alibi Miſſarum celebratio apud eundem, & alios auctores latius patet, quod facile cuiuis eſt obſeruare. Legitur aliquando apud antiquos ſcriptores *audire Miſſam*, ſed alio ſenſu, quàm quo hodie locutio illa vſurpatur ab ijs, quibus Miſſa communio non eſt, verùm acroama dumtaxat & ſpectaculum. apud Gratianum ex Agathenſi Concilio, iubentur ſeculares, *Miſſas die Dominico totas audire.* Ambroſius etiam, ſermone XXXIV. quo docet formam agendi rectè Quadrageſimam. *Moneo*, inquit, *vt qui iuxta Eccleſiam eſt, & ſine graui impedimento poteſt, quotidie audiat Miſſam ; & qui poteſt, omni nocte ad matutinum conueniat.* hîc Miſſam audire non dicitur ad excluſionem communionis, vt hodiernus error poſtulat ; ſed de eo qui & Liturgiam audiat, & communionem ſumat. ſubijcit Ambroſius : *In Quadrageſima vero moneo, vt die omni, aut ſaltem, vt dixi, omni dominica offeratis & communicetis.* Sic locuti ſunt & Græci æquales Ambroſio, aut etiam priores. Euſebius enim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro VII. cap. nono, εὐχαριστίας ἐπακούειν, *miſſam audire*, de eo dixit, quem narrat communicaſſe. Poſt tempora Ambroſij, & Auguſtini, adeo increbuit huius vocis vſus, vt viri docti, Iulianus interpres Nouellarum Iuſtiniani, Paulus Diaconus, auctor Hiſtoriæ Miſcellæ, quę è Græcis auctoribus ad verbum fere tota eſt deſcripta, alij plures, vocabula Græca, ἐκκλησιάζειν, συνάγειν, σύναξις, λειτουργεῖν, λειτουργία, & apud Ignatium δοχὴν ἐπιτελεῖν, per dictionem *Miſſa* exprimerent, ſicut antè dicebamus. Qui vt reprehendi eo nomine iure non poſſunt; quos certum eſt locutos eſſe cum hominibus ſui ſeculi : ita excuſari illorum nequit ſiniſteritas, quibus id verbum apud eiuſmodi auctores inuentum, firmum videtur eſſe argumentum, ad defenſionem opinionum multo poſt exortarũ. Equidem ſi de re conueniret, litem mouere ſuper vocabulo, ineptum, friuolum, & facinus μικροψυχίας γέμον iudicarem. Quare omiſſa contentione de nomine, id potius agant magni Theologi, vt Deo auſpice, de re ipſa ceſſent tandem contentiones. Cæterum quod dicebamus

bamus de varia acceptione dictionis MISSA, confirmatur multis veterum testimonijs; quorum apponam hic vnum aut alterum. Cæsarius Arelatensis Episcopus, oppidò vetustus, homilia XII. *Si diligenter attenderitis cognoscetis, quod non tunc fiunt Missæ, quando diuinæ lectiones in Ecclesia recitantur: sed quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones siue propheticas, siue Apostolicas, siue Euangelicas, etiam in domibus vestris, aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis. Consecrationem vero corporis & sanguinis Christi, non alibi nisi in domo Dei, audire vel videre poteritis. Ideo qui vult Missas ad integrum, cum lucro animæ suæ, celebrare, vsque quo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde se debet in Ecclesia tenere.* Ex his apparet, fuisse multos illa ætate; qui discrimen leue aut nullum prorsus agnoscerent inter Missam Catechumenorum & Missam Fidelium: qui postquam ei parti Liturgiæ interfuerant, quæ Catechumenis erat cum fidelibus communis; Missam se crederent rite celebrasse: quasi lectiones & preces legitimam absoluerent Missam, non minus quàm ipsa Communio: itaque propter illam opinionem celebratio corporis Christi contemnebatur: quorum errorem castigans Cæsarius, Missam propriè appellari contendit illam partem Liturgiæ, cui est adnexa Cœnæ participatio: cui qui non interfuerit, eum Cæsarius negat Missam celebrasse. Fuit & alia vocabuli huius acceptio, cùm *Missam* vsurparunt pro solemni aliqua festiuitate, siue die festo. In Capitulari Caroli Magni libro secundo XVIII. *vt absque vlla excusatione citò possit emendari, spatium vsque ad Missam S. Martini dare decreuimus.* & XX. *ita vt ad Missam sancti Andreæ restaurati fiant.* & ita non raro apud Aymoinum, & id genus scriptores. Sic in Anglia & Scotia manent illa nomina ex veteri vsu, *Christmas* & *Martinmas*, Missa Christi, & Missa Martini, & similia, pro die consecrato in honorem Christi vel Martini. quin in Rituali Anglicanæ Ecclesiæ legere licet nomina illa *Christmas* & *Michaelmas*: adeo falsum est & sycophanticũ, quod in superioribus affirmabat Maldonatus, Orthodoxos Protestantes nefas ducere, alio nomine vti quàm Cœnæ. Atqui notum est, quid de Missa appellatione iam olim in Confessione Augustana eius auctores sint professi. Postremò ne illud quidem prætermittam; quod Græci dicunt συνάγειν vel ἐκκλησιάζειν, id Latinos dixisse etiam *Missas tenere*; & verbi prædicationem & sacramentorum administrationem ea locutione significantes. In indiculo legatorum Hormisdæ Papæ, qui describitur in anno DXVIIII. num. 137. ita scriptum; *Si hæretici non sunt, quomodo ante duas hebdomadas, quàm nos venissemus, statuerunt omnes in vnum, ne quis Missas foras ciuitatem teneret; sed hic omnes; vt & multitudo*

tudo esset futuræ seditioni congregata & doceri posset secundum errores eorũ? Atque hæc de appellationibus huius diuini sacramenti, impræsentiarum satis. Restabat vt ad secundam partem Baronianæ digressionis de Eucharistia, quæ est de Transsubstantiatione, accederemus, & quę fuerit veteris Ecclesię fides super eo articulo, accurate expenderemus. Sed quum nostra ad eam partem responsio, itemque ad tertiam, de Sacrificio Christianę Ecclesię; in molem multo maiorem, quàm initio putaramus, excreuerit; satius fore visum est, vt illæ disputationes separatim ederentur, neq; operis huius editionem morarentur. Omissa igitur responsione ad Baronianum tmema x l i x. & omnia deinceps sequentia, in quibus de negotio Eucharistiæ agitur; pergamus interim ad reliquum historiæ sacræ contextum.

LIX. *Poculi Dominici forma. S. Beda.*

Anni XXXIV. Num. LXIII.

SI vera est historia quæ refertur è Beda de poculo Domini quod ipsius tempore Ierosolymis visebatur; fuit illud poculum ἀμφωτόν, siue ἀμφώες: cuiusmodi poculorum vsus apud Græcos antiquissimus. Homerus commemorat ἀμφώεες ἄλεισον. Sed quantum fidei tribuendum sit illi Bedæ libro, antea monuimus: quoties præsertim res commemorantur primorum Ecclesiæ seculorum hominibus incognitæ. Spongia quam appellat Beda *Domini potus ministram*, ea est de qua paullo post dicetur. Baronius, non Ierosolymis, sed Romę eam seruari iam ostendit: sed quo fidē faciat huic historię, nihil affert.

L X. *Expenduntur dicta quædam Baronij. Contentio inter Apostolos sine caussa ab eo repetita.*

Anni XXXIV. Num. LXIIII.

AIt, *Nox aduenerat cùm Iudas peracta Cœna è mensa exijt.* Ex tempore Cœnæ Paschalis certum est, non solum aduenisse, sed etiam altam fuisse iam noctem, cùm hi sermones ederentur: atque adeo alteram præterijsse iam vigiliam. Theophylactus: ἀωρὶ τῶν νυκτῶν διελέγετο, καὶ προέτι ἦν καὶ διὰ μέσης διῆλθουσα. Ait; *obortam interim contentionem inter discipulos de primatu, Dominus sedauit.* Hæc contentio illa est, cuius meminit solus Euangelistarum Lucas x x i i. 24. de hac mentionem fecit iam Baronius, num. 42. eandem igitur nunc repetens, videtur de vna duas facere, nescio quo consilio. non enim hic locum habet prouerbium Græcum, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Porrò attente consideranti

omnes

omnes huius loci circumſtantias, luce clarius apparebit, quàm ſit frigida coniectura Baronij, quam antea refellebamus; ſuper occaſione huius contentionis. Multo enim ſimilius veri eſt, in eos ſermones incidiſſe Apoſtolos, poſtquam Chriſto prædicente didicerant, & ſeriò iam meditari ceperant, Dominum breui moriturum: quod vix ante hoc tempus in animum induxerant. Cogitabant, inſtitutam à Chriſto ſocietatem, cuius ipſe caput erat, magiſtro & duce carere non poſſe: quum præſertim & multoties antea, & nouiſſime in ipſa Cœnę celebratione, regni ſui mentionem apertam Chriſtus feciſſet. Omitto alia quæ in hanc ſententiam Theophylactus & alij interpretes, magna cum ſimilitudine vero diſputant: quæ vt Baronianam illam coniecturam vanitatis arguunt; ita illorum opinionem refellunt, qui in ſuis Harmonijs hanc Lucæ narrationem componunt cum ſimilibus, quæ extant apud Matth. xx. 24. & Mar. x. 41.

LXI. *Cur pro cæteris Apoſtolis Petrus locutus.*

IBIDEM.

DE morte ſua loquens Dominus, ait diſcipulis inter cætera Ioh. XIII. 33. *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* eum ſermonem ab Apoſtolis parum intellectum, oſtendit Petrus, qui ſtatim interrogat, *Domine quò vadis?* Quod cæteris tacentibus Petrus loquitur, cauſſa redditur vnica in Annalibus, quod eſſet princeps omnium. Baronius enim, vt ſæpe diximus, nihil niſi principatus & Monarchias cogitabat. Veteres cauſſas afferunt varias, omnes notatu digniſſimas. Cyrillus ait cæteros Apoſtolos honorem illi habuiſſe, tanquam maiori; ætate videlicet, vt nonnulli exiſtimarunt, vel ordine: nam quod ſæpe diximus, ordo fuit inter Apoſtolos; non principatus, non dominatio, ac ne πρεσβεία quidem tum vlla. Itaq; ibidem Cyrillus Petri modeſtiam laudat, quod loqui pro omnibus voluerit, & non erubuerit fateri ignorationem ex qua oriebatur interrogatio. Alia cauſſa fuit, vehemens Petri amor erga Dominum: nam & cupiditate ſequendi impulſum, hoc à Domino quæſijſſe Petrum, idem Cyrillus & Auguſtinus obſeruant. Tertiam cauſſam faciunt Patres, arcanum Dei conſilium, corrigendi præceps ingeniũ Petri, quo redderetur ipſe aptior miniſterio inſigni, cui erat deſtinatus. Erat in hoc ſancto admirabilis quædam propenſio ad omne bonum: ſed cum præcipiti quodam impetu, quem Græci, modò θερμότητα vocant, modò προπέτειαν, Auguſtinus in hunc locum *præſumptionem*. Hoc igitur ſiue ἐλάττωμα, ſiue vitium, vt mature corrigeretur, permiſit diuina prouidentia

dentia vt sermonem primus arriperet, & illa diceret quæ dixit. vide Augustinum in Ioh. tract. LXVII. Theophylactus: *destituit Christus Petrum cœlesti auxilio, & suam ipsum docet agnoscere infirmitatem.*

LXII. An hymnus cuius meminerunt Euangelistæ, dictus sit ante sermones à Domino habitos, an post.

IBIDEM.

EVangelistæ, Matthęus XXVI. 30. & Marcus XIV. 26. historiam institutæ Eucharistiæ claudunt his verbis, *& hymno dicto exierunt in montem Oliueti*: prætermittunt enim illi & Lucas sermones, quos habuit Christus cum discipulis, qui postea descripti sunt ab Iohanne, capitibus, XIV. XV. XVI. prætermittunt etiam illam diuinam orationem, quæ cap. XVII. eiusdem Ioh. describitur. Iccirco Matthæus & Marcus institutionis Eucharistiæ finem coniungunt cum abitione ex illa domo, vbi Pascha egerat Christus: de qua abitione creditur loqui Iohannes, initio cap. XVIII. Baronius putat hymnum cuius meminerunt Matthæus & Marcus, dilatum fuisse post sermones omnes Christi & ipsam precationem illam Ioh. XVII. Sequitur Baronius Iansenium, qui hymnum illum ijs omnibns subijciens, quę Iohannes commemorat dicta & facta à Christo, prius quàm exiret, caput suæ Concordantiæ CXXXVII. ita orditur: *Hæc cùm dixisset Iesus, & hymno dicto egressus est.* Atqui Iohannes non dicit Christũ in ipso articulo sui discessus hymnũ dixisse. Matthęus & Marcus id videntur significare: sed infirma ea ratio est: quia breuitati eos consuluisse apparet, qui tam multa omiserint. Est vero admodum probabile, hymnum præcessisse omnes illos sermones: nam in celebratione Paschatis actio tota hymno claudebatur, qui statim dicebatur post vltimum illud poculum exhaustum, de quo in nomine Eulogia superius. Separandę igitur sunt actiones Christi continuæ quidem, sed tamen diuersæ. Celebratio Cœnæ Paschalis, & mox Eucharistiæ; quæ actio hymno dicto de more fuit terminata: sermones varij postea cum discipulis habiti; quibus & contentioně inter illos exortam sedauit, & mœrentes consolatus est, & doctrina salutis multiplici eos imbuit: postremò illa ad Patrem oratio; post quam tandem est exitum. Horum autem omnium, quædam contigerunt sedentibus adhuc Christo & discipulis ad mensam: quædam, vt videtur, postquam surrexerant, priusquam exiretur. Obseruant veteres, Christum, quoties maiore contentione orare Patrem voluit, solitum à discipulis secedere, & orare κατ' μόνας, vt loquuntur Euangelistæ. Cogitent igitur magni Theologi, an eum

morem

morem tenuerit, cùm illam admirabilem orationem concepit. Nam quod ab Iohanne descripta est, non probat hoc, omnibus audientibus eam esse habitam: potuit enim Spiritus Sanctus, verus Euangeliorum auctor, Iohanni eam dictasse. At beatus Chrysostomus dictionem εἰπὼν versu pr. cap. XVIII. exponens ἐλάλησε, obseruationẽ hanc inde elicit, totum caput XVII. non fuisse εὐχὴν, *precationem*, sed λόγον *sermonem*. quod equidem satis mirari non queo. In fine cap. XIV. ait Ioh. dixisse Christum, *Surgite eamus hinc.* non nescio allegorice ista verba exponi à nonnullis, vt Isidoro Pel. lib. III. ep. 147. & quarto, ep. 48. sed allegoricus sensus literalem non tollit. Videtur ergo Dominus hæc dicens, à mensa surrexisse, & cum eo omnes discipuli. Non est autem probabile, dilatum hymnum qui gratiarum actionem continebat, & pars sacrę illius actionis erat, ad profectionem vsque ex illis ædibus, quæ non statim secuta. Minus recte igitur & Iansenius & Baronius hæc videntur digessisse.

LXIII. *Mos orandi ad mensam etiam apud Iudæos & Paganos. Gethsemani; & ibi ædificata ædes. Bedæ locus illustratur. Vestigia ingeniculantium se ante magna altaria. Thomas Bacetus.*

ANNI XXXIV. Num. LXIV.

Consuetudinem Christianorum, vt in mensa gratiæ agantur Deo, putat Baronius ortam esse ab exemplo hoc, Domini hymnum dicentis. Et quidem, omnia Ecclesiæ pia & laudabilia instituta posse, imò debere, ad Dominum referri, omnis bonæ donationis auctorem, vt ait Iacobus, certum est. Sed Patres originem illius instituti petunt ex alio Christi facto, Matth. XIV. 19. quando Christus panibus benedixit, oculis in cœlos sublatis. vide Basilij Seleuc. homil. in illud miraculum. Præterea sciendum, Iudæos, vt est in Iuchasin, pag. IX. inter tria præclara Mosis inuenta, vel vt ipsi appellant תקנות, recensere *benedictionem cibi*; è cap. VIII. 10. Deuteronomij: quo ex loco Rabbini multa sunt commenti de ritibus in cibo sumendo seruandis: inter quos præcipuus hic est, de gratijs Deo agendis. & sunt in eorum Ritualibus formulæ, in eum vsum. Multa de eo more Philo narrat, De vita contempl. Paganis verò non fuisse prorsus id institutum ignotum, multa declarant. In Platonis Symposio, statim vt Socrates accubuit, conuiuæ libationes faciunt, & ᾄδουσι τὸν Θεὸν, hymnum Deo canunt. Athenæus in quarto narrat, Naucratitis morem fuisse, quoties conueniebant ad festi cuiusdam solemnis epulas, postquam in triclinijs discubuissent, ἐπαναστάντας εἰς γόνατα, τοῦ ἱεροκήρυκος τὰς πατρίους εὐχὰς καταλέγοντος.

καταλέγοντος. ſurgere in genua, dum ſacrorum miniſter, preces patrias recitabat. eodem etiam ſpectat mos vetus libationum ad menſam. Apud Stobeum cap. XLI. Diotogenis Pythagorici extat hoc præceptum. Καλῶς δ' ἔχει καὶ τὸν θεὸν ἐν ἀρχᾷ τῶ δείπνω καὶ τῶ ἀρίστω ἐπικαλεῖσθαι· οὐχ ὡς δεόμενόν τινος τῶν τοιούτων· ἀλλ' εἰς τὸ μνασθέντα κατακοσμηθῆμεν τὰν ψυχάν. *Bene ſit etiam, vt Deus initio & cœnæ & prandij inuocetur : non quia tale quid numini ſit opus : ſed vt quiſque Dei recordans, animo ſit compoſito.* Hoc paganus homo quum ſcribat, monſtro ſimile eſt, reperiri inter Chriſtianos, qui ſecus faciant: nam de ſua ætate Chryſoſtomus teſtatur, fuiſſe nonnullos, qui neq; initio neq; in fine cœnę Deum laudarent, hom. in Matth. LVI. qui vtinam nulli eſſent hodie. Preces ἐπιτραπέζιοι, quarum in ea homilia Chryſoſtomus meminit, non fuerunt communes Orientalium, vt videtur exiſtimaſſe Baronius : ſed propriæ quorundam Monachorum montes incolentium. De Gethſemani referam hoc loco verba Euſebij è libro non edito : Γεθσημανῆ, χωρίον ἔνθα πρὸ τοῦ πάθους ὁ Χριστὸς προσηύξατο· κεῖται δὲ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Ἐλαιῶν· ἐν ᾧ καὶ νῦν τὰς εὐχὰς ποιεῖσθαι σπουδάζουσι. cætera ad verbum Hieronymus; poſtrema verò ſic ; *Eccleſia deſuper ædificata.* ſed verba Euſebij notari debent propter illa quæ refert mox Baronius è Beda, de veſtigio genuum Domini lapidibus impreſſo. Nam quia neque Euſebius neq; Hieronymus, tanto vetuſtiores Beda ſcriptores & teſtes oculati, vllam eius rei mentionem faciunt; venio in ſuſpicionem, Bedę narrationem neque falſam, neque veram eſſe penitus. Fieri poteſt, vt eius memoria extarent veſtigia quædam genuum in cauato lapide, ex aſſidua attritione illorum, qui ad precandum, vt ait Euſebius, magno ſtudio illuc conueniebant, & genua ibi flectebant. Nam ita hodie ante celeberrima quædam altaria impreſſa veſtigia orantium, & ſaxa vſu cauata obſeruauimus : nuſquam verò magis inſigniter, quàm in primaria Cantuariæ Eccleſia, illo loco, vbi fuit olim figura Thomæ Baceti; qui ſuperioribus ſeculis multo ſtudioſius ibi ſolitus coli, quàm vel B. Virgo, vel ipſe Chriſtus : quod demonſtratione certiſſima & ὀφθαλμοφανῶς, è monumentis eius Eccleſiæ probare poſſemus, ſi id ageretur. Videtur tale quid contigiſſe Gethſemani, in ea Eccleſia cuius meminit Hieronymus : quod per errorem, vel ſuperſtitionem ad Dominum retulerunt, qui eam hiſtoriam S. Bedę narrarunt. Expendantur Euſebij verba, *quo in loco etiam nunc homines magno ſtudio preces faciunt*; non videbitur à probabilitate alienum quod diximus.

LXIV. Cur Iudas Christum sit osculatus, & in eo Baronij hallucinatio.

ANNI XXXIV. Num. LXVII.

AIt, propterea Iudam osculum Domino se daturum militibus recepisse, *ne noctis tenebris decepti, in alium quempiam manus inijcerent.* at quorsum laternæ & faces in hac historia, nisi vt noctis tenebras depellerent? Verius est, datum id signum fuisse militibus cohortis Romanæ, qui Christum ne fulgente quidem Sole, vt videtur, erant agnituri, sibi penitus ignotum. Sed & mysterij aliquid sub hoc osculo latebat: nam sceleris execrandi immanitati cumulus ingens accessit per istum proditorium osculum. Itaque ait Dominus ad Iudã, Lucæ XXII. 48. *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* vt etiam ex eo appareat patrati sceleris magnitudo. Sequitur narratio de auricula à Petro præcisa: cuius magnum animum, & amorem erga Dominum vehementem vere laudat Baronius: consilium ipsum vtendi gladio, videtur probare, non recte. Scimus tamen multis hodie probari factum; quod tam expresse Christus damnauit. nec miramur: postquam vtique, cœleste munus, cura animarum, in regnum terrenum est versum. Chrysostomus hoc quoque feruido Petri ingenio ascribit. τῆς Πέτρου θερμότητος τὸ πρᾶγμα.

LXV. Excutitur historia de illo juuene, qui fugit nudus in sindone. Refellitur Baronius qui Iohannem eum putat fuisse. Veteres cùm cœnatoria sumebant, an exuerent omnes alias vestes. Coniectura super nuditate eius iuuenis, & loco vnde prodierit. Sindon vestis, & varius eius vsus. Nocturna vestis è lino. Maldonati opinio refutatur. περιβάλλεσθαι. περιβολαί. *Locus Martialis.* ἐν νεανίσκοι.

ANNI XXXIV. Num. LXVIII.

HIstoriam de juuene qui nudus aufugit, quæque extat apud solũ Marcum XIV. 51. supra iam Baronius attigit, hîc tractat ex professo: vtrobique parum accurate, parum probabiliter. Non probat eum iuuenem fuisse Iacobum fratrem Domini; recte: nam omnino is non fuit. probat eorum sententiam, qui Iohannem Apostolum fuisse putant: quæ non minus falsa est opinio, omni probabilitate destituta, cum ipsa Euangelistarum narratione palàm pugnans. Fatemur B. Ambrosium de Iohanne accipere, ad Psalmum XXXVI. sed aliud agentem, obiter, & planè ὁδοῦ πάρεργον. sunt & alij qui de eodem interpretentur; verùm sine vlla saltem probabilis caussæ redditione.

redditione. At vir doctiſſimus Caietanus, rationes graues attulit, cur ferri nequeat eorum ſententia. Vnicam nos adijciemus,ſed omnium validiſſimam. Dicant enim nobis,qui Iohannem exiſtimant intelligi, quare id temporis fuerit Iohannes nudus ? quæ cauſſa tam intempeſtiuæ nuditatis ? Reſpondet Baronius ; *præ vehementia mœroris ſanctum Apoſtolum, Domini ſui amantiſſimum, profunda ſui ipſius obliuione ſepultum, nihil de ſumendis ſuis veſtibus cogitaſſe*. Nos vero id non quærimus, cur veſtes ſuas non ſumſerit : illud quærimus, cur poſuerit. Non negamus fieri potuiſſe, vt præ ecſtaſeos magnitudine, veſtium obliuiſceretur Iohannes : qui ſciamus honeſtæ , caſtæ, & piæ cuidam virgini, quæ nuda in lecto dormiebat, accidiſſe , vt nocturno terrore correpta, quòd conflagrare domus incendio diceretur, nuda in publicum prodierit, ſine vllo plane nuditatis ſuæ ſenſu. At quare illo tempore Iohannes ſeſe denudaſſet ? quæ tam abſurdi facti cauſſa poteſt afferri ? quis color? Dicent, ſurrexiſſe nudum è lecto tricliniari, vbi ad menſam accubuerat. Sed hoc longe ineptiſſimum eſt : non enim diſcumbebant veteres nudi ; neque vt cœnatoria ſumerent, intimam veſtem ponebant, verùm exteriorem tantum, & præſertim forenſem. quis vnquam legit,quis audiuit,conuiuas nudos accubuiſſe? Plato,Xenophon, Athenæus, hiſtorici & poetæ , tot conuiuia tam enucleate deſcripſerunt : quis ex omnibus nuditatem conuiuantium vllo indicio declarauit ? Non igitur denudauit ſe Iohannes ne tum quidem, cum cœnatoria ſumeret, ſi qua tamen ſumſit : nam de eo poteſt dubitari : & quidem probabilius multo negaueris,quàm pro certo affirmaueris. Vide quæ in ſuperioribus diſputauimus de cœnatorijs Domini. Si ea occaſione veſtes non exuit Iohannes, cur à cœna exuiſſet ? putidum id quidem fuerit ac prorſus ridiculum. Nec minus tamen abſurdum quod iſti volunt ; toto illo tempore quod à fine conuiuij lapſum eſt ad profectionem è domo, (horarum aliquot id fuiſſe, hiſtoria Iohannis euincit,) manſiſſe Iohannem inter veſtitos nudum. nam per totum illud tempus non remanſiſſe Apoſtolos in lectis, ſuadent verba Domini in fine capitis XIV. apud Iohannem, ἐγείρεσθε ἄγωμεν ἐντεῦθεν. vt enim antea dicebamus , ad hanc vocem ſurrexiſſe à menſa Apoſtolos , veri ſit ſimillimum. induerunt igitur, ſine dubio,veſtes ſuas Apoſtoli præter Iohannē ſolum omnes. quem ſane mirum eſt, aliorum exemplo veſtimenta induentium , non eſſe admonitum. Secuta deinde ſunt, quæ in eius Euangelio tribus ipſis capitibus commemorantur. quid interim Iohannes ? dicemus ſtetiſſe toto illo temporis ſpatio inter amictos nudum ? dicemus,non ipſi,non cuiquam Apoſtolorum tantæ deformitatis veniſſe in mentem? hæc

quidem mira est ablepsia, mira incogitantia. Quid interim Dominus? etiámne Christo ἀπρεπεξίαν eiusmodi tribuemus, quæ vt peccatum non sit, peccato affinis tamen est? Apage verò tam absurdam sententiam, ab Euangelica narratione & veris illius circumstantijs adeo manifestè discrepantem. Iohannis XXI. 7. Petrus cùm piscabatur nudus à Christo deprehensus, turbatur, ac derepente iniecto vestimento succingit se, & præ pudore in mare se conijcit: hîc faciemus Iohannē diu stantem nudum inter condiscipulos, coram Christo? Enimuero quis fuerit hic iuuenis, quærere curiosum est & vanum; quando inueniri τὸ ζητούμενον non potest. Theophylactus, qui plures super ea quęstione refert sententias, primam omnium ponit hanc. τοῦτον ὁ νεανίσκος εἰκὸς ὅτι ἐκ τῆς οἰκίας ἐκείνης ἦν, ἐν ᾗ ἔφαγον τὸ πάσχα. *verisimile est hunc juuenem ex illa domo fuisse, vbi Pascha comederunt.* & sunt eadem verba etiam apud Euthymium. Hęc coniectura mihi videtur omnium maxime probabilis. nam quod summi viri arbitrantur, ad tumultum quem cohors Iudæ excitauit, prorupisse iuuenem è lecto, & alicunde è vicinia accurrisse: id ego minus probo. Ait enim Euangelista ἠκολούθει αὐτῷ: sequebatur igitur Christum, etiam prius quàm proditor cum militibus veniret. Fieri potest, vt hic iuuenis postquam cubitum se recepisset, de periculo Christi, quem venerabatur, aliquid inaudierit; ac statim lecto se proripuerit, sindone tantum amictus, & Christum sequi ceperit. Quod è lecto surrexerit, nuditas arguit, cuius caussa probabilis alia excogitari vix potest. neque hoc à temporis circumstantia est alienum: nam vt è Theophylacto dicebamus, nox fuit prouecta, & altera iam prætererat vigilia. Sindonem, lineam fuisse vestem certum est, vel è bysso: nam σινδόνα βυσσίνην apud Herodotum & alios leges. Inter merces Sidone in Græciam à mercatoribus Phœnicibus solitas afferri, fuere olim sindones: quæ res multos Græcorum in errorem induxit, vt putarent de vrbis nomine sic dictas sindones. quod falsum est: nam & alibi fiebant quàm Sidone, vt docemur Prou. XXXI. 24. σινδόνας ἐποίησε καὶ ἀπέδοτο, *sindonem fecit & vendidit.* & scriptura vtriusq; nominis refellit. סדין sindon. at Sidon est צידון. Harum vestium & confectio varia, & vsus etiam. Sæpe apud Græcos & Latinos, vestis linea exterior, est insigne sacerdotis, præsertim Ægyptiaci. aliquando honestiorum est indumentum, non temere vilioribus assumendum. Diogenes Laertius auctor est, Ædiles Atheniensium Crateti succensuisse, quod sindone esset amictus, ὑπὸ τῶν Ἀθήνησιν ἀγορανόμων ἐπετιμήθη, ὅτι σινδόνα ἠμφίεστο. vel quia pluris fiebat ille cultus, quàm vt philosopho conueniret: vel quia omnino indecornm censebatur, sindone amictum foras prodire. ex ipsius verò Cratetis responsione

cognoscimus,

cognoſcimus, eos qui operam tonſoribus dabant, ſindonibus fuiſſe inuolutos, quod & hodieque fit. Ait enim Laertius: ἔφη, ὦ Θεόφραστον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον· ἀπιστούντων δὲ, ἀπήγαγεν ἐπὶ κουρεῖον ὦ ἔδειξε κειρόμενον. quibus è verbis ſatis apparet, quàm fuerit Athenienſium moribus inſolens, vt philoſophus ſindone amictus in publico conſpiceretur. Apud Plutarchum, in libro De fortuna Alexandri, miſer olitor adducitur ad Alexandrum, ἐν εὐτελεῖ σινδονίσκῃ. Hîc igitur ſindon, ita poteſt accipi, vt ſit indumentum hominis fortunæ & cenſus tenuis. Fortaſſe tamen melius intelligas de nocturna veſte, ſiue cubitoria, vt vocat Petronius, quam ſecum abſtulit hic iuuenis cùm è lecto ſe proriperet. Eam veſtem è lino fuiſſe obſeruauimus. Dionyſius epiſcopus Alexandriæ apud Euſebium, libro Hiſtoriæ VI. cap. XL. de curioſis ad ſe capiendum miſſis: κἀγὼ μὲν, οἶδεν ὁ Θεός, ὡς λῃστὰς εἶναι περιέργους ἡγούμενος ἐπὶ σύλησιν καὶ ἁρπαγὴν ἀφικομένους, μένων ἐπὶ τῆς εὐνῆς ἧς ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι, τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα παρακειμένην αὐτοῖς ὤρεγον. *equidem, ſcit Deus, quum prius putarem latrones eſſe, qui ad prædam & rapinam veniſſent, manens in lecto, vbi eram nudus in veſte linea; reliquam veſtem prope me poſitam, ipſis porrigebam.* Maldonatus ſcribit ſindonem hanc, veſtem fuiſſe aduerſus frigus comparatam: probat autem, quia vtatur Marcus voce περιβεβλημένος *amictus*, & quia Pollux περιβόλαιον vocet. ſed hoc ridiculum eſt; nam toga & quæuis exterior veſtis περιβάλλεσθαι Græcis dicitur, ſiue hyberna ſit, ſiue æſtiua. & περιβόλαιον aut περίβλημα de ſolis hybernis indumentis dici, nemo concedet mediocriter Grçce doctus. contra, in ſecunda Thucydidis hiſtoria legimus, λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων περιβολάς, quod plane euertit Maldonati obſeruationem. Scio apud Martialem cum endromide videri componi, eo diſticho quod affert idem Maldonatus.

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres:
Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Sed legendũ eſt proculdubio, *cultus eris.* commendatur enim munus duplici laude: vtilitatis aduerſus frigus: & elegantiæ, comparatione cum ſindone Tyria. Ne illud quidem prætermittam. In eo verſu Iohannis vox νεανίσκοι bis ponitur ſenſu diuerſo: initio verſus ignotę perſonæ indicatio eſt ab ætatis nota: in fine οἱ νεανίσκοι, non ſunt laſciui quidam adoleſcentes, vt magnæ doctrinæ viri exiſtimarunt: νεανίσκοι enim ſine articulo fuiſſet dicendum, non οἱ νεανίσκοι. intelligit autem milites quorum præceſſit mentio. Sic paſſim Polybio οἱ νεανίσκοι & Liuio *juuenes* ſunt milites: & *juuentutẽ legere*, eſt legiones conſcribere.

LXVI. *Error Baronij de Anna. Cur ad eum adductus Christus.*

Anni XXXIV. Num. LXX.

DOminus noster à militibus captus, non statim ad Caiapham summum Pontificem adducitur, sed ad Annam prius. Caussam affert Baronius; *quoniam tunc ipse Anna, Præfectus erat magno Concilio Septuaginta duorum Seniorum.* sed hæc caussa nulla caussa est. Ostendimus enim in superioribus, somnium hoc esse, non rem gestam. Atq; ego demiror maluisse Baronium rationem comminisci falsam, quàm acquiescere in vera, ab ipso Euangelista prodita; quod Annas esset Caiaphæ socer. Nam Iohannis verba sunt, XVIII. 13. *Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim socer Caiaphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Euangelistam eius facti rationem ex professo reddere voluisse, arguit vox γὰρ, *enim.* quid igitur nouo, friuolo, falso commento erat opus? Patres aliam ex coniectura rationem addunt, non longe petitam, non coactam, non repugnantem historiæ. Conijciunt enim, euntibus ad Caiapham occurrisse domum Annæ.

LXVII. *De loco vbi tres Petri negationes factæ. Contextus Iohannis in ea narratione nonnullis mendæ suspectus.*

Anni. XXXIV. Num. LXXI.

DIfficillima quæstio est, quam attigit hîc Baronius. Nam quum tres Euangelistę consentienter narrent trinam Petri negationem apud Caiapham esse factam; dissentire Iohannes videtur, qui primam negationem in ædibus Annæ contigisse clare demonstrat narratione sua. Primam etiam cognitionem ab Anna fuisse institutã scribit Iohannes: quæ eo facta est insignior, quia Saluator in ea est percussus. Accedit, quod Iohannis narratio vix satis videtur sibi constare; nam quum versu demum 24. dicat missum ab Anna Christum ad Caiapham: institutam tamen versu 16. narrationem de Petro sic persequitur in 25. quasi pedem non mouisset Petrus; sed in eodem consistens loco, & primò & secundò & tertiò etiam Christum negasset. Neque aliter sane quidam veteres acceperunt, quod ex eorum scriptis apparet. Vt cùm obseruat Theophylactus, tanto stupore Petri mentem fuisse occupatam, ὥστε ἀπαγομένου τοῦ διδασκάλου, οὐδὲ μετακινεῖται, ἀλλ' ἔτι θερμαίνεται. *vt quum abduceretur Magister, ipse loco non moueretur, sed calefaceret sese.* Alij, vt Euthymius, difficultates ex hac narrationum diuersitate emergentes soluunt vna obseruatione, quod

amborum

amborum vna domus erat, idemq́ atrium, habens in se duo habitacula à se inuicem separata. Sed legant studiosi, quæ hac de re scripserunt duo viri summi ex interpretibus recentioribus, Erasmus & Beza; quorum sententiam, ipsamque adeo Bezæ emendationem videtur probare etiam Maldonatus; licet nomine vtriusq; dissimulato, quia euomendi Satanica conuitia locus non erat. Quod si vt suspicatur Beza, in Iohannis codicibus est aliquid peccatum; hæc menda inter vetustissimas poni debet, quæ omnis generis libros inuaserunt. Nam omnes antiqui paraphrastæ, omnes interpretes solo Cyrillo excepto, cum vulgatis codicibus faciunt: Nonnus etiam poeta eruditissimus, qui in paraphrase versus 19. Annam nominat.

Ἰησοῦν δ᾽ ἐρέεινε θυηπόλος ὀξέϊ μύθῳ Ἄννας.

LXVIII. An Iudæorum Pontifex ex vlla occasione vestem laceraret.

ANNI XXXIV. Num. LXXIII.

CAiapham lacerasse sibi vestimenta ad Christi vocem, vt ipse voluit videri scelestus, blasphemam, narrant Euangelistæ. Baronius obseruat, Pontifices à Deo priuilegium accepisse, ne vlla vnquam occasione vestes sibi scindere more cæterorum Iudæorum, etiam Regum, tenerentur. Hoc verum in luctu pro defuncto; absolute an sit verum, addubito. Scio Leonem Magnum ita existimasse: verùm quæ afferuntur in eam sententiam testimonia è Leuitico satis clare id non euincunt. Locus è cap. x. 6. Baronio allatus, non facit ad rem: nam illud Dei præceptum vlterius non extenditur, quàm ad illam actionem. alioquin dicendum esset, non solum Pontificem vetitum esse vestimenta sua lacerare; sed vniuersam Aaronis posteritatem, quod nemo audeat affirmare, & facile refellatur è Scripturis. Locus è cap. XXI. 10. præceptum continet verbis expressis conceptū: sed quod omnes Hebræorum interpretes, opinor, de luctu propter mortuum interpretantur, sicut etiam Chaldæi paraphrastæ in suis versionibus expresserunt. Mouet etiam me Rabbinorū silentium: apud quos inter tot obseruationes pertinentes ad iura summi Pontificis, hanc legere non memini. Quare an è silentio Scripturarum eam conclusionem recte Baronius eliciat, virorum eruditorum iudicium esto. Eucherius Lugdunensis, Dominica in ramis palmarum, *Vestimenta sua scindit princeps Sacerdotum: se ipsum maximam & principalem caussam esse significans, cur Iudæorum Sacerdotium scindatur, & destruatur.*

LXIX.

LXIX. *Excutiuntur fabulæ de morte Iudæ olim fictæ, & à Baronio allatæ. Papias scriptor vanus & fabulosus. voces πρηνὴς & πρησθεὶς, male confusæ.*

Anni XXXIV. Num. LXXIV.

DE morte Iudæ agens Baronius, diuersas narrationes affert, neq; inter se conuenientes, neque cum Scriptura, quæ est veritatis lex vnica, congruentes. Scripturæ obscuræ non sunt: accedat modò dexter interpres. Matthæus ait, XXVII. 5. ἀπελθὼν ἀπήγξατο. *abijt & laqueo suspendit se.* Lucas vero in Actis I. 18. καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος· καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. *quum in faciem pronus cecidisset, crepuit medius: & effusa sunt omnia eius viscera.* habent hę narrationes diuersitatis aliquam speciem, contrarietatis ne speciem quidem. Matthæus expressit facti initium, Lucas finem, supplens diuinitus, quod deerat narrationi Matthæi. Consilium proditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere. aptat collo laqueum; impellit se vt eo facilius fauces elidat. placuit diuinæ prouidentiæ, vt non simplici morte sceleratus proditor periret: frangitur laqueus, cadit in faciem Iudas: id enim est πρηνὴς γενόμενος. cadit autem vel in saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut aliâs, Dei iudicio, venter illi finditur: intestina effunduntur. vox λάκησε suadet non tam casus violentiâ, quàm arcana Dei voluntate, fissionem in eius corpore factam esse: vi quadam extraordinaria intus operante. Hæc est Scripturarum simplex narratio. Sed non satisfecit hæc diuina simplicitas posterorum curiosę vanitati: fabulas igitur sunt commenti de supplicio Iudæ, quas hic recenset Baronius ex Oecumenio; neque inter se cohærentes, & prorsus commentitias falsasque. Fabula sic primo narratur: corpus Iudæ ita inflatum esse, vt via per quam agi plaustrũ facile poterat, ipsum non caperet: obtritum igitur à plaustro esse & viscera sic effusa. hæc narratio absurda est: nam si via quæ plaustrum capiebat, solum Iudam capere non poterat: quomodo & Iudas & plaustrum in eadem via sunt reperti? alteri enim dumtaxat locus erat, vel Iudæ vel plaustro. nec refert, quod dicitur obtritus: nam semper manet difficultas; quî potuerunt duo corpora quorum vtrumq; viam totam occupare esset idoneum, concurrere in rectam quasi lineam. Operosior est altera narratio; & plane huic contraria quod ad mortis genus. in eo consentiunt, corpus Iudæ mirum in modum intumuisse, nimirum mendacia mendacijs sunt cumulata. Quare non assentior viris doctis, qui dubitant an sint hæc vera. ego non dubito falsissima esse

esse omnia. Et quod vocat Baronius in dubium, an sint hæc à Papia, vetustissimo scriptore profecta: facilis responsio est: prior narratio fabulæ, vt auctor est Oecumenius Papiam auctorem habuit: posterior pari licentia postea est excogitata. Sed aperiamus fontem erroris, quem ne doctissimi quidé viri animaduerterunt. Narrat Eusebius in tertia historia, Papiam hunc, scriptorem fuisse futilissimum, qui omnes traditionum fabellas mirifice amplecteretur, & scriptis mandaret. multa igitur falsa, absurdaque de Christo & Apostolis scripsisse, καί τινα καὶ μυθικώτερα, *& quædam etiam fabulis propiora.* Obseruat inter cætera Eusebius, solitũ Papiam nugas comminisci τῶν ἀποστολικῶν παρεκδεδεγμένον διηγήσεις, *ex praua interpretatione quam dabat Apostolicis narrationibus.* Omnino hæc origo est commenti Papiæ de Iuda, quod Oecumenius & Baronius recitant. Lucæ narrationem in Actis παρεξεδέξατο, *perperam interpretatus est.* Ait Lucas πρηνὴς γενόμενος, *quum cecidisset in faciem.* Papias duas voces diuersissimæ significationis confundit, πρηνὴς & πρησθεὶς, *inflatus.* Meminerat apud Septuaginta Seniores Numer. v. in supplicio diuino mulieris adulteræ & periuræ, scriptum esse aliquoties, πρησθήσεται τὴν κοιλίαν, *tumore illi venter inflabitur,* & τὴν κοιλίαν πεπρησμένην. in eum igitur sensum accepit vocem πρηνὴς apud Lucam, & fabulam deinde adiecit de suo pro legitima interpretatione. Verba Papiæ ita refert Oecumenius: μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν Ἰούδας. πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. pro eo quod dixerat Lucas πρηνὴς γενόμενος, ipse dixit, πρησθεὶς τὴν σάρκα. poeticum verbum est πρήθειν, de vento flante vehementius, apud Homerum & alios poetas. quia tument carbasa cùm flat ventus, ideo id verbum pro tumere est positum. Septuaginta eo expresserunt Hebræorum צבה οἰδαίνειν: qua notione apud solutæ orationis probatos scriptores, non temere id verbum notare memini. Perperam accepit Papias etiam illa, *crepuit medius.* finxit igitur plaustro elisum Iudam. Sic alterius fabulæ auctores, quum legerent apud Lucam, de Iuda, ἐκτήσατο χωρίον ἐκ μισθοῦ τῆς ἀδικίας, *emit agrum de mercede iniquitatis,* finxerunt Iudam in agro suo vitam finijsse; qui postea remanserit propter horribilem fœtorem desertus & incultus. ἐν ἰδίῳ φασὶ χωρίῳ τελευτήσαντος, ἀπὸ τῆς ὀσμῆς ἔρημόν τε καὶ ἀοίκητον τὸ χωρίον μέχρι τῆς νῦν γενέσθαι. In Tragœdia Christus patiens, cuius in superioribus meminimus, mors Iudæ conuenienter Scripturis prædicitur. Βρόχον κρεμαστὸν ἐξανάψας ἀγχόνης ψυχὴν ἀφῆσαι τοῖς βερέθροισι τρέχων. & postea. Ῥαγεὶς γὰρ αἰσχρῶς πάγκακον ῥήξεις κέαρ. in sequentibus describitur eius mors, in eandem sententiam; vbi expresse dicitur ex illo casu mortuus. Οὕτως ἔδει νιν τῷδε κατθανεῖν μόρῳ.

LXX. *Exagitatur vanitas pronuntiantium de arbore in qua Iudas se suspendit.*

ANNI XXXIV. Num. LXXV.

MIrum eſt, quò peruaſerit curioſitas hominum ſuperſtitione iuncta. Matthæus ſcribit de Iuda, ἀπήγξατο, *ſuſpendit ſe*. non dicit, vtrum in vrbe, an extra vrbem; domi è lacunari aut è paxillo, an in horto vel agro ex arbore. Curioſi inuenerunt & locum vbi hoc factum, & arborem ex qua pependit proditor. Iuuenci verſum affert Beda,

Exorſuſq; ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

potuit Iuuencus licentia poetica *ficum* pro qualibet arbore ponere, vt paſſim apud poetas, *pinus & picea* pro quauis arbore ex qua fiunt naues. potuit etiam ex auditione id accepiſſe. Notum eſt olim qui vel ſententia judicis vel propria voluntate laqueo vitā finiebant, ſæpe ex arboribus fuiſſe ſuſpenſos. hinc illud carmen terribile apud Liuiū: *I lictor, colliga manus, arbori infelici ſuſpendito.* & Græcorū prouerbium ἐξ ἀξίου γοῦν ξύλου: quod aliter expreſſit Plinius in Præfatione, *ſuſpendio arbor eſt deligenda.* in vita Diogenis apud Laertium, legas γυναῖκας ἀπ' ἐλαίας ἀπηγχονισμένας, *mulieres quæ ex olea ſe ſuſpenderant.* ad ſimiles hiſtorias videtur Iuuencus alluſiſſe, aut ij quos ille auctores ſequitur, cùm finxerunt Iudam in ficu ſe ſuſpendiſſe. Sane & ſuperſtitio antiqua ficus ſaltem nigras, inter arbores poſuit infelices, vt ſcribit Macrobius Saturn. lib. III. in fine. Hęc prima curioſitas alij occaſionem dedit: nam quæſita eſt illa ficus; ac ſero tandem inuenta. Euſebius enim, Hieronymus, & vetuſtas tota multorum ſeculorum eam ignorauit. Optimus vero Beda tanquam rem certam narrat, & Iuuenci teſtimonio hiſtoriam, vel fabulam potius confirmat. Cumulum fabulę nunc addit Baronius; qui vt illi fidem conciliet, ficum arborem eſſe viuacē obſeruat. ſed eſt obſeruatio digna argumento cui aptatur: falſa fabula, falſa obſeruatio. Plinius lib. XVI. cap. XLIIII. *Athenis olea durare traditur in certamine à Minerua. è diuerſo breuiſſima vita eſt punicis, fico, malis.* libro XVII. cap. XIII. *Quæ citò occidunt velocia ſunt, vt ficus, punica, prunus, malus, pyrus, myrtus, ſalix.* habes hic τὸ ὅτι. Theophraſtus verò in libris de cauſſis plantarum τὸ διότι multis locis aperit: cuiuſmodi ſunt, πολυκαρπία, quod ficus multum edant fructum: τὸ μανόν, quia ligno conſtant raro: cui opponitur τὸ πυκνὸν καὶ στερεὸν cauſſa non leuis viuacitatis in multis arboribus. omitto alia. Baronius τὸ μακρόβιον huius arboris, probat argumento ficus ruminalis: ceu faceret

vna

vna hirundo ver : aut ſatis conſtaret, in propaganda ficu illa nullam interueniſſe Sacerdotum, Satanæ miniſtrorum, fraudem ad fouendã ſuperſtitionem & errorem. non enim pagani homines aut minus ingenioſi, aut minus audaces & impij fuerunt, quàm multi poſteà, qui ſe Chriſtianos dicebant : quorum fraudes tot Concilijs fuerunt reprimendæ.

LXXI. *Cur Iudæi Chriſtum ad Pilatum adduxerunt.*

ANNI XXXIV. Num. LXXVI.

CVr Iudæi Chriſtum ad Pilatum adduxerunt eius ſententia condemnandum, cauſſam affert Euangeliſta Iohannes, eorum verbis loquens, XVIII. 31. *Nobis non licet interficere quenquam.* Sunt è Patribus qui illud *non licet*, interpretentur de feſto Paſchatis & Azymorum dies ſeptem duraturo. Sed verior ſententia eſt doctiorum è recentioribus; qui è libris Talmudicis, Iuchaſin, & alijs demonſtrarunt, iudiciorum capitalium poteſtate Iudæos tum caruiſſe, ademta ſibi paullo antè, atque vt ipſi Rabbini ſcribunt, annis XL. circiter ante excidium Templi. Baronius verò hanc ſententiam non probat, primam amplectitur. Iudæos enim ius capitalis ſupplicij exigendi habuiſſe confirmat teſtimonio Marci, XIV. 64. vbi dicitur Ieſus Chriſtus de communi ſententia Concilij declaratus ἔνοχος θανάτου, *reus mortis.* ſed hoc nihili argumentum eſt : nam Iudæi cognitionem de crimine habuerunt; alioquin cauſſam reddere, cur aliquem occidi poſtularent, non potuiſſent: at pronuntiandi ſententiam cum effectu ius non habuerunt. Sic apud Romanos inquiſitores quibus Prætor cognitionem alicuius cauſſæ demandabat, ſtatuere potuerunt reus aliquis eſſet annon: vltimam ſententiam pronuntiandi ius penes Prætorem erat. Tuetur Baronius opinionem ſuam exemplo primùm, deinde auctoritate. Exemplũ nihil quicquam facit ad rem. male enim comparat Concilium Iudaicum ſiue Sanedrin, cum Herode Agrippa de quo in illo capite XII. Actorum. nam & Rex fuit Agrippa; & præterea Templi præfecturam ab Ro. Imp. Claudio ſibi commiſſam tum habuit. itaq; Pontifices pro ſuo iure deſtituebat aut inſtituebat, omnia ex libidine adminiſtrabat; denique in ijs quæ ad religionem ſpectabant, Regem agebat. Auctores laudat Baronius Auguſtinum, Cyrillum, Chryſoſtomum. de prioribus, concedo: in tertio fallitur. ipſum audiamus. Τίνος ἕνεκεν αὐτὸν οὐκ ἀνεῖλον, ἀλλ' ἐπὶ τὸν Πιλάτον ἤγαγον; μάλιστα μὲν τὸ πολὺ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν καὶ τῆς ἐξουσίας περιῄρητο λοιπόν, ὑπὸ Ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων κειμένων. *Quare Iudæi Chriſtum non occiderunt, ſed*

ad Pilatum adduxerunt? præcipua caussa erat, quod parte maxima dominationis suæ fuerant priuati, quum esset eorum Resp. in Romanorum potestate. Addit deinde, timuisse Iudæos, ne si Christum necassent, ratio facti sui postea Romanis esset reddenda. subijcit & de agendo Paschate: sed tertio demum loco; ceu non fuerit ea vera caussa, aut ne caussa quidem omnino.

LXXII. *Baronij hallucinatio in facto Titi.*

ANNI XXXIV. Num. LXXVI.

PEculiarem Titi Imp. religionem pro lege publica videtur accipere Baronius. Titus, vt narrat Suetonius, cùm acciperet Pontificatum maximum, ideo se professus est accipere, vt puras seruaret manus, ac deinceps ab omni sanguinis effusione abstineret. nempe hoc ille fecit, & hoc quasi voto sese adstrinxit, impulsu propriæ bonitatis, & vt Græci dicerent, ἀπὸ τῆς ἐμφύτου χρηστότητος: non quod ius publicum id esset: nam Vestales & alios qui religiones violassent, à Pontificibus sæpe legimus condemnatos: & priores Imperatores pontificatum eundem acceperant; nec ad talem aliquam tamen necessitatem sese adstrinxerunt. Quare Baronius si locum Suetonij laxius interpretatus est, quin ab illius mente aberrarit, caussa dici non potest. Quod ait, Dominum addici crucis supplicio, nisi à Romano Præside non potuisse; verum est: & caussa item eius rei vera quam affert: sed fuit ratio etiam alia; quod genus id supplicij ignorarent Iudæi: sicut paullo post aduersus Baronium probaturi sumus.

LXXIII. *Cur Christus vestibus purpureis & albis fuerit indutus. Purpureus color olim imperantium proprius: albus color inter insignia regni. Regum limbus rufus, & diadema album. Error Baronij in rubra veste Herodis adolescentis. ἀναπάλιον comæ compositio. ὀγκοποιεῖν τὴν κόμην. Alba vestis sacerdotij insigne. Mysterium in irrisione Christi. ἐσθὴς λαμπρά. λαμπρὸν quid proprie. Veritas λαμπρείμων. Vestes recens baptizatorum φωτοειδεῖς. λαμπροφορεῖν. λαμπροφορεῖν. Vestis alba & λαμπρὰ opponi interdum. μαργέλλιον. Proponitur emendatio vocis, qua exprimitur λαμπρὸν in Syra paraphrasi. Error Baronij in loco Iacobi. χρυσοδακτύλιος.*

ANNI XXXIV. Num. LXXIX.

DOminum nostrum bis vestibus alienis fuisse ludibrij caussa amictum, narrant Euangelistæ; semel ab Herodis ministris, iterum apud Pilatum. Baronius priorem ἐμπαιγμὸν parum rectè explicat:

plicat: deinde ad Iacobi locum diuertit, quem pari tractat infelicitate. Rem igitur paullo accuratius expendamus; quando neque eruditissimus Ianſenius, neque alij interpretes, ſummæ doctrinæ viri, nobis ſatisfaciunt. In primis obſeruandum eſt, ſceleſtos Iudæos vt Saluatorẽ mundi vita priuarent, non eam cauſſam apud Pilatum allegaſſe, quæ potiſſimum ipſos vrebat; doctrinam nempe ſalutis, cui ſe totis viribus opponebant: aliud crimen in medium attuliſſe, cuius rationem potius habiturum ſciebant Pilatum: quod Cæſaris videlicet maieſtatem Chriſtus imminueret, & Regnum affectaret, vt exponit Lucas, XXIII. 2. hoc illi apud Pilatum iactarunt; hoc apud Herodem, vt conijcere eſt facile: quorum vterque vanitatem accuſationis agnouit, & rem ſeriam in ludibrium vertit, vt furori Iudæorum aliquomodo ſatisfieret. Id voluerunt ipſorum ſatellites, cùm veſtibus illis Dominum onerarunt. Igitur Pilati milites Chriſto proprijs veſtimentis exuto, chlamydem imponunt coccineam, ait Matth. XXVII. 28. ἐνδύσαν αὐτὸν πορφύραν, ait Marcus XV. 17. *purpura illum induunt.* ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτόν, Iohan. XIX. 2. at Herodes cum ſuis, ἐμπαίξας περιέβαλεν αὐτὸν ἐσθῆτα λαμπρὰν, *illuſum amiciuit veſte candida.* Luc. XXIII. 2. Colores harum veſtium notant Euangeliſtæ, quia in coloribus præcipuè eſt irriſio. etſi autem colores ſunt diuerſi, coccineus ſiue purpureus & candidus: eodem tamen ſpectarunt & Pilati ſatellites & Herodiani. Chriſtum enim tanquam falſum Principem & falſum Regem irridere atque ludibrio exponere voluerunt ſceleſti. vterque color imperatori conuenit & regi. Iccirco notat Valerius Maximus libro primo, cap. VI. *imperatoribus in prælium exeuntibus, paludamentum album aut purpureum dari ſolere.* Paludamenti ſiue chlamydis purpurei coloris paſſim mentio apud Græcos & Latinos. albi apud Hirtium de bello Africano, in Scipione, qui purpurei vſum Iubæ regi concedebat. In militia Romana & illi penes quos erat ius imperandi, imperator, tribuni militũ, & alij, puniceis paludamentis ſagiſque vtebantur, & eorum lictores ac miniſtri. quare dubitandum non videtur, quin chlamys coccinea, qua fuit indutus Chriſtus, alicuius vel lictoris fuerit, vel ordinum ductoris, in præſidio Romano militantis. De alba veſte qua Herodiani Dominũ induerunt, recte notat Ianſenius, regiæ dignitatis id fuiſſe inſigne. nam is color olim receptus in regum inſignibus. Itaque, licet non neſciam ſcribere Hieronymum, in XXVII. Matthæi, veteres Reges rufo quodam limbo eſſe vſos; certiſſimum eſt tamen, diademata Regum fuiſſe alba, vt obſeruabamus ad Suetonij librũ primũ, cap. LXXIX. & propterea in Pompeio faſciæ cretatæ & candidæ ſermonibus occaſionem præbuerunt, quaſi ille regnum affectaret, ſicut oſtendimus ad

Tranquilli

Tranquilli librum II. cap. LXXXII. Quare sine caussa Baronius hanc obseruationem Iansenij reijcit. Quod autem Iosephi locum affert idẽ, è lib. XIV. cap. XVII. vt probet purpureum potius colorem regium fuisse, valde fallitur: id enim colligi ex eo loco non potest; vbi de Herode sermo est admodum iuuene, cuius pater adhuc viuebat: qui neq; Rex fuit, neque Herodem vidit vnquam Regem; qua de re dictum est ad annum XXXI. itaque purpura quam illo Iosephi loco Sameas Herodi obijcit, regni non est argumentum, vt putauit Baronius; sed dignitatis militaris, aut elegantioris dumtaxat cultus; sic enim ait: ὁ βέλτιστος Ηρώδης φόνου δίκην φεύγων, καὶ ἐπ' αἰτίᾳ τοιαύτῃ κεκλημένος, ἕστηκε τὴν πορφύραν περικείμενος, καὶ τὴν κεφαλὴν κεκοσμημένος τῇ συνθέσει τῆς κόμης. opponens purpuram qua erat amictus Herodes, & capitis cultum elegantiorem propter singularem comæ compositionem, (apud Clementem libro primo Const. σπατάλιον ea compositio videtur dici; nisi huc potius pertinet, quod appellat Clemens ὀγκοποιεῖν τὴν κόμην.) habitui qui reum decebat, & vt ipse loquitur, σχήματι δεδιότος, deiecto vultui & pullę vesti, vt erat mos sibi metuentium. Erat prętera vestis alba apud gentes sacerdotij insigne; & cum sacris operabantur, tam sacerdos quàm ille qui sacrificium exhibebat, albati fuerunt. Sic Athenis Prytanei sacra faciebant λευχειμονοῦντες καὶ ἐστεφανωμένοι, eodemque habitu Curiam ingrediebantur, an litassent renuntiaturi: vt intelligent tyrones, è narratione Plutarchi in Consolatione ad Apoll. de Pericle, si iungant cum ijs quæ scribit Theophrastus in Characteribus ethicis, capite, de sordida honoris cupidine, quam ipse μικροφιλοτιμίαν appellat: vbi de hoc more plura olim adnotauimus. quibus adde si lubet Plutarchi locũ in extremo libro Amatorio. Quum igitur vestis candida apud veteres Regia pariter & Sacerdotalis esset: quis mysterio factũ à prouidentia diuina non agnoscat, quod Christus verus Rex, verus Sacerdos à suis irrisoribus, candida veste amicitur? fuit quidem istorum animus pessimus: sed hoc veritatis significationem mysticam neque hic, neque in titulo Crucis lædebat. ἐσθῆτα λαμπρὰν doctissimi viri apud Lucam vertunt, *splendidam vestem.* id proprie Græca vox significat: magis tamen ex vsu Latine loquentium dixissent *candidam*. M. Tullius fascias Pompeij *cretatas* appellat, quas vult intelligi λαμπράς, à fullone candentes. Vetus interpres *albam*: ne id quidem male: nam etsi proprie aliud λευκὸν, aliud λαμπρὸν, sæpe tamen eæ voces de eodem vsurpantur. In primo Meteorologicorũ Aristotelis, & apud Olympiodorum eius libri interpretem, discrimen statuitur inter albũ & λαμπρὸν, *splendidum, nitens.* Proprie λαμπρὸν est, ὃ δὴ ἐπιπέμπειν αὐγὴν ἐπιτήδειον, *quod lumen emittere est idoneum*, vt scribit Galenus

in

in x. De vsu partium. hanc ob caussam Chrysostomus alicubi vocat lāpades illas λαμπρὰς, quę in Euangelio dicuntur oleo esse instructę. pertinet igitur non ad colorem, sed ad lucem quæ spectatur in coloribus. apud Hippocratem obseruabamus, de eodem ipsum vsurpasse hæc vocabula λαμπρὸν, λευκὸν, διαφανὲς, in libro Περὶ διαίτης ὀξέων. & Galenus initio tertij Commentarij in Hippocratis librum illum de diæta in acutis morbis, idem vinum appellat, διαφανὲς λαμπρὸν καὶ καθαρόν. Sic passim apud alios scriptores album & λαμπρὸν modò distinguuntur, modò pro eodem ponuntur. Hippocrati in epistolis Veritas inducitur ἀφελὲς πεπλοκισμένη λαμπρείμων. *crinibus simpliciter plexis, candida veste induta.* Vetus scriptor Pythagoricus apud Stobæum, serm. LXXII. vult homines modestos esse λευχείμονας, & vestibus vti λευκοχρωμάτοις, quæ tamen non sint διαφανέες. pellucidam vestem separat ab alba: vt sunt res diuersæ natura sua: quum tamen ostenderimus apud Hippocratem & Galenum de eodem dici. In veteri Ecclesia recens baptizati albis induebantur; id erat symbolum lucis per sacrum baptismum acceptæ: ideo baptismum φώτισμα dixerunt, recens baptizatos νεοφωτίστους. Dionysius Areopagita, vestes illas φωτοειδεῖς appellat, & λαμπροειμονεῖσθαι, in albis esse. Iobius λαμπροφορεῖν, apud Photium, quem vide numero CCXII. Aliquando manifestò ponitur discrimen inter vestes albas & λαμπράς. Curopalata De officijs Const. auctor est, patre Imperatoris mortuo vel matre, vel vxore, aut aliquo è liberis vel nepotibus, Imperatorem λευκὰ φορέματα φορεῖν μέχρι καιροῦ, ὅσον ἂν βούλοιτο· εἶτα κίτρινα, ἄνευ περιγλίων καὶ μετὰ ταῦτα λαμπροφορεῖν: *alba vestimenta gestare quamdiu voluerit, deinde citrina assumere sine limbis & pretiosis prætexturis,* (hoc περιπέλλιον significat, non margaritas) postea vti vestibus λαμπραῖς, hoc est, redire ad solemnia, & cultum assumere splendidum & nitentem; qualis solet esse Imperatorum. Hic vestes albæ luctus indices vocantur λευκά; ijsdem opponuntur λαμπραὶ, id est omnes nitidiores: puta, candidæ à fullone recentes, quales fuerunt olim candidatorum, quas Plutarchus & alij Græci λαμπρὰς vertunt; aut purpureæ, vel alius cuiusuis coloris, præsertim intensioris. Non enim sola candida dicuntur λαμπρά: sed quæcumq; valde nitent cuiusmodi erant cum primis illæ chlamydes veri luminis, de quibus ad Trebellium Pollionem diximus. Hæc propterea pluribus exposuimus, quia Syrus Paraphrastes vocabulum λαμπρὰ aliter accepit quam cæteri interpretes. Lucæ XXIII. vertit דזהוריתא qua voce idem vtitur Matthæi XXVII. 28. in exprimenda voce κοκκίνην, *coccineam.* Quare etiam isto loco videtur existimasse colorem λαμπρὸν idem

esse

esse cum coccineo. Sed de voce illa Syriaca velim cogitent viri eruditi attentius. Nam mihi quidem radix nota non est, vnde illam deducam. Suspicatus igitur sum aliquando ח in eius dictionis scriptura positum esse pro ה, Chaldæis זהר ex Hebræo זהר significat *splenduit, fulsit*. Vnde זיהררא *Luna* quod fulgeat: vt apud veterem poetam, λαμπρὰ δ' ἀνέτελλε σελήνα. Inde igitur & superius nomen ortum videtur, & scriptio editorum librorum corrigenda. ita plane respondebit voci Græcæ λαμπράν. Confirmat hanc coniecturam Arabs, qui vertit dicto loco XXIII. Lucæ בריקא *berikan*, ad verbum λαμπράν: à radice Hebræis & Arabibus communi quæ significat *fulsit, fulgurauit, coruscauit*. quum igitur è Syriaco sit versa vt plurimum Arabica interpretatio, videtur eius auctor, in superiore voce Syriaca ה legisse non ח. at in loco Matthæi XXVII. 28. recedit Arabs à Syro & vertit אחמרה *rubram*, quasi dicas coloris vini, οἰνοχρῶτα καὶ ἐρυθρόν, vt loquitur Theophrastus in nona historia Plantarum. nam חמר Chaldæis & Arabibus est vinum rubrum. Idem Syrus Paraphrastes in Epistola Iacobi II. 2. Græcum λαμπρᾷ expressit שפירא *pulchra, elegante*. videtur existimasse Iacobum denotare voluisse quemuis honestiorem cultum: quod verum quidem est; sed propterea à vocis Græcæ notione discedendum non erat. Baronius qui paullo ante Iansenium reprehendebat, quod album colorem regium dixisset, in hoc Iacobi loco voces Apostoli, χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ immani errore interpretatur *quempiam virum regium, cui annulum aureum in veste candida gestare liceret*. qui fuerunt viri regij eius ætatis, qui Ecclesias Christianorum frequentarunt? Nam neque in Iudæa de stirpe Herodis vllus fuit, qui Christo nomen daret: neque vllos in vicinis regionibus Reges tum fuisse factos Christianos legimus, præter Abgarum Edessæ Toparcham; de quo stultum sit verba Iacobi interpretari. neque verò credere par est, ægre laturum fuisse Iacobum regij sanguinis viris, aut præcipuę apud Reges auctoritatis, aliquem in Ecclesiam honorem solitum haberi. Anabaptistarum furori hoc potius conueniat, quàm doctrinæ Apostolorum; quorum tot extant præcepta de honore Principibus viris deferendo. Sed quum loqui Apostolum appareat de re quæ quotidie fiebat, in omnibus Christianorum conuentibus: ne illud quidem dubitari potest, generaliter ipsum designare quemuis è fidelium numero paullo cultum ornatius, quàm vulgus hominum soleret vestiri. Notum est & pueris, Romanos, quorum moribus plerique prouincialium in omnibus regionibus tunc temporis vti amabant, togam albam aut candidam pro honestiore cultu habuisse. Idem seruatum esse etiam apud Græcos jam ostendimus; &

multis

multis probare possem, si locus pateretur. Sed & Iudæis in colore vestium consuetudinem fuisse eandem scripta illorum palàm faciunt. in quibus vox חורים albati ingenuos & nobiles denotat; & בני חורים sunt ὁι εὐπατρίδαι, *nobiliter nati, patricij.* χρυσοδακτύλιος igitur apud Iacobum perperam refertur ad ius aureæ fibulæ gestandæ, quod Syriæ Reges sui sanguinis viris, aut bene de se meritis Principibus soliti olim deferre. Nam ad tempora Apostolorum durasse illum morem, post extinctum nomen Regum Syriæ, sumit Baronius, probare verò non potuit. Adde quod ius illud, γέρας vel τιμὴ πόρπης χρυσῆς, *honos fibulæ aureæ*, semper vocatur Græcis scriptoribus, nunquam autem χρυσοῦ δακτυλίου. Vide librum primum Maccab. capite x. 89. xi. 58. & xiv. 44. Iosephus lib. xiii. cap. viii. γέρα καὶ τιμὰς διδοὺς, πόρπην χρυσέην, ὡς ἔθος ἐστὶ δίδοσθαι τοῖς τῶν βασιλέων συγγενέσι. capite sequenti duo coniugit, purpuræ vsum, & πόρπης χρυσέας, *fibulæ aureæ.* denique nunquam aliter loquuntur auctores in eius moris mentione. quod satis refellit Baronianam interpretationem. Aureorum vero annulorum quàm fuerit ea ætate frequens vsus, & quantus is censeretur esse honos, declarant innumera omnium scriptorum testimonia.

LXXIV. Coronæ Christo impositæ materia. πλέκειν. leuia quædam.

ANNI XXXIV. Num. LXXXVI.

Rectè Baronius eorum sententiam reijcit, qui spineam Domini coronam è iunco marino, quem Græci ὀξύσχοινον vocant, fuisse contextam putarunt. nulla est iunci species in cuius descriptione vel Theophrastus, vel Plinius, vel alij probati scriptores spinas commemorent. thyrsum autem illum, & acumen in quod desinunt nonnullæ iuncorum species, insulse spinas vocaueris. Videtur errori occasionem dedisse vox πλέξαντες quam in ea historia tres Euangelistæ vsurpant, Matthæus, Marcus, Iohannes. nam id verbi proprie locum habet in vitilibus, ad quæ iuncus est accommodatissimus. sed dicitur & de alijs rebus, quod nemo ignorat. De corona illa tantum scimus. Clemens Alex. capite viii. Pædag. libro ii. ostendit factam fuisse ἀπὸ βάτου, *è rubo.* & rubum illum confert cum eo in quo Deus apparuit Mosi, mysterium aliquod in vtriusque comparatione obseruans. Sed quum ruborum multę sint species, inanis atque inutilis labor fuerit, velle quærere quæ potissimum species ad hanc coronam sit adhibita. Apud Marcellum Empiricum legere memini, ex alba spina fuisse Christum coronatum. Baronius quo argumento notum habuerit, eas spinas quæ hodie ostentantur, tanquam illius coronæ reliquię, veras

veras esse, nec fraudem subesse, vellem nos docuisset. Idem quid appellet *fustem* aut *ramos* in oxyschœno, mirabuntur, scio, naturæ periti.

LXXV. *Lotio manuum Pilati ex qua consuetudine. Mos veterum mentē suam significandi non solum verbis, sed etiam factis.*

ANNI XXXIV. Num. LXXXIX.

QVæritur an lotio manuum à Pilato vsurpata, ex consuetudine aliqua Gentium sit orta, an Iudæorum. Origenes in Matthæum præcise negat tale quid apud Romanos fuisse factitatum. Proferunt tamen viri doctissimi è Græcis & Latinis scriptoribus, lotiones, vt ipsi existimant, non dissimiles. Sed aliud est lauare post admissum crimen ad expiationem peccati: quo fine iustitutos apud veteres fuisse καθαρμοὺς & περιῤῥαντισμοὺς, purgationes, & aquæ lustralis aspersiones, nemo ignorat: aliud ante crimen, ad testificationem innocentiæ, quod hîc facit Pilatus. Baronius igitur contendit Pilatum ex ceremonijs Iudæorum mutuatum esse exemplum: & affert locum Mosis, è Deuteron. cap. XXI. qui tamen si diligenter expendatur à facto Pilati toto genere est diuersus. Poterat Baronius ex historia & scriptis Iudæorum exempla reperitare, quæ magis ad rem facerent. Narrat Aristeas vetustissimus scriptor, Septuaginta Seniores, qui vertendis libris sacris Alexandriæ operam posuerunt, solitos prius quàm ad lectionem se accingerent, manus lauare: cuius rei caussam quum ab ijs nonnulli requisissent, διεσάφουν, ait Aristeas, ὅτι μαρτύριόν ἐστι τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν: *declarabant, signum id esse, nihil à se mali fuisse admissum.* Neque alienum est quod in libris Magistrorum legimus, solita defunctorum cadauera à pollinctoribus calidâ lauari, vel ad acquirendam, vel ad testandam innocentiam, quando actæ vitæ ratio est reddenda. Omitto similia exempla. Sed mihi valde mirum videtur, Pilatum hominem Romanum, instituto Iudaico eo potissimū tempore esse vsum, quo videbat se à sceleratissimis Pontificibus, Sacerdotibus & furente populo Iudaico, ad scelus patrandum adigi, quod ipse horrebat. Vera igitur ratio facti aliunde est arcessenda, quàm ex institutorum Iudaicorum imitatione, de qua Pilatus nunquam cogitauit. Obseruat Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ, fuisse veteribus in more positum, vt sensa animi non verbis solū, sed etiam factis declararent; qua de re & Plutarchus alicubi disserit, & nos in Commentarijs Polybianis multis exemplis hunc morem ex historia Græca & Latina illustramus, quæ nunc omittimus. Illustre exemplum Act. XXI. 2. in Agabo pedes ac manus sibi vinciente. Quemad-

Quemadmodum autem communis hic mos fuit olim omnibus gentibus; sic facta quæ adijciebantur ad verba, erant sæpe communia. Quare Pilatus morem lauandi ad declarandam suam innocentiam, non magis sumpsit à Iudæis; quàm formulam qua vtitur, cùm protestatur de sua innocentia, *Innocens ego sum à sanguine justi huius*; sumpsit ex historia Susannæ, vbi non dissimilem vsurpat Daniel; *Mundus ego sum à sanguine huius.* in historia Susannæ, versu 46.

LXXVI. *Cur Pilatus Dominum supplicio Crucis addixerit: Hallucinationes Baronij.*

ANNI XXXIV. Num. XCII.

MIram, nec prius, opinor, auditam rationem affert Baronius, cur mundi Saluator sententia Pilati Cruci fuerit affixus. Vult enim neq; iuris Iudæorum habitam esse rationem; alioquin Iudices lapidatione fuisse illum punituros: neque Romanorum; quia crimini cuius postulatus fuit Christus, id pœnæ genus non conueniebat. statuit igitur, supplicium quod Barabbæ fuerat subeundum, translatum esse in Dominum. Hæc sententia mihi videtur falsa, non minus quàm mira. Nam etsi omnia contra ius & fas in illo iudicio sunt administrata; huius tamen noui exempli nullam ne suspicionem quidem Euangelistæ inijciunt. Quare verius est, quod ab hominibus eruditis pridem est animaduersum; Pilatum, qui satis intelligebat accusationem Iudæorum esse fictam falsamque; sic tamen egisse cum Christo, quasi illius accusatoribus fidem haberet. fuerat accusatus, quod res nouas moliretur & turbas cieret: Pilatus puniri iussit vt seditionis & tumultus auctorem. vide legem XXXVIII. §. 2. Dig. de pœnis. & leg. II. Cod. de seditiosis. Paulus libro V. tit. XXII. *Auctores seditionis aut tumultus pro qualitatis dignitate, aut in crucem tolluntur, aut bestijs obijciuntur.* Quod autem ait Baronius, crucis supplicium famosis latronibus fuisse debitum; idque Luciani testimonio confirmat; fallitur manifestò: nam Lucianus eo quem laudat dialogo nihil omnino scribit, vnde id possit colligi. Diligens lector locum inspiciat, sub finem amœnissimi libelli. deprehendet insignem hanc esse hallucinationem: nam latrones eo loco ne nominantur quidem.

LXXVII. *An supplicium Crucis veteribus Iudæis fuerit in vsu. Ostenduntur Baronij & Iusti Lipsij variæ hallucinationes. Multa loca è Scripturis, & alijs auctoribus Græcis ac Latinis illustrantur.*

IBIDEM.

BAronij verba sunt; *Erat & apud Iudæos Crux in vsu; sed ea pœna afficiebantur homicidæ, vt Philo tradit.* Quot verba, tot ferme peccata. Falsum est, supplicium Romanorum, quod crucem proprie vocabant, in vsu fuisse apud veteres Hebræos: falsum est, ea pœna homicidas illorum legibus affectos: falsum est, Philonem hoc tradere. Baronium, scriptorem parum accuratum, & rerum veteris populi Iudaici non ad modum intelligentem, hos errores errasse, minus miramur: qui sciamus, viros longe doctissimos & ante ipsum & post ipsum, idem cum Baronio sensisse & scripsisse. Taceo tot sacrorum librorum interpretes, quos secutus est conditor Annalium, vel qui ipsum: sed & Carolus Sigonius, & Iustus Lipsius, ille quum ex professo de rebus Iudæorum scriberet; hic in libellis de cruce, idem affirmarunt. Omnes supplicium Crucis notum Iudæis atque vsurpatum fuisse tradiderunt: quidam & locum illum Philonis tractarunt, vt Lipsius; qui ab auctoris mente longe aberrauit. Hoc vt palàm fiat, ante omnia tirones moneo, voces illas *Crux*, σταυρὸς, σκόλοψ, ἀνασταύρωσις, ἀνασκολόπισις, κρεμᾷν & his affines, de varijs pœnarum generibus, quæ omnino confundi non debent, cum ab alijs auctoribus, tum præsertim à veteribus vtriusque Testamenti interpretibus solere vsurpari. Nos hic loquimur, de supplicio, quale pati pro humano genere Christus voluit. atque id Crucem Romanam appellamus; quia Romanos & in priuatis supplicijs seruorum, & in publicis etiam vel de seruis, vel de alijs vilibus capitibus, plurimum ea constat esse vsos. nec sine caussa Sozomenus lib. I. cap. VIII. narrans sublatum à Constantino M. hoc genus pœnæ, ita loquitur πρότερον νενομισμένην Ῥωμαίοις τὴν τοῦ σταυροῦ τιμωρίαν νόμῳ ἀνεῖλε τῆς χρήσεως τῶν δικαστηρίων. *lege sustulit ex vsu judiciorum Crucis pœnam, Romanis prius vsitatam.* Hoc igitur pœnæ genus, Crux proprie Romanis dictum, & seruile supplicium habitum, Hebræis olim fuisse vsitatum affirmat cum multis Baronius; nos negamus, & sententiæ nostræ hæc certissima argumenta proferimus. Primum est, Doctorum eius populi testimonium; qui verbis expressis Crucẽ Romanã fuisse genti suæ ignotã affirmãt. Verba illorũ sunt hæc.

רבר זה לא היה בישראל לתחוב המסמרות ברגלי וידי אדם הנסקלין והנתלין

והנתלין *Non fuit hic mos in Israele, vt clauos figerent in pedibus aut manibus hominum, qui lapidati aut suspensi fuissent.* Hoc argumento infelices Rabbini vtuntur, vt historiæ Euangelicæ de passione Christi fidem detrahant. in quo facile refelluntur ab ipsa veritate, quæ supplicij hanc formam non ab ipsis Iudæis, sed à Pilato Romano docet fuisse Christo irrogatam. Nihil igitur agunt perfidi Rabbini; etsi falsum non est quod afferunt, sed certissimum, vt ex sequentibus apparebit. Alterum argumentum ducimus ex ipso iure veteri populi illius, quod & Rabbini ijdem afferunt, vt sententiæ suæ fidem adstruant. Dicunt igitur Rabbini, quatuor genera pœnarum (ipsi vocant מיתות *mortes*) fuisse ab antiquo tradita לבית דין *domui judicij*, id est Concilio Sanedrin, quibus solis vti licuit. Eæ pœnæ sunt סקילה *lapidatio*, λευσίμους μόρους, Tragicis Græcorum; שרפה καῦσις, *viuicomburium*, vt appellat Tertullianus; הרג vel הרג בסייף *occisio per gladium, decollatio*, & חונק siue מחנק *strangulatio*, θάνατος δι' ἀγχόνης. Hæc legitimarum pœnarum enumeratio, ex antiquis fragmentis Doctorum, quæ in Pandectis Talmudicis habentur, passim legitur in Commentarijs Rabbinorum; Qui legem Mosis digesserunt in præcepta faciendi, vt ipsi loquuntur. CCXLVIII. & CCCLXV. non faciendi, hasce pœnas ex institutione Mosis esse profectas nos docent. singulas enim commemorant & proprias illarum sedes in Pentateucho ostendunt. De occisione per gladium, est præceptum affirmans apud Maimonidem CCXXVI. ex cap. XXI. Exodi. de occisione per strangulationem proximum est præceptum, è Leuit. XX. 10. de ignis pœna agitur in præcepto CCXXVIII. è Leuitico XX. de lapidatione, in eo quod sequitur è Deuter. XXI. Moses Maimonides (qui & Moses Ægyptius dicitur,) solidæ atq; ingentis doctrinæ vir, de quo videor mihi posse id vere dicere, quod Plinius olim de Diodoro Siculo, primũ illũ inter suos desijsse nugari; in opere Iad, quod instar est Commentariorum in præcepta quà affirmantia, quà negantia; libro vltimo, halacoth Sanedrin, in pirke XIV. auctor est, quatuor has tantum legitimas fuisse veteri Iudæorum populo suppliciorum ideas: tam rigida obseruatione ab ijs vsurpatas, vt ne Regi quidem fas esset, pœnas mutare: putà in meritum ex legibus pœnam gladij, aliter quàm gladio animaduertere. Obsecro respondeant mihi, quibus placet Crucem Romanam veteribus Hebræis fuisse in vsu, cur in tam accurata legitimorum ejus populi suppliciorum explicatione, tam altum est, tam constans apud Rabbinos de illa silentium? Vel hæc vnica ratio apud viros judicij castigati, confutandæ illi sententiæ fuerit satis. Pergimus tamen & ipsum caussæ iugulum petimus. Tertium enim argumentum sumimus

mus non è Rabbinorum testimonijs: verum ex ipsis Scripturis; atq; ita dicimus. Si nullum veteris linguæ Hebræorum est verbum, quod Crucem propriè dictam significet; si nullum verbum actioni crucifigendi proprium: si denique in toto Veteri Testamento, nullum extat certum de eo supplicij genere testimonium; non abit profectò, quin illi populo fuerit olim ea pœnæ forma incognita. Atqui prius: secundum igitur. Probatio nostra est hæc. In lingua Hebraica vetere, vocabulum quod Cruci respondet, est עץ: σταυρῶσαι autem & crucifixioni respondent duo verba יקע & תלה: atqui nulla istarum dictio est, quæ vel ex natiua significatione, vel ex peculiari aliquo vsu sacrorum scriptorum Crucis Romanæ pœnam designet. nullum est igitur; & verum est quod diximus. Sed huius argumenti vis plenius est declaranda. עץ *lignum* significat. id vocabulum est generale eius instrumenti, quod ad varia supplicia variâ formâ adhiberi solitum. nam & qui acuta sude transfigebantur, & qui laqueo strangulabantur in altum sublati, & qui in furca occidebantur, & qui vel σανίδι more Atheniensium, vel cruci ex consuetudine Ro. affigebantur, item qui hodie rotæ imponuntur, omnes dici possunt mori על עץ *super ligno.* atque ita loquitur Lucas Actorum v. 30. & x. 39. de morte Christi, ὃν ἀνεῖλον κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου. *quem occiderunt suspendentes in ligno.* hîc lignum עץ est Crux Romana, quod ex historia passionis scimus: quæ vocem generalem nos cogit ita interpretari. In Testamento veteri sæpissime occurrit vox *lignum* in descriptione suppliciorum: sed cur late patentem significationem restringamus ad crucis Ro. notionem, nihil cogit nos: quum nullus sit locus in totis Biblijs Hebraicis, ex quo vel suspicio dumtaxat possit sumi, quę eò nos ducat. Contra, quæ modò attulimus è Rabbinis, erroris manifesti arguunt illos qui τὸ *lignum* in libris Hebraicis de cruce Ro. interpretantur. At Rabbini quoties de supplicio Christi loquuntur, ipsum quidem vocant תלוי τὸν κρεμασθέντα; crucem verò illius, quia propria voce designare non habent, circumlocutione vtuntur, & dicunt שתי וערב *Stamen & subtemen.* Idem dicendum est de verbis יקע & תלה quæ suspendendi significationẽ quum habeant, pluribus supplicijs accommodari possunt, in quibus perituri in altum tolluntur, & fiunt μετέωροι. & quidem de cruce posse ea verba vsurpari, certum est: nam ita κρεμᾶν *suspendere* de Christo posuit bis Lucas, in quem crucifixione, non eâ quæ proprie dicitur suspensio, impius & αὐτοκατάκριτος Pilatus animaduertit. verùm, vt modò dicebam, cur in Biblijs ita exponamus illa verba, ratiò nulla est: cur aliter accipiamus ratio non deest; testimonia nempe illa, quæ è Commentarijs Rabbinorum attulimus. Quod

antiqui

antiqui Interpretes Chaldæus, Latinus, & aliquando etiam Græci in exponendis vocibus illis Hebraicis, dictionibus vtuntur ad denotandum Crucis Ro. supplicium peculiariter vsitatis, atque adeo ipso nomine *Crucis*; vt non reprehendimus; quum exponi commode queat, διὰ λόγους, non κατὰ τὸ ῥητόν; (quo pacto multa dicuntur ab omnium linguarum scriptoribus optimis:) ita errare grauiter illos non dubitamus, qui ea putant esse argumenta supplicij Crucis iam olim Hebręis vsitati. ferendus fortasse hic error sit in ijs, qui Latinam versionem volunt esse authenticam, textum Hebraicum ex ea volunt pendere; quam iudicij sinisteritatem, non vno loco in Baronio deprehendimus. in viris cordatis & ἀπροαιρέτοις, qui Hebraicæ veritati suum pretium tribuunt, tantus error ferri non potest. Iam aliquot Scripturarũ loca expendamus. Geneseos XL. 19. Iosephus pistorum magistro ait; Rex תלה ארתך על עץ *suspendet te super ligno.* Ionathan Paraphrastes τὸ תלה verbo קטל expressit, quod simpliciter occidere & trucidare significat. Onkelos & hic & aliquot alijs locis voce vsus צלב quod in paraphrasi Noui Testamenti & apud Rabbinos, de cruce Christi solet vsurpari. alibi contra; Ionathan τὸ צלב vsurpat; Onkelos τὸ קטל vt Numerorum XXV. 4. Gręci ad verbum κρεμάσει σε ἐπὶ ξύλου. Latinus sic: *suspendet te in cruce.* & versu 21. vbi Gręci ex Hebręo simpliciter, τὸν ἀρχισιτοποιὸν ἐκρέμασε. Latinus fecit; *alterum suspendit in patibulo.* Si accipiantur *Crux* & *patibulum* laxius, non potest reprehendi Latinus Interpres: vt nec Iosephus, qui eam historiam sic expressit, lib. II. cap. III. τὸν ἐπὶ τῶν σιτοποιῶν ἀνεσταύρωσεν. Quis dubitat voces *crux* & *patibulum* omnibus illis diuersæ formæ supplicijs, sed tamen aliquid simile habentibus, quæ antè commemoraui, posse conuenire? quare vt respondeant Hebraicis Latina, illa nomina laxius omnino sint accipienda: neque apud Septuaginta Seniores κρεμᾶν ἐπὶ ξύλου, ita præcise exponendum, vt exponimus apud Lucam. Ratio est: quia non constat nobis an Ægyptij ab vltima antiquitate Crucis Ro. supplicium in vsu habuerint; nam de posterioribus iam non agimus: quanquam ne de his quidem certò potest aliquid pronuntiari. Sic ἀνασταυροῦν apud Iosephum potest exponi, vel de traiecto palo per totum corpus; vel de suspensione in furca, aut alio ligno, vel de simili alia quadam pœna: multæ enim fuerunt crucem aliquo pacto referentes. nonnullas antè recensuimus; possunt alię addi. vt illa quâ perit Melanthius apud poetam, ὀδυσσ. χ. reductæ in dorsum manus & pedes illi vinciuntur: deinde laqueo tollitur in altum & columnæ imponitur, ibi periturus,

ὥς κεν δηθὰ ζωὸς ἐὼν χαλέπ' ἄλγεα πάσχῃ.
Producens vitã mala plurima quò patiatur.

multa

multa in hac pœna cruci ſimilia: nemo tamen ſanus eam eſſe crucem Rom. dixerit. Quod autẽ σταυρὸς & ἀνασταυροῦν in diuerſis ſupplicijs locum habeant, facile probatu eſt. Thucydides in prima hiſtoria de Inaro ſcribit, προδοσίᾳ ληφθεὶς ἀνεσταυρώθη. hic eſt Inarus ille, cuius fit mentio in Cteſiæ fragmentis: etſi vitio ſcriptorum euenit, vt idem Thucydidi Λιβύων βασιλεὺς dicatur, Cteſiæ Λύδιος ἀνήρ. Narrat vero Cteſias, Amytim Xerxis filiam, Megabyzi vxorem, Inarum ἀνασταυρῶσαι ἐπὶ τρισὶ σταυροῖς: *ſuper tres palos vel patibula ſuſtuliſſe.* non eſt dubium Thucydidem è Cteſia eſſe exponendum: qui trium crucium in vnius ſupplicio mentionem faciens oſtendit, diuerſiſſimam eam fuiſſe pœnam, à pœna crucis Ro. Et Thucydides & Cteſias illuſtrari debent ex Plutarcho, qui in vita Artaxerxis quid ſit ἀνασταυροῦν ἐπὶ τρισὶ σταυροῖς oſtendit hiſce verbis: προσέταξεν ἐκδεῖραι ζῶντα, καὶ τὸ μὲν σῶμα πλάγιον διὰ τριῶν σταυρῶν ἀναπῆξαι· τὸ δὲ δέρμα χωρὶς διαπατταλεῦσαι: *iuſsit viuo cutẽ detrahi, & corpus quidem ſuper tribus ſtipitibus tranſuerſum affigi, pellem vero ſeparatim paxillis diſtendi*: id enim eſt διαπατταλεύειν, non *in palo ponere* vt vertit alicubi eruditiſſimus Lipſius. Aliquando ἀνασταυροῦν dicitur non de hominis viui ſupplicio: ſed de cadauere aut capite hominis vel decollati, vel alio ſupplicio exſtincti, quod ignominiæ cauſſa palo affixum in propatulo collocatur. Polybius in octaua hiſtoria, de Achæo jam occiſo: ἔδοξεν ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα. *placuit corpus Achæi erecto palo imponi*, aut ſi forte, appendi furcę. In Dionis Seuero capita Nigri & Albini dicuntur ἀνασταυρωθῆναι. Herodianus quoque de Seuero, πέμψας τὴν κεφαλὴν τοῦ Ἀλβίνου δημοσίᾳ ἀνασταυρωθῆναι κελεύει. Hic mos antiquiſſimus eſt: quo Perſarum Satrapas in captiuis Græcis ſæpè vſos legimus. Polycratem Samiorum tyrannum fuiſſe ab Oræta vel Oronte prætore in crucem ſublatum, M. Tullius & Valerius Maximus ſcribunt: Strabo lib. XIV. κρεμασθῆναι, fuiſſe ſuſpenſum: vera hiſtoria eſt apud patrem hiſtoriæ Herodotum, in Thalia. ait de Satrapa ἀποκτείνας μιν οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος Ὀροίτης ἀνεσταύρωσε. Iuſtus Lipſius, vt probet Perſas vſitaſſe crucem Romanam, laudat Herodoti hunc locum, & ita vertit: *Interficiens eum, (quod indignum relatu ſit) Orœtes in cruce ſuffixit.* nimirum eruditiſſimus vir Herodotum non ex propria ſententia, ſed ex mente Ciceronis & Valerij eſt interpretatus. nam hoc ait potius ſcriptor elegantiſſimus: *Orœta Polycratem, poſtquam modo indigno qui narretur, ipſum occiderat, patibulo impoſuit.* Non igitur crucifixione vita erepta Polycrati; ſed alio modo, quem tacet Herodotus; mortui vero corpus ignominia illa eſt affectum, quæ & ipſa vocatur ἀνασταύρωσις. Quod diſſentire Cicero, & alij ſcriptores videntur, leue eſt; & ſimilium diſſenſiuncularum plenæ ſunt omnes hiſtoriæ.

Modus

Modus supplicij, quem negat relatu dignum Herodotus; aliquod sine dubio crudelitatis insigne exemplum continuit: & nisi fallor, intelligit excoriationem, qua multum vsi Persæ in tollendis ijs, quorum corpora postea in propatulo ponebant. in Eclogis Ctesiæ de Bagapata; τὸ δέρμα περιαιρεθεὶς ἀνεσταυεἰάθη (ἀνεσταυρώθη fortasse: etsi illud ferri potest:) ὑπὸ Παρυσάτιδος: *detracta cute sublatus est in patibulnm à Parysatide.* Sic mortuo Leonidæ Spartano caput à Persis amputatū scribit Herodotus, atque id ἀνασταυρωθῆναι. & multa similia exempla. Atque ex his apparet, voces σταυρὸς & σταυροῦν sæpe de supplicijs vsurpari, quæ sunt diuersa à Cruce Ro. ac proinde falli eos, qui in quocunque supplicio ea vocabula inueniunt, de pœna ex more Ro. illa interpretantur. Huc pertinet locus Philonis, quem Baronius attigit, Lipsius tractauit, è libro De legibus contra homicidium & scortationem, edit. Gr. 548. Ibi loquens Philo de pœnis homicidarum à Mose sancitis, scribit sic: μυρίους μὲν θανάτους, εἴπερ οἷόν τε ἦν, ὑπέγκεν ἂν καὶ αὐτοὺς ὁ νομοθέτης· ἐπεὶ δὲ τοῦτ' οὐκ ἐνεδέχετο, τιμωρίαν ἄλλην προσδιατάττεται, κελεύων τοὺς ἀνελόντας ἀνασκολοπίζεσθαι. *Legislator noster,* inquit, *mille mortibus, si fieri potuisset, homicidas addixisset: quoniam id fieri non poterat, pœnā aliam* mortis supplicio *adiecit*; *iubens, vt qui occidissent in patibulum tollantur.* hic ἀνασκολοπίζεσθαι Baronio, Lipsio, & vulgatis interpretibus accipitur de cruce Romana. quare ex hoc loco illi colligunt, Philone auctore homicidas ex legibus Mosis crucis supplicio fuisse afficiendos. Atqui in Legibus Mosaicis nullum extat eiusmodi præceptum: & Rabbini, cùm docent quæ sint propria cuiusque supplicij crimina, homicidas inter eos recensent, in quos gladio animaduerti solitum. Hic igitur Lipsius Philonem accusat, & apud Mosem quicquam extare negat, vnde id Philo potuerit colligere. vere hoc quidem: sed non animaduertebat vir doctissimus, Philonem non loqui de supplicio, quo vita adimebatur percussori: sed de pœna quæ ignominiæ caussa exstincto irrogabatur: vt suspenderetur ad paucas horas, & Soli, vt ait Philo, & oculis hominum exponeretur: id Iudæis erat quamuis dira morte dirius, propter horribile carmen vocis diuinæ, *maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Deut. XXI. 23. & Paulus Galat. III. 13. Christum factū esse κατάραν, maledictionem, quia pependerit in ligno. & hæc est illa Christi ὕψωσις, quam ipse prædicebat, Ioh. III. 14. & XII. 32. ad quas prædictiones reijcit nos idem Ioh. XVIII. 32. sed quia exaltandus erat in cruce, quod non fuit Iudæis vsitatum supplicium. propterea antè admonebantur discipuli, judicium quo damnandus erat Christus, à Gentibus fore reddendum, Matth. XX. 19. Porrò cædem hominis crimen esse capite luendum, sancit Moses Exodi. XX. 24.

& Leuit. XXIV. 17. præter hanc pœnam, aliam à Mose fuisse impositam, ait Philo: προσδιατάσσει, inquit, hoc est, *statuit vltra supplicium mortis*; nimirum ἀνασκολόπισιν, corporis vita cassi suspensionem in ligno. Id Philo collegit è Deuteronomio, cap. XXI. & praxi, vt videtur Iudæorum: nam Mosis quidem verba expresse hoc non statuunt: neque sane Iosephus id dicit, libro IV. in compendio legum Mosaicarum, vbi non prætermittitur ille versus 22. capitis XXI. Deuteronomij. ostendit tamen hic locus Philonis, si attentius illum expendimus, Doctores saltem quosdam, è verbis Mosis id collegisse & commune ius fecisse. Sic etiam lapidatione obrutos, postea suspendendos esse, ex eodem loco Mosis Rabbini tradiderunt; vt habetur in præcepto affirmatiuo apud Maimonidem CCXXIX. & Doctorum Iudæorum commentarijs. Quantus igitur est error eruditorum hominum, qui τὸ ἀνασκολοπισθῆναι apud Philonem de cruce Romana interpretantes, falsam ei sententiam attribuunt? Id autem verbi posuit Philo, pro eo quod Moses dixit illo Deuteronomij loco κρεμάσαι ἐπὶ ξύλου: de quo loquendi genere satis antè. Latinus ibi, *appendere in patibulo.* in proximis autem versibus עץ vertit *lignum.* Iosephus illo quem indicaui loco, quod Moses dixit *suspendi in ligno*, Philo ἀνασκολοπισθῆναι, sic expressit. καὶ μείνας δι' ὅλης τῆς ἡμέρας εἰς θέαν τῶν ἁπάντων, θαπτέσθω νυκτός. *vbi manserit in conspectu omnium totum diem*, (reliquam nempe diei partem post supplicium:) *noctu sepeliatur.* Hæc verissima verborum Mosis paraphrasis, luculente eorum errorem confutat, qui τὸ ἀνασκολοπισθῆναι de pœna crucis apud Philonem accipiunt: eadem interpretationis ratio tenenda est in omnibus historijs, (sunt autē plurimæ cum in sacris tum in prophanis auctoribus:) vbi hominis mortui fit ἀνασταύρωσις, vel ἀνασκολόπισις. In eiusmodi exemplis, suspendiosus non moritur in ligno. In alijs exemplis, & vita eripitur, & occisi corpus ad spectaculum proponitur in eodem ligno. In historia Iosuæ VIII. 29. ita scriptum: *Regem quoque Hai suspendit in patibulo, vsque ad vesperam & solis occasum: præcepitque Iosue & deposuerunt cadauer eius de cruce.* Hic quoque Latinus interpres, vocabulum Mosis, עץ vertit *patibulum* & *crucem.* Paraphrastæ Chaldæi צלב *crucem*, ait doctissimus Masius. & quidem verum est, postquam Romani supplicij forma Iudæis & Syris innotuit, ad significandam crucem & crucifixionem id verbum esse vsurpatum; sed in paraphrasi veteris Testamenti alia notione accipiendum & generaliore, vt de vocibus *crux* & *patibulum* antè diximus. Septuaginta Seniores hoc vno loco Scripturarum τὸ עץ verterunt non simpliciter ξύλον vt toties alibi, sed ξύλον δίδυμον. Quid est δίδυμον ξύλον *lignum geminum*? Iustus Lipsius in libro De cruce contendit

dit esse Romanam crucem; & Suidam reprehendit qui incerti auctoris verba hæc afferens, θύρων δὲ Ἰλλοῦστον φθορέα ἐκρέμασεν ἐκ διδύμου ξύλου, exponit de ea quam Romani furcam vocant. ἡ παρὰ Ῥωμαίοις φοῦρκα inquit. Ego vero, etsi inuitus facio, vt à sententia discedam viri merito suo dum viuebat clarissimi, & nobis amicissimi; censeo tamen verissimam esse expositionem Suidæ; quam ille bis posuit in vocibus δίδυμον & Ἰλλοῦστος. Et omnino ita est; in auctore quem laudat Suidas δίδυμον ξύλον de cruce, quod vult Lipsius, nullo pacto accipi potest. ratio est manifesta & certa: nam illum auctorem fuisse aliquem è recentioribus, putà Procopium, aut Simocatum, aut alium etiam fortasse natu iuniorem, euincit nomen proprium Ἰλλοῦστος, quod à melioribus Hellenismi seculis abhorret, & ex *Illustris* Latino vocabulo, non infrequente apud illius ętatis Gręcos, videtur corruptum. Quum igitur ne dubitari quidem possit, scriptorem cuius erant illa apud Suidã verba, post Constantinum Magnum vixisse; ne de eo quidem potest esse dubium, quin δίδυμον ξύλον quod ait adhibitũ fuisse ad supplicium corruptoris, sit furca. Crux enim esse non potest; cuius vsus in suppliciis à Constantino M. fuerat antè sublatus. Quare etiam si auctor σταυρὸν scripsisset; necessario tamen de furca eius verba essent exponenda, quum de cruce non queant. Et miror huius absurditatis adeo manifestę, Lipsio in mentem non venisse. Extat apud Suidam & aliud fragmentum, vbi δίδυμον ξύλον simili modo accipitur, ex eodem vt videtur scriptore; οὓς ζῶντας ἐκ διδύμων ξύλων ἀπήρτων. *quos viuos è lignis geminis suspendebant.* vbi nota præpositionem *ex*, quæ furcæ vel simili patibulo, optime congruit, non antiquæ Cruci. Idem Suidas alibi, φοῦρκα παρὰ Ῥωμαίοις ξύλον δίδυμον. apparet ex his, valde vsu tritũ apud Gręcos eius ętatis fuisse, vt furcam appellarent ξύλον δίδυμον, quando hic grammaticus in ipsa expositione Romanæ dictionis sic loquitur. Eleganter verò ita appellatur furca, quæ ex vnico, ita dicam, scapo diuiditur in duo cornua, & lignũ quod erat simplex fit duplex. propterea etiam δίκρανον furcam appellarunt, quasi geminum caput habentem. Glossarium: *Furcifer*, σταυρογκόμιστος, δικρανοφόρος: & mox, δίκρανον ἐν τοῖς τραχήλοις ἔχοντες: *furcam in ceruicibus habentes.* Plutarchus in Romanis κεφαλαίοις, interpretatur διπλοῦν ξύλον ὃ ταῖς ἁμάξαις ὑφιστᾶσι, significans, furcam esse lignum diuisum in altero extremo in duo cornua; quod subiicitur temoni plaustri, quoties volunt aurigæ rectum stare plaustrum oneratũ, vel onerandum, neq; temonẽ in terrã se inclinare. & addit vere ibidẽ Plutarchus, Græcis id lignũ propter illũ vsum dici ὑποστάτην, quod temoni supponatur, & στήριγμα, quod ipsum temonẽ sustinens, totũ plaustrũ sustentat, ne in terrã inclinetur pars anterior.

ne hæc quidem ab eruditissimo Lipsio sunt intellecta. In picturis quæ adijciuntur Græcis scholijs in Ἔργα καὶ ἡμέρας Hesiodi, habes imaginem ligni quod describit Plutarchus. Constat igitur δίδυμον ξύλον non esse Crucem Rom. sed vel furcam, vel simile aliud lignum ad suspensionem comparatum. quare falluntur, qui in superiore loco Iosuæ VIII. 29. versionem Interpretum Græcorum aliter interpretantur. Iam quod ijdem viri docti historiam Amani proferunt, è libro Esther, vt probent, supplicium Romanæ crucis jam illis temporibus apud Persas fuisse in vsu; quam sit infirmum & friuolum ex ijs quæ hactenus disputata sunt, satis intelligitur. nam in ea quoque narratione dictiones easdem vsurpat Hebraica veritas, de quibus sæpe jam dictum: Iosephus libro XI. cap. VI. Regis sententiam ita concipit: κελεύει παραχρῆμα τὸν Ἀμανὸν δὲ ἐκείνου σταυροῦ κρεμασθέντα ἀποθανεῖν. *Iubet vt statim Amanus ex eo patibulo suspensus moriatur.* præpositio ἐκ, non leui argumento est, de cruce non cogitasse Iosephum, sed de furca aut alio instrumento ad suspendendum comparato, cuiusmodi sunt patibula hodierna. In ea historia verbum Hebraicum תלה quod semper alibi Græci verterunt, κρεμάσαι, semel reperitur versum σταυρόω VII. 10. Εἶπεν ὁ βασιλεὺς σταυρωθήτω ἐπ' αὐτοῦ. dixit Rex, *tollatur in illud lignum*, vel *suspendatur super illo ligno.* laxiore, quod ante monebamus, eius vocis significatione. Sic quod scribit Iosephus lib. XIII. de Alexandro, Rege Iudæorum, hostium suorum victore, ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν αὐτῶν ὡς ω. *iussit eorum tolli in patibulum ad octingentos*: id in Hebraica ex Iosepho historia sic exprimitur cap. XXXIII. ויצו לתלות אותם על עצים כל תת & *iussit suspendi eos super lignis, ad* IↃCCC. Alterius verbi quod in mentione horum suppliciorum solet in Scripturis vsurpari, prima significatio, ex qua reliquæ manarunt, varie & obscure explicatur à Criticis Hebræorum. Græci eam verbi huius notionem, qua de supplicijs vsurpatur, diuerse verterunt. Numerorum cap. XXV. 4. verba sunt Domini ad Mosem: הוקע אותם. Latinus interpres, *suspende eos.* & ita vox Hebraica exponitur in Paraphrasibus Ionathanis, & Ierosolymitana. Onkelos generaliore voce קטל hic vsus, contra morem suum. Salomo Lunensis, siue Iarchius, docet hoc verbo significari suspensionem. quod si recte eius mentem capio, videtur existimasse istos prius fuisse lapidibus obrutos, deinde eorum corpora patibulis esse imposita. affert axioma Iuris Hebræorum, כל הנסקלין נתלין *omnes qui lapidantur suspenduntur.* Ac videntur plerique Rabbinorum existimasse, eos dumtaxat in quos lapidatione fuisset animaduersum, obnoxios fuisse ignominiæ suspensionis à morte: quod repugnat sententiæ Philonis quam antè tractauimus.

uimus. In editione Græca quæ putatur esse Septuaginta Seniorum scriptum est, παραδειγμάτισον αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ. *statue illos populo in exemplum coram Domino.* hanc si sequimur versionem, vox Hebraica nullã mortis vllius habet significationem : quod meritò Symmachus improbauit & cæteris consentiens interpretibus, exposuit κρέμασον. Aquila ἀνάπηξον, *affige:* in eandem sententiam : nam si habuit respectum ad crucem Romanam, & suorum temporum morem, (vixit enim sub Hadriano ;) errauit, vt sæpe alibi. Interpres librorum historicorum qui Pentateucho solent subijci, II. Regum, x x i. tribus locis in exprimenda hac voce Hebraica, miro verbo ἐξηλιάζειν est vsus; quod significat Soli exponere, nempe ignominiæ caussa, & in exemplum : quare non longe abit ab interpretatione Septuaginta virorum illa, de qua modò diximus. Ratio autem vocis ἐξηλιάζειν peti debet è verbis Domini, Num. x x v. 5. vbi præcipit Mosi, *Suspendi eos contra Solem.* hoc est, in loco vnde conspici ab omnibus queant. Philo, p. 548. vim verbi huius pluribus exprimens, Erat, inquit, necessarium, hostes vniuersi mundi μετεωρισθέντας εἰς τοὐμφανὲς, ἐπιδεῖξαι ἡλίῳ καὶ οὐρανῷ καὶ ἀέρι, καὶ ὕδατι καὶ γῇ κολασθέντας *sublimè in conspicuum locũ attollere, & punitos illos* ostendere *Soli, cœlo, aëri, aquæ, terræ.* Inde noua vox ἐξηλιάζειν; nec placet, quod in alijs libris editur, καὶ ἐξιλέωσαν αὐτοὺς, versu 9. & versu 6. ἐξιλασόμεθα ἐν αὐτοῖς τῷ Κυρίῳ. in vndecimo, ὅσα τῶν ἐξιλεασμένων. quibus in locis ἐξιλεοῦν vel ἐξιλάσασθαι verbum est, vt loquuntur grammatici, prægnans, duorum loco positum, *placare*, pro mactare ad placandum : sed vt dixi, probo magis ἐξηλιάζειν. Ac nescio an qui ita verterunt eo respexerint, quod apud veteres pœnæ genus fuit poni ad Solem; sed in minoribus tantum delictis. B. Augustinus De ciuitate Dei lib. x i i. cap. i v. *Isto modo possunt ipsi & Solem vituperare: quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni à judicibus iubentur ad Solem.* leges apud Cedrenum Εἰς καῦσιν ἡλίου θεὶς ἀπέκτεινε, p. 161. Probauimus hactenus, nullum esse in Scripturis veteris Testamenti Romanæ crucis vestigium. Poteram plura testimonia afferre, & à praua interpretatione illa vindicare : sed satis superque sunt nostrę sententię confirmandæ quæ attulimus. Vnicus restat locus non prætermittendus; vbi crux Romana graphice & quidem proprijs suis notis atq; οὐσιώδεσι describitur. Canit enim Dauid Psal. x x i. 17. *Foderunt manus meas & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea.* nullum apud pios dubium est, כארו vel Massoritarum testimonio recte legi à Christianis; & fodere hic esse, clauis perforare. En igitur clauos, en manus & pedes, quæ sunt propria, imò ἰδιαίτατα cruci Romanę. Fateor : sed addo, spiritu prophetico prædici hæc à regio vate, in eo psalmo, quo fere historico

ſtorico ſtylo paſſio Chriſti deſcribitur : non ex vſu judiciorum ſui temporis. quare nihil ad rem. Iam ad Baronium redeamus : nam quæ de ſupplicio Crucis apud Græcos obſeruauimus, nondum cuiquam recte expoſita, quia huius loci non ſunt, ſtudio breuitatis omittimus.

LXXVIII. *An ſignum Crucis apud Iudæos & Gentiles fuerit ſignum ſalutis.*

IBIDEM.

AIt Baronius de ſigno Crucis loquens; *Satis ſit in præſentiarum ſcire, tam apud Iudæos, quàm etiam apud Gentiles, Crucis figuram fuiſſe ſalutis inſigne.* Nos quidem in cruce Chriſti myſterium agnoſcimus, quod omnia myſteria longo ſuperet interuallo. Agnoſcimus etiam Patres, quibus res erat cum Gentilibus crucem Domini irridentibus, multa de ipſius ſigni myſterio ingenioſe admodum excogitaſſe, & ſcriptis ſuis inſeruiſſe, os obturare paganis idonea. Nam quare illi Crucem Chriſti irriderent, quum tot argumentis euincerent Patres; tam in rebus naturalibus, quàm in arte factis, ſignum crucis reperiri expreſſum? Hæc pij Patres, non ſolum ingenioſe, ſed etiam vere. Atque ego cum illis ſentio; illas tot huius ſigni effigies, quas ipſi obſeruant tum in rebus naturalibus, tum in arte elaboratis; obſcura quędam fuiſſe documenta, venturam mundo ſalutem per veram Crucē: quæ ſi non ſunt intellecta à paganis, ac ne à Iudæis quidem, ante rei euentum: non hoc videri mirum debet. Nam ne vaticinia quidem Danielis, aut aliorum Prophetarum de venturo Chriſto ante eius aduentum ſunt intellecta. Et nos hodie prædictiones Apocalypſeos non intelligimus: quibus tamen ſua ineſt veritas, & Iohanni cùm illas ſcriberet, facti ratio conſtabat. Sed quod Baronius ait, Crucis figuram fuiſſe ſalutis inſigne, tam apud Iudæos, quàm apud Gentiles; id vero ego neque capio, neque verum puto. Rationes illius expendamus. De Iudæis probat, auctoritate Prophetæ Ezechielis. Locus eſt capite IX. 4. vbi ſic habet Latina verſio: *Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium.* Sed non ſine cauſſa viri docti de fide huius interpretationis dubitant. Nam ſi figuram crucis Propheta intellexit, ecquod Thau intelligit? non illud quod in Alphabeto Hebræorum hodie extat. nam eius figura figurę Crucis omnino haut reſpondet: deinde certum eſt, literarum Hebraicarum figuras hodiernas poſt Ezechielem & captiuitatem fuiſſe inuentas. Dicat aliquis, reſpexiſſe diuinū vatem

ad

ad priorum literarum figuras. At ne id quidem verum. Nam priores characteres Hebręorum, consensu omnium eruditorum, apud Samaritanos remanserunt; & nunc quoque illis vsurpantur. notissimũ autem est, Thau in Samaritanorum Alphabeto à forma Crucis longissime recedere. Si igitur nullum temporibus Ezechielis fuit Thau in communi Hebræorum vsu σαυροειδὲς, ad quod respiceret: magnum hoc argumentum est, aut Latinam versionem non respondere menti Prophetæ; aut ipsum cùm illa scribebat de figura crucis nihil cogitasse. Accedit alia magni momenti ratio: nam in versione Septuaginta Seniorum, de litera Thau nihil dicitur; sic enim illi, δὸς τὸ σημεῖον. *da*, vel *imprime signum.* Hebraica ista, התוית תו ex sententia Septuaginta Interpretum vertissent σήμαινε σημείῳ, *Signa signo*, vel σφράγιζε σφραγῖδι. primus Aquila, quem deprauasse in multis versionem Septuaginta Patres scribunt, aliter verba Prophetæ accepit & vertit, σημειώσεις εἰς τὸ Ταῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα. Vide eruditam Iosephi Scaligeri disputationem in Animaduersionibus Eusebianis ad locum Eusebiani numeri MDCXVII. Iam quod ad Gentiles attinet, si vnicam excipias historiam de signis hieroglyphicis Ægyptiorum, quam narrant Socrates & Sozomenus, nihil video posse adferri, quod Baronianum dictum confirmet. Nam quæ disserunt Patres de effigie Crucis in multis Paganorũ rebus à se obseruata; ea vero eiusmodi sunt, vt elici ex ijs non possit, Gentiles figuram Crucis pro salutis insigni habuisse. Probemus hoc paucis exemplis. Nota sunt Tertulliani verba in Apologetico: *Victorias adoratis, cum in Tropæis Cruces intestina sint tropæorũ.* verum istud: sed neque Pagani cùm Tropęa adorabant, signum Crucis attendebant, quod inerat tropæo: neque id dicit Tertullianus. neque vllo pacto ex eius verbis potest colligi, Romanis figuram Crucis, salutis fuisse insigne. Addit Tertullianus; *Sipara illa vexillorum & cantabrorum stolæ crucium sunt.* sed neque in vexillis suis, neque in vllis signis militaribus Romani crucis figuram cogitarunt. Minutius Felix: *Signum sane Crucis naturaliter visimus in naui, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur; & cùm erigitur iugum, Crucis signum est.* Vera sunt hæc quidem: sed figuræ crucis in eiusmodi rebus aut actionibus obseruatio, propria Christianorum est; quum paganis nunquam eius in mentem venerit: nedum pro salutis insigni eam habuerunt. Porrò quæ breuiter adnotat Baronius de forma Crucis in qua mundi salus est parta, non soluunt multa dubia, quæ à doctis viris in eo argumento sunt excitata. multa multi eruditi viri super ijs rebus disputarunt, quę apud ipsos legant studiosi. quædam etiam Iosepho Scaligero post Iustum Lipsium & omnes alios, erudite sunt obseruata in Animad-

uersionibus Eusebianis. Ibi fatetut vir summus de mente versus Ausoniani, quem exponere hic conatur Baronius, parum sibi liquere. Ingenuum hunc candorem malumus & nos imitari, quàm absurda scribere, quod & Baronius & alij docti fecerunt.

LXXIX. *Cur Dominus Crucem suam gestauerit.*

Anni XXXIV. Num. XCIV.

IN passione Domini nostri, multa more Romano esse administrata non potest cuiquam esse dubium. Eiusmodi fuit, quod non obseruat Baronius, gestatio Crucis suæ, ad quam Christum esse adactum, testis est Iohannes XIX. 17. Matthæus, Marcus & Lucas crucem Christi ab ipso fuisse baiulatam, etsi non dicunt, non tamen negant. à Simone Cyrenæo id factum aiunt: vel quia Christum jussus est adiuuare, propter pondus nimium: vel quia post Christum oneri subijt in parte viæ: quæ est Hieronymi sententia. Eum morem Iudaicum non fuisse, conijcere est è libris Rabbinorum, qui nullam eius, quod sciam mentionem faciunt. Moses sanè ben Maimon, eo quem ante indicaui loco, mores in sumendo supplicio seruari solitos accurate descripsit, neque tamen simile quid obseruat. De Romanis extat non vnum testimonium. Plutarchus de tarda numinis vindicta, τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτοῦ σταυρόν. Artemidorus, ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον σταυρὸν βαστάζει. Plautus Carbonario, referente Nonio: *Patibulum ferat per vrbem, deinde affigatur cruci.*

LXXX. *Ostenduntur varij errores Baronij circa vinum ἐσμυρνισμένον. Prouerbium Atticum. Nicolai Fabri elogium. Alia multa.*

Anni XXXIV. Num. XCV.

IN historia passionis duplex potio Saluatori fuisse exhibita dicitur. Prioris mentio apud Matthæum XXVII. 34. & Marcum XV. 23. posterioris omnes Euangelistæ meminerunt. Illa data est ex more, cum jamiam cruci affigendus esset: altera præter morem, quia dixerat Dominus noster, Sitio, cum jamjam animam esse emissurus. Vtraque potio, perditæ malitiæ illorum à quibus Christo est propinata, testis est, sed diuerso modo. De posteriore agemus inferius. Quod ad priorem attinet, dubitari non potest, ex Hebræorum consuetudine profectum esse, quod Seruatori in ipso articulo quo fuit crucifigendus, poculum est exhibitum vini ἐσμυρνισμένου, vt appellat Marcus, id est myrrhati. Iam pridem Paulus Fagius & alij viri eruditissimi eum

morem

morem è libris Talmudicis in lucem protulerunt : & eſt eius mentio apud multos Rabbinorum : qui omnes quum ijſdem verbis, (quod curioſe obſeruauimus) rem narrent ; apparet ex eodem fonte omnes accepiſſe. Lege Maimoniden libro XIV. halak. Sanedrin, cap. XIII. Iuchaſin p. 114. 2. alios. Inuenio ſimilis humanitatis genus apud Athenienſes olim fuiſſe in vſu : nam qui damnati capitis fuerant, cum è loco judicij exibant ducendi ad ſupplicium, cibum vinumque largius ſumendi facultatem habebant : tum etiam poterant tria quæ vellent cumque proloqui. deinde vbi edendi bibendiqne finem fecerant; ore obturato ad pœnam rapiebantur. Inde natum apud Athenienſes prouerbium, imprecationis vim habens, *Dicas tria illa quæ ad Curiæ egreſſum licet.* Suidas. εἴ τις τὰ τρία τὰ πρὸς τῇ αὐλῇ· τοῖς ἐπὶ θάνατον ἀγομένοις ἔξω σῖτος καὶ οἴνου πληρωθεῖσι τρία λέγειν ἃ βούλοιντο· μεθ' ἃ φιμωθέντες ἀπήγοντο τὴν πρὸς θάνατον. Omnino ſimilis Athenienſium mos hic eſt cum more Iudæorum. Illi dabant exeuntibus è judicio jamjam perituris : hi perductis ad locum ſupplicij, poſt factam confeſſionem, quam diligenter à morituris ſiue ſupplicio, ſiue morte ſua, exigebant vt notant Rabbini. illi poteſtatem faciebant ingurgitandi ſeſe cibo & vino : hoc enim eſt, πληρωθῆναι. id proculdubio ſpectantes, vt puniendi vino ciboque obruti, horrorem ſupplicij minus attenderent. Hebræi in eundem finem granum thuris, aut myrrhæ vino miſcebant. Rabbini thus in eam rem nominant ; fortaſſe pro myrrha, cuius meminit Marcus : nam ita ſæpe ſolent ſpecies confundi. fortaſſe etiam & myrrha & thure in eandem rem vtebantur. Finem potionis huius declarant, cum dicunt propterea fuiſſe exhibitam כדי שתטרף דעתו עלו *vt morituro rationis vſus tolleretur.* Atque hic quidem communis Iudæorum mos fuit : qui tamen in Domino noſtro non eſt integre ſeruatus. nam propinatum quidem illi eſt vinum, idque myrrhatum ; in quo erat ſpecimen humanitatis : ſed illud dirum & crudele fuit, quod fel poculo infuderunt ; quo ſcelere quicquid ineſſe videbatur facto humanitatis, ſcelerate corruperunt. Obſeruant Hebræi, hoc officium puniendis præſtari ſolitum ab honeſtis & nobilibus matronis. Satis conſtat non defuiſſe pias fæminas, quæ Chriſti doctrinam amplexæ, illi cupiebant, & caſum miſerantes, vt narrant Euangeliſtæ, ſequebantur. Luc. XXIII. 27. Videtur ab his ſanctis mulieribus vinum myrrhatum Chriſto paratum fuiſſe ex conſuetudine gentis : ſed quum accedere ad Dominum non poſſent, ac ne honeſtas quidem, opinor, pateretur ; vinum præparatum militibus tradiderunt Domino porrigendum. illi vt erant proni ad omne ſcelus, felle immixto poculum mulierum piarum corruperunt. Ad hanc facien-

dam coniecturam mihi præiuerunt ipſa Euangeliſtæ verba : quæ & beneficium matronarum, & maleficium militum ſi diligenter expendantur, diſerte exprimunt. Marci οἶνος ἐσμυρνισμένος ipſiſſimam eius populi conſuetudinē, & factum mulierum ob oculos ponit. Matthæus qui appellat acetum, & quidem felle mixtum ; ſcelus militum deteſtabile commemorat. Ita euenit in hac hiſtoria, quod paſſim toto Euangelio poteſt obſeruari : vt ſeſe inuicem Euangeliſtæ diuinitus adiuuent, inuicem ſuas narrationes ſuppleant atque interpretentur. Non puto fore aliquem ſimplicis veritatis amantem, qui in ſuperiore expoſitione non acquieſcat. Baronius, quam appoſite hoc loco prolixam de vaſis myrrinis, & myrrina mulierum Romanarum diſputationem inſtituerit, prudentis & docti lectoris facio judicium. Mihi propoſitum non eſt extra oleas vagantem perſequi, & minus recte ab eo dictis culpæ notā apponere. Fecerunt ante nos alij, qui libris etiam integris aduerſus hanc diſceptationem editis, Baronium confutarunt. Fontem erroris nos indicabimus. Vnica enim vox apud Marcum ἐσμυρνισμένος parum intellecta, ipſum adegit ad portenta opinionum, & illam importunam digreſſionem de vaſis myrrhinis & murrhina Romanorum, & neſcio quibus alijs, quæ ad hiſtoriam Euangelicam magis non faciunt, quam canis ad balneum. Scribit igitur Baronius, initio diſputationis ſuæ : *Vinum myrrhatum dictum eſt quod in vaſis myrrhinis ad ſaporem odoremque quærendum, calidum poneretur.* Non quæram hic, quàm verum ſit, vinum myrrhatum à vaſis myrrinis fuiſſe dictum : tantum dicam, hanc interpretationem vocis Marci nouam eſſe, alienam, abſurdam, falſam. Nam cui veterum interpretum eius expoſitionis venit in mentem? Repugnat hiſtoria, cuius teſtes ſunt tot Doctores Hebræorum. Omnes conſentiunt puniendo ſolitum exhiberi קורט לבנה בכוס של יין *granum thuris in calyce vini.* Thus pro myrrha illis nominari jam monuimus. Repugnat Syriacæ paraphraſi, vetuſtiſſimæ & optimæ. eius auctor vocem vnicam Marci pluribus expreſſit & vertit. *Vinum in quo mixta erat myrrha.* Repugnat & Arabicæ, quæ cum Syriaca conſentit. Repugnat denique Græcæ linguæ, qua vſus Marcus : (errant qui aliter ſentiunt : quod alibi aduerſus Baronium ſolidiſſimis rationibus demonſtrauimus ;) idque multis modis. Fingit Baronius myrrina vaſa, ſiue myrrhea (*Myrrhea quæ in Parthis pocula cocta focis,*) σμύρνινα Græcis fuiſſe dicta : quod probari ab eo non poterat. nam apud Græcos de myrrhinis poculis loquentes, ὕαλον μυῤῥίνην & μυῤῥίνην legimus : σμύρνινα ea notione vſurpatum, nuſquam legimus. at quomodo ab illis vaſis appellari vinum ἐσμυρνισμένον, quitum eſt, niſi ipſa vaſa ita nominarentur? tum

tum autem vinum in myrrhinis propinatum ἐσμυρνισμένον appellari, quo exemplo similis analogiæ potest defendi? an aliquis veterum scriptorum vinum ὑαλισμένον dixit, quod in vitrea pocula esset infusum? aut ἠργυρισμένον, quod in argentea? Hic ego Baronio optassem, vt aliquanto melior esset grammaticus: quod nomen hodie probri loco obijciunt nobis inimici nostri, nihil nisi parricidialem doctrinam docti, hostes Dei & Principum. Tolerabilius dixerit aliquis; poculum fictile, cui myrrha fuerit admixta, posse dici ἐσμυρνισμένον: at vinum vel in tali poculo propinatũ, ita nominare, caret analogia & exemplo. Præterea, fatemur nos quidem eiusmodi pocula fuisse tum in vsu, non solum è Parthia aut Carmania allata, neque apud solos Romanos; sed etiam ex Ægypto, & apud Grecos. id enim docuit nos Atheneus, qui auctor est lib. XI. ex vrbe Ægypti Copto deferri solita in Asiam & Græciam, ἐκπώματα ἥδιστα ἃ μετ' ἀρωμάτων συμφυραθείσης γῆς ὀπτᾶνται. *pocula suauissima, quæ ex argilla cum aromatis subacta, coquuntur.* Sed quum magno in pretio eiusmodi pocula fuerint; petulantissimis sceleratissimisque militibus presto fuisse tam pretiosa, tam fragilia vasa, cui probabit Baronius? Scribit ille morem propinandi vinum supplicio afficiendis in Italia durare: vellem nos docuisset, an moris sit Romæ, puniendis, postquam carnifici iam sunt traditi, vinum dare in crystallinis Veneticis, aut porcellanis Indicis. Quod ait Baronius, *hoc peruestigandũ esse, an eam ob caussam, myrrhatũ vinũ puniendi biberent apud Iudæos, vt mentis alienationem passi carerent sensu doloris.* id verò plus satis iam peruestigatum est: attulimus enim clara verba Rabbinorum, quæ passim in eorum Commentarijs leguntur, de fine ad quem spectabat illa miserorum potatio. At myrrham vim habere potius contrariam, probare conatur Baronius, allato Aristotelis testimonio ex Athenæi lib. XI. sed quàm hallucinatur? vni enim myrrhæ tribuit vim aquæ, in qua non sola myrrha decoquebatur, sed flos odorati iunci, crocũ, balsamum, cinnamomum, amomum, & plura fortasse alia: potuit enim Athenæus, non omnia enumerasse. Hæc absurda, & alia plura quæ omitto, vitare Baronius poterat, si Nicolai Fabri Parisiensis exactissimæ doctrinæ viri, recte monentis, iudicio, vti par erat, stetisset. FABRI, quem vt dum viueret amore & veneratione singulari meritissime coluimus: ita nunc fato functum Lutetiæ, etsi æui maturum & plenum dierum, non aliter tamen, quàm vt funere acerbo elatũ, desideramus, cum omnibus bonis; quibus nota erat viri illius præstantissimi, in summâ omnium scientiarum & vniuersę antiquitatis peritiâ, admirabilis morum probitas, & totius vitæ innocentissima integritas, pari modestia iuncta.

LXXXI. Golgotha *non Golgoltha antiquam esse prolationem. Alia.*

Anni XXXIV. Num. CXII.

DE loco Golgotha in Euangelijs dicto, affert Baronius verba Hieronymi, quæ ad verbum ex istis Eusebij sunt versa. Γολγοθᾶ, κρανίου τόπος· ἔνθα ὁ Χριστὸς ἐσταυρώθη· ὃς καὶ δείκνυται ἐν Αἰλίᾳ, πρὸς τοῖς βορείοις τοῦ Σιὼν ὄρους. Ita habet scriptus codex Christianissimi Regis, neq; puto vllum hodie extare librum, vbi nomen hoc cum duobus *ll* scribatur Golgoltha. Scio rationem grammaticam id postulate: sed quum sanctiones Grammaticorum Regum non sint edicta, & multa in omnibus linguis analogię legibus spretis vsus receperit: non assentior illis interpretibus, qui errore librariorum locum pronuntiant fuisse deprauatum. Maldonatus ita scribit hîc: *Legendum Golgoltha: sed scriptorum vitio vnam detractam literam fuisse arbitror: errorem deinde temporis longinquitate confirmatum.* Et ante Maldonatum alios idem scripsisse non ignoramus. Mihi religio est, sacros codices mendi arguere, nulla necessaria ratione vrgente, in lectione omnium seculorum consensu firmata: nam ætate Nonni, non aliter fuisse scriptum in omnibus libris, paraphrasis ipsius ostendit; vbi propter metrū suspicio mendæ non est. Sic ille de loco Caluarię: Γολγοθᾶ τὸ κικλήσκουσι Σύρων στόμα. Ibidem scribit eruditissimus poeta, nomen huic loco fuisse inditum, â caluaria Adami, ibi sepulta: qua de re multa hic Baronius disputat; quæ omnia, quum sint præ nimia vetustate incerta, prætermittimus: quemadmodum & historiam de sacrificio Isaaci illo loco. Traditionem vetustissimam de Adami πρωτοπλάστου habitatione in Cananæa & sepultura eiusdem in *Golgotha*, constat originem habuisse ex interpretatione non recta versus vltimi capite XIV. historiæ Iosuæ: quod quia nemini eruditorū hodie est ignotum, in eo non immorabimur. Baronius non plane se expedit ex illo loco; & melius Serarius, etsi Tridenti legibus astrictus.

LXXXII. *Baronij* ἀνιστορησία *rerum Iudaicarum.*

Anni XXXIV. Num. CXVI.

NOn placet conditori Annalium collem Golgotha nomen inuenisse à capitibus decollatorum, quod nonnulli scripserunt. Mihi non displicet eius sententia: sed ratio quam affert falsissima est: *Eiusmodi enim supplicium*, inquit, *apud Hebræos, nec lege sancitum, nec consuetudine inuenimus approbatum.* At nos inuenimus, & quidem nullo labore.

bore. Nam, ſicut antea oſtendimus, paſſim Rabbini, quatuor illas ſpecies ſuppliciorum commemorant, quæ veteri populo fuerunt in vſu, ex ipſius Moſis inſtitutione. Earum vna fuit, quam aiunt ſolitam patrari בסייף διὰ ξίφους, gladio : & addunt decollationis eundem modũ fuiſſe illis vſurpatũ, qui fuit in vſu alijs in regnis. Quare errauit Baronius, qui Romanorũ propriam fuiſſe eam penè ideam autumauit.

LXXXIII. *Quomodo vrbs Ieroſolyma dicatur vmbilicus Terræ.*

ANNI XXXIV. Num. CXVI.

VRbs Ieroſolyma in Scripturis dicitur aliquãdo eſſe mediũ terræ, vel in medio terræ ſita, vt Ezech. v. 5. & Pſal. LXXIII. 13. aliquãdo nominatur, טבור *vmbilicus terræ*, vt Ezech. XXXVIII. 12. Eæ locutiones variè poſſunt accipi. Nam locus aliquis figurate dicitur *Thabur* vmbilicus ; vel quia medium obtineat cuiuſdam totius, vt vmbilicus in homine : vel quia emineat circa planitiem circumiectam: cuiuſmodi loca Greci μαστοὺς & μαστοειδεῖς à mammæ ſimilitudine nominant. inde dictus mons Thabor in Galilæa inferiore, altus & ſublimis. Baronius ex Hieronymo putauit Ieroſolyma vrbem, in medio Totius fuiſſe poſitam. Sed Hieronymi verba opus habere commoda interpretatione, non animaduertit. Nam mundi quidem medium dici Ieroſolyma non poſſunt ; niſi fortaſſe illa generali ratione, quod in globo vbique eſt medium : ſed hoc ridiculum fuerit : at τῆς οἰκουμένης, id eſt, orbis habitabilis veteribus cogniti, potuit vrbs ſancta ſaltem ratione latitudinis, in medio dici conſtituta. Spheram inſpice, & rationem ini eorum ſeptem climatum, quæ ſola norant veteres: videbis non inepte, etſi pingui Minerua, Ieruſalem olim creditam eſſe multis quaſi vmbilicum terræ habitabilis. in ſcriptis Rabbinorum ſæpe dicitur, medium העולם *mundi*: melius dicerent התבל τῆς οἰκουμένης. Sic olim Græci Delphos appellarunt vniuerſæ terræ vmbilicum ; ἵνα μεσόμφαλοι λέγονται μυχοὶ γᾶς, ait Euripides Oreſte. addebant de dimenſione terræ putidam fabulam. ſed Strabo ſcriptor apprime ſerius, fabula reiecta, eam appellationem obiter interpretans, ait Delphos eſſe, Ελλάδος ἐν μέσῳ πως τῆς συμπάσης ; vniuerſæ Græciæ, quæ eſt intra Iſthmum aut extra, in medio fere ſitos. Similiter Ioſephus, communiter iactatum dictum de vrbe ſancta, quod eſſet vmbilicus terræ, accipit de terra Iudææ tantùm, non de orbe toto habitali, multo minus de vniuerſo mundo. Iudaici belli lib. III. cap. IV. Græci Theologi quomodo Dauidis verba interpretentur, *Deus operatus eſt ſalutem in medio terræ*, & quàm ſubtili ratione ſacrificio altaris illud accommodent,

ſuſe

fuse explicat Germanus Patriarcha in sua Theoria : vbi pro certo & confesso ponitur ab ipso, in vrbe Ierusalem περιγεγράφθαι τῆς γῆς τὸ μεσαίτατον, *ipsissimum terræ medium circumscribi.* Alij in ipsa vrbe certum locum designarunt, in quo ipsum vmbilicum constituerent. Vide Sanuti Secreta, lib. III. parte XIV. cap. VIII.

LXXXIV. *Occasione vestium Domini, philologicæ quæstiones aliquot de re vestiaria tractantur.* Ἱμάτια *plurale pro sing. de vna veste Christi exteriore. Quot vestes Christus gestauerit. Vsus vestis vnius primò, deinde duarum, postea plurium. Tunicæ è lino : item è lana. Lanificium & textura olim ad mulierum curam pertinuit.* μέρη τοῖς *in hac historia. Vestis inconsutilis.* μασχάλη. χιτῶνες ἀμφιμάσχαλοι. ἑτερομάσχαλοι. *Sartorum in conficiendis vestibus, non idem vsus apud veteres, qui est hodie.* ῥαπταὶ *vestes. Vestimentum* ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντόν. *Locus Hesychij corrigitur.* πολυία. ῥάκη. ἀνακρουστὸν ὑφαίνειν. *Coactiliariorũ ars,* πῖλοι. *impilia. Alia multa.*

ANNI XXXIV. Num. CXVII.

SEquitur apud Euangelistas partitio & sortitio vestium Christi : qua in historia multę quum occurrant quæstiones philologicæ, à maximi nominis Theologis, quà veteribus, quà recentioribus, propositę magis quàm serio tractatę ; rem instituto suo conuenientẽ fecisset Baronius, si illustrando illi Iohannis loco symbolam contulisset aliquam. Id quia factum ab eo non est, age verba Euangelistæ paullo diligentius expendamus. Scribit ille, XIX. 23. de militibus qui Iesum Christum crucifixerant. ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, (καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος.) καὶ τὸν χιτῶνα· ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes ; vnicuique militi partem :) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Hîc primò quæritur, quæ vestimenta voce ἱμάτια Iohannes intelligat; deinde quot vestes Christus ad supplicium attulerit : tertiò, quid sit, τοῖς μέρη ; quartò, qualis fuerit illa Christi tunica : quintò, quid vestis inconsuta ; sextò, quid ὑφαντὸς δι' ὅλου : septimo, vtrum omnia Christi indumenta sorte fuerint diuisa, an sola tunica inconsuta. Quod ad primam quæstionem attinet ; quia dixit Euangelista numero multitudinis τὰ ἱμάτια, existimarunt jam olim nonnulli, ea voce non vnam aliquam vestem significari, sed plures. Nos contra existimamus, pluralem numerum hoc loco ex Hebræorum consuetudine

ſuetudine & aliarum etiam linguarum, pro ſingulari eſſe poſitum. Rationes jam ante aliquot attulimus, cum de lotione pedum ageretur: poſſumus & alijs argumentis id confirmare: nam quia ἱμάτιον veſtis eſt exterior, proportione reſpondens pallio Græcorum & Romanorum togę; ſi pluralis numeri habenda eſt ratio, duas veſtes exteriores, putà duo pallia, ſiue togas, Chriſtum geſtaſſe ex eo ſequetur: quod eſt abſurdum. certum eſt Hebræorum veſtem exteriorem fuiſſe, quã ipſi vocabant מעיל: quæ dictio in Græcis Biblijs varie pro loco, aut iudicio interpretum, verſa reperitur: ποδήρης, ἐνδύτης, ἐπενδύτης, διπλοΐς, στολή, ἱμάτιον, tot voces & plures etiam à Græcis Interpretibus pro illa vnica ſunt vſurpatæ; quas expendere huius loci non eſt. Sed conſtat è ſcriptis Rabbinorum, quod fuit Græcis pallium, toga Romanis, id fuiſſe Hebræis *mehil*. Quemadmodum igitur Græci pallio vnico vtebantur, non pluribus, Romani toga vna, non duabus aut tribus: ſic Iudæos vnicam veſtem exteriorem *mehil* geſtaſſe, indubitatũ eſſe debet. Plurale autem pro ſingulari in hoc nomine vſurpari, indubitatis exemplis probare poſſumus. Marci v. 27. mulier αἱμοῤῥοοῦσα dicitur tetigiſſe τὸ ἱμάτιον Domini, id eſt pallium, ſiue *mehil*: nam aliam veſtem tangere non poterat, niſi exteriorem, quę reliquas tegebat: ſequebatur enim à tergo, vt obſeruat Euangeliſta. atqui dicit Chriſtus verſu 30. Τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων. *Quis tetigit indumenta mea?* ἱμάτια nempe vocat Dominus, pallium ſuum, & plurale vſurpat pro ſingulari. Matth. XXVII. & Marci XV. Pilati milites Chriſto adimunt ſuum veſtimentum, vt purpura ipſum amiciant: deinde vbi Filium Dei ad ſatietatem vſque impie impij irriſerunt, purpura ex humeris ſacris detracta, veſte Chriſtum induunt, qua prius exuerant. Mathęus & Marcus ἱμάτια hanc veſtem vocant: atqui ſolam veſtem exteriorem Chriſto fuiſſe detractam, cum purpura erat induendus, puto eſſe neminem qui dubitet. Colligimus ex his: Iohannem in iſta hiſtoria diuiſionis veſtium Domini, ἱματίων appellatione intelligere vnũ dumtaxat ἱμάτιον. id autem fuiſſe, מעיל Hebræorum, ſiue exteriorem veſtem, putà, pallium. Hæc quum ita ſint, facilis eſt ſecundæ quæſtionis ſolutio. Nam qui plures veſtes Chriſtum geſtaſſe colligunt è voce pluralis numeri ἱμάτια; fragili plane, ſicut oſtendimus, arundini innituntur, & omnino errant. futilis etiam fuit illorum veterum coniectura, qui dixerunt, Chriſtum ad Crucem attuliſſe quinque veſtimenta: quod illi colligebant partim è voce ἱμάτια, partim ex eo quod dicitur ſingulis militibus, (erant autem quatuor,) pars indumentorum ceſſiſſe: ita quatuor indumenta fuiſſe ſtatuebant. adde tunicam ἄῤῥαφον; fiunt quinque. ſed recte Euthymius hanc coniecturam

ram reijcit. Quot igitur geſtabat Chriſtus veſtimenta? idem Euthymius tria vult fuiſſe: pallium, tunicam inconſutilem, quæ corpori adhæreret, & alteram tunicam, quæ reſpectu pallij veſtis interior dici potuit: reſpectu inconſutæ tunicæ cutem ſacram contingentis, tunica exterior. Hanc nos Euthymij ſententiam varijs de cauſſis probare non poſſumus. Nam ſi duas tunicas Chriſtus geſtauit; altera fuit lanea, altera linea; ita enim moris fuit olim. quando autem lineæ & laneæ veſtes ſimul geſtabantur, ſemper linea ante alteram ſumebatur, quod hodieque fit. lineæ enim veſtes cuti admouentur potius quam laneæ. quare non poteſt exiſtimari tunica inconſuta fuiſſe intima: repugnat enim hoc vetuſtiſſimæ traditioni: quam nos putamus veram, τὸν ἄρραφον χιτῶνα γενέσθαι ἐρεοῦν, *veſtem inconſutam è lana fuiſſe.* Statuimus igitur, Dominum duas ſolum veſtes geſtaſſe; pallium & tunicam: aut ſi alteram tunicam indutam habuit, eam fuiſſe lineam, ab inconſuta diuerſam, neque vllo pacto mentionem eius factam eſſe à Iohanne: fortaſſe, quia intima illa veſtis detracta à militibus non eſt ſed tegendæ nuditati relicta. Sed cum obſtet huic ſententiæ, quod Ambroſius & alij Patres obſeruant de nuditate Chriſti in Cruce pendentis: probabilius fit, quod ante diximus, Chriſtum duas tantum veſtes & cum iuit ad Crucem, & in cętera etiam vita geſtaſſe. Scimus viſum iri iſtud mirum ijs, qui ex hodiernis moribus res veteres æſtimare atque interpretari amant. Sed nos in alio opere ſumus probaturi, ſi ita viſum Domino IESV fuerit; primos hominum vna veſte contentos diu vixiſſe: poſtea alteram acceſſiſſe; & ex eo cepiſſe in vſu eſſe veſtem vnam exteriorem, Hebræis מעיל, vt dicebamus, Græcis ἱμάτιον, Latinis *togam*: & interiorem; hæc Hebræis כתנת, Græcis quoque χιτὼν ex Hebræo, Latinis *tunica.* Diutiſſime vixerunt mortales, cùm in communi vſu maiorem omnem veſtem præter has duas ignorarent, aut certe non communiter vſurparent; dico maiorem: quia linteamina quædam aut pannos à varijs gentibus eſſe adhibitos tegendis partibus, quas pudor vult tegi, non negauerim. Eiuſmodi fuerunt apud Hebręos linea fœminalia, quæ vſque ad genua & poplites venientia, celabant verenda: ſuperiore autem parte ſub vmbilico vehementer adſtringebantur, מכנסי ipſis dicta Græcis Interpretibus περισκελῆ vt obſeruat Hieronymus in Epiſtola ad Fabiolam, de veſte ſacerdotali: Adiecta eſt poſtea & tertia veſtis; ſed qua perdiu frugi homines parce vſi. Varro, Cato, ſiue de liberis educandis: *Mihi puero modica vna fuit tunica, & toga, ſine faſcijs calciamenta, equus ſine ephippio, balneum non quotidianum.* Quin fuerunt politioribus jam ſeculis, qui priorum hominum inſtituto viuerent vnica veſte contenti, ſaltem

tem per æstatem: quidem & per hiemem. De Agesilao scribit Plutarchus in Apophthegmatis Laconũ, ipsum σφοδροῦ χειμῶνος ὄντος, quando erat hiems intensa, solitum ἀχίτωνα prodire in publicum. Sic candidati apud Romanos in Comitio, sine tunica prensabant in toga candida: cuius rei caussam inter plures affert Plutarchus Capit. Rom. XLIX. quò possent vulnera militiæ accepta populo ostentare. Sic Lycurgus orator caussas pallio tantum indutus, Athenis agebat, Cato Romæ pro tribunali iudicabat; vt refert idem magnus scriptor in eorum vitis: etsi de Lycurgo verba illius etiam aliter possunt accipi. Postea vbi inter homines luxus creuit, prior virtus mascula decreuit, & corpora facta sunt magis alsiosa; alij tunicas plures gestarunt; alij easdem duplicarunt: quidã & in exteriore veste idem fecerunt. Galenus in quarto de vsu partium subobscure significat, suo tempore tunicas fieri solitas συνθέτους, è pluribus pannis compositas, & παχείας, *crassas*. Sed & plures simul gestare mos fuit. quare etiam nomina tum sunt inuenta, quibus distinguebant tunicam ἐχέσαρκον carni proximam, (qui & ὁ ἐνδοτάτω χιτὼν Græcis; alicubi etiam ὑπόδυσις;) ab illa quæ inter hanc & pallium siue togam assumebatur. Varro, De vita populi Romani; *Posteaquam binas tunicas habere cœperant, instituerunt vocare subuculam & indusium.* Neque hoc apud Romanos solos potest obseruari: sed & apud alios populos idem vsuuenit. Eustathius in Iliad. β. facit duo genera χιτώνων, tunicarum; vnum illarum quæ fiebant è lino & corpori adhærebant: alterum earum, quæ fiebant ἐξ ἐρίων ἁπαλῶν, è mollibus lanis, & intimæ vesti superinduebantur. In XVI. libro Strabonis, populis quibusdam Assyriæ hic cultus attribuitur; χιτὼν λινοῦς ποδήρης, ἐπενδύτης ἐρεοῦς, ἱμάτιον λευκόν. tunica linea talaris, nostræ camisiæ respondens, tunica altera exterior, & pallium album. Apud Hebræos tunicæ interioris mentionem obseruo raram: quo minus fit mihi probabile, Dominum nostrum, cuius vita vniuersa simplicitatis, humilitatis & λιτότητος exemplum extitit fuisse illa vsum, in Euangelijs quidem nusquam facta est illius mentio: etsi habuit fortasse quędam linteamina sub tunica inconsutili, qualia erant illa fœminalia, quæ ex Hieronymo descripsimus. Summa igitur responsionis nostræ ad quæstionem secundam erit: Dominum nostrum videri mihi, rem ex antiquis moribus æstimanti, vestes gestasse, non vt quidam olim putarunt, quinque; ac ne tres quidem, vt Euthymio placebat, & multi hodie eum secuti, existimant: sed duas tantum, pallium & tunicam. Antiqua traditione proditum est, tunicam hanc, opus fuisse manuum gloriosæ Virginis: quod nos facile credimus: nec refert quod è lana fuit. Nam hodie quidem ma-

tronæ paullo honestioris loci probro ducerent lanificio manus commodare: cùm totam plane curam linificij non aspernentur, neque in aliqua eius parte manus suas occupari se indignum putent. Olim alij fuerunt mores; nam etiam illustrissimæ puellæ & matronæ lanificio assuefiebant, vt notabamus ad Suetonium, id narrantem de filia & nepte Augusti, lib. II. cap. LXIV. Videtur antiquum institutum durasse vtcumq; ad Chrysostomi tempora: nam ille vir sanctissimus in homilia XXXIV. epistolę prioris ad Corinthios, seculo suo conuitium dicit, quod propter mulierum mollitiem, hoc institutum à fœminis transiret ad mares. atqui Deus, ait ille, dedit mulieri ὑφάσματος σοφίαν, *industriam texendi vestes.* Tertia quæstio difficultate non caret: nam ποιεῖν μέρη diuersissime expositum est ab interpretibus. Euthymiani illi veteres, qui volebant Christum quatuor gestasse ἱμάτια, *partes facere* interpretabantur, singulas vestes singulis militibus attribuere. tunc nulla scissura fuisset opus, nulla integræ vestis laceratione. Euthymius, qui duas tunicas vnum pallium Christo tribuebat; pallium & tunicarum alteram secabat in partes. Omnino factam esse scissuram vestis vnius aut plurium, declarat sequens antithesis, cùm aiunt milites de tunica, μὴ σχίσωμεν αὐτόν: *ne hanc scindamus.* id enim perinde accipiendum est, quasi dicerent milites: nos quidem alteram vestem conscidimus in partes: sed hanc elegantioris artificij, (ita Nonnus accipit, Θέσκελον ἀμφιέποντα τύπον ξένον.) aut cuius partes sint futuræ inutiles, scindere non debemus. Nos verò existimamus, solum pallium fuisse scissum: atque hoc mysterio diuino, quod significatum est hac actione multo melius conuenit, quàm plures vestes fuisse scissas, quod Euthymius & hodie plerique interpretes tradunt. Significat enim diuisio vestis in quatuor partes, Ecclesiam Christi per quatuor mundi partes diffusam ac diuisam. quemadmodum igitur Ecclesia quum sit vna, in quatuor mundi plagas dispergitur: sic vestem vnde quatuor fiunt partes, vnicam fuisse ante scissionem necesse est. Erat pallium vestis Hebræorum ampla, non multum, vt videtur, dissimile pallio Græcorum: quod in quatuor partes commodissime secari potuit: constabat enim è quatuor pannis certo modo inter se iunctis. quam ob caussam passim Græcis τετράγωνον ἱμάτιον quadrangula vestis, siue quadrata appellatur. Etiam Cyrillus & alij Patres μέρη ποιεῖν hic interpretantur σχίζειν, scindere vestem quæ integra erat. sed multi Patrum scissionem memorant non vnius vestis, verùm plurium. Nonnus & Arabs partitionem simul factam pallij & tunicæ inconsutæ putarunt; magno errore, de quo mox. Qualis fuerit Domini tunica, (id quarto loco propositum erat,) partim declaratum est à Iohanne, partim suppleri

pleri

pleri debet ex antiquitatis peritia. Iohannes duas notas proponit τὸ ἄῤῥαφον, quod nullam suturam habuerit: τὸ ἄνωθεν ὑφαντὸν δι᾽ ὅλου, quod fuerit à summa parte ad imam texta; quæ notæ propriæ quidem non erant huic tunicæ, sed tamen cum paucis communes; vt postea ostendemus: sed prius aliquid dicendum de ijs, quæ huic cum aliorum tunicis erant communia. Imprimis hoc vestibus interioribus commune est, vt non sint laxæ, sed aptæ membris & adstrictæ corporibus. Tales fuerunt & Romanorum tunicæ, quæ neque seruos ministeria sua obire, neque artifices suas exercere artes, impedirent. Talis etiam Hieronymo describitur tunica sacerdotalis. sed illa fuit è duplici sindone, hæc Christi è lana. illæ talares erant, & vsque ad crura descendebant, ait Hieronymus: etiam Christi tunica fuit talaris. Nonnus: - ἀπ᾽ αὐχένος εἰς σφυρὰ λήγων. An autem manicas habuit hæc vestis? Apud veteres multę tunicę manicis caruerunt: quędam, vt seruorum aliquando, vnam tantum habuerunt. Græci ἑτερομασχάλους χιτῶνας vocabant. Hesychius: ἑτερομάσχαλος χιτὼν δουλικὸς, ἐργατικός. ἀπὸ τοῦ τὴν ἑτέραν μασχάλην ἔχειν ἐῤῥαμμένην. Ait tunicam ἑτερομάσχαλον, quasi dicas *vnimanicam*, vestem esse seruorum & opificum. sic autem dici, quod assutam habeat alteram manicam. id enim est in hoc loquendi genere μασχάλη. aliæ duas habebant manicas, & dicebantur ἑκατερομάσχαλοι vel ἀμφιμάσχαλοι. Hesychius. Ἀμφιμάσχαλος χιτὼν χειριδωτὸς ἐλευθέρων, ὡς ὁ Πλάτων, δύο χειρίδας ἔχων, ἃς μασχάλας ἔτι καὶ νῦν λέγουσι. alludit ad Platonis locum in Theæteto. meminit & Aristophanes. At tunicam Christi nos putamus fuisse manuleatam; sed strictis manicis, vt erant in tunicis sacerdotalibus, & Romanis etiam. Hieronymus tunicas sacerdotum comparat cum Romanorum militum tunicis lineis, quas camisias vocabant: quod fuit expeditissimæ vestis genus. Sane Arabs interpres hanc Christi tunicam appellat *camisiam*; nam illa ipsa voce vtitur. Quintum erat quæsitorum, quid sit vestis inconsutilis. sextum autem, quid ὑφαντὸς δι᾽ ὅλου: quæ simul explicabimus. Omnium artium quæ circa vestes conficiendas occupantur, (sunt autem plurimæ,) duæ sunt præcipuæ, ἡ ὑφαντικὴ textoria, & ἡ ῥαπτικὴ, sartoria. nam ἡ ἀκεστικὴ, quæ & ἠπητικὴ, non conficit vestes, sed tantum reficit, quod tamen eiusdem non esse artis, in libro ad Thrasybulum non semel scribit Galenus. Hyphantice quæ telas & pannos è lana aut serico aliáue materia conficit, vulgo notissima est, & describitur eleganter Senecæ in epistola nonagesima. Rhaptice, siue sartoria pannos prius incidit, deinde acu consuit, quod vestimenta concipere, Latini dixerunt. Seruius ad librum XII. *Sarcinatores concipere dicuntur vestimenta, cum è diuerso coniungunt, & adsuunt.* Et

hodie quidem, rariſſime veſtis aliqua conficitur ſine ſarcinatoris opera; olim verò parandarum veſtium alia ratio fuit: textores enim veſtes abſoluebant; neque eorum opera, vt plurimum vtebantur, quos ſermo Gallicus vocat *couturiers*, Latini *ſartores* aut *ſarcinatores*: quæ vocabula refectorem veteris veſtis potius denotant, quam nouæ confectorem. & quum ῥάπτειν ſit *acu ſuere*; ſutores tamen Romanis dicti ſunt, non illi qui acu veſtes conſuunt; ſed qui coria in vſum calceorum. & Plato in Politico de artificijs veſtimentorum diſſerens, commemorat τὴν τρήσει καὶ ῥαφῇ χρωμένην σκεύασιν, *confectionem illam quæ fit perforatione & ſutela*; qua generali deſcriptione ſartores quum poſſint comprehendi; Plato tamen illorum non meminit, ſed tantum τῆς σκυτοτομικῆς, *artis conſuendi coria*; id eſt, ſutorum. Galenus in libro ad Thraſybulum, multam mentionem facit earum artium, quę veſtes veteribus conficiebant: noſtrorum tamen ſartorum non meminit: ſolam in eo genere agnoſcit textoriam; quaſi illa non tantum pannos confeciſſet, vt hodie, ſed etiam abſoluiſſet veſtimenta. Idem apud alios ſcriptores obſeruauimus. Vnde neceſſario ſequitur, aut eoſdem qui erant textores, etiam ſartores fuiſſe, qui tamen à parte præcipua ſui artificij dicebantur ὑφάνται *textores*, non autem ῥάπται *ſartores*; aut certe longe aliã fuiſſe olim indumentorum rationem, quam ſit hodie. Euangeliſta Iohannes de tunica Domini agens vtriuſque artificij meminit, & textorum & ſartorum: ſed ſartores illi tunicæ manus adhibuiſſe negat: quod optime conuenit cum ijs quæ modò diximus. At quomodo potuit tunica fieri ſine vlla ſutura, pręſertim quæ eſſet manuleata? nam textores qui telas & pannos è ſtamine pendente ad iugum, intexta trama conficiunt, eiuſmodi veſtem non poſſe conficere certiſſimum eſt. quare Hieronymus de fœminalibus ſecerdotum ſcribit; illa de byſſo retorta ſolita contexi, & poſtquam inciſa fuiſſent, acu conſui: *Non enim* inquit, *poſſunt in tela huiuſcemodi* veſtes *fieri*. Si fœminalia opere textoris fieri non potuerunt: ne manuleatę quidem tunicæ profectò potuerunt. Dicat aliquis; Domini tunicam manicas non habuiſſe. Primum id parum eſt probabile: nam omnes ferè tunicæ, quæ ab honeſtioribus munimen contra frigus geſtabantur, erant manuleatæ: deinde hoc difficultatem non ſoluit. nam etiam demtis manicis, tunica clauſa vndique, vel etiam aperta, ſed quæ foramina habeat ad tranſmittenda brachia; opera textoris fieri nequit. nam veſtem quæ nullam habuerit ſuturam, oportuit nullo pacto fuiſſe inciſam. Quod igitur Iohannes ait, tunicam hanc fuiſſe inconſutilem; oſtendit diuerſam fuiſſe à communibus tunicis, quæ aut ῥαπταὶ erant, aut συμπορπηταί. Tunicas ῥαπτὰς appellant Græci, ex pluribus

pannis

pannis consutas ad latera & ad humeros. Talis fuit tunica lati claui Romanorum; vt illa Augusti, manicis carens, quæ togam virilem sumenti ad pedes decidit, quod esset, *resuta ex vtraque parte*, ait Suetonius cap. XCIIII. id autem intelligi debet de sutura quæ super humeris anticam partem cum postica committebat. In alijs tunicis hæc commissura fiebat fibulæ morsu. Hesychius; συμπορπητὸν, μὴ ῥαφαῖς συνειλημμένον κατὰ τοὺς ὤμους χιτώνια. in libris editis corruptissime prima dictio scripta est. Sed quod addit Iohannes, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι᾽ ὅλου, de communi textura quum nequeat accipi, vt probauimus: diuersũ fuisse à textura vulgata artificium tunicæ Dominicæ euincit. Vidit hoc beatus Chrysostomus, qui homilia in Iohannem LXXXV. sic de ea re scribit. Τινὲς δὲ τὸ εἶδος τοῦ χιτωνίσκου φασὶ τὸν Εὐαγγελιστὴν ἱστορεῖν· ἐπειδὴ γὰρ ἐν Παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες, οὕτως ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια, δηλῶν ὁ Ἰωάννης, ὅτι τοιοῦτος ἦν ὁ χιτωνίσκος, φησὶν, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντός. *Quidam putant, ipsam tunicæ formam, à Iohanne narrari. nam quia solent in Palæstina duos pannos committentes, vestimenta texere; Iohannes vt significet talem fuisse hanc tunicam, ait fuisse desuper* vel *à summo textam.* hæc Chrysostomus: quę nescio an alij intelligant: ego vix satis assequor. non enim capio, quî possit illa duorum pannorum commissura per texturam fieri, quod ille ait. Theophylactus more suo Chrysostomi verba describens, quædam de suo adijcit, declarandæ sententiæ. ἐν Παλαιστίνῃ, ait, δύο ῥάκη συμβάλλοντες, ἤτοι δύο πανία, ὑφαίνουσιν ἱμάτια, ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ συνυφασμῷ. quod dixerat Chrysostomus δύο ῥάκη, ille exponit δύο πανία, voce sui seculi, quæ idem significat, vt olim dicebamus ad Suetonium, libro II. cap. XXI. deinde addit Theophylactus, Palæstinos, duos illos pannos non sutura connectere, sed contextura, id est, connexione texendo facta: sed difficultatem quam modò proponebamus, non soluit his verbis Theophylactus. Isidorus Pelusiota epistola LXXIV. libri primi, difficilis nodi soluendi aliam init viam: in hoc cum Chrysostomo consentiens, quod illam tunicam peculiari artificio hominum Galilæorum in Palæstina vult fuisse elaboratam. artificium verò ipsum longe aliter, sic explicat, postquam dixit de vestis vilitate, qua soli vterentur pauperes Galilæorum; καθ᾽ οὓς, ait, καὶ μάλιστα, τὸ τοιοῦτον φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον, τέχνῃ τινὶ, ὡς αἱ στηθοδεσμίδες, διὰ κρουστοῦ ὑφαινόμεναι. *apud quos vel maxime indumentum eiusmodi solet fieri, & arte quadam texi pectinem retrorsum impellendo, vt fit in fascijs pectoralibus.* sic ille Isidori locus exponi debet, quem docti viri non intellexerunt. στηθοδεσμίδες sunt fasciæ pectorales, quarum B. Hieronymus & alij Græci Latinique scriptores faciunt mentionem. in homilia octaua Chrysostomi in priorem ad Timotheum, habes δέσιν τῆς περιστηθίδος; sed videtur

detur aliud esse. ἀνάκρουστὸν ὑφαίνειν peculiaris quędam est texendi ratio: non enim omnes eodem modo texebant. Erant qui tramam sursum impellerent: erant qui deorsum, vt Ægyptij, quorum propria instituta commemorans Herodotus in Euterpe, illud ponit inter prima. ὑφαίνουσι ait, οἱ μὲν ἄλλοι, ἄνω τὴν κρόκην ὠθέοντες, Αἰγύπτιοι δὲ, κάτω. alij antrorsum tramam impellebant, Palæstini in hoc vili genere vestis, retrorsum. Sed hoc quid sit cogitent eruditi. mihi difficultatem de qua ante diximus, hęc historia non videtur soluere: neque etiam exemplū, quod affert, de fascijs pectoralibus. & verò quid simile fascię angustę cum integra tunica manuleata? Theophylactus aptat huic loco morem texendi Aegyptiorum, quasi ita difficultas tolleretur; quod non ita est, vt modò dicebam. Sic ille: Ἄλλοι φασὶν ὅτι ἐν Παλαιστίνῃ ὑφαίνουσι τοὺς ἱστοὺς οὐχ ὡς παρ' ὑμῖν, ὄντων ἄνω μὲν τῶν μίτων καὶ τοῦ στήμονος, κάτω δὲ ὑφαινομένου τοῦ πηνίου, καὶ οὕτως ἀναβαίνοντος· ἀλλὰ τοὐναντίον κάτω μέν εἰσιν οἱ μίτοι ἄνω δὲ ὑφαίνεται τὸ ὕφασμα. Videtur locum Isidori Pelusiotę voluisse explicare: sed eius explicatio voci ἀνάκρουστὸν quam bene conuenit? Est hodie in vsu genus quoddam operum laneorum, binis pręlongis acubus factorum, cuiusmodi sunt tunicæ nocturnæ, tibialia quæ à stamine vocitantur, item alia; quorum operum confectio si fuit veteribus nota; nullum est dubium Domini hanc tunicam eo artificio fuisse confectam. An nota illa ars fuerit antiquis, non possum pro certo affirmare; nullum enim succurrit testimonium, vnde id possit liquido probari. Galenus in libro ad Thrasybulum, docens varias esse artes, quæ licet operationes admodum diuersas habeant, in summa tamen propositi conueniunt, atque adeo artis eiusdem partes diuersæ censeri debeant, ita scribit. Τὸ γοῦν ὑφαίνειν ἱμάτιον, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ κρόκας στήμοσι διαπλέκειν. ἆρ' οὖν ἕτερόν τι τούτου τὸ ῥάπτειν ἐστίν; οὐδαμῶς. ἀλλὰ κἀν τούτῳ διαπλέκονται κρόκαι στήμοσιν. ὡς εἴγε καὶ κατ' ἀρχὰς εὐθὺς ἐβούλετό τις ἄνευ τῆς ὑφαντικῆς ἐνεργείας ἑτέρῳ τρόπῳ διαπλέξαι τὰς κρόκας τοῖς στήμοσιν, ἤτοι καθ' ὃ νῦν ἠπῶνται τὰ ῥαγέντα τῶν ἱματίων· ἢ καθὸ τὰς ταλάρους, ἢ τὰς σπυρίδας, ἢ τὰ δίκτυα πλέκουσιν, ἐποίησεν ἂν οὐδὲν ἧττον ἱμάτιον, ἀλλ' ἐν χρόνῳ παμπόλλῳ· στοχαζόμενοι τοίνυν οὐχ ἁπλῶς τοῦ τέλους, ἀλλὰ τοῦ θᾶττον ἐξικέσθαι πρὸς αὐτὸ, τὴν διὰ τῶν ἱστῶν ἐπενόησαν ὑφαντικήν. Sensus est: Texere nihil aliud esse, nisi stamen & subtemen implicare & inter se miscere. id fieri non in ea solum arte quæ textoria & hyphantice dicitur: nam & sartores idem efficere. quod quidem mihi videtur ęgre ad nostros sartores trahi posse. Addit Galenus, potuisse initio excogitari aliam rationem texendi vestes: vel quomodo, inquit, resarciuntur laceræ vestes; vel quo pacto viminea opera nectuntur, vt quali, sportæ, retia. sed quia istæ rationes texendi plus multo temporis

poris desiderarent; propterea texturam esse inuentam, quæ exercetur per lignũ textorium, siue liciatorium. Ostendit hic locus, artificium illud quod diximus non fuisse tempore Galeni vulgo notum: non enim, opinor, fuisset prætermissurus. quod si id fuit alicubi cognitũ, vt in Palæstina, opera sic confecta recte possunt ὑφαντὰ dici. Euthymius scribit, Christi tunicam fuisse à superioribus partibus contextã *veluti sunt*, inquit, *apud nos capitis aut pedum hiemalia operimenta.* intelligit autem quæ hodie vocamus *feltra*, ex quibus cum alia conficiuntur, tum galeri. hæc materia veteribus fuit notissima. eius artifices Græci πιλοποιούς, Latini *coactiliarios* dixerunt: fit enim feltrum è lana coacta. operimenta pedum, quorum meminit Euthymius, ea sunt, quæ *impilia* appellat Vlpianus leg. x. Dig. De auro, arg. mund. vbi separantur ab vdonibus. Græci πίλους dicunt, quidam etiam ἐμπίλια vt alibi ostendimus. Sed hoc genus panni, quomodo potest dici à superioribus contextum, vt vult Euthymius? hodiernis feltris hoc nullo pacto videtur conuenire. Restat vltimum quæsitũ, paucis expediendum. Iohannis narratio clara est: pallio in quatuor partes secto, cuiq; militi partem cessisse. nullam hic sortitionem factam Iohannes commemorat: & verò opus non erat. tunc enim sorti res permittitur, cum non ita æquari partes potuerunt, vt non sit vna optabilior quàm alia. in pallij incisione facillimum fuit hoc incommodum vitare. quare igitur sortitio adhiberetur? de tunica alia res fuit: nam milites præoptarunt illam peruenire integram ad vnum, quàm laceratæ partes ad singulos. hic igitur sortitionem adhibitam narrat Euangelista. & ratio est manifestissima. Accedit quod sortitio de altera tantum veste facienda fuerat prædicta, non de vtraque. Nam dixit Dauid: *diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vesteẽ meã miserunt sortẽ.* neq; aliter Augustinus hanc historiam accepit. Toletus qui B. Augustinũ & alios eiusdem sententiæ reprehendit, ipse potius reprehendendus est. Vrget Toletus Marci verba, x v. 24. διεμέριζον τὰ ἱμάτια, βάλλοντες κλῆρον ἐπ' αὐτά. Sed facilis responsio: est enim figura κοινότης rhetoribus dicta: multi Theologi syllepsin nominant, vt B. Hieronymus in Matt. capite x x v i. & xv i i cum pluribus id tribuitur vel compendio dicendi, vel aliam ob caussam, quod est quorundam proprium. Sic Matth. x x v i i. 44. latrones Christo dicunt conuitia; id est, alter latronum. Sic Matth. x x v i. 8. discipuli murmurant: id est vnus è discipulis, Iudas. Iohan. x i i. 4. & ad Hebr. x i. 37. ἐπρίσθησαν *serrati sunt* vt etiam Hier. vertit: quum solus Isaias dicatur serra fuisse dissectus. Nonnus in paraphrasi huius loci Iohannis, longius recedens à verbis Euangelistæ, facit pallium & tunicam simul fuisse diuisa. idem tamen

mox

mox recte, de sola tunica factam sortitionem clare affirmat. sed quia omisit Nonnus verbum ἔλαβον, & omnia illa quæ in melioribus libris parentheseos notis includuntur, sententiam Iohannis non expressit solita felicitate. Affinis error Arabis interpretis, qui sic locum vertit, quasi scriptum inuenisset, ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ τὸν χιτῶνα. translatis ante parenthesin illis, *& tunicam*; quæ in omnibus codicibus Græcis & Latinis parenthesi rectè subijciuntur.

LXXXV. *Numerus clauorum in Cruce Domini.*

Anni XXXIV. Num. CXVIII.

QVod scribit Baronius, antiquissimas imagines Christũ repræsentare quatuor clauis ad crucem affixũ, vt Gregorius Turonensis scripsit; non tribus, vt Gregorius Naz. Nonnus & alij auctores prodiderunt; id valde confirmat Iosephi Scaligeri sententiam; existimantis binos pedes totidem clauis, non ad stipitem arrectarium, sed ad suppedaneum fuisse affigi solitos. Eum vide in Animaduersionibus Eusebianis.

LXXXVI. Elogia puniendorum *&* tituli punitorum *in Iure Rom. Mos Iudaicus, præco crimen puniendi declarabat. Baronij vana curiositas circa ordinem trium linguarum in Titulo Christi. Ostenditur futilitas rationum, quibus probare ipse voluit, vltimum locum fuisse nobilissimum.*

Anni XXXIV. Num. CXIX.

NOmen iuris Romani retinuit Iohannes cùm scripsit, XIX. 19. Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος. Nonnus eleganter: ἐπέγραφε μάρτυρι γόμφῳ γράμμα· τόσσον κηρύσσει Λατωίδι τίτλον ἰωῇ. In libris Romanorum affinia sunt, *elogia puniendorum*, vt apud Suetonium; *superdicta* voce præconis eorum qui puniebantur, vt in lege, *Si duo patroni*, Dig. De jurejurando. & *tituli* iam punitorum, vt in hoc loco Iohannis. quo pertinet eruditissimi Hesychij glossa, τίτλος πτυχίον ἐπίγραμμα ἔχων. *Titulus est pittacium continens inscriptionem.* In Tranquilli Domitiano cap. x. habetur hic titulus, *Impie locutus parmularius*, sed titulus eo loci non est fortasse ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας, vt doctis est visum. verùm est potius, superdictum quod præco pronunciauit dum ille paterfamilias trahitur ad supplicium, vel dum ad palum alligatur canibus obijciendus. Fuit & moris Iudaici, vt quoties de aliquo supplicium sumebatur, crimen propter quod ille peribat, populo significaretur

voce præconis. Auctor est Maimonides in perek XIII. eius libri ex opere Iad, quem non semel iam laudauimus; solitũ fieri, vt cum reus sententiam mortis passus, è loco iudicij exibat, ducendus ad supplicium, præcederet ipsum הכרוז κῆρυξ prǽco, & hæc verba diceret. ILLE EXIT OCCIDENDVS MORTE ILLA, QVIA TRANSGRESSVS EST TRANSGRESSIONE ILLA, IN LOCO ILLO, TEMPORE ILLO: ET SVNT EIVS REI TESTES ILLE ET ILLE. QVI NOVERIT ALIQVID AD EIVS INNOCENTIAM PROBANDAM VENIAT, ET LOQVATVR PRO EO. Sed titulus Cruci Christi affixus, more Græcorum & Romanorũ fuit conceptus, eleganti quadam breuitate omisso verbo; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ, vt recitatur à Marco: vel adiecto nomine, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. quomodo habet Iohannes. apud Matthǽum & Lucam leguntur amplius illa verba, οὗτός ἐστιν: quæ videntur non è titulo descripta, sed ab illis adiecta, sententiæ perficiendæ. Nec mirum varijs linguis titulum esse conceptum: nam ita moris fuit, Imperatorum etiam edicta per Græciam & Asiam duplici sermone proponere, Græco & Romano, vt declarant aliquot exempla apud Iosephum libro XIV. Quin ipsos quoque Imperatores aliquando rescripta sua lingua Græca concepisse, argumento est lex IX. Dig. De lege Rhodia, vbi libello Græco Eudæmonis Nicomediensis, Imperator Græce rescribit. Porrò quis fuerit seruatus ordo in titulis disponendis, non plane constat: quoniam Euangelistæ duo (nam reliqui duo omiserunt,) cum aliqua diuersitate eam partem historiæ narrant. Apud Iohannẽ hic est ordo: Hebraica inscriptio principem locum obtinet, sequitur Græca, & postremo Romana. contra, apud Lucam hæc series; Græca, Romana, Hebraica. Si caussam quæris diuersitatis; respondebo; Euangelistas rem momenti nullius, ordinem in istis inscriptionibus, neglexisse, & vt quidque illis veniebat in mentem, id scripsisse. ita illos sua incuriositate, nostram castigasse curiositatem, qui friuola sæpe sectamur, seria negligimus. Sin aliquam rationem sunt secuti Euangelistæ; haut dubie illa est, quam hic afferam: Iohannes ordinem naturæ & veritatis secutus est: Lucas eundem seruauit quem ipse Pilatus, aut Pilati ministri. Naturæ & veritati consentaneum esse, vt primo loco Hębraica ponantur, secundo Græca, tertio demũ Romana, neq; ignorare, neque negare potest quisquam, non plane insanus. Romanos autem sine discrimine in talibus modò Græca, modò Latina priore loco posuisse, ostendunt illa edicta, quæ recitantur à Iosepho lib. XIIII. In epistola Iulij Cæsaris ad Tyrios, ita scriptum: βούλομαι ἡ καὶ

Ἑλληνιστὶ καὶ Ῥωμαϊστὶ ἐν δέλτῳ χαλκῇ τοῦτο ἀνατεθῆναι. hic Græca anteponuntur Romanis. at in ipſo edicto ſic loquitur Cæſar: ἀνατεθῆναι δὲ χαλκῆν δέλτον ταῦτα περιέχουσαν, ἐγκεχαραγμένην γράμμασι Ῥωμαϊκοῖς τε καὶ Ἑλληνικοῖς. hic vice verſa Romanæ litteræ prius nominantur, deinde Græcæ. Ex quo apparet ipſos, Romanos aliquando antiquitatis rationem habuiſſe, & primas linguæ Gręcæ conceſſiſſe: aliquando imperij, & Romanam illi antepoſuiſſe. Vt mirari nemo debeat, titulos eo ordine fuiſſe diſpoſitos, quem indicat Lucas. Hæc vt ſcriberem, non propria voluntate ſum impulſus; qui talia curare friuolum duco, & nimij otij argumentum: ſed exemplo Baronij; qui de ordine in diſpoſitione horum titulorum ſeruato, ea philoſophatur iſto loco, quæ iure etiam pueri rideant. Trahit hiſtoriolam hanc in argumentum prærogatiuæ cuiuſdam linguæ Romanæ. Fecerat hoc iam ante in anno XVI. ſed diuerſo modo. Ibi, ſpreto ligno quod Romæ viſitur, ſpreta auctoritate Euangeliſtarum, Romanæ inſcriptioni primus locus Cenſoria quadam auctoritate vindicabatur: hic fidem habet Baronius & ligno Romano, & narrationi Iohannis, qui titulum Romanum in vltimum locum reiectum fuiſſe docent: ſed id factum eſſe honoris cauſſa, inanibus quibuſdam logis probare nititur. Profert legem XLVIII. Dig. De re iudicata: quæ hoc tantum continet: Decreta à Prætoribus Latine interponi debere. At hic quæſtio non eſt de Pilati decreto; ſed de titulo Crucis; qui profectò decreti pars non eſt. quin ſi vel maxime eſſet, tamen ea lex nihil faceret ad propoſitum. Non enim id quæritur, vtrum Romane an Græce titulus ille fuerit concipiendus: ſed quum varijs linguis fuerit conceptus, cui potiſſimnm locus primus fuerit attributus. quorſum igitur lex illa? Hac quia non ſucceſſit, aliam aggreditur viam. Probat aliquot exemplis infimum locum apud Romanos fuiſſe honeſtiſſimum. Hoc vero eſt paradoxum in Romana hiſtoria nunquam prius auditum. Exemplum è theatro petitum, alienum eſt. nam ibi Imperator & Patres in ima cauea ſedebant; non quia ille locus cenſeretur per ſe honoratiſſimus: ſed quia accommodatiſſimus ad audiendũ & videndũ. Eſt igitur manifeſtus paralogiſmus, παρὰ τὸ, τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. non enim cauſſa facti eſt, quam Baronius putat eſſe cauſſã. Idem iudicandũ de cæteris exemplis. *In triumpho*, inquit, *poſtremus locus eſt Imperatoris.* Primum nego hoc verũ eſſe: deinde falſam aſſignari cauſſam contendo. Triumphi Romani, ſiue potius pompæ triumphalis, duę partes erant. prior continebat ea quæ populo proponebantur ſpectanda: aurũ, argentũ, gemmę, ſimulacra vrbium captarũ, captiui nobiles, ipſe Imperator: poſterior ex ijs conſtabat, qui honoris

cauſſa

caussa Imperatoris currum prosequebantur. proximi erant cognati, propinqui, amici, Senatores illustres : deinde sequebantur turmæ ex Ordine equestri; postremò legiones. In priore parte seruata hæc ratio, vt semper cresceret spectaculum. Primo igitur loco traducebantur quæ minoris momenti erant: deinde sequebantur spectatu digniora: nihil autem dignius ducibus ipsis, quà victore quà victo : itaque agmen illud claudebat Imperatorius currus, quem proxime præcedebat dux captiuus & quicquid erat in pompa nobilissimum. Quare de hac parte pompæ priore vere dicit Baronius, postremum locum fuisse Imperatoris : sed caussam prodit falsissimam. non enim vltimus sequitur Imperator,quia vltimus locus honoratissimus: sed quia rerum spectandarum omnium maxima erat ipse Imp. At respectu totius pompæ, Imperatorem vltimũ processisse,tam falsum est,quàm quod falsissimum. quin potius in medio pompæ vniuersæ locatus, longum ordinem à tergo sequentium præcedebat. Liuius lib. XLV. de triumpho Æmylij Pauli. *Ipse postremò*, (postremus in priore pompæ parte;) *Paulus,in curru magnam,cum dignitate alia corporis,tum senecta ipsa maiestatem præ se ferens. Post currum inter alios illustres viros, filij duo, Q. Maximus & P. Scipio : deinde equites turmatim, & cohortes peditum, suis quæque ordinibus.* Sic in alijs triumphis. vide & Suetonium in Iulio capite XLIX. Ita reperitur verum etiam in pompa triumphali, quod alibi fere perpetuum fuit apud Romanos, vt, locus medius censeretur honoratissimus. Vltimum exemplum est de loco qui dicebatur Consularis in Conuiuijs. Res ita habet. Tribus fere lectis Romani sunt soliti sua conuiuia agitare. Honoris ratio spectabatur & in lectis, & in sedibus discumbentium in illis lectis. Lectus medius semper honoratissimus ; sedes item media cum terni accumbebant in eodem lecto : sin bini, locus superior honoratior erat. Hoc clarum est, & multis probatum à viris Romanæ antiquitatis peritissimis. Hæc instituta in eo qui dicebatur locus Consularis, ex parte sunt seruata, non penitus. Moris enim fuit, vt Consul in medio quidem lecto discumberet, quem diximus fuisse dignitatis præcipuæ: sed in vltimo loco, non medio, aut summo. Baronius putat eum fuisse Consulis locum, quia ea sedes honoratissima: sed verius dixisset, eam sedem fuisse honoratissimam, quia erat Consularis : per se non erat; neque honoris caussâ ille fuit locus Consuli attributus : sed propter alias rationes,quas inquirit Plutarchus, toto problemate III. libri primi Symposiacorum. Hîc mihi vide inter Plutarchum & Baronium notabile sententiarum discrimen. Ille scriptor eruditissimus ponit locum vltimum, etiam in medio lecto, minus honoratum

fuiſſe, quam vel medium, vel ſummum. cauſſam igitur rei extraordinariæ accurate inquirit. Pater Annalium ponit contrarium eſſe verum: inde argumenta ducit, ad probandum etiam in alijs actionibus vltimum locum præcelluiſſe : quod in hiſtoria & antiquitate Rom. merum eſt ψευδογράφημα, aliud nihil. Porrò cauſſas cur is locus in conuiuijs Conſuli fuerit aſſignatus, legant ſtudioſi apud Plut. melius enim ex illius diatribæ lectione intelligent Baronij errorem. Maneat igitur inconcuſſum axioma , quod omnium gentium conſenſu ſcimus firmatum ; vt locus vltimus, niſi peculiaris quædam ratio interueniat, cenſeatur minime omnium honoratus. Propterea Græci hominem conditionis humilis vocant κρασπεδίτην, quaſi vltima loca ſemper occupantem. Inde apud Plutarchum libro v. Problem. quinto, opponuntur ὁ κρασπεδίτης & ὁ κορυφαῖος. dicunt Græci & περιπέζιος, eodem ſenſu.

LXXXVII. Refutatur Baronij commentum de potione ad ſiſtendum ſanguinem.

ANNI XXXIV. Num. CXXIV.

DVplicem in hiſtoria paſſionis narrari potionem Chriſto exhibitam, antea monebamus. de priore ibi quædam obſeruauimus aduerſus prodigioſas Baronij interpretationes. de poſteriore jam videndum: nam & in huius hiſtoria ſubtilitatem Baronius exercet, neque neceſſariam, neque vllo pacto cum verbis Euangeliſtarum congruentem. Nos quidem non negamus, in narratione Euangeliſtarum Matthæi & Iohannis eſſe aliquid difficultatis; & doctis interpretibus, qui lucem præferre ſua induſtria ſunt conati, gratias magnas habemus : ſed nodum in ſirpo quæri non placet nobis. Id verò facit Baronius hoc loco, ſane quàm inſigniter: qui longa oratione probare conatur, ex hyſſopo, ſpongia & aceto medicamentum neſcio quod milites concinnaſſe, & Chriſto præbuiſſe, quod ſiſtendi ſauguinis vim haberet. At quid eſt hariolari, ſi hoc non eſt? Narratio Euangeliſtarum clara eſt: Chriſtus dixit, Sitio. milites, etſi per ſummum nefas Filio Dei illudunt, potionem malam ei præbendo; potionem tamen præbent. Iccirco Matthæus vtitur verbo ποτίζειν quod potum dare κυρίως ſignificat, non medicamentum. & Lucas ὄξος προσφέροντες acetum afferentes, non vtique tanquam medicamentum; ſed in potum; vel potius ad ſugendum: nam Domino qui manuum vſu carebat, ſuctus fuit pro potu. & ita intelligendum quod Iohannes ait, Chriſtum accepiſſe acetum. ἔλαβεν, inquit, ὄξος: id eſt

ſuxit

ſuxit acetum è ſpongia. Nonnus, Ἀλλ᾽ ὅτε πικρὸν ἔδεκτο ποτόν. pro ὀξεμύζησε. Iohannes verò omnem tergiuerſandi anſam Baronio præripit. Nam ſi verum eſt, quod ille tanta molitione voluit probare, ſiſtendo ſanguini medicamentum fuiſſe paratum; quare extremum arundinis ori admouetur? non enim ſanguinem ore Dominus reijciebat. cur non manibus potius aut pedibus admouebant? inde enim ſanguis manabat. Auctor Tragœdiæ, Chriſtus patiens: Ἄλλοι δ᾽ ὑσσώπῳ σπόγγον ὄξους ἔμπλεον χολῇ κεκερασμένου δ᾽ ἀνῆγον ἐς στόμα. Iam quum tam expreſſe notet Iohannes, hoc totum eſſe factum, vt impleretur Scriptura, quæ Chriſtũ in ſiti ſua aceto fore potandũ prædixerat; intolerabilis meo quidẽ judicio, audacia eſt, diuina oracula à genuino ſuo ſenſu in alienũ torquere. Quod teſtimonia congerit Baronius, vt euincat, ſiſtendi ſanguinis vim aceto, hyſſopo & ſpongię ineſſe: oleum videlicet & operã perdidit. Nam id quis negat? at nos illud aſſeueranter confirmamus, nihil horũ ita vſurpatum, vt fit hoc loco, eiuſmodi vim poſſe exerere. Quis fando vnquã audiuit, acetũ potu hauſtũ poſſe ſanguinẽ ſiſtere, qui ex vulnere accepto fluat? quis credat ſpongiã pro vehiculo liquoris vſurpatam, & ad ſugendum ori admotam, ſimile quid præſtandi vim habere? taceo de hyſſopo, de quo non ſatis conſtat, in quem finẽ milites adhibuerint. Nihil igitur hac ſua diligentia Baronius egit: dum noui aliquid afferendi cupidus, plus quam par erat ſategit.

LXXXVIII. *Acetum Chriſto à quibus exhibitum. Hyſſopum in ea hiſtoria ad quem vſum.* ὑσσώπῳ περιθεῖναι. *Variæ ſententiæ expenduntur.*

ANNI XXXIV. Num. CXXVI.

QVum non legamus in monte Caluariæ vllam fuiſſe habitationem; & modico ſaltem interuallo eum locum ab vrbe ſeiunctum fuiſſe conſtet; non abs re quæri ſolet, vnde illud vas aceto plenum, cuius mentionem facit Iohannes. Nonnus videtur exiſtimaſſe, propinquas domos aliquas fuiſſe, vbi ſit vas illud repertum, vel in alios vſus paratum, vel in gratiam fortaſſe puniendorum. καὶ ἑτοῖμον ἔην παρὰ γείτονι χώρῳ Ὄξεος ἔμπλεον ἄγγος. Legimus apud Maimonidem, pleraque omnia ad ſupplicij apparatum neceſſaria, ab hominibus pijs ſolita fuiſſe parari priuato ſumptu, & ſtudio. In earum rerũ ſenſum putem referendum & vas, & ſpongiam, & acetum, & arundinem, & hyſſopum. Acetum reficiendis miſeris, quos exanimaret pauor ſupplicij erat neceſſarium. Solet deliquium animi patientibus, acetum varie adhiberi. milites tamen non ea fine acetum Chriſto

prębent,

præbent, ſed loco potus. Et quidem acetum aqua dilutum vini loco bibiſſe milites Romanos & pauperes alios, certiſſimum eſt. itaq; genus quoddam aceti patresfamilias olim vini numero habuerunt, vt dicitur in lege II. Dig. De optione legata. lege 1. & 1 x. De trit. vin. vel ol. leg. & alibi. Verùm iſtud acetum non ad bibendum fuit comparatū, ſed ad reuocandū animū, ſi quis eſſet deliquium paſſus. quod igitur milites eo potant Chriſtum, non fuit hoc humanitatis officium; ſed Barbaræ immanitatis ſpecimen, vt implerentur prophetiæ. Lucas XXIII. 36. verbo ἐνέπαιζον ſceleratam eorum mentem oſtendit. Spongia vehiculum fuit aceti: arundo, vehiculum ſpongiæ. Hæc ſatis perſpicua ſunt & certa: de hyſſopo verò jam inde ab antiquiſſimis temporibus quæſtio eſt, adeo difficilis ad explicandum, vt videatur Elias exſpectandus, qui certi aliquid nos doceat. Ex comparatione verborum Matthæi & Iohannis videtur liquido conſtare, *hyſſopi* nomine hic intelligi aliquid, quod baculi vſum præbuerit, ad porrigendam ſpongiam. Matthæus ait: σπόγγον πλήσας ὄξους, καὶ περιθεὶς καλάμῳ. *quum impleuiſſet ſpongiam aceto, atque illam arundini circumpoſuiſſet*; id eſt, circa alterum extremum arundinis aptaſſet. Iohannes: πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες. *quum impleuiſſent ſpongiam aceto, atque eam hyſſopo circumpoſuiſſent.* eadem locutio, eadem verba: niſi quod alter καλάμῳ dixit, alter ὑσσώπῳ. quod autem vterque Euangeliſta rem intellexerit, aut verè eandem; aut ἀναλόγως & ratione vſus ad quam admouebatur, eandem, vix dubitare nos ſinit verbum περιθέντες; quod vt appoſitiſſimum eſt, ſi ſumatur vt apud Matthæum: ita ſi hyſſopum aliter interpretamur, vix ferri poteſt. Nam Baronius qui ex Græco textu ait colligi, acetum fuiſſe hyſſopo permixtum & conditum in vſum medicinæ, ſine dubio verba Græca ne inſpexerat quidem. falſiſſimum enim eſt quod ille ſcribit. σπόγγον ὑσσώπῳ περιτιθέναι quid ſit, nemo Græce doctus poſſet tuto exponere, propter nouitatem locutionis: niſi ex comparatione loci Matthæi intelligeretur, ὕσσωπον hic locum obtinere καλάμου. inde recte colligitur, ὑσσώπῳ περιτιθέναι eſſe aptare hyſſopo, & alligare. Sed obſtant huic expoſitioni duo; natura illius plantę; & veterum auctoritas, qui diuerſo modo ſunt interpretati. Hyſſopum inter plantas quæ vix terra ſe attollunt, etiam in Iudæa fuiſſe numeratam, (ne quis obijciat de ſinapi, quod dicitur Marci quarto, 31.) declarat quod legitur in Scripturis & ex illis apud Ioſephum; Solomonem plantarum hiſtoriam ſcripſiſſe ab hyſſopo ad cedrum; id eſt, à minima ad maximam. Iam veteres aliter eam vocem hic accepiſſe, palàm eſt ex interpretationibus Chryſoſtomi, Auguſtini, Nonni, Theophylacti. Omnes ſupplent ex Matthęo

nomen

nomen arundinis : & hyssopum putaret admixtum, non quidem propter vim aliquam sistendi sanguinis, vt hariolatur Baronius : sed propter aliquam facultatem venenatam, vt obscure significat Chrysostomus : ἐπεὶ κ̀ τὸ ὕσσωπον διὰ τοῦτο προσέκειται. *nam & hyssopum propterea adijcitur aceto*, quod dixerat capitis dannatis solitum propinari. Theophylactus verba Chrysostomi describens vt solet, addit, ὡς δηλητηριῶδες : *quia hyssopum venenatam vim habet.* Nonnus quoque Chrysostomum, vt puto, sequebatur, cum verba Iohannis exponens, ita loquutus est : ὤρεγεν ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ὀλέθρου. *Præbuit hyssopo permixtum pestis acetum.* B. Augustinus, non quia nocendi vim habeat hyssopum, existimauit fuisse adhibitum : sed per ludibrium, quoniam pectus purgat. *hyssopum*, ait, *herba est humilis & pectus purgat : quàm circumdederunt , & se circumuenisse putauerunt.* Et sane illudendi potius quàm nocendi animum habuisse milites , Lucæ verbum indicat, ἐνέπαιζον, *illudebant.* enimuero cruci affixo , & jamiam morituro, quid erat opus venenum parare ? nam quod nonnulli existimant , accelerandæ morti, vt à cruciatibus Christus liberaretur , id factum esse ; falluntur proculdubio, & barbarorum militum, qui humanitatis sensum nullum habuerunt, mentem male interpretantur. Arabs interpres nodum secuit, non soluit. neglecta enim significatione vocis hyssopum, quia judicabat idem Euangelistam hoc loco significare eo nomine voluisse, quod Matthæus significauit voce καλάμῳ ; vtramque dictionem vnica Arabica expressit, quæ arundinem cannamue significat, aut baculum. neque enim putem aliter legisse apud Iohannem illum paraphrastam : sed eam potius quam dixi, rationem interpretationis secutum esse. Ioachimus tamen Camerarius, nominis Germanici decus singulare, ingeniosissime conijciebat, initio scriptum fuisse apud Iohannem, ὑσσῷ περιπεθέντες, *extremo pilo circundantes.* de militibus Romanis Iohannes loquitur : ὑσσὸς pilum est , Romanæ militiæ proprium armorum genus. hanc coniecturam quanti fecerit Theodorus Beza, eius Notæ ostendunt. Lucas vero Brugensis, ne laudare Camerarium cogeretur, virum omni laudatione maiorem , illiberale facinus admittere non erubuit ; coniecturam pridem occupatam, nescio cui amico suo tribuens, tanquam recens ab eo excogitatam. Ego verò illam emendationem vt erudite adinuentam laudo , veram tamen non puto. editam enim lectionem omnes agnoscunt interpretes ; etiam Syrus, qui omnium, vt puto, vetustissimus. Accedit, quod pilum Romanum crassius telum fuit , quàm vt vsum arundinis commode posset præbere. deinde vtri extremitati pili spongiam dicemus circundatam ? qui pili descriptionem apud Polybium diligenter expenderit,

expenderit, intelliget, neutri ſine incommodo potuiſſe. Omitto periculum mutandi vel minimum apicem in libris ſacris, vbi præſertim conſtat de vulgatæ lectionis vetuſtate, niſi vltima vrgeat neceſſitas. Quare ſatius ἐπέχειν.

LXXXIX *Amplius de hyſſopo ex libris Rabbinorum, ad confirmandam ſententiam Chryſoſtomi & Theophyl. Locus Ioſephi, vbi hyſſopum arboribus accenſetur.*

IBIDEM.

QVia nihil magis inuitus facere ſoleo, quàm vt à Patrum diſcedam expoſitionibus: exponam hic paucis, quî poſſit ea vox hyſſopum proxime ad illorum mentem accipi. In Rabbinorũ ſcriptis legimus, hyſſopum, (quod ab Hebraica voce ita Græci nominarunt,) non vnius, ſed plurium plantarum commune nomen eſſe. Septem eius ſpecies ipſi enumerant, quarũ nomina apponemus: אזוב, אברתא, קורניתא, חשר, צתרי, סיאת & אזוביון ſiue, vt teſtatur Iohannes Mercerus profundæ in Hebraicis doctrinæ vir, ſe reperiſſe ſcriptum in ſcholio quodam ad tractatum Talmud de ſabbato, cap. XIV. duabus vocibus, אזוב יון *hyſſopum Græcanicum.* quibus nominibus Græcis hæ ſeptem appellationes reſpondeant, difficile eſt ſtatuere, vt recte idem Mercerus ſcribit· illam vero ſpeciem quam Rabbini *Abratham* nominant, ipſe exiſtimabat eſſe Græcorum & Romanorum abrotonum: Plinius libro XXI. cap. XXI. abrotonum tradit fuiſſe ſibi notum duorum generum. vtrique amaritudinem attribuit abſinthij, conſentiunt Galenus & alij medici. Fortaſſe igitur hanc hyſlopi ſpeciem ſpongiæ aceto plenæ adiunxerunt milites: ipſo etiam, vt videtur, eius ſucco in ſpongiam expreſſo: idque eo conſilio, vt potionem Domino pararent penitus amaram, penitus ingratam. antea potatus fuerat aceto, cui erat fel permixtum: milites in eundem finem hyſſopum abratham, ſiue ábrotonum miſcent. Quod igitur ait Iohannes de ſpongia, ϗ ὑσσώπῳ περιθέντες, *poſtquam illam hyſſopo circumdediſſent*; ex Matthæo explicabimus, vt monet Auguſtinus, & ita accipiemus, quaſi dixiſſet Iohannes, aptarunt ſpongiam hyſſopo, quod erat ſummæ arundini alligatum: itáque & ſpongiam & hyſſopum concinnarunt, vt poſtquam extremum arundinis ori Chriſti eſſet admotum, quicquid ſugeret liquoris, abrotoni amaritudine magis magiſq; inficeretur. Hæc explicatio ad Auguſtini, Nonni, & aliorum veterum interpretationem proxime accedit; & lectionem omnium codicum, atque omnium ſeculorum ſeruat. Omnino, ſi è tot generibus

bus hyssopi aliquod fuisse probari posset, paullo magis grandescens, & attollens se altius, vt ex eo virgæ aut baculi potuerint fieri, quales videmus è feniculo, similibusque plantis comparari, planior, facilior, & certior esset explicatio. Atque in eam sententiam non male fortasse trahantur Iosephi verba, qui de libris à Salomone scriptis loquens, hyssopũ appellatione arboris complectitur. Sic ille libro VIII. cap. II. καθ' ἕκαστον εἶδος δένδρου, παραβολὴν εἶπεν, ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου. *de quaq; specie arboris, parabolã dixit, ab hyssopo vsq; ad cedrũ.* non dixit, *de quaq; specie* φυτοῦ *plantæ*; sed δένδρου *arboris.* & in Hebraica veritate eo quem his verbis expressit Iosephus loco, extat vox עצים. notũ autẽ est, non multo aliter Hebręos distinguere inter דשא & עשב itẽ עץ quam faciant Græci inter πόαν, θάμνον aut φρύγανον, & δένδρον: Latini inter herbã, fruticẽ, & arborẽ. vt affirmare posse videamur, hyssopũ in Palæstina arbusculis aut fruticibus potuisse accenseri. ex quo sequitur, bacillos ex hyssopo concinnari potuisse. Cyrillus sane non aliter accepit; qui Iohannẽ cum Matthęo ita cõponit, vt dicat plures fuisse impietatis ministros, & alios calamo, alios ligno hyssopi esse vsos. Secutus est eam cum Cyrillo interpretationẽ etiã auctor Tragœdię Christus patiens.

Ἄλλοι μὲν αὐτοῦ καλάμῳ κάρα καταβόλῳ
Ἔβαλλον, αὐτίπυργον εἰσβεβῶτες (mali ἀμβεβῶτες, *quum ascendissent*) πέτραν.
Ἄλλοι δ' ὑσσώπῳ σπόγγον ὄξους ἔμπλεον
Χολῇ κεκερασμένου δ' ἀνῆγον εἰς στόμα.

alij, inquit, *arundine caput Christi feriebant, saxo conscenso, instàr turris alto: alij spongiam aceti plenam, quod erat felle temperatum, hyssopo attollebant & ori eius admouebant.*

LXXXX. *Mos tollendi è patibulo corpora punitorum ante Solis occasum: & in eo Baronij hallucinatio.*

ANNI XXXIV. Num. CXXVI.

SCribit Baronius fuisse moris, vt cruciarij fractura ossium ante Solis occasum ad vesperum necarentur. Atq; ille hoc scribit de Romanis militibus loquens, qui Christum crucifixerunt. Videtur igitur hoc dicere: Romanorum eam fuisse consuetudinem. sed hoc falsum: nam qui ex legibus Romanorum crucifigebantur, in Cruce relinquebantur, vt probat nobile apud Petronium exemplum, & similia alia: nisi caussa aliqua interueniret, propter quam deponeretur permissu magistratus, qui ipsius iussu fuerat affixus. Sin de Hebræis sensit Baronius, & fuisse hunc illorum morem credidit; magis etiam falsus est & fefellit. nam neque Crucis supplicium apud Iudæos fuit in vsu, vt

ante probauimus: neque crurifragium inter vsitatas illis pœnas vsquam legitur. Decepit Baronium memoria sua, sed insigniter. legerat aliquot locis apud Mosem pręceptum, vt qui suspensi fuissent ante Solis occasum deponerentur. hoc ille retulit ad crucem & cruciarios; atqui Moses loquitur de ijs qui lapidatione obruti, postea in patibulo fuerant expositi ad exemplum. Vide Mosem, & præcepta affirmantia sub finem, & libros Rabbinorum.

XCI. *Obseruatio de velo scisso in morte Domini.*

Anni XXXIV. Num. CXXVII.

INter ἄπορα Scripturarum videtur ponenda quæstio, quam mox nullo negotio Baronius decidit; vtrum è duobus Templi velis fuerit scissum statim à morte Domini nostri. Duo fuisse vela in Templo quod Herodes instaurauerat, ex Iosepho discimus, Belli Iud. libro quinto cap. XIV. Non est dubium & eos qui præerant fabricæ Templi post reditum à captiuitate exstructi, & eos qui operi Herodiano, secutos esse exemplum Salomonici Templi. Atqui non desunt viri doctissimi, qui in templo à Salomone ædificato, vnum dumtaxat fuisse aulæum existiment, quia in II. Paralip. III. 14. vnius dumtaxat fit mentio. In primo autem Regum (Latinis III.) cap. sexto, ne vnius quidem. sed quum in veteri Tabernaculo fuerint duo, quæ aperte describuntur capitibus XXVI. & XXXVI. Exodi; vix simile fit veri in Templo Salomonico vnum dumtaxat aulęum fuisse. quare Iosephus in eius Templi descriptione duo commemorat, libro octauo, cap. II. Sunt qui obseruent, Matthæum & Marcũ sic loqui de hoc velo, quasi vnicũ in Templo tũ fuisset. id enim videtur articulus significare, cùm dicitur, τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη. Sed moneo Tirones, in exponendis Scripturis, tunc demum vrgeri posse articulos, cùm neq; rationes Theologicæ, neq; historia repugnat: quod non semel in Commentarijs ijs suis in Iohannẽ monet Chrysostomus: & nos alibi multis exemplis declaramus. Igitur apud Matthęum & Marcũ aut articuli ratio habenda non est; aut si illũ vrgere volumus, dicemus, certũ quidẽ velum denotari, propter articulũ; nempe illud quod scissum est: (sic enim verba Euangelistarũ accipienda, quasi dicerent; velũ quod scissũ est in Templo, tunc fuisse scissũ:) sed non id significari, vnicũ tantũ in Templo velũ fuisse. Porrò vtrum è duobus Matthęus & Marcus intellexerint, statui hodie pro certo possę non existimamus. Hieronymus & alij quidam è veteribus de exteriore acceperunt, quos Baronius sequitur. Cyrillus & item alij de interiore, quod inter sanctũ & sanctũ sanctorũ pepẽdit: neq; est horũ quàm illorũ minus probabilis opinio.

Hîc vero prætereundum silentio non est; historiam, siue potius miraculum veli huius ad Domini mortem scissi, ita passim omnibus in vrbe sancta innotuisse: vt ipsi etiam Rabbini veteres, infensissimi Christi hostes, in suis scriptis mentionem eius fecerint. Nam vt nuper obseruatum est à doctissimo amico nostro Iohanne Buxtorfio, linguæ Hebraicæ & omnium Iudaicorum institutorum peritissimo, in Ioma tractatu Talmudico, inter alia signa infausta, quæ Templi destructionem portendebant, hoc etiam commemoratur; quod Templi fores sponte sua sese aperuerint, idque annis quadraginta ante excidium. Hanc enim narrationem Rabbinicam, omnino pertinere ad veli scissuram Euangelistis memoratam, recte & vere eximius ille vir autumat.

XCII. *Locus Phlegontis exponitur.*

Anni XXXIV. Num. CXXVIII.

PHlegon, inquit Baronius, terræmotus meminit, qui ad Christi mortem est factus. Phlegontis verba sunt, è libro XIII. Chronicorum. Τῷ δ' ἔτει τῆς σβ' Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον. καὶ νὺξ ὥρᾳ ϛ' τῆς ἡμέρας ἐγένετο. ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος, τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. *Anno quarto Olympiadis* CCII.*e* *fuit Solis eclipsis omnium prius cognitarum maxima. hora enim diei sexta nox facta est, adeo vt stellæ in cœlo apparerent. Terræmotus quoq; magnus in Bithynia contigit, qui Nicææ vrbis partem magnam solo æquauit.* Phlegon, vt vides, annum indicat, quo accidit hic terræ motus: mensem aut diem non indicat. Patres tamen, quia ille hanc narrationem subijcit statim post narratam Solis obscurationem, (ipse ecclipsin veram esse credidit:) quæ Domino patiente accidit; ex eo collegerunt terræmotum Phlegonti memoratum, eum esse cuius meminerunt Euangelistę; licet videatur sensisse Phlegon, in sola Bithynia eum accidisse. Vt non sit necessaria Patrum coniectura, est tamen probabilis. Vide Chronicum Græcum Eusebianum in anno Tiberij XV.

XCIII. *Eusebij & Hieronymi hallucinatio in loco Iosephi. Baronij iniquitas insignis.*

Ibidem.

ILlud verò quod sequitur, neq; verum est, neq; probabile, sed mera est Hieronymi atque Eusebij hallucinatio. Scribunt illi, tempore passionis Domini, Præsides Templi virtutes alta voce exclamasse, ΜΕΤΑΒΑΙΝΩΜΕΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ, Transeamvs Ex His Sedibvs. scribunt autem ambo, tanquam Iosepho prius dictum:

testem enim illum laudant, & testem solum. Extat locus Iosephi, Ἁλώσεως libro sexto cap. XXXI. narrat autem hoc Iosephus inter prodigia quæ vrbis & Templi excidium antecesserunt, & vocem illam ait auditam noctu, tempore Pentecostes, anno ante captam euersamq; vrbem sexto, Christi LXV. Hieronymus tamen & Eusebius ita rem ex Iosepho recitant, quasi ille scripsisset circa tempus passionis id accidisse. Verba Hieronymi sunt in epistola ad Marcellam sub nomine Paulæ & Eustochij : *Deniq; etiam Iosephum, qui vernaculus est scriptor Iudæorum, asserere : illo tempore, quo crucifixus est Dominus, ex adytis Templi virtutum cælestium erupisse voces dicentium,* TRANSMIGREMVS EX HIS SEDIBVS. Obseruet candidus lector, non simpliciter Hieronymũ dicere hoc ita accidisse: sed Iosephum scribere, tempore passionis id contigisse. Eusebius in Chronico aliquanto aliter & ad veritatem propius : *Iosephus vernaculus Iudæorum scriptor, circa hæc tempora die Pentecostes, Sacerdotes primum commotiones locorum & quosdam sonitus sensisse testatur : deinde ex adyto Templi, repentinam subito erupisse vocem dicentium,* TRANSMIGREMVS EX HIS SEDIBVS. Si dicerent Eusebius & Hieronymus, rem accidisse quam narrant, neque testem fidei suæ Iosephum laudarent; non dubitarem quin esset illis credendum : nunc, quis non intelligit humanitus illos errasse, & in tempore auditæ vocis insigniter esse lapsos ? Itaque ne constant quidem sibi, & rem eandem varie narrant, hoc est, varijs modis deprauant. Vide Lector quę notat Iosephus Scaliger, ad numerum Eusebianum MMXLIV. Baronij verò iniquitatem nescio dicam, an supinitatem incredibilem, quis ferat ? Parum est, quod errorem adeo manifestum non animaduertit : ille verò Iosephum etiam accusat, & vel crassa negligentia, vel insigni malitia tempora vult confudisse. vtrumque tam falso insigni illi scriptori obijcitur, quàm potuit vtrumque Baronio vere.

XCII. Baronius ab interprete deceptus. κατὰ τὸ Παλώδης.

ANNI XXXIV. Num. CXXIX.

NArrationem de morte Panis, non ex Plutarcho describit Baronius, sed ex Eusebij libris De præparatione. Id eximium Eusebij opus, quàm bonum nactus sit interpretem nescio : nunquam enim in manus meas incidit. Interpretatio quam affert Baronius multis locis mendosa est : cætera omitto. at κατὰ τὸ Παλώδης verti *iuxta paludem*, ridiculum est. Plutarchus appellat τὸ Παλώδης, quem Strabo libro VII. nominat portum Pelodem. ὁ καλούμενος Πηλώδης λιμήν. portus erat insignis; ad cuius ingressum Buthrotum, oppidum non obscurum, colonia Romanorum erat situm. meminit & Ptolemæus.

XCIII. *De duobus Longinis. Metaphrastæ fabulæ.*

Anni XXXIV. Num. CXXXI.

IN historia mortis Christi & eius Centurionis qui dicitur Christum glorificasse, Lucæ XXIV. 47. duos Longinos commemorat Baronius; quorum vterque Centurio ille Romanus fuisse dicitur, cuius in Euangelijs fit mentio. Et Baronius quidem horum Longinorum alterum reijcit, tanquam ex Apocryphis productum: alterum retinet probatque. sed vnde prolatum? ex quo veteri scriptore à paucis seculis erutum? nam tot Euangeliorum interpretes antiqui, verbum de isto Longino nullum. de eodem apud alios scriptores veteres οὐδὲ γρῦ. In Tragœdia *Christus patiens*, conuersi Centurionis fit expressa mentio: sed nullus ibi Longinus memoratur ἀπὸ τῆς λόγχης ita dictus. Scimus extare id nomen in Martyrologijs Græcis & Romanis: sed ne hæc quidem testimonia satis congruunt. Nam Græca in die XVI. Octobris nomen hoc referunt: Romana in XV. Martij. deinde quis scit quando primum illo nomine facta sunt auctiora Martyrologia? Nos ex historia Ecclesiastica possumus non vnum Longinum proferre, qui martyrium pro Christo sit passus. & fuit quidam Diocletiani, si satis memini, temporibus, eo nomine & miles & martyr. Fieri potest, vt vel hic, vel alius quis, sacro Catalogo fuerit merito suo adscriptus: qui postea in commentitium istum Longinum fuerit conuersus. Non ignoramus in Manuali quod extat inter Augustini opera, Longinum istum Centurionem nominari: verum jam olim recte monuit Erasmus, eum librum Augustini non esse? Metaphrastæ qui vitam & res gestas Longini istius scripsit, tantum tribuimus nos, quantum ei debet, qui diligentia quidem summa, sed judicio nullo in ea collectione sit versatus: neque aliter Baronius judicat, quoties intendit animum: quod vtinam semper fecisset. Ne alia loca eius proferam, in quibus Metaphrasten, vt anilium sæpe fabularum hamaxariũ seuere castigat: in hac ipsa historia non constat ipse sibi. Hic & numero 191. vt auctorem locupletem rerum Longini illum laudat: at in anno XXXVIII. quasi ductus pœnitentia sic de illo scribit: *si fidem adhibendam putamus Actis Longini Centurionis à Metaphraste recitatis.* Apparet ipsum cum illa scribebat ijs Actis parum omnino fidei tribuisse. & merito. Nam vnde illa prodierunt, nisi è libris Apocryphis? atqui alterum Longinum respuit Baronius eam ob caussam. In caussa pari cur erunt diuersa judicia? Ego suspicor id commentum Gelasij Papæ temporibus recentius esse. Nam quod in decreto ejus Papæ & Ro-

mani

mani Concilij super libris Apocryphis, inter tot similes quisquilias, Actorum Longini huius nulla fit mentio; vix putem aliam eius silentij caussam esse, nisi hanc: quod ætate illa nullum eiusmodi scriptum in manibus hominum adhuc ceperat versari. De Metaphrasta non multo aliter quàm nos pronuntiat Bellarminus, in nupero libro de scriptoribus Ecclesiasticis. Germanus Patriarcha, qui Longini meminit, cordatos viros non multum mouebit.

XCVI. *Quæstiunculæ de aqua & sanguine manantibus è latere Christi. Tragœdia de passione Christi emendatur. An B. Maria eum sanguinē collegerit. Metaphrastæ fabula.*

ANNI XXXIV. Num. CXXXII.

E Latere Christi, lancea militis perfossi, sanguinem manasse & aquam, narrat Iohannes. Id vtrum physica ratione sit factum, vt quidam magni nominis Theologi existimant; an miraculo, vt narratio Iohannis insinuat, si diligenter attendatur, & Patres crediderunt; quæri solet: item, vtrum mixtim sanguis & aqua fluxerint, an seperatim, de quo non arbitror dubitandum: etsi videtur affirmare contrarium auctor Tragœdiæ Christus patiens, istis versibus;

Ὁρᾶθ᾽ ὁρᾶτε πῶς διπλοῦς κρουνὸς ῥέει
Πλευρᾶς, αἷμά τε καὶ πεφυρμένον ποτόν.

nam πεφυρμένον ποτὸν est aqua permixta sanguini. iterum mox:

Πλευρᾶς νενυγμένης δὲ θαυμαστὸν νᾶμα
Ἔσταξεν εὐθὺς, αἷμα τε πεφυρμένον.

sed error librariorum est insignis & manifestus: nam contrariam sententiam, quæ sine dubio vera est, paullo post proponit ille poeta, cum ait:

Πλευρᾶς νενυγμένης δὲ θαυμαστῶς ὕδωρ
Ἔσταξεν εὐθὺς αἷμα τ᾽ οὐ πεφυρμένον.

Latere perforato statim cum miraculo aqua manauit, & sanguis non permixtus. quare superiores versiculi ex his sine dubio sunt emendandi. priore loco scribendum, αἷμά τε καὶ οὐ πεφυρμένον ποτόν. *sanguis & potus, id est aqua, non confusa.* vel αἵματι μὴ πεφ. π. posteriore sic: αἷμα τ᾽ οὐ πεφ. hoc amplius quæritur, vtrum simul duobus αὐλοῖς vt appellat Homerus, id est κρουνοῖς, *salientibus* & quasi riuulis vterque liquor manarit, vt placet Cyrillo in Commentarijs; & Gregorius Naz. siue Apollinaris Laodicenus in illa Tragœdia sæpe commemorat διπλοῦν κρουνόν. an successiue; putà sanguis prius, deinde aqua, vt in Nonni versu; Πρῶτα μὲν αἷμα χύθη, μετέπειτα δὲ θέσκελον ὕδωρ. Hæc & similia his alia, (cuiusmodi sunt quæ tractat Humbertus contra Nicetam) de hac historia

quum

quum possint non absurde quæri: Baronius ea omnia prætermittit, & hoc tantum diligenter adnotat; B. Virginem, magna cum reuerentia sanguinem illum & aquam collegisse. Et quidem, si collegit Maria quod è Filij latere fluxit, cum reuerentia collegisse non dubito. Sed quomodo collegit? vbi reposuit? vtramque ad rem vasculis quibusdam fuisse opus, omnes intelligunt. Ea instrumenta B. Virgo domo, vt opinor, non attulit. neque enim notum habuit, latus Christi à milite fore aperiendum. & quum opinio sit communior, miraculo factum esse, quod narratur factum, non ex more aliquo aut naturalibus caussis; non potuit ab aliquo mortalium præuideri miraculum. Potest dici, Christum B. Virgini, quod futurum erat indicasse: sed hoc quàm facile fingitur, tam facile reijcitur. Restat vt dicamus, eiusmodi vascula in loco supplicij reperta esse: quod loci circunstantia facit parum probabile: in monte; interuallo saltem modico ab vrbe; nullis ibi ædificijs, vt est veri simillimum. Deinde si collegit Maria illos liquores, collegit sine dubio, vt illos seruaret. At hoc nouum est & illis temporibus inauditum. Non Scriptura, non primorum seculorum auctores, tale quid indicant. Enimuero mirum est, si Maria illa cimelia seruabat, & ea fuit doctrina primò nascentis Ecclesiæ, tot seculorum homines ignorasse, quid factum esset illis reliquijs. Primus enim, quod quidem hodie sciatur, Metaphrastes, scriptor oppido recens, & persæpe vanissimus, magnusque fabularum anilium consarcinator, eius rei meminit. Et dicit quidem Metaphrastes, hanc narratiunculam expositam fuisse à *linguis quæ plurimi faciunt veritatem*: sic enim loquitur: sed beasset nos, si auctores suos prodidisset. fieri enim potest, vt tale quid vel apud poetam legisset, vel apud scriptorem alium, qui suas meditationes, non rem gestam, literis mandasset. Nam & Baronius hoc loco fatetur plures id fecisse. Ipsum quoque Metaphrastem multa in illa oratione de vita & dormitione Deiparæ ex coniectura scripsisse, non fide historica, ipse testatum abunde fecit non vno loco; vt cum in eadem narratione scribit. *Tunc verisimile est Deiparam, sibi data facultate ad eum accessisse, & intemeratos quidem eius pedes, & impressas eis plagas libenter esse deosculatam, & sanguine miscentem lacrymas, oculos & genas attriuisse cum maximo autem animi motu eum adspicientem dixisse: Quid hæc sunt, ô Domine & Deus. &c.* Vides licentiam dramatico alicui poetæ magis conuenientem, aut scholastico declamatori, quàm historico veritatem professo. nam & res fingit & verba. Quin affirmare non verear, in illa oratione Metaphrastæ reperiri non pauca audacius ficta, quàm fictum est argumentum Tragœdiæ quæ inscribitur *Christus patiens*. Illius inquam Tragœdiæ auctor, siue is est Gregorius

gorius Nazianz. siue Apollinaris, non longius abit ab Euangelicæ historiæ simplicitate, quàm fecit Metaphrastes in oratione illa. Quare etiam videri possit bonus ille historicus nonnulla ex eo poemate desumpsisse, & historiæ colore tinxisse; quæ mera erant poetæ figmenta. Exemplo sit illud ipsum, quod affert Baronius de sanguine & aqua collectis à Maria cum è latere Christi fluerent. Nam etiam Poeta in ea Tragœdia aliquid dixit eiusmodi, sed probabilius multo quàm ab historico factum. Ait Poeta, Mariam cum latus Christo est perfossum cruci adstitisse, pedes osculantem, & manantes liquores caua manu excepisse, ac de scelere in Filium admisso multa esse questam. Non dicit Poeta, Mariam in vsum reliquiarum sanguinem illum & aquam collegisse ac seruasse. Metaphrastes verò, etsi Poetam videtur imitari, sic tamen rem narrat, vt videatur id voluisse qnod dixi significare. Poetæ verba sunt:

Ὤιμωξε δ' εὐθύς, καὶ περιπτύσσει πόδας,
Καὶ χεροῖν ἠρύσατο δικρύνου ῥοῆς. Κυνοῦσα τ' αὐδᾷ τοιάδε.

Metaphrastæ hæc: *Deipara cum post mortẽ Filij perinde ac si viueret ex eius latere aqua & sanguis scaturiret, illa eum haurit reuerenter, & diligenter.* Et imitatur Poetam, & Poetæ figmentum etiam adauget. Negat tamen Baronius hoc loco, vel poeticas fictiones quæ in ea Tragœdia legantur, vel aliorum auctorum meditationes, Annales suos decere: sed non cogitauit; ille se dum sequitur Metaphrastam, quas fabulas foribus excludebat; per posticum admittere.

XCVII. *Error Baronij in affingenda falsa sententia Mosi Maimonidæ. Instrumenta supplicij cum supplicio affectis sepulta apud Iudæos.* Alphesi. ℞. Iacobus Turim.

ANNI XXXIV. Num. CXXXIV.

SOlet euenire ijs qui aliena industria scripta sua adornant, vt quæ fuerint sibi fideliter suggesta, ea sæpe male recitando faciant sua. Hoc fere toties Baronio accidisse obseruauimus, quoties ille deprõptas è libris Rabbinorum obseruationes Annalibus suis, tanquam emblema aliquod vermiculatum, inseruit. Illius rei exemplum extat in ijs, quæ occasione sepulturæ Domini de moribus Iudæorum in sepeliendis suis mortuis, nescio à quo accepta commemorat. Nemo enim vel leuissime tinctus illarum literarum notitia, verba illius leget; quin statim animaduersurus sit, de ijs rebus ipsum loqui, quas parum haberet notas. Cætera omitto, quæ ad propositum non faciunt; sed quod ait Mosem Aegyptium auctorem esse, inter cætera Iudaicorum

suppliciorum

ſuppliciorum inſtrumenta, clauos ſolitos ſepeliri; & cruciarios ad lignum exciſum fuiſſe ſuffixos,non ad arborem : id quia pertinet ad ſuperiorem de cruce diſputationem,non prætermittemus. Nam ſi verum eſt, Moſem Ægyptium in deſcribendis ritibus ſuppliciorum Iudaicorum crucifixionis meminiſſe & clauorum,ſtare non poſſunt,quę aduerſus Baronium in ſuperioribus diſputauimus. Sed errauit Baronius,& ſuggeſtum ſibi locum magni ſcriptoris,malo exemplo in ſuam ſententiam detorſit.' Nos verò negamus, vel crucifixionis vel clauorum vllam eo loco à Maimonide fieri mentionem. Sententiam Moſis è perek x v. illius libri cuius ſæpe antea meminimus, non eleganter, ſed fideliter expreſſam, infra ſubiecimus. Is igitur, poſtquam dixit, lapidibus obrutorum cadauera ſolere ſuſpendi ad horas aliquot; & modum ſuſpenſionis Iudaicum declarauit, à crucifixione longe diuerſiſſimum, addit hæc : *Non ſuſpendunt ſuper arbore quæ radicibus ſolo adhæreat : ſed ſuper ligno eradicato: vt ne ſit eius exciſio moleſta. Nam lignum ſuper quo fuit aliquis ſuſpenſus, cum ſuſpendioſo ſepelitur : ne maneat illi malum nomen,& dicant homines, iſtud eſt lignum in quo ſuſpenſus eſt ille,* ὁ δεῖνα. *Sic lapis quo aliquis fuit lapidatus; & gladius quo fuit occiſus is qui eſt occiſus: & ſudarium, ſiue mantile, quo fuit aliquis ſtrangulatus; omnia hæc cum ijs qui perierunt ſepeliuntur.* Iudica nunc Lector de fide horum Annalium. Præter Maimonidam laudat Baronius, & librum Alpheſi & Rabbinum Iacob Turim : etiam hæc ex aliena fide, vt res arguit. Putauit Alpheſi nomen eſſe libri, non ſcriptoris. & verum quidem eſt, extare inter libros Iudaicos quaſi compendium Talmud, vt ait Baronius, ſub hoc titulo : ſed ignorauit Baronius,id eſſe nomen eius Rabbini, qui eam ſyllogen confecit. obſeruo laudari in Commentarijs ad Iad Maimonidę, ר״י אלפס Rabbi Iudam aut Ioſephum Alphes, qui an hic ſit, non facile dixerim. Quis autem ille eſt, quem nominat Baronius *Iacobum Turim* ? Hîc vero conditor Annalium hallucinatus eſt inſigniter : perinde enim fecit, vt ſi quis inter auctores laudaret *Tullium de natura*, & M. Tullium intelligeret, qui ſcripſit de natura Deorum. R. Iacob, filius R. Aſcher, ante annos trecentos & quod excurrit, librum ſcripſit, ספר ארבע טורים *Liber Arba Turim*, ſiue quatuor ordines : opus eſt Talmudicũ in quatuor partes diuiſũ, quod titulus indicat. nuper eum librum in illuſtri Bibliotheca Bodlæana, Oxonij, editũ Cremonæ inſpexi, ſed obiter inter plures alios Hebraicos Baronius nomen auctoris cum libri titulo imprudenter confudit.

XCVIII. *De forma ſepulcrorum Iudaicorum obſeruationes è ſcriptis Iudæorum.*

IBIDEM.

HIſtoria ſepulcri in quo repoſitum eſt corpus Domini de cruce depoſitum, difficultatibus non caret : de quibus prius quàm dicimus, iuuat commemorare hoc loco, quæ de forma ſepulcrorum Iudaicorum in Talmudicis & Rabbinicis ſcriptis obſeruauimus. Scribit R. Samuel ben Meir, priſcis Iudæis fuiſſe in more, vt non ſepelirentur ſinguli ſeparatim à ſuis, ſed tota familia in ſpelunca vna, conditis ſingulis corporibus in ſeparatis foraminibus. hoc enim volunt hæc illius verba : כל אחד בכוך בפני עצמו. Propterea ſolebant ſinguli patresfamilias, ſi proprium monumentũ ſibi & ſuis non accepiſſent à parentibus, pretio locum ſibi parare in eum vſum. In Talmud *ſeder Nezikin*, ſiue parte quarta, libro III. *Baua batra*, cap. ſexto, vbi de rerum acquiſitionibus diſſeritur, diſcimus, fuiſſe hoc ius apud Iudæos, vt ſi quis monumentum ab aliquo emere vellet, aut locare faciendum, venditor aut manceps operæ teneretur cauernam in petra excauare, ד אמות על שש *quatuor cubitorum ſupra ſex*; id eſt, vt videtur, longam ſex, latam quatuor cubitos: in ea autem cauerna octo (alij volunt tredecim) cauanda erant foramina, ad ſingula corpora reponenda. Addunt, ante os ſpeluncæ fuiſſe faciendum חצר atrium. Eadem habentur apud Moſem Ægyptium in Iad, lib. XII. ſectione *Mecira*, cap. XXI. Igitur in hiſtoria Chriſti μνημεῖον λαξευτὸν, *monumentum in ſaxo inciſum*, Lucæ XXIII. 53. & Matth. XXVII. 60. μνημεῖον ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ. *monumentum, quod Ioſephus inciderat in petra*, eſt ille locus qui dicitur in ſcriptis Rabbinorum, קבר *keber* ſepulcrum, à fine, & מערה *mahara*, ſpelunca, ſiue antrum à forma : quoniam, vt modò dicebamus ex Euangeliſtis, cauabatur locus in petra, ſiue ſaxo : cuius rei petenda ratio eſt, ex eo quod obſeruabamus in diſputatione de loco vbi natus Dominus, totum circa Ieruſalem ſolum eſſe ſaxoſum & ὑπόπετρον, vt appellatur à Strabone. Locus verò vbi poſitum eſt corpus Domini, vnũ erat ex illis octo vel tredecim foraminibus, quæ diximus cauari ſolita in quoq; monumento. כוכים ea vocantur in Talmudicis ſcriptis. in quibus fit etiam mentio lapidis, ſiue ſaxi, quod vocant גולל *golel*, quia aduoluebatur ori monumenti, vel conditorij. quo pertinent verba Matth. XXVIII. 2. ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, *deuoluit lapidem à foribus*. & Luc. XXIV. 2. εὗρον τὸν λίθον ἀποκεκυλισμένον ἀπὸ τοῦ μνημείου. *inuenerunt lapidem deuolutum à monumento.*

XCIX.

XCIX. *An mos sepeliendi in lateribus cryptarum ortus sit è sepulcro Domini.*

IBIDEM.

MOrem antiquorum Christianorum condendi cadauera piorũ *in lateribus cryptarũ, fornices sustinentibus* super terrã, non intra terram, existimauit Baronius, originẽ habuisse à Domini sepulcro. Sed neq; hoc Scripturæ dicunt; & confutatur consuetudine Iudęorũ circa sepulchra, quam modò exposuimus. Scio reperiri in sacra pagina, & in scriptis Rabbinorũ, sepulturas in monte factas: sed communis mos Iudęorum quem descripsimus, quemq; in Christi corpore seruatum apparet, nihil eiusmodi habuit, quod cum sepulcris in lateribus cryptarum possit, vt vult Baronius, comparari. In Talmud eo quem indicaui loco, scribitur, foramina in quibus corpora condebantur, ad septẽ cubitorum altitudinem solere cauari. tantum abest, vt supra terrã Christi conditorium emineret. Quare Cyrillus Ierosolymitanus in catechesi XIII. inter Christi & Regum sepulturas, hoc ponit discriminis; quod sepulcrum Domini non esset exaggeratum supra terram, vt solent esse Regũ monumenta. ἆρα κατὰ τὸν τῶν βασιλέων τάφους ὑπερανέχει τῆς γῆς; hæc interrogatio æquipollet negationi, & sententiam continet quam diximus. Ibidem Cyrillus ad sepulcrum Domini refert locum è Threnis Ieremiæ, III. 53. ἐθανάτωσαν ἐν λάκκῳ ζωήν μου, καὶ ἐπέθηκαν λίθον ἐπ' ἐμοί. *Exstinxerunt in fouea,* (vel *lacu,* vt V. I.) *vitam meam, & posuerunt lapidem super me.* Λάκκος est fouea intra terram. putat tamen Cyrillus, sepulcrum Domini ea voce intelligi, non solum in hoc Ieremiæ loco; sed etiam in Psalmo LXXXVII. 5. vbi Dauid non tam de se, quàm de Messia dicit, *æstimatus sum cum descendentibus* εἰς λάκκον *in foueam.* Deinde cùm ait Ieremias in loco modò allato, *posuerunt lapidem super me*; si Christi sepulcrum supra terram fuit eleuatum in aliquam altitudinem; non potest hoc intelligi, vt Cyrillo placet, de saxo, quod portæ monumenti fuisse aduolutum narrant Euangelistę. Verius est igitur, rupem in qua monumentum illud fuit excisum, aut nihil aut parum admodum supra soli superficiem eminuisse. Eusebius lib. III. de Constantino M. ἄντρον semper vocat, sicut Hebræis monumentum dicitur מערה, spelunca, quod paullo ante ostendimus; scribitque idem Eusebius, aggesta terra alijsq; rebus eum locum à paganis fuisse obrutum, ne vlla extaret eius memoria. Verum hæc alijs diligentius expendenda relinquimus.

C. Sozomeni & Baronij error ſuper cæde Zachariæ Prophetæ.

ANNI XXXIV. Num. CXXXV.

POllinctores Iudæorum ſolitôs capita ſepeliendorum tondere, refert Baronius è Rabbinis: deinde vt id probet, affert hiſtoriolam de inuento corpore Zachariæ Prophetæ, ſub Honorio Imp. ſed aliud eſt tonderi, aliud ἐν χρῷ κείρεσθαι, radi ad viuam cutem. Nam ait Sozomenus de Zacharia, σῶος διέφθη ἐν χρῷ κεκαρμένος. Verum hoc leue, præ eo quod jam dicam. Nam Baronius & hoc loco, & in anno Chriſti CDXV. vbi eadem fabula (neque enim aliter dicendum,) fuſe ab ipſo exponitur, errauit inſigniter, dum Sozomenum pueriliter errantem ſequitur. Ait Sozomenus, Zachariam Prophetam à Ioaſo Rege Iudæ fuiſſe extinctum. Atqui inter Ioaſum Ochoziæ filium, qui ſublata Athalia regnauit in Iuda, & Zachariæ Prophetæ mortem, anni intercesſerunt non multo pauciores quadringentis. quomodo igitur Ioas Rex Iudæ illum occidit? Nimirum Sozomeno impoſuit homonymia; & Zacharias ille, quem impius Ioas lapidibus obruit, alius fuit à Zacharia Propheta; is autem fuit Ioiadæ Pontificis filius, ipſe quoque in ea dignitate patri ſucceſſor, de cuius cæde, lege II. Paralip. XXIV. 20.

CI. Locus è lege quadam Iudæorum male verſus apud Baronium. differentia inter Naſi & Regem.

ANNI XXXIV. Num. CXXXVII.

REfert Baronius legem ſumptuariam, qua modus eſt impoſitus impenſis apud Iudæos fieri ſolitis circa veſtes, quibus mortuos inuoluebant, (Hebræi *tacricin* propriè vocant;) & ait, legem adſtrinxiſſe omnes, *etiamſi quis regali effulgeret amplitudine.* Hæc aut male verſa ſunt à monitore Baronij, aut ab illo parum ex fide recitata. Hebræa ſic habent. אפילו לנשיא שבישראל, *etiamſi ille eſſet Naſi in Iſrael.* oſtendimus in ſuperioribus, caput Synedrij dictum fuiſſe *Naſi*: ſed eum à potentia & dignitate regia longe abfuiſſe: etſi non neſcimus, Rabbinos interdum poteſtatem quaſi regiam principi Synedrij attribuere, vt legere eſt apud Zacuthum pag. LIV. b. cæterum quod ad ſplendorem & magnificentiam attinet, qua de re in hac lege agitur, nulla ex parte Naſi cum Rege fuit comparandus. itaque non debebant hæc duo vocabula confundi.

CII. Reliquia

C II. Reliquiæ rerum quæ ad Domini supplicium adhibitæ.

ANNI XXXIV. Num. CXXXVIII.

QVæ hîc scribit Baronius de varijs reliquijs earum rerum, quæ ad Domini supplicium sunt adhibitæ, ea nos alijs relinquimus expendenda. Qui in historia Ecclesiæ cum aliquo judicio sunt versati, non ignorant; primis Ecclesiæ seculis in negotio religionis & censu rerum ad pietatem pertinentium, reliquias non eum locum habuisse, quem postea obtinuerunt: vnde illud tam altum silentium harum omnium rerum, quę hîc à Baronio commemorantur, & similium aliarum; quæ post aliquot secula, prima simplicitate paullatim degenerante, & innotuerunt verè an falso, & in pretio magno esse, studiosissiméque inquiri ceperunt. Itaq; non potuit Baronius narrationis suæ alios testes laudare, præter Gregorium Turonensem & Bedam: quorum nos virorum pietatem & zelum promouendæ religionis suspicimus & veneramur: at facilitatem in credendis multis, quæ priora secula non crediderant, admodum suspectam habere profitemur. Quod autem Baronius in historia passionis illa commemorat, quæ post secula sex, septem, vel etiam plura ad notitiam hominum peruenerunt; immanis quidam & intolerabilis est anachronismus: quales sunt in his Annalibus commissi numero prope infiniti. Sed de his ad annum L v. plura, si Deus volet. De Veronicæ imagine nihil addam impræsentiarum ad ea, quæ ὁ πολυμαθέστατος Iohannes Rainoldus, probitate & doctrina vir insignis, alijq; nostræ ætatis viri primarij, obseruarunt. Qua religione eam imaginem coluerit Papa Innocentius III. legere memini apud Matthæum Parisiensem, initio rerum Henrici III. at neque præceptum eius faciendi in Scripturis legere memini: neque in primæuæ Ecclesiæ historia simile vllum exemplum.

C III. Ligni Crucis sanguine Christi aspersæ veneratio. eius soliditas inde tribilis Paulino. Cyrilli dicta quædam è Catechesibus exponuntur. sine caussa librum esse suspectum.

ANNI XXXIV. Num. CXXXIX.

LIgnum Crucis Christi, quæ sacro eius sanguine fuit respersa, in magna fuisse apud veteres veneratione, neque ignoramus, neque miramur. Nemo tamen ex antiquis, quod sciam, ei ligno indetribilem soliditatem attribuit, præter Paulinum. Cyrillus quem putauit Baronius idem dicere, longè aliter loquitur. Fateor scribere illum

in

in catechesi iv. τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ πᾶσα λοιπὸν, ἡ οἰκουμένη κατὰ μέρος ἐπληρώθη. *ligno Crucis totus jam orbis terrarum per partes est impletus* : & similia his in catechesi x. quæ à Baronio proferuntur. Sed in ijs verbis, quis non animaduertit imitationẽ eius quod dicit Iohannes in fine Euangelij? *si omnia*, inquit, *Christi facta scriberentur, mundum ipsum libros de ijs confectos non capturum*: quæ est elegans hyperbole; figura sacris scriptoribus familiaris. Sic & Cyrillus vtroque loco, mundum jam plenum esse ligno Crucis; quia frustula quædam parua & minuta eius ligni; per omnes totius Orbis prouincias jam tum fuerant delata. Hoc quàm diuersum est ab eo, quod vel Paulinus vel Baronius dicunt? Scio viros graues, propter huiusmodi quædam loca cum in mystagogicis, tum in cæteris Catechesibus, negare opus id esse γνήσιον Cyrilli. Nos præter testimonia vetustissimorum auctorum, qui eius operis Cyrilli meminerunt, aut quædam etiam ex illo descripserunt, Hieronymi, Theodoreti, Damasceni, Photij Patriarchæ, aliorum; rationes plurimæ & validissimæ vt aliter sentiamus impellunt; de quibus agendi pluribus non est hic locus.

CIV. Terram per quam Deus miracula edebat, venerationi olim fuisse; non tamen adoratam. Reliquiæ hodiernæ.

ANNI XXXIV. Num. CXL.

TEstatur B. Augustinus terram sanctam de Ierosolymis allatam valuisse contra vexationes Spirituum malignorum, & contra morbos. Hoc quia tantæ pietatis vir, non vt ex incertis rumoribus acceptum, sed vt certò sibi compertum, narrat; verum esse equidem nullus dubito. Refero igitur hoc inter alia diuinæ potentiæ argumenta, quam ille quoties & quomodo voluit, exeruit: nec miror Hesperium terram illam reuerenter habuisse: paratus idem facere simili in re, de qua liquidò mihi constaret, per illam miracula Deum edere. Hoc verò nihil quicquam habet commune cum hodierna doctrina, quæ adorandas docet esse reliquias: quod Hesperium non fecisse, ille ipse Augustini locus euincit. Vt interim taceam, hodiernas reliquias maxima ex parte aut incertæ fidei esse, aut palàm supposititias & falsas; quod dissimulandum defensoribus illarum non erat, si pietatem suam Deo probare curarent.

CV. Hallu-

CV. Hallucinatio Baronij in Irenæi loco.

Anni XXXIV. Num. CXLII.

Disputationi Chronologicæ, quam mox subijcit Baronius, quantum sit tribuendum, & illa Romana Chronographia tantopere ipsi laudata, quantum mereatur fidei, doctis viris, qui eam partem eruditionis ex professo tractant, relinquo expendendum. Ego Baronium vt fere alibi, sic etiam hoc loco scriptorem fuisse parum accuratum animaduerto: quod vnico exemplo ex hac disputatione petito, satis sit probasse. Is igitur, sententiam Irenæi de ætate Domini quando est passus; male recitat; deinde Irenæum frustra defendit. Nusquam affirmat ille, Iesum Christum post annum suæ ætatis quinquagesimum esse passum, quod dicitur in Annalibus: sed ait à quadragesimo aut quinquagesimo anno declinari jam in ætatem seniorem, *quam habens*, inquit, *Dominus noster docebat.* nihil præcise definit; & tam potest intelligi, Christum inter annum quadragesimum & quinquagesimum esse passum, quàm de exacto quinquagesimo: neq; verò Irenæus illo argumento vtitur ex Iohanne VIII. 57. quod commemoratur à Baronio. At defensio Irenæi palàm falsa. Ait enim: *Hæc licet apud ipsum legantur; quod ab ipso sint scripta negamus omnino: nam eodem capitulo superius his contraria profitetur, cùm baptizatum Dominum dicit existentem annorum triginta: ac subinde tria numerat Paschata, quorum tertio ipsum Iesum esse passum affirmat.* hæc omnia vera sunt; collectio tamen Baroniana est falsissima. Committit principium capitis cum fine; quæ sunt inter principium & finem non attendit. Irenæi sententia fuit; Christum venisse quidem ad baptismum anno ætatis suæ trigesimo: sed Ierosolyma non prius accessisse, quam magistri ætatem perfectam haberet. Appellat autem ille perfectam ætatem, quæ omnia humanæ vitæ tempora aut exegerit, aut saltem attigerit; infantium, puerulorum, juuenum, & seniorum: cæteras ætates à Christo esse exactas; ad senilem saltem peruenisse. Verba Irenæi: *Dominus triginta quidem annorum existens venit ad baptismum: deinde Magistri ætatem perfectam habens venit Ierusalem, ita vt ab omnibus juste audiret Magister: non enim aliud videbatur, & aliud erat, sicut inquiunt qui putatiuum introducunt; sed quod erat, hoc & videbatur. Magister ergo existens Magistri quoque habebat ætatem.* Mox: *Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, sanctificans infantes, in paruulis paruulus,* &c. deinde: *in juuenibus juuenis, exemplum iuuenibus fiens, & sanctificans Domino. Sic & senior in senioribus, vt sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed secundum ætatem.*

CVI. *Quo sensu parasceue dicatur* cœna pura. *An Iudæi in parasceuis à carnibus abstinuerint, aut ieiunarint.*

ANNI XXXIV. Num. CLIV.

QVæ scribuntur deinceps in Annalibus super dictionibus *parasceue* & *cœna pura*; ea partim vera sunt & certa; partim ἀδιόριστα & incerta; quædam etiam à veritate sic aliena, vt nihil queat magis. Patres Latinos Græcum vocabulum παρασκευή, quod festi præparationem significat, vertere aliquando *cœna pura*, verum est, neque Baronio primum obseruatum. Iam olim ante annos fere XL. in Notis ad Festum verbo indicauerat Iosephus Scaliger, auctorem Glossarij cnm ita scribit, (*Cœna pura*, προσάββατον, imitatione Gentilium sic appellasse Iudæorum parasceuen. Idem vir illustrissimus postea in sexto operis magni De emendatione temporum, docuit, παρασκευὴ Græcis & *Cœnam puram* quibusdam Latinorum Patrum esse quod in Rabbinorum libris appellatur ערוב: nos Gallice dicimus, *la veille de la feste*. quod voci Hebraicæ non male respondet. nam *herub* est ab *hereb* vespera. Vt hodie nonnulla sunt festa, ad quæ die antecedente fit quædam præparatio: sic apud Iudęos olim, sabbatum propter cessationem ab omni opere, & præcipua festorum, propter diei magni apparatum, habuêre suas *herubim*, parasceuas: de quibus satis dictum est in superioribus, cum Baronij & aliorum sententiam confutaremus, qui parasceuen volunt fuisse diei sabbati propriam. Hic vero obseruandum est. licet pro eodem sumantur appellationes *parasceues* & *cœnæ puræ*: in re tamen discrimen ingens fuisse. Nam in ritibus paganorum *cœna pura* appellabatur cœna, illis apponi solita, qui in casto erant, quod Græci dicunt ἁγνεύειν vel προαγνεύειν. Erant autem pro diuersitate sacrorum ritus diuersi, & multiplex ciborum obseruatio. Sic dicit Arrianus in Dissertationibus Epicteti, eum qui suscepturus erat mysteria, accessisse προηγνευκότα, id est, postquam obseruasset leges castimoniæ, proprias illis mysterijs, quibus initiari volebat. pars autem castimoniæ, siue vt veteres loquebantur, castus illius, erat posita in ciborum delectu. In Hębræorum verò ritibus, nihil eiusmodi fuisse legimus. habuerunt sane etiam apud hos parasceuę magnarum festiuitatũ suas obseruationes: sed delectum aliquem fuisse ciborum vltra Legem Mosaicam, quæ omnes ex æquo adstringebat, neque in Scripturis legimus, neque in Thalmudicis aut Rabbinicis scriptis. Extant apud Mosem Aegyptium & alios Rabbinos tractatus integri *Herubim* inscripti, vbi describuntur accurate omnia, quæ fieri seruariq;

ſeruarique ſolita in veſperis feſta aut ſabbata antecedentibus: ibi nullam, quod equidem obſeruauerim, delectus ciborum mentionem fieri inuenias. Extant præterea diuerſi tractatus, è re inſcripti תעניות *afflictiones*, ſiue *Angariæ:* vbi jeiuniorum cauſſæ, modi, termini, ſupplicationes illorum dierum, & proceſſiones, ritus denique omnes ſigillatim explicantur: de ciborum tamen delectu, nullum in eius argumenti libris quos legi, verbum memini obſeruare. Ieiunia enim populi Iudaici, non erant mutationes ciborum; ſed vera abſtinentia ab omni cibo & vino. Quid, quod ne illud quidē facile probatu, Iudæos in ſuis paraſceuis jeiunaſſe? imò conſtat non ieiunaſſe, aut certe non in omnibus. Ne longe abeam; in paraſceue Paſchatis agnus Paſchalis edebatur. Quare apud Iohannem, cùm Iudæi non ingrediuntur Pilati prætorium, ἵνα μὴ μιανθῶσι, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, *ne polluantur, ſed vt comedant Paſcha*, XVIII. 28. & cum corpus Domini feſtinanter ex oculis hominum eripitur, *propter paraſceuen Iudæorum*, XIX. 42. diuerſis verbis eadem cauſſa exprimitur. Baronius eſum paſchatis in illo Iohannis loco, non vult intelligi de agno paſchali: quod etſi illi concederemus, (oſtendimus autem falli ipſum inſigniter) manebit nihilo tamen minus, quod modo obſeruabamus; Iudæos in Paraſceue paſchatis neque jeiunaſſe, neque à carnium eſu abſtinuiſſe: nam & Baronius edere Paſcha, illo loco interpretatur de victimarum aliarum eſu. Ex his liquet, paraſceuen Iudæorum à Latinis Patribus Tertulliano, Auguſtino, Irenæi interprete veteri, & alijs, necnon ab ijs Iudęis qui temporibus Auguſtini in Africa erant, *cœnam puram* fuiſſe dictam, appellatione tranſlata è ritibus Gentium, ἀναλόγως, non quia eędem eſſent obſeruationes; Sic ſupra adnotabamus, etiam alia preter Romanam crucem ſupplicia ἀναλόγως appellata reperiri crucem & σταυρόν. atque ita multa dicuntur.

CVII. *Hallucinationes aliquot Baronij in eadem diſputatione.*

IBIDEM.

HIs ita expoſitis, propoſitam diſputationem breuiter expendamus. Initio obſeruatur ex Auguſtino, Iudæos voce Græca *paraſceue* eſſe vſos: quod quidem eo ſenſu verum eſt, quo dixit Auguſtinus: at non illo quo accepit Baronius. Nam Auguſtinus loquitur de illis ſui temporis Iudæis, qui Africam incolentes Latinæ linguæ aſſueuerant, & de illis qui inter Græcos habitantes Græce loqui didicerant. Sic ille: *Iſto verbo libenter vtuntur Iudæi in huiuſmodi obſeruationibus, etiam qui magis Latine, quam Græce loquuntur.* Ait, *vtuntur*,

tur, nempe horum temporum Iudæi. Baronius ait Iudæos ea voce vti consueuisse: nec distinguit tempora; sed videtur eundem errorem errasse, quem supra notabamus in voce *Apostoli* apud Epiphanium perperam ab eo accepta. Sic quum alio loco dicat idem Augustinus, Iudæos Latine loquentes parasceuen appellare *Cœnam puram*; Baronius qui illum describit locum, existimauit, jam olim Iudæos sic nominasse: itaque in fine disputationis caussam reddere conatur, cur Iudæi parasceuen Paschalis eo nomine dixerint; neque animaduertit eam appellationem veteribus Iudæis fuisse ignotam; paucos tantum recentiorum, qui in Africa Latine loquebantur, è ritibus Gentium id verbi transtulisse & suis cerimonijs accommodasse. Audiamus Augustinum: *Parasceuen cœnam puram Iudæi Latine vsitatius apud nos vocant.* Nota *apud nos* & *vocant.* non igitur in commune omnes Iudæi: non veteres. Mox reprehendit eos, qui feriam sextam appellari solitam fuisse *cœnam puram* autumant: & errant quidem illi, si solum Veneris diem, quem nos vocamus, parasceuen aut cœnam puram arbitrantur fuisse dictum. nam vt sæpe monuimus, non solus ille dies qui Sabbatũ antecedebat, sic dictus; sed & plures alij. At Baronius clauum clauo, errorem errore trudit: non enim minus falsum est, solam parasceuen Paschalem ita fuisse nuncupatam. Post hæc accingit se, vt quid sit *cœna pura* apud τῶν ἔξωθεν scriptores exacte inuestiget: putat enim eadem opera se inuenturum, quid Hebræi ea appellatione intellexerint. Sed est hic quoque error non mediocris: nam vetus quidem populus Hebrę̨orum ante Christum & circa eius tempora atque etiam post, eam appellationem ignorarunt: quare neque in Scripturis, neque in Rabbinorum Commentarijs quicquam legas, quod vllo pacto ad illam appellationem accedat. posteriores autem pauculi qui illa vsi, nomen quidem à Gentibus acceperunt, sed caussam nominis apud illos sic reliquerunt, vt fumum in montibus, qui acapna inde auferunt, quod olim dicebat Anacharsis. Probat deinde aliquot testimonijs, *cœnam puram* fuisse nuncupatam, in qua more Pythagoræ ab esu carnium abstinebatur. Fateor scribere Philonem, mensam Essenorum fuisse καθαρὰν τῶν ἐναίμων, *puram à sanguine præditis*, id est nullas habuisse carnes animalium sanguine præditorum: male enim Baronianus interpres *dapes cruentas* comminiscitur. sed non recte colligas ex illo Philonis loco, cœnas sine carnibus καθαρὰ δεῖπνα Gręcis quorum lingua ille vtitur, aut Essenis, de quibus loquitur, solitas fuisse vocari. Paulus Act. XVII. 16. vocat Athenas κατείδωλον πόλιν *vrbem plenam imaginibus & simulacris deorum.* si quis ex eo colligat Athenas sic fuisse vulgo dictas, inepte faciat. Neque in Tertulliani loco

è capite

è capite nono libri De pœnitentia, puræ cœnæ fit vlla mentio, ſaltem expreſſa. coniectura tantum ea eſt Baronij; quam vt non plane reijcio, ita parum firmam eſſe arbitror. In Plutarchi gemino libello de eſu carnium, leguntur multa de hominum antiquiſſimorum victu, cum ab eſu animantium adhuc temperabatur. leges etiam in libro poſteriore δεῖπνον ἀφελές; ſed ea ſimplex & paratu non magno inſtructa cœna eſt. at vero *cœnam puram* illam eſſe, quæ abſque animatis paratur; neque dicitur à Plutarcho, neque ex illis eius libellis poteſt colligi: & omnino falſum eſſe, euincit Feſti Pompeij ille ipſe locus, cuius paullo antè facta eſt mentio in hac diſputatione. Sequitur concluſio: *Sic igitur*, ait, *quantum ex his colligere licet, non quodlibet jeiunium, cœnam puram maiores dixere; ſed in quo abſtinentiùs victitarent.* Hæc concluſio quam bene ſequatur ex præmiſſis, docti viderint: nos aliam potius collectionem exſpectabamus. MAIORES autem cùm dicit, tam Gentiles intelligit, quàm Iudæos, vt ex ſequentibus intelligitur. putauit enim & rem & nomen Cœnę purę communia fuiſſe veteribus Iudæis & paganis: quæ eſt craſſiſſima hallucinatio, ſicut probauimus.

CVIII. *Iejunia Sabbatica Iudæorum.* ἡ τῆς νηστείας ἡμέρα. *Vitis aurea in Templo Ierosol. Alia.*

ANNI XXXIV. Num. CLVI.

OCcaſione paraſceuæ nata eſt quæſtio de *Cœna pura*: nondum hæc deciſa eſt, & ecce alteram quæſtionem, Cur dixerint pagani quidam ſcriptores Iudæos ſabbatis jejunare. hæc alias porrò generabit. Sic ſequitur vara vibiam. Sed non eſt liberali ingenio indigna harum rerum cognitio. Proferuntur aliquot veterum ſcriptorum teſtimonia, vbi id clare dicitur. Quod in eo cenſu ponitur Strabo, dubito quam recte hoc fiat. Scribit ille quidem libro XVI. Ieroſolyma à Pompeio capta fuiſſe, quum obſeruaſſet τὴν τῆς νηστείας ἡμέραν, ἡνίκα ἀπείχοντο οἱ Ἰουδαῖοι παντὸς ἔργου, *diem Ieiunij, quando abſtinebant Iudæi ab omni opere.* videtur de ſabbato ſenſiſſe, & putaſſe ſeptimum diem jeiunio fuiſſe cultum. ita igitur accipit Baronius. ſed non eſt neceſſe. nam etiam Ioſephus ſimiliter vt Strabo tempus illud deſignat, περὶ τρίτον μῆνα, τῇ τῆς νηστείας ἡμέρᾳ. *tertio menſe, Iejunij die*, lib. XIV. cap. octauo. intelligit autem, diem decimum ſeptimũ menſis Tamuz, qui eo anno incidebat in quartum diem Iulij, feriam ſeptimā. eum menſem vocat Ioſephus tertium, nempe à Niſan primo; qui tamen erat quartus: & fortaſſe ſcripſerat τέταρτον non τρίτον. etſi poteſt aliter excuſari. Quum autem multa dici queant, cur de Iudæis in eam opinionẽ Gentiles venerint:

 nerint:

nerint: existimo tamen, nihil verius afferri posse, quàm quod olim dicebamus ad Suetonij Augustum capite LXXVI. quodq; Baronio etiam placitum, ex ignorantia rerum Iudaicarum id sibi illos persuasisse. Inde etiam originem habuit alterum eorundem commentum delirum, ad quod mox delabitur conditor Annalium, de Baccho à Iudæis culto. Quoniam autem de vite aurea quæ fuit in Templo mentionem facit Baronius; obiter studiosos monebo, celebrari duo diuersa, eius formæ donaria, quorum vtrumque *Vitis aurea* est appellatum: Strabo apud Iosephum dubitat, vtrum vitem an hortum prius illorum debeat nominare: videntur non dissimilia his fuisse illa Apolloniatarum & aliorum populorum donaria, quorum meminit Plutarchus in libro, Quod desierint oracula versibus reddi; & appellat θέρη χρυσᾶ, *æstates aureas*, quia æstiuos fructus similitudine referebant. Vtriusque donarij mentio habetur cum apud Iosephum, tum apud Pseudogorionidem. sed hic planus & fœdissimus impostor, multa mentitur, præsertim in mentione posterioris vitis, sicut vere obseruatum est Iosepho Scaligero in Serarium, capite quinto. At quod vir summus putabat, laudari eo loco à Pseudogorionida libros Iosephi contra Appionem, vbi nihil simile hodie legitur; μνημονικὸν id fuit ἁμάρτημα; neque enim ad priorem vitem pertinet locus de quo ibi tractat Scaliger, sed ad posteriorem: neque ea Pseudogorionidæ verba proprie pertinent ad historiam Iosepho narratam libro XIV. cap. V. de qua agit falsus Gorionides in capite trigesimo octauo editionis Venetæ. Illa fuit vitis antiquior, κειμήλιον domus Hasamonæorum, vt recte ait Scaliger, quam Pompeio dedit Aristobulus Alexandri Regis F. at de posteriore vite, quæ ab Herode in Templo à se instaurato dedicata fuit, agit Iosephus lib. XV. cap. XIV. & cum illo capite comparanda sunt, quæ narrat Pseudogorionides partim vera partim falsa, capite illo in editione Italica LV. Quod igitur ille planus librum laudat, quem ait se scripsisse לכבודם *in gratiam illorum* nempe Romanorum, non debet referri ad libros contra Appionem: sed ad vberiorem historiam Græcam Iosephi, vel Latinam eius interpretationem. sic enim passim ille impostor illud opus laudat, tanquam à se compositum. Porrò vitis aureæ quæ in Templo fuit, etiam in libris antiquorum Rabbinorum fit mentio. è quorum monumentis scribit Zacuthus in Iuchasin, p. XXVII. b. hominum trecentorum opera, solitum id donarium loco moueri. vnde intelligimus, cur Strabo non solum vitem illud appellet, sed etiam hortum. Hebræi tamen, vt cæteri גפן של זהב

CIX

CIX. Inconstantia Baronij & hallucinationes in eadem disputatione.

ANNI XXXIV. Num. CLIX.

REdit tandem Baronius ad propositam quęstionem, Quid sit *cœna pura*. Non erat difficile verbo rem absoluere. Nam si *cœna pura* est parasceue, vt affirmat B. Augustinus, & confirmat optimum Glossarium: sequitur necessario, non vnius dumtaxat diei propriam fuisse eam appellationem; sed multorum communem: parasceuas enim plures habuisse Iudæos, Sabbati, Paschæ, Pentecostes, item aliorum dierum bonorum, clamant omnes libri Rabbinorum, quod sæpe iam diximus. Quare vt parasceuę erant plures, sic plures Cœnę purę: siquidem idem fuit parasceua & Cœna pura. Propterea Tertullianus aduersus Marcionem libro v. cap. IV. dies commemorans aliqua solemnitate insignes apud Iudæos, coniunctim recenset, *sabbata, cœnas puras, & dies magnos.* vbi sine dubio *cœnas puras* numero multitudinis dixit, vt omnes complecteretur & Sabbatorum, & dierum festorũ parasceuas. Quemadmodum autem in scriptis Rabbinorum vox *herub*, vel adiectione alicuius vocis restringi solet, puta, *herub sabbat*, vel *herub pesach*; aut ex circumstantia loci debet exponi: sic prorsus etiam voces parasceua & cœna pura interpretationis semper egent. Iccirco scribit Marcus, XV. 42. ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον. hic addita est interpretatio, *parasceue, id est dies antecedens sabbatum.* Apud alios Euangelistas non additur aliquando expositio: sed ea facile suppleri potest, vel ex loci circumstantia, vel ex alijs locis. Sic Ioh. XIX. 31. *parasceue Iudæorum* simpliciter nominatur: sed peti expositio debet ex eiusdem capitis versu 14. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα. *erat parasceue Paschatis.* eadem enim dies, vt ante exposuimus, & sabbati erat parasceue vt appellatur à Marco; & Paschatis, vt affirmat Iohannes. Itaque Nonnus vbi Iohannes parasceuen Paschatis nominat, ipse eum diem appellat parasceuen Sabbati. Ἕκτη δ' ἦν ἐνέπουσι προσάββατιν, ἔπλετο ἠώς: vice enim interpretis fungitur, vt non semel alibi. Baronius in simpulo quantos fluctus moueat, piget dicere. Repetit quod ante dixerat, cœnam puram non esse Sabbati parasceuen. vult esse parasceuen Paschæ, ex sententia Augustini; nam ipse hanc sententiam licet vetustissimã, totis viribus supra oppugnauit. Addit, Irenæum sic esse intelligendum libro v. cap. XXII. in quo tamen fallitur manifestissime. nam eo loci Irenæus nullum respectum habuit ad parasceuen Paschatis: sed comparans diem quo peccauit Adam, cum die passionis Christi, ait vtrumque fuisse feriam hebdomadis sextam, & obiter notat

notat eum diem esse parasceuen Sabbati, quod Latinus interpres vertit, *hic est Parasceue quæ dicitur cœna pura.* Conferendus est ille Irenæi locus cum alio libri primi, cap. x. eiusdem fere sententiæ, qui in Græco textu sic habet: διὰ τοῦτο Μωσέα ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν εἰρηκέναι τὸν ἄνθρωπον γεγενέναι· καὶ τὴν οἰκονομίαν δὲ ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν, ἥτις ἐστὶ παρασκευή. vetus & semibarbara versio, sic: *Propter hoc Mosen in sexta die dixisse hominem factum; dispositionem autem* (intellige passionem,) *in sexta die quæ est cœna pura.* Quid autem intelligendum sit per parasceuen Paschatis; declaratur his verbis: *Iudæos appellare solitos cœnam puram, vesperum ante Pascha, quo ipsi inciperent azyma manducare.* Mirum est non vidisse Baronium, hanc sententiam funditus euertere quicquid in superioribus disputatũ fuerat. Nam quomodo cõstare poterit, Cœnã purã sic dictã esse, quod carnibus animaliũ careret: aut quod jeiunium esset in quo abstinentius victitarent? vtrũq; antea dictũ est: vtrũq; nunc planissime refellitur ab eodẽ qui dixerat. nam Iudæi quando azyma incipiebant, neque jeiunabant, neque carnibus abstinebant: tunc enim agnus Paschalis edebatur. Quare sententiæ Baronianæ sese inuicem destruunt. Eiusdem farinæ est illa etiam quæ subijcitur obseruatio: Cœnam puram à Iudæis esse appellatam, quæ sine fermento agitaretur. Id haberet speciem aliquam veritatis, si constaret solam parasceuen Paschalem sic fuisse dictam. sed quid dicemus de parasceua sabbati quam Irenæi interpres duobus locis *cœnam puram* vocat? In hæc absurda conditor Annalium præcipitẽ se dedit quod de ritibus Iudaicis ex inanibus quibusdã coniecturis ausus est pronunciare: qui id potius dare operam debuerat, vt res Iudaicas è scriptis Iudæorũ cognosceret.

C X. *De hora terræmotus: item de hora crucifixionis. Proponuntur dubia quædam, & eorum solutiones ex antiquis. Nonni locus. Iohannis autographum, & ex eo locus emendatus in Euang.*

Anni XXXIV. Num. CLXII.

IN passione Domini duæ difficultates ratione horarum occurrunt; quarum alteram tractat prolixe Baronius; alteram prætermittit. Prior est hæc: Ioh. xix. 14. dicitur fuisse ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, *hora fere sexta,* quando Pilatus in tribunali sedens in Gabbatha Iesum produxit, & dixit Iudæis; *Ecce Regem vestrum.* certum est, inter hanc Pilati vocem & exortum tenebrarum, quæ post crucifixionem Christi terras absconderunt, tempore opus fuisse non modico: vt Dominus condemnaretur, traderetur, deduceretur ad locum supplicij, extra vrbem, irrideretur, crucifigeretur. Scribit tamen Marcus xv. 33. cùm tenebræ

sunt

ſunt exortæ, fuiſſe horam ſextam. Soluunt viri docti hunc nodum ex Lucæ XXIII. 44. qui ita ſcribit, ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος ἐγένετο. *erat hora quaſi ſexta, & tenebræ ſunt factæ*: volunt enim, verba Lucæ, quæ eadem ſunt cum verbis Iohannis, contrario modo eſſe exponenda; vt intelligatur hora ſexta paullo ante præterita; quum apud Iohannem ſit intelligenda, hora paullo poſt futura. Marcum igitur horam ſextam eo loci appellaſſe, non præciſe tempus ipſum horæ ſextæ, ſed laxius, tempus à ſexta, quæ præterierat, non magno diſtans interuallo. Alij alia afferunt: ſed omnium fortaſſe optima ſolutio fuerit, expectandum eſſe Eliam, qui τὰ ἄπορα Scripturarum ſoluat; atq; interim verbi diuini certitudinem, tam in ijs quæ non capimus, quàm in ijs quæ capere videmur, humiliter eſſe adorandam. Altera dubitatio eſt de hora crucifixionis. Nam quum ex illo Iohannis loco intelligatur, Chriſtum hora ſexta, vel, vt modò dicebamus, paullo poſt ſextam, fuiſſe cruci affixum; ſcribit tamen Marcus XV. 25. id factum eſſe hora tertia. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Et veterum & neotericorum interpretum optimum quemque hæc difficultas habuit exercitum. Multa igitur viri docti excogitarunt, quæ legi apud illos poſſunt. Sed quum jam olim grauiſſimi auctores cenſuerint, hanc diſſenſionem non ab ipſis Euangeliſtis, ſed ab eorum deſcriptoribus eſſe profectam, vt diſcimus ex Hieronymo & Theophylacto; miror Baronium horum ſententiæ ne meminiſſe quidem. Putauit ille, tolli omnem difficultatem per tributionem horarum diei in quatuor quadrantes ternarum horarum; qui ab vltima cuiuſq; quadrantis hora denominarentur. Et eſt profectò iſta ratio admodum expedita; eſſet modò ſatis certa: quod neque Franciſco Toleto viſum, nec mihi videtur. Nam quis veterum ei obſeruationi fundus eſt? Cenſorinus id non dicit, quem laudat Baronius, & alij poſt illum. Meminit quidem Cenſorinus quadrantis diei: ſed hoc nihil quicquam facit ad illam obſeruationem, qua de nunc agimus. Quare non eſt reijcienda ſuſpicio de menda librarij in litera numerali; de quo non dubitat Hieronymus ad pſalmum LXXVII. vbi aliquot mendarum profert exempla: & Toletus non aliter judicabat cum hæc ſcriberet; *Fateor in hac parte, niſi volumus admittere ſcriptorum vitiũ cum Hieronymo & Theophylacto, nihil eſſe, quod ex integro ſatisfaciat.* Etſi autem inter hos duos de menda & origine mendi conuenit; in eo tamen non conueniunt, vter Euangeliſtarum correctionis opus habeat. Hieronymus ait, notam ϛ, quæ *epiſemum* eidem, & Epiphanio, Irenæo, Theophylacto atque alijs dicitur, in Γ fuiſſe mutatum, ἐξ ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων,

μεταγραφόντων, per incogitantiam describentium, vt loquitur Theophylactus. quare ex Hieronymi sententia Marci codices fuerint emendandi, & ἕκτη *sexta* scribendum pro τρίτη *tertia*. Theophylactus contra, multis disputat ſ in ς esse mutatum ab aliud agente librario ; ac proinde apud Iohannem esse corrigendum, *ὥρα ὡσεὶ τρίτη, hora quasi tertia*. Accedit ad confirmationem huius sententiæ ponderis magni auctoritas, Nonni vetustissimi paraphrastæ interpretatio, ex qua constat, vel legisse ipsum, vel legendũ censuisse, vt censet Theophylactus emendandum. Nonni ista, Ἦν δ' ὥρη τιταινομένη τριτάτη θαλατηφόρος ἠώς; Male capit hunc versum Lucas Brugensis, qui contendit Nonnum cùm ita caneret, sextam horam legisse in suis codicibus Euang. Iohannis, & voluisse exprimere. absurde prorsus. ὥρη τιταινομένη non est *hora protensa* vsq; ad sextam, vt ille putat: sed est hora quæ protendebatur & agebatur, non autem iam exacta. ὥρη τιταινομένη poeticè atque etiam Atticè pro ἐπταίνετο, siue παρελαύνετο, *agebatur*: at Lucas Brugensis accipit pro πεπαυμένη, *plane exacta*, quod est contra Hellenismum. Porrò Theophylacti emendationem prætulerunt Hieronymianæ, Theodorus Beza & Franciscus Toletus. Petrus Alexandrinus in disputatione de Paschate, cuius ante meminimus; Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα· ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη· καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ· ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ· καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. *Erat parasceue Paschatis, hora quasi tertia: sicut habent libri accurate descripti; atq; adeo ipsum autographum manu propria Euangelistæ Iohannis scriptũ: quod gratia Dei ad hanc diem seruatum, extat in sanctissima Ephesiorum Ecclesia, & à fidelibus eò accedentibus magna cum reuerentia inuisitur.* Hęc ille. Ego non ignoro, quid aduersus hanc sententiam possit disputari: de quo judicium esto eruditorum.

CXI. Hebdomas magna *ante Pascha*. ἡ μεγάλη πεντάς. Magnum Sabbatum. *Canones Apostolorum. Clementis Constitutiones.*

ANNI XXXIV. Num. CLXV.

QVæ subijciuntur his de obseruatione horarum Canonicarum, repetuntur accuratius numero CCLI. vbi quædam erunt dicenda. Quod autem subijcit mox Baronius de variorum jeiuniorum temporibus in veteri Ecclesia obseruatis, verissimum est. Optarem tamen, vt accuratius esset ab eo inuestigatum, quando quæque jeiunia fuerint instituta: non enim sunt omnia paris antiquitatis. At hebdomadis magnæ ante Pascha obseruationem esse vetustissimam, nemo peritus institutorum antiquæ Ecclesiæ potest ignorare. Ego sanctissi-

sanctissimam illam consuetudinem, iam inde à temporibus Apostolicis initium habuisse, aut non multo post, facile crediderim. Patres Græci passim meminerunt, & vocant μεγάλην ἑβδομάδα: & extant B. Chrysostomi ac multorum aliorum homiliæ, diebus habitæ huius Magnæ hebdomadis. Infima Latinitas vocauit *Pœnosam*, vt apud B. Bernardum. Ritus varios pietatis ad obseruationem huius hebdomadis pertinentes, commemorant Eusebius Historiæ Eccl. lib. II. cap. XVII. item Epiphanius, pag. 466. Socrates, Sozomenus, Balsamon ad epistolam Dionysij Alexandrini, & alij. Caussam cur Magna hebdomas sit appellata, diuinitus explicat Chrysostomus homilia XXX. in Genesin: qua de re plura dicturi sumus, si voluerit Deus πολυέλεος, in accurata disputatione, de Quadragesima veteris Ecclesiæ, ad annũ LVII. Neque vero ipsa dumtaxat hebdomas est appellata *Magna*, sed etiam feria quinta eius septimanæ dicta est in Ecclesia Græca, ἡ μεγάλη πέμπτη, *feria quinta magna*. In editione Chrysostomi Sauiliana, tomo V. p. 547. extat sermo, cuius titulus est; *In proditionem Iudæ; item in Pascha & traditionem mysteriorum; necnon de acceptæ iniuriæ obliuione*, τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ πεντάδι, *sancta & magna feria quinta*. Hoc titulo coniunguntur quæ acciderunt τῇ τετράδι, feria quarta, cum crucifixione quæ contigit feria quinta. Sic *magnum Sabbatum* diem sequentem dixerunt, vt apud Photium ad canonem Apost. LIII. Ieiunij feriæ quartæ & sextæ, vetustissimam esse obseruationem vltro concedimus: sed firmandæ ei consuetudini afferri tanquam certum canonem LXVIII. inter Apostolicos, miramur. Sciebat auctor quam nutaret fides totius illius collectionis. Sciebat quid de ea Gelasius & Ro. Concilium olim pronuntiassent: postremò sciebat, & ipse fatetur alibi, quinquaginta dumtaxat eorum à Dionysio Exiguo fuisse agnitos: eos autem, qui ad illum numerum accesserunt, adeo fidei esse incertæ, vt hæresin multos eorum sapere, scribat Bellarminus, in libro de scriptoribus Eccles. Idem dictum puta de constitutione edita nomine Clementis: quem librum paullo antè Baronius quum reijceret vt Apocryphum, cur sibi non constat? Omnino si esset antiquitus creditum, aut illum canonem esse vere Apostolicum, aut illam constitutionem ab Apostolis profectam, non scripsissent Tertullianus, Augustinus, & alij, de ieiunio nullum extare Christi aut Apostolorum præceptum. quid enim est *Canon*, si non est præceptum? quid διαταγή, si præcepti vim non habet?

CXII. *An ab Ægyptijs didicerint Iudæi mortuos condere, item condire?* *Taciti locus.* ταριχεύειν. ἐνταφιάζειν. ἀλείφειν. μυρίζειν.

Anni XXXIV. Num. CLXIX.

AIt, *condire aromatibus corpora defunctorum, ab Ægyptijs Iudæos esse mutuatos, auctor est Tacitus.* Neque hoc dicit Tacitus, & si diceret, interpretationis egeret eius narratio. Diuersæ res sunt; *mortuum condere* & *condire.* istud fit hodie in corporibus Principum; illud commune est omnium, opinor, Christianorũ. *condire* est ταριχεύειν, quod fit aromatibus, myrrha, aloe, sale, cera, bitumine, & alijs. *condere* est sepulchro inferre aut monumento: vnde *conditoria* sunt dicta. Existimauit Tacitus Iudęos ab Ægyptijs didicisse, condere cadauera potius quàm cremare, Romanorum more. In quo errasse illum sciunt, qui legerunt in Scripturis Saræ, Abrahami & aliorum sepulturas. Quod si Tacitus illa scribens, vtrumque intellexit, condere & condire; ex parte, non in totum vera fuerit eius sententia. Nam videntur quidem Hebræi, accepisse ab Ægyptijs morem admouendi aromata cadaueribus, vt satis clare indicatur in extrema Genesi: at modum ipsum condiendi cadauera Ægyptijs vsurpatum, neque didicerunt Hebræi, neque vnquam, vt puto, vsurparunt. Illorum conditura fiebat intrinsecus, corpore exenterato, & cerebro per nares extracto; atque hoc ταριχεύειν Græci dixerunt: hi vnguento, & corpori aromata extrinsecus applicando, deinde fascijs inuoluendo, (quod & Ægyptijs tribuit Herodotus) mortuos suos curabant; vt docent exempla Domini & Lazari. Quare in Scripturis de conditura Hebræorum non vsurpatur ταριχεύειν sed ἐνταφιάζειν; sicut in illo Geneseos loco Hebraicum חנט vertitur: & de Christo Iohannis XIX. 40. & apud alios Euangelistas; aut etiam ἀλείφειν, vt Marci XVI. 1. Auctor Tragœdię, *Christus patiens*; μυρίζειν. Δέμας νέκυος τοῦ μυρίσαι κατ' ἔθος.

CXIII. *Difficultates in historia Resurrectionis non videri tantas, quantas ait Maldonatus. Priorum inuenta non temnenda. Comparantur inter se narrationes Euangelistarum, & eorum verba explicantur.* διαγενομένου τοῦ σαββάτου. ἀνατέλλειν. *Locus Marci animaduersus.* ἐπιφώσκειν. vespere. ὀψὲ σαββάτων.

Anni XXXIV. Num. CLXX.

SEquitur in Annalibus de resurrectione Domini. Quam partem historiæ Euangelicæ explicaturus olim B. Ambrosius, vere obseruat apud Lucam, cap. XXIV. Euangelistas, quum non possint videri

deri contraria ſcripſiſſe, diuerſa tamen dicere. Toletus quoque apud Iohannem ſcribit, *nulla in re Euangeliſtas ſibi magis aduerſari videri, quàm in hiſtoria reſurrectionis Dominicæ deſcribenda.* Maldonatus verò, initium capitis apud Matthæum XXVIII. *omnium interpretum ſententia difficillimum judicari* ait, *quod & ipſa per ſe verba obſcura ſint, & neq; alij Euangeliſtæ cum Matthæo, neque ipſe ſecum Matthæus, neque inter ſe alij, neq; Marcus ipſe ſecum conuenire videantur.* Fateor ſane difficultates aliquot in ea narratione occurrere, quæ veteres recenteſque interpretes, viros ſummos exercuerunt: illas tamen tot enantiophanias, quas Maldonatus narrat, equidem non animaduerto. Illud ego potius animaduerto, doctos viros, dum in ſirpo nodum quærunt, dum alienis inuentis vti reformidant, abſurdiſſima quædam ſine pudore pronuntiare, ac perſæpe ad illuſtranda quæ putant eſſe obſcura, ſæpiæ atramentum adhibere. Non poteſt illuſtrius exemplum eius quod dico proferri, quàm Baronij ſuper hac ipſa hiſtoria obſeruatio. Nam quum præcipua totius narrationis difficultas eſſe credatur in verbis Matthæi ὀψὲ σαββάτων: eam Baronius illorum attulit interpretationem, qua nihil poterat abſurdius. ſed de Baronio mox. Vt de re aliquid breuiter dicamus; illud ante omnia ponimus: ſi qua eſt hic difficultas, non certe circa ſummam narrationis illam verſari. Nam ex omnium Euangeliſtarum verbis illud planiſſime conſtat; Mariam Magdalenam & alias mulieres quæ vngendo Chriſti corpori aromata emerant, & per noctis tenebras ad ſepulcrum venerant; diluculo diei primæ in hebdomade Iudaica, quę eſt Dominica noſtra, ſiue feria prima, Dominum iacentem & mortuum, vt putarant, non reperiſſe. Hoc ita claris verbis narratur Lucæ & Iohanni, vt nullus ne dubitationi quidẽ locus ſit relictus. Diem vterq; ſic deſcribit, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων. *vna ſabbatorũ.* hîc *vna* poſitum pro prima, quod & pueri norunt. σαββάτων pro hebdomade, imitatione Hebræorũ; de quo pridem docti monuerunt, & eſt vulgo notũ, vel ex Theophylacto, ad cap. XX. Ioh. Diei tempus ſic declarat Lucas; ὄρθρου βαθέος ἦλθον, *venerunt, cùm adhuc profundũ erat mane:* Iohannes ſic; πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης, *mane cùm adhuc tenebræ erant.* Quod alter horum Euangeliſtarũ plurali numero vtitur, alter ſingulari, tam familiare hoc eſt ſacris Euangeliorũ ſcriptoribus, vt ne tirones quidem morari ea res debeat. Nam vel eſt ſyllepſis, quam antè docebamus familiarem Scripturis; cùm vnus nominatur, plures intelliguntur: vel factæ ſunt plures acceſſiones, modò ab vna mulierum, modò à pluribus. vide quæ obſeruat Victor Antiochenus ad Marci cap. vlt. Hæ igitur, dũ capiunt conſilium, dũ moliuntur, dũ itineri ſe accingunt, dũ cunctantur, & modò plures, modò pauciores ad monumentũ accedũt, nox

nox præterit, illo anni tempore non longiſſima. In dramate *Chriſtus patiens*, id pulchre repræſentatur; & ait ibi S. Magdalena, Ἀὼς πέλας, ἀὼς (fortaſſe ἀὼς,) ὅδ' ἀςὴρ ἔγγιος. *Iam prope eſt aurora, jam ſtella Lucifer exortui proxima.* Nonnus apud Iohannem, - ὅτε σκιοειδέϊ γαίῃ Νυκτιφανὴς ἀχάρακτος ἑώϊος ἤϊεν ἀςήρ. Hæc ſumma narrationis quum ita perſpicue & conſentienter ſit expoſita; videamus quid habeant cęteri Euangeliſtæ, ſaltem in ſpeciem, vt Maldonato placet, contrarium. Marcus eam narrationem ita orditur, Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου, *cùm interceſſiſſet ſabbatum*, id eſt, cùm inter ſepulturam corporis Chriſti, de qua proxime locutus eſt, & aduentum mulierum ad monumentum, dies ſabbati medius interueniſſet, atque is eſſet iam exactus. Hæc nota temporis Lucæ & Iohanni prætermiſſa eſt: & videri poſſit non neceſſaria, quia ſtatim ſequitur mentio ineuntis diei primæ alterius hebdomadis: ſed non temere Spiritus Sanctus, qui per Marcum locutus, id quoque tempus voluit exprimi, & quidem verbo διαγίνεσθαι, vt interuallum exprimeretur, quo manſit Chriſtus in ſepulcro. Sabbatum autem Marcus intelligit, non more Iudaico definitum, à veſpera diei XIV.ᵉ ad ſequentem: ſed diem Sabbati, cum ſequenti nocte. Nonnus verba Iohannis τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, ita expreſſit; Τῇ δ' ὀ μιῇ φαέθοντι μετὰ σάββατον ἠελίου ... ἐπὶ, *auroraprima exoriente poſt ſabbatum.* vult noctem in qua reſurrexit Chriſtus, fuiſſe partem ſabbati: quæ ex conſuetudine Iudaica pars primæ feriæ fuit, non ſabbati: quamquam etiam Scripturæ ita loquuntur interdum, vt Exodi cap. XII. & alibi. Apparet etiam è verbis Marci, emptionem aromatum factam eſſe, penitus exacto Sabbato Iudaico. Sequitur, καὶ λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς σ. *Valde mane vna Sabbatorum*, quæ fere ſunt verba Lucæ & Iohannis: ſententia autem prorſus eadem, quæ apud Lucam. Quare nullum adhuc enantiophanes deprehendimus. ſed addit Marcus, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto Sole*, vel vt habet Latinus, *orto jam Sole.* Hic contradictionis aliquid videtur eſſe. Nam quomodo *orto Sole*, ſi erat profundum mane, vt dicebat Lucas? Iohannes quoque dixit, fuiſſe adhuc tempus matutinum. Non igitur cum illis videtur conſentire; imo ne ſecum quidem: nam dixit iam Marcus, *valde mane.* Atqui ſi cum judicio diuina oracula legimus, facile intellectu eſt, hæc quę ſpeciem contradictionis habent, ſeſe mutuo explicare: quia enim præceſſit *valde mane*, ſequitur inde neceſſario, verbum ἀνατέλλειν non intelligendum eſſe de ortu ſupra horizontem; ſed de media nocte ſuperata, cum iam incipiunt ſidera aſcendere, & jubar aliquod emittere, etiam prius quàm ſupra horizontem emerſerint. Auctor eſt Balſamon ad canonem Synodi in Trullo LXXXIX. ortum Solis vulgo creditum eſſe incipere

poſt

post horam noctis septimam: quoniam tunc incipit illius ἀνάβασις & φαῦσις. Huc pertinent quæ scribit Euthymius in Matth. capite LXVIII. Verbum ἀνατέλλειν etiam in libris Astronomorum varie accipi, nemo ignorat, qui illos legerit. Hæc conciliatio, satis per se probabilis, multo fiet probabilior, si apud Marcum antiqua lectio restituatur. Nam in hodiernis libris deesse vocem ΕΤΙ, quam emendatiores olim libri habuerunt, auctor est Gregorius Nyssę, sermone altero de resurrectione. Sic ille: Καὶ λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς σαββάτων ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνῆμα. ΕΤΙ τοῖς ἀκριβεστέροις τῶν ἀντιγράφων ἐμφέρεται· δηλοῦν ὡς πρὸς ταῖς ἤδη γεγενημέναις, καὶ αὕτη τῶν γυναικῶν ἡ ἄφιξις γέγονε· τὸ δὲ λίαν πρωῒ σαφηνίζων ὁ Μάρκος, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου προσέθηκε. In Latinis editionibus hic locus ita versus legitur, vt neq; Maldonatus, neq; alij, qui in hac disputatione eum laudarũt, mentẽ auctoris ceperint. Sic igitur vertendũ: *et valde mane, vna sabbatorũ* (prima die hebdomadis) *veniunt ad monumentũ. In exẽplaribus accuratioribus extat vox* ΕΤΙ, *significans aliũ hunc esse aduentũ mulierũ ad monumentũ, præter priores. Quod autẽ dixerat Marcus* λίαν πρωῒ, valde mane, *id explicans addit,* ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto Sole.* Constat ex his, meliores libros olim legisse apud Marcum ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου; quomodo laudat hunc locum Eusebius in fine libri x. Demonstrat: & ita hodiéque legi in nonnullis mss. testantur viri eruditi; in his Lucas Brugensis. Theodorus verò Beza in optimo & antiquissimo libro sibi repertum scribit, ἀνατέλλοντος ἡλίου, quod melius omnino conuenit cum vocula ἔτι. apud Augustinum, *oriente iam Sole* ex hac lectione. Si legas ἔτι ἀνατείλαντος ἡλίου, vertendum, *tantum quod exorto Sole*; hoc est, statim atque lumen Solis cepisset apparere. sin placet, quod puto verius, ἔτι ἀνατέλλοντος ἡλίου, vertes *dum adhuc Sol öritur.* Gallice diceres, *comme le Soleil se leuoit.* Vtrouis modo legatur, facile conueniet Marco cum Iohanne & Luca. Restat Matthæus, cuius verba sunt: Ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. Vetus vertit: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primam sabbati.* τὸ *quæ* suspicionem mouet, fuisse à principio, *vespera*, non *vespere*. neque enim patiuntur leges Latinitatis, vt absolute ponatur hoc relatiuum, & non habeat cui innitatur. nam quod aiunt quidam de *vespere* fœminei generis, ridiculum est. contrà in Græco textu τῇ, pro τῇ ἡμέρᾳ, translatitium est. sic ἡ ἐπιοῦσα, ἡ αὔριον, & alia. ἐπιφώσκειν de sideribus proprie dicitur; sed etiam de die vsurpatur, vt apud Ignatium ad Trallianos, ἐπιφωσκούσης Κυριακῆς ἀνέστη ἐκ τῶν νεκρῶν. & apud Epiphanium p. 466. ἐπιφωσκούσῃ τῇ τετράδι συνελήφθη ὁ Κύριος. *quarta feria illucescente, captus est Dominus.* & sæpe alibi idem. quomôdo autem exponi debeat hoc verbum quando dicitur de die, iam antè exposuimus. Hic ἡ ἐπιφώσκουσα Matthæo est

ipsum

ipſum diluculum quod dat principium diei. Igitur cum dicit Matthæus, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *die exoriente qui futurus erat primus dies hebdomadis*, diuerſo loquendi genere idem prorſus dixit cum cæteris Euangeliſtis. Illa verò ὀψὲ σαββάτων, quam ſententiam habeant, docet nos breuiator Marcus, qui eorum loco dixit, διαγενομένου τοῦ σαββάτου, *cum tranſiſſet ſabbatum*, vt habet Latina verſio. Atqui ex hac comparatione verborum Marci liquidò conſtat, rectam eſſe interpretationẽ Gregorij Nyſſeni, B. Ambroſij, & aliorum quà veterum, quà recentiorum, qui ὀψὲ hic accipiunt, vt cum dicitur ὀψὲ τοῦ καιροῦ, *vbi præterijſſet occaſio*: ὀψὲ τῆς ἡλικίας, *vbi ætas præterijſſet*: ὀψὲ τῆς ἡμέρας *in fine diei*. Igitur ſi pro hebdomade vocem σαββάτων accipias, verti poteſt, *in fine hebdomadis*, vel, *tranſacta hebdomade*. Sed Latinus interpres qui vertit *ſabbati*, exiſtimauit, σάββατων poſitum eſſe pro σαββάτου, qui eſt Hebraiſmus in N. T. frequens : vt Act. XIX. 38. *Proconſules ſunt*. Hanc expoſitionem firmat Marcus, qui more ſuo Matthæi verba exprimens, dixit, διαγενομένου σαββάτου. quare vertere poſſis *in fine ſabbati*, ſiue *tranſacto ſabbato*. jam autem diximus ſabbatum hic eſſe noctem, quæ ſecuta eſt ſabbatũ, quam Rabbini appellant מוצאי שבת *exitum ſabbati*.

CXIV. Baronij mirus error è contemtu Græci textus, ὀψὲ exponentis de Lucifero. oſtenditur Eucherium Lugdunenſem erraſſe eundem errorem.

ANNI XXXIV. Num. CLXXII.

NVnc Baronij errorem conſideremus; qui neglectis virorum doctiſſimorum & veterum & recentiorum interpretationibus, quia apud Latinum interpretem legerat *veſpere ſabbati*, pro illis Matthæi ὀψὲ σαββάτων, nouam, vt putabat, ſententiam excogitauit, quam his verbis explicat. *Nos* inquit, *in eam opinionem adducimur, vt exiſtimemus Matthæum Euangeliſtam, non de veſpere, hoc eſt vltima diei parte intellexiſſe, ſed de ſtella ſic dicta; quæ cum eadem ſit cum ea quæ mane ante ſolem oriatur, ob idq; Lucifer dicta, vt Plinius & Hyginus & alij teſtantur; tamen vnico nomine ab antiquis Latinis vt Plauto & Varrone Veſperugo appellata reperitur, vt notat Auguſtinus.* En deliria, in quæ neceſſe eſt illos incidere, qui vel Hebraicam, vel Græcam veritatem contemnunt. Nam Baronius ſi Græca inſpexiſſet, vbi eſt ὀψὲ, nunquam ita ſe & pueris ridendum propinaſſet. quid enim commune aduerbio ὀψὲ cum nomine ſtellæ? Taceo aliam abſurditatem; cum putat ſtellam Veneris mane exorientem poſſe dici *Veſperuginem*, aut *Heſperum* : nam etſi vtraque appellatio eidem ſideri conuenit; non tamen promiſcua eſt illarum

duarum

duarum appellationum vſurpatio. Cleomedes, lib. I. ὁ τῆς Ἀφροδίτης ἀςὴρ καλεῖται ὁπόταν ἐπικαταδύνῃ τῷ Ἡλίῳ, Ἕσπερος· ὁπόταν δὲ προανίσχῃ αὐτοῦ Ἑωσφόρος· τινὲς δὲ τοῦτο καὶ φωσφόρον καλεῖν εἰώθασι. vides pro temporibus diſtincta nomina. Miram igitur Latinitatem fingit nobis Baronius : *Veſpere* id eſt, cum oritur Lucifer. Porrò hæc interpretatio, vtut abſurdiſſima, à Baronio primò excogitata non eſt ; ſed jam olim ante multa ſecula auctores inuenit & approbatores. In libro homiliarum ſub nomine Euſebij Emiſſeni editarum, ſed quæ ſunt vt docti conijciunt, Eucherij Lugdunenſis, vel Fauſti Regienſis, aut Cæſarij Arelatenſis, extat homilia in ſabbato ſancto habita quæ ita incipit : *Veſper enim qui & Heſperus dicitur, ſtella eſt, quæ alio nomine Lucifer vocatur. Et Heſperus quidem ſiue Veſper vocatur in fine diei : Lucifer vero in principio. Sæpe enim quando oritur, pauciſſimo interuallo Solem præcedit. Quod autem Euangeliſta hoc de ſtella intellexerit, ex eo apparet quod fœminino genere dixit, quæ luceſcit, in prima ſabbati : Ad quid enim niſi ad ſtellam QVÆ pronomen referatur ? Sabbatum autem vnum quemq; diem Iudæi vocabant. Dicatur ergo ; Veſpere autem ſabbati apparente, id eſt illa ſtella quæ Veſper & Lucifer vocatur, jam diem proximam nuntiante. Non autem illam dico quæ apparet in fine diei, ſed illam quæ videtur in principio, id eſt, quæ luceſcit in primâ ſabbati ; hoc eſt, quæ lucere incipit in prima parte diei primi, qui nunc dies Dom. appellatur.* Hæc ille : quum autem multa ſint in ijs homilijs, quæ, manifeſtò arguant, illarum auctorem non fuiſſe Euſebium Emiſſenum, hominem Græcum, neque alium quenquam, vlla Græcæ eruditionis notitia vel leuiſſime tinctum : hic locus inſignis eſt in eam rem. Apparet enim illum qui hæc ſcripſit, nullam penitus Grçcæ linguæ habuiſſe cognitionem : ac ne illud quidem ſciuiſſe, in dubijs ſaltem Græcum textum eſſe conſulendum. Nam quæ argutatur de relatiuo *QVÆ*, abſurda ſunt, quia veritati Grçcæ non congruunt. τῇ ἐπιφωσκούσῃ, vt oſtendimus, aliter accipi non poteſt, quàm vt ſi ſcriptum eſſet, τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἐπιφωσκούσῃ. ellipſis vocis ἡμέρα, notiſſimus eſt Helleniſmus. Quod ſi huius auctoris obſeruatio locum haberet, dicendum foret ὀψὲ nomen eſſe, quod ſtellam ſignificet, & quidem nomen fœminini generis. quo nihil fingi poteſt neque falſius neque ſtultius. Mirum verò eſt, Baronium qui in Patribus Latinis adeo fuit verſatus, hunc locum iſtarum homiliarum non obſeruaſſe : minime alioquin eum prætermiſſurum, vt expoſitioni ſuæ aliquam auctoritatem conciliaret.

CXV. Grauiſſimus

CXV. Grauissimus error Baronij, detrahentis Græco texui Matthæi, præ Euangelio hæreticorum Naz. & Ebion.

ANNI XXXIV. Num. CLXV.

LEue est Baronij peccatum de quo jam diximus, præ defensionis absurditate impietati proxima, quam erroris admonitus à Frontone Ducæo, postremis editionibus inseruit. Insurgit enim in Græcam veritatem,& quantum potest fidem illi omnem atque auctoritatem detrahit: de qua etsi diximus jam ad superiorem annum, in disputatione de verbis Matthæi è cap. XVI. non committemus tamen, vt maneat inulta iniuria, quam sacro textui,per nefas ingens,facit hoc loco pater Annalium. Dico, inquit, *quod Græcus textus cuius fidei sit, nisi collato cum Hebræo originali affirmare non possumus.* Si auctoritas Græci textus Euangelij secundum Matthæum, pendet ab Hebraico textu; quum Hebræa dudum perierint, neque vsquam extent hodie; (sunt qui scribant,reperiri in vno è collegijs illustris Academiæ Cantabrigiensis: sed id nos re diligenter inquisita, falsum esse comperimus:) sequitur necessariò, nullum hodie eius Euangelij debere esse pondus, nullam auctoritatem. Nam vnde illam hodie accipiet, si à se non habet, neque vnquam habuit; sed omne robur olim ab Hebraicis est mutuatum, quæ jam nusquam apparent? Adde quod hæc sententia, fidem Catholicæ Ecclesiæ facit pendere, nefas dictu, ab hæreticorum fide. Nam antiquis temporibus quando Hebræa extabant, soli Nazareni & Ebionitæ hæretici Hebraicum textum sibi vindicarunt, vt testes sunt Hieronymus atque Epiphanius; Catholici Græcum semper à principio sunt amplexi. Ac licet illi hæretici suum illum librum vt authenticum Matthæi iactarent; neque defuerunt fortasse simpliciores Catholici, qui illis fidem haberent, vt conijcere est ex Hieronymo: Ecclesiam tamen Catholicam aliter judicasse, necessariò credendum est, propter duo argumenta. Prius, quia sine iniuria veteris Ecclesiæ dici non potest, passuram illam fuisse, vt impij hæretici vindicarent sibi, ceu proprium, eum textum, quem constaret esse Euangelistæ authenticum. Male sentiant oportet de Ecclesia veteri, quicunque hoc sibi de illa sinent persuaderi. Posterius argumentum est inuictum: nam scimus, illud quod dicebatur Hebraicum Matthæi Euangelium, quodq; Ebionitarum & similium hæreticorum fuit proprium, fabulis insititijs auctum, veris narrationibus truncatum, & miris modis fuisse corruptum. Epiphanius contra Ebionæos, ἐν τῷ παρὰ τοῖς Ἐβιωναίοις Εὐαγγελίῳ, κατὰ Ματθαῖον ὀνομαζομένῳ, οὐχ ὅλῳ δὲ πληρεστάτῳ, ἀλλὰ

ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ, Ἑβραϊκὸν δὲ τοῦτο καλοῦσι. *In Euangelio secundum Matthæū dicto, quod extat apud Ebionæos non vtique toto, neque plenißimo (integro) sed adulterato & truncato ; Hebraicum ipsi nominant.* Apud eundem Epiphanium in fine disputationis contra Nazaræos, ita hodie legitur : ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον, πληρέστατον Ἑβραϊστί. *habent Euangelium secundum Matthæum integerrimum Hebraicè scriptum.* Hic locus contradicit alteri quem modò protulimus : sed est insigne mendum, & οὐ πληρέστατον scribendum, *non vtique integerrimum.* vtroque loco οὐ πληρέστατον dixit *non plenißimum*, significans fuisse admodum imperfectum. elegans est dicendi genus , de quo multa diximus in Polybij fragmentis. quis autem credat tantum virum eo loco appellasse illud Nazaræorū Euangelium *integerrimum* ; quum statim subijciat ibidem, nescire se an genealogias ab Abrahamo ex illo suo Euangelio sustulissent. Duo igitur vitia illi Euangelio hæreticorum Epiphanius obijcit ; quod sit truncatum multis partibus ; & quod sit de industria νενοθευμένον, *adulteratum.* Atque hoc etiam probat exemplum, quod recitat idem post illum locum quem prius descripsimus : sed & aliena multa fuisse inserta ex ijs constat, quæ scribit Hieronymus in Matthęum XII. 13. & multo magis id ipsum euincit putida fabula , quæ ex illo libro narratur eidem Hieronymo in vita Iacobi. En veri & recti canonem Baronianum. Addit ; *nec tute asserere possumus an ille ipse sit Græcus textus, quem transtulit S. Hieronymus.* Sed hęc dubitatio indigna est, quæ à viro bono moueretur ; Nunquam enim alius quàm qui hodieque extat Græcus contextus pijs fuit notus ; neque vetus Ecclesia de eius fide vnquam dubitauit. Et verò ita congruunt cum editione Gręca versio & commentarij Hieronymi, vt hodiernum textum Gręcum in dubium vocare, vel insignis malitiæ , vel stupendæ cuiusdam ignorantiæ, videri possit argumentum. Falsum etiam est quod sequitur ; scribere Hieronymum, *Euangelium Matthæi à nescio quo in Græcum fuisse translatum.* aspernantis verba sunt, quibus vtitur Baronius : Hieronymus cum tota Ecclesia veteri textum Græcum Matthæi semper veneratus est. Gręca Noui, aut Hebræa V. T.[ti] contemnere nouitia est hæresis, Tridenti primum audita. Scribit Hieronymus in vita Matthæi, de eius Euangelio loquens ; *quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est.* Nulla hic contemtus verba, neque vllo pacto reuerentiam Gręcæ veritati debitam lædit , quod ait Hieronymus. Nam etsi nesciebat certò vetus Ecclesia , quis Græcum fecisset Matthæi Euangelium : sciebat tamen, aliquem vel Apostolum vel Apostolicum virum per inspirationem Sancti Spiritus , fuisse interpretem. Scribit Athanasius in Synopsi, illud Euangelium à Mathæo scriptum esse

lingua Hebraica, & eo ſermone publicatum id fuiſſe Ieroſolymis: deinde addit Ἑρμηνεύθη δὲ ὑπὸ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Κυρίου τὸ κατὰ σάρκα. *expoſitum autem eſt à Iacobo fratre Domini, ſecundem carnem.* hic ἑρμηνεύεσθαι pro μεθερμηνεύεσθαι poſitum, de eiuſmodi interpretatione accipiendum, quæ fit transferendo de lingua in linguam : Nam Bellarminus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſt. ſine cauſſa dubitat, de quo genere expoſitionis ſenſerit Athanaſius : quum enim præceſſerit mentio Euangelij Hebraicè ſcripti ; apparet vel cæco, de verſione in Græcum ſermonem ſenſiſſe Athanaſium. ἑρμηνεύεσθαι igitur Athanaſius eo ſenſu vſurpat, quo dixit Paulus I. Corinth. XII. 10. ἑρμηνεία γλωσσῶν, de tranſlatione vnius linguæ in alteram. Geneſ. XLII. 23. מליץ *melits* Paraphraſtæ Onkelus & alij exponunt *meturgeman*, quem nos Galli corrupta voce Chaldaica dicimus *Trucheman* ; is eſt qui vnam linguam transfert in aliam. pro eo dixerunt Græci ἑρμηνευτής; & ita ſæpe alibi. quare etſi fatemur ἑρμηνείαν dici de alia etiam expoſitione ; tamen Athanaſium cum auctoribus ſacris eam vocem illa notione vſurpaſſe, nullũ eſt dubium. credidit ergo ille Pater cum alijs multis, auctorem Græcæ verſionis Euangelij Matthæi fuiſſe Iacobum fratrẽ Domini, primum Ieroſolymorum Epiſcopum. In vita Matthæi, quod antè dicebamus, & apud Theophylactum, interpres fuiſſe dicitur Iohannes Euangeliſta : alij Lucam & Paulum eius verſionis faciunt auctores. Anaſtaſius Sinaita, ſermone in Geneſin VIII. Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τοῦ Ματθαίου τὸ Εὐαγγέλιον ἐκδεδομένου, ἠλλοιώθη καὶ μεθερμηνεύθη ὁ λόγος τοῦ στόματος αὐτοῦ ὑπὸ Λουκᾶ καὶ τοῦ Παύλου εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνήν. Quod negat poſtea Baronius, in dubijs prouocandum eſſe à Latinis ad Græca in hoc Euangelio ; noua nempe iſta ſapientia eſt, quam Patres exemplo ſuo damnant, & à vere pijs reijciendam eſſe etiam cum tacent clamant. Inſpexiſſet ſaltem vel per tranſennam ſemel Hieronymi in Matthæum Commentarios : inueniſſet, Hebraici textus bis aut ter fieri mentionem ; Græca verò laudari minimum quindecies. Laudat tamen Baronius B. Hieronymum, tanquam ſententiæ quam tuetur auctorem : ſed fallitur & locum male capit, quem indicat. Sic Hieronymus : *De Nouo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt ; (excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Chriſti Hebraicis literis edidit :) Hoc certe cum in noſtro ſermone diſcordat, & in diuerſos riuulorum tramites ducit, vno de fonte quærendum eſt.* & *Hoc* indicat Nouum Teſtamentũ, non Euangelium Matthæi ; quod Baronius falſo putauit.

CXVI. *Coniectura in Epiphanio.*

IBIDEM.

SCribit Baronius ex Epiphanio, Pharisæos qui nomina planetarum ex Astronomia Græca in Hebraicam linguam transtulerunt, Veneris stellam appellasse *Seruba Lued.* Verba Epiphanij sic scribuntur, in hæresi XVI. Ἀφροδίτη Σερούα, ἤτοι Λουίδ. *Venus Serua aut Lued.* Existimarunt viri eruditi nomina hæc corrupta esse, ac proinde corrigi debere, vt ad originem Hebraicam reuocentur, quam ita concepta respuunt. Scio Iosephum Scaligerum in Elencho aliter pronuntiasse; non enim esse illas voces Hebraicas; sed propria nomina. At quum cætera fere omnia siderum nomina, quæ ibidem afferuntur, pura puta sint Hebraica; non video, cur de istis vocabulis aliter sit statuendum. Stellæ Veneris Græci & Latini duo nomina tribuerunt: Pharisæos quoque idem fecisse Epiphanij verba demonstrant. An igitur *Serua* corruptum est Luciferi nomen, à צחר vnde & צהר *tsohar*, lumen siue lux. & *tsoharaym* meridies. צ ab Epiphanio expressum per *S*, vt in nomine vrbis *Sidon*, & alijs multis. *Lued* à לאט videri corruptum, docti viri ante nos monuerunt. Id non male conuenit Hespero: non quia Vesperugo luce careat; sed quia noctem antecedit, quæ omnia tegit & tenebris suis inuoluit. לאט siue לוט operire est, atque abscondere.

CXVII. *Cur scriptum sit,* dicite discipulis & Petro.

ANNI XXXIV. Num. CLXXXII.

MArci XVI. 7. dicit Angelus mulieribus, quæ ad Christi monumentum accesserant, *Ite, dicite discipulis eius & Petro.* Quæritur, cur Petrus seorsim à cæteris Apostolis nominetur. Baronius semper sibi similis, nullam aliam caussam nouit, præter primatum Petri. Theophylactus duas rationes affert, quarum prior est grammatica, posterior Theologica. Obseruant grammatici; quoties ita seorsim aliquis nominatur, id fieri honoris caussa. Ita Homerum separare à reliquis Trojanis Hectorem: Iliad. N. Ζεὺς ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσε. sic Aristophanem: ὦ Ζεῦ, καὶ θεοί. Sic prorsus Act. I. 14. B. Virgo seorsim nominatur, σὺν ταῖς γυναιξὶ, καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ. de Petro quoque antè obseruabamus ad locum Matthæi, sæpe illum in Euangelijs & Actis ita nominatum reperiri, quod aliquam honoris prærogitiuam indicare in potestate pari, dicebamus. Hîc tamen an habeat locum ea ratio, merito dubites. Baronius ait *Petrum,*

quantum libet Christum negasset, tamen non ob eam caussam à primatu excidisse. & vere dicit : nam Petrus, quamdiu inter suos condiscipulos est versatus, προκαθεδρίαν fortasse habuit & jus sedendi ante alios, & loquendi pro alijs : at primatum, illum vtique de quo sensit Baronius, non habuit, ne per somnium quidem. quomodo igitur amisisset ? puerile dictum est in scholis Logicorum, Cornua non amittit, qui non habet. Quare futilis est & vana ratio Baronij. Theophylacti verò altera ratio est ; idcirco nominatim cautum esse de Petro, vt scrupulus illi adimeretur, quo poterat jure sollicitari ; ne propter trinam abnegationem discipuli jure excidisset. Verba Theophylacti : Petrum, ait, separat à discipulis, ὡς κορυφαῖον καθ' ἐξοχὴν αὐτὸν ὀνομάζων ἐκτὸς ἐκείνων, vt coryphæum illum nominans per excellentiam, separatim ab alijs. sequitur altera caussa : ἢ ἐπεὶ ἠρνήσατο ὁ Πέτρος, ἐὰν ἦλθον καὶ εἶπον αἱ γυναῖκες, ὅτι προσετάγημεν εἰπεῖν τοῖς μαθηταῖς, εἶπεν ἂν ὁ Πέτρος, ἐγὼ ἠρνησάμην· λοιπὸν μαθητὴς αὐτοῦ οὐκ εἰμί· ἀπέβαλεν οὖν ἐμέ· ἐβδελύξατό με· τούτου ἕνεκεν προσέθηκε τὸ καὶ τῷ Πέτρῳ. *vel, quia abnegauerat Petrus, si venissent mulieres & dixissent, Iussæ sumus dicere discipulis : poterat Petrus dicere, Ego abnegaui : discipulus illius jam ego non sum amplius : reiecit igitur me : detestatus est me : propterea adiecit & Petro.* Chysostomus siue alius scriptor antiquus in editione Sauiliana Tomo VII. pag. 366. in eam sententiam plura disputat ; & caussam cur solius Petri nomen hic sit positum, hanc affert : quia solus Christum abnegauerat ; & solus habuit cur formidaret in Domini venire conspectum. Gregorius Magnus, homilia XXI. in hunc Marci locum : *Quærendum nobis est, cur nominatis discipulis, Petrus designatur ex nomine. Sed si hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui magistrum negauerat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione.* Victor Antiochenus : *Per hoc quod rei huius indicium Petro vult fieri, admonet illas, eum qui propter negationem reiectus videri poterat ; nunc per & propter pœnitentiam, denuo assumptum, & inter cæteros Apostolos æque atque ante rursus numeratum.* Omitto alios Patres ; quorum nemo est repertus tam subtilis, qui ex his verbis Angeli argumentum eliceret pro Petri primatu, id est pro Papæ omnipotentia ; id enim hodie appellatur primatus Petri.

CXVIII. An B. Virgini Christus à resurrectione apparuerit omnium prima.

ANNI XXXIV. Num. CLXXXIII.

ASserit hoc Baronius, ex veteri, vt ait, traditione. Neque ego sane velim contra tendere. Scio Sedulium poetam id olim dixisse, postea alios ; tandemque Rupertum Tuitiensem De diuinis off. lib.

lib. VII. cap. XXV. multis rationibus id conatum esse demonstrare. Scriptura tamen, huius traditionis fidem non solum silentio, verùm etiam contraria affirmatione vocat in dubium. Scribit enim Marcus XVI. 9. Magdalenæ primò Christum apparuisse. Itaque in dramate de passione Christi, petit Magdalena à Maria, hanc sui amoris in Christum, & impensæ operæ mercedem, vt prima illum videat. Πρώτη δ' ἴδοιμι τὴν ἀνάστασιν Κόρη. Μισθὸν γὰρ αὐτῷ τῶν πόνων λάβοιμι τόδε. Ἀθρεῖς γὰρ ἀθρεῖς τὴν ἐμὴν προθυμίαν. Extant apud Patres Græcos & Latinos accuratæ disputationes super Christi apparitionibus post resurrectionem: & harum manifestationum B. Augustinus numerum atque ordinem sollicite inuestigat, De consensu Euang. lib. III. sed neque hic, neq; alius quisquam ex antiquis Theologis, huius apparitionis vllam facit mentionem. Mihi sententia Iansenij non displicet, qui putat, non apparuisse Christum B. Mariæ primæ; quia firmior erat illi fides, quàm vt ipsi opus eo esset. Sic Iohanni non statim apparet, quia credit: Ioh. XX. 8. at Petro se ostendit, qui non plane credit, sed miratur; Luc. XXIV. 12. Hoc melius, quam Christo præcipere quid faciendū ipsi fuerit. Maldonatus ad caput XXVIII. Matthæi *Primum matri suæ apparuisse Christum, non quod Euangelistæ factum dicant, sed quia fieri decuerit, credendum est.* Annon videtur qui sic loquitur, paratum habuisse Domino nostro præcepta morum dictare? Mitto dicere quantam fabulis & mendacijs fenestram aperiant homines fanatici, qui audent ita disputare; credendum est hoc factum à Christo, quia sic decuit facere Christum.

CXIX. *Narratiuncula ex Euangelio Naz. apocrypha. Marcus non scripsit Latine.*

ANNI XXXIV. Num. CLXXXIII.

REfertur mox inter apparitiones Christi illa, cuius meminit Hieronymus in vita Iacobi fratris Domini. Atqui ego putabam neminem reperiri posse hodie, aliquo in his literis iudicio præditū, qui illi narratiunculæ fidem haberet. Sed affert Baronius rationem sui facti; *quoniam*, inquit, *Hieronymus non excipit de apocrypho.* imò verò excipit: eo ipso enim, quod Euangelium illud secundum Hebræos nominat, satis ostendit, eam historiam esse apocrypham. probauimus enim modò, illum librum hæreticorum fuisse proprium, varie ab illis corruptum, & quemadmodum antè dicebamus è Dionysio Carthusiano, *Euangelium Nazaræorum & Ebionæorū inter falsa à Doctoribus semper est computatum.* Gelasius Papa inter reprobos libros nominatim eos recenset,

recenſet, *quos Ebion maculauit.* Tam igitur apocryphum hoc Euangelium, quàm illud quod Thaddæi dicebatur, aut quod Thomæ aſcribebant,& pro vero vſurpabant Manichæi. Reperiri primos Eccleſiæ ſcriptores iſtud Euangelium aliquando laudare,mirum non eſt. Nam quot libros palàm falſos & Gelaſio damnatos citant Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes & alij? qua de re plura in ſuperioribus diſſeruimus. De poſtremo capite Euangelij ſecundum Marcum,recte mox iudicat Baronius poſt viros eruditiſſimos, excidiſſe magno Hieronymo vocem plane ipſo indignam. Sed non pertendit Hieronymus in ea ſententia,quam ſtatim illo ipſo loco epiſtolę ad Hedybiam deſerit. At quod diſputatur in Annalibus,illud Euangelium Romana lingua ab auctore primò fuiſſe ſcriptum; & vitioſos codices Græcorum iam olim è Latinis fuiſſe emendatos: nobis longe aliter videtur: qui ad annum Domini XLV. vbi hoc paradoxum probare conatus eſt auctor, non ſolum argumenta refutamus omnia, quæ hoc ipſi & Bellarmino alijſque nonnullis è neotericis perſuaſerunt: ſed etiam ſolidiſſimas rationes afferimus, quæ plane euincant, illud certe Marci Euangeliũ, quo vtitur hodie Eccleſia Romana,poſterius eſſe Græco, & omnino deriuatum ex illo. Gregorius Naz. non dicit ſcripſiſſe Marcum Latinè,ſed Latinis: quia Romæ fuiſſe dicitur nonnullis,cum ſcribebat. hoc verò Baronij ſententiam non multum adiuuat,vt probaturi ſumus σὺν Θεῷ. Fuiſſe autem iam olim aliena quædam in hoc caput inſeri ſolita,vere poſt Eraſmum obſeruat Baronius. Theodorus quoque Beza, aliam ex antiquis libris protulit appendiculam, & meritò reijcit.

CXX. *Euangeliſtarum ſimplicitas & diligentia in exponendis Domini apparitionibus. Curioſas quæſtiones non mouendas. Ordo manifeſtatationum decem.*

Anni XXXIV. Num. CLXXXVI.

NOn poſſum verbis exprimere, quanta animum meum inceſſat admiratio,quoties illam Euangelicæ hiſtoriæ partem conſidero, quæ eſt de apparitionibus Domini,poſtquam è mortuis ſurrexerat. Nam ſingulos quidem Euangeliſtas ſeparatim quoties lego, toties diuinam illam ſimplicitatem ſtupeo,quæ vbique in Euangelijs elucet: quoties verò quadrigam hanc ſacrorum ſcriptorum ſimul contemplor & inuicem comparo: tantam in narrationis totius ſumma conuenientiam deprehendo,tantam in partibus concordiam, ſi dexter acceſſerit interpres, tantam denique hiſtoriæ certitudinem;

vt nuſquam melius quàm hîc locum habere videatur Græcorum prouerbium; Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. *Sermone veritas amat vti simplice.* Nam quod in nonnullis circumſtantijs diuerſitatem aliquam diligentes Lectores obſeruant; quid hoc ad ſummam narrationis? aut quis ignorat, etiam illos hiſtoricos, qui ex Actis publicis, auctoritate publica, magna induſtria, & ſingulari arte atque ſtudio, ſuas hiſtorias deſcripſerunt, vt Tacitum & Suetonium, in huiuſmodi tamen rebus multa diuerſe narrare? quominus id mirari debemus in tanta, tam inaffectata, ſimplicitate horum ſcriptorum; qui vt ſcribit Auguſtinus in tertio De conſenſu Euang. ſine vlla arte, quicquid ipſis memoria ſuggerebat, in literas referebant. Etſi autem certum eſt, Spiritum Sanctum memoriam, mentem & calamũ ſingulis eorum rexiſſe: non tamen paſſus eſt idem Spiritus Sanctus, ab ea ſimplicitate Euangeliſtas penitus recedere, quæ homines illiteratos & nulla arte excultos decebat, ſicut erudite obſeruat B. Chryſoſtomus, homilia III. in Lazarum. Quare illorum diligentiam curioſitatis plenam non poſſum equidem probare; qui in explicatione huius hiſtoriæ, non pauciores quæſtiones mouent, quàm ſi Magiſtrum Sententiarum interpretarentur. Putes hiſtoriam Euangelicam ludũ eſſe exercendi ingenij; ita nonnulli Interpretũ in quæſtionibus nouis adinueniendis, & ſubtiliter ſoluendis certare inuicem videntur. Non negamus, vel maxime ſobrios lectores in narrationibus iſtis Euangeliſtarum, titubaturos interdũ, & in nonnullis requiſituros, quomodo inter ſe Euangeliſtæ conſentiant: ſed hoc moderatè fieri debet; ſemperque meminiſſe pios oportet; non tam in rebus ipſis difficultatem eſſe, quàm in cæcitate noſtrorum ingeniorum, quæ perſæpe ad clariſſimam lucem mire caligant. Nec dubito equidem arcano Dei conſilio id fieri, vt fidelium exerceatur fides; qui probè norunt, Dei verbo credendum eſſe, non quia ipſi iudicemus omnium quæ ſunt ſcripta rationes reddere nos poſſe: verùm ideo, quia diuina oracula, eo ipſo quod ſunt à Deo profecta, ſint αὐτόπιστα & omni acceptione digniſſima. Quorſum igitur illæ tot quæſtiones? nam ſi curioſitati habenas vltra legitimum modum ſemel laxaueris, nullus erit profectò finis. Accedit aliud malum, quod præclare inuenta à maioribus faſtidiunt neoterici, vt ſubtilitatem ſuam nobis oſtentent. Igitur, quum ante tot ſecula diuinus vir B. Auguſtinus inſigni diligentia, nec minore induſtria, addam etiam felicitate pari, narrationes Euangeliſtarum de apparitionibus Domini, accurate explicarit, ipſas manifeſtationes (Græci vocant ἐπιδείξεις, ἐπιφανείας, φανερώσεις & ὀπτασίας) in vnius hiſtoriæ ſeriem redegerit, atq; adeo numerum illarum inierit; alij etiam

Interpretes

Interpretes Græci & Latini, nonnulli præterea è recentioribus difficultates pleraſque omnes commodè ſoluerint : tamen quaſi nihil actum eſſet, & priores queſtiones denuo ventilantur, & nouæ aliæ plurimæ excogitantur, & ſubtiliter explicantur, non vtique ſine commento. At Baronium vt de his apparitionibus ſcriberet, ipſa inſtituti ſui ratio compulit. Quoniam autem cum illo mihi in quibuſdam parum conuenit, priuſquam pergimus vlterius, breuiter hoc loco, quid mihi de tota re videatur proponam. Dominum noſtrum poſtquam morte victa ad viuos rediјt cum ſuis diſcipulis, aut etiam cum matre, ſua vel quoquam mortalium, familiariter verſatum eſſe, (quod Greci dicunt συναναστρέφεσθαι) vt prius ſolebat, nuſquam legimus: viſum eſſe illum ab Apoſtolis cæteriſque diſcipulis & alijs, ex Euangeliſtarum & Pauli teſtimonijs conſtat, 1. Corinth. xv. 8. Lucas in Actis auctor eſt, Chriſtum non ſolum ὀφθῆναι, viſum eſſe Apoſtolis, ſed etiam quod maius eſt, συναλίσασθαι αὐτοῖς, ſæpius in eundem locum conueniſſe cum ipſis. Iam olim B. Auguſtinus vniuerſam hanc hiſtoriam in ordinem digerens, pronuntiauit, ſiue ὀπτασίας, *apparitiones*, ſiue συνελεύσεις conuentus, reperiri decem in Euangelijs notatos. De numero cum ipſo ſentio : ſeriem ipſam paullo aliter inſtituo. Binæ apparitiones primæ mulieribus factæ ſunt ; quod non caruiſſe myſterio veriſſime obſeruant Patres, & cauſſas adferunt varias. Poteſt etiam illa ratio inter cæteras fuiſſe, quod, vt ſcribit auctor Tragœdię *Chriſtus patiens*, Apoſtoli quidem metu Sacerdotum domi latitarunt poſt Domini condemnationem, niſi quod vnus Iohannes ſupplicio adfuit : at mulieres, quæ minus metuerent (etſi metuebant etiam hæ,) liberius prodire in publicum auſæ, & ad vnguendi corporis Chriſti officium ſeſe accingere. Eius incepti ducem fuiſſe Mariam Magdalenam certum ex Euangeliſtis : quemadmodum & illud quoque ; non ſolam Magdalenam id generoſiſſimi animi inceptū ſuſcepiſſe, verùm etiam alias plures, quæ, vt oſtendit Lucas, xxIII. 49. è Galilæa Chriſtum fuerant ſecutæ. iccirco in carmine illo ita ſcribitur.

Ἄμμες δ' ἐφεψόμεθα (ita legendum;) σὺν αὐταῖς κόραις,
Ἄλλαι τε πολλαὶ Γαλιλαίας θρεμμάτων.

Quæritur, ſemelne an ſæpius hæ mulieres ad ſepulcrum acceſſerint. Et quidem bis ſaltem eò acceſſiſſe Magdalenam dubitari non poteſt : ſemel antequā vllum Apoſtolis nuntiū deferret : iterū vnâ cum Petro & Iohanne, vel non multo poſt ; Iohan. xx. 11. Itaque ait Magdalena apud Gregorium Nazianzenum, ſiue is eſt, Apollinaris Laodicenus:

Οὐκοῦν ἄπειμι καὶ φίλοις μύσταις ἐρῶ Ἄρσεν νέκυος· οὐδ' ἀποστρέψω τάχυ.

Sed illud potiſſimum quæritur, vtrum Magdalena & ſociæ mulieres

sociæ mulieres cum ad Apostolos venerunt Christum jam vidissent, an non? affirmant hoc plane disputatores quidam subtiles; quibus placet, non alios Euangelistas ex Iohanne, sed hunc potius è cæteris esse exponendum. Ego vt serram cum quoquam super eo reciprocare nolim; ita dissimulare nequeo, videri mihi Iohannem, qui postremus scripsit, & priorum Euangelistarum scripta legit, lucem illis sua diligentia non rarò ire voluisse fœneratum. tum autem in ratione temporum hunc quàm cæteros esse aliquanto exactiorem, sciunt eruditi. Sed meminerimus etiam hîc eius quod alibi dicebamus, in Scripturis plerumque non esse neq; prius neque posterius. De prima apparitione sic Marcus, XVI. 9. *Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia.* in Greco est ἀναστάς; interpretes Græci & Latini de expositione horum verborum multa obseruant, quæ non exscribo. Tantum hoc dicam; Victor Antiochenus pro certo sumens, Christum prima noctis parte resurrexisse; ne ei sententiæ hic locus Marci obstet, diligenter monet, distinguendum esse post ἀναστάς, & ita deinceps reliqua esse subnectenda. hæc Victoris obseruatio intelligi non potest, si cum Peltano Iesuita ἀναστάς vertas *surgens*. perspicua autem est, si vertas *vbi autem resurrexisset.* meminit & Iohannes XX. 16. Secunda apparitio certa est è Matth. XXVIII. 9. loquente de Magdalena & eius socijs mulieribus: *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens Auete.* Secutæ sunt duæ aliæ manifestationes, quas propterea coniungo, quia vtra illarum vtram præcesserit, non potest sciri. Vna est duorum discipulorum, qui Emmaum ibant: cuius mentio quidem habetur Marci XVI. 12. at descriptio accurata est Luc. XXIV. 13. Cleopam vocat Lucas alterum horum discipulorum: alterum fuisse Nathanaelem, idque pro comperto tradi ab Epiphanio aduersus Saturnilianos, demiror. non minor Ambrosij securitas, qui Commentarijs in Lucam Cleopæ socium adiungit Ammauntem: ficto nomine sine dubio, ex appellatione vici Emmaus, siue Ammaus, vt Iosephus & alij nominant. non melius alij, qui vt Theophylactus ostendit, è Lucæ silentio colligunt ipsum Lucam fuisse. Quarta apparitio fuit, cum Dominus à Petro est visus. hoc factum est, vel prius quam euntes duos discipulos Christus consequeretur; vel postquam finito colloquio cum duobus discipulis ab ijs recessit. Nam Christus minimo tempore Spiritus instar, emensus est spatium inter Emmauntem & Ierusalem. itaque potuit in vrbem reuersus Petro se ostendere, prius quàm aduenirent Cleopas & eius comes. Tale quid factum esse euincunt Apostoli, qui illis duobus discipulis reuersis, & nuntiantibus se Christū vidisse, ipsi quoque nar-

rant, Petro Dominum apparuiſſe. Luc. x x I v. 34. quod factum eſſe poſt duorum diſceſſum ab Vrbe dubitari non poteſt. Quinta apparitio contigit, nocte ſecuta diem reſurrectionis, ſed admodum jam prouecta. Nam vbi duo illi redierunt ad Apoſtolos, non ita multo poſt dum ipſi ſtupent, nec poſſunt qui non viderant Chriſtum, inducere in animum, vt vera eſſe crederent, quæ audiuerant à Magdalena alijſque mulieribus, deinde à Petro, poſtremò à duobus diſcipulis, qui modò aduenerant; ecce Chriſtum in medio illorum. Rem fusè deſcribit Ioh. x x. 19. vbi οὔσης ὀψίας non intelligendum eſt de veſpere, neque de prima parte noctis inſecutæ diem Dominicam: ſed fere vt ὀψὲ in illo Matthæi ὀψὲ σαββάτων. diſceſſerunt enim Emaunte duo diſcipuli inita jam veſpera, vt colligitur è Luc. xxIIII. 29. Aberat Emaus ab Vrbe ſtadia ſexaginta, vt ait Lucas & confirmat Ioſephus, Belli libro ſeptimo, cap. xxvII. nam Ruffini codex, vbi triginta dũtaxat ſtadia numerantur, è Græco debet emendari. Videtur dicere Lu. v. 36. mox à reditu duorũ, ταῦτα αὐτῶν λαλούντων, dum iſtis de rebus inter ſe loquerentur Apoſtoli & diſcipuli, interueniſſe Chriſtum. ſed modicum ſaltem aliquod, niſi fallor, interceſſit ſpatium temporis, dum inter ſe agunt Apoſtoli, quorum alij credebant, vt illi duo, & Petrus, qui viderant, & Iohannes, qui etſi non viderat, credebat tamen, Iohan. x x. 8. alij non credebant, ne tum quidem, vt expreſſe notant Euangeliſtæ. Ex verbis Marci coniecturam facio, Apoſtolos poſtquam cænati eſſent, remanſiſſe in ſuis tricliniaribus lectis, dum remota menſa ſermones longos trahunt. Scimus poſt Euchariſtiæ inſtitutionem tale quid eſſe factum. Nam ait Marcus, ſuperueniſſe Chriſtum ipſis ἀνακειμένοις, id eſt dum adhuc hærebant in illis ipſis lectis, vbi aliquanto prius aſſederant. id enim proprie eſt ἀνακεῖσθαι· quæ tamen vox ſępe vſurpatur pro κατακεῖσθαι. Suidas; ἀνακεῖσθαι, πολλάκις ἀντὶ τοῦ κατακεῖσθαι. Veteres ſolitos fuiſſe ſedere in lectis, ſtudere, meditari & quieſcere etiam interdiu, ad Suetonium olim probauimus. Omnino verba Marci ad hanc apparitionem putem referenda cum bona parte interpretum, etſi Auguſtino aliud viſum, & Baronio etiam. Arbitratus eſt Baronius nouiſſimam omnium manifeſtationum illam fuiſſe, quia Vetus Interpres vocem Marci ὕστερον vertit *nouiſſime.* atqui ὕστερον eſt *poſtea, deinde*, non autem *nouiſſime.* & miror Theodorum Bezam, virũ Græce doctiſſimum, vertere *poſtremò.* Sed Beza, cuius eſt in illum Marci locum eruditiſſima obſeruatio, reſpexit non ad tempus apparitionis; verùm ad ordinem à Marco inſtitutum in ſua narratione. nam alioquin etiam ille Marci narrationem refert ad apparitionem paullo poſt Cleopæ aduentum factam. Atque hoc & narrationi Marci, ſi

quis

quis diligenter illam expendat, melius conuenit; & etiam aliâs multo est probabilius. Nam Baronius existimat, Dominum sub ipsum assumptionis suæ tempus cum Apostolis suis cibū sumpsisse, quod mihi persuaderi non potest. Nam quare tum comedisset? statim quidem à resurrectione, & tantisper dum adhuc discipulorum animi confirmationis egebant, cur ederet Christus, manifesta fuit caussa: at in ipso articulo assumptionis, postquam per dies quadraginta sępe Apostoli illum vidissent, sæpe cum illis Christus conuenisset, Thomæ incredulitatem correxisset, & miraculo piscationis atque alijs sine dubio pluribus, ad πληροφορίαν suos saltem Apostolos perduxisset: quis credat etiam tum Apostolos opus habuisse hoc fidei suæ adminiculo? Nam, quod etiam atque etiam notandum est, de solis Apostolis loquitur Marcus in eo versiculo de quo est quæstio, vt etiam B. Augustinus obseruat. Quod autem Baronius etiam verba Lucę XXIV. 41. 42. ad illam nouissimam apparitionem refert, & epulas assumptionem antecedentes; quin toto cœlo erret, ne ambigi quidem potest: quūm sit luce meridiana clarius, de apparitione illa Lucam ibi sermonem habere, quæ statim post reditum duorum contigit. Augustinus lib. III. Consensus: *Lucas & Iohannes satis dilucide manifestant, ipso die resurrectionis eius, visum esse Dominum in Ierusalem à discipulis suis.* Obseruent igitur studiosi historiæ sacræ, quod non animaduertit Baronius, Lucæ narrationem de hac quinta apparitione continuari vsque ad versum 43. inclusiue. Postea cum ait, *Et dixit ad eos*, de alijs apparitionibus ipsum intelligere, quarum tempora non adnotat. solere hoc pacto Euangelistas continuare interdum res, quæ diuersis temporibus acciderunt, notius est, quàm vt exemplis hoc loco sit probandum. Minus recte igitur Baronius & hîc, & num. 197. & num. 212. Lucæ narrationem accipit. Sextam declarationem huic continuo subijcit Iohannes XX. 26. prior insignis facta est etiam propter Thomę absentiam: hæc secuta est post octo dies, dominica nempe proxima, cui interfuit Thomas, vt fuse exponit Iohannes. Septimo visus est Dominus non iam in vrbe, vt semper hactenus, sed ad mare Tiberiadis; quum eò piscatū se contulissent Petrus, Thomas, Nathanael, Iacobus & Iohannes filij Zebedæi, & alij item duo discipuli. Octaua ὀπτασία fuit in monte Galilæę, (Thabor, vt quidam putant,) omnium celeberrima, sicut verè ait Baronius. Indicitur Matth. XXIV. 7. & 10. Marc. XVI. 7. conuenitur eò, Matth. XXVIII. 16. Nonam in vrbe Ierusalem contigisse ostendit Lucas, cap. vlt. 49. Erant enim tum in Vrbe Christus & Apostoli, cùm iubentur ibi exspectare superuenturum Spiritum Sanctum. Quare etiam subdit Lucas Dominum, cùm po-

 stremò

ſtremò exit vt Bethaniam peteret, Apoſtolos ſecum eduxiſſe: ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς Βηθανίαν, inquit Lucas. Decima apparitio, vel potius congreſſus & συνάλισις, die vltimo accidit conuerſationis Domini in terris, cùm Apoſtoli Bethaniam vſque perducti; deinde in aliquem montis Olíueti collem ſunt deducti, vnde in cœlos Filius Dei eſt ſublatus. Hæ ſunt manifeſtationes quarum in Euangelijs facta reperitur mentio. Fratribus ſimul 1 5 & deinde Iacobo viſum fuiſſe Dominũ auctor eſt Paulus; ſed quò poſſimus illas apparitiones in eandem ſeriem cum ſuperioribus digerere, nulla penitus, quod ſciam, conijciendi eſt facultas.

CXXI. *Ioſephi ſcriptoris Chriſtiani* Ὑπομνηστικόν: *& ex eo X. apparitionum Domini recenſio.*

IBIDEM.

EXtat in Bibliotheca Sereniſſimi Regis Iacobi, liber Græcus ſatis antiquæ manus, à Ioſepho quodam, homine Chriſtiano, compoſitus, continens quæſtiones & reſponſiones ex hiſtoria ſacra, in memoriæ ſubſidium compoſitas. itaque titulus libri eſt, Ὑπομνηστικὸν βιβλίον α Ἰωσήππου. *Ioſephi liber Commentarius I.* Hunc ego librum dum percurro, incidi in caput CLI. quod viſum hic ſubijcere. Sic igitur Ioſephus. Αἱ δέκα ἐπιφάνειαι τοῦ Κυρίου, τοῖς ἰδίοις γενόμεναι, μετὰ τὸ ἐκ νεκρῶν αὐτὸν ἐγερθῆναι. Πρῶτον, ταῖς περὶ τὴν Μαρίαν ἐν τῷ μνημείῳ. δεύτερον, τῷ Κηφᾷ μόνῳ, ὡς καὶ ὁ Παῦλος ἔφη· ἔπειτα ὤφθη Κηφᾷ. τρίτον, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων τοῖς μαθηταῖς, τοῦ Θωμᾶ μὴ παρόντος, τῇ μιᾷ σαββάτων. τέταρτον, τοῖς περὶ Κλεώπαν, ἀπιοῦσιν εἰς τὴν Ἐμμαοὺς, ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. πέμπτον, παρόντος τοῦ Θωμᾶ, καὶ τῶν λοιπῶν μαθητῶν ὅτε καὶ τὸν Θωμᾶν ἐκάλει, τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν ψηλαφήσοντα. ἕκτον, ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος ἐν τῇ ἄγρᾳ τῶν ρνγ ἰχθύων. ἕβδομον, τοῖς πεντακοσίοις ἐφάπαξ κατὰ τὸν Παῦλον. ὄγδοον, Ἰακώβῳ κατὰ τὸν Παῦλον. ἔνατον, εἰς τὸ ὄρος ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Κύριος, κατὰ τὸν Ματθαῖον. δέκατον, εἰς τὸ ὄρος τῶν Ἐλαιῶν, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνερχόμενος. *Decem apparitiones Domini per quas ſuis ſe oſtendit, poſtquam à mortuis erat excitatus. Primò* apparuit *Mariæ in monumento. Secundò, Cephæ ſoli, vt & Paulus ait*: deinde viſus eſt Cephæ. *Tertiò, diſcipulis ſuis, quum eſſent januæ clauſæ, & abeſſet Thomas, prima die hebdomadis. Quartò, in fractione panis, Cleopæ, & ijs qui cum illo erant, dum irent Emmauntem. Quintò, cum aderant Thomas, & reliqui diſcipuli, quando etiam Thomam vocauit, vt manus ipſius & latus palparet. Sextò, in Galilæa ad mare Tiberiadis in piſcatione* CLIII. *piſcium. Septimò, quingentis ſemel, teſte Paulo. Octauò, Iacobo, vt ait Paulus. Nonò, in monte Galilæa, vbi Dominus ſecun-*

dum Matthæi Euangelium, discipulis constituerat. Decimò, in monte Oliueto, ascendens in cœlum. Hæc Iosephus; in numero apparitionum cum Augustino consentiens; in explicatione verò illarum, ab Augustino & veritate ipsa non semel aberrans.

CXXII. De sepulcro Domini quædam. Baronij hallucinatio in loco Cyrilli Ierosol. ρίστη.

Anni XXXIV. Num. CLXXXVII.

DE forma sepulcri quædam in superioribus obseruabamus. Baronius multa hoc loco ea de re differit; sed omnia illius vel incerta sunt, vel palàm falsa, vt de loco Cyrilli mox ostendemus. Illud verè Baronius, primam speluncæ illius formam plane esse immutatam: atque id, ante plurima secula, sicut ex Eusebio superius adnotabamus. Quare neque hodiernæ, vel proxime lapsorum seculorum descriptiones existimandæ sunt, veterem formam exhibere: neque ex Adamnano vel Beda eam posse nos discere, arbitrari debemus. Qui existimant speluncas fuisse duas, mihi quidem non persuadent: non magis sane, quàm qui duos lapides fuisse contendunt, non vnum, quod facit Maldonatus; vel etiam tres, quod apud alium eiusdem Societatis, non sine admiratione legi. In Euangelijs, in dramate de passione Christi, & apud Patres, vnius tantum fit mentio. Sacra pagina nos docet, hortum ibi fuisse, & in eo horto rupem, in qua monumentum excisum. Quin fuerit hortus clausus, non videtur dubitandum: ac fortasse, hortus fuerat conuersus in vsum areæ, siue loci vacui ante monumentum, vt supra docebamus è Rabbinis fuisse moris. Habuit igitur suam hortus portam, monumentum suam. lapis enim cuius Euangelistæ meminerunt, non foribus horti, fuit aduolutus: sed vel monumenti, vel conditorij illius, in quo positum fuerat corpus Dominicum. diximus enim antè, in vno monumento, octo vel plura foramina cauari solita, vt essent totidem corporum conditoria. Venio ad locum Cyrilli: quem multi eruditi quum laudauerint in sermone de sepulcro Domini; nemo tamen illorum, quod sciam, animaduertit, Latinum interpretem suis lectoribus fucum misere facere. *foramen* ille & *vestibulum* petræ narrat; quorum in Græco textu Cyrilli nulla mentio. In tota illa Catechesi conatur Cyrillus, testimonia veteris Testamenti historiæ passionis accommodare. Multa igitur affert, & in his nonnulla, longe admodum petita; dicendum enim quod res est. Inter cætera est locus è capite II. Cantici canticorum. Ἀνάστα, ἐλθὲ ἡ πλησίον μου· καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς. ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας. *Surge, veni amica mea: & paullo post.*

in

in munimento petræ, aut *protecto.* Subijcit ibi Cyrillus, adhuc ſua ætate, fuiſſe moris in Iudæa, vt monumenta ſaxea, quale erat Dominicum, ante ipſum aditum haberent σκέπην ex eodem ſaxo exciſam. Ea vox duobus modis poteſt exponi; vel de patua quadam lorica ante monumentum, vt fieri ſolet hodieque: vel de eo quod Latini vocant protectum, aut etiam proiectum: Græci γεῖσον: eſt prominentia quædam ornatus cauſſâ, qua magnarum ædium ſuperliminaria ſolent ornari. Cyrillus, hoc quicquid eſt, vocat & σκέπην & προσκέπασμα. Fatetur Cyrillus, nullum ſua ætate eiuſmodi ornamentum extitiſſe in ſepulcro Dominico: ſed quia forma ſepulcrorum ea fuit, non dubitat affirmare, tale quid fuiſſe prius: & fieri poteſt, vt priorem formam ipſe vidiſſet. Putat igitur, ſuperius allata verba è Cantico Canticorum, prædictionem fuiſſe propheticam ad ſepulcri Dominici ſaxum, & illam in ſaxo σκέπην pertinentem. Hæc eſt illius mens. nullum hic foramen: nullum veſtibulum. Sed Cyrilli interpres ſecutus eſt Latinam verſionem; quæ etſi Hebraicæ veritati melius reſpondet, (nam חגוי ſunt *foramina*, ὀπαὶ non σκέπαι:) ineptiſſime tamen Cyrillo ea interpretatio eſt accommodata, quæ illius mentem ſic corrumpit, vt nullū eius veſtigium in Latina verſione appareat.

CXXIII. *Expenduntur quædam Baronij*: ἔρχεσθαι εἰς τὸ μνημεῖον, & εἰσέρχεσθαι *differunt.* παρεχνύπτειν.

IN CLXXXIX. verba ſunt Baronij: *Ex his igitur omnibus hæc breui quadam ſumma perſtringimus; nimirum fuiſſe in parte Occidentali Caluariæ montis ſpeluncam exciſam.* dixiſſet melius ſic: fuiſſe in parte Occid. Caluariæ montis hortum, & in horto rupem, in qua fuerat cauata ſpelunca, hoc eſt monumentum in quo poſitum Chriſti corpus. Addit: *eámque peramplam in modum veſtibuli, quæ aliam intus continet ſpecum.* non pauca peccat in paucis verbis. de veſtibulo, jam probauimus merum id eſſe figmentum interpretis Cyrilli, & eſt abſurditas magna. Cyrillus ait σκέπην *loricam* aut *protectum*, ſicut expoſuimus. interpretes & Baronius, & plures alij qui de hoc argumento ſcripſerunt, ſomniant neſcio quod peramplum veſtibulum. Alter error, quod monumentum vnicum, vt clare apparet ex Euangeliſtarum verbis, diuidit in ſpeluncam, quod eſt illud fictitium veſtibulum, & ſpecum: de qua ſubijcit: *rurſumque intra eam exciſum fuiſſe ſepulcrum Domini.* ſed hoc quoque eſt παρὰ τὴν ἱστορίαν, aut certe teſtimonio Scripturarum caret. Nec pluris facienda interpretatio loci Iohannis quæ ſtatim ſequitur.

Ait

Ait Iohannes de ſe poſtquam veniſſet ad monumentum vnâ cum Petro, XX. 4. *Et ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro & venit primus ad monumentum. Et cum ſe inclinaſſet vidit poſita linteamina: non tamen introiuit.* In Græco textu diſcrimen ponitur inter ἔρχεσθαι εἰς τὸ μνημεῖον & εἰσέρχεσθαι εἰς τὸ μνημεῖον. Qui attentè legerit verba Euangeliſtæ, non dubitabit Iohannem de ſe dixiſſe ἔρχεσθαι εἰς τὸ μνημεῖον, vt ſignificet, ſe intra horti maceriam fuiſſe progreſſum, & ad ipſam januam corpus ſuum admouiſſe; vt qui volunt per feneſtram foras ſpectare, non ſolum accedunt prope feneſtram, ſed etiam ipſi incumbunt & innituntur. Quare id quoque ait Iohannes à ſe factum, vt capite inclinato per januam ipſum monumentum oculis luſtraret. vtitur Iohannes verbo παρακύψαι, quod propriè geſtum ſignificat reſpicientium per feneſtram. Geneſ. XXVI. 8. καὶ παρακύψας Ἀβιμέλεχ διὰ τῆς θυρίδος, εἶδε τὸν Ἰσαάκ. Prou. VII. 6. ἀπὸ θυρίδος ἐκ τοῦ οἴκου αὐτῆς εἰς τὰς πλατείας παρακύπτουσα. & ita perſæpe junguntur παρακύπτειν & θυρίς. dicitur & de eo qui obiter caput inſerat in januam, vt introſpiciat. Sapientiæ Sirach. XXI. 25. Ἄφρων ἀπὸ θύρας παρακύπτει εἰς οἰκίαν. Baronio placet, Iohannem introijſſe vnam è duabus ſpeluncis & ad ſecundam acceſſiſſe. Verum iſtud quidem diuinare eſt, & à Scripturæ verbis diſcedere. Male etiam probat humilitatem ſepulcri ex eo, quod dicitur Iohannes ſe inclinaſſe. nam Græca veritas habet παρακύψαι, quod ſiue de feneſtra ſumatur, ſiue de janua, nullam inclinationem corporis deſignat, qualem ſibi finxit Baronius: ſed protenſionem colli potius, cum modica corporis incuruatione. qui poſitus corporis multum diſtat ab inclinatione demittentis ſe in locum humilem.

CXXIV. *Acta Longini apud Metaphraſtam.*

Anni XXXIV. Num. CXCI.

IN Actis Longini Centurionis, quæ refert Baronius ex Metaphraſte legimus, *ipſum cum veſte & cingulo dignitatis, ipſam quoq; exuiſſe malitiã:* quam veſtem hic auctor intelligit? non enim probari, opinor, poteſt, ætate Auguſti inſigne militiæ aut centurionatus fuiſſe aliquam veſtem: niſi fortaſſe de ſago intelligat. Cingulum quoque ſcimus fuiſſe commune omnium, qui caſtra ſequebantur: ſed cingulum dignitatis in ſcriptoribus ſeculi Auguſti non inuenias. Ego inſigne Centurionatus illorum temporum aliud nullum noui, præter vitem. Hæc vt falſitatem illorum Actorum non probant: ita apud intelligentes antiquitatis, in ſuſpicionẽ aliquã fidẽ illorũ vocant. Integra Acta ſi haberemus, fallor, aut certioribus veſtigijs ad veri cubile deduceremur.

CXXV. Locum

CXXV. *Locus Sozomeni expenditur.*

ANNI XXXIV. Num. CXCIV.

APud Emmaum fuiſſe fontem medicamentoſum, quod Sozomenus ait, Domini miraculo ibi inſtitutum, videntur ignoraſſe Euſebius & Hieronymus eius interpres. nam Euſebius hoc tantum ſcribit, Ἐμμαοῦς, ὅθεν ἦν Κλεόπας, ὁ ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίῳ· αὕτη ἐστὶν ἡ νῦν Νικόπολις, τῆς Παλαιστίνης ἐπίσημος πόλις. nec plura Hieronymus de locis Hebraicis. Quod igitur ait Sozomenus, ex antiqua traditione ſolis indigenis nota, id eſſe compertum; de antiqua traditione intelligendum, quæ poſt tempora Euſebij & Hieronymi primum innotuerit: quare non habebit hic locum ἀρχῆθεν *ab ipſo primordio*, quod ait eo loco Sozomenus. Sed poteſt fieri, vt & Euſebius & Hieronymus miraculum à Chriſto factum ignorarent. Quod vero ait Sozomenus, Euangelia vocare hunc vicum Ἐμμᾶ, aut parum emendatis libris eſt vſus, aut memoria eſt lapſus. nam omnia exemplaria habent Ἐμμαοῦς, Lucæ XXIV. 13. eamque eſſe primorum ſeculorum ſcripturam oſtendit Syrus, qui ſpernens manifeſtum & certum vocis Hebraicæ etymũ à Ioſepho etiam indicatum, Græca formatione nomen hoc efferens, atque illud aſpirans ſcripſit, עמאוס. Arabs Syrum vt fere facit, eſt ſecutus.

CXXVI. *Expenditur Ignatij locus, & varia eius lectio.*

ANNI XXXIV. Num. CXCVI.

DE loco Ignatij quem tractat mox Baronius dubito, vtrum ad quartã Domini apparitionẽ illum referam, aut quintam. Ratio dubitandi mihi naſcitur è lectionis diuerſitate, quæ & ſententiarum diuerſitatem parit. Sed expendamus verba Hieronymi. Sic ille de Ignatio in Catalogo. *Scripſit ad Philadelpheos & ad Smyrnæos, & proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochenſem Eccleſiam: in qua & de Euangelio quod nuper à me tranſlatum eſt, ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium, dicens: Ego verò & poſt reſurrectionem in carne eum vidi, & credo quia ſit: Et quando venit ad Petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis; Ecce palpate me & videte quia non ſum dæmonium corporale; & ſtatim tetigerunt eum & crediderunt.* Hic primo obſeruandum, locum Ignatij Hieronymo deſcriptum, non eſſe petitum ex epiſtola ad Polycarpum, vt putat Baronius, ſed ex ea ad Smyrnæos. nam hodieq; ibi leguntur illa verba, non in ea ad Polycarpum: & Euſebius lib. III. Hiſtoriæ eundem lo-

cum proferens,describere se illum ait ex epistola ad Smyrnæos. quare nullum est dubium, quin parentheseos notis adiectis superior Hieronymi locus ita sit concipiendus. *Scripsit ad Ph. & ad Smyrnæos, (& proprie ad Polycarpũ, commendans illi Antiochensem Ecclesiam:) in qua & de Eu.* Polycarpus erat Smyrnæorum episcopus: iccirco illum Hieronymus cum Smyrnæis coniungit. Secundò obseruet studiosus lector, Eusebium quidẽ ignorasse, vnde Ignatius verba Domini esset nactus, quæ commemorat: nam ait Eusebius, οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται. *Vtens nescio vnde sumpto testimonio.* ῥητὰ appellat *testimonium, scripturã*: sed diligentissimũ Hieronymũ inuenisse quod Eusebium fugerat: nẽpe verba quę afferuntur Ignatio extare in Euangelio Ebionitarũ, quod Matthęi authenticũ vocabant. Nec mirũ est, virũ Dei Ignatium citare obiter scriptũ apocryphũ, reijculũ & reprobũ: nam quot libros eiusdẽ farinę laudat Clemens Alexandrinus? verissimũ nempe est, quod antè dicebamus; tempore opus fuisse, vt Ecclesiæ auctoritate reijcerentur multi libri, qui primis seculis auctoritatis saltẽ ancipitis fuerant. Qui igitur propter hanc laudationẽ, Ignatij Hebraicũ Ebionitarũ Euangelium Græco textui Matthæi voluerit pręferre, quod paullo antè faciebat conditor Annalium; grauẽ & periculosum errorẽ errauerit. Gemina ratione, Christi Euangelium secundũ Ægyptios, Matthæi Apostoli Traditiones, Barnabæ Acta, Chami prophetia, & similes quisquiliæ, quarum meminit Clemens Alex. in censum librorum Canonicorum potuerint transscribi. Quin est fortasse verius, non ex Euangelio Hebraico Ignatium illa verba descripsisse, verùm traditionẽ allegasse, non scriptá; quę postea in literas fuerit relata, & Hebręorũ Euangelio, quod Matthęo tribuebant, inserta. Tertiò obseruandũ, ex Hieronymi versione ista, *Ego verò & post resurrectionẽ in carne eum vidi, & credo quia sit;* constare legisse ipsum in epistola Ignatij ad Smyrnæos, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν εἶδον, καὶ πιστεύω ὄντα, nam *vidi* est εἶδον, non autem οἶδα, vt hodie legitur in editionibus Epistolarũ Ignatij, & apud Eusebium quoque, lib. III. cap. XXXVII. & Ruffinus etiam legit οἶδα, vt versio arguit: *Ego autem post resurrectionẽ quoq; in carne eum scio fuisse, & credo.* Hęc lectionũ diuersitas, magni momenti est: nam altera lectio tribuit Ignatio certitudinẽ fidei, quæ pijs omnibus est communis: altera hoc amplius, etiam sensus & oculorũ: quæ an conueniat Ignatio per ętatẽ quæstionis est: qua de re nos alibi, cum Deo propitio. Postremò obseruetur; Hieronymũ qui sic vertit è Græcis, *Et quando venit ad Petrũ, & ad eos qui cum Petro erant*, nisi aliud agens vir summus hallucinabatur, vt sæpe alibi in Græcis vertendis fecit, legisse ὅτε πρὸς Πέτρον, καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἦλθε: quum scribatur hodie simpliciter, ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθε: quæ est notissima locutio Gręcorum, significans, *quando venit ad Petrũ*:

quanquã Ruffinus aut aliter legit, aut ex inscitia, vt vbiq; solet, errauit. Sic enim vertit, *Nam & cùm venisset ad Petrum cæterosq́.* Hæc quoque scripturæ diuersitas non parui momenti est. Baronius, qui historiam Ignatio narratã refert ad apparitionẽ quam nos quinto loco supra recensuimus, refutatur à lectione quæ sola extat hodie cum in Ignatij codicibus, tum in Eusebianis, quãq; esse veram vix videtur dubitandũ. Quare si Græca sequimur, ad quartam potius demonstrationẽ narratiuncula Ignatiana fuerit referenda. Nec obstat, quod plurali numero illa dicuntur, λάβετε, ψηλαφήσατε, ἴδετε, *prehendite, palpate, videte*: nam Græca locutio vsurpata Ignatio, etiam in numero multitudinis, vt & pueris notum, vnum designat.

CXXVII. *Sententia Baronij; Sacerdotes habere potestatem remittendi peccata eandem cum Christo.*

ANNI XXXIV. Num. CXCVII.

POst hæc redit Baronius ad primariũ suũ scopũ; quẽ sæpe diximus eum fuisse, vt ad stabiliendã Ro. Pontificis dominationẽ, omnẽ referret cum sacrã tum Ecclesiasticã historiam. Quum igitur actuum Domini in terris versantis, pars illa restet explicanda, quæ eos sermones continet, quibus ipse Apostolos suos in suo munere instituit, & præsidijs necessarijs instruxit ad salutẽ humani generis procurandã: Baronius hanc sacræ historiæ partem sic describit, vt è singulis prope Christi dictis factisque, firmissima quædã, vt ipse putabat, argumenta eliciat pro primatu Petri, hoc est, Papæ Ro. omnipotentia, & absoluto imperio in omnes fideles, etiam Reges & Principes, in ipsa Concilia, deniq; in vniuersum Orbẽ terrarũ. Age igitur doctrinã Baronianam expendamus. Primus qui ab eo tractatur locus, est hic Ioh. XX. 22. *Quorũ remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Hic notat pater Annalium; potestatem dimittendi peccata, & pœnitentes absoluendi, quam in Ecclesia sua extare Christus voluit, sic primò Apostolis suis fuisse tributam, & deinde per hos successoribus suis, ita esse communicatã; vt omnes habuerint, & nunc etiam habeant EANDEM *potestatem, quam ipse Christus vt homo accepit à Patre.* Hęc verba quam vim habeant, non omnes qui legunt, statim intelligunt: continent enim κρύψεως Baronianæ, de qua antè dicebamus, illustre exemplum. Quippe si omnes presbyteri, qui pœnitentes absoluunt, eandem habent potestatem, quam Christus accepit à Patre; potestas Papæ, qualis erit & quanta? Porrò EADEM POTESTAS bifariam accipi potest: vel ratione originis, vel ratione paritatis. Priore sensu recte dicimus, omnium magistratuum, quà maiorum, quà mino-

rum,

rum, qui ab vno Rege dependent, eandem esse potestatem: habent enim commune principium, Regem nempe; in quo est, & à quo manat omnis potestas, quę Regijs ministris & magistratibus communicatur. Non enim diuersæ potestates sunt, verùm vna atq; eadem, per quam iudicia administrantur in suprema Curia Parisiensi aut Tolosana, & in inferioribus subsellijs deinceps per gradus, vsque ad ipsos iudices pedaneos, aut vicorum Castellanos. Imò, siue Rex ipse ius dicat, quod S. Ludouicum assidue fecisse legimus, siue per alios reddi iubeat; eadem est potestas, numero quidem, & ratione originis. Sed vsitatius *eadem potestas* duorum esse dicitur, qui non solum eandem numero sustinent dignitatem, vt ab eodem capite manantem; verùm etiam, qui ex æquo tantundem possint. Nam *eadem potestas*, & par atque æqualis potestas, pro eodem solent accipi: plane vt apud Græcos ἡ αὐτὴ ἀξία, idem est atque ἴση. & ita loquitur Chrysostomus, in caput II. ad Gal. Sic binorum Consulum eandem fuisse potestatem dicimus. Quæro igitur quo sensu dicatur in Annalibus, Apostolorum successores qui hodie pœnitentes absoluunt, eandem habere potestatem remittendi peccata, quam Christus vt homo accepit à Patre? Nos contendimus, priore sensu vere hoc & pie dici posse; & Baronio si ita sensit, nihil habemus, quod obijciamus. Nam veterem Nouatiani errorem, aut hodiernum Anabaptistarum furorē, ex animo abominamur. Sed Baronius *eandem potestatem* hic appellat, non solum ab eodem principio manantem; verùm etiam parem & æqualem. eò enim tria illa argumenta spectant, quæ statim subijcit: & conclusio clara est, quam argumentis subtexit. *Igitur*, ait, *in horum arbitrio munus soluendi & ligandi, remittendi & retinendi peccata hominum, à Christo Domino, per Spiritum Sanctum fuisse positum, liquidò constat.* Si dubitas quale arbitrium hîc intelligatur, reter oculos ad hodiernā praxin, & ius illud excommunicandi cogita, quod ab Hildebrandi temporibus, etiam in caussis temporalibus Papæ sibi vindicarunt; eóque instrumento Europam totam suis tonitrubus concussam, cædibus & flāmis toties repleuerunt. Illud est illud proculdubio arbitriū, de quo sensit Baronius: etsi arte sua cryptica vsus, nullum hîc de Papa verbū facit. Non est mirandum conditorem Annalium, Monarchiæ Pontificię animosissimum vindicem, ita sentire & loqui: nam etiam priscis temporibus, quando in Ecclesia, ne auditum quidem adhuc fuerat nomen Monarchiæ, Episcopi sunt reperti, qui à Baroniana sententia non longe abirent. Hieronymi verba sunt, Commentario ad Matthæum, cap. XVI. ET DABO TIBI CLAVES REGNI COELORVM. *Istum locum Episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi*

 de

de Pharisæorum assumunt supercilio; vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: quum apud Deum, non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leprosis, vbi iubentur vt ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quò Sacerdotes leprosos faciant, & immundos; sed quò habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus, quiue immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum, Sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic alligat, vel soluit, Episcopus & presbyter: non eos qui insontes sunt vel noxij: sed pro officio suo, cum peccatorum audierint varietates, sciunt qui ligandus sit, quiue soluendus. Ex his duo colliguntur: prius, non defuisse iam olim, qui sentirent cum Baronio, in arbitrio Sacerdotum positum esse ius remittendi aut retinendi peccata: alterum, quantopere ab ea sententia B. Hieronymus abhorruerit: sensisse autem cum illo Patre Ecclesiam Catholicam, declarant quæ mox dicentur; & vero dubitari de eo non potest. Nunc Baronij rationes expendamus.

C X X V I I I. *Diluitur prima ratio Baronij.*

I B I D E M.

PRima ratio ita proponitur; *Si enim, quod habet liber Numeri, auferens Deus de Spiritu, qui erat in Moyse, ac tradens septuaginta viris, eandem prophetandi gratiam in illos contulit; quomodo non magis decuit Spiritum Christi in posteros propagari?* Sed hoc simile dissimillimum est. Comparentur sane Episcopi & presbyteri cum L X X. viris: imò etiam si lubet, propter Gratiæ prærogatiuam, illis anteponantur. At Moses ne componatur cum Christo in hoc negotio. Non enim sequitur, si LXX. viri capaces fuerunt eius doni prophetandi, quod prius totum residebat in vno Moyse, ita vt postea pares illi sint redditi; etiam Apostolos eius potestatis remittendi peccata, quæ est in Christo fuisse ita capaces, vt parem illi potestatem consequerentur. Ratio est: quia Apostoli quidem ministri tantum fuerunt beneficiorum Dei erga Ecclesiam: Christus verò quà homo, fuit ille quidem διάκονος *minister*, vt vocatur à Paulo, Rom. x v. 8. sed ita vt simul Rex esset, ac dominus Ecclesiæ suæ, imò vniuersi mundi. Nam ait ipse Matth. x I. *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* & Iohan. x I I I. 3. *Omnia dedit ei Pater in manus*; hi similesque loci de imperio loquuntur, quod habuit Christus, non vt Deus, sed vt homo, per hypostaticam vnionem Deo iunctus. Adde quod istos Septuaginta viros, qui de Spiritu acceperunt, qui in Moyse erat, gratiâ prophetandi æquatos esse Mosi, Scriptura non dicit. quæ hoc potius docet; facultate quadam publicæ rei

administrandæ

administrandæ eos fuisse ornatos ; gratiam autem prophetandi, ad conciliandam ipsis auctoritatem, & vocationem ipsorum declarandam valuisse. Itaque initio tantum illa reperiuntur vsi, non autem postea. Hæc est sententia Theodoreti, quem vide, quæstione xx. in Numeros. Obseruet autem Christianus Lector, Baronium probare sententiam suam magno argumento : *quia sic decuit.* nempe iudicio ipsius, ita fieri decebat : sed nos paullo ante dicebamus, quàm periculosum esset hoc argumentationis genus : quum insanissimæ sit audaciæ Filio Dei velle præscribere, quid ipsum decuerit, non ex ipsius verbo, sed ex humana ratione.

CXXIX. Diluitur secunda Baronij ratio.

IBIDEM.

SEcunda ratio ducitur à comparatione potestatis remittendi peccata, cum potestate faciendi, hoc est sacrificandi. Vult nempe Baronius ; quando tributa sit Sacerdotibus Christianorum sacrificandi potestas ; non debere mirum videri, quod data ijsdem sit potestas remittendi peccata. Respondeo, verissimum esse, quod hic dicitur, modò recte exponatur, & ex mente veterum Patrum. Probauimus in disputatione de sacrificio, dici Sacerdotem sacrificare & offerre Christum, quando sacrificij in ara Crucis semel facti & Deo Patri oblati, memoriam celebrat : *passio est enim Domini sacrificium quod offerimus*, inquit Cyprianus in epistola ad Cæcilium. Christus verò jam neque morti, neque passioni obnoxius : & Sacerdotium illius esse ἀπαράβατον ac nemini communicabile docet Apostolus ad Hebr. VII. 24. Igitur, sicut dicuntur sacrificare, qui non mactant, neque cædem patrant, sed cædis semel factæ memoriam Deo offerunt, & populis annuntiant : sic remittere peccata is dicetur, qui verbis Christi pœnitentibus remissionem peccatorum pronuntiat, & qui vt Lombardus ipse loquitur, *ostendit homines ligatos vel solutos.* Sic dicebat Augustinus, sanctificare Dominũ, sanctificare & Mosem ; sed diuerso modo : Moysem visibilibus sacramentis, per ministerium suum : Dominum autem inuisibili gratia per Spiritum Sanctum. Quæst. in Leuit. cap. LXXXIV. vbi etiam de Noui Testamenti sacramentis non aliter sentiendum esse, diuinitus explicat. Quare falsissimum est, Sacerdotem eadem potestate agere, qua agit Christus. Sed hoc melius sequentia demonstrabunt.

CXXX. *Tertia ratio B. à testimonio Patrum. Chrysostomi sententia super proposita quæstione; item aliorum Patrum. Scopus librorum Chr.* De Sacerdotio.

IBIDEM.

Tertio loco affertur Patrum testimonium, nominatim Chrysostomi, de hac admiranda potestate sacerdotum. Ait verò: *Et cum ratum certumque sit, neminem peccata dimittere nisi solum Deum; tradendo suis hanc facultatem, in quod sublime dignitatis fastigium Sacerdotes nouæ legis euexerit, vt in hac parte etiam super Angelos sublimauerit, facile potest intelligi. Agunt de his pluribus, tum Iohannes Chrysostomus; tum cæteri Orthodoxorum Patrum.* Attende ad vim argumentationis. Vult Sacerdotes supra omne humanum genus euectos, supra ipsos Angelos esse sublimatos, communicata ipsis à Deo facultate sibi vni propria, remittendi peccata. Nimirum Baronio hac in re Sacerdotes ministri non erant, sed Domini, Christo, quatenus homo, æquales, & eadem cum ipso ac pari potestate præditi. Vt mirum videri non debeat, ponere ipsum in arbitrio Sacerdotum, jus totum vel retinendi, vel dimittendi peccata; quum tamen dicat expresse Augustinus, *non secundũ arbitrium hominũ, sed secundũ arbritriũ Dei dimitti peccata.* De bapt. contra Don. lib. III. cap. XVIII. At per Deũ immortalẽ, quid veræ Theologię principijs magis quam hoc contrarium dici potuit? Nonne passim admonent Patres, distinguendum esse inter ministros gratiæ, & auctorem gratiæ, qui est solus Christus? Nonne etiam Scholastici discrimen statuunt inter *claues auctoritatis & claues ministerij*? Nonne etiam Magister Sententiarum, lib. IV. distinct. XVIII. clarissimis Scripturarum & B. Ambrosij atque Augustini testimonijs euincit, solum illum peccata dimittere, qui solus pro peccatis nostris mortuus est? *Homines*, inquit Ambrosius tractans hunc ipsum locum Iohannis, De Spiritu Sancto, lib. III. cap. XIX. *in remissione peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicuius potestatis exercent.* mox. *Isti rogant, diuinitas donat: humanum enim obsequium; sed munificentia est supremæ potestatis.* Possent in eandem sententiam plurima Patrum testimonia afferri: sed nos Locos Theologicos non scribimus. Quoniam tamen Chrysostomi verbis à Baronio hîc indicatis, omnes hodie abutuntur huius paradoxi defensores; eadem operâ & sui istos erroris coarguemus, & veram illius Patris mentem aperiemus. Error Baronij & aliorum in eo est, quod neglectis tot alijs locis, vbi suam sententiam clare & perspicue Chrysostomus aperit; nonnulla vrgent in libris de Sacerdotio & tanquam simpliciter

pliciter dicta accipiunt, quæ ſanctus ille vir dixit οἰκονομικῶς, id eſt, propter aliquam peculiarem conſiderationem; non autem ſimpliciter, neque abſolute. Conati fuerant viri boni Chryſoſtomo perſuadere, vt pateretur Epiſcopum ſe fieri, aut Sacerdotem, in ſpem Epiſcopatus. ille renuit, & ſingulari techna omnium conatus eluſit: offendit ea res plurimos, præſertim autem conſilij auctores: quorum multi ceperunt ſuſpicari, ex arrogantia & contemptu dignitatis ſacerdotalis, id feciſſe Chryſoſtomum, quod fecerat. & erant non pauci qui hoc crederent, quiq; hanc de viro ſancto famam diſſiparent. Chryſoſtomus igitur hac occaſione impulſus, libros de Sacerdotio illo tempore conſcripſit. Totius illius operis pulcherrimi, præcipuus ſcopus eſt, magnitudinem muneris Sacerdotalis commendare, & modis omnibus extollere. Recte enim judicabat vir prudentiſſimus, ſuſpicionem contemptus, non melius poſſe refelli, quàm eiuſmodi ſcripto, quo Sacerdotij munus ſupra omnia humana eueheretur. Scopum auctoris illa ſcribentis fuiſſe cum primis, vt eam ſuſpicionem quam diximus à ſe amoliretur, ſubinde ipſe inculcat. Pauca loca indicabo. Libro I I. edit. Sauil. p. 16. Tomo V I. ἆρά σοι τοῦ καταφρονεῖσθαι ἄξια ταῦτα καταφαίνεται; ἢ τοιαῦτα εἶναι, ὡς δυνηθῆναί τινα καὶ ἐπαρθῆναι κατ' αὐτῶν; affirmat his verbis, tantam rem eſſe munus Sacerdotum, vt ne cadat quidem in illud contemptus: neque enim poſſe reperiri tam perdite arrogantem, qui aduerſus Sacerdotium ſeſe efferat. Eodem ſpectat quod mox ſequitur. Ταύτης οὖν τῆς φρικωδεστάτης τελετῆς, τίς μὴ σφόδρα μαινόμενος, μηδὲ ἐξεστηκὼς ὑπερφρονῆσαι δυνήσεται; negat Sacerdotium quod conficiendæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ jus habet, poſſe contemni ab alio, niſi furioſo, aut ab vſu rectæ rationis abalienato. Sic paullo poſt ait, poteſtatem remittendi peccata, non eſſe tam paruum honorem, ὡς δυνηθῆναι κἂν ἐννοῆσαι, ὅτι τῶν ταῦτα πιστευθέντων τις ὑπερφρονήσει τῆς δωρεᾶς. *Vt vel cogitari duntaxat poßit, aliquem fidelium eiuſmodi donum fore contempturum.* Clarius verò à tanti criminis ſuſpicione ſe purgans, ait, ἔτι οὖν ἡμᾶς μετὰ ταῦτα τολμήσει τις ἀπονοίας κρίνειν; quaſi diceret, ſe qui ſatis jam oſtendiſſet, quàm magnifice de munere ſacerdotali ſentiret, eo ipſo exiſtimari debere, ab omni ſuſpicione contemptus ſatis ſuperq; purgatum. Conſtat ex his, opus illud ſcriptum eſſe οἰκονομικῶς, vt ſolent Patres dicere: qui diligenter nos admonent, eiuſmodi ſcripta commodæ interpretationis indigere, ſicut alibi ex Athanaſio & Auguſtino obſeruabamus. Solet enim in illiuſmodi ſcriptionibus hyperbolarum multus atque ἀφειδὴς eſſe vſus, & omnium eorum, quæ Græci rhetores appellant dicta παρακεκινδυνευμένα, Latini *è periculo petita.* Neque hoc dico, quod exiſtimem illis de

ſacerdotio

ſacerdotio libris, aliquid contineri, quod excuſationis egeat, vt minus verè dictum. Apage. ſunt omnia ibi pia, omnia vera: ſi modò accipiantur ex ipſius auctoris mente, non ex illorum libidine, qui obtentu ſpiritualium poteſtatem Sacerdotibus vindicant temporalem. idq; eo potiſſimum fine; vt per gradus pateat aſcenſus ad turrim Babylonis: hoc eſt infinitam illam & abſolutam vnius in omnes dominationem Monarchicam. Ab horum propoſito quàm longe abeſſet Chryſoſtomus, ſatis teſtatur vel vnicus in libro ſecundo eius operis locus, vbi negat, vllam coercendi poteſtatem vel datam eſſe Epiſcopis: vel ſi maxime data eſſet legibus ciuilibus, poſſe ab illis exerceri. vide & homiliam 11. in ep. ad Titum, & ſimiles locos. Quod autem non crediderit hic Pater, Sacerdotes poteſtatem remittendi peccata, eandem habere cum Chriſto, quod vult Baronius; innuneris eius teſtimonijs poteſt probari. Pauca tantum hic recitabimus. In eum ipſum locum Iohannis xx. 23. ſcribit ille; propterea prauam Sacerdotum vitam efficaciæ miniſterij ipſorum non officere: quia beneficia illa quorum adminiſtratio illis eſt commiſſa, vnius Dei ſit præſtare. ἃ γὰρ inquit, ἐγκεχείρισται ὁ ἱερεὺς, Θεοῦ μόνου ἐστὶ δωρεῖσθαι. Addit, nullam reperiri poſſe tam emendatam & perfectam vitam, quæ homini conciliet facultatem illa præſtandi; nam hic ſenſus eſt iſtorū verborum καὶ ὅσηπερ ἂν ἡ ἀνθρωπίνη φθάσῃ φιλοσοφία, ἐλάττων τῆς χάριτος ἐκείνης φαίνεται· Subiungit his ibidem, ne Angelum quidem aut Archangelum aliquid eorum poſſe operari, quæ per miniſterium Sacerdotum confert Deus. Vbi vides explicationem loci à Baronio indicati, & à multis ſoliti afferri è libris De Sacerdotio; quo videtur Chryſoſtomus, ſuper Angelos euehere Sacerdotes, propter conceſſam ipſis facultatem remittendi peccata. Idem in oratione de Helia & Petro cauſſam reddit hanc, cur neque Angelus neque Archangelus ἐπιστεύθη ἱερατεύειν, ad ſacerdotium ſit electus; quia natura ſua quum ſint à peccato immunes, peccata populi repentinis fulminibus fuerant vlturi. habitam igitur eſſe rationem infirmitatis humanæ, & ſacerdotium hominibus eſſe permiſſum. Falſum itaque, crediδiſſe Chryſoſtomum, Sacerdotes præſtare dignitate ipſos Angelos. Contrà affirmat idem ſæpiſſime, ad effectum Sacramentorum aut aliarum gratiarū ſpiritualium, nihil prorſus ſacerdotes conferre, niſi miniſterium externum. Ad illum ipſum Iohannis verſiculum, Πατὴρ καὶ Υἱὸς καὶ Ἅγιον Πνεῦμα πάντα οἰκονομεῖ. *Omnia beneficia ſpiritualia Pater, Filius & Spiritus Sanctus diſpenſant.* Sacerdos autem, quid? ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ δανείζει γλῶτταν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ παρέχει χεῖρα; *Sacerdos linguā ſuā commodat,*

&

& manum suam præbet. In I. Cor. hom. VIII. loquens de baptismo, οὐδὲν ἄνθρωπος εἰς τὰ προκείμενα εἰσάγει, ἀλλὰ τὸ πᾶν τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως ἔργον ἐστι. *nihil inducit homo in ea quæ sunt proposita,* (nullam vim confert aquæ) *sed id omne est opus potentiæ Dei.* hom. II. in poster. ad Timoth. ait, sacerdotem os tantum aperire, & symbola dumtaxat perficere; rem ipsam à Deo confici. Sermone LXXXVIII. qui est in Pentecosten, de Eucharistia loquens: οὐδὲν αὐτὸς ὁ παρὼν ποιεῖ ἱερεὺς, οὐδὲ ἀνθρωπίνης ἐστι φύσεως κατορθώματα τὰ προκείμενα δῶρα. *Ipse qui adest Sacerdos, nihil agit, neque possunt dona proposita ab humana natura præstari.* Nota, *nihil agit*; nempe quod ad effectum ipsius Sacramenti. Sic sæpe dicit Augustinus, potestatem Dominici baptismi in nullum hominem à Domino transmitti; sed tantum ministerium. Vide tractatum v. in Iohannem. ibi grauiter Donatistas exagitat, *quod eius potestate putarent se baptizari, cuius ministerio baptizabantur.* Idem, lib. III. de baptismo contra Donatistas: *Mali, facinorosi, carnales, animales, diabolici, à seductoribus suis sibi dari arbitrantur, quæ non nisi munera Dei sunt, siue sacramenta, siue spirituales aliquas operationes, circa præsentem salutem.* Propterea docebant ijdem Donatistæ, gratiam baptismi à malo conferri non posse: quia, *Nemo dat quod non habet:* putabant enim, non solum ministerium dimittendi peccata, sed etiam potestatem, esse penes Sacerdotem: quod non longe abest à Baronij sententia, quam hîc insinuat. Vide Optatum Mileu. libro quinto disputantem aduersus illam hæresin Donatistarum. Maneat ergo firmum fixumque, remittere peccata Dominum, remittere & Sacerdotem; sed cum hac exceptione, quam vt plurimis Scripturarum locis necessariam, proponit Chrysostomus I. Corinth. homil. x. & alibi. εἰ καὶ μία ἡ λέξις, διάφορος ἡ ἔννοια. *dictio quidem vna vsurpatur, sed sensu diuerso.* Maneat etiam quod docet Paulus, neque eum qui plantat esse aliquid, neque eum qui rigat; sed Deum qui dat incrementum esse omnia. I. Cor. III. 7. ad quæ verba vide quæ notat Chrysostomus. Idem cap. IV. 2. *fidelem œconomum* esse illum interpretatur, qui herilia beneficia, quæ Dominus confert in Ecclesiam non vsurpat vt sua, aut in suo arbitrio posita; sed vt dispensator bonus illa administrat.

CXXXI. *De necessitate Confessionis, & impia quorundam dicta super absoluta necessitate tenendi in ea re silentij. Obiter Iesuita Cretensis perstringitur.*

ANNI XXXIV. Num. CXCVIII.

NEcessitatem confessionis colligit auctor, ex absolutionis necessitate. Et quidem indubitatũ in Theologia est axioma, Peccata non remitti à Deo nisi confitentibus. Confessio autem alia est, quæ fit apud Deum; alia quæ apud Ecclesiæ Pastorem. De priore an sit necessaria, omnium præsertim delictorum, & vt fit hodie, accurate disserendi locus erit ad annum Domini quinquagesimum sextum, quò & Baronius lectorem reijcit. Ibi erit exponendum, vtri potius dici, censeriq; debeant rebelles lumini, sicut loquitur Baronius, verba Iobi per frigidam cacozeliam vsurpans; illíne, qui doctrinam de Confessione exigi ad normam verbi diuini, praxin ad consuetudinem priorum seculorum reuocari debere contendunt; an illi, qui rem religiosam, in diræ tyrannidis instrumentum verterunt; quo vt ad parricidia Regum ac Principum & omne nefas tutius abutantur, doctrinâ aliâs laudabilem de seruando silentio post confessionem auditam; in dogma nouum atque horribile verterunt, de necessitate absoluta, sigillum vti vocant, custodiendi, etiam vbi agitur de salute publica, vita Regis, aut alia re quamuis maxima. Eò enim progressa est hæc ἐθελοπερισσοθρησκεία, aut vt dicam melius, crudelissima superstitio, vt non desint qui dicant, Sigillũ Confessionis nullam omnino ob caussam violari debere aut posse: *quamuis ageretur totius Orbis salus, aut ipsius pœnitentis vtilitas; nec pro vitando vllo damno grauissimo innocentis; aut quod esset totius Orbis conflagratio, aut peruersio religionis, & omnium sacramentorum intentata demolitio.* Non fingimus nos ista ad inuidiam, vt parricidarum patronus, hæreticus infamis, Eudæmon-Iohannes Cretensis mentitur. Sunt quæ recitauimus ipsissima verba Henrici Henriguez Iesuitæ, Salamanticę professoris Theologiæ, in Summa Theologiæ Moralis, libro operis totius sexto, De pœnitentiæ sacramento, lib. III. cap. XIX. §. 5. Nec minus istis sunt horrenda, quæ in epistola ad Cardinalem Perronium nuper referebamus, partim nobis audita ex ore Bineti Iesuitæ, partim ab alijs accepta. Obsecro te pie Lector, etiámne illi sunt rebelles lumini, qui hæc nouæ doctrinæ portenta, abominantur? Verùm de his plura, σὺν δὲ τῷ ὑπεραῤῥήτῳ Θεῷ, ad annum Domini LVI. Ibi calumniam refutabimus prodigiosi nebulonis è Creta, qui ausus scribere, propterea nouam istam hæresin de absoluta

necessitate

necessitate seruandi sigilli, nobis non probari; quia apud Suetonium nihil de ea inuenissemus. Probabimus rebus ipsis, quantum temporis parricidarum patronus in sugendis nouarum hæreseon illi similium venenis perdidit; tantum nos, Dei gratiâ, posuisse, in lectitandis Scripturis, & veterum omnium Patrum monumentis. Ibi ego, non apud Suetonium, quæsiui, & hoc nouæ Theologiæ caput, & multa alia. quæsiui, sed non inueni.

CXXXII. *Verba Christi ad Petrum*, Pasce oues meas, *quam vim habeant: & an recte Baronius ad stabiliendam Monarchiam Pontificiam illa referat. Baronij nouæ doctrinæ & hallucinationes aliquot. Alia multa.*

ANNI XXXIV. Num. CCI.

DIcebamus antea, Petram, Claues & verbum *Pasce*, tria esse quasi propugnacula, quibus multum confidant Monarchiæ Papalis hodierni defensores. Propterea Baronius loca illa Scripturæ, vbi sita hæc munimenta doctrinæ Hildebrandinæ, non contentus retulisse in Annales suos; hoc amplius, sententiæ quam tuetur illa accommodat, & vt persuadeat suis lectoribus, jam olim sic fuisse ea loca exponi solita, vehementer adnititur. De loco Matthæi, vbi est nomen Petra, dictum est affatim ad annum superiorem; de verbo *Pasce* apud Iohannem, & de clauibus, hoc loco agitur ab Annalium conditore. Igitur, quum inter omnes constet, Dominum IESVM, Ioh. xx. 21. hisce verbis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; Apostolos ordinasse Orbis totius doctores, vt placet Cyrillo, vel vt alijs, Apostolatum jam ante illis delatum, penitus confirmasse, & plenitudine potestatis instruxisse, quæ ad tanti muneris exactissimam functionem erat necessaria; quæritur, quam vim habeat Domini dictum posterius ad Petrum, Ioh. xxi. 15. 16. 17. *Pasce oues meas.* Baronius antiqnum obtinens, totam illam actionem Domini refert ad primatum Petri sanciendum, id est, ad Monarchiam vnius Ro. Pontificis in vniuersum Orbem terrarum stabiliendam. Nam vt sæpe diximus, sæpe cogimur repetere, appellatione primatus Petri, doctrinæ Hildebrandinæ assertores, dominationem illam infinitam intelligunt, quam ipsi Papæ attribuunt. Petri nomen in eius argumenti disputationibus, ceu aliquod κωμικὸν δορυφόρημα, vt aiunt, ad speciem jactatur. Petro enim nihil quicquam hîc metitur, nihil seritur. Ro. Pontifici, non autem Petro, hæc opera omnis prę̨statur. Quare, quum nemo dubitet Baronium hoc loco per primatnm Petri, eam quam dixi Papæ monarchiam

chiam intelligere; verissimè affirmare possumus, in alienissimum sensum à mente Domini, Domini verba illum torquere. Veteres Doctores, qui vel Commentarios in Iohannis Euangelium scripserunt; vel ex occasione in suis homilijs, aut alijs scriptis hanc historiam attigerunt, obseruant; scopum Domini præcipuum in hac Petri compellatione fuisse, vt ostenderet, quanti ipse æstimaret, & vt loquuntur Latini Patres, quanti meriti res esset, curam gerere de proximo, in ijs præsertim, quæ ad salutem æternam pertinent. Euthymius in hunc locum. *Christus terna vice interrogans, & idem iubens, manifestat se maximi facere præsidentiam super discipulos suos: & hanc omni cura ducit maiorem.* Græce dixit Euthymius τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν. sumpsit enim eam obseruationem à Chrysostomo, qui in eo sermone modò προστασίαν modò κηδεμονίαν *curam* nominat. Scribit igitur in eum locum ille Pater; posse quidem & alia nobis conciliare παῤῥησίαν apud Deum; ὃ δὲ μάλιστα πάντων, ait, παρέχον ἡμῖν τὴν ἄνωθεν εὔνοιαν, ἡ περὶ τὸν πλησίον ἐστὶ κηδεμονία. *sed quod maxime nobis conciliat supernam beneuolentiam, est cura de proximo suscepta.* Hic scopus præcipuus, vel certe vnus è præcipuis huius compellationis. Quod autem Petrum nominatim Christus compellat, rationem hanc afferunt Patres; vt Petrum magis magisq; post lapsum confirmaret, & trinam negationem trina affirmatione contraria deleret. Augustinus in Ioh. tractatu CXXIII. *Redditur negationi trinæ, trina confessio; ne minus amori lingua seruiat, quàm timori; & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens.* Gemina his sunt, quæ scribit Cyrillus in Iohannem, lib. XII. cap. LXIV. item Isidorus Pelusiota libro I. epistola CIII. & CCCLVI. Chrysostomus quoque & Theophylactus atque Euthymius, eandem caussam breuiter attingunt: Leo Magnus, serm. I. de Petro & Paulo. *professio tui amoris in Dominum, trinæ interrogationis est solidata mysterio.* Sed præter hanc rationem, aliam quoque agnoscit idem Chrysostomus, & qui illum vbiq; sequitur, Theophylactus: προστασίαν videlicet Petri, & aliquam honoris prærogatiuam. Verba facundissimi Patris sunt: Τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν, τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; ἔκκριτος ἦν τῶν Ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη ποτὲ αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. *Quid est, cur Dominus cæteros præterit, & cum Petro de his rebus loquitur? erat inter Apostolos eximius, & discipulorũ os, atque illius chori vertex,* siue *coryphæus. propterea & Paulus aliquando ad eum præ cæteris visendum ascendit.* Obserua diligenter, non quærere Chrysostomum, cur aliquam Dominus Petro attribuerit in cæteros Apostolos dominationem, aut Monarchiam in vniuersum mundum; vel cur voluerit reliquos Apostolos Petro esse subiectos, iussis eius regendos,

gendos, vt hodie docetur. Sed quum ſciret & crederet Chryſoſtomus, vt ſæpe affirmat in ſuis ſcriptis, curam paſtoralem ex æquo ad omnes Apoſtolos ſpectaſſe; meritò quærit, cur de re ad omnes in commune ſpectante, Petrum Chriſtus alloquatur. Reſponſio plane confirmat quod diximus: ex qua poteſt quidem illud colligi, Petrum honore quodam præcipuo inter Apoſtolos, ex huius Patris ſententia, excelluiſſe; vt qui eſſet os illorum, & eius chori coryphæus, quas voces anteà expoſuimus: at nouam aliquam dignitatem fuiſſe ipſi collatam hîc à Domino, quæ dominationē in Eccleſiam & reliquos Apoſtolos ipſi pareret; non poteſt vllo pacto è Chryſoſtomi verbis colligi: & errant planiſſime, qui illa aliter accipiunt. Neq; obſtat quod dicit mox τὴν οἰκουμένην Πέτρῳ ἐγχειρισθῆναι, *orbē terrarū Petro fuiſſe permiſſum.* Nam & apud hunc & apud alios Patres eadem verba ſæpe leguntur non ſolum de cæteris Apoſtolis, non minus quàm de Petro, ſed etiam de ſucceſſoribus Apoſtolorum, vt probauimus jam antè, in diſputatione XVI. ad annum ſuperiorem. hoc ipſo loco de Petro & Iacobo in commune dicit Chryſoſtomus, ἔμελλον τῆς οἰκουμένης τὴν ἐπιτροπὴν ἀναδέξασθαι. *Orbis terrarum curam ſuſceptari erant.* Gregorius Naz. de Athanaſio: τὴν τοῦ λαοῦ προεδρίαν πιστεύεται· ταὐτὸν δ' εἰπεῖν, τῆς οἰκουμένης πάσης ἐπιστασίαν. Ait Gregorius, eum qui Alexandriæ eſſet Epiſcopus, quandam Orbis terrarum præfecturam ſuſtinere. Quare etiam hodie Patriarcha Alexandrinus nominat ſeſe, Πάπαν, καὶ πατριάρχην τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, κριτὴν τῆς οἰκουμένης, *Papam & Patriarcham magnæ ciuitatis Alexandriæ, judicem Orbis terrarum.* Nihil igitur, Petro tribuitur à Chryſ. in expoſitione verborum Domini, *Paſce oues meas* (multo autem minus alibi) quod vllo modo aſſertoribus doctrinæ Hildebrandinæ videri poſſit fauere. Vtinam cum Chryſoſtomo Baronius ſenſiſſet; nulla nobis eſſet cum eo ſuper recta interpretatione illorum verborum controuerſia. Sed longe alia fuit illi mens. Percurramus leui pede ipſius verba. Ait Iohannem, poſtquam præcedenti capite finem videretur impoſuiſſe Euangelicæ ſcriptioni, hanc hiſtoriam adtexuiſſe, *vt appareat*, inquit, *hæc eo conſilio ipſum addidiſſe, quod videret ea à cæteris prætermiſſa; quodq; magni eſſent ponderis.* Veriſſimum eſt, hanc hiſtoriam magni eſſe ponderis, vt omnia in Scripturis; vbi nullum eſt iota poſitum temere. Verumtamen, inter contenta diuinis oraculis diſcrimen hoc poteſt obſeruari; quod non ſunt omnia ad ſalutem ex æquo neceſſaria. Illa ſimpliciter ſunt neceſſaria, in quibus dogma aliquod continetur; putà de vno Deo, de tribus perſonis ſacroſanctæ Trinitatis, de redemtione humani generis per Chriſti ſanguinem, de ſacramentis, aut ſimilibus alijs. Exempla virtutum,

tutum, aut historicæ narrationis, remissiore quadam, vt sic dicam, necessitate sunt necessariæ. Quæ pertinent ad prius genus, ea videmus ab omnibus Euangelistis, aut plerisque omnibus esse exposita. Sic de sacramento baptismi agunt omnes Euangelistæ: de S. Eucharistia, omnes prҿter Iohannem, vt quibusdam placet: nam alij aliter de hoc censent, grauibus de caussis. Hæc quum ita sint, si in illis præcipue verbis *Pasce oues meas*, continetur capitis visibilis in Ecclesia institutio, vicarij Christi, Vicedei Monarchæ, vt hodie docemur; quæro quî factum sit, vt illa à cæteris Euangelistis penitus prætermissa, ab Iohanne pene prætermitterentur? Videtur enim hic Euangelista, initio finem scribendi fecisse in fine capitis penultimi: postea verò sententiam mutauit, & caput vltimum adiecit. Quare duorum alterum fortasse, non absurde hinc colligas: aut nihil pertinere illa verba ad institutionem Capitis visibilis, Monarchæ mundi; aut si eò pertinent, non esse eum articulum tanti momenti, quanti hodie putatur esse à multis. Hanc coniecturam non parum confirmat, quod scribit Abulensis Episcopus, in Matthæi caput I I I. quæst. x I x. *Sciendum, quod licet omnia quæ Euangelistæ narrant, ad Christum pertineant, & nihil alienum interponant; quædam tamen sunt magis necessaria de gestis & dictis Christi quam alia. In illis autem quæ non sunt maxime necessaria, licet sint valde vtilia, quidam eorum illa attigerunt, & alij omiserunt. In ijs verò quæ erant omnino necessaria, nullus eorum tacuit; licet quidam plura quam alij in eadem re dicant.* Ex hac obseruatione Tostati, sequitur, non plane esse necessariam doctrinam de Petri Monarchia; quum locus de Petra, apud Matthҿum tantum legatur; verbum *Pasce* dumtaxat apud Iohannem. Ait auctor Annalium: *Iam ipsa piscatione typus quidam ac figura Petri primatus fuerat præsignata; dum ipse primus piscandi inijt consilium, & piscationem aggreditur: & licet alij simul rete iactarent in mare, & ad littus traherent; educere tamen illud ex aquis in terram, Petri solius fuit opus.* Equidem partem hanc narrationis Euangelicæ, mysterio non carere, lubens assentior Baronio: multa enim in Scripturis, per eiusmodi symbola scimus esse demonstrata. Sed addo obseruationi Baronianæ: hoc ipso symbolo egregiè confirmari, quod antè dicebamus: Petrum vel propter ætatem, vel ordinis caussâ, honore aliquo inter Apostolos excelluisse; imperium in collegas nullum habuisse. Ille igitur, vt sodalem se gerit: illi velut maiorem natu fratrem sequuntur præeuntem. Petri verba sunt: Ὑπάγω ἁλιεύειν, *Vado piscatum.* Vix dubitandum videtur, quin Petrus cum hæc dicebat, inuitare eos quos alloquebatur ad piscationem voluerit. iussio tamen hîc nulla: nulla dominationis vmbra. Hic typus veritati insecutæ bellissime respondet. Nam in Actis Apostolo-

rum

rum videbis sæpius incentiuum actionis esse à Petro: ipsum tamen nihil agere pro imperio, nihil quasi dominaretur in clerum, quod obseruat Chrysostomus in illum librum. Sequitur hinc, symbolum hoc nihil pertinere ad illam terribilem dominationem, quam longa dies in Ecclesiam inuexit. Sequitur etiam, illos qui eam vsurpant, nihil pertinere ad Petrum. Scilicet ille Trimalcio, fax quondam Europæ, inter Petri successores poni meretur, in cuius Dictatibus extat hæc inter alias plures eiusdem farinæ, sententia notabilis: *Quod sententia Papæ à nullo debeat retractari: & ipse omnium SOLVS retractare possit.* Quod ait Baronius, Petrum solum eduxisse rete ex aquis in terram; si verum est, miraculo factum esse, credi debet, vt indicat versus sextus. Nam si omnes simul qui erant in naui, rete cum adhuc longius à terra aberat, & à mari plurimum subleuabatur, trahere non poterant; quî potuit Petrus illud trahere, propius ad terram admotũ? Sed è veteribus interpretibus non desunt, qui existiment, Petrum traxisse non solum, verùm vnâ cum cæteris, quos indicauit Iohannes id efficere conatos, quod dicitur hîc effectum. Et hoc admodum verisimile est: licet illos exijsse è nauicula piscatoria dicat Euangelista. Cyrillus obseruat, hoc symbolo significatum esse, Apostolorum laborem non fore inanem: non igitur solus Petrus negotium confecit. Pergit: *Quem igitur piscationis symbolo nouimus coryphæum Apostolorum; Dominus alia ab his diuersa metaphora, gregis scilicet atque pastoris, eundem vniuersalem totius Ecclesiæ demonstrat esse Pastorem.* Hîc quæri potest, quî factum sit, vt articulus fidei de primatu Petri, sic enim hodie traditur, & quidem momenti præcipui articulus; nam id quoque traditur, nusquam in Scripturis extet declaratus, nisi per symbola & metaphoras; mutationem nominis, claues, piscationem, pascendi præceptum. Et hæc quidem omnia de Pètro; nam de Ro. Pontificis imperio, verbum omnino nullum, à principio Scripturarum ad finem. Igitur Hildebrandinæ dominationis fundamentum si quærimus; id situm est in dictis aliquot figuratis de Petro; & in silentio eiusdem Scripturæ de Ro. Papa. Sed quod diuinis oraculis hac in parte deerat, id Papæ ipsi abunde postea suppleuerunt. Sequitur: *Iam olim prædixerat, Tu vocaberis Cephas; Petra scilicet, super quam suam esset ædificaturus Ecclesiam*: de appellatione Cephæ id est Petri, & fundamento Ecclesiæ super Petro, id est fide Petri, satis in superioribus. Demonstrauimus, Baronium & omnes eos, qui hodie contendunt, Simonem non fuisse nominatum à Christo Petrum, sed Petram, & quidem eo sensu, quo ipsemet Christus appellatur Petra, imprudentes in horrendæ blasphemiæ crimen incurrere. Addit postremò: *Rursus eidem ipsi pollicitus erat claues, dicens,*

Tibi

Tibi dabo claues regni cœlorum; impræsentiarum verò hæc felicius implens, ait, Pasce agnos meos; Pasce oues meas. Hic verò Baronius Nouatorem agit insigniter. Est enim noua doctrina, heri & nudiustertius nata, claues Petro promissas Math. XVI. 19. eidem Petro fuisse exhibitas Iohannis. XXI. 15. quando illi dixit Dominus, *Pasce oues meas.* Vetus & recens etiam Ecclesia vniuersa, si nouissima tempora excipias, longe aliter credidit, aliter docuit. Theophylactus in verba Christi apud Matthæum. *Etsi solùm Petro dictum est, DABO TIBI, omnibus tamen Apostolis ea potestas data est. Quando? quando dixit, Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis.* Putabat nimirum Theophylactus, promissionem factam apud Matthæum, fuisse impletam, non Ioh. XXI. 15. vt placet Baronio, cum dixit Christus Petro *Pasce oues meas*; sed Ioh. XX. 23. cum omnibus Apostolis dixit Dominus, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et meritò: sunt enim ipsissima verba, quibus erat vsus Dominus, cum claues promittebat. *Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Euthymius in locum Iohannis XX. 23. *Ante passionem dixerat eis, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram erunt soluta in cœlo. Sed tunc quidem, hoc illis promisit, nunc autem tribuit.* Hæc vetus doctrina, quare hodie repudiatur? aut qui veterem noua commutant, quare non dicantur Nouatores? Sed constat illis sui facti ratio. Excludendi nempe sunt cęteri Apostoli à iure clauium, & à iure pascendi: quatenus sunt hæc iura Petro peculiariter propria, non communia omnium Apostolorum. sic enim mox docet Baronius: etiam in eo insignis Nouator, & veteris doctrinæ desertor, vt ostendemus. Sed interim doceat me, si quis potest, quid sibi velint illa Baronij verba de Christo, *felicius implens ait?* Ego enim non capio, cur aliqua Domini actio felicior quàm alia dici queat. Mortalium actiones secundum plus & minus felicitatis sunt capaces: in Christo Deo & homine, huiusmodi intensioni aut remissioni locus non est.

CXXXIII. *Digreßio, in qua expenduntur quæ scripsit Bellarminus explicans verba Domini* Pasce oues meas. *Ostenditur vanitas aliquot illius argutiarum. Loca aliquot Scripturarum illustrantur.* ποιμαίνω *&* ποιμαίνειν *quo sensu de Regibus & ministris Ecclesiæ dicantur.* pascere virga ferrea. *Alia.*

PRiusquam vlterius cum Baronio pergimus, pauca dicenda sunt de illius loci Iohannis interpretatione, quam nouissima tempora pepererunt: Bellarminus enim libro primo De Ro. Pontifice,

verba

verba Domini ex professo explicans, eá scribit, quæ vel propter nouitatem, vel propter hominis apud multos auctoritatem, vere piorum omnium animaduersione sint dignissima. Probat omnes sine exceptione Petro (intellige autem Papam,) esse subiectos. *Commisit*, inquit, *Dominus Petro curam agnorum, id est populi Iudaici; & agnorum id est, populi Gentilis; & ouium, id est eorum, qui agnos istos pepererunt in Christo qui sunt Apostoli & Episcopi.* Hæc obseruatio speciem aliquam acuminis præ se fert: re vera soliditatis nihil omnino habet. In re autem tanta friuolas coniecturas sequi, oleum est & operam perdere. *Agnos* & *agnos* habet Latina versio: ea res occasionem præbuit huic subtili commento. Si hoc tantum dixero, Græcam veritatem aliter habere, & *oues* in ea appellari, quos vult Bellarminus esse agnos, corruat necesse est totum Bellarminianum commentum. Sed quia ille Græci textus emendatione suam expositionem tuetur; age, rem pressius examinemus. Trinum Christi mandatum ita concipitur in libris Græcis. βόσκε τὰ ἀρνία μου· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου· βόσκε τὰ πρόβατά μου. *Pasce agniculos meos: pasce oues meas: pasce oues meas.* neque vlla quod sciam, in scriptis codicibus diuersitas: nisi quod viri quidám doctissimi testantur, se in vno vetustimo ms. etiam in primo loco πρόβατα pro ἀρνία scriptum reperisse. In Latina verò interpretatione, sic: *Pasce agnos meos: Pasce agnos meos: Pasce oues meas.* Bellarminus, vt quod cupit efficiat, Græcam lectionem ait corrigendam in secunda enuntiatione, & scribendum προβάτια; quia Ambrosius in vltimum Lucæ caput, vertit *ouiculas*. Sed hoc, aut falsum est, aut certe parum firmũ. Nam habet quidem Ambrosius vox *ouiculas*: sed quam ipse Latinum interpretem secutus, de suo vsurpauit in locum dictionis agnos, quæ apud interpretem: quippe, siue dicas *agnos*, siue *ouiculas* non multum sane interest, etsi aliquid fortasse interest. Ambrosium vero quando illa scribebat, Græca non habuisse ante oculos, apparet ex illa quæstione quam mouet super vocibus *diligo* & *amo*. Sic ille: *Illud quoque diligentius intuendum, cur cum Dominus dixerit Diligis me? ille responderit, Tu scis Domine, quia amo te.* affert deinde Ambrosius distinctionem, eruditam illam quidem; sed quæ vocibus Latinis *diligo* & *amo* quæ habet Latina versio, potius conueniat, quàm Græcis Iohannis, ἀγαπᾷς με, & φιλῶ σε: quæ videntur posita ab Iohanne sine vllo discrimine; quare etiam Latina eodem modo accipienda esse adnotat Augustinus: qui mihi videtur ad obseruationem Ambrosij respexisse, cum ista scribebat, tractatu in Ioh. CXXIII. *Vbi etiam demonstratur vnum atque idem esse, amorem & dilectionem; nam etiam Dominus nouissime*

non ait Diligis me, sed amas me. Quod si inter voces quibus Iohannes vsus aliquid est discriminis ponendum: dici potest non absurde; Iohannem in Christi interrogatione vsum esse verbo ἀγαπᾷν semel atq; iterum, vt significaret, Christum desiderasse in Petro amorem perfectum, qualis Deo debetur. Nam in Scripturis, quoties fere amor Dei præcipitur, non φιλεῖν verbum vsurpatur à Græcis scriptoribus sacris; sed ἀγαπᾷν; vt Deuter. VI. 5. XI. 1. Matth. XXII. 37. Luc. X. 27. & amor erga Deũ aut proximos in Scripturis ἀγάπη dicitur, non φιλία. Petrus igitur, qui interrogatus bis per verbum ἀγαπᾷν, semel per φιλεῖν, semper respondens vsurpat verbum φιλῶ; videri queat seriò jam conscius suæ infirmitatis, consulto consilio, verbum aliquod Syriacum vsurpasse, quòd Græco φιλῶ magis respondet, quàm τῷ ἀγαπῶ, quod Iohannes in suo Euangelio seruauit. Ex his constat, Ambrosium Græca non consuluisse, cum *ouiculas* eo loco dixit. quare emendatio Bel. conclamata est. nam eius lectionis neq; apud Græcos Patres, neq; in antiquis mẽbranis vlla mẽtio. Contrà, scriptũ jam olim fuisse πρόβατα, suadet Syrus Paraphrastes, qui vertit ערבי: nam & Mat. X. 6. atq; alibi πρόβατα exposuit ערבא. quãquã videtur Syrus in exponẽdo hoc loco, nõ adeo proprietatẽ dictionũ attendisse, quàm sectatus esse varietatẽ: in singulis enim interrogationibus vocẽ mutauit: quum in Græco sint tantũ duo, ἀρνία & πρόβατα: & in Latino quoque duo, *agni* & *oues*. Arabs contrà, vnica voce in tribus interrogationibus est vsus. Ætate quidem Theophylacti lectum esse πρόβατα, non προβάτια, declarat eius interpretatio. Nonnus quoque Theophylacto antiquior, sic legit; Ἡμετέρων ποίμαινε νοήμονα πώεα μήλων. *Humanos ouium nostrarum pascito greges.* Sed etsi constaret scripsisse Iohannem προβάτια; alia tamen ratio afferri posset, haut paullo quàm Bellarminiana solidior. Valet enim ea nominum forma, vt diuinitus explicat B. Bernardus sermone IV. in Cœna Domini, ad vehementiam amoris declarandam, & affectum tenerrimũ. Hinc illa apud eundem Iohannem XIII. 33. Τεκνία, ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι. *Filioli, adhuc modicum, vobiscum sum*: quę sunt paterni affectus verba plenissima. Sic apud diuinum Paulum, Gal. IV. 19. τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω. & in prima Iohannis epistola septies illa vox reperitur, sinceri & ingentis, vt dixi, affectus index. Dominus igitur cùm dicit ἀρνία & προβάτια, si ita scripsit Ioh. non ad subtilitatem Bellarminianam respexit; sed illum proculdubio inenarrabilem amorem suum erga electos declaratum iuit; quem verbis, factis, semper demonstrauit; vt præ cæteris inculcat Iohannes. Sine caussa interpretes hanc teneritudinem affectus in Christo, dissimulant hoc loco, vertentes *agnos*, quum debuissent *agniculos*, vel *agnellos*: nihil

enim

enim in Scripturis est otiosum ; non dictio, non dictionis forma, non syllaba, non litera. Ac videtur Ambrosius hanc ob caussam, *ouiculas* forma diminutiua dicere maluisse, quàm *agnos* cum vetere : quum fortasse meminisset, in Græcis extare vocem ἀρνία ; etsi in secunda interrogatione aliter habent Græca ; cuius diuersitatis illi tunc in mentem non veniebat. Iam quod Bellarminus *oues* interpretatur de Apostolis & Episcopis ; de his quidem verum est : at de illis, noua interpretatio ea est, vel paucorum veterum ; qui tamen de Monarchia Hildebrandina ne cogitabant quidem. Vult verò Bellarminus, Apostolos, non solum Christi respectu fuisse oues ; vt erant re vera : sed etiam Petri ; in cuius potestate ipsi fuerint, vt ab illo regerentur ; tanquam à superiore, imò tanquam à Domino & Monarcha : nimirũ ex illa sua interpretatione, *Pasce, id est, more Regis impera.* Sed hęc sunt mystarum è schola Hildebrandi effata recentia, & cum Scripturis non minus, quàm cum omnium meliorum seculorum Patribus è diametro pugnant. Adeóne verò frontem perijsse de rebus, vt nihil pudeat viros graues, qui odium Nouatorum, quos ipsi appellant, verbis profitentur, tam noua, tam olim inaudita comminisci? Cedo enim vel vnum è Græcis aut Latinis Patribus, qui hanc expositionem sit secutus. Paparum commenta, vt honori suo velificarentur, nihil moror. Sed ne horum quidem aliquis è vetustioribus proferri potest, qui τὸ *Pasce* exposuerit cum Bellarmino. Ne Leonem quidem Magnum excipio ; qui vnus ex antiquis Papis Petro plurimum videtur tribuisse. Theophylactus verò quàm diuersè? ἀρνία, inquit, τάχα οἱ εἰσαγωγικώτεροι· πρόβατα δὲ οἱ τελειότεροι. *Fortasse per agnellos intelliguntur rudiores: per oues perfectiores.* Euthymius : *Agni & oues dicuntur discipuli,* (olim Christiani omnes nominabantur discipuli & discipulæ ;) *propter simplicitatem ac promptitudinem, ad hoc vt immolentur. & rursum agni quidem imperfectiores, oues autem perfectiores.* Idem sibi volunt & Latini, qui dicunt, Petro traditos esse pascendos, incipientes, proficientes & perfectos. Quod quidem verum est : sed non vni Petro proprium ; verùm omnibus Apostolis commune. Quos omnes quum fateatur Bellarminus, illis verbis, *Sicut Pater me misit, ita ego mitto vos,* fuisse institutos Christi vicarios ; quippe τὸ Χριστοῦ ἔργον διαδεξαμένους, vt loquitur Chrysostomus in illa verba ; & quidem vicarios *apud omnes gentes,* Matth. XXVIII. 19. Luc. XXIV. 47. quæ malùm insania est, quis furor, vicarijs Christi, plenitudine potestatis præditis, (ita docet etiam Tostatus sentiendum esse de omnibus Apostolis, præfatione Comm. in Matthæum :) alium præter ipsum Dominum imponere Monarcham, è cuius nutu pendeant? qui se illorum iactare potuerit dominũ

& Regem? Nam PASCE Bellarmino eſt, Rex eſto. Hæc falſa ſunt, putida, denique noua commenta; & qui illa defendunt, certiſſimi Nouatores. Iam quum in his tribus interrogationibus, duobus verbis vſus ſit Iohannes, βόσκε & ποίμαινε: atque horum alterum, (nempe βόσκε) bis vſurparit, in prima & tertia compellatione: eius tamen Bellarminus rationem nullam habet; alterum, quod ſemel poſitum eſt, vrget acriter & ſpem victoriæ in eo cum maxime ponit. Ratio eſt, quia, vt Theophylactus obſeruat, βόσκειν, curam mitiorem ſignificat: ποιμαίνειν, acrioris imperij videtur habere ſignificationem. τὸ ποιμαίνειν, ait, ἤδη καὶ σκληροτέραν ἐπιστασίαν ἐμφαίνει· τὸ δὲ βόσκειν, τὴν ἠπιωτέραν. Quia igitur ad optatam monarchiam parum facere videbatur verbũ βόσκειν, propterea de illo, etſi bis poſito, eſt altum apud Bellarminum ſilentium. Non ita Græci, qui obſeruant, Chriſtum his duabus dictionibus, Apoſtolos admonuiſſe; vt tam humiles ouiculas, quam validiores oues pariter curarent: & ſic erga tam has, quàm illas ſe gererent, vt rationes ipſarum poſtularent. Vide Theophylactũ. Latinus vnica voce eſt vſus *Paſce*; quæ Græco βόσκε melius reſpondet, quàm τῷ ποίμαινε. *paſco* enim eſt à βόσκω. nam *b* & *p* literæ ſunt permutabiles; vt πύξος *buxus*; Syrus & Arabs vnico verbo vſi, & quidem eodem רעה. Bellarminus igitur multa diſſerit, vt probet, ποιμαίνειν ſignificare *regere* ac *præſidere*: ac propterea Petrum, quando illi dictum eſt ποίμαινε, ea voce conſtitutum eſſe Rectorem & Præſidem Eccleſiæ: atq; vt viam ſibi muniat ad illam nobilem expoſitionem, *Paſce, id eſt, Regio more impera*; notiſſimum poetæ locum affert, qui Regem Agamemnonem dixit ποιμένα λαῶν, *paſtorem populorum.* Affert etiam illud Matth. II. *Ex te mihi exiet Dux, qui regat populum meum.* vbi quum Græca habeant ποιμανεῖ τὸν λαόν, in Michæa tamen, vnde locus putatur depromptus, non eſt verbum רעה *paſco*, ſed מושל quod eſt *dominari.* At hæc omnia fruſtra: & hæc dicere, aërem eſt verberare. Ποιμαίνω ſiquidem & ποιμήν, *paſco*, & *paſtor*, quoties de Regibus dicuntur, ſcopus metaphoræ illius eſt, officium Regis denotare, vt diligenter & leniter populum curet, ſicut paſtores ſolent circa oues eſſe & mites & ſeduli. Nam vt ait Gregorius Naz. oratione I. in elegante deſcriptione muneris paſtoritij, ὁ ποιμὴν ὀλίγα μὲν τῇ βακτηρίᾳ, τὰ πολλὰ δὲ τῇ σύριγγι, *paſtor non multum vtitur pedo, fiſtula verò plurimum.* Ideo & Baſilius Seleucenſis, homiliam in illa apud Iohannem verba ſcriptam, *Ego ſum ille paſtor bonus*, ita orditur: Ἡδὺ τὸ χρῆμα, ποιμὴν τοῖς ὄρεσι νέμων τὰς τῶν θρεμμάτων ἀγέλας καὶ σύριγγος ἤχῳ πρὸς τὴν νομὴν διεγείρων τὰ ποίμνια. Quia enim oues, genus eſt animantium mitiſſimarum; præfecturam quoque paſtoris mitiſſimam eſſe debere, meritò eſt creditum. Iccirco Hieronymus

mus in hæc verba Ezechielis cap. XXXVII. 24. *Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum*, scribit sic: *tantæ erit clementiæ, vt non solùm Rex, sed & Pastor appelletur; eo quod superbum nomen imperij pastoris vocabulo mitiget.* idem epist. ad Damasum; *à pastore præsidium ouis flagito.* significans, propterea Episcopos appellari *pastores*, vt meminerint debere se præsidium & omne auxilium fidelibus, suæ curæ creditis. Grammatici Græci obseruant, nomen ποιμὴν, cùm metaphorice sumitur, vt in illo de Agamemnone, ποιμένα λαῶν, significare, κηδεμόνα, *curatorem*: & ποιμαίνειν, cùm ad Reges aut magistratus transfertur, significare φροντίζειν, *curare*, sollicitum esse de commodis eorum, quorum pastor audis. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. I. cap. VII. scribit in eam sententiam; Dominũ, quando se dixit, *Ego sum ille Pastor bonus*, hoc voluisse declarare; se esse τὸν τῶν νηπίων κηδεμονικὸν ποιμένα. *pastorem illum, qui infantium commodis sollicite prospiciat.* Quam etiam ob caussam Propheta Isaias de Christo ait, cap. XL. 2. *Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fætus ipse portabit.* ex quibus diuinis verbis luculente apparet, Christum non propter dominationem, quam obtinet in suos, dici Pastorem: sed propter amorem ipsius tenerrimum in fideles, & curam quam habet de ipsis inenarrabilem. Hilarius in Psalmum II. *Ne quis temerariæ huic & impiæ præsumptioni locus pateat, proprietates ipsæ verborum in Romanam linguam translatorum, cognoscendæ sunt. Namq; id quod nobiscum est*, reges eos in virga ferrea, *quanquam ipsum* reges, *non tyrannicum, neque iniustum sit; sed ex æquitatis & moderationis arbitrio, regimen rationale demonstret: tamen molliorem adhuc regentis affectum proprietas Græca significat. Quod enim vobiscum est*, reges eos, *cum illis est* ποιμανεῖς, *id est, pastoraliter reges, regendi scilicet eos curam affectu pastoris habiturus.* En luculente à magno Doctore expositum, quid significet *pastor* & *pascere*, cùm de rectoribus Ecclesiæ vsurpantur. Augustinus explicans verba Iohannis X. 2. *Bonus pastor ponit animam pro ouibus*, affert hæc ipsa Domini verba ad Petrum, *Pasce oues meas*, & illa sic interpretatur, *pone animam tuam pro ouibus meis.* Deum immortalem! quam diuersa est hæc expositio, ab illa Bellarminiana, *Pasce, regio more impera*. Vide epistolam Chrysostomi LV. ad Gerontium presbyterum; vbi de officio differit boni pastoris in ouiũ periculo. Neque hoc dicimus, quod putemus, Pastores Ecclesiarũ spirituali potestate animaduertendi, spirituali modo, in rebelles, carere: sed vt probemus, defensores Pontificiæ monarchiæ, cùm verbum ποίμαινε vrgent, vt Hildebrandinam doctrinam stabiliant, quod facit Bellarminus, facere imperite, absurde, ridiculè. Nam si vim verbi & proprietatem Grecę dictionis vrgere velis; melius ac verius è voce ποίμαινε colligas,

colligas, officium boni pastoris esse, vt diuinis oraculis gregem suum assidue pascat, & in Scripturarum lectione, vel auditione, suos assidue exerceat. ποιμαίνειν enim est ἐν τῇ πόᾳ ἔχειν, *manere in herba virente.* diciturque de bono pastore, qui oues sui gregis ad læta pascua ducit, & vt loquitur Gregorius Naz. τῶν χωρίων ἐπισκέπτεται τὰ ἔνυδρα καὶ ἐπίνομα. *loca diligenter inquirit irrigua & compascua.* hoc pastoris ouium irrationalium exemplũ, pastor fidelis ouium rationalium, imitatur: & quum harum ouium πόα & pabulum, sit verbum Dei; id sedulò agit, vt suus grex in auditione, meditatione, lectione, praxi denique Scripturarum, iugiter occupetur. Istud est vere ποιμαίνειν, siue ἐν τῇ πόᾳ ἔχειν; istud est vere pastorem esse. Nam alimentum ouium Christi esse vocem ipsius quis sanus dubitat? quum vt eleganter Basilius Sel. ait, ψυχῆς τροφὴ θείων λόγων ἑστίασις, *animæ nutrimentum sit, vt diuinos epuleretur sermones.* & ante hunc dixerat Athanasius dialogo II. contra Maced. τροφὴ ψυχῆς ἡ γραφὴ, *Scriptura, pabulum est animæ.* Cæsarius Arelatensis, homilia XX. *Lumen animæ, & cibus æternus, non est aliud, nisi verbum Dei.* Eucherius Lugd. de die natali Domini. *Spiritualiter stabulum Ecclesiæ, præsepe scriptura diuina, pastores vero, Episcopi & doctores intelliguntur.* mox: *Vnde scriptum est, Animalia tua Domine inhabitabunt in ea: hæc autem animalia quasi in præsepio, in diuina scriptura, cibis spiritualibus nutriuntur.* & hoc Patres Græci ac Latini locis innumeris studiosissime inculcant. Propterea Nonnus, vocem Dominicam PASCE, sic expressit, Ἄρνας ἐμοὺς ποίμαινε σαόφρονας ἄνθεσι βίβλων. *Pascito Petre meos Scripturæ floribus agnos*: licentius quidem, vt Paraphrastes; sed pie, sed docte, & ex Ecclesiæ veteris fide. Nam vt Leo magnus ait, serm. I. de Petro & Paulo, cum dixit Christus Petro, *Pasce oues meas*, nihil aliud quæsitum ab eo est, *quàm vt pascendis eius quem diligeret ouibus, cibum, quo ipse erat opimatus, impenderet.* Spero vere pios non negaturos, hanc grammaticam obseruationem, probabilliorem esse illorum acumine Sophistico, qui è verbo *Pasce* terribilem omnibus Principibus Papæ monarchiam eliciunt. Quod Bellarminus obseruat, pro ποιμανεῖ quod habetur apud Matthęum II. 6. legi apud Michęam משל quod dominari significat; & id quoque in argumentum dominationis trahit; demiror non vidisse illum, quam facile, quam solide, hæc argumentatio verti in contrarium queat. Nos igitur Bellarmino respondemus. Epiphanium vere & sapienter monere; extare in Scripturis quasdam vt ipse appellat προασφαλίσεις, *præcautiones* possiumus nominare, siue *præmunitiones* aduersus futuros errores, quos quandoque emersuros Spiritus Dei præuidebat. Exempla harum præcautionũ alibi explicamus accurate ex eodem Patre. In eum censum referri debet hæc vocis Hebraicæ

braicæ mutatio in aliam nonnihil diuersam. An enim temere factum putamus, quod vox Micheæ, quæ dominationis significationem habet, in aliam sit mutata, quæ mitius regimen, vt probauimus, denotat? nam Septuaginta aliter verterant, ἔσται εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ Ἰσραήλ. Magnus Chrysostomus hom. in Gen. XVIII. obseruat, Scripturarum eam esse præstantiam, vt nulla sit in ijs syllaba, nullus apex, qui non contineat τινὰ ἐγκεκρυμμένον θησαυρόν, *aliquem intus latentem thesaurum.* Credamus igitur, etiam huius mutationis aliquam esse caussam, & latere mysterium. Vidit hoc acutè Maldonatus, & caussam attulit hanc: *Quod pro* מושל *dominetur,* ait, *interpretati sunt* ποιμανεῖ, *pascet, regendi modum declarare voluerunt: futurum significantes, vt Christus non in virga ferrea, vt gentes; sed in pedo benigni pastoris, cuius oues essent propriæ, populum suum regeret.* Igitur, vel auctore Maldonato, ποιμαίνειν dicitur Christus suas oues, propter regimen mite & benignum, quo illas regit. Hoc si verum est; est autem verissimum; errat Bellarminus immaniter, qui verbum ποιμαίνειν vrget ad stabiliendam illam monarchiam, per quam jus sibi vindicant Papæ ludendi capitibus Regum, qui dicto audientes non fuerint. Istud, Bellarmine, ποιμαίνειν non est, sed ἀλεξιβεραντίζειν, aut si vis scapham scapham, τυραννεῖν. Sed addit alium locum ex Apocalypsi XIX. 15. *& ipse reget eos in virga ferrea.* nam in Græca veritate legi, αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. neque videt Bellarminus elegantissimam illius loci acyrologiam; per quam pastori virga ferrea tribuitur, quod nunquam auditum est, & à pastoris munere est alienissimum. Sed est ita dictum, vt si pater aut magister dicat discipulo rebelli, δεῖ σε παιδεύειν ἀγχόνῃ. Castigatio puerilis, quæ à parente fit, vel præceptore, παιδεία dicitur; & παιδεύειν, *dare pueris disciplinam.* improprie igitur dicat aliquis pater, filium debere παιδεύεσθαι laqueo; hoc significans; quia paterna castigatio nihil proficiat, opus esse publica magistratus. laqueus enim non est instrumentum paternæ castigationis, sed publicæ pœnæ quæ exigitur à magistratu. Sic pastor castigat oues pedo; virgæ ferreæ nullus vnquam illi vsus. Quare Christus qui non solum pastor est Ecclesiæ; sed etiam Rex & iudex supremus, ἀκύρως quidem, sed elegantissime dicitur, illos qui pedo regi non potuerint, virga ferrea olim pasciturus, id est, puniturus & perditurus. Hoc verò de Christo dicitur, non quà pastor tantum est Ecclesiæ, aut ἀρχιποίμην, vt appellatur à Petro; sed quà Dei Filius, præmiorum & suppliciorum quæ homines manent, vnicus arbiter. propterea illo ipso loco statim subijcit Euangelista Iohannes, *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum,* REX REGVM & DOMINVS DOMINANTIVM. Audebítne aliquis seruus seruorum Dei ea sibi vindicare,

dicare, quæ de Christo dicuntur, vt est Rex regum, Dominus dominantium? Addit postremò Bellarminus testimonia veterum Patrum; quę omnia si ex auctorum mente exponantur, hodiernam opinionem de monarchia Pontificia funditus euertunt planissime. Sed nos illo misso, ad Baronium redeamus.

CXXXIV. *Refutatur sententia Baronij, super nonnullis quæ vni Petro peculiariter fuisse tributa scribit.*

ANNI XXXIV. Num. CCII.

QVi hodie pro Monarchia Pontificia, ceu pro aris & focis pugnant, vt certa & expressa Patrũ testimonia, quibus hoc cõmentum destruitur, eludant, multas distinctiones coguntur comminisci, tam inauditas veteribus, quàm ipsa Monarchia vnius in Ecclesia fuit illis incognita. Eiusmodi illa est, quam hîc proponit Baronius. Ait, Dominum quædam Apostolis esse largitum, communia ipsis omnibus: quædam Petro concessisse, ipsi peculiaria. De communibus nulla dubitatio; peculiariter autem Petro propria recensentur hæc quatuor. I. *Tu vocaberis Cephas:* II. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* III. *Tibi dabo claues regni cælorum:* IIII. *Pasce agnos meos, & pasce oues meas.* Horum quatuor, primum nemo negabit Petro fuisse proprium: nemo enim præter hunc ex Apostolis Cephas est appellatus. Sed si hoc voluit Baronius, Petro peculiarem à Christo honorem esse habitum, vt nouum illi nomen imponeret, errauit, vt satis antè probauimus. de cæteris verò tribus, falsissima est Baronij affirmatio, & Scripturis ac Patribus manifestissime repugnans. Paulus Apostolus, Eph. II. 20. Ecclesiam fundatam esse affirmat super fundamento non vnius Petri, sed Apostolorum. huic sententiæ non veretur Baronius suam hîc opponere, docens: *Ecclesiam super Petro peculiariter esse fundatam, & non super cæteris.* vtri credemus? Christus quas promiserat claues Apostolis, Petrum alloquens, Math. XVI. ijsdem Apostolis exhibet Ioh. XX. Baronius negat, & vni Petro affirmat traditas. *Pascere oues Christi* adeo commune fuit munus omnium Apostolorum, vt in genere ad omnes pertineat Rectores Ecclesiarum; qui propterea in Scripturis pascere dicuntur sæpe, & nominantur è re pastores. Baronius Petri vnius proprium jus vult fuisse, vt pasceret oues Christi. Opponimus nos istis nouitatibus veterem Ecclesiæ doctrinam, cuius tot sunt testes, quot fere sunt Patres quorum libri ad nos peruenerunt. Vnus Augustinus pro omnibus esto: De agone Christiano, cap. XXX. *Non sine caussa*

inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus; huic enim Ecclesiæ claues regni cœlorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt: & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oues meas. Tolerabilius erraret Baronius, si diceret, quod multi hodie eiusdem sectæ dicunt; communia quidem omnibus Apostolis etiam illa tria fuisse, quæ ipse facit Petro propria: verùm peculiari modo quodam eorum dispensationem & administrationem Petro fuisse permissam. Quin ipse Baronius paullo post in horum castra videtur sese recipere.

CXXXV. *An distinctionem à Baronio proditam agnouerit Cyprianus.*

Anni XXXIV. Num. CCIII.

ALlatæ modò distinctionis assertor primus profertur Cyprianus. Qua autem fide? pessima, vel teste Bellarmino. Baronius locum è lib. de vnit. Ec. affert, vt probet, ius clauium, & pascendi, item fundamenta Ecclesiæ ponendi aut sustinendi, proprie in Petrum esse collata. Bellarminus contrà, lib. IV. de Ro. Pontifice, cap. XXIII. describit eadem Cypriani verba, & ex ijs conclusionem hanc elicit. *Vbi vides,* ait, *idem dari Apostolis per illa verba,* Ego mitto vos, *quod Petro fuerat promissum per illud,* Tibi dabo claues; *& postea exhibitum per illud,* Pasce oues meas. *Constat autem per illa,* Tibi dabo claues, *& per illud* Pasce oues, *intelligi iurisdictionem plenissimam etiam exteriorem.* Quare, auctore Bellarmino falsa est Baronij sententia. Sed & Bellarminus fallit ac fallitur, cum non veretur dicere eo loco & alibi, doctrinam Cypriani non impedire Petri primatum. Nam qui hodie dicitur Petri primatus, (ea autem est, Papæ Monarchia absoluta,) cum dictis factisque Cypriani non magis potest consistere; quàm duæ propositiones ἀντιφατικῶς oppositæ, possunt simul esse veræ. Sexcentis hoc posset argumentis probari è scriptis pij illius Martyris: & nos jam aliquid ea de re diximus ad annum XXXIII. disput. XIV. & XVI. Hîc sufficiat dixisse, vel ex ijs quæ scribit B. Augustinus contra Donatistas, varijs in libris tomi VII. liquidò constare posse; adeo non agnouisse Cyprianũ doctrinã de Monarchia Papæ; vt ne B. quidẽ Augustinus id vnquam sit suspicatus. Meminit tot locis Augustinus in septem libris de vno baptismo, & alijs contra Donatistas, eius controuersiæ, quæ fuit inter Stephanum Papam, & Cyprianum, quo auctore Donatistæ suum errorem tuebantur. Quæro igitur, quum nihil sit prætermissum ab Augustino, quod ad rem faceret, vt Donatistas ad sanam mentem reuocaret; cur nunquam in tot libris de Monarchia Papæ vllum facit verbum? cur tacetur Papæ infallibilitas, quæ hodie

veri & falsi norma proditur? cur vicariatus Christi vel Dei, cur illa jura quæ continentur dictatibus Hildebrandi silentur? cur tot locis Stephanus & Cyprianus sic componuntur, vt duo magni Episcopi, potestate in Ecclesiá Dei pares? Vnicum exempli gratia locum proferam. De vnico baptis. contra Petil. cap. XIV. *Ecce duo erant vno tempore, vt de alijs taceam, qui diuersa sentiebant. Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet, & Carthaginiensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in vnitate Catholica constituti. Quorum, Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus grauiter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant; vtrique cum eis in vnitate consistentes.* Hæc Augustinus. Sed de mente Cypriani, accuratius alibi, propitio Christo.

CXXXVI. An Hieronymus agnouerit superiorem distinctionem à Baronio proditam. Mens illius in epistola ad Damasum explicatur.

ANNI XXXIV. Num. CCIV.

PRoximus allatæ distinctionis assertor profertur Hieronymus: sed melius dixero, trahitur inuitus & omnibus reluctans viribus. Quid igitur dicit ille? plane contrarium eius quod positum est in illa distinctione. Sic nempe viri boni solent, quos vis maior ad tribunal judicis pertraxerit, vt falsum testimonium præbeant: prophetam enim Balacum imitantur, quod Hieronymus hîc facit. Posuit Baronius inter Petro peculiariter tributa, quod dictum illi sit, *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Hieronymus contrà, illo ipso qui hîc describitur loco: *cuncti claues regni cœlorum accipiunt.* Igitur, omnes æquales potestate: & eorum successores item pares inter se, & æquales saltem ex jure diuino, si credimus Hieronymo. Notissima illius verba sunt, in epistola ad Euagrium, *Si auctoritas quæritur, Orbis maior est vrbe. Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? Vbicunq; fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti est, eiusdem sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit: cæterum, omnes Apostolorum successores sunt.* Scire velim an distinctio Baroniana, quæ ad Monarchiam Pontificiam est excogitata, acrius confutari potuerit, quàm hoc argumento: Apostolos omnes fuisse æquales: Episcopos Orbis terrarum, illorum esse successores: ac propterea inter se æquales; vtut opibus, id est, potentia seculari differant. En testem Baronianum.

At dicit Hieronymus non semel, addit Baronius, *super Petrum fundatam esse Ecclesiam : eumque Principem Apostolorum & Ecclesiæ sæpe nominat : cuius successori qui non communicat, esse ab Ecclesia Catholica alienum, nec esse Christi sed Antichristi, graui assertione confirmat.* Respondeo breuiter ad duo priora. Ecclesia super Petro fundata ; nempe super fide Petri, non super illius dominatione, sicut fuse probatum ad annum XXXIII. Adde quod, *Ex* ÆQVO *super cæteros Apostolos Ecclesiæ fortitudo solidatur*, quod ipse Hieronymus affirmat, lib. I. contra Iouinianum, cap. XIV. Idem Petrus princeps nominatur Apostolorum, vel Ecclesiæ; (quanquam rarius hoc legere memini, præsertim apud Hieron.) quippe, qui in choro Apostolico esset coryphæus & ordine primus. *Princeps* Latinis est, primus, sicut docuimus ad locum Matthęi. Apud Leonem Magnum in sermonibus de Petro & Paulo, Petrus promiscue dicitur, modò *princeps Apostolici ordinis*, vt in I. modò *primus Apostolici ordinis*, vt in II. ergo idem significant *princeps* & *primus*, cùm de Petro dicuntur. Intolerabilis igitur est fallacia abutentium ista voce, propter significationē, quam habet id nomē in linguis è Romana corrupta ortis. Dialogo I. aduersus Pelagianos, hęc sunt Critobuli, siue Hieronymi verba : *Vt Plato princeps philosophorū, ita Petrus Apostolorū fuit: super quem Ecclesia Domini, stabili mole fundata est.* Etsi claudicat in multis hæc similitudo: nam Plato suis Academicis philosophis auctor fuit & magister scientię quam profitebantur : quum contra, doctrinę Apostolicę non Petrus, sed solus Christus auctor fuerit & magister : duo tamen ex isto simili certissima consecutione colliguntur. Vnum, Ecclesiam fundatam esse super Petro, hoc est super fide & doctrina, quam annunciauit Petrus : ita vt Academicorum secta & philosophia nitebatur fundamento Platonis, siue doctrinæ quam voce & scriptis docuit Plato. Alterum ; caussam cur Petrus dicatur princeps Apostolorum, non esse dominationē aliquam illius, aut imperium monarchicum in collegas; nullam enim Plato vnquam in reliquos philosophos obtinuit monarchiam ; nullam more Sullæ aut Cæsaris dictaturam. Et pauit quidem Plato philosophos, viua quondam voce, postea scriptis suis, quibus etiam hodie nobilia ingenia fructuosissime pascuntur : nusquam tamen Plato discipulos suos aut sectatores ita pauit, vt illius pascere, esset more Regis imperare. Veniamus ad tertium Hieronymi locum ex epistola ad Damasum ; *Petri successori qui non communicat, Christi non est, sed Antichristi.* In summa Orientis perturbatione, quum plerasque Arrianismus occupasset, venit in Syriam Hieronymus. Paullo post Ecclesiæ Antiochenæ Antistites, (illi Ecclesiæ tres præerant eo tempore ; Paulinus, Meletius, Vitalis ; duo priores orthodoxi ; tertius, Apol-

linaris sectator :) ab eo exegerunt trium hypostaseon confessionem. Erat adhuc illa vox noua, & propter nouitatem multis suspecta. Itaq; pium virum suspicio incessit, latere aliquid fraudis : *Nouellum*, inquit, *à me homine Romano nomen exigitur.* In tanta dubitatione Damasum Pontificem Romanum consulit Hieronymus. & meritò. nam quem potius consuleret, homo præsertim Latinæ linguæ, & presbyter Romanus? Oriens quidem totus illi erat suspectus, vt ipse significat principio Epistolæ; *In Oriente* inquit, *difficile, vbi fons signatus & hortus ille conclusus sit, potest intelligi.* Quid autem mirum, hominem Romanum episcopum Romanum consuluisse? Ait igitur, *Vos estis lux mundi, vos sal terræ*: Episcopos Occidentis intelligit, inter quos Damasus eminebat. Non solum autem Damasum intellectum fuisse ab Hieronymo, declarant præcedentia verba: *Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur*: quę de omnibus Occidentis Episcopis orthodoxis necessario accipi debent, non de vno Damaso. alioqui dixisset potius, *in vrbe Roma* quàm *in Occidente.* & multo magis sequentia verba id suadent: *Vos aurea vasa & argentea: hic testacea vasa, vel lignea.* Sicut dubitari non potest, quin vasa testacea & lignea sint præpositi Ecclesiarum Orientis: sic certum est, vasa aurea & argentea esse præpositos Ecclesiarum Occidẽtis, non Damasum dumtaxat: de quo solo si sensisset, cur illũ *vasa* potius, quàm *vas* dixisset? sic enim Paulus ipse *vas electionis* appellatur. Act. IX. 15. Ait; *Quanquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas.* appellat *magnitudinem* splendorem Episcopi Ro. qui jam inceperat, *strepitu maioris viuere census.* Memineris ad Damasum hæc scribi, de cuius magnificentia loquitur Ammianus Marcellinus, libro XXVII. *magnitudo* igitur hîc est, quam in epistola ad Euagrium nominabat *potentiam diuitiarum.* Ibi dicebat Hieronymus, quosdam episcopos *præstare potentia diuitiarum*: quosdam *paupertatis humilitatem sectari*: quam laudem Marcellinus æqualis Damaso scriptor, Antistitibus prouincialibus propriam facit: ipsum verò Damasum Hieronymus epist. sequente vocat *diuitem Pastorem*: sed omnes tamen, siue diuites siue pauperes, esse eiusdem meriti, eiusdem sacerdotij, & pariter Apostolorum successores, paullo antè dicebat idem Hieronymus: vt nullam hic liceat somniare monarchiam Ro. Pontificis ex Hildebrandi disciplina. Addit; *A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore Piscatoris & discipulo crucis loquor.* Singulari industria vir ingeniosissimus & facundissimus, Damasum officij sui admonet, vt respondere in tanto splendore positus, ne dedignetur. Tu inquis es Sacerdos & Pastor; ac propterea duplici nomine teneris petitioni annuere. Hæc quare sint

addita

additâ ab Hieronymo, ſequens ad eundem Damaſum epiſtola declarat. Apparet dubitaſſe illum, ne difficile ſibi foret à Damaſo reſponſum impetrare: quod & videtur eueniſſe: ideo tam ſeuera obteſtatione illum adiurat initio alterius epiſtolæ. Obijci poterat Hieronymo; non decere humilem presbyterum compellare Epiſcopum, tam diuitem, tam potentem, ac fuit tum Damaſus: huic obiectioni occurrens, *faceſſat*, inquit, *inuidia*. hoc eſt, deſinant inuidi eo nomine me reprehendere; quaſi auſus ſim aliquid conditione mea maius. *Romani culminis recedat ambitio*: quaſi diceret; noui ſatis quo ſplendore Romani Pontifices viuant: quantam vrbis Romæ maieſtas neceſſitatem afferat, magnifico & ambitioſo cultu paratúque vtendi: ſed nihil me hoc moratur; *quia*, inquit, *cum ſucceſſore Piſcatoris & diſcipulo crucis loquor*: ſeparans his verbis munus Epiſcopale Damaſi, à ſplendore Epiſcopi Romani: & ſui officij tacitè Damaſum admonens. Cæterum ne videretur adulandi ſtudio Damaſum conſuluiſſe, profitetur id ſe facere, non quod fidei ſuæ auctorem alium præter ſolum Chriſtum agnoſceret: verũ ideo tantùm, quod Chriſtum ſequens, lateri vellet adhærere bene ſententium; ac præſertim Eccleſiæ Ro. cuius erat tum integritas fidei vniuerſo mundo cognita. Ait igitur: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Opponit Hieronymus hæc duo inter ſe, quod ſummopere notari debet, *ſequi*, & *communione conſociari*. Sequimur quos agnoſcimus magiſtros, & à quorum auctoritate fidem ſcimus pendere: quod jus vni Chriſto proprium eſt, excluſis omnibus, nemine mortalium excepto. Nam ipſi Apoſtoli, non ſuam doctrinam prædicarunt, ſed quam acceperant à Chriſto, vt ait Paulus, & ſe miniſtros geſſerunt, non auctores fidei. Obſeruatu digna eſt locutio Hieronymi: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequor.* Quid ais vir magne? tu ſolum Chriſtum primum ſequeris? & hoc audes ad Ro. Papam ſcribere? Ignorabas videlicet poteſtatem huius Vicedei, *cuius eſt vnius nomen in terris*, ait Hildebrandus dictatu decimo: qui in fide errare non poteſt: *Quia Ro. Eccleſia nunquam errauit, nec in perpetuum Scriptura teſtante errabit*, teſte eodem Hildebrando, ſententia XXI. qui eſt ſolus Rex & imperator Eccleſiæ, ac propterea *ſolus poteſt imperialibus vti inſignijs*; docente eodem, ſententia VIII. Hunccine Monarcham Eccleſiæ dedignabitur aliquis ſequi primum? & tamen iſtud de ſe ſcribit Hieronymus ſine ambagibus, idque in epiſtola ad Papam. Quem igitur honorem ille habet Damaſo? quod Chriſtum ſequens, cupit conſociari, & communicare Damaſo: *id eſt*, addit, *Cathedræ Petri; quia ſuper illam petram, ædificatam Eccleſiam ſcio:*

Quis

Quis dubitat *Cathedram Petri* esse Ecclesiam à Petro institutam, manentem in fide à Petro semel tradita? aut quis non intelligit, *petram*, de qua loquitur hîc Hieronymus, esse fidem rectam, super qua fundata est Ecclesia Dei? Hanc esse Patrum interpretationem verborum Domini ad quæ alluditur, satis antè demonstrauimus. Quod auté Hieronymus, quando dicit Ecclesiam super Petrum esse ædificatam, non respexerit ad regnum aliquod Petri, aut ad Ro. Pontificis imperium monarchicum, sed ad fidem Petri; declarant hæc ipsius ad illa Domini verba, Math. XVI. 18. *Simoni qui credebat in Petram Christus Petri largitus est nomen: ac secundum metaphoram petræ recte dicitur ei; Ædificabo Ecclesiam meam super te.* Aperte caussam impositi nominis facit, non vicariatum dominationis Christi in Ecclesiam suam: aut quod successorem aliquando habiturus esset, qui diceret cum Hildebrando, *Vnicum esset nomen in terris*, *videlicet Papæ*: aut cum hodiernis parasitis Paparum: *Sic volo, sic iubeo; mea supra omne Concilium est voluntas*: sed quia *credidit in Petram*; id est, propter fidem. Sic homilia altera in psal. L. apud Chrysostomum, Tomo I. pag. 703. dicitur Simon appellatus Petrus, ἐπειδὴ τῇ πίστει πεπετρωμένος ἦν, quia *in fide erat obfirmatus, vt petra*: qua de re satis in superioribus. Ergo, CATHEDRA PETRI est cathedra rectæ fidei. Damasi autem fidem rectam fuisse, vel eo argumento potest probari: quia pleraque omnia quæ hodie in controuersiam vocantur (quod ad illa quidem attinet, quæ fidei articulos continent:) adhuc Damasi seculo ignorabantur. Nihil autem magis ætati illius Papæ fuit incognitum, quàm hodierna doctrina de Monarchia illa infinita Papæ. Adhuc æquo jure cum cæteris Episcopis Papa Ro. agebat; licet omnium fortasse ditissimus, & in magno viuens splendore; quod per se reprehendi non potest, vbi seruatur primæ fidei integritas. Itaque hunc ipsum Damasum Athanasius in epistola ad Africanos, nullo superbiore ornat elogio, quàm vt illum appellet τὸν ἀγαπητὸν ἡμῶν, *dilectum nobis*. & Hieronymus in hac epistola orthodoxos Episcopos Aegyptios, collegas Damasi appellat. *Ideo hîc collegas tuos Ægyptios confessores sequor: & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco.* Meritò igitur Hieronymus, cum Cathedra Petri, aut quod temporibus illis idem erat, cum Pontifice Rom. volebat communicare. Meritò dicebat Damaso, *Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Meritò in tantis Orientis dissensionibus, hoc amuletum vsurpabat, vt ait in epistola sequente: *Ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est.* Olim cum sub vno Imperio beata agebat Ecclesia, & communicatio multiplex partibus inuicem intercedebat; necesse omnino erat per leges Ecclesiasticæ

asticæ disciplinæ, vt quicunque orthodoxus haberi vellet, cum Ecclesijs communicaret, in quibus sana doctrina vigebat. Dico necesse id fuisse: quia si suspectus aliquis fuisset, quod non communicaret cum aliqua Ecclesia orthodoxa; ad nullam aliam poterat ipsi esse aditus, nisi caussam probasset suam. Vide canonem Concilij Niceni quintum: cuius summam Ruffinus his verbis breuiter est complexus. *Ne ab aliquo expulsus, ab Ecclesia vsquam recipiatur.* Non est autem is canon à Patribus eius Concilij primò factus; sed ex antiqua disciplina, quàm fuse alibi describimus, fuit desumptus; vt fatentur sanctissimi illi Patres: κρατείτω ἡ γνώμη τοῦ τὸν κανόνα, *obtineat sententia, quæ canoni congruit*; nempe, antiquæ disciplinæ. Etsi autem in illo canone nulla est nominatim facta mentio vllarũ Ecclesiarũ, quibus potissimũ communicare esset necesse: nemo tamen peritus veteris historiæ dubitabit, Patriarchalium sedium precipuam fuisse habitam rationem: & quidem ante omnes Romanæ; vt omnium fere antiquissimæ, nobilissimæ, & tunc cum maxime fidei sinceritate florentis. Hodie, Ro. Imperio dudum è memoria prope hominum sublato, neque in eius locum vllo suborto, quod ita per Orbem terrarum diffundatur; communicatio qualis apud veteres fuit, locum habere non potest. Et vt cessaret hoc in commodum, quanta sit facta mutatio veteris fidei & disciplinæ, cum alibi, tum in vrbe Roma, omnes intelligunt, qui de sua solliciti salute, doctrinam Patrum antiquorum & hodiernorum Doctorum partium illarum, seriò comparare aliquando studuerunt. Hanc tantam diuersitatem, & tot nouationes in Ecclesia Ro. factas, secuta est scissura, necessaria illa quidem; sed tamen bonis omnibus deflenda: quàm plura retro secula quum parturijssent; ad extremum peperit, quod proxime est elapsum. Reuocent Papæ doctrinam temporum Damasi: tollant tot profanas nouitates posterioribus seculis inuentas: ipsi denique ad Petri exemplum sese componant, non vt paupertatem illius æmulentur; sed vt fugitiuam Petri doctrinam in Ecclesiam reuocent: & dicent omnes pij, qui vbique locorum sunt, *Qui tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*

CXXXVII. *Expenditur locus Chrysostomi allatus ad stabiliendam superiorem distinctionem. Defenditur vetus versio verbi* ἐπιστρέφειν *apud Lucam, contra Maldonatum.*

IBIDEM.

Tertius sequitur Chrysostomus; sed ipse quoque inuitus & reclamans. Quare eius locus qui in Annalibus affertur, adeo Baronianam distinctionem non firmat; vt è contrario, hodiernæ

doctrinæ,

doctrinæ, de Monarchia Petri, vel Ro. Pontificis, eo ipso testimonio manifestò destruatur. Hoc satis apparet ex ijs quæ paullo antè de illo ipso loco disseruimus: vt longo jam sermone opus non sit. Antè omnia obseruet Lector, quæstionem quam proponit Chrysostomus, fide non optima referri à Baronio: *Quid tandem alijs omißis de his dumtaxat Petrum affatur?* nam illud *dumtaxat* additum est ab interprete Baroniano, quum in Græco non sit. Neque hoc nullius est momenti: vt facile prudens lector intelliget. Secundò obseruet quod antè dicebamus, quærere Chrysostomum, cur de his rebus cum Petro Dominus verba faciat, potius quàm cum alijs Apostolis: non autem quærere, cur Christus Petro Monarchiam detulerit in cæteros Apostolos. Tertiò obseruet, quæstioni quam tractat Chrysostomus nullum futurum fuisse locum, si eius ætate vulgo fuisset nota doctrina de vno capite visibilis Ecclesiæ, Romæ regnante. Nam hoc posito non potest videri mirum, cur Christus cæteris Apostolis prætermissis, vnum Petrum compellet. quem enim potius alloqueretur, quàm destinatum Monarcham Ecclesiæ vniuersæ, vicarium suum, imo Vicedeum? Atqui id ipsum Chrysostomus proponit, vt cuius caussa parum esset nota, & quam jure aliquis posset desiderare. Nondum igitur Orbi innotuerat ista quæ omnes mundi potestates absorbet, terribilis potestas. Omnino si ætate huius Patris viguisset in Ecclesia ista doctrina, Chrysostomus qui tot eius facti rationes affert diuersas; verbo se expedire potuisset, & dicere; Petrum à Domino fuisse destinatum, qui successorem habiturus esset, Regem Ecclesiæ, vel quod idem est, Pastorem, qui regio more imperaret: atque eam ob caussam nominatim eum compellari, & soli ei dici *Pasce oues meas.* Hæc erat expeditissima responsio ex hodierna doctrina. Cur hanc prætermisit Chrysostomus? Cur alias caussas comminiscitur, præ hac vna leues & pene dixerim friuolas? Prima ratio affertur hæc: *os erat Apostolorum.* & verum est Petrum pro omnibus Apostolis sæpe reperiri locutum. Sed nos non semel jam ostendimus, loqui pro aliquo, non esse argumentum dominationis, verùm ministerij potius. Vide ad annum XXXIII. num. XII. & iterum ad locum Matthæi. Sequitur secunda ratio: *& princeps & vertex ipsius cœtus*: dixit Chrysostomus simpliciter, ἡ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. interpres reddit cum fœnore, *princeps & vertex.* quo sensu dicatur Petrus κορυφὴ chori Apostolici, quo item *princeps* interdum nominetur, fusè expositum est ad pericopam Matthæi & alijs quoque locis, cum ad annum superiorem, tum ad hunc. Euicimus certis argumentis, nullam Petro dominationem, sed ordinis dumtaxat

dumtaxat primatum ijs appellationibus attribui. Subijcit interpres Baronianus: *Propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit.* Chrysostomi verba: διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη ποτὲ, αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. *propterea & Paulus aliquando ascendit, vt hunc præ cæteris viseret.* voluit Paulus & alios videre: ac præsertim τοὺς δοκοῦντας, ait ipse ad Gal. II.2. quinam autem essent illi οἱ δοκοῦντες, id est, *celebrioris famæ*, explicat ibidem paullo post, & hos tres hoc ordine nominat, Iacobum, Cepham & Iohannem. assentior tamen Chrysostomo, optasse Paulum videre Petrum παρὰ τοὺς ἄλλους, *præ cæteris*, siue *plus quàm cæteros.* respicit enim priorem Pauli profectionem Ierosolyma, quæ videtur suscepta propter vnum Petrum, vel certe, propter illum maxime. itaq; Apostolus initio epist. ad Gal. solum Petrum se inuisisse ait, solum vidisse; aliorum Apostolorum neminem, vnico Iacobo excepto. Sed quid est, διὰ τοῦτο. *propterea?* quia inter Apostolos Petri præcipua fuit auctoritas. dico auctoritatem, non dominationem, non regnum, non monarchiam è dictatibus Hildebrandi: & cum sic loquor, loquor cum veteribus Patribus. Hieronymus epistola LXXXIX. in ipsa defensione Petri contra sententiam Augustini. *Denique tantæ auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit; Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum.* Chrysostomus ipse in locum epist. ad Gal. admiratur Pauli humilitatem, qui res tantas quum gessisset jam tum, & Petro nihil opus haberet; ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ (πλέον γὰρ οὐδὲν ἐρῶ τέως) ὅμως ἀνέρχεται ὡς πρὸς μείζονα καὶ πρεσβύτερον: *sed quum esset honore æqualis Petro, (vt nihil interim maius dicam;) tamen ad eum ascendit, tanquam ad maiorem & seniorem.* Vides Chtysostomum, non subijcere Paulum Petro, argumento huius visitationis, vt fit hodie: sed contra diserte affirmare, ipsum honore æqualem Petro fuisse, aut etiam superiorem ex sententia quidem sua, quam satis apertè significat & hic & alibi. Idem Chrysostomus Tomo quinto, homilia in verba Pauli Gal. II. II. Petrum defendens aduersus accusationem Pauli, laudes Petri magna facundia celebrat, & de hoc itinere Pauli ad visendum Petrum multa disserit; curam Ecclesiæ & primum honoris locum inter Apostolos Petro attribuit; at dominationem aut monarchiam in collegas prorsus nullam. Quare Baronij hîc quidem manifesta est iniquitas, ad distinctionis suæ assertionem, verbis Chrysostomi abutentis indigne, contra auctoris claram mentem: in anno verò XXXIX. manifesta est eiusdem ψευδομαρτυρία & crimen falsi; cum superiorē locum è Commentarijs in ep. ad Gal. præcipuis verbis truncatum, in contrariam penitus sententiam vertit. Postremò ait Chrysostomus: *simul vt ei ostenderet, jam sibi fiduciam habendam: tanquam enim negationis obliuisceretur,*

fratrum curam ei committit. Græca multa elegantiora, ἅμα δὲ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπὸν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν. Verissimum est quod in superioribus dicebamus; Chrysostomum his verbis eam interpretationem afferre, quæ est apud Cyrillum, Augustinum & alios: qui obseruant, Christum his verbis restituisse Petrum in priorem Apostolatus dignitatem, vndè negatione exciderat. Baronius hæc quoque male trahit in argumentum dominationis; vult enim alludi ad dictum Domini, Luc. XXII. 32. *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* quem locum hodierni Sophistæ contendunt monarchiæ Petri, imò Papæ, stabiliundæ esse appositissimum. Sed hoc præter illos quis videt? aut quis veterum Patrum Monarchiam Pontificiam ex illis Domini verbis exsculpsit? Neque facit ad rem Maldonati acumen; qui vt à vero sensu illum locum facilius detorqueret, in his verbis, καὶ σύ ποτ' ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς, Hebraismum obseruat. Vult enim, ἐπιστρέψας esse Hebraïcum שוב, & significare, non vt habet Latina versio Tridenti facta authentica, *conuersus*, sed *rursus*. Sensum enim esse; Sicut ego te confirmaui, tu iterum fratres tuos confirma. Hæc interpretatio eò spectat, vt ne existimetur Dominus, quando illa dicebat, respexisse ad futurum paullo post Petri lapsum. Sed fallitur Maldonatus: verissima enim est interpretatio Theophylacti, ἐπιστρέψας, τουτέστι μετανοήσας, καὶ δακρύσας, καὶ ἀπὸ τῆς ἀρνήσεως φυγών. Euthymius: *Conuersus, post negationem videlicet, per fletum amarum: hoc est in pristinum locum denuo restitutus.* Sic Ambrosius & omnes veteres interpretes conuersionem Petri cuius hic fit mentio, exponunt de reditu ad sanam mentem post negatum Christum. Recte: nam ita solet in Scripturis poni absolutè verbum ἐπιστρέφειν pro resipiscere & post peccatum redire ad se, & pœnitentia duci. itaque jungitur alibi ab eodem Luca cum verbo μετανοεῖν, Act. III. 13. μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε. Ita sæpe vtuntur hoc verbo V. T^ti. interpretes. Vide III. Regum, VIII. 33. & sæpius in eo capite. Isaiæ VI. 10. καὶ τῇ καρδίᾳ συνιῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσομαι αὐτούς. sic sæpe alibi. Recte igitur Vetus illo Lucæ loco, ἐπιστρέψας *conuersus*: neque vllus ibi Hebraismus, quod putabat Maldonatus. Porro de sententia Chrysostomi plura erunt dicenda, si Deus volet, ad hunc ipsum annum, num. CCXCI. vbi affirmat Baronius tanquam è Chrysostomo, Petrum detulisse Iacobo Episcopatum Ierosolymorum: quod non minus alienum est à mente verborum Græcorum Chrysostomi, quæ affert Latina; quàm ab ipsa veritate est alienum.

CXXXVIII. *Hieronymi locus vindicatur à praua interpretatione. Vtrum Petri potestas fuerit extraordinaria, Apostolorum ordinaria. Dissensus inter Baronium & Bellarminum.*

Anni XXXIV. Num. CCV.

Non potest concoquere Baronius, quod modò Hieronymus dicebat, *Cunctos Apostolos claues regni cœlorum accepisse.* dimissum igitur repetit; & ipsum sententiam suam, quia mutare turpe est, interpretatione lenire, vt olim Silanum, docet. Interpretatio hæc est: *Vt Apostoli æquè ac Petrus earundem clauium vsum habuerint; ordinaria potestate scilicet, dimittendi peccata. Verum quod spectat ad supremum dominium, & auctoritatem, quam per clauium traditionem significatam esse, ex claue Dauid satis confirmatur; constat Euangelij testimonio, Petro tantummodo à Domino tunc temporis fuisse promissas, ac Petro dumtaxat esse datas; atque sic supremam potestatem, hoc ipso scilicet tempore, cùm à Domino eidem vniuersus grex pascendus committitur.* At hæc interpretatio eget interpretationis. Nam quis ex his satis capit mentem Baronij? Ordinaria potestas opponitur extraordinariæ. Si potestas reliquorum Apostolorum fuit ordinaria, vnius verò Petri extraordinaria: sequitur vt successores aliorum Apostolorum, eandem, etsi remissiorem, hodie obtineant potestatem, quam Apostoli habuerunt: at Petri successor ea potestate sit destitutus, quæ erat in Petro. Ratio est; quia non transit in successorem potestas extraordinaria; sed tantùm ordinaria, quæ competit ratione officij. Exemplo res fiet clarior. Prætori Parisiensi mandat Rex, vt extra ordinem jus dicat Tolosæ: hæc extraordinaria potestas in successorem illius non transibit: quia non ex officio suo, id est, vi Praturæ Parisiensis id illi jus competebat: sed extra ordinem id ei muneris Regis voluntas imposuerat. Simillime Episcopus Romæ, qui est Petri successor, nullo jure vindicare sibi poterit eam potestatem, quę in Petro fuit extraordinaria. An hoc voluit hic Cardinalis? an sententiam animi sui parum expressit? Hæc igitur prima in verbis Baronij animaduertatur absurditas: quam alij eiusdem doctrinæ assertores, vt vitarent, contrarium eius posuerunt, quod hic affirmatur. Nam Apostolos fuisse ordinarios pastores, negat expressis verbis Bellarminus De Ro. Pontifice, lib. I. cap. XII. *Hæc summa potestas*, inquit, *collata Apostolis omnibus, vt legatis, non vt Pastoribus ordinarijs.* iterum; *Apostoli extraordinaria quadam ratione claues à Christo immediate acceperunt.* de Petro autem scribit ibidem. *Claues vni tantùm datæ sunt, vt ordinario & primo Pastori, & capiti cæterorum.* Est quidem Bellarmini sententia

 falsa,

falſa, & doctrinæ veteris Eccleſiæ ἀντιφατικῶς oppoſita, ac proinde noua & impia; ſed tamen calidius ille quàm Baronius: qui ſententiâ ſuâ Monarchiam Ro. Pontificis, imprudens euertit. Alterum in ſuperioribus eius verbis eſt abſurdum, longe abſurdiſſimum; quod in Eccleſia Dei, pretioſo Chriſti ſanguine redempta, & ipſius Sponſa, aliud ſupremum dominium agnoſcit, quàm illud, quod vnicus & ſolus obtinet Eccleſiæ Dominus IESVS CHRISTVS; cuius nomen ſit benedictum in ſecula ſeculorum. Amen. Quo autem jure hoc ſupremum dominium, vel Petrus, cuius nomen aſtu obtenditur, vel Papa, cuius ambitioni ſeruitur, ſibi quæſiuit? Nempe hæc vna eſt ex interpretationibus dicti illius, *Tu Petre, paſce oues meas*: id eſt Baronio interprete, *Tu Papa Romane vindica tibi ſupremum dominium in Eccleſiam, & ſub obtentu Eccleſiæ, in omnes Orbis terrarum Principes.* Eant nunc veteres Patres, & pueros ſe in Theologicis fuiſſe agnoſcant; quibus de tot myſterijs in verbo PASCE latentibus, nihil vnquam ſuboluit. Interim cogitent pij Lectores, an eiuſmodi interpretatio, menti Chriſti conueniat: quam certum eſt cum doctrina & praxi priſcæ Eccleſiæ totius è diametro pugnare. Ait Dominus, Luc. XXII. 25. *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic.* & Apoſtoli vnum affirmant prædicare ſe Dominum, nempe Ieſum Chriſtum; ſe autem eſſe ſeruos Eccleſiarum. II. Corinth. IV. 5. & cap. I. 24. eiuſdem jam dixerat, *Non dominamur fidei veſtræ.* οἷος ὁ λόγος· τοῖος ὁ βίος. Sic docuerunt Apoſtoli; ſic vixerunt. Quis illorum aut re aut verbo ſupremum in Eccleſia dominium ſibi aſſeruit? quid diuinus Petrus fecit, quid ſcripſit, vnde poſſit intelligi, tale quid vnquam veniſſe ipſi in mentem? Si non vſurpauit Petrus hoc jus, non habuit profectò. Ignoraſſe Petrum ſua jura, dictu impium: vel eo nomine, quia ſequeretur ex eo, Apoſtolũ, Apoſtolorum principem, Gregorio VII. Bonifacio VIII. & alijs eiuſdem mentis Papis fuiſſe inferiorem; qui iſtud jus ſuum, vt illi putabant, probe intellexerunt. Enimuero, ſi Dominus quando dixit Petro, *Paſce*, regio more illum voluit imperare, & ſupremum dominium Eccleſiæ vſurpare; quum conſtet liquidò nihil vnquam regium, non inſignia, non rem, vſurpaſſe Petrum; quomodo illum excuſabimus? At non potuit Petrus jus ſuum exſequi; aliquis dicet, vt nuper Bellarminus. Quare igitur & cui bono, Chriſtus Petro id jus concedebat, cuius vſurpandi poteſtatem nunquam erat ipſi daturus? Scitum eſt: Deum & Naturam nihil fruſtra facere. Deinde, ſi ad inſtituendas primò Eccleſias & debellandas mundi poteſtates, hoc jus regium & ſupremũ dominium non fuit in Petro & cæteris Apoſtolis neceſſariũ: cur erit hodie ad conſeruandas Eccleſias in Petri ſucceſſoribus neceſſarium?

sarium? Quis non potius credat, totum hoc jus regium, fabulam esse meram, & hominum ambitiosorum commentum? quia de tanti momenti re, ne vnum quidem in Scripturis verbum extat: imò, quia Scripturæ id somnium palàm reijciunt: quia praxis Petri clarissime repugnat: quia cupiditas dominandi regio more, Ecclesiæ primorum seculorum fuit incognita: postremò, quia pij Patres & antiqua Concilia, etiam in paruis rebus typhum secularem serio detestantur. Vnius Augustini locum afferam, ex illius interpretatione verbi *Pasce*, tractatu in Iohan. CXXIII. *Quid est aliud, si diligis me pasce oues meas, quàm si diceretur; Si me diligis non te pascere cogita, sed oues meas: sicut meas pasce non sicut tuas: gloriam in ijs meam quære, non tuam:* DOMINIVM MEVM, NON TVVM: *lucra mea, non tua.* Tertia absurditas in eo est, quod supremum dominium fuisse Petro datum existimat significari ex claue Dauid, cuius Scriptura meminit: id inquam, & falsum est & absurdum, vt statim demonstrabimus. Quarta siue falsitas, siue absurditas in eo posita, quod dicit claues Petro promissas Matth. XVI. 19. illi soli fuisse traditas, Ioh. XIX. 15. Hîc, si judicio & asseuerationi piorum Patrum aliquid tribuimus, multa simul peccat Baronius. Falsum est soli Petro claues fuisse promissas: nam quia, vt Patres aiunt, os Apostolorum erat Petrus, omnes Apostolos, atque ipsam Ecclesiam alloquebatur Christus, cùm Petro dixit, *Dabo tibi claues.* Falsum est, soli Petro fuisse traditas; denique illud quoque falsum est, traditionem clauium factam esse dumtaxat Ioh. XXI. 15. facta enim est & hic, & XX. 21. Non opponam Baronio aliquem eorum quos ipse Nouatores solitus appellare: ne Patrum quidem vllum ei opponam; quos omnes ad vnũ esse ignaros hodiernę de Omnipotentia Pontificia doctrinæ necesse fuit: opponã ipsi æqualẽ scriptorẽ, eiusdẽ caussæ acerrimum patronum, Cardinalem Cardinali. Is est Bellarminus, qui loco jam indicato, docet, *Promissas claues Matth.* XVI. 19. *Apostolis datas esse Ioh.* XX. *&* XXI. *Nam Iohannis* XX. *cùm Dominus ait Apostolis,* Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: *tum eis potestatem, seu clauem jurisdictionis attribuit: fecit enim his verbis eos quasi legatos, & nomine suo gubernatores Ecclesiæ: verbis autem sequentibus,* Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, &c. *dedit eisdem potestatem ordinis, vt supra diximus.* Ecce claues ordinis, ecce claues potestatis, siue jurisdictionis: præter quas inauditum est, inquit idem Bellarminus, alias claues esse in Ecclesia: obiter, sed vere, refellens vanissimum & putidissimum Sixti Senensis somnium, de tertijs clauibus, quas ipse *claues regni* indigetat. Quum igitur vtrasque claues Apostoli omnes acceperint; meritò concludit Bellarminus, summam potestatem

Apostolis

Apoſtolis omnibus fuiſſe collatam. Itaque vana eſt diſtinctio Baroniana: niſi vana eſt Bellarminiana: & omnino de patronis illius abſolutæ Monarchiæ Pontificiæ dici poteſt, *Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres.*

CXXXIX. *De clauibus Petro datis. Quid ſit* claues tradere; *item* ſoluere & ligare. *Variarum rerum ea eſſe ſymbola, neq; ſemper eandem poteſtatem deſignare. illuſtratur locus ex Apocalypſi, & alter ex Iſaia. Sobnam non fuiſſe ſummum Pontificem.* ὁ ἐπὶ τοῦ οἴκου. *Alia.*

IBIDEM.

SEquitur vt de clauibus aliquid dicamus. Quoniam igitur, clauis domus Dauid, ſiue clauis Dauid, non ſolum à Baronio, ſed etiam à Bellarmino & alijs eiuſdem doctrinæ patronis, in diſputatione de clauibus Petri, & eius ſucceſſorum, vrgeri ſolet; expendamus paullo diligentius, quantum ei argumento inſit roboris. Scribit Baronius, ex claue Dauid conſtare, per clauium traditionem ſupremum dominium ſignificari: atque ille duo loca adnotat, quæ ſola habentur in Scripturis, in quibus clauis Dauid fiat mentio, Iſaiæ XXII. 22. & Apocal. III. 7. Eadem loca affert etiam Bellarminus, (vt alios taceam,) De ſummo Pontifice lib. I. cap. XIII. *Per claues datas Petro,* inquit, *intelligimus ſummam poteſtatem in omnem Eccleſiam.* deinde vbi dixit, tribus rationibus id ſe confirmaturum: *primum,* ait, *ipſa metaphora clauium, vt in Scripturis accipi ſolet. Siquidem Iſaiæ* XXII. *deſcribitur depoſitio vnius ſummi Pontificis, & inſtitutio alterius his verbis. Et dabo clauē domus Dauid ſuper humerū eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiat.* Reſpondeo; *tradere claues,* item *ſoluere & ligare,* metaphoricas eſſe locutiones, non eodē modo ſemper exponendas; ſed diuerſe pro loco, & re, & perſona, qua de fit ſermo. Et ſæpe quidem hæ metaphoræ, ad poteſtatem aliquam deſignandam valent: at non ſemper eiuſdem generis, neque parem. Sumuntur enim iſtæ tranſlationes è more communi tradendi claues, item ligandi & ſoluendi. Porrò in communi vita, traduntur claues, modò vt hoc ſymbolo declaretur & dominatio illius qui claues accipit, & illius ſubiectio, qui claues tradit. Sic Regi vrbem ſubditam ingredienti, clauis traditur; ſic vrbs quæ deditionem facit, claues victori tradit. Hîc traditio clauium, dominationis in accipiente, ſubiectionis in tradente, eſt ſymbolum. Aliquando acquiſitio dominij, non autem dominatio intelligitur. Sic emptori domus venditor clauem tradit: atque

huiuſmodi

huiuſmodi clauibus traditis, poſſeſſio tradita videtur, vt ait I. C[tus] lege 74. Dig. de contrahenda empt. Aliquando neque dominatio, neque dominium traditione clauium denotatur; ſed tantùm munus aliquod aut miniſterium. Cum in Rep. Quæſtor inſtituitur, qui publicam pecuniam tractet, clauis illi traditur ęrarij: & paterfamiliâs cum promum condum inſtituit, cellæ penuariæ clauem ei tradit. In hoc exemplo, clauis traditio, miniſterij ſymbolum eſt in accipiente; in tradente, herilis imperij. In ſuperiore exemplo, indicium eſt publici muneris, quod accipit Quæſtor, vt Reipublicæ miniſtret: confert autem Reſpublica, penes quam eſt imperium & dominatio. Sicut igitur, ſi quis traditione baculi vel anuli, primò aliquem presbyterum inſtituat, deinde alij Epiſcopatum conferat (fingamus enim docendi gratiâ, horum inueſtituras nihil differre,) aut ſi Imperator traditione gladij conſtituat alium Prætorij præfectum, alium Tribunum militũ; ſymbola quidem erunt eadem, at poteſtates non erunt eædem, neque pares. ſic eodem ſymbolo traditionis clauium, poteſtates diuerſæ poſſunt deſignari, & ſolent. Metaphora ligandi & ſoluendi eodem ſpectat cum metaphora clauium; petita autem eſt à Magiſtratibus, qui habent jus conijciendi in carcerem, & dimittendi è carcere, quemadmodum Chryſoſtomus oſtendit libro tertio, de Sacerdotio. Hebræi autem ea tranſlatione vſi ſunt ad denotandam alicuius potentiam. Ioſephus libro I. Iud. belli cap. IV. ᾧ δ' (Phariſæi) τὴν ἁπλότητα τῆς ἀνθρώπου (Alexandræ regnum Iudaicum adminiſtrantis,) κατὰ μικρὸν ὑπιόντες, ἤδη καὶ διοικηταὶ τῶν ὅλων ἐγίνοντο, διώκειν τε καὶ κατάγειν οὓς ἐθέλοιεν, λύειν τε καὶ δεῖν. Hîc potentiæ magnæ indicia ſunt, poſſe in exilium pellere, & reuocare ab exilio; item ſoluere & ligare. Sed hæc quoq; locutio interpretationem deſiderat. Nam alia eſt poteſtas ligandi & ſoluendi, quæ Regi aut ſupremo Magiſtratui competit; alia quæ magiſtratui inferiori, cui juriſdictio fuerit demandata: alia item quæ lictori, qui eſt miniſter magiſtratus. Quum igitur omnes hę metaphoricæ locutiones, quas Dominus Petrum & Apoſtolos alios alloquens vſurpauit, modò maiorẽ modò minorẽ poteſtatẽ denotent: quęritur, cuius ſint poteſtatis ſymbola claues Petro datę. Baronius ait ſupremi dominij in Eccleſias; Bellarminus, ſũmæ poteſtatis in Eccleſiá: atq; hęc quũ non parũ inter ſe differant, ſi ἀκριβολογεῖν volumus; vterque tamen ſuam ſententiam tuetur, argumento clauium domus Dauid; & profert vterque tam Iſaiæ locum, quàm Apocalypſeos. Sed eſt in hac illorum argumentatione, non eius loci viris, verùm tenebrioni cuidam Sophiſtæ conueniens paralogiſmus. Ludunt enim nos ambiguitate verbi; & τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ſumentes ὡς ἁπλῶς λεγόμενον, claui-

um

um ſymbolum, quod probauimus variè accipi, ſic accipiunt, quaſi ſemper poteſtas ſumma eâ denotaretur. Hic error craſſiſſimus eſt & manifeſtiſſimus. Adeo enim verum eſt, ſymbolo clauium diuerſam poteſtatem deſignari, pro loco & perſonis, quibus de agitur; vt ne illis quidem duobus exemplis quæ afferuntur, vllo pacto de eadem aut pari poteſtate idem ſymbolum poſſit accipi. Apocalypſeos III.7. ait de ſe Chriſtus ipſe; *Hæc dicit Sanctus & Verus* (ὁ Ἅγιος, ὁ Ἀληθινός) *qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Per *clauem Dauid* hoc loco ſupremum dominium & abſolutiſſimam poteſtatem ſignificari, nemo non impius dubitabit. Chriſto enim Filio Dei, Deo vero, & dominium competit vniuerſi mundi, nedum Eccleſiæ; & dominatio atque imperium in omnes atque omnia. Quare ſi traditæ claues Petro ſunt paris poteſtatis ſymbolum, atque in hoc Apocalypſeos loco; non jam vicarius Chriſti fuerit dicendus; ſed alter Dominus, pari jure cum Chriſto imperans. Quam horrendam blaſphemiam ſi audiſſet Petrus, veſtem lacerans præ deteſtatione atrociſſimæ impietatis, dixiſſet proculdubio cum Paulo; *Ego & cæteri Apoſtoli, vnum Dominum prædicamus* IESVM CHRISTVM: *nos autem ſeruos veſtros per Ieſum.* & rurſus; *Neque Paulus, neq; Apollos eſt aliquid, ſed* DEVS. I. Cor. III. Gregorius VII. Bonifacius VIII. & ſimiles Papæ, quid fuerint dicturi neſcio. Hoc certe conſtat, multos hodie Hildebrandinæ doctrinæ aſſertores, ita inuerecunde multa Scripturarum loca de Filio Dei, ad Papam transferre; vt videantur ſtudioſe cauere velle, ne Chriſto inferior Papa, in Eccleſiæ regimine, cenſeatur. Sed hæc immanis væſania, & horrenda, vt jam dixi, blaſphemia, ne Papis quidem ipſis, opinor, probatur. Statuamus igitur, clauium appellatione, & in Apocalypſi, cum de ſe Chriſtus loquitur, & cum Petro promittuntur, apud Matthæum, poteſtatem ſignificari; ſed poteſtatem longe diuerſiſſimam, tantumque alteram ab altera diſtantem, quantum homo diſtat à Deo, ſeruus à Domino. Quæ eſt in Chriſto poteſtas, ea ipſi propria eſt, nemini communicabilis, aut non eadem certe menſurâ; & eſt verè inexplicabilis quædam plenitudo poteſtatis. Petri claues nihil aliud ſunt, niſi poteſtas ligandi & ſoluendi vincula peccatorum, in nomine Chriſti: neque ea Petro fuit propria, ſed omnium Apoſtolorum communis; imò communis fuit ſemper & hodieque eſt omnium legitimorum Epiſcoporum, ait Theophylactus ad verba Domini, Matth. XVI. ἔχουσιν, ait, ἐξουσίαν ἀφιέναι, καὶ δεσμεῖν, ὡς κατὰ Πέτρον ἀξιωθέντες χάριτος. Tranſeamus ad locum Iſaiæ; in quo, propter varias interpretũ ſententias

eſt aliquid difficultatis. Conſtat, appellatione clauium in ea prophetia intelligi potentiam, quæ tunc penes Sobnam fuit, propter munus quo fungebatur. Sed quodnam illud erat munus? Bellarminus Summum Pontificatum illi attribuit. Procopius quoq; in Iſaiam, Hebręum neſcio quem laudat, à quo acceperit, Sobnam (ſiue Somnam) fuiſſe, ἀσεμνόν τε καὶ ἀλαζόνα, καὶ ἁβροδίαιτον ἀρχιερέα, *ſummũ Pontificẽ, inhoneſtũ, ſuperbũ, & delicate viuentẽ.* Nicephorus quoq; Patriarcha in catalogo Iudęorũ Pontificum, & Sobnam recenſet, & Eliacimum; quem ait Propheta fore ſubſtituendum in eum quem Sobna tum obtinebat locum. ΙΒ. Σομνᾶς, inquit, ὁ πονηρὸς καὶ ἄσωτος ἐπὶ Ἐζεκίου βασιλέως. ΙΓ. Ἐλιακείμ Μωσελλοὺμ. ita editur poſtrema vox: ſed emendandum videtur ὁ τοῦ Χελκίου ex Iſaiæ XXII. 20. E neotericis non ſolus Bellarminus hanc ſententiam eſt amplexus; verùm & alij plures, atque in his Auguſtinus Torniellus in ſacris Annalibus. Firmat horũ ſententiam, quod verſu vigeſimo primo inſignia muneris quo fungebatur Sobnas, & quod in Eliacimum erat transferendum, dicuntur fuiſſe, Tunica & אבנט cingulum, ſiue baltheus. Nam Exod. XXVIII. 40. Leuit. VIII. 7. & alibi, inter ornamenta Pontificia eadem ponuntur: vide Hieronymum in erudita epiſtola ad Fabiolam. Verumtamen hæc ſententia ſine dubio falſa eſt. Repugnat enim Scripturis, quæ Sobnam appellant Præfectum domui regiæ, vt mox dicemus: repugnat & interpretationibus, cum Paraphraſtarum Syrorum, tum Rabbinorũ. repugnat etiam ſaltem ex parte Hieronymi, Lyrani, & multorum aliorum ſententiæ; qui etſi prophetiam hanc de Sacerdotio interpretantur: Sobnam tamen non Summum Pontificem faciunt, *ſed præpoſitum Templi*, ait Hier. *ſiue vt* LXX. *tranſtulerunt*, ταμίαν, *hoc eſt, quæſtorem & diſpenſatorem theſaurorum domus Dei.* Quare illa obiectio quam afferebamus de tunica & baltheo, ſic diluenda, vt dicamus: non ſolius Pontificatus inſignia fuiſſe tunicam & baltheum; verùm etiam aliarum dignitatum, & officiorum aulicorum: ſed diuerſis formis quà tunicas, quà baltheos fuiſſe factos, pro diuerſitate vel dignitatis vel aulici miniſterij. Sic apud Romanos Toga diuerſarum ætatum & diuerſarum conditionum fuit indicium; at non ejuſdem formæ, verùm diuerſæ: vnde illæ appellationes item diuerſæ, Togę prætextę, puræ, pictę, palmatę, & alię. Hieronymus alijq; eum ſecuti, Sobnam vt modò dicebamus, non Summum Pontificem faciunt, ſed Templi præpoſitum: ac proinde totam hanc prophetiã de tranſlatione Sacerdotij allegorice interpretãtur. Verùm ne horum quidem ferri poteſt ſententia per Hebraicam veritatem: quæ non Templi præfecturam Sobnæ tribuit, ſed domus, hoc eſt, palatij regij. Iſaiæ verba ſunt אשר על הבית ὃς ἐστιν ἐπὶ τοῦ οἴκου, ad verbum, *qui eſt ſuper domum.* Vetus Interpres putauit *domum* hic eſſe Templum.

neq; nos negamus in quibusdam loquendi generibus, Hebræis *domũ*, poni pro Templo: vt apud Rabbinos passim, *domus prima & domus secunda*. Scio etiam Summum Pontificem hac periphrasi interdum designari, vt dicatur נגיד בית האלהים *præfectus domus Dei*, vt II. Paralip. XXXI. 13. sed nuda appellatione eius qui dicitur esse *Super domum*, Scripturæ Summum Pontificem non solent designare: neque eius vsurpationis vllum exemplum temere è Biblijs posse afferri existimo. Non oblitus sum Phinees Eleazari filium, Aaronis nepotem, vocari *præpositum domus*, Iudicum VIII. 28. sed est Latini interpretis hallucinatio manifesta: nam & veritas Hebraica & Septuaginta, longe aliter. At contrà certissimum est, vnum è præcipuis ministris in aulis procerum aut Regum, illis temporibus fuisse, qui diceretur ὁ ἐπὶ τοῦ οἴκου. Genes. XLIV. 1. Ioseph præcipit את-אשר על ביתו LXX. τῷ ἐπὶ τῆς οἰκίας αὐτοῦ, *ei qui erat super domum suam*. Iosephus libro II. cap. III. laxe admodum, κελεύσας τὸν ὑπηρέτην. ipse autem Ioseph, Genes. XLI. 40. à Pharaone constituitur, על ביתי ait Rex, ἐπὶ τοῦ οἴκου μου, *super domo mea*. Quod autem inter ministeria Regum populi Iudaici, fuerit aliquis hoc titulo insigniri solitus, è Scripturis compertissimum est. III. Regum, IV. 6. vbi recensentur ministeria regiæ Salomonis, nominatur Ahisar, על-הבית *præpositus domus*, ait vetus interpres. LXX. οἰκονόμος: & ita etiam Iosephus solet vertere. Vide & IV. Regum, X. 5. In II. Paralipom. XIX. 2. Zabadias quem Rex Iosaphat instituit Iudicem caussarum regiarũ, siue politicarũ, nominatur נגיד לבית יהודה *dux in domo Iuda*, ait Latinus, & Græci ἡγούμενος ἐν οἴκῳ Ἰούδα; melius sane, quàm illi qui verterunt, *antecessor in domo Iehudæ*. Sic libro eodem, XXVIII. 7. Ezrica nominatur נגיד הבית, Latinus voce adiecta vertit, *dux domus Regis*. LXX. ἡγούμενος τοῦ οἴκου αὐτοῦ. Iosephus verò, libro IX. cap. XII. τὸν ἐπίτροπον τῆς βασιλείας ἁπάσης Ἐζικάμ. vt videatur existimasse, hunc titulum, & munus eo significatum, à superiore fuisse diuersum, & respondere muneri illius quem Græci appellant τὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως. Porrò Sobnam & Eliacimum pertinuisse ad militiam Palatinam Regis Ezechiæ, & Rabbini ostendunt, qui de Sobna scribunt, fuisse illum thesauris domus regiæ præfectum, vt David Kimchi in Com. & ex alijs Scripturarum locis apparet, vt IV. Regum, XVIII. 18. & 26. item XIX. 2. & Isaiæ, XXXVII. 1. Ex quorum locorum comparatione intelligitur, (quod & Rabbini admonent,) euentus prophetiæ huius. Nam ibi Sobna non amplius nominatur, ὁ ἐπὶ τοῦ οἴκου, vt in XXII. Isaiæ: hoc est, *Magister palatij*, sed tantum Scriba. Et est quidem in Scripturis mentio Scribarũ regiorũ; sed fuisse hos Scribas magna potẽtia prẽditos, nullus extat, opinor, in sacra pagina locus, qui ostendat. Erat igitur illa Sobnæ præfectura in Eliacimũ translata, sicut

fuerat

fuerat prædictũ : nam ipse vocatur ὁ ἐπὶ τοῦ οἴκου, *Magister Palatij*. Sic posteriora secula illã dignitatẽ nominarũt, quę in aulis Principũ quanta sit, & illa præditi quantũ possint, declaratũ est insigni exemplo, Iosephi in aula Pharaonis; nec minus memorabili in Gallijs Caroli Tuditis, siue Martelli, qui eam præfecturam administrans, regnum primæ stirpi Regum Francorum ademptum in suam domum intulit. Vt mirum non sit, de futura potentia Eliacimi, quando locum Sobnæ occupasset, ea dici, quæ in hoc capite Isaiæ habentur, vers. 21. & 22. Quod autẽ Sobna non fuerit summus Pontifex, vt falsò affirmat Bellarminus, sed aulicum munus gesserit; omnes eruditi interpretes etiã è Pontificijs, consentiunt. Hier. Osorius in paraphrasi eius loci : *Vt autem possit intelligi, Deum non esse solum communibus vniuersæ Reip. sceleribus infensum : verùm etiam singulis hominibus esse supplicia constituta ; operæpretium erit attendere, quomodo me Dominus miserit ad hominem impurum, atq; nefarium; vt illi acerbum exitium denuntiarem. Vade, inquit, ad Sobnam ærarij præfectum, penes quem modò est potestas regiæ moderandæ ; quem eiusmodi verbis insectabere.* Arias Montanus in eundem locum ; *Hebraicum verbum* ZZOCHEN *Chaldæus, interpres* PARNZZAH, *gubernatorem vertit; noster verò interpres Græcum nomen* ταμίας *explicare voluisse videtur, idq; præstitit. Propheta vero ipse rem expositione aperire volens, subiungit.* Ad Sobnam Præfectum Templi: *præfectum regiæ domus & familiæ. namq; Hebraïce & Chaldaïce est*, præpositum domus, *videlicet regiæ; quem Quæstorem Latini*; Quum igitur, neque summus Pontifex, neque Præfectus Templi Sobna fuerit; sed aulicam præfecturam administrarit, atque vt hodie loquimur, secularis fuerit, sicut luculente demonstrauimus; sequitur necessariò, totam illam prophetiam, neque ad summum Pontificem, neque ad Sacerdotium debere referri. Vndè etiam illud sequitur, clauem domus Dauid, cuius in hac prophetia fit mentio, symbolum quidem esse non mediocris potentiæ ; sed quæ toto genere esset diuersa à Sacerdotali & munere summi Pontificis. Vt nihil caussæ dici possit, quin errent grauissimè, qui clauem hanc domus Dauid, Sobnæ & Eliacimo attributam, non distinguunt à claue Dauid, cuius mentio est in Apoc. 11.1.7. Hic positis, facile jam & puer intelligat, quo judicio omnipotentiæ Papalis patroni, duo hæc testimonia, ad suæ caussæ defensionem afferre soleant. Nam Christi quidem clauem, nemo est mortalium, qui sine summa & manifestissima impietate, ex illo Apocalypseos loco sibi possit vindicare. Sobnæ verò clauis ; quid simile habet clauibus Rom. Pontificum ? Illa clauis Præfecturæ palatij symbolum fuit : Pontifex jure clauium suarum, in spiritualibus & temporalibus, hoc est in cælo & terra, omnem pote-

statem sibi vindicant. Illa subiectionis Sobnæ, & dominationis Ezechiæ Regis, à quo Sobna ipsam acceperat, indicium fuit: Pontifex obtentu clauium suarum, Imperatores, Reges ac Principes, pedibus suis subijcit; diademata ipsorum ex suo vult arbitrio pendere; gladiũ vtrumque, etsi non sine aliqua putida distinctiuncula, vtrumque tamen sibi arrogat: denique ad nutum suum & regnis suis Reges & vita priuari debere contendit. Postremò clauis Sobnę vnica fuit, illi propria: dum Magister erat Palatij; deinde ab illo translata ad Eliacimũ: Petro neque data neque promissa est vlla ipsi propria clauis; sed dixit ei Dominus, *Dabo tibi claues*; id est, tibi Petre vnam, & reliquorum Apostolorum vnicuique suam, vt & veteres exponunt, & Bellarminus recte contendit esse exponendum. Quare concludimus & affirmamus, clauem Dauid, cuius mentio in Scripturis, ad Papam nihil quicquam pertinere.

C XL. *Exponuntur loca Optati à Baronio allata.*

IBIDEM.

AD tria quæ subijciuntur ex Optato testimonia, facilis est & multiplex responsio. Ante omnia postulatio illa fuerit æquissima, vt qui argumentationem Optati parem vim hodie atque olim habere æquum censent; Ecclesiam Dei in eum locum restituant, in quo erat Optati temporibus. Nam quum post ætatem illius tantæ nouitates in Ecclesiam fuerint introductæ, tot in doctrina fidei noui articuli conditi, tota administrationis Ecclesiæ facies ac ratio, non immutata fuerit, sed in contrarium versa: iniquissimum & longe absurdissimum est, ea quæ de antiqua Ecclesia Romana & illius priscis Episcopis leguntur, ad hodiernã transferre; quasi nulla facta esset mutatio, aut nullius momenti. Quis nescit mutata Reip. forma iura multa mutari? Bona fide dicat mihi aliquis, an ętate Optati voluntas Romani Papæ, lex suprema fuerit in Ecclesia, vt nunc est? de spiritualibus loquor: nam ad temporalia vix post multa secula ceptum est à Papis aspirari. Quis dixerat verbo *Pasce* ius regium Pontificibus fuisse delatum? quis dixerat suprà Concilium Papam esse? quis credebat in Papæ potestate esse, vt Imperatores ac Reges pro canibus habeant, velut canes ex animi libidine deijciat vel mactet, quod hodie docet Iesuita Becanus? Nondum, credo, in tantum fastigium dignitas Pontificia erat euecta, vt essent qui dubitarent, Deus esset Papa an homo: & poeta, opinor, nondũ natus fuerat, cuius extat celebratissimus apud Canonistas versus, *Nec Deus es, nec homo, quasi neuter, & inter vtrumq.*

Quid

Quid multa? Mutata ſunt tempora: πάντα ἴδια ἐγένετο. Vnitati quæ arctiſſime fouebatur in Eccleſia Dei, ſucceſſit hinc vnius abſoluta dominatio, illinc triſte omnium mortalium ſeruitium. Hac exceptione iuſtiſſima nemo æquus & pius negauerit, facile eludi quæcunq; extant apud veteres Patres alicuius reuerentiæ teſtimonia Papæ Romano à reliquis Epiſcopis Orbis Romani, vt tum dicebatur, exhibitæ. Nam quod aliquis dicat, ius diuinum eſſe immutabile; veriſſimum quidem & certiſſimum eſt: ſed hodiernam potentiam Paparum à iure diuino originem habere, ne illi quidem omnes audent affirmare, qui maxime vellent ita eſſe: & omnino falſiſſimum eſt. Apoſtoli epiſcopos inſtituerunt: & Epiſcoporum ordinationem iuris diuini eſſe, legimus apud Cyprianum non ſemel. de Monarchia Paparum, nihil Scripturæ; nihil Cyprianus, neque alij antiqui. Verùm age cedamus manifeſto iure, & verba Optati expendamus. Nam ipſum Hildebrandinę doctrinæ, pro qua pugnatur hodie, ne minimum quidem fauere, nos quidem conſtantiſſime affirmamus. Primus locus è libro VII. hic eſt: *Bono vnitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit ſolam veniam conſequeretur; & præferri Apoſtolis omnibus meruit; & claues regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Cum Donatiſtis ſchiſmaticis eo loci diſputat Optatus, & quia illi ſua ſeparatione vnitatem Eccleſiæ rumpebant, varia in illis octo libris argumenta proferuntur è Scripturis, quæ valent ad ſanciendam & commendandam vnitatem. Inter cætera argumenta afferuntur claues datæ Petro. Ait Optatus, quod Petro qui Chriſtum abnegauerat, claues fuerunt traditæ; factum id eſſe *bono vnitatis.* Sic olim dixerat Cyprianus, Eccleſiam ſuper Petrum fundatam, *ſed vnitatis origine & ratione.* epiſt. LXX. hoc eſt, quia iudicarit Chriſtus ad fouendam in Eccleſia Dei concordiam & vnitatem, id expedire: Petrum enim propter admiſſi à ſe criminis conſcientiam æquiorem fore erga alios, & faciliorem ad dandam delictorum veniam, quod optimum eſt vnitatis coagulum. propterea Petri peccatum accurate expendit Optatus, & longo ſermone exaggerat; non vt Petrum dehoneſtet; ſed partim vt Dei conſilium ad fouendam vnionem explicet; partim vt ſtultitiam Donatiſtarum refellat, qui ſolos ſe Eccleſiam Dei eſſe iactabant, quum Catholicæ per orbem diffuſæ non communicarent, in qua erat Cathedra Petri cui claues datæ fuerant. Hic primùm obſeruet lector, ex Optati ſententia, cum prærogatiua honoris delata eſt Petro, non eſſe id factum meritorum eius ergò, vt docebat in ſuperioribus noſter Cardinalis: ſed quia ſic Domino placitum. expreſſe enim ait; Petro ſatis futurum fuiſſe, ſi poſtquam negarat ſolam veniam conſequeretur. non

igitur

igitur eius meritis debebatur is locus. Obſerua deinde, quicquid Petro tributum eſt, id eſſe tributum *bono vnitatis*, vt Optatus loquitur, poſt Cyprianum; ſiue, vt docet Hieronymus, vt euitarentur ſchiſmata. Atqui ad bonum vnitatis ſeruandum, ſatis hoc eſt, vt membra eius corporis cuius Chriſtus eſt caput, inter ſe communicent; quod diligentiſſime facere ſemper ſtuduit vetus Eccleſia, partim per conſenſum in doctrina, partim per ordinis legitimi conſeruationem & commercium formatarum, vt ait Optatus libro II. & nos alibi pluribus expoſuimus. Hildebrandina verò dominatio, non ſolum neceſſaria non eſt fouendæ vnitati, ſed etiam vnitatis veræ, quæ poſita eſt in coniunctione animorũ & ſincera charitate, inimica eſt prorſus, & conſiſtere cũ illa non magis poteſt, quàm ignis cũ aqua. Docet hoc ratio, docet experientia; quum à temporibus Hildebrandi perpetua inter Regnum & Sacerdotium, atque inter ipſos Eccleſiaſticos extiterint diſcidia, iurgia, contentiones acerrimæ & bella diriſſima. Quod autem Optatus Petro nullam in Apoſtolos dominationem tribuat, vt facit Baronius & fit hodie ab omnibus eius cauſſæ patronis, perſpicuum eſt ex iſtis eius verbis, in eodem libro VIII. *Hæc omnia*, inquit, *viderat Paulus in Apoſtolis cæteris, qui bono vnitatis per charitatem noluerunt à communione Petri recedere, eius ſcilicet, qui Chriſtum negauerat.* Attente ſunt expendenda illa verba, *noluerunt à communione Petri recedere*: ex quibus liquido conſtat, Optatum de dominatione Petri in reliquos Apoſtolos ne cogitaſſe quidem. declarant hoc ipſum & ſequentia: *Quod ſi maior eſſet amor innocentiæ, quàm vtilitas pacis & vnitatis, dicerent ſe non debere communicare, vt ſupra dictum eſt beatiſſimo Petro, qui negauerat magiſtrum.* quid clarius iſtis? Communicarunt Petro, ait Optatus, cæteri Apoſtoli bono vnitatis. cur non dixit agnouerunt illum ſuum dominum, ſuum Monarcham? Pergit verò; *Poſſent non communicare, vt ſupra dictum eſt beatiſſimo Petro; poſſent contra illum recitare verba Chriſti, qui promiſerat, negaturum ſe eſſe apud Patrem, eum qui ſe coram hominibus denegaſſet.* deinde vbi Petri peccatum prolixe exaggerauit, ſubdit hæc: *Et tamen bono vnitatis de numero Apoſtolorum ſeparari non meruit.* Obſecro quàm aliena hęc ſunt ab hodierna doctrina de imperio B. Petri in omnes Apoſtolos? Si non habuit Petrus dominationem, multo minus ex eiuſdem Optati ſententia, habuerunt eius ſucceſſores Romani Pontifices. Itaque verba illius ſunt libro quinto; *Eſt ergo in vniuerſis ſeruientibus, non dominium, ſed obſequium.* & libro eodem poſtquàm dixit Catholicam Eccleſiam, à qua Donatiſtæ ſe ſeparauerant, cohærere Cathedræ Petri ad vnitatem ſeruandam inſtitutæ, enumerationem ſucceſſorum Petri ita claudit: *Liberio ſucceſſit Damaſus;*

sus; Damaso Siricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat. Audet Optatus Romanum Papam *Socium* simpliciter vocare? Ignorabat videlicet hîc Afer non minus quàm Cyprianus Sententias Hildebrandi, & de Monarchia in vniuersum terrarum Orbem nihil dum audiuerat. Itaque judicem in caussa religionis supremum non Papam agnoscit libro eodem, sed Dei verbum; quod hodie isti in ordinem cogunt, nec plus illi tribuunt quàm Papæ libuerit, aut rationibus eius imperij fuerit conducibile. Sed vrgentur illa verba: *Claues regni cœlorum communicandas cæteris solus Petrus accepit.* quibus similia legi etiam libro primo, vltro confiteor. Respondeo; quo sensu dixit Optatus, posse hoc defendi: at quo sensu multi Hildebrandistæ idem dicunt, falsissimum id esse, & nulla ratione posse defendi. Optatus symbolum vnitatis vult fuisse, quod Christus claues omnibus Apostolis traditurus, vnum Petrum sit allocutus, atque illi soli dixerit, *Dabo tibi claues.* hoc ille sic interpretatur, vt dicat solum Petrum claues accepisse, ac postea alijs communicasse. Scio Leonem I. idem scribere, de cuius sententia alibi dicendum. Optatum verò nihil aliud spectasse, nisi conseruationem vnitatis, jam satis demonstrauimus. Itaque possumus quod dicit exponere commode: alioquin scimus falsissimum esse, solum Petrum claues accepisse, aut solum à Christo accepisse, vtrumque horum inquam & falsum est, & expressissimis Patrum testimonijs, quæ in omniũ ore sunt, potest confutari. Sed Optatus non διδακτικῶς hoc posuit, verùm vt multa sæpe Patres, οἰκονομικῶς disputationi suæ accommodauit. Et sunt multa eiusmodi in illis libris, proposito optime inseruientia; quæ si accipias vt simpliciter dicta, stare nequeant. Sic libro tertio, Libanum in Cantico Canticorum interpretatur esse Romanum imperium; & visionem apud Ezechielem prophetam contra Principem Tyri, exponit de Donato Carthaginis. libro eodem vaticinium Ezechielis è capite XIII. trahit aduersus Donatistas; & multa sunt id genus. In secundo testimonio repetitur illud, Petrum claues accepisse, *vt vnitatis negotium formaretur.* non dicit Optatus, vt monarchia Petri vel eius successorum Paparum institueretur. Tantũ pro vnitate pugnat vir sanctus: hodierni disputatores tantum pro regno & imperio in Orbem terrarum vniuersum. In tertium testimonium ita præfatur Baronius: *Optatus non semel expresse firmiterque testatur vniuersalem totius Ecclesiæ præfecturam, quam à Christo Petrus est consecutus, transfusam esse in Romanos Pontifices, Petri cathedræ legitimos successores.* Atqui falsissimum est Optatum vllius in

Ecclesiam

Ecclesiam præfecturæ meminisse vel semel. falsissimum item est, vel vnicum apud Optatum legi verbulum, quod ad Ro. Pontificis præfecturam, (ita appellat Baronius quoties lubet ὑπεροχοειστικῶς supremum dominium, & monarchiam Papalem:) possit referri: denique falsissimum est, subiectum testimonium eo posse trahi. Ait, *Igitur negare non potes, scire te in vrbe Roma, Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas est appellatus.* Scopum horum verborum declarant præcedentia, quæ subijciam. *Videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis: inter quas Cathedra est prima: vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera dos non poterit, qui est annulus. Videndum est, qui & vbi prior Cathedra sederit.* Vides summam disputationis esse de origine Ecclesiæ. Credidit enim vetus Ecclesia, vnicam esse Ecclesiam, quæ toto Orbe sit diffusa; vnicum Episcopatum, etsi multi sint Episcopi pari jure inter se omnes; vnicam Cathedram, super Petrum fundatam, ratione originis & vnitatis. Vide Cyprianū epistola XL. & LII. & LXX. Quum igitur vniuersæ Ecclesiæ primum fundatorem Petrum fuisse veteres crederent: meritò etiam illud crediderunt; nullam societatem nomen Ecclesiæ mereri, quæ separata esset ab ea quam Petrus instituerat; hoc est, quæ & Petri fidem custodiret, & charitatem atque vnitatem cum omnibus Christi membris seruaret. Hoc argumentum fuit olim firmissimum, & ad sarciendam vnitatem à schismaticis interruptam, efficacissimum. esset etiam hodie, si maneret in Ecclesia eadem quæ fuit olim vnitas, idem concordiæ amor; & quod caput est, si eadem doctrina quam docuit Petrus, & super qua Ecclesiam fundauit, maneret; neque aut additionibus aut detractionibus esset corrupta. De errore Optati, siquidem ita scribit, Cepham interpretantis caput, satis antè dictum. Sequitur: *In qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur; ne cæteri Apostoli, singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra est vnica, quæ est prima de dotibus.* Quid hoc ad Papæ præfecturam, id est monarchiam? Audio virum sanctum de vnitate, pie & proposito suo accommodate disserentem: de Præfectura Romana nihil audio illū dicentem. Non esse in Ecclesia Dei altare contra altare extruendum, etiam Cyprianus simili argumento probat ep. XL. & plena sunt Patrum monumenta eadem doctrina: sed eundē Cyprianum dominationem Ro. Pontificis, vel potius vmbram eius aliquam & leuissimam suspicionem ferre non potuisse, & seuere castigasse, scripta ipsius faciunt fidem. Quis post tempora Cypriani Angelus de cœlis venit, qui nouam hanc doctrinā inuexit in Ecclesiam? Sed etiam si venisset

aliquis

aliquis Angelus tantæ nouitatis auctor; Anathema illi fuerat dicendum ex præcepto Pauli, ad Galatas 1. 8. Postremò, doceat nos aliquis, vbi illa sit Cathedra vnica, quæ ætate Optati in oculos omnium incurrebat, fidei & disciplinæ Petri conseruatrix: & nos idem cum Optato ἀπεριφράστως dicemus.

CXLI. *S. Bernardi judicium de illa infinita Papæ potestate.*

ANNI XXXIV. Num. CCVI.

SIc est vt Baronius obseruat; existimauit S. Bernardus Christum, quando dixit Petro, *Pasce oues meas*, curam vniuersæ Ecclesiæ illi & successoribus ipsius Episcopis Rom. commisisse. Quis nescit, ab aliquot seculis, vtique autem post Hildebrandi tempora, nemini in Ecclesia Romana, fas fuisse de ea re dubitare? Ego verò illud potius admiror, ausum esse Bernardum illa qua viuebat ætate, Ro. Pontificis potestatem ijs finibus circumscribere, quibus illam definit in illis ipsis ad Eugenium libris. Dicit ille quidem initio tertij, Apostolis successisse Papam, *qui fuerant constituti principes super omnem terram.* sed qualis fuerit ille principatus explicat, & addit: *At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos, id sobria consideratione pensandum. Non enim per omnem reor modum; sed sane quadantenus, vt mihi videtur, dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio. Si pergis vsurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit, Meus est orbis terræ & plenitudo eius.* Attentus lector in illis libris multa reperiet caute dicta, quæ diligenter sunt expendenda, vt sancti illius viri judicium de sui temporis Papis cognoscatur. Eiusmodi est verbum *pergis*: nam hac voce significat Bernardus, Papas multa jura vsurpare, quæ ipsis non conueniant. nihil enim Bernardus Papis concedit, præter curam pastoralem animorum. Itaq; lib. IV. cap. II. postquam dixisset Apostolos olim totos se quibus pascendis exposuisse, pastoris opere & nomine gloriantes. subijcit hæc: *Vbi nunc quæso consuetudo hæc? Subijt dissimilis valde; longe in aliud mutata sunt studia, & vtinam non in peius.* vbi insignis est μείωσις in postremis verbis: minus enim dicit quàm cogitabat. Deinde cum regium cultum in Eugenio grauiter increpuisset, atque exemplum Petri plane contrarium illi proposuisset, subdit: *Absque his tamen credidit Petrus, satis posse impleri salutare mandatum, Si amas me pasce oues meas. In his successisti non Petro, sed Constantino.* Non probabat videlicet Bernardus Sullaturientis Hildebrandi sententiam septimam: *Quod solus Papa pos-*

 sit

sit vti Imperialibus insignijs. Addit Bernardus mox: *Euangelizare pascere est: Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti.* Non igitur probasset Bernardus illam Bellarmini interpretationem, *Pasce, id est, regio more impera.* non probasset dico? ille verò damnasset & vili aliquo Papæ parasito digniorem pronuntiasset, quàm eo viro qui inter doctos & antiquitatis Ecclesiasticæ peritos nomen profiteatur suum. Bernardi constans fuit sententia, Pontificatum esse ministerium non dominium, administrationem non possessionem, pastoralem curam, non Monarchæ cuiusdam Principibus terribilem Dictaturam. Scribit igitur ad Eugenium suum hæc. Libro II. cap. VI. *Factum te superiorem dissimulare nequimus; sed enim ad quid, omnibus modis attendendum.* NON *enim* AD DOMINANDVM *opinor. Nam & Propheta, cùm similiter leuaretur, audiuit; Vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quid horum fastum sonat? rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, vt multum sentiamus de nobis, vel nobis impositum senserimus ministerium, non dominium. Non sum ego maior propheta, etsi forte par potestate; sed meritorum non est comparatio. Hæc loquere tibi & doce te ipsum, qui alios doces.* paullo post: *Blanditur Cathedra? Specula est; inde denique superintendis sonans; tibi Episcopi nomine, non dominium, sed officium.* Sequitur deinde: *Esto vt alia quacunque ratione aurum & argentum tibi vindices: sed non Apostolico jure. Nec enim tibi Petrus dare quod non habuit potuit. Quod habuit hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Nunquid dominationem? Audi ipsum. Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate; vox Domini est in Euangelio; Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum.* & plura ibidem in eam sententiam. Lib. III. initio: *Possessionem & dominium cede huic; (* Christo *) tu curam illius habe. Pars tua hæc: vltra ne extendas manum. Quid? inquis. Non negas præesse, & dominari vetas? Plane sic.* mox: *Dominari ne affectes hominum homo, vt non dominetur, tui omnis iniustitia.* Et statim: *Recordare nunc vocis illius; Sapientibus & insipientibus debitor sum. Et si non indebitam tibi ipsam censes, hoc quoque simul memento, debitoris molestum nomen seruienti potius, quàm dominanti congruere.* Libro V. cap. VII. *Consideres ante omnia, S. Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse non dominam: te verò, non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis.* Ex his & similibus

milibus fit manifestissimum, S. Bernardum, etsi in densissimis tenebris viuentem; Papis tamen aliud nihil judicasse conuenire, nisi προστασίαν τῆς οἰκουμένης, curam & sollicitudinem de Ecclesijs omnibus. hanc autem curam, non solum Apostolis omnibus fuisse communem, tot locis affirmat Chrysostomus; sed etiam omnibus Episcopis incumbere, asserit idem, cum alibi sæpius, tum expressissimis verbis in laudatione S. Eustathij Antiocheni. *Edoctus probe fuerat*, inquit, *à Spiritus gratia, Ecclesiæ antistitem, non de illa solùm, quæ ipsi à Spiritu sit commissa, curam debere gerere; verùm etiam de vniuersa, quæ per Orbem terrarum degit.* Idem alij Patres confirmant; & praxis priscæ Ecclesiæ euincit, vt clare alibi probamus. Videt verò pius lector in superioribus Bernardi verbis, quàm sollicite dominium Ecclesiæ & dominationem in Ecclesiam separet à cura pro Ecclesia: & quam rigide neget, ac subinde repetat, neque dominium, neque dominationem, vllo jure vindicari posse à Papa. Atqui modò Baronius supremum Ecclesiæ dominium Papæ nihil hæsitans attribuebat & simul dominationem. Bellarminus de Monarchia Ro. Pontificis, tot libros edidit, & plures alij. Desinant igitur posthac sanctum hunc inter suos auctores recensere. Non me fugit, quid Bernardus idem libro IV. illius operis dicat de duobus gladijs ad Papam pertinentibus: sed & Bellarminus ipse fatetur, mystice illa dici; quæ si accipiantur simpliciter, futura sint falsa; quum vt vere obseruat idem Cardinalis, à mente Domini Lucæ XXII.38. nihil ne fingi quidem possit alienius, quam illa est sententia.

CXLII. *Expenduntur testimonia ex Arnobij Commentarijs in Psalmos.*

IBIDEM.

Dicturus de testimonijs, quę subijciuntur è Commentarijs in Psalmum CXXXVIII. qui Arnobio tribuuntur; id primum lectori proponam expendendũ; cur dissimulauerit Baronius, quod ignorare non poterat; illos Commentarios non esse illius celebris scriptoris, qui sub Diocletiano vixit, & Lactantij fuit præceptor. Nemo hodie est eruditorum, cui non sint compertæ caussæ, quæ certo euincunt, hunc Arnobium aliquot seculis post illum priorem vixisse. Deinde repetendum hîc mihi est, quod sæpe jam monui; solere Patres in suis aduersus hæreticos disputationibus, minus caute interdum loqui, & ea dicere, quæ magna lectoris æquitate opus habeant; sicut ex Athanasio non semel jam dixi. Arnobius igitur iste loco

illo aduerſus Nouatianos animoſe diſputans, nonnulla dicit, quæ friuola & nullius momenti quum ſint; perperam & abſurde ad ſtabiliendam Papæ Monarchiam hodie afferuntur. Quum negaret Nouatianus, ad pœnitentiam peccatores admittendos: Arnobius contrà, exemplo Petri docet, non ſolum in priorem ſtatum pœnitentem poſſe reſtitui; ſed etiam in longe præſtantiorem perduci. *Apoſtolo,* ait, *pœnitenti, ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus; & maior gradus redditur ploranti, quàm ſublatus eſt deneganti.* Veriſſime iſtud quidem. & Arnobius hoc argumento vere & ſolide confutat Nouatianum. Baronius verò & ſimiles diſputatores perperam Arnobij verbis abutuntur, vt Petrum reliquis Apoſtolis velut dominum imponant. Nihil enim hîc Petro proprium; ſed omnibus Apoſtolis commune fuit, quod notat Arnobius. Nam ante reſurrectionem Domini promiſſæ quidem Apoſtolis claues fuerant; ſed nondum traditæ. traduntur autem Petro & omnibus Apoſtolis, Ioh. xx. 23. ibidem Spiritum Sanctum accipiunt, quem eo modo non antè acceperant. ibi etiam vocem audiunt, quam prius non audiuerant: *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* & plenius apud Matth. xxviii. 19. *Euntes docete omnes gentes,* &c. At illud non ita verum eſt, quod ſubijcit Arnobius; ſolum Petrum Paſtoris nomen Chriſto proprium accepiſſe. Excidit illi hoc dictum incautius in calore acris cum Nouatiano diſputationis: & colorem aliquem habet iſta ratio; quia verbum *Paſce* ſoli Petro dictum eſt à Domino: re vera tamen falſum eſt hoc Arnobij argumentum, & perabſurdum. Nam quis ſanus neget Paulum & cæteros Apoſtolos, tam fuiſſe paſtores, quàm fuit Petrus? Paulus Epheſ. iv. 2. miniſtrorum Eccleſiæ ordines recenſens, ponit inter alios ποιμένας, *paſtores:* ſed longe infra dignitatem Apoſtolatus. Petrus ipſe, quum in prioris ſuæ ii. 25. Chriſtum appellaſſet, *paſtorem & epiſcopum animarum.* idem cap. v. 2. Epiſcopos Eccleſiarum ſic alloquitur, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες; oſtendens manifeſtiſſime, nomen Paſtoris omnibus Epiſcopis conuenire, qui commiſſum ſibi à Deo gregem fideliter regant. An igitur credemus, eum titulum vni Apoſtolorum Petro ſic proprium eſſe, vt reliquis non conueniat? hoc verò nemo ſanus dixerit, niſi fortaſſe οἰκονομικῶς, vt fit hoc loco ab iſto ſcriptore obſcuro. At non dixit Dominus cæteris Apoſtolis *Paſce*: verbum quidem non dixit fortaſſe illud ipſum: ſed mandatum dedit illud ipſum. Sunt enim ejuſdem ſignificationis voces βόσκε vel ποίμαινε, *paſce* Ioh. xxi. & μαθητεύσατε, *docete,* Matth. xxviii. 19. item κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον, *prædicate Euangelium.* Marci xvi. 15. Pascere enim, euangelizare eſt, vt modò dicebat S. Bernardus. Quod Petrum vocat

Arnobius *Episcopum Episcoporum*, nihil hoc ad dominationem facit vel Petri vel Ro. Pontificis. Petrus qui Apoſtolus erat, & Apoſtolorum primus, jure dici potuit *Epiſcopus Epiſcoporum*: ſicut Paulus dicitur Pater Patrum in reſponſione ad quæſt. CXIX. ad orthod. apud Iuſtinum. Sed de titulis tam Apoſtolorum, quam Epiſcoporum & Patriarcharum prolixe & accurate alibi, ſi Deus volet.

CXLIII. Expenduntur dicta quædam Leonis Magni.

ANNI XXXIV. Num. CCVII.

LEonis primi verba ſunt: *Inter beatiſsimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis.* Oſtendimus in ſuperioribus, quid ſanctum hunc Pontificem impulerit, vt Sedi ſuæ tribueret quàm plurimum: vt mirum videri non debeat, legi nonnulla apud hunc οἰκονομικῶς dicta, quæ priorum Eccleſiæ Doctorum conſtantiſſimæ doctrinæ non ſatis congruant. Certe conuenientius ſententiæ Patrum ipſo antiquiorum dixiſſet Leo, *in ſimilitudine poteſtatis fuit quædam diſcretio honoris.* alioquin cum Cypriano, cum Hieronymo, cum alijs ſanctis hic ſanctus committetur, ſi ſerio illa dixit, eo ſenſu quo hodie accipiuntur. Addit Leo: *de qua forma eſt orta Epiſcoporum diſtinctio.* Sed hæc diſtinctio ex jure diuino nulla eſt, ſi credimus Cypriano, Hieronymo, & omnibus priſcis Doctoribus Græcis & Latinis, toties tam expreſſe id affirmantibus. Fateor, prudenter & ex vſu Eccleſiæ diſcrimen eſſe poſitum inter Epiſcopos, cum ſunt inſtituti Metropolitani, & Patriarchæ: ſed has differentias è jure diuino eſſe ortas dici non poteſt; quum ſit compertiſſimum, juris poſitiui eam inſtitutionem eſſe, primo & ſecundo ſeculo, & magna etiam, vt videtur, tertij parte olim ignotam. Quare vt agnoſcimus in primo Concilio Niceno pie, ſapienter & neceſſario eſſe confirmatam illam juris diuerſitatem inter Epiſcopos: ſic non dubitamus facere illos abſurde, qui jus diuinum & poſitiuum hac in parte confundunt. Neque verò hoc negabant primorum ſeculorum Ro. Pontifices: verùm vbi creuit eorum potentia, noua ſimul jura creuerunt, prioribus inaudita, ſicut antè obſeruabamus.

CXLIV. Expend.

CXLIV. *Expenduntur dicta quædam Gregorij Magni.*

IBIDEM.

E Gregorio Magno proferuntur hæc verba : *Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est : Paulus Andreas, Iohannes, quid aliud, quàm singularum plebium sunt capita?* Fuit Gregorius, non solum cognomine, sed rebus ipsis magnus & sanctus, ac vere sui seculi, prope jam ferrei, phœnix. Nos quidem ita censemus: & cur ita censeamus, caussas parati sumus reddere. Sed tamen negari non potest, legi in eius scriptis nonnulla interdum, nisi accedat commoda interpretatio, vix excusanda. Fuerítne hæc seculi culpa, an hominis, impræsentiarum non quæro. Illud libere dico, inter dura Gregorij dicta, omnino istud esse ponendum : nam si ἀποτόμως vrgeantur illa verba, *cæteros præter Petrum Apostolos, fuisse plebium singularum capita* : quis hoc dictum excusauerit? est enim manifestissima absurditas, & insolubilis cum verbo Dei & doctrina priorum Patrum pugna. Nisi fortasse possit aliquis probare, soli Petro, non cunctis Apostolis dictum esse, *Euntes docete omnes gentes*. Enimuero si ad omnes gentes similiter omnes Apostoli sunt missi : falsum est, singulos Apostolos præter Petrum singularum plebiũ fuisse capita. Id enim Episcopis conuenit, qui singularum Ecclesiarum sunt Pastores: Apostolis conuenire non potest, qui fuerunt vniuersi Orbis doctores; & quibus vt antea dicebamus è Chrysostomo, κοινῇ ἐγκεχείρισται ἡ Οἰκουμένη; *Orbis terrarum in commune fuerat commissus*. De Iacobo fratre Domini consentiunt veteres, illum de consensu Apostolorum Ecclesiæ Ierosolymitanæ operam suam addixisse; & fere eo loci hæsisse, ad martyrium vsque. Et tamen etiam hunc Petro adiungit Chrysostomus, in caput vltimum Iohannis, & ait illos τὴν ἐπιτροπὴν τῆς οἰκουμένης ἀναδέξασθαι, *curam Orbis terrarum suscepisse*. De cæteris Apostolis nemo dubitat, quàm late Orbis habitabilis tum patebat, eos Euangelium circumtulisse, per omnia quæ adire poterant loca. Quarũ igitur plebium fuêre capita Andreas, Matthæus, Bartholomæus, Thomas? Quid ὁ τρισμέγιστος & μεγαλοφωνότατος Paulus, qui Apostolatus sui tirocinium posuit in subigenda Filio Dei Damasco & Arabia; qui mox ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuit Euangelium Christi: qui Gentium Apostolus quum esset, tamen etiam Iudæis nuntium salutarem prædicauit : an etiam hic alicuius plebis caput dicendus erit, potius quàm Oecumenicus Doctor & mundi totius magister? Nos apud vnum Chrysostomum obseruauimus loca minimũ

octo

octo aut decem, vbi Paulus appellatur ὁ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος: quod etiam elogium Petro attribuitur ab eodem non semel, sed Paulo tamen sæpius, vt dicturi sumus & probaturi ad numerum huius anni CCXCI. si vitam & otium Deus concesserit. Ipse Gregorius alibi, *caput Gentium effectum esse Paulum* scribit: quomodo igitur vnius aut paucarum plebium? Distinctionem suam Baronius hîc adhibet, vt nodũ soluat. Hoc illi facilius fuit, quàm è Scripturis, aut antiquioribus Patribus locum aliquem afferre, qui illi distinctioni fundus sit. Verius dixerit aliquis; Gregorium Pontificem, in caussa Pontificis, vel propter eam rationem, quam antè obseruabamus in Leone, ad annum superiorem, vel propter similem aliam, aut denique humani ingenij vitio, parum cauisse. Et tamen ne istud quidem Monarchiam hodiernam vel tantillum adjuuat: quum ex alijs tot locis eiusdem Gregorij indubitatum sit; ipsum à dominatione Orbis terrarum adeo fuisse alienũ, vt ipsum titulum Vniuersalis Episcopi, ceu notam certissimam Antichristi semper abhorruerit.

CXLV. *An Paulus inferior Petro.*

IBIDEM.

CÆteros quidem Apostolos nullo negotio in ordinem coegit Baronius, & Petri monarchiæ subiecit: in Paulo verò plus illi fuit laborandum: quia inuenit illum palàm reluctantem. Paulus enim Apostolum se Gentibus sic missum scribit, vt Petrum circumcisioni siue Iudæis. Res ipsa & Pauli verba in Epistola ad Galatas clarissime demonstrant, Paulum æqualem se Petro credidisse: neq; potest vllum è Scripturis verbulum proferri, quo ostendatur aliqua vel minima inter hos duos Apostolos inæqualitas. Audet tamen Baronius scribere: *Cæterum quantum libet amplissimus fuerit eius Apostolatus, quem accepit ad Gentes saluandas, tamen nihil est, quod potestate æquari possit principi Apostolorum omnium Petro, quem præfecit Dominus vniuerso gregi.* En nouam doctrinam: cui si aliquid simile Protestantium aliquis diceret, Nouator & hæreticus statim audiret. & meritò: nam quid magis nouitatem aut magis hæresin sapit, quàm quod aperte Scripturis contradicit? Asseueranter affirmat Paulus I. Cor. XI. 12. non esse se inferiorem ne ijs quidem Apostolis, qui præ cæteris excellebant; appellans eo loco τῶν ὑπερλίαν Ἀποστόλους, quos in Epistola ad Galatas nominabat τῶν δοκούντων, nempe Iacobum, Cepham & Iohannem: & sunt in epistolis Pauli non minus vera, quàm magnifica testimonia de abundantia gratiæ in se collatæ ad Ecclesias instituendas; non veretur tamen

tamen Baronius putidæ diſtinctiunculæ, ceu machinæ χαστνείας ope, de faſtigio illo gloriæ Paulum deturbare, aut ad conditionem cuiuſdam Legati, qui pendeat à ſuperiore quadam poteſtate, illum redigere. Petrū enim illi imponit dominum & Monarcham, & diſerte negat poteſtatem Pauli vllo pacto æquari poſſe poteſtati Petri. ô nouitatem! ô audaciam! Si Scripturæ negliguntur ab eiuſmodi fanaticæ doctrinæ aſſertoribus; proferant ſaltem aliquem ex antiquis Patribus, qui eam inæqualitatem inter Petrum & Paulum agnouerint. Nos interim credemus Cypriano, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, ipſi Leoni Magno, qui Petrum & Paulum pares fuiſſe pronuntiant. Illos, ait Leo, *electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* πάντες Ἀπόστολοι τῆς αὐτῆς ἀξίας inquit non ſemel Chryſoſtomus. *omnes Apoſtoli pares dignitate erant.* Eucherius Lugdunenſis ex homilia in natalem Apoſtolorum Petri & Pauli: *Huius vitæ inexplebili ardore ſuccenſi Chriſtianorum principes Petrus ac Paulus, fœnerauerunt vſuram Deo huius lucis pro commercio æternitatis. Electi duo præcipui ad duorum populorum ſalutem; Petrus ad Iudæorum, Paulus ad Gentium.* poſtea: *Vere mirabiles lampadas æquali per vniuerſam terrā luce fulgentes. æquales enim illos ac pares per varia & diuerſa virtutū genera dixerim. Petro quidē claues regni cœlorū Domino committente creduntur: ſed Paulo, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, vſq; ad thronum tertium ſublimato, cœlorum ſecreta reſerantur.* mox. *Sed forſitan dicat aliquis; quomodo iſte ſine clauibus penetrare potuerit diuinæ ædis excelſa. Agnoſcamus chariſſimi, vnas cœlorum claues meritorum eſſe virtutes.* Et poſt pauca: *Paulus humilitatis ac pietatis clauibus vſque ad tertiam cœli regiam penetrauit, æqualis per omnia virtutibus Petro. Nam etſi ille primus, iſte præcipuus.* Vides componi diuinum illud par Apoſtolorum, omni penitus ſuſpicione alicuius imparitatis adempta. At Baronius concedens ratione muneris Apoſtolici, prædicandi Euangelij & peccata ſoluendi Paulum vt cæteros Apoſtolos, Petro fuiſſe æqualem: ratione tamen poteſtatis Petro illum ſubijcit. Appellat *poteſtatem*, quam alij *gubernationem* dicunt, & Petro volunt fuiſſe propriam. Ea eſt quæ hodie in Petri ſucceſſoribus appellatur *Monarchia, regnum, omnipotentia, Pontificia*, & neſcio quibus alijs ſecularis typhi plenis nominibus. Hanc Petri prærogatiuam ignorabat omnino Eucherius: alioquin poſtquam parem illi virtutibus Paulum probaſſet; neceſſariam de poteſtatis imparitate exceptionem proculdubio adieciſſet.

CXLVI. Expenditur locus ex Euangelio Iohannis Baronio allatus.

IBIDEM.

SEd Barõnius ita disputat: Paulus Gentium fuit Apostolus: Petrus vniuersi ouilis Domini, cuius pars erant Gentes: ergo potestas illius maior. Affert verba Christi, Ioh. x. 16. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile & vnus pastor.* postea subijcit hæc: *Cum itaque non nisi omnium ouium dicat vnum ouile esse futurum, vnumque pastorem cuius Dominus oues suas omnes & agnos curæ subiecerit: illum ipsum fuisse Petrum, nec alium præter ipsum eadem potestate qua ipsum, in vniuersali Ecclesia vnicum institutum esse pastorẽ, ex his quæ dicta sunt, neminem puto, nisi forte delirum, & mente captum non intelligere.* Baronium ego scio fuisse virum grauem & doctum; me tamen amor veritatis, zelus gloriæ DEI, reuerentia erga eius Apostolos, & ipsum maxime Petrum, honos denique quo Patres Ecclesiæ prosequor, cogunt sua illi hoc loco verba reponere, & intrepide pronuntiare, deliri hominis & mente capti verba ipsum vsurpare potius quàm grauis & docti. Nam vno verbo, οὐδὲν ὑγιές. Argumentatio primùm vitiosissima; Sumit enim τὸ ἐν ἀρχῇ; & Scripturam interpretatione sua manifestissime deprauat. Sumit illud pro certo; Petro soli totum Christi gregẽ esse commissum, & eius vnius imperio subiectum. At istud est de quo quæritur. Gentes esse partem ouilis Christi, verum est: illud quoque verissimum; totius ouilis vnicum esse Pastorem; sed illud falsissimum, eo Iohannis loco Petrum intelligi, qui sit ille vnus Pastor. De se enim ibi Dominus loquitur, non de Petro. Chrysostomus docte comparat hæc verba cum istis Pauli, Eph. II. 15. *Legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem.* Theophylactus clare; Εἷς ποιμὴν, ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ Θεός. *Vnus pastor, Verbum Dei & Deus.* Euthymius; *Vnus pastor: horum & illorum Christus.* Venerabilis Beda idem cum Chrysostomo, & affert ex illa ipsa Pauli disputatione hæc verba: *Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum.* Nicolaus de Lyra ad locum Iohannis. *Et vnus pastor; scilicet Christus: alij autem non sunt nisi vicarij illius pastoris.* Si de Petro & Ro. Pontif. sensit eo loco Dominus; quid est, cur non superiores interpretes, non Augustinus, nemo denique veterum, nemo recentiorum, quos hactenus legi, id viderint? ipse Maldonatus verba Domini accurate explicans, neque de Petro neque de Ro. Pontifice verbum vllum facit. Nihil igitur jam vetat, quominus libere dicamus; trahere Christi hæc verba ad Petri monarchiam, nouitiam

esse audaciam eorum hominum, quibus nihil pensi est, diuinis oraculis abuti ad sua figmenta stabilienda. Meminit sane B. Augustinus in illorum verborum expositione & Petri & aliorum Apostolorum; sed longe in aliam sententiam, quàm vel Baronius vel Bellarminus. Locus est tractatu in Iohann. XLVI. *Pastores ergo Apostoli? Plane pastores. Et vnde vnus Pastor? Iam dixi, pastores, quia membra Pastoris. Illo capite gaudebant, sub illo capite concordabant, vno spiritu, in vnius corporis compage viuebant.* Iudicent pij Lectores, significentne hæc verba, pari jure Apostolos inter se egisse, quod nos contendimus: an quod vult Baronius, totam potestatem penes vnum Petrum fuisse; cæteros Apostolos illius jussa capessijsse. Quod ait, *Petrum eadem potestate qua Christũ, in vniuersali Ecclesia vnicũ institutũ esse Pastorem.* quis satis pro atrocitate dicti exagitauerit? Christo enim, etiam quà homo est, æquare potestate aliquem mortalium, blasphemia est, vel blasphemiæ proximum crimen. Petrus, Paulus, Iacobus, cæteri, operarij fuerunt in domo Dei, excellentes illi quidem & summo honore dignissimi: sed tamen operarij dumtaxat in alieno agro. Θεοῦ δὲ γεώργιον inquit Paulus: aliam potestatem eis attribuere, hoc verò est *Maiestatis dominiũ homini vindicare*, vt loquitur Optatus, libro quinto; vbi aduersus hunc errorem multa disserit vir pius, quod jam antè monebamus.

CXLVII. *An verũ sit, Petrũ quidem Apostolum fuisse & Iudæorum & Gentium, vt Christum; at Paulum tantùm Gentium.*

IBIDEM.

SVbdit his conditor Annalium; *Nec quia Petrus eos potissimum qui ex circumcisione erant erudiendos suscepit, angustioribus finibus Apostolatum suum amplissimum coarctauit. sicut nec cum Dominus de se dicat, atq; profiteatur, non esse missum nisi ad oues quæ perierunt ex domo Israel, excluditur hereditate Gentium, quam postulauit à Patre, vt non æque Gentium ac Iudæorum pastor esse dicatur.* En vt cũ Domino nostro Petrus iterum componatur. Quomodo intelligendũ sit, quod toties apud Paulũ legitur, Petrũ esse Apostolũ circumcisionis, ipsũ autẽ Paulũ pręputij, fuse & vere exponit Hieronymus ad Gal. cap. altero. At nihil vel magno Hieronymo, vel maximo veterum Interpretum Chrysostomo, venit eius in mentem, quod Baronius hîc obseruat. Est verò simile quo vtitur, ita simile, vt quæ sunt inter se dissimillima. Non eo inficias, posse aliquando transferri ad homines, præsertim autem ad Apostolos, quæ in Scripturis de Filio Dei dicuntur. Sed quia omnis comparatio inter genere toto diuersa, semper est periculosa; cautionem ejusmodi comparationes

magnam

magnam desiderant. Fateor, vt Pastor dicitur Christus, & Petrum pastorem recte dici. Verùm ejusdem vocis, vt in superioribus cum Chrysostomo obseruabamus, significatio multum est diuersa, cum de Christo prædicatur, & cum de Petro aut de quouis mortalium. Nam vt antè referebamus ex eodem pio Patre, in Christo significatur φύσις πράγματος; in hominibus τιμὴ ὀνόματος. Christus Pastor dicitur, quia reuera pascit, fouet, seruatque suis viribus suam Ecclesiam; Petrus, quia ejus ministerio Christus vtitur. Male igitur argumentatur sic Baronius: Petrus etsi dicitur in Scripturis Apostolus Iudæorum: erat tamen Apostolus omnium & Iudæorum & Gentium: sicut Christus, licet dicat se missum tantùm ad Iudæos, est tamen Pastor & Iudæorum & Gentium. Atqui ista sunt dissimillima: nam de Christo quidem è Scripturis liquidò constat, ipsum esse Pastorem vniuersalis Ecclesiæ: est enim Filius Dei, cui Pater dedit, quatenus est homo, in omnes Gentes imperium; maxime autem in Ecclesiam: atque huius veritatis multa sunt in Verbo Dei testimonia. de Petro, ne vnum quidem verbum habent Sacræ literæ, vnde id possit colligi, quod velut notum & compertum ponit Baronius. Accedit, quod istæ quidem enunciationes; *Petrus est pastor proprie, tantùm Iudæorũ*: & *Petrus est ex æquo Pastor Iudæorũ & Gentium*, apertissimè sibi inuicem fidem detrahunt; non enim possunt simul esse veræ. Istę verò, *Christus missus est tantùm ad Iudæos*, &, *Christus est Pastor tam Gentium, quàm Iudæorum*, ne speciem quidem vllam contradictionis, recte intellectę, habent. Nam sensus verborum Domini, Matth. xv. 24. est hic, interprete Augustino, tractatu in Ioh. XLVII. *Christus præsentiam suam corporalem non exhibet, nisi populo Israel. Ad Gentes non perrexit ipse, sed misit: ad populum verò Israel & misit, & venit ipse.* Melius igitur & veriùs ita disputationem suam instituisset Baronius: etsi Petrus dicatur Apostolus Iudæorum, tamen id non impedire, quin etiam ad Gentes ipsius Apostolatus porrigeretur: sic enim & Paulum, qui tot locis Apostolum Gentium se appellat, etiam erga Iudæos, quoties data est occasio, vim muneris sui extendisse, & in eorum Synagogis studiose Christum prędicasse, & ad eosdem etiam illam diuinam epistolam scripsisse. Vter autem Apostolatus fuerit nobilior, ad Iudæosne an ad Gentes, dicetur accurate, propitio numine ad annum Domini quinquagesimum: vbi iterum neruos ingenij contendit Baronius, vt contrariam fidei antiquæ doctrinam aliquo pacto reddat probabilem. Interim obseruet pius Lector eius verba, SVSCEPIT, & COARCTAVIT: sic enim loquitur, quasi Petrus initio constituendæ Ecclesiæ, Imperatorem aut Monarcham agens, partem susceperit curandam quam libebat;

bat;

bat; partem cuiq; Apoſtolorum ex proprio motu, vt hodie eius ſucceſſores loquuntur, aſſignarit. Hoc falſum eſt, hoc omni falſo falſius. hoc ſomnium eſt, fabula eſt, mendacium eſt; & vt mendacium ipſi Petro, ſanctiſſimo Dei Apoſtolo probroſum, omni ſtudio ex hiſtoria Eccleſiaſtica exterminandum. Extat hiſtoria Actuum Apoſtolicorũ; ibi nihil ejuſmodi neque expreſſe dicitur, neque ipſa rerum geſtarum narratione inſinuatur. S. Petrus in iaciendis Eccleſiæ fundamentis ſtrenuum & zeli plenum, ac merito ſuo primarium ſe præſtat operarium; ſed vt affirmat Chryſoſtomus, nihil facit, quod imperium ſapiat, nihil quod aliquam ſpeciem habeat alicuius in collegas dominationis. Falſiſſimum igitur eſt & vaniſſimum commentum, Petrum pro imperio ſuſcepiſſe Iudæorum curam; Gentium tradidiſſe Paulo. Atqui non Petrus vltro illi oneri ſubijt; ſed Chriſtus ipſe id illi impoſuit: neque prouinciam Gentium à Petro accepit Paulus, ſed ab eodem Chriſto. B. Chryſoſtomus homilia in verſum vndecimum, cap. I I. ad Gal. τοὺς μὲν Ἰουδαίους ἐπέτρεψε τῷ Πέτρῳ, τοῖς δὲ Ἕλλησι τὸν Παῦλον ἐπέστησεν ὁ Χριστός. *Iudæos Petro tradidit Chriſtus, Græcis Paulum præfecit.* atque hoc ita clare ſignificat Paulus ipſe, vt tribuere Petro quod ille vni Chriſto fert acceptum; hoc vero ſit Apoſtolo palàm contradicere, & ipſi Spiritui Sancto, qui per eius os eſt locutus. De his igitur ſuo loco accuratius.

CXLVIII. *Epilogus Baronij expenditur. Refutatur vaniſſimum commentũ, de tranſlata Monarchia ad eius ſucceſſores Papas Ro.*

ANNI XXXIV. Num. CCIV.

HActenus de Petri primatu Baronius: ſequitur de Papis, Petri ſucceſſoribus; quibus, non autẽ Petro ornari hanc ſponsã, toties jam diximus. Orditur à repetitione doctrinæ modò propoſitæ: quã nos multa complecti à priſca veritate aliena, quum probauerimus; non poterat illius repetitio, non eſſe ejuſdem naturæ. Percurremus breuiter eius verba: *Eſt igitur Chriſti ouile vnũ, eiuſdẽq; Paſtor, vnus idemq; Petrus electus à Domino, ac maxima omniũ Præfectura nobilitatus.* Omninò Chriſti ouile vnũ eſt: non enim plures in hoc mundo Eccleſias inſtituit; ſed vnicã, toto Orbe diffuſã: Paſtor quoq; huius Eccleſię poteſtatis abſolutę, vnicus eſt, IESVS CHRISTVS; qui illi fundandę & exſtruendæ, XII. Apoſtolos, *pari poteſtate præditos*, vt ſæpe diximus ex Chryſoſt. cœlũ petens reliquit. Petrus inter illos Apoſtolos princeps, id eſt, primus, non ſolus, non dominus, non Imperator illorũ: verè, vt ait Bar. *maxima Præfectura nobilitatus*: quia Apoſtolatus, vt ex eodem

Chrysostomo probauimus; est ἐξουσία πνευματικὴ *supremus apex potestatis spiritualis.* Sed falsum est, Apostolis viuentibus, vnum fuisse dumtaxat Ecclesiæ Pastorem Petrum: quum duodecim Apostoli totidem fuerint eiusdem Pastores, nullius Monarchiæ, sed cuiusdam potius admirabilis Aristocratiæ speciem exhibentes. Petrus inter fratres ordine primus, non iure dominationis & imperij: sed propter εὐταξίαν, & vt negotium vnitatis formaretur; quam caussam Patres prodiderunt. Nunc transeamus ad Papam. Subijcit Baronius: *Quam ne exstinctam esse cum Petro, & vnius tantùm hominis vita superstite, Christi Ecclesiam perdurasse; ac deinde gregem sine Pastore, corpus sine capite, fundamentum sine structura, seu sine fundamento structuram penitus remansisse, stulte nimis atque impie, dicere cum Ethnicis cæterisque Christianæ fidei hostibus compellamur: fateri necesse est, eandem collatam à Domino in Petrum summam omnium potestatem, in posteros eius Cathedræ successores esse deriuatam.* Suppositio falsa, illatio vana, vt par erat è præmissis falsis. Metuit Baronius, vbi nullus est metus. Fingit perituram statim fuisse Ecclesiam, si terrenus aliquis Monarcha, cuiusmodi hodie depingitur Papa, ædificium alioqui ruiturum non fulcisset, vt Atlas cœlum. Eum Monarcham vult Petrum fuisse; & post illum eius successores. Scripturæ, ac primorum seculorum praxis, & metum Baronij & coniecturam illius pariter atque illationem, vanissimæ vanitatis arguunt. Scripturæ docent, super Petro & reliquis Apostolis & prophetis Ecclesiam esse fundatam. Patres docent id intelligendũ esse de fide, quam Petrus & cæteri Apostoli prædicarunt. Hanc fidem simul, & illi innitentem Ecclesiam, duraturas in æternum, & diuina oracula spondent, & pij Patres confirmant. De Monarchia hodierna, ad fulturã Ecclesiæ necessaria, altum in Scripturis, altum apud Patres silentium. Episcopos & alios pastores doctoresque à Christo in Ecclesia institutos Paulus est auctor. Rex aut Monarcha nullus plane in toto Nouo Testamento institutus inuenitur. Patriarcharum & Metropolitanorum euectionem supra commune ius Episcoporum, supra laudabamus: sed vt humanæ prudentiæ laudabile, & pro tempore necessarium inuentum; non vt iuris diuini institutum. Itaque primorum seculorum Ecclesia, vnitatis studiosissima conseruatrix, adeo Monarcham terrenum adorauit nullum, vt ne Patriarchas quidem legatur habuisse. Vna Ecclesia, vna Cathedra esse credebatur, super Petrum Domini voce fundata, ait Cyprianus: sed cuius Pastores multi essent, pariter Apostolorum successores, ac proinde paris inter se auctoritatis. Quippe, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis Episcopis in solidum pars tenetur,* ait idem, De vnitate Ecclesiæ: & vnusquisque

quisque Episcoporum Cypriani tempore rationem vni Domino IESV reddere, modò fidem seruaret, credebatur adstrictus, vt antè diximus, ex eiusdem epistola LII. & alibi. Petrus si Ecclesiam Romanam non solum fundauit, verùm etiam aliquandiu rexit; non tantum Apostolus illorum; sed etiam Episcopus aliqua ratione dici potuit: & ita sæpe illum vocari scimus à veteribus; sicut Iacobum fratrem Domini Episcopum Ierosolymorum. Imò omnes Apostolos fuisse Episcopos à Domino factos impositione manuum, legimus in Quæstionibus ex Nouo Testamento, quæ Augustino attribuuntur. Quod quidem pari ratione verum est, vt si quis dicat, eum qui aureos centum habeat, habere quinquaginta. Nam Apostolatus omnium potestatum Spiritualium maxima, omnes minores in se continebat, vt prolixe explicat Chrysostomus in vna suarum homiliarum. Linus igitur, Clemens, & alij Petri successores, in Episcopatu Romæ, non Apostolatui Petri successerunt; sed tantum Episcopatui: plane vt qui Iacobo successerunt, neque fuerunt Apostoli, neque vnquam dicti sunt à proprie loquentibus. Idem censendum est de cæterorum Apostolorum successoribus. Nam omnes Episcopos Apostolis successisse nemo dubitat. Fateor etiam, sicut Petrus dicitur fuisse Princeps Apostolorum, vt non semel demonstrauimus: ita Ecclesiã Romanã priscis tenporibus fuisse habitam principalem, vt appellat Cyprianus epistola LV. id est, primã ordine, *vndè vnitas Sacerdotalis exorta est*, ait ibidẽ Cyprianus, qui hoc sensu alibi Rom. Ecclesiam appellat *Catholicæ radicem, matricem, caput*. & merito: quum Tertullianus quem imitatur, omnes Ecclesias Apostolicas, id est, ab ipsis Apostolis institutas, appellet *matrices & originales fidei*. De præsc. cap. XXI. sed dominam aliarum Ecclesiarum, quis veterum illam nominat? Nonne paullo antè B. Bernardus conceptis verbis id negabat? Est igitur merum posteriorum & sequiorum seculorum figmentum, quod ait Baronius, de summa omnium potestate à Petro in successores Papas translata. Addit ex Augustino, epist. CLXV. *Dei Ecclesiam in Petro claues accepisse.* Hoc quia verissimum est, necessario inde sequitur, falsissimam esse doctrinam contrariam, quæ hodie docetur; Petri, id est Episcopi Romani, proprias esse claues, & Papam supra Concilia esse; quæ nullius plane sint anctoritatis, nisi ex Papæ confirmatione illas accipiant. Sed prouocat Augustinus Donatistas ad Ecclesiam Romanam. ita est. nempe vt ad testem principalem eius fidei & doctrinæ, quàm Petrus cæteriq; Apostoli initio docuerant, & tunc omnes Ecclesiæ, ac præsertim Apostolicæ seruabant. Itaque non ad solam Romanam Donatistæ prouocantur ab Augustino; sed aliquando ad omnes totius

Orbis

Orbis terrarum; aliquando ad Ecclesias Orientis; & nominatim ad Ierosolymitanam, *cui Ecclesiæ, ex ore Christi manifestatæ, vos non communicatis*, inquit vir sanctissimus, Donatistas compellans, epist. CLXVI.

CXLIX. *Infallibilitas Papæ* κρυπτικῶς *asserta à Baronio, palàm refutatur.* Sedere in cathedra Mosis *quid.*

IBIDEM.

PErgit Baronius, & ex Augustini epistola eadem hæc describit. *In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiam si quispiam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis; quibus Dominus prouidens ait de præpositis malis; Quæ dicunt facite; quæ autẽ faciunt, facere nolite.* Magno artificio Baronius & familiari illa sibi Crypsi, elicit ex his, Papá hoc singulare priuilegium obtinere, vt in fide errare non possit. Sic enim ait: *Ex quibus liquet, priuilegia sic à Christo fuisse Petro concessa, vt idem ipse velut persona propria, exprimeretur in singulis successoribus, atque in Ecclesia viueret semper; nec eiusmodi veritatis signum, posse successoris alicuius criminibus vnquam vel leuiter labefactari.* Palàm est, hisce verbis Baronium, Papis Romæ asserere ἀναμαρτησίαν in fide; etsi parum aperte & parum exporrecta fronte loquitur. Non audet suo nomine rem appellare; quum sit hodie tritissimum vsu vocabulum *infallibilitatis* scriptoribus Hildebrandinæ doctrinæ. Baronius illud jus admirabile Paparum insinuat, quasi vnum sit è priuilegijs Petro concessis: deinde vocat *veritatis signum.* obscure sane & κρυπτικῶς. verùm hæc est ars illius in primis Tomis, sicut antea monebamus. Sed quomodo liqueat ex Augustini superioribus verbis Papas Rô. & quidem solos ex omnibus Episcopis, in fide errare non posse, quis præter Baronium intelligit? quis necessitatem conclusionis videt? B. Augustinus multis locis suorum scriptorum prouocat Donatistas ad Ecclesias Apostolicas; sicut faciunt Irenæus & Tertullianus; qui etsi Romanam agnoscunt principalem inter omnes, eam tamen inter plures nominant; clarissimeque docet Tertullianus, quod de vna Ecclesia Apostolica dici tum poterat, de omnibus Apostolicis potuisse. Igitur in epistola illa Augustinus Donatistam presbyterũ vnius ciuitatis Christianitatem stulte jactantem, refellens, Christianitatem orbis terræ illi opponit: & quia tam fatuus ille presbyter fuerat, vt *ordinem Episcoporum sibi succedentium* in secta Donatistarum, allegaret, qui ordo non potuit maior esse quàm trium vel quatuor: Augustinus illi enumerationi stultissimè institutæ, opponit longam seriẽ

Episcoporum

Episcoporum Romæ à Petro ad Anastasium. Poterat Augustinus similem catalogum contexere eorū Episcoporum qui Antiochiæ, aut Ephesi, aut Corinthi, aut in quauis alia ex Apostolicis Ecclesijs sibi successerant: sed meritò Romanā Ecclesiam, vt omnium notissimā, ex omnibus delegit; nam Carthaginiensem non poterat proferre; in qua seriem legitimorum Episcoporum per Traditores, quos vocabant, fuisse interruptam Donatistæ contendebant. Quos vt obiter refutaret Augustinus ait, in ordine Rom. Episcoporum nullum reperiri Traditorem; sed etiam si quisquam Traditor subrepsisset, non propterea minus Ecclesiam Rom. futuram fuisse veram Ecclesiam: *nihil præiudicaret*, inquit *Ecclesiæ, & innocentibus Christianis.* tacite significans, errare grauiter Donatistas, qui Ecclesiam Carthaginensem propter eiusmodi caussam perijsse dicebant. Confirmat Augustinus sententiam suam, verbis Domini de scribis & Pharisæis, Matth. XXIII. 3. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt facere nolite.* hinc colligit, licet extitisset aliquis Traditor inter Rom. Episcopos; non tamen fraudi futuram fuisse eam rem Ecclesiæ Ro. vt propterea esset existimanda perijsse, & euasisse de populo Dei, non populum Dei, quod falso credebant Donatistæ de Carthaginensi, & alijs Africæ, præter suas. Non potest dubitari, quod hîc dicit Augustinus de Romana, id ipsum voluisse ipsum intelligi de omnibus Christi Ecclesijs; maxime autem de Africanis, quas superciliose adeo Donatistæ damnabant. Nam alias Ecclesias condemnabant illi furiosi, quod communicarent Carthaginiensi & alijs Africanis, sibi improbatis: caussa verò quam notat Augustinus de Traditoribus, proprie ad Africæ Ecclesias pertinebat, quas Donatistæ vexabant. Igitur quod ille dicit de Romana, id ipsum de quauis alia potuisse dici, & debere credi, significat Augustinus. Alioqui nulla ratio afferri potest, cur ille hoc addat ex hypothesi de Romanis Episcopis. Quam longe ergo aberrat à sententia tanti Patris Baronius, qui è superioribus illius verbis colligit Ro. Papæ infallibitatem in fide? qua de re nihil cogitasse Augustinum, cum illa scriberet, tam manifestum est, quam quod potest vsquam esse manifestissimum. Nec minus certum & perspicuum est, Paparum ἀναμαρτησίαν in fide, è verbis Domini quæ affert Augustinus nullis fidiculis posse exprimi. Scio virum illum sanctum alibi scribere, Cathedræ Mosis eam fuisse vim inditam, vt in illa sedentes cogeret vera dicere, vt in IV. Doctr. Chr. cap. 27. & in XVI. contra Forstum, cap. 29. Sed hæc expositio excusanda potius quàm probanda, vt etiam Maldonatus, (ne de alijs Theologis nunc dicam)

pronunciat

pronuntiat in Com. ad Matth. Ibi acutus ille Hispanus verborum Domini mentem ita explicat. *Ergo cum iubet seruare ac facere, quæ Scribæ & Pharisæi dum in Cathedra Moysis sedent, dicunt: non de ipsorum, sed de Legis ac Moysis doctrina loquitur: perinde est enim ac si dicat; omnia quæ Lex & Moyses vobis dixerunt, Scribis & Pharisæis recitantibus, seruate, ac facite: secundum autem opera illorum nolite facere; vt Hilarius & Hieronymus videntur intellexisse.* Theophylactus; *Sedere in Cathedra Moysis* exponit, *ea docere quæ præcepta sint in Lege Moysis.* Quare sine caussa Baronius, & Domini verba & Augustini refert ad insinuandum dogma nouum de Papæ Ro. infallibilitate in fide. Obiter obserua, vltro fateri hîc Baronium, posse Petri successores quamuis maxima crimina admittere, neque pertinere ad secundam Tabulam eorum ἀναμαρτησίαν. Mihi aliud fere persuaserant Dictatus Hildebrandi, cuius verba sunt, in sententia XXII. *Quod Ro. Pontifex, si canonice fuerit ordinatus meritis B. Petri, indubitanter efficitur Sanctus.* atque hoc probat bonus ille Papa auctoritate Ennodij Episcopi Papiensis, & Symmachi Papæ. Quis credere dubitet? οἴκοθεν μάρτυς.

C L. *Refellitur dictum falsissimum; omnes Catholicos tractatores à principio primatum hodiernum agnouisse vel Petri vel Paparum. contrarium probatur enumeratione aliquot primorum scriptorum. de Clemente, Dionysio Areopag. Ignatio.*

Anni XXXIV. Num. CCIX.

Audiamus quæ sequuntur; *Id ipsum,* ait, *de Petro ac de Ro. Ecclesiæ Pontificibus, testati sunt, quotquot ab exordio nascentis Ecclesiæ extiterunt, nostrarum rerum Catholici tractatores.* Bone Deus! Adeóne quenquam suę existimationis esse securum, vt quę sciat falsissima esse, ea non dubitet ita asseueranter affirmare? judicia eruditorum nihil vereatur? Nos contrà illud intrepide dicimus, & seriò affirmamus; Petri & Pontificum Romæ Monarchiam, ita ignoratam fuisse, primis Ecclesiæ seculis aliquammultis, vt illius meminerit prorsus nemo, è scriptoribus Ecclesiasticis, qui per annos sexcentos & plures eò vixerunt. Monarchia pro qua hodie pugnatur, cœlum & terram complectitur; potestatem inquam secularem & spiritualem. Ad spiritualem ceptum est aspirari palàm & aperte à nonnullis Paparum, circa annum quadringentesimum: temporalis verò ne nomen quidem per multa deinceps secula fuit auditum. Primi auctores qui spiritualem,

& poſtea temporalem poteſtatem Papis aſſeruerunt, vel ipſi Papæ fuerunt, vel ex eorum cohorte prodierunt, vel certe afflicti quidam fuerunt Epiſcopi, quibus præſidio Romani Papæ erat opus. Ex primis verò ſeculis quis poteſt auctor proferri, non dicam qui propugnauerit, ſed qui ſaltem meminerit vllius eiuſmodi potentiæ? Reperientur, ſcio, multi pij tractatores Eccleſiaſtici, qui magnificis elogijs B. Petrum ornent. Sed ejuſmodi elogia, nullam illi dominationem in cæteros Apoſtolos, aut in vniuerſalem Eccleſiam attribuere, niſi quam omnes Apoſtoli habuerunt, ſolide hactenus demonſtratum eſt. De primorum Paparum Decretalibus, nemo exſpectat, credo, vt hîc diſſeram. Iam antè non ſemel diximus, vaniſſimorum hominum figmenta ea eſſe, & Cardinalem Cuſanum laudauimus, qui fraudem illam ex parte detegit, Concordantiæ Catholicæ, lib. III. capite ſecundo. & Bellarminus ipſe in nupero de Eccleſiaſticis ſcriptoribus libro, illarum Decretalium mentionem nullam facit, vi, vti ſpero, veritatis victus tandem, & vltro iam illi quam iunior animoſiſſimè oppugnauit, herbam porrigens. Exploſis igitur rancidis illis & anilibus figmentis; nego, atque iterum nego, & pernego, poſſe aliquem proferri primorum ſeculorum ſcriptorem, qui vel Petri vel Ro. Pontificis dominationem, aut apertè, aut minus apertè, aut vlla denique orationis idea, notam fuiſſe ſuo ſeculo oſtendat. Ex omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus primorum ſeculorum, qui ad nos peruenerint, ſunt nonnulli, qui de Eccleſiæ regimine aut nullam, aut non magnam, neque expreſſam, mentionem fecerunt; quod argumenta de quibus ſcribebant, id non requirerent. Hi quod Petri & Paparum dominationis nullo pacto meminerint, non debet mirum videri. Ad hanc claſſem referimus Iuſtinum, Clementem Alexandrinum, Athenagoram, Hippolytum, alios. Sed ſunt alij illorum temporum ſcriptores, quos ipſa rerum natura de quibus ſcribebant, inuitabat, vt Papæ Ro. & dominationis illius facerent mentionem: ſi quidem vlla tunc Eccleſiæ cognita fuiſſet atque vſurpata. Exempli gratia: in Conſtitutionibus Clementis, quarum γνησιότης & germanitas tanto molimine defenditur à Turriano & alijs, exponitur multis locis ordo Eccleſiaſticus, qualis in vſu fuit illius auctoris ætate. Totus liber ſecundus in deſcriptione conſumitur muneris Epiſcoporum, item presbyterorum & diaconorum. In ſexto agitur de ſchiſmatis. Liber octauus tractat de electionibus cum aliorum Eccleſiæ miniſtrorum, tum ἀρχιερέων, id eſt, Epiſcoporum: nunquam enim illis in libris accipitur vox ἀρχιερεὺς *ſummus Pontifex* niſi de Epiſcopis. Libro autem ſexto, cap. XIV. verba Clementis ſunt: ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύτην διδασκαλίαν,

Εἰς

εἰς ἐπιστηριγμὸν ὑμῶν, τὴν καθολικὴν ἐπισκοπὴν πεπιστευμένων: *Scripsimus vobis hanc Catholicam* siue, *vniuersalem doctrinam, vt confirmemini vos, quorum fidei vniuersalis* (vel *Catholicus*) *Episcopatus est commissus.* quæ verba torqueant licet Turrianus atque alij, quantum volent : nunquam tamen effugient, quin omnibus Episcopis aliqua saltem ex parte ; cura vniuersalis Ecclesiæ, ex huius Clementis sententia, conueniat. Sed hoc jam non agimus. Illud contendimus, jure meritò caussam quæri posse, cur Clemens dominationis Petri & eius successorum nullam penitus det significationem. Caussa autem eius silentij est, quia adhuc ignorabatur, & turris illius οὐρανομήκους, quæ multo post Romæ exstrui cepta est, ne vnus quidem lapis ad jacienda fundamenta erat dum positus. Extant hodie scripta non pauca sub nomine Dionysij Areopagitæ: quem illũ ipsum esse, cuius habetur mentio in Actis, omnes, opinor, scriptores Pontificij acerrimè tuentur. Nouissimus omnium Bellarminus ita rigide illam sententiam defendit, vt solos qui aliter sentirent, Lutheranos esse, aut sciolos affirmarit. Est quidem ridicula plane res, hominem Græcarum literarum prorsus ἀμύητον, (quod omnia Bellarmini scripta ostendunt; eximiè verò ille ipse liber nouissime ab eo profectus) iudicare velle de Græco scriptore ; sed tamen concedamus illi impræsentiarum ita esse, vt vult. Quæro igitur, vnde illud Dionysij huius silentium de Capite visibili Ecclesiæ in terris, Romæ regnante ? Nam vt de cæteris eius scriptis nihil dicam, nónne prodigio simile, si fuit aliquis eius ætate Monarcha, regio more imperans in Ecclesia Dei, nusquam eius meminisse Dionysium hunc, saltem in Ecclesiastica Hierarchia ? Mysterium vnitatis in declarandis ritibus Ecclesiæ toties attingit ille scriptor eximius: cur tacet illud maximum mysterium, de vno in terris, vicem Christi relicto, Vicedeo, vniuersalis Ecclesiæ Rege, qui à paucis seculis Regibus atque ipsi Imperatori sese postulat imperitare ? De Petro hoc tantum, obiter Dionysius, De diuinis nominibus capite tertio: παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν Θεολόγων ἀκρότης. *Aderat Iacobus Filij Dei frater, & Petrus, supremus atque antiquissimus Theologorum vertex.* Scio Barlaamum Hieracensem Episcopum, hunc quoq; Dionysij locum referre ad principatum Petri stabiliendum: sed κορυφαία ἀκρότης, etiam si vertatur, vt apud illum legitur, *verticalis summitas*, non potest aliud significare, quam quod apud alios sæpe legitur de Petro ὁ κορυφαιότατος. atqui nos ad locum Matthæi certissime probauimus, Græcos quoties aliquem sic nominant, honoris præcellentiam denotare, de dominatione aut monarchia ne cogitare quidem. Itaq; Maximus & Pachymeres duo interpretes Dionysij eruditissimi ac di-

 ligentissimi

ligentissimi, nullam in eius verbis neque Petri neq; Papæ dominationem inueniunt. Quũ igitur sæpe illũ scriptorẽ ipsa argumenti natura quod tractabat, inuitaret ad faciendã aliquam tantæ rei mentionem; quis dubitat eius silentij caussam esse nullã aliã, nisi quod ipsius seculo vniuersa illa doctrina hominibus erat incognita? Idem dicimus de epistolis Ignatij, quas negare esse antiquissimi illius Martyris & Episcopi Antiocheni, hæresis hodie fuerit: & verò nonnullarum ex illis antiquitatem nouis rationibus tuebimur nos alibi, si Deo placuerit. Hic igitur Ignatius, in singulis fere suis epistolis, dignitatem Episcopalem miro studio asserit; & totum ordinem Ecclesiasticum in illis epistolis est inuenire. Anacleti etiam mentio habetur in epistola ad Mariam, & nominatur μακάριος Πάπας, *beatus Papa.* de Monarchia tamen vel Petri vel Ro. Pontificis, vir hic sanctus οὐδὲ γρῦ. Extat etiam inter illas epistolas, vna ad Romanos: cuius titulus si verus est & γνήσιος, (quod Græcè periti nunquam sinent sibi persuaderi:) prolixam laudationem Ecclesiæ Ro. continet. Sic in reliquarum inscriptionibus aliæ Ecclesiæ miris verbis prædicantur: omnium prolixissime in sexta Philadelphensis: quam ait voluntate Dei fundatam super petrã. In ea igitur ad Romanos, ecquod vel in textu, vel in inscriptione dominationis vllius est indicium? Nam qui eò trahere conantur hæc tituli verba, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, (quod alicubi facit Bellarminus,) rogandi sunt, vt Barbaram locutionem prius nobis explicent, quàm vllum ex ijs verbis argumentum ducant, quæ ne ipsi quidem intelligunt. Sed exemplorum satis, hoc quidem loco.

CLI. *Refellitur dictum alterum falsissimum: omnia legitima Concilia, & omnes sanctos qui à principio vixerunt, præbuisse testimonium hodiernæ dominationi, vel Petri vel Paparum Ro. Quatuor Concila in Actibus. Nicenum I. Sardicense. Constantinopolitanũ I. Ephesinum. Chalcedonense. Constantinopolitana Synodus prouincialis.*

IBIDEM.

SVbijcitur in Annalibus; *Id ipsum testata sunt, quotquot fuerunt vnquam sacra Concilia in Spiritu Sancto legitime congregata: hoc ipsum omnes deniq; Sancti, quorum vita est illustrata miraculis, sunt semper absque vlla dubitatione professi.* De Concilijs respondeo; adeò verum non esse, omnia Concilia comprobare hodiernam doctrinam de potentia Romana; (eò enim spectat tota hæc disputatio:) vt contrà affirmemus nos, ne vnum quidem ad hanc diem Concilium extitisse, (Tridentinum non

excipio

excipio ;) in quo doctrinæ illius capita omnia sint confirmata. Nam verbi gratia ; An Papa sit supra Concilium,Romæ,in Hispania,& vbicunque sine vlla contradictione regnat Pontifex, articulus fidei est : nullo dum tamen Concilio, saltem Oecumenico,id legimus esse definitum. Quod ad vetusta vero Concilia attinet, quid verbis opus? Tam aperte falsa est hæc affirmatio, vt ad pueros qui Latina mediocriter intelligant, non dubitem prouocare. Inspiciantur Tomi Conciliorum Venetijs aut etiam Coloniæ editorum, (nam de Ro.editione alibi differendum:) legantur, judicetur. Obseruant docti, quatuor Conciliorum in Actibus fieri mentionem : primi,in quo eligitur Matthias, capite primo : secundi, in quo diaconi instituuntur, cap. v i. tertij, in quo Iudaica instituta antiquantur, cap. x v. quartum eliciunt ex historia cap. x x i. de Pauli aduentu Ierosolyma. In secundo & quarto, Petrus ne nominatur quidem : in primo & tertio sanctus ille Apostolus, non domini aut Regis partes agit, sed præsidis: quas partes ipsum in jaciendis Ecclesiæ fundamentis sustinuisse, sæpe antea diximus. Si vis scire quantũ intersit inter illam Petri administrationem, & hodiernum dominatum, lege Commentarium Chrysostomi in illum diuinum libellum. de Papa Ro. nusquam in illis Scripturarum Concilijs ; nusquam in toto Nouo Testamento,vlla mentio. Quare de numero Conciliorum hæc primo excipienda, quæ extant in Dei Verbo. Ante Nicenum Concilium, Oecumenicum nullum est habitum ; prouincialia multa ; sed in quorum nullo, vestigium aliquod Romanæ dominationis appareat. Nam Victoris vsurpatio, temeritatis notata est à sanctis Episcopis Orientis, neque obtinuit. In Niceno I. fibula potius imposita est cupiditati ambitiosorum hominũ, quàm habenæ laxatæ. Et tamen,quicquid illud est,quod Romano & Alexandrino Patriarchis in illo Concilio defertur ; id omne consuetudini adscribitur,non juri diuino. Quare nullum ad id tempus Concilium extitit, qualia finguntur à conditore Annalium fuisse, non dicam multa,sed omnia. Paucis post Nicenum annis in synodo Sardicensi, auctore Hosio, decretum est, vt de controuersijs liceret ad Ro. Pontificem referre. Sed hoc Concilium pro Oecumenico habitum à veteri Ecclesia non est : ac propterea sic spretum jacuit, vt ne nomen quidem illius Augustino innotuerit : nedum vt decretum illud per vniuersam Ecclesiam fuerit seruatum. Adde quod honos Petri & celebratio memoriæ eius obtenditur ab Hosio, non vllum jus diuinum aut canonicum. In Oecumenico I I. Constantinopolitano primo, nihil quicquam habent patroni caussæ Pontificiæ, quo cristas attollant. Hoc sciunt, qui machinas Baronio alijsque structas aduersus vnum

vnum è canonibus ejus Concilij, non ignorant. In Ephesino, III. Oecumenico, cui præfuit Cyrillus, Cælestini absentis magna fuit auctoritas; nec dum tamen fidei fratrum dominatur Papa; nedum temporalem Monarchiam obtineat. Anno Domini CDLI. celebratũ est Chalcedone quartum Oecumenicum Concilium, sub Marciano Augusto, Leone sedente, imperioso sane Pontifice: sed declarauit hæc Synodus luculente, honorẽ primarũ Sediũ, de quo illis temporibus ceptum est contendi, non è jure diuino, vt postea affirmatum est, sed ex humana institutione originem habere. Affert Bellarminus & Synodum Constantinopolitanam ante quintum Oecumenicum Concilium in caussa Anthimi congregatam, & vrget illa verba ex actione quarta; *Apostolicã Sedẽ sequimur & obedimus, & ipsius cõmunicatores cõmunicatores habemus, & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus.* quasi ignoraret Græcorum hominũ blanditias aduersus eos, quos honore & beneuolentia prosequebantur. Vellem tamen Græca verba extarent, quibus tum Menas est vsus. Sciunt Gręcæ linguæ periti, verba κελεύω & ὑπακούω, nullam, vt plurimum, dominationis habere significationem. nam κελεύειν sæpe dicitur Græcis vel par, vel etiam dignitate inferior, cum superiorem alloquitur: sic ὑπακούειν de eo vsurpatur, qui suadentis & monentis consilium probat & sequitur, vt æger medici. Adde quod Synodus illa prouincialis fuit, non Oecumenica; & Menas qui illa dicit, peculiariter Agapeto Ro. Papæ, tunc agenti Constantinopoli, erat obstrictus; Quæ deinceps sunt secuta Concilia prætermitto: satis enim ex ijs quæ dicta sunt apparet, quantum à rei veritate superior Baronij affirmatio abhorreat. Postremò, quod de sanctis viris additur, qua facilitate affirmatur, pari et potest & debet negari: probari certe nunquam poterit. Enimuero nimis aperta hæc quidem est in viros Deo charos iniuria; approbatores illos facere regni istius terreni, cuius instrumenta inter alia sunt, Taxa Cancellariæ, ad rerum sacrarum defœdam nundinationem; & Directorium Inquisitionis, ad vnctorum Dei, legitimorum Regum & Principum, atrocem deiectionem, & mox cędem immanem. Apage. Hildebrandi hęc doctrina est, & similium Paparum, ac parasitorum eius Sedis; non vllius è Sanctis Dei: nisi cui fortasse proximorum seculorum horrendę tenebrę, veritatis cognitionem inuiderunt.

CLII. De

CLII. *De Ecclesiæ dote, faciendi miracula. Ostenditur Baronium ea de re incautius differentem, planorum & hæreticorum caussam egisse. Finis verus miraculorum. Cur cessauerint. Solos infideles hodie miracula desiderare.*

ANNI XXXIV. Num. CCXIV.

POst hæc redit Baronius ad Domini apparitiones à resurrectione; qua in parte cur illi non assentiamur in nonnullis, caussas jam antè exposuimus. Hic verò sermonem auctor inijcit, de duabus Ecclesiæ dotibus, potestate faciendi miracula, & exponendi Scripturas: de quibus breuiter quædam attingemus. Quod ad miracula attinet, mirari ipse satis non possum, tam frigidè, tam ieiunè, tam periculosè, locum illum in Annalibus esse tractatum. Satius enim erat, nihil dicere, quàm ea dicere, quæ in gratiam planorum, impostorum, pseudoprophetarum, & hæreticorum videri jure possint esse scripta. Ait, ab hæreticis nullum verum miraculum fieri posse; & veram doctrinam miraculis declaratam esse omnibus seculis. Ego verò aio; veteris Ecclesiæ doctrinam esse hanc; non tam miracula per se esse attendenda, quàm finem cuius gratia fiant. Finem autem legitimum miraculorum esse, vt doctrinæ cœlesti fidem concilient; quod tot locis inculcat Chrysostomus. Nam exempli gratia: docet nos Scriptura, vnum Deum esse adorandum, vni illi sacrificium offerendum. Si igitur aliquis malus Angelus, aut pseudopropheta Satanæ minister, miraculis faciendis, ab vnius Dei adoratione aliò nos auertere voluerit; quid agendum erit è doctrina Baronij? An argutabimur, nulla fieri miracula à Deo, & Deo tribuentes quod per occultam Dei permissionem effectum est à Diabolo, in errorem abduci nos sinemus? At Baronianę huic doctrinæ repugnat præmonitio Scripturarũ, Deutero. XIII. 30. Math. XXIV. 24. II. ad Thess. II. 2. vbi est illa terribilis denuntiatio, daturum esse Deum impostoribus ἐνέργειαν πλάνης, *efficaciam erroris*. Quare etsi non negamus vnius Dei esse vera efficere miracula: scimus tantum obtrudi sæpe falsa pro veris; sæpe Deum permittere vt hac ratione illi tententur qui diuina oracula contemnant. Vt non debuerit Baronius sine vlla distinctione scribere, quæ scripsit. Non enim poterat impostorum in negotio religionis melius caussam agere. Augustinus libro priore in sermonem Domini de monte: *Illud ad rem maxime pertinet, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi per eos qui nomen habent & facta non habent; sed etiam quibusdam factis atque miraculis, qualia propter infideles cum fecerit Dominus,*

nus, monuit tamen ne talibus decipiamur; arbitrantes ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi miraculum visibile viderimus. Ergo possunt auctore Augustino, qui falsam doctrinam tuentur, iactare miracula, incautos decipere idonea. Addit Augustinus: *Sed fortasse quis dicat, non posse iniquos visibilia illa miracula facere; & mentiri potius illos credat, qui dicturi sunt, In nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus & virtutes multas fecimus. Legat ergo, quanta fecerint resistentes famulo Dei Moysi, Magi Ægyptiorum.* deinde affert verba Domini apud Matthæum. Omissa igitur securitate illa, quam doctrina Baroniana potest incautis afferre, cum præsente animæ periculo; credamus potius Augustino, qui fine discernenda esse miracula docet, De ciuit. Dei, lib. x. cap. xvi. vbi expressis verbis ostendit vir sanctissimus, docenti è Scripturis, nec miracula facienti, potius credendum esse, quàm miracula facienti, & contra Scripturam loquenti. *Nihil enim credi Deus voluit, aduersus Scripturarum auctoritatem*, inquit idem, lib. xiii. contra Faustum Manichæum. & contra Donatistas, non vno loco docet idem Pater, non ideo manifestari Ecclesiam Catholicam in Scripturis quærendam, quia miracula in ea fiant: sed ea demum esse vera miracula, quæ in Catholica fiant, vt De vnitate Ecclesiæ, capite xvii. Quod ait Baronius, ad confirmationem veræ doctrinæ exhibita esse miracula, quotiescunq; expedire Deo visum est; assentior ei tota mente: tantum addo, obseruari hîc debere temporis distinctionem, si volumus sentire cum Patribus. Primis Ecclesiæ nascentis temporibus miracula necessaria erant, vt infidelibus diuinitas doctrinæ cœlestis manifestaretur: vbi vero semel constituta est Ecclesia, & Scripturis sua constitit in Ecclesia Dei auctoritas, non plane quidem miracula fieri desierunt; semper enim facta sunt, & verissimum est, quod super eo scribit Augustinus Retractationum libro primo, cap. xiii. sed fieri ita, vt initio & tam communiter, desierunt. Itaque sæpe legas apud Patres, desijsse gratiam miraculorum; vt apud Chrysostomum lib, iv. de sacerdotio, τῆς δυνάμεως τῶν σημείων οὐδ᾽ ἴχνος ἀπολέλειπται *virtutis signorum ne vestigium quidem relictum est.* in Matthæum, homilia xxxiii. τὰ σημεῖα, inquit ἔπαυσεν ὁ Θεός. & sæpe alibi. idem scribit Augustinus varijs locis, vt libro tertio De baptismo contra Donatistas, cap. xvi. & in Euangelium secundum Matthæum, serm. xviii. vbi reddit rationem cur jam non fierent miracula sicut olim: quia videlicet voluerit Deus, *Per ista temporalia quæ videbantur, ædificare fidem ad illa quæ non videbantur.* Eandem caussam reddit & Chrysostomus persæpe. in psalm. cxlii. ὅτε ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ οὔπω ἐκτέτατο, τὰ σημεῖα ἐγίνετο· νυνὶ δὲ οὐκέτι χρεία ταύτης

τῆς

τῆς διδασκαλίας. *quando notitia Dei nondum erat diffusa, miracula fiebant: nunc ea docendi forma amplius non est opus.* & in Iohan. hom. XXIV. affirmat idem Pater miracula hodie petere, esse Deum tentare: esséque adeo infidelium non fidelium requirere miracula. Ait inter cætera: Διὰ τί μὴ καὶ νῦν σημεῖα γίνεται; εἰ γὰρ πιστὸς εἶ, ὡς εἶναι χρή, καὶ φιλεῖς τὸν Χριστόν, ὡς φιλεῖν δεῖ, οὐ χρείαν ἔχεις σημείων. ταῦτα γὰρ τοῖς ἀπίστοις δίδοται. *Cur non hodieq; fiunt miracula? Si tu fidelis es, vt par est te esse; & Christum amas, vt amare debes, miraculis non indiges: nam hæc infidelibus dantur.* Eucherius Lugdunensis in verba Euangelij, Matth. XVIII. 1. *Nobis signa & miracula nunc necessaria non sunt, quibus ea quæ facta sunt solummodo legere & audire sufficit. Credimus enim Euangelio, credimus & Scripturis ista narrantibus.*

CLIII. De Ecclesiæ dote altera, Scripturarum intelligentia. Ostenditur quo fine Baronius altitudinem earum & difficultatem commemoret.

ANNI XXXIV. Num. CCXV.

SEquitur dos altera, Scripturæ sacræ intelligentia: quam Apostolis primò ait Baronius fuisse concessam: deinde transfusam per eosdẽ Apostolos in sanctã Ecclesiam. Rectè sane & verè: atq; hoc extra controuersiam. Illa verò hodie in hac lamentabili Dominici gregis laceratione, ingens est controuersia; vtrum è tot Ecclesijs toto mundo dispersis, vna sit aliqua, cui Scripturæ fuerint traditæ, & cui soli jus illas interpretandi conueniat. Sed quum videatur conditor Annalium de industria eam quæstionem vitasse, qui in toto hoc sermone commune Ecclesiæ nomen vsurpat, priuatæ nullius mentionem facit: ne nos quidem isto loco illam attingemus. Erit in sequentibus commodior occasio de his agendi: vbi, iudicium veteris Ecclesiæ & antiquorum Patrum super ea momenti longe maximi controuersia, si ita Deo visum fuerit, ἀφελῶς & accurate exponemus. Interim obseruet pius Lector κρύψιν Baronianam & scopum, in ijs quæ de eo argumento scripsit hoc loco. Principio altitudinem Scripturarum & obscuritatem commemorat: de facilitate eiusdem in ijs quæ necessaria sunt ad salutem, quæue ad morũ emendationem pertinent, verbum nullum facit. Quorsum hoc? Fulcienda nempe erat, Romanæ Ecclesiæ hodierna doctrina; quæ verbi diuini maiestatem prætexens, vsum ejus & notitiam populis Christianis, quos in potestate sua habet, penitus ademit. Romæ igitur, in Italia, Sicilia,

Hispania, & alijs quoque locis, Biblia quamuis leuiter inspexisse, non impetrata præsertim venia, hæreseos certissimum est argumentum. Viri sancti Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & alij omnes, de majestate diuinorum oraculorum locis innumeris suorum monimentorum grauissime disseruerunt: ijdem tamen omnes, Christianorum vnumquemque nulla sexus, nulla conditionis aut professionis adiecta distinctione, admonent, hortantur, vrgent, vt sacros libros, sobrie quidem & cum timore ac tremore, sed tamen assidue legant, relegant & quantum fieri poterit, in manibus semper habeant. Sciebant magni illi viri, multa esse in Scripturis difficilia, ardua, abstrusa; quæ posse intelligere paucorum sit hominum: nec minus tamen clamat Chrysostomus, Οἱ βουλόμενοι σωθῆναι προσεχέτωσαν ταῖς γραφαῖς. *Si quis vult saluari, ad Scripturas animum applicet.* homilia sexta, in priorem ad Corinth. Sciebant malos Christianos & hæreticos in suam & aliorum pernitiem Scripturis abuti: nec minus tamen clamat idem vir sanctissimus, Ἀκούσατε παρακαλῶ πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα ψυχῆς. *Vos appello ô Laici omnes, audite obsecro, parate vobis Biblia, animæ remedia.* caussam accipe, Τοῦτο πάντων αἴτιον τῶν κακῶν, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς. *Malorum omnium hæc caussa est, quod Scripturæ ignorentur.* homil. IX. ad Coloss. his similia passim scribit vir ille sanctus, & cum eo omnes Patres. Qui si hodie viuerent, dictorum eiusmodi, quæ nusquam non in ipsorum scriptis occurrũt, tortoribus Inquisitionis vel Romanę vel Hispanicę rationes reddere cogerentur: postquam facta rerum mutatione, Verbum Dei haberi cepit *nasus cereus, ad res profanas & impias probandas, flexibilior & facilior, quàm facile est ex pedibus aut semipedibus, aut penthemimeribus Virgilianis epithalamia, seu quiduis aliud congerere;* sicut post alios scribit Pamelius Archidiaconus ad Tertullianũ de præscr. num. 237. Viderunt scilicet hodierni Doctores, quod Athanasius, Chrysostomus, Augustinus & reliqua veteris Ecclesiæ lumina non viderant. Sed de hac noua sapientia, alio tempore, σὺν Θεῷ, cum cura sumus dicturi. Addit Baronius, Scripturas sine ope Dei, non posse intelligi; & hoc testimonijs aliquot Patrum confirmat: quasi esset aliquis inter Christianos, mentis suæ compos, qui hoc vel negaret, vel in dubium vocaret. Sed illud dissimulat; probe hoc intellexisse, probe considerasse sanctos illos viros, de quibus modò dicebamus. Qui tamen ex eo conclusionẽ ejusmodi nunquam elicuerunt, atq; fit hodie. Extãt apud S. Ephrem, apud S. Chrysostomum, apud alios Patres saluberrimę admonitiones eò spectantes: extant etiam præcepta de ratione legendi

Scripturas:

Scripturas: extant deniq; formulę precũ ſanctiſſimarum, in eum vſum comparatarum, quarum aliquot exempla in diſſertatione de Scripturis à nobis proferuntur. Horum pietatem imitari ſatius erat; quàm de Scripturæ obſcuritate & difficultate longas declamationes inſtituere, & poſtea inter libros damnatę lectionis (niſi impetrata ſit venia) diuina oracula referre. Pergit verò Baronius, & Scripturas nominans *lapidem offenſionis, petram ſcandali*, omnes eos qui proprijs ingenij viribus freti, neque per oſtium ingreſſi ad legendos libros ſacros ſe accinxerunt, pronuntiat eſſe factos vel auctores hæreſeum, vel ſectatores. Equidem de ijs qui ad lectionem Scripturarum opinione ſui tumentem animum, ſuperbum, profanum, impium attulerunt, facile Baronio aſſentior. Vetus dictum eſt, τὰ μεγάλα τοῦ Θεοῦ δῶρα μέγαν ἔχει φόβον; & quo præſtantiora ſunt Dei munera erga humanum genus; eò periculoſius & grauius in illis peccatur. Vt vinum, ſingulare Dei donum, ſi quis intemperanter illo abutatur, certam affert pernitiem: ſic literæ ſacræ, diuinum illud animæ Chriſtianæ pabulum; ſi quis irreuerenter illas tractet, neque ad Dei gloriam, ſed ſuam potius, lectionem illarum referat; pernitioſiſſime & mortaliter ipſum peccare nullum eſt dubium. Sed quum propter intemperantes, quorum eſt in omnibus nationibus tanta copia, promiſcuum vini vſum nullus vnquam Ro. Pontifex prohibuerit; cur lectione Scripturarũ populos interdicit? cur non illa potius amuleta & præſidia aduerſus hoc periculum vſurpat, quæ à veteribus, vt oſtendemus, conſtat eſſe vſurpata? Oſtium verò illud, cujus meminit hic Baronius, ſine dubio eſt, venia ab Epiſcopo impetrata, ex præſcripto Tridentinorũ Patrũ. Atqui durum eſt, eo jure quod Deus tibi dederit nullo tuo merito priuari te; niſi actione quadã ſubſidiaria in integrum fueris reſtitutus. Eſſet tamen fortaſſe hæc injuria tolerabilis, niſi certiſſima experientia probaret, nouæ huius legis non eſſe finem alium, niſi vt horribili ejus carmine à Scripturis populi Chriſtiani vniuerſi abſterreantur. Quod ait, neminem vel ab aliquo cœleſti Angelo, vel ab ipſo Deo edoctum, atque eruditum, poſſe tamen tuto quæ acceperit docere, niſi eadem omnia Eccleſia confirmarit; quia palàm è diametro pugnat cum ijs quæ fecit Paulus, quæque ſcripſit in epiſtola ad Galatas; tota voluntate, toto animo reijcimus: & Baronio Chryſoſtomum opponimus, cuius hæc ſunt verba ad eius epiſtolæ caput primum; ὡς ἀτοπίας ἐσχάτης ἦν παρὰ τοῦ Θεοῦ μαθόντα, ἀνθρώποις ἀνατίθεσθαι λοιπόν. *Extremæ abſurditatis res fuiſſet, ſi is qui à Deo doctus fuerat, poſtea cum hominibus contuliſſet.* & in eam ſententiam plura ibi

ibi dicit vir ſanctiſſimus. Non aliud ſenſiſſe quàm Chryſoſtomum, ne illos quidē Patres, quorum teſtimonijs abutitur hîc Baronius, demonſtrabitur ad annum Domini XLIV. num. LXXVII. vbi iterum de re eadem agit Baronius.

CLIV. *In hiſtoria Aſſumptionis quædam obſeruantur. De Actis Pilati, & eiuſdem epiſtola. Ioſephi verſio Hebraïca. Sibyllina oracula. Athanaſij Quæſtiones. Miraculum de veſtigijs Chriſti. Impreſſio Caluariæ. Epilogus.*

ANNI XXXIV. Num. CCXXI.

IN parte vltima hiſtoriæ Euangelicæ, de Domini noſtri Ieſu Chriſti aſſumptione in cœlos; quæ prolixè deinceps exponitur vſque ad tmema CCXXXV. vbi rerum poſt aſcenſionem geſtarum narratio incipit; pauca ſunt quæ accuratæ Baronij diligentiæ attexantur. De epiſtola & Actis Pilati ſic cenſeo. Veteres Romani ſtudio ſingulari ſunt vſi, vt rerum omnium memorabilium, quæ in Vrbe factæ eſſent, aut caſu eueniſſent, memoria extaret. Eò ſpectabant Acta Senatus & Acta diurna populi, quæ ſumma cura, vt viri docti dudum obſeruarunt, & conficiebantur Romæ & cuſtodiebantur. Sed & in prouincijs eadem conſuetudo ab earum Præſidibus & Cæſarum procuratoribus videtur fuiſſe vſurpata. Non ſolum enim per literas ſuas Rectores prouinciarum, ſi quid occurreret memoria dignum, Imperatorem faciebant eius certiorem, verùm etiam Acta rerum memorabilium ſuo juſſu confecta ad eundem tranſmittebant. Eiuſmodi fuerunt Acta de rebus Domini ad Tiberium miſſa; quæ non à Pilato, ſed Pilati juſſu fuerant Ieroſolymis confecta. Itaque Iuſtinus, qui primus omnium huius hiſtoriæ meminit, in Apolog. II. neque epiſtolæ, neq; Actorum Pilati facit mentionem: verùm τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκτων, *Actorum quæ facta ſunt, cum Pontius Pilatus erat Iudææ Procurator.* & iterum, ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκτων (male editum αὐτῶν) μαθεῖν δύνασθε. *poteſtis cognoſcere ex Actis confectis ſub Pontio Pilato.* Sed & Pilatum ipſum ſcripſiſſe ad Tiberium de Chriſto fit veriſimile. Tertullianus in Apologetico cap. V. & iterum cap. XXI. vtrum ad Acta an ad epiſtolam Pilati reſpexerit, non facile dixerim. Quemadmodum autem è teſtimonio Iuſtini & Tertulliani certò conſtat, Chriſtū Pilati opera Tiberio innotuiſſe: adeo vt audiendi meo judicio non ſint,

ſint, qui huic hiſtoriæ fidem abrogant: ita ex eorundem verbis colligere non poſſumus, vel epiſtolam Pilati vel Acta, fuiſſe euulgata ſic, vt in manibus hominum verſarentur. Putem verius, notitiam huius rei perueniſſe ad Chriſtianos, per aliquem è Cæſarum miniſtris, qui ad Chriſtum conuerſus, quæ ipſe ſcrinia tractans Auguſtorum comperiſſet, fidelibus narrauit. Certe Euſebius cùm Hiſtoriam ſuam ſcribebat, neque epiſtolam, neq; facta Pilati viderat; neque aliud ea de re norat, niſi quod apud Iuſtinum legerat & è Tertulliano, vel per ſe vel per interpretem cognouerat. Nam alioqui, tantæ vir diligentiæ & curioſitatis, ipſam epiſtolam vel Acta, in ſuos Commentarios fuiſſet proculdubio relaturus. In ſecunda Hiſtoria, cap. II. locus Tertulliani è capite quinto in Græcum ſermonem verſus habetur: niſi quod vel Euſebius vel eius interpres, Tertulliani hæc verba omiſit, *quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat*; & ſententiam paullo aliter concepit. In Chronico Latino, res eadem breuius narratur; item in Græco, pag. LXVI. vbi ſcribendum eſt, Πιλάτος Τιβερίῳ περὶ τοῦ Σωτῆρος ἀνενεγκών, (non ἀναγαγών, quod reſpuit Helleniſmus:) & καὶ τὰ τοῦ Χριστιανῶν δόγματος. Ne Cedrenus quidem aut Zonaras, qui tot ſeculis poſt Euſebium ſcripſerunt, vllam aliam eius hiſtoriæ cognitionem habuerunt, niſi quam ab Euſebio acceperant, cuius verba leuiter immutata deſcribunt. Ex his apparet quàm inſignis eorum impoſtura fuerit, quos non puduit epiſtolā Pilati & Acta à ſe conficta pro genuinis monumentis jactare. „Acta producebant errori ſuo tuendò hæretici Teſſareſcædecatitæ; ſed quæ nemo cordatus dubitauit eſſe falſa: iccirco de ijs ſic loquitur Epiphanius: ἀπὸ τῶν Ἄκτων δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦντες εὑρηκέναι τὴν ἀκρίβειαν. *glorantes ſe accuratam veritatem inueniſſe ex Actis Pilati, ſcilicet.* Nec minus falſa epiſtola illa, quæ in Annalibus è Pſeudohegeſippo deſcribitur. Nemo eam leget aliquo judicio & literarum vſu præditus, quin fraudem ſtatim intelligat. Baronius quidem pro ſuſpecta illam habuit: ſed melius feciſſet vir erudititiſſimus, ſi manifeſtum plani alicuius figmentum penitus reieciſſet. Sixtum verò Senenſem hominem eruditum, qui probe norat, eiuſmodi impoſturis nihil olim fuiſſe vſitatius, mirari ſatis non poſſum; qui illam ipſam epiſtolam, diuerſa tantum Latinitate conceptam, in Vaticana, vt ait, à ſe inuentam, pro vero & germano antiquitatis monumento publicauit. Quod deinde ſubijcit Baronius de Ioſepho, quem vult videri jure merito reprehendiſſe tot locis in ſuperioribus: ſperamus, ſi quis æquo animo legerit, quæ ad defenſionem magni illius ſcriptoris ſunt à nobis diſputata, facile intellecturum, criminationes Baronianas eiuſmodi fuiſſe, quæ Ioſephi exiſtimationem augerent potius

quàm imminuerent. Valde autem vereor, ne ex aliena fide ſcribat auctor, quæ narrat de codice Hebraico Ioſephi è Græco tranſlato, quem ait extare in Vaticana, & ſeruare manifeſta veſtigia impoſturæ Iudæorum, qui locum de Chriſto, è libro XVIII. cap. IV. eraſerint. Ego verò non puto extare hodie in rerum natura, Ioſephi opera è Græco in Hebræum, vt ait Baronius, conuerſa. Extat quidem hiſtoria eiuſdem fere argumenti Hebraico ſermone eleganter contexta, ſub nomine *Ioſipon ben Gorion*, ſiue *Ioſephi Gorionidæ*: qui impoſtor inſignis ſic opus ſuum concinnauit, vt vellet videri à vero Ioſepho illud fuiſſe ſcriptum. Sed aliter catuli, aliter leones olent. adeo enim antiquus Ioſephus hic non eſt, vt recens admodum ſit ſcriptor, & quidem Gallus, vt certis argumentis demonſtrauit Ioſephus Scaliger in Elencho. Porrò etſi planus hic in multis Ioſephum ſequitur κατὰ πόδα, vel potius eius interpretem Latinum: totius tamen operis textura longe diuerſiſſima; neque in hunc ſcriptorem, quantum exiſtimo, poteſt cadere, quod ſuauiludius aliquis Baronio perſuaſit. Obſeruatio quæ ſubijcitur de libro Sibyllæ, notioni Quindecimuirûm ſubiecto, vt conſtaret fides oraculis Sibyllinis, quæ poſtea erant prolaturi Chriſtiani; vt ingenue dicam quod cenſeo, parum videtur probabilis. Nam quis dixit Baronio, teſtimonia quæ multo poſt ceperunt ex oraculis Sibyllarum peti à Chriſtianis, fuiſſe deprompta ex ijs libris qui ſeruabantur Romæ à Quindecimuiris? Vbique locorum circumferebantur oracula hexametris concepta, quæ Sibyllis vulgus attribuebat. Ex ingenti copia eiuſmodi vaticiniorum pauca jam olim à Romanis ſacerdotibus ſelecta, quod viderentur ad Remp. ipſorum pertinere, & Quindecimuiris tradita diligenter cuſtodienda. poſtea factæ ſunt aliæ collectiones, quæ juſſu Patrum à Quindecimuiris examinatæ partim reiectæ ſunt, partim admiſſæ. Ex hac vera narratione nihil poteſt eius colligi, quod ſtudioſe adeo obſeruatur hic in Annalibus. Liber Quæſtionũ, qui mox citatur ſub nomine Athanaſij, ψευδώνυμος eſt, & magno illi Patri, quod pauci ignorant, falſo attribuitur. Miraculum de ſanctis Domini veſtigijs priſtinũ ſtatum continuo recipientibus, quicquid homines molirentur; propter conſenſum tot ſcriptorum, & in his magni Hieronymi, qui fuit oculatus teſtis, fide mihi quidem videtur digniſſimum. Sed quod poſteriores ſcriptores narrant, de impreſſione caluariæ Chriſti in rupe, non hiſtoria videtur eſſe, verùm fabula ad imitationem miraculi huius confícta. Rem ita narrat Sanutus in Secretis, lib. III. parte XIV. cap. IX. in diſcriptione montis Olíueti. *Ibidem etiam oſtenditur locus,*

in quo detentus fuit à turbis, Iuda osculo eum prodente: & videtur adhuc impressio caluariæ eius in rupe descendente & vestigia capitis ac capillorum eius: & in alio latere apparet impressio digitorum eius, ac si in pasta facta fuisset: quam impressionem dicitur fecisse apprehendendo rupem, cum teneretur à turbis. Et est mirum, quia experti recitant, quod etiam ferreis instrumentis, non modo partem lapidis non possunt abscindere: sed nec puluerem quidem possunt elicere. Tanti huius miraculi, quum nulla extet apud veteres mentio; conijcere ex eo prudens lector potest, quantum sibi superiora secula permiserint in fingendis ex animi libidine narratiunculis, quas pro veris miraculis populis talium auidis obtruderent.

Hæc habui, Christiane Lector, quæ ad primam hanc partem Annalium Cardinalis Baronij, obseruarem: partim vt præclare ab ipso exposita confirmarem aut illustrarem: partim, si quid humanitus illi excidisset, quod minus rectum videretur, vt de eo candide te admonerem. Zelus gloriæ Dei, veritatis amor, concordiæ in Ecclesia Christiana cupiditas, hanc operam à me expresserunt; non liuor, non odium, non inanis glorię titillatio, quam certiore spe, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, poteram ex alijs scriptis mihi spondere; non denique alicuius spes commodi, aut istis similis vlla alia caussa. Si quem ex his laboriosis vigilijs nostris fructum Ecclesia Dei est perceptura; non meæ industriæ, quæ modica est, aut nulla; sed bonitati ipsius & misericordiæ inenarrabili; in qua sola spes mihi omnes meæ & sunt & semper fuerunt positæ; feram id acceptum; & quanta maxima deuotione potero, gratias ipsi agam gratissimas atque humillimas. Culpæ si quæ sunt; (neque aliter potest, in opere tam vario;) illæ verò meæ sunt. Condonet illas mihi Iesus Christus, & meliora me pro inexhausta sua benignitate dignetur docere. Interim hoc sancte profiteor, fuisse mihi propositum, doctrinæ Scripturarum, quam primitiua Ecclesia & credidit & docuit, mordicus in omnibus adhærere. An, & quatenus quod optabam sim assecutus, judicium esto penes Ecclesiam vere Christianam, vere Catholicam. Illi ego mea omnia scripta, & ipsum me, tota voluntate humiliter submitto atq; subijcio.

Τῇ ἐν ΜΟΝΑΔΙ παναγίᾳ καὶ ὑπεραρρήτῳ
ΤΡΙΑΔΙ δόξα καὶ χάρις εἰς τοὺς
αἰῶνας τῶν αἰώνων.
Ἀμήν.

F I N I S

PAg. 4. versu 19. post verbum *disputantur*, insere hæc. intelliget, si quæ sunt alicubi huius Patris duriora dicta; ea ex alijs locis esse exponenda. Verbi gratia: extant tomo sexto Sauiliano duo sermones, de vtilitate ex obscuritate prophetiarum: in eorum posteriore, hæc sunt verba: οὐδὲ γὰρ ἀπῃτοῦντο τὴν εἰς τὸν Χριστὸν πίστιν πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας. *Ante Christi aduentum non exigebatur à Iudæis fides in Christum*. intellige de fide vti vocant explicita; nam absolute si capias, falsum est; expone igitur ex alio loco in priore sermone, pag. 652. vbi ait de Iudæis: προσεδόκων ὅτι ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ἐλθὼν, ἀρεῖ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *exspectabant agnum Dei venturum, qui tolleret peccata mundi.*

Pag. 111. v. 7. ante vocem *Supra*, insere: nam Cedrenum non tanti facio, vt magnã eius habendã rationem censeam; quem scio scribere de B. Virgine, ἡ δὲ παρθένος προσεκαρτέρει τῷ ναῷ, ὑπ' ἀγγέλου τρεφομένη. *at Virgo in templo assidue manebat, & ab Angelo nutriebatur.* S.

P. 117. 17. ante *Locum*, insere, & I. Corinth. VII. 35. εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως. *vt possitis Domino adhærere, sine vlla distractione.* Loc.

P. 123. in fine capitis adde: Huc facit disputatio Pauli de Middelburgo, Episcopi Forosemproniensis, in Paulinæ parte II. lib. II. cap. primo. *Ecclesia celebrat multa festa aliter quàm ipsorum denominatio requirit, ob caussas accidentales, in Rationali Diuorum, vel catalogo sanctorum expressas. Non enim valet consequentia: Ro. Ecclesia obseruat festum S. Petri ad vincula, in Calendis Augusti; ergo S. Petrus die primo Augusti in carcerem fuit conjectus, aut quod die illo carcerem Angelus effregit: nam in diebus Azymorum hæc facta fuisse, Actuum* XII. *legitur. Similiter festum Iacobi maioris octauo Cal. Aug. celebratur; & tamen circa festum Paschæ in diebus Azymorum capite obtruncatus legitur. Similiter festum decollationis Iohannis Baptistæ,* IV. *Cal. Sep. obseruatur; qui tamen circa dies Paschæ decollatus putatur. Similiter posset dari instantia de festo omnium Sanctorum, quod ex festo omnium idolorum traxit originem; quod Bonifacius Pontifex quarto Idus Maij beatæ Virgini & omnibus Martyribus dicauit: sed postea per Gregorium* III. *ad Cal. Nou. omnibus Sanctis dedicatum, translatum fuit.* his similia exempla plura ibidem subiungit vir ille eruditissimus.

P. 189. 12. ante illa verba, *In M.* insere: Sunt & qui rationem quartam afferant, propter miraculum quinque panum. B. Augustinus de tempore in festo Epiphaniæ Domini, serm. I. *Hodie illud festum colimus, quo se in homine Deus virtutibus declarauit; pro eo quod in hac die,*

siue

ſiue quod in cœlo ſtella ortus ſui nuncium præbuit: ſiue quod in Cana Galilææ in conuiuio nuptiali aquam in vinum conuertit: ſiue quod in Iordanis vndis aquas ad reparationem humani genêris, ſuo baptiſmo conſecrauit: ſiue quod de quinq; panibus quinque millia hominum ſatiauit; in quolibet horum ſalutis noſtræ myſteria continentur & gaudia.

P. 217. v. pen. poſt *differit*, inſere. Damaſcenus quoque de ea diuerſitate erudite differens, in ſermone de transformatione Domini, notat, vulgo eſſe vſitatum, vt in numerandis diebus, τὰς ἄκρας ὑπεξῃρημένοι, τὰς μέσας ἀριθμοῦμεν. *vltimis exemptis, medias tantùm numeremus, vel contra.* Et B.

P. 271. v. 14. poſt vocem *expendendum* adde. Verba Hippolyti ſunt, Πρῶτος ὁ Πέτρος, ἡ πέτρα τῆς πίστεως. *Primus Petrus, petra fidei.*

P. 331. 36. poſt *genuina eſt*, inſere, (quod ne Bellarminus quidem putat; vt conſtat ex ejus nupero libro de Eccleſ. ſcriptoribus: quem vide:) ju.

P. 397. 27. poſt *concedent*, inſere. etſi non me fugit, quoſdam recentiorum grammaticorum id obſeruare. Moſchopulus: πέτρος ὄνομα κύριον καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἡ πέτρα· ὥσπερ ὁ σκότος παρὰ τοῖς αὐτοῖς, τὸ παρὰ τοῖς κοινοῖς οὐδετέρως σκότος. putauit iſte grammaticus, inter πέτρον & πέτραν nullam eſſe differentiam, niſi in genere: & in eo notat Atticiſmum: ſed falſus eſt. E.

P. 493. 41. Extat vox *prozedor* & apud Abr. Zacuthum Iuchaſin, pag. 23. b. vox autem *teraclin* è Græca triclinium corrupta, legitur etiam in Iad Moſis Ægyptij, lib. XII. cap. XXI.

P. 537. 9. ante *Quare* inſere; In canonibus Concilij Ancyrani, λειτουργία ſiue ἱερατικὴ λειτουργία, commune nomen eſt omnium ſacrarum functionum quę obeuntur ab Epiſcopo vel presbytero, vt προσφέρειν, κηρύττειν, ſiue ὁμιλεῖν, & ſimiles.

Pag. 538. 37. poſt *guntur*, inſere: quinetiam apud Iohannem x. 3. paſtor ouium καλεῖ τὰ πρόβατα.

Errata typographica, aut properantis calami *aberrationes.*

PAg. 3. 3. *diſtingue* παρϑοίας, εἰδ. P. 13. 20. *ſcr.* κτ̀ νόμον τ̃ M. P. 17. 33. *ſcr.* potiente. P. 20. 25. *ſcribe ſic,* inf. den. bim. totius Bethlehem, & agri Bethlehemitici crud. P. 24. 32. *ſcr.* πιεῖ. P. 39. 25. *ſcr.* ſollicitauit, ac D. m. iuit inf. P. 45. 4. *ſcr.* ſeuera voce, ſ. P. 32. 34. *ſcr. ſic,* & Cedrenus, ipſum vt videtur, ſecutus, err. P. 101. 25. *ſcr.* liberis. P. 116. v. 5. *à fine, ſcr.* אתה *itthah* cum ea. P. 139. 10. *ſcr.* τῇ Βαπτικῇ. P. 157. 2. *ſc.* QVINDECIM. P. 173. 7. *ſc.* certa. P. 177. v. *vlt. ſcr.* ponendus. P. 193. *vlt. ſcr.* ſeptuagenarius. P. 195. 9. itáque. P. 207. 38. *ſcr.* σωήλασεν. P. 215. 37. coerceatur. P. 220. 18. *ſcr.* juridicinæ. P. 227. 9. *ſcr.* velle. P. 243. 37. *ſcr.* הישיבה P. 244. 40. *ſcr.* Maſſechet Haſanedrin. P. 246. 22. *ſcr.* שער P. 262. 18. *ſcr.* Teſtamenti exempla ſolet c. P. 295. 14. *ſcr.* commodius. P. 302. 22. *ſcr.* טמאים *temeim.* P. 309. 27. *ſcr.* cred. non debemus. P. 318. 11. næniæ. P. 319. 14. & Fr. P. 336. 35. *ſcr.* proſequitur. P. 341. 1. vnguenti rep. P. 345. 24. *ſcr.* ſedere: neminem è r. P. 364. 20. trabali clauo, ſed. P. 396. 15. ſed metonym. P. 398. 4. deitatem. P. 454. 22. de vncto c. P. 478. 4. *ſc.* של חג *ſchel chag.* Pag. 482. 21. *ſcr.* Thalmudicis. 22. *ſcr.* משום ירקיא ומשום מהיא P. 485. 10. Foroſempronienſem. P. 486. 14. *ſcr.* ומשום P. 488. 27. factæ per Ch. P. 503. 13. *ſcr.* palæſtræ. P. 505. 36. Statuarum. P. 506. 39. αἰϑὴρ ἐλ. P. 512. 4. ſolemnioris. P. 524. 13. daret c. 39. Pergamus int. P. 526. 36. *ſcr.* Gregorius Magnus, pauendum myſt. *is enim eſt, non Gaudentius Brixienſis.* P. 530. 37. totam. P. 548. 31. ἀλιτρός. P. 564. 14. laborioſius. 18. honorabilius. P. 565. 1. verè M. P. 586. 1. Miſſæ. P. 588. 11. veri. P. 596. 23. contigiſſe. P. 610. 41. דבר P. 615. 37. *diſtingue,* ſupplicium: prop. P. 618. 23. *ſcr.* αὐτῷ ὡς ὤ. P. 627. 37. habitabili. P. 637. 31. rhetoribus. P. 643. 37. cenſum p. P. 645. 1. putant adm. P. 654. 15. ᾤμωξε. 22. cogitauit ille; ſed. P. 656. 9. ſeparatim. P. 673. 13. ſepiæ. P. 681. 15. à צהר P. 686. 10. matre ſua, v. 32. ἐρεϑόμεϑα. P. 690. *vlt. à fine ſcr.* Galilææ. P. 692. 21. εἰσέρχεσθαι. P. 693. 29. militiam. P. 696. 30. fuiſſe ab eo tr. P. 704. 32. Henriquez. P. 708. 1. narrationes. P. 719. 15. collatum. Pag. 722. 39. Tu, inquit, e. P. 725. 40. hodierna doctrina d. P. 728. 1. multo. P. 734. 2. eo. P. 738. 33. habeat. P. 740. 8. formatarum. P. 742. 37. ſcripſit. P. 744. 20. *diſting.* ſuperintendis, ſonans t. P. 755. 18. alioqui ruiturum non fulciſſet. P. 758. 39. Fauſtum. Pag. 765. 25. *ſcribe,* miracula niſi à Deo, e. 31. ſcimus tamen.

SACRAE SCRIPTVRAE LOCA, DE QVORVM lectione, aut verſione, aut interpretatione, aliquid obſeruatur in his *Exercitationibus*.

E Novo Testamento

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Iohannes.

Acta.

Paulus.

Iacobus.

Apocalypſis.

SANCTORVM PATRVM
ET ALIORVM AVCTORVM
Veterum qui in his Exercitationibus *laudantur, illustrantur, emendantur,* INDEX.

C.

D.

E.

emendatur

Iacobus

Iustinianus

R.

S.

Tatianus

T.

V.

X.

Z.

FINIS

RERVM

RERVM ET VERBORVM IN ISAACI CASAVBONI *Exercitationibus XVI. memorabilium,* INDEX.

A

De

B.

C.

D.

D

E.

Eucharistia

Ἱμάτια

L

M

N.

O.

P.

Papam

Princeps

Q.

R.

S.

De

FINIS

ANALECTA

ECCLE-siasticarum

Exercitationum:

Collectore

Richardo Montacutio.

1622.

LONDINI,
Pro Societate Bibliopolarum.

AVGVSTISSIMO
SERENISSIMOQVE

Principi, *IACOBO*, Potentiſsimo MAGNAE BRITANNIAE Monarchæ, FRANCIAE *Regi, Fidei Defenſori, &c. Pio, Felici, Pacifico.*

ANnus jam ſeptimus agitur, Domine, cùm de Tuo ſacratiſsimo juſſu, non autem meâ voluntate, in hâc palæſtrâ exercear Baronianâ. Non equidem abnuerim ante luſtrum alterum, etiam tertium: ante viſas vel auditas Exercitationes illas Caſaubonianas, nonnihil me fuiſſe, in hoc ipſo genere, meditatum. Non in illum finem, ut in vulgus aliquando, & hominum conſpectum emanarent, (Neque enim, vel ὕπαρ vel ὄναρ, ſubierat illa animũ cogitatio) ſed cùm, ad illius, quæ nunc dominatur, Theologiæ litigioſæ rationes cognoſcendas, ſtudiorum meorum curſum dirigerem, nihil mihi potius aut antiquius fuit, quàm, ut rei Chriſtianæ perpetuam, ab Heroicis IESV CHRISTI & Apoſtolorum tempo-

ribus, Traditionem, ad ſæcula ſequiora, de Patrum monumentis derivarem. Ita enim, vel Naturâ duce, & communi ratione, ſtatuendum opinabar, à fontibus ad rivulos deſcendendum eſſe, non fontes poſt rivulos hauriendos. Quicquid autem apud illos primitivæ purioris Eccleſiæ proceres obſervatum, mihi meiſque uſibus ſeponebam, ſive ad Fidei ἔκθεσιν, ſeu morum πρᾶξιν, vel πολιτείαν Eccleſiaſticam ſpectabat, illud ipſum priùs, ad Annales Baronianos, Antiquitatis totius ditiſsimum quoddam penu & ταμιεῖον, collatum digerebam. Progrediente ità tempore & συνάψει, de meſſe illâ maximâ & lætiſsimo vetuſtæ memoriæ proventu annonam ſatis laxam, & copioſam mihi ſupellectilem comparaveram. Intereà factum, ut magnum illud Galliæ & Literarum ornamentum Iſaacus Caſaubonus, ὁ μακαρίτης, de veſtræ Majeſtatis voluntate ac conſenſu, appelleret in Britanniam: ſeu ad tempus aliquod expatiatus, ſive ſedes, quod arbitror, fortunarum ſuarum, rebus patriæ turbatis, hîc fixurus. Ille autem, ut erat in omni literarum genere verſatiſsimus, ab expectatione de Baronianis ſuis Exercitationibus quas dudum in Gallijs parturierat, omnium excitaverat deſideria, & inflammaverat affectus vehementiùs. Non fefellit in parte ſpem de ſe conceptam: neque fefelliſſet in cæteris vir πολυμαθέστατος, ſi non illum ſummus Imperator Deus de vitæ ſtatione, quam hîc tuëbatur, ad æterna illa præmia evocaſſet. Poſtquam hinc exceſsit, collectus ad Patres, tempore, ſuis rebus ſatis forſan opportuno, mihi permoleſto, & ne quid gravius ominer, importuno; de Majeſtatis veſtræ ſpeciali mandato & voluntate, quicquid erat laboris atque oneris ab illo ſuſcepti, in meos humeros, ſuſtinendo impares & imparatos, transferebatur. Innotuerat enim

(Nam

(*Nam ut Angelus Dei est Unctus Domini*) Sacratiſsimæ V. M. me, quod dixi, quædam anteà fuiſſe in hoc genere commentatum. Voluiſti igitur, juſsiſti, Domine, ut velut Optio ſuccederem Exercitatori: prorſus quod habet vetus verbum, πέζος παρὰ Λύδιον ἅρμα. Voluiſti tamen, neque licuit reluctari. Regum etenim imperia ſunt ἀδίαιτα. Animadverte: Dicto pare: Præter imperatum ne loquare. Fortaſsis autem, non erat è dignitate, vel rei peragendæ & pertractandæ, vel Tui ipſius auguſtiſsimi βραβευτοῦ, & ſcientiſsimi ἀγωνοθέτου, Domine, Thracem aliquem ſecutorem rudem & agreſtem, aut andabatarium neſcio quem myrmillonem, prodire debere in arenam, poſt illum tam illuſtrem, & nobilem adeò tum multarum palmarum gladiatorem. Me autem ipſum, qui ad cauſſam præter voluntatem paratiſsimam nihil afferre poteram, quod attinet, magno certè fuit redimendum mihi, ut, quod hactenus feceram, intra privatos Muſæi parietes, ut Aſpendius ille olim Cithariſta, mihi & Muſis ſolis concinerem. Nam videbam imprimis, ut ſunt hodie ſtudia, de Rhetorum roſtris, Oratorum pulpitis, Concione quâdam populari, comptâ per annum & politâ, inſinuare ſe facilius ad famam & opinionem, & poſſe & ſolere illos, qui de gurguſtijs Literarum, ad opes anhelant & dignitates. Artes enim Oratorum totæ ſunt forenſes, & populares. Durum verò neſcio quid, nec jucundum, ne dicam hirſutum & agreſte ſonant, qui ſemper in procinctu conſtituuntur. Vt non ſit mirum ſi, ut olim in Græcorum illâ ὁπλοκρισία, etiam num, *Fortis viri, ferat arma diſertus*. Memineram etiam legiſſe me puerum apud Petronium, Studioſos in ſcholis ſtultiſsimos fieri, neque quicquam illorum intelligere, quæ in vitâ civili & politicâ verſarentur. Auditum quoque

aliquando

aliquando accepiſſe à viro prudenti, & erudito, vulgò ita perſuaſum eſſe noſtris etiam hodie Megiſtanis, & Principum miniſterijs, aſſuetis. Sed & illud eſt ingens intertrimentum, quod ſi ut olim, ita nunc quoque, expectetur, *Ecquid tinniat Dolabella*, à numipetis ſumivendulis, Beneficiorum propolis & licitatoribus : *Nudi abeant, & nuces colligant* : ſaltem conſeneſcant apud fictilem lucernam Epicteti ; Archimedis cylindrum: Chryſippi rhombum, ne dicam molam Cleanthis atque urceum : prorſus intra clathros & cancellos bibliothecę, ſi nullas velint illi, quorum intereſt, niſi arbores glandiferas βαλανίζειν. Nam in re non nimis lautâ plerunque nati, maximam patrimonij ſui partem, doctrinâ imbuti liberaliori, in illâ puerili inſtitutione ſuâ prodegerunt. Si quid reſidui ſuperfuerat adhuc, illud totum neceſſe eſt abliguriant in ornandâ & inſtruendâ bibliothecâ. Sed hæc ſunt fortaſsis leviora, & nullo negotio ab illis contemni poſſunt, qui malint *Olus prandere* : vel *jus nigrum ſorbere in Phiditijs ſuis*, quàm Procerum quadras circumlingere ; Potentiorum domos circumſtrepere ; fortunas magnatum admirari : per obſequia abblandiri : laudare nævos & reduvias, vomicas interdum & carcinomata Mecenatis alicujus Trimalcionis. Sunt alia autem aforis præter iſta, quæ ferri vix aut ne vix quidem poſsint ; Tempeſtates temporis formidoloſi. Nam cui ſunt incognita partium hodie ſtudia ? æſtus impacati animorum ? ob religionem implacabiles diſſenſiones ? odia pluſquam Vatiniana, inter diviſas factiones Proteſtantium Chriſtianorum & Pontificiorum exaſperata ? Geritur bellum, ut inter hoſtes : non, ut inter adverſarios, diſceptatur. Et bellum quidem ἄσπονδον ac internecinum: Utri eſſent, non utri in cauſsâ obtinerent.

De

De concordiâ inter partes redintegrandâ : de coalitione aliquâ resarciendâ : de Pace dituptâ ferruminandâ, vel hiscere audere & mutire ; scelus est quoddam ineluibile, nec majoribus hostijs expiandum, apud utrinque bustuarios Iesuitas & Puritanos. Solonem ferunt capite luendum sancivisse, si quis, in populari seditione, non alterutrius partis fuisset. Et profectò nullam furiosi quidam Theologi pietatem probant, nisi pulvere Pyrio conditam, & gnaviter impudentem. Ita planè est necesse, quoties dicimus aut disceptamus, quod sanctissimus dicebat Apostolus, θεομαχῆσαι. Hâc rerum scenâ, sæculo tam protervo & contentioso, hominum studijs in hunc modum efferatis, ecquis adeò sui negligens aut dissolutus reperiatur ; qui cùm latere posset extra teli jactum, periculi aleam non subire, prodire tamen velit in aciem & discrimen ? Scioppios alastoras : Cretenses cacodæmonas modestiæ propudia, humanitatis rejectamenta, provocare ? præsertim tam inæquali conditione. Nihil Perithous absque Theseo apud illos ἐξ ἐναντίας. Vt in causâ pari & communi periculo, conjunctis animis, sociatis armis, communicatis consilijs, rem illi, velut publicam, procurant. Soli nos sumus & solitarij. *Coclites in ponte.* derelicti, destituti, egeni, indigentes. Ne quidem, quod solebant tamen in spectaculis & per ludum commissionibus, voce, signo, nutu succurrunt, quorum tamen ante alios omnes interest : nedum consilij, auxilij, subsidij alicujus συνεπιχορηγία. In summo illi otio literario, curis soluti gravioribus : non intercisis aliundè studijs ; non injectis impedimentis, districti, distenti, avocati, *Hoc semper agunt,* sedentarij. Nos *Alia ex alijs in*

fata

fata vocamur; coacti subindè mutare loca; &, non aliter quàm hirundines solent, hinc inde; inde illuc commigrare. Nimirum, non debet omitti, vel comperendinari, λειτουργήματος illa species necessaria, unde victus ac vestitus, & illud totum quod est βίου ἀφορμὴ, suppeditetur. Libros neque licet circumferre, neque sumus ambulantes bibliothecæ. Sed nec libris abundamus quos circumferamus, quibus sunt plerunque tenues opes, nullæ facultates, exiguæ prorsus rerum copiæ. Cùm tamen Baronij vestigia consectantem, ab apparatu splendidiore, & ditissimâ librorum supellectile, comparatum esse & instructum oporteat, non ὑπαρχόντως, sed, si strenuè & cum successu velit tueri partes adversarias, ὑπερβαλλόντως. Hîc jam necesse est conqueramur, Ἄπτον κἀδάϊστον φορμίζομεν μέλος: neque enim oleum infundunt illi qui libentèr tamen lumine uti velint. Illi, ultimò ut omnia ad manum habent, ita quoque & Typographos ad voluntatem: Nobis post illas, & alias sexcentas, quibuscum conflictamur, difficultates, incommodè contingit Typographorum σκαιότης & μικρολογία. Rem suam facere per compendia assuëti, quæstuosas exercent tantùm mercaturas. Hinc plaustra nobis onerant & hamaxas totas tricis & quisquilijs triobolaribus. Seria non sapiunt. Latina non leguntur: de Græcis, ut Hæreticis, conclamatum est. Hæ sunt nostræ περιστάσεις, Domine, quas animo prævisas jam tum formidabam cum de vestrâ sacratissimâ voluntate, in hoc veluti pistrinum compingerer. Feci tamen hactenus, quod ferunt fecisse apud Alexandrum, ingenuum quendam puerum sacris adhibitum administrum. Nam cum illi de foculo, quo utebatur in sacrificijs Alexander, carbones ardentes, casu quodam, ut fit,

in manus excuterentur, ad fumum uſque & nidorem adurebantur digiti. Stupendam hic conſtantiam admirari licet pueri iſtius camilli. Nam neque uſpiam ſe loco movit: non in terram carbones vel authepſam decuſsit: non clamorem ſuſtulit ejulatumve: non leſſum, gemitum, ſuſpirium dedit: non voce, vultu, geſtu, nutu, ſacra peragenda interturbavit. Præfiſcinè mihi liceat dicere, Domine; non abludit opinor hæc imago multum, à meorum ad Annales ἐπιχειρημάτων rationibus. De ſtudio enim illo nihil adhuc remiſi, nihil de illâ voluntate, quâ me, *Tua juſſa capeſſere fas eſt.* Ne verò haſtas deinceps abjiciam: ut pedem porrò promoveam, nec priori reddar ſecuri tali, virgulâ quadam divinâ procurari oportet, hoc eſt, veſtrâ Regali ἐπινεύσει. Nam profectò res lenta eſt adhortatio. Increpatio pudore ſuffundit forſan, in hoſtem non convertit diſpalatos. Exempla & authoritas animos faciunt: ſed ab apparatu militari; ab auxilijs ſubmiſſis & ſubſidijs; à comeatu ſuppeditato, militiæ rationes omnes faciliùs expediuntur. Ex æquo & bono: More majorum: & divinâ quinetiam authoritate, ἰδίοις ὀψωνίοις οὐδεὶς στρατεύεται. Quod ſupereſt, Domine, Supremus ille rerum humanarum arbiter & diſpenſator Deus, *Per quem Reges regnant, & Legum conditores juſta decernunt; per quem Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam,* Majeſtatis veſtræ ſacratiſsimæ, tot provinciarum habenas & populorum, in periculoſiſsimis temporum tempeſtatibus, & quaſi fluctibus decumanis, prudentiſsimè, & tranquilliſsimè, annum jam viceſimum moderantis: próque publicâ, non Tuorum tantummodò, ſed & Europæ totius, majorem jam in modum concuſſæ, & conquaſſatæ, ſalute, noctes dieſq; omni

omni ſtudio, ope atque operâ excubantis, ſanctiſsimas actiones, & conſilia ſaluberrima, benè proſperéque, éque animi ſententiâ, permittat provenire. Ita voveo M. veſtræ ſacratiſsimæ

Nexu omni & mancupio

humillimus devotiſsimuſq;

Servus, Subditus,

RICHARDVS MONTACVTIVS.

PRAEFATIO.

M*emoriam rerum præteritarum monumentis literarum consecrare, ut illorum interest quorum facta commemorantur, & res præclarè gestæ, ita publicam quoque procurat utilitatem, & divinam illustrat providentiam. Sunt enim & fuerunt olim, quibus,* Vivere ut velint, *cùm in votis est imprimis, tum & in proposito. Quam profligatissimæ impietatis sententiam ij qui semel animitùs imbiberunt, nullius* acroama *tam pronis auribus haurire solent, quàm Epicurei* δημαγωγοῦ *illud psephisma,* Nec propitios cuiquam solere esse Deos, nec iratos. *Fiunt autem ad audaciam omnem atque scelus proiectissimi, quibus ita persuasum est, quòd ignorat nemo. Vtramq; enim partem* Pietatis, *optimum nimirum* de Deo sensum, *& rectissimum divini numinis* cultum *concidunt. Est autem, quæ & nomen suum sortita est à religando,* Religio, συνεκτικὸν ἔρεισμα τῆς κοινωνίας, *quod præclarè scivit ille apud Plutarchum. Quocircà, non potuit excogitari ratio procurandæ salutis populi, vel sanciendi cultus sacrosancti numinis, magis compendiaria, quàm* Expectare Deum fandi memorem, atque nefandi. *Nihil est autem quod vel blandiùs insinuat instillando animis hanc opinionem: vel efficaciùs obsignat imprimendo, quàm de superiorum sæculorum vetustâ memoriâ exemplorum in rem præsentem appositiones. Illa autem veluti de iugi quodam puteo, derivantur: antiquitatis videlicet apothecis, immortalitati consecratis. Recolere Gentium migrationes: ortus obscuros: progressus admirabiles:* ἀκμὴν *ipsam planè stupendam, & ab illâ declinatim, ruinam ad interitum &* ἀφανισμὸν*: Regnorum vices repetere & successiones: ortus & excidia rerum pub. Tyrannorum mortes relegere crudas & violentas: Principum versas & subversas fortunas: mutatas reminisci infra sæculum rerum facies: totius denique mortalitatis in lubrico constitutæ & consistentis* ἀνωμαλότητας *ruminando concoquere mente animoq;, quid aliud repræsentant & præscribunt, quàm Divinæ dispensationis* αὐτοδεσποτείαν*, & illam absolutissimam* ἐπὶ πάντων *monarchiam? Certè quidem harum & similium rerum istis recolitio, artus omnes impietatis in Deum, improbitatis erga homines nervos omnes, proculdubio penitùs eliserit, cùm nihil sit in illâ quod non* αὐτοβοεῖ *inclamat illud apophthegma,* Discite justitiam moniti, & non temnere Divos. *Quocircà laudatissimus imprimis Author* Diodorus Siculus, *qui summâ fide, immenso labore, diligentiâ & industriâ admirandâ, Historicas construxit, ut* Iustinus Martyr *appellat, bibliothecas, rectè nominavit, cùm suas ipsius, tum & aliorum in hoc genere* πραγματείας, *non solùm* Buccinam *actionũ humanarũ, commune quod-*

dam, ut appellat ſermone Græco, χρηματιστήριον *: ſed* Antiſtitam *veritatis, totius* metropolin *Philoſophiæ, &, quod caput eſt, diſpenſationis Dei* ὑπουργὸν *& adminiſtram. Inſidebat, opinor, hæc opinio, apud Gentes illas antiquiſſimas nobiliſſimaſq́. Nam olim admittebant ad Hiſtoriam conſcribendam, non omnes paſſim vel promiſcuè: ne quidem promptos, prudentes, eruditos : non ab uſu, ingenio, experientiâ inſtructos & comparatos : ſed vitâ & moribus commendatos : ſed religione conſecratos : ſed Vates quoque ſacros, dilectos Deo, huic muneri & officio deſtinabant. Nam & hanc quoque partem, quod rebantur,* τῆς θείας λειτουργίας, *non aliter quàm myſteria & res ſacras, ab illotis manibus hominum* ἀμυήτων *pollui dicebant atque profanari. Ita poſt* Æthiopum Gymnoſophiſtas : Indorum Brachmanas, *& à* Buttâ *quodam* Sarmanas *oriundos : poſt* Bactrianorum Samanæos : Gallorum Druidas : *noſtrorum* Bardos, *quibus incumbebat id muneris inter ſuos, fortia Maiorum facta commemorare ; demandabant* Ægyptij *hanc ſollicitudinem ſacerdotibus ſuis atque Hierophantis. Repoſitæ erant autem, apud illos, in Templis, tabulæ confectæ memoriales, tanquam ſacra quædam anathemata, unde ſuam, quod* Ioſephus *ait contra* Apionem, Manetho *ſacerdos & Prophetes, hiſtoriam* Ægyptiacam *compilavit. Sed & rerum* Chaldaicarum *graviſſimus author, ille noſtris, &* Ioſepho, *ita decantatus,* Beroſus, *erat, quod teſtatur* Tatianus, Beli *ſacerdos* Babyloniorum *Dei, & de publicis ſacrariorum tabularijs, illa omnia tranſcripſit in Hiſtoriam ſuam, quæ cum ſacris adeò literis convenientia, cum maximo diſpendio Pietatis, à multis retro ſæculis deſideramus. Laudat* Euſebius *in* προπαρασκευῇ, Sanchoniathonem Berytium, Trojanis *temporibus vetuſtiorem, &* Moſaicis χρόνον πλησιάζοντα ; *qui* ἐκ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν, *de publicis illius Gentis armarijs deriuatam* Phœnicum *Hiſtoriam, patriâ ipſorum linguâ contexuërat. Ab* Hebræis, *ut & aliæ, quod ad ſacra pertinet, conſuetudines, hac etiam ratio procurata, ad vicinas Gentes dimanavit. Nam poſt* Moſem; *vatum omnium coryphæum, qui primus ad hanc provinciam acceſſit, ab ipſius Dei congreſſu &* ἐπιφοιτήσει *exornandam ; illi qui in illo populo res Maiorum geſtas, bella* Domini, *prælia* Canaan, *literis & ſtilo commendabant, vates erant: qui Regum* Iudæ, *Chronica &* Iſraelis: *qui* Commentarios *conficiebant,* vates *erant, ut apparet, &* videntes : *poſt* Ioſuam *nimirum &* Samuelem, Nathan, Gad, Iddo, Shemaias, *alij, ad illam uſque* Babylonicam *migrationem. Neque deſitum eſt, ab illâ* μετοικεσία. *Nam poſt regreſſum* Iudæorum *in terram ſuam, ſecundùm illam prius uſitatam conſuetudinem, divini planè viri* Mardochæus, Eſdras, Nehemias, *& Deo pleni, eaſdem illas partes adimplebant, uſque dum ſubſiſtebant, apud Gentem illam, manifeſta ſucceſſio Prophetarum, & chariſmata vaticinandi. Quocircà* Ioſephus, *non immeritò ſcriptis & ſcriptoribus* Iudæorum, *ſummam vindicat veritatis authoritatem :* ἅτε μήτε τοῦ ὑπογράφειν αὐτεξουσίου πᾶσιν ὄντος, μήτε τινὸς ἐν τοῖς γραφομένοις ἐνούσης διαφωνίας. *Nullam, ait, reperiri, quod verum eſt, rerum à diverſis narratarum, diverſitatem. Nullam inter referentes diſcrepantiam. Neque enim quilibet motu proprio, ad ſcribendum accedebat, vel ex animi ſui, ut aliàs fiebat, ſententiâ, ſed erat muneris publici ſacratique quædam velut ordinata Liturgia. Peragravit, ut opinor, hinc exortus ille mos, & reliquas penè omnes, non prorſus barbaras, nationes.* Romanorum *certè uſu, & quidem vetuſtiſſimo, receptum fuit, à ſacerdotibus conſcribi res geſtas. Docent hoc, qui vocantur* Annales maximi, Gellio *laudati &* Ciceroni : *qui cùm ſcriberentur à* Pontificibus *maximis, inde ſuum nomen ſortiebantur.*

Erat

Erat autem Historia (*apud veteres* Romanos, *ait* Orator) nihil aliud nisi confectio Annalium. Cujus rei, & memoriæ publicæ retinendæ caussâ, ab ipso rerum Romanarum initio, usque ad P. Mucium Pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex, referebatque in album, & proponebat tabulam domi, ut esset populo potestas cognoscendi. *Praxim hanc* Iudaicam *&* Paganam, *quemadmodum & in multis alijs, suscepit & expressit non inutiliter*, Ecclesia Iesu Christi *primigenia; ne rerum in illâ gestarum memoria, vel hominum interitu obliterata, vel posterorum incuriâ & oblivione extincta, obrueretur. Et quidem ab initio nascentis* Ecclesiæ, Iesu Christi *incarnati* συγκατάβασιν, *in carne susceptâ apud nos* συσκήνωσιν, *& laboriosam per summam illam exinanitionem, triginta quinque annorum* συμπεριπεφοίτησιν, *sanctissimi quatuor* Euangelistæ, *divini Spiritus amanuenses, publicis monimentis literarum, æternitati consecrarunt. Et* Lucas ὁ ἀμος, *luculento & purissimo sermone* Græco, *adeò ut ne ipsas quidem* Athenas *magis* Atticas *opiner extitisse, beatissimorum* Apostolorum *actus*, Petri *præsertim ac* Pauli περιόδους, *ad posteritatem propagavit. Præceptorum vestigijs institerunt discipuli non indiligenter. Cumque* Martyrum *passionibus & triumphis:* Synodalium *conventuum sancitis præcipuam partem* Ecclesiasticæ Historiæ, *per annos* ccc, *complecterentur, inita est à prudentissimis viris sanctissimis* Antistitibus *ratio, quâ cœlestis velut quædam* παρακαταθήκη, *in quam divina æterna veritas, & politia Ecclesiastica recumbebat, per sacratos quosdam viros procuraretur.* Notariorum *erat illud munus atque* ἐγχείρημα. Martyrum *illi palmas, & lemniscos: per equuleos, ignes, bestias, & exquisitissima tormenta* ἀποτελειώσεις: Patrum *illi dictata & apophthegmata, ad regulam illam Traditionum sacrarum sartam tectam conservandam, fideli potiùs operâ quàm politâ, transmiserunt ad* posteritatem. *Neque quidem in Acta referebant & tabellas publicas,* κατ' ἐπιτομὴν, *& concisim, quasi membrorum quædam lineamenta aut adumbrationes; sed* τὸ σύνολον, *partibus suis omnibus coagmentatam. Si quid enim apud* Iudices *interrogati, pro tribunali palam responderant. Si quid dati in quæstionem apud carnifices, in eculeo & nervo constituti: si quid observandum dum caperentur: si quid egregium dum ducerentur: magnificum dum excarnificarentur: forte & animosum dum percuterentur, apud astantes protulerant. Tormenta quoque omnia & cruciatus, uncos, ungues, craticulas: ingesta, suspensa, repetita supplicia, cum suis omnibus momentis, intervallis, respirationibus annotabant. Quod si intra cancellos* proconsulares: *si secretiùs conventi apud* Præsides: *in ergastulorum cryptis & foraminibus fortiter loquuti vel passi fuerant, quod reticentiæ alioquin & silentio consecrandum fuerat, pecuniâ redemptum ab Amanuensibus, & Actuarijs* Proconsularibus, *in Acta quoque cum alijs referebant.* Clementem *ferunt, illum* Petri ἐκ διαδοχῆς, Petri *certè* Paulique συμφοιτητήν, *in hunc finem instituisse* Notarios *septem, per* Romanæ *urbis totidem regiones. Cùm verò negligeretur, sequutis temporibus, hæc liturgiæ & officij quæ fuerat, instituti executio, circa annum salutis* 238, Anterus Pontifex, *commemoratur, gesta illa Martyrum à Notarijs diligenter exquisita, in Ecclesiæ apothecas relata recondidisse. Hisce deinceps adiecit, velut* ἐπισκόπους *&* ἐργοδιώκτας Fabianus Pontifex, Anteri *successor, septem Diaconos per easdem septem regiones. Profectò, non Præsulũ solas* ἱερομαρτυρίας: *aut virorũ illustriũ* μεγαλομαρτυρίας: *aut virginũ sacratarũ* καλλιμαρτυρίας *in tabulas Notarij referebãt: sed ex infimâ quoque plebe* τοὺς τυχόντας, *& quemcunque vel ignobilẽ, suis scriptis consignabãt. Certè pastor*

erat

erat Mamas, & hirsutus de mapali Martyr, quem Basilius, ille Patrum disertissimus, Panegyrico sermone, ex Actis Martyrum celebravit. Majores nostri, ait Pontius in vitâ Cypriani, hominibus plebeis & catechumenis Martyrium consecutis, tantum honoris, pro Martyrij veneratione, dederunt, ut de passionibus eorum multa, aut, propè dixerim, omnia conscripserunt, & ad nostram quoque notitiam pervenirent, qui nondum fueramus nati. Vetustissimam oportet esse consuetudinem, quippe Pontius vixit antiquus author cum Cypriano. Suam & ipsam commendat antiquior adhuc illo Tertullianus, dum in illo de Coronâ militis, Fastos Ecclesiæ, quasi triumphales, Municipalibus Gentium opponit solennitatibus. Hinc instructi demum & comparati, ad illustrandas res Ecclesiæ per Historiarum suarum monimenta, viri doctissimi processerunt. Hinc suum Hegesippus syntagma confecit de Traditionibus Apostolicis. Citat Eusebius archiva Edessena; Epistolas non paucas Ecclesiarum, de Martyrum concertationibus. His quoque instructi adiumentis alij, Martyrologia, augustos titulos, orbi Christiano proscripserunt. Princeps hoc aggressus est fortassis ὁ τοῦ Παμφίλου. Fatetur autem ipse, non uno loco, se Martyrum historias contexuisse. Nec erant illæ quasi Brevicula quædam, recitandis solùm nominibus destinata, quale nunc est Romanum Martyrologium, Bedæ, Vsuardi; vel qualia Græcorum menalogia: sed scriptæ κατὰ πλάτος, quod apparet. Nam Lib. Hist. 5. cap. 20, inquit ipse de beato Apollonio, Istius verò coram Iudice verba: & responsa quæ dabat ad Perennij interrogata: orationem quoque apologeticam apud Senatum habitam, si cui libitum fuerit accuratè cognoscere, legat ille librum à nobis compositum, de veterum sanctorum Martyrum rebus gestis. Erat ista inter cæteras, meo quidem animo, illorum temporum non postrema fælicitates, quòd illos gloriosissimos triumphos Martyrum Iesu Christi, Pancratiastarum ἀνδραγαθήματα, monumenta victoriæ, ornamenta honoris, laudis insignia, non ficta, non commentitia, non fucis & præstigijs deformata, non ullis calamistris adulterata, sed nativo colore resplendentia, hoc est, veritate exculta & adornata, possiderent. Fatendum est omnino tot tabulis deperditis, consecratis olim æternitati: tot veteris memoriæ monumentis de manibus excussis posteritati, in quibus viri fortes, sanguine fuso dum pietati litant & divino cultui, nomen Iesu Christi legebantur consignasse; iacturam deplorandam, nec reparandam restaurandamve, fecisse Ecclesiam Dei. Calamitatem hanc debemus partim hominum incuriæ & veterno: temporis decursi diuturnitati partim: barbararum gentium inundationibus; & consequutæ in mores hominum sæculorum nonnullorum barbariei. Præcipuus autem cladis huius author extitit, ut opinor, is, qui non solummodò in vitas Martyrum & fortunas, sed in ædes Deo sacras & cœmiteria, in codices & libellos Christianorum, in scrinia bacchabatur & tabellaria, Diocletianus. Neque enim ille rabiem & furorem suum in solas scripturas effundebat: sed & Acta quoque Martyrum abolere & passionum memorias satagebat, quòd ab illarum lectione in conventibus suis, multò magis animosiores redibant domum, ad persimilem constantiam inflammati. Palmarium isthoc facinus aggrediebatur ille, Furia & Enyo, cùm de cæteris omnibus esset conclamatum, imitatus in hoc ipso, pestes illas duas, qui olim in vetustâ synagogâ, non dissimili barbariâ, grassabantur. Herodem enim narrat Iosephus, conscium sibi suæ ignobilitatis, omni ope operâque annixum fuisse, ut lineas Iudæorum genealogicas aboleret. Et scriptum legitur in Historiâ Macchabaicâ, contra sacras Scripturas insanivisse illum,

illum, quem, nec iniuriâ, à furiatis factis, Polybius, *author imprimis gravis,* Antiochum Epimanem, *nominavit, non ut vulgo dicebatur,* Epiphanem. *Non successit illis antea* λυμεῶσι; *sed nec huic alastori & tyranno, quod moliebantur. Nam tabulas de medio tollere, singulas non potuit, quibus Martyrum memoriæ & res Ecclesiæ gestæ continebantur. Neque verò* Antiochus *Scripturæ codices, quod nobis notum est: nec* Herodes, Iudaicas *genealogiarum series, de medio sustulit vel extinxit. Nam certum est,* Eusebium, *qui dirissimæ illius persecutioni, quanquam iunior, erat contemporaneus; & per* Halcyonia Constantini, *Historias illas suas, Martyrum & Ecclesiæ conscribebat, scriniis adiutum fuisse* Notariorum; *tabulas consuluisse Ecclesiarum; Acta advocasse in subsidium; & frequenter ad epistolas provocare, transmissas ab Ecclesiis ad Ecclesias, de Martyrum Iesu Christi* ἀποτελέσει. *Ab* Eusebio *sunt elapsi anni* 1300 *præter propter. In tantâ temporis longinquitate, nihil mirum, si quod aiunt,*

Multa dies, variusque labor mutabilis ævi
Rettulit in pejus.

Neque enim, solum vinum vetustate coacescit: sed & marmora & silices senio tabescunt: corroduntur carie: sole fathiscunt madore soluta; & ventis impulsa, machinis impacta, in ruinam & rudera resolvuntur, si non ipsâ omnium confectrice vetustate, ad interitum rediguntur. Quid non tempus edax? *Arnobius illi sæculo proximus, conquestus est, etiam per ætatem suam, Ecclesiarum monumenta multis modis fuisse vitiata.* Si quæ sunt, *inquit,* literis conscriptionibusque mandata, malevolentiâ Dæmonum, quorum cura & studium est hanc intercipere veritatem, & consimilium his hominum, interpolata quædam aut adulterata, partim mutata atque detracta verbis, syllabis, literis, ut credentium tardarent fidem, & gestorum corrumperent authoritatem. *Sequuta sunt deinceps tempora, quæ atrocitatis istius calamitatem, magno cumulo superaddito adauxerunt. Nam, cùm illas vetustatis primitivæ reliquias quasdam, velut de naufragio tabulam, suscepissent, pigmentis quibusdam fucatarum mercium, & interpolatis fabulis incrustarunt. Scruta, vitrum, calculos, arenam,* σκύβαλα *nescio quæ &* ἀποξίμματα *dominata, de suis deducta officinis, emblematis quibusdam & vermiculationibus tesserulata; æruscatores, malæ fidei mercatores, simplicium obtruserunt credulitati.* Philoni *quidem* Iudæo *verissimè dictum memini,* Κόλασις ὁσιότητος δεισιδαιμονία, *quam non soli Philosophi, quod observat* Cicero, *sed* Romani *etiam, gens sagax, & si quæ olim alia fuerat, secundùm rectam civilem rationem* πολιτικωτάτην, *à Religione separaverunt. Cultus enim Dei, qui optimus est, castissimus semper esse debet & plenissimus pietatis: ut illum semper purâ, integrâ, & incorruptâ voce & mente, veneremur. In hanc sententiam quàm appositissimè, virginem castam, sanctam, illibatam, verecundam veterem nobis Ecclesiam, & temporibus Apostolorum Heroicis proximam antiqui, qui tum vivebant, Patres descripserunt: cùm sanctissimi Præsules gravissimi viri, domi illam septam liberali custodiâ, non aliter quàm Parentes adultam solebant &* ἀπόλειστον *tuerentur. Non illi fucũ & cerussam nudæ veritatis faciei illinebant, sed colorem vivum vegetũq́ sanguine suo diffusum prætendebant. Hoc est, homines aperti, simplices, candido pectore præditi, non nundinariam religionem, non venalẽ aliquem cultũ Dei, non triobolarem pietatem venditabant. Ferri certè non debet, non potest excusari, doctissimi viri intempestiva & importuna calumnia potiùs quàm accusatio, qui non verebatur asseverare, extitisse plures per Ecclesiæ illa tempora*

primitivæ puriora, quibus facinus palmarium videbatur, cœleſtem veritatem ſuis figmentis adjutum ire, quo faciliùs ſcilicet nova doctrina à gentium ſapientibus admitteretur. *Deprecantur hanc calumniam veritatis ſanctiſſimæ cæleſtis, ſacrati Antiſtites & hierophantæ. Reclamant, abnuunt, removent, refellunt non unâ vice, à vita & moribus* Chriſtianorum, Iuſtinus, Tertullianus, Athenagoras, Arnobius, *alij, qui rei* Chriſtianæ *defenſionem, ſcriptis apologeticis ſuſcipiebant. Quorſum enim fucum & fallacias advocarent in ſubſidium apud Gentium ſapientes non obeſæ naris, ſed emunctæ, & ingenij plerumq; limatioris? Quid opus per præſtigias & incantamenta oculis illudere, fraudem velle facere (quemadmodum agyrtæ circumforanei ſolent cùm cœlum claudere, ſolem ſiſtere, orbes cæleſtes retrò agere, montes loco ſuo movere, viam per aquas aperire, & rerum vices ac naturas in alia omnia poſſent, vellent modò, ad Dei gloriam, tranſponere & transformare? Apud enim priſcos illos Proceres rei Chriſtianæ, cùm nondum evanuerat miraculorum gratia*, κηρύσσων τοῖς λόγοις ἀλήθειαν, ἐπιστοῦτο τοῖς θαύμασι τὴν ἐπαγγελίαν. Erant enim, *quod rectè cenſuit Auguſtinus*, miracula neceſſaria priuſquam crederet mundus, ad hoc ipſum ut crederet mundus: ἵνα, οὓς οὐκ ἔπειθε κηρύττουσα γλῶσσα, τούτους ὀφθαλμοὶ ἐλέγξωσι μαρτυροῦντες, *ut Baſilius Seleucienſis*. Erant autem illa, *non in omnem ævi æternitatem duratura, ſed diſpenſationi cuidam temporali accommodata inſervitura.* Θαύματα μωρεῖς, *apud* Græcos erat, Athenæo *teſtante, tritum olim ſermone proverbium. Et profectò, dum in cunis vagiebat Eccleſia, nondum diffuſa per terrarum orbem & diſſeminata, fidem infirmam nec adultam adhuc, ut vitium propagines adminiculis quibuſdam, ſic miraculorum ſufflamine Deus ſuffulciebat. Hoc docet diſertis verbis* ὁ χρυσορρήμων. Cùm Dei cognitio nondum diſpalaretur, fiebant miracula apud majores noſtros. Nos autem non indigemus adhuc hâc informatione. *Si tum non indigebat, ex ſententiâ* Chryſoſtomi, *miraculis Chriſtianus orbis, quorſum Gratia illa in caſſum diffunderetur? Nuſquam enim in divinis operibus*, φαῦλον *vel* φλυαρὸν *invenitur. Quocirca fatetur mellitiſſimus idem Pater, in ſecundo, ni fallar, de ſacerdotio, ne veſtigia quidem relicta per ætatem ſuam extitiſſe*, ταύτης τῆς δυνάμεως τῶν σημείων. *Quod non ita, opinor, devocare ad calculos debemus, quaſi nullum nullibi, ne quidem quâcunque exigente neceſſitate, miraculum aliquando ederetur. Nam doctiſſimus ille* Auguſtinus, Chryſoſtomo *ætate quidem ſuppar, cum Epiſcopatu prior, annis tamen atque natu minor, aliorum commeminit per ſuam ætatem miraculorum, & illius de reliquijs ſanctiſſimi* Stephani *Protomartyris: Qui tamen alibi non veretur pronunciare*, Nec in noſtra tempora, durare permiſſa ſunt miracula, ne anima ſemper quæreret viſibilia: & illorum uſu frigeſceret humanum genus, quorum olim flagraverat novitate. *Sed & ipſemet* Chryſoſtomus *meminit non ſemel miraculorum per ætatem ſuam editorum. Et ſcimus hoc factum, infra ætatem illam* Chryſoſtomianam. *Sed cùm* δυνάμεων *commemoret evanuiſſe, ſatis docet nihil aliud illi in animo fuiſſe, quàm illud chariſma in Eccleſia coarctatum, quod nunquam fuit electorum peculiare. Quorſum verò iſta, de miraculis inſtituta diſceptatio? Nimirum hanc divinam* οἰκονομίαν, *rerum illarum conditioni, temporum ſtatui, & ingenijs hominum convertendorum accommodatam, non tulerunt, ut apparet, æquo animo, ita circumſcribi & quibuſdam terminis decircinari poſteriores. Infra Patres illos priſcos ſubſidere, & tanquam faſceis ſubmittere indignati, ita ſe mulctatos eſſe* θαυματουργίᾳ *illa vetuſtiorum, & quaſi capite diminutos non tulere. Nec ob eam ſolùm cauſſam, ſed quòd non caremus facilè nec libenter ornamentis illis, quibus nos non natura quædam & conſuetudo,*

tudo, sed specialis indulgentia assuefecit. Quocirca postquam χάρις *illa* θαυματοποιὸς *constringebatur, inventi sunt illi per Ecclesiam, qui vocarent in subsidium, suas quasdam artes, pias fraudes, non malo forsan animo excogitatas. Nam qui, solerti quâdam mentis sagacitate futuri temporis statum augurabantur, pietatis zeliq; defervescentiam, cessantibus miraculis, pertimescebant. Ita enim est naturâ comcomparatum: Homines quæ suspiciunt, illa laudant. Quæ laudant verò, venerantur: & ut ijs placere possent, quos tantum non adorant, nec sumptui parcunt nec labori. Vulgò autem illos admirantur, in quibus eximium quid animadvertunt, & præter opinionem popularem: nec, ut homines illos, sed ut deos quosdam inter homines, inhiantes & attoniti, prosequuntur. Hoc in Lycaonibus licet observare quidem apud sanctum* Lucam, *in Actis Apostolicis, qui* Paulum *&* Barnabam θαυματεργοῦντας, *divino honore dignos arbitrabantur. Quocirca cùm charismasin antiquioris Ecclesiæ, & alijs & hoc ipso carerent illi, Deo sic dispensante,* μεταγενέστεροι, *illo tamen* τοῦ θαυματοποιεῖν, *dono carere, è re suâ non esse quidem putavere. Ideò qui post sæculum sextum & deinceps, fortaßis etiam & anteriùs, in Ecclesiâ floruerunt, etsi non edebant, ut olim, miracula, videri tamen volebant, horum copiâ abundare, & proventu frequentiori. Sic ante* Damascenum *&* Germanum, Græcos: *per* Gregorium *Dialogistam, & alterum illum* Gregorium Turonensem, *ingens accrevit miraculorum & mirabiliorum cumulus ubique, per omnes angiportus, per nosocomia, per Templorum cryptas sese diffuderunt* θαυματόποιοι, *non aliter quàm*

Velut ingentem formicæ farris acervum
Cùm populant hyemis memores.

Et profectò ad illam segetem copiosißimam, quæ deinceps se per libros atque literas hominum otiosorum, & maleferiatorum λογογράφων, *diffudit mirabiliariorũ, ne vis illa innumerabilium atomorum ascenderit, quæ per* magnum Inane *coalescunt inter se, & concatenantur, si fides adhibenda sit insomnijs* Democriteis. Sanctorum *vitas & legendas:* Martyrum *actus & paßiones:* Confessorum *res gestas & historias:* Episcoporum *regestra: Annales* Ecclesiarum: *Chronicorum examina, de Monasteriorum alvearijs satis crasso filo & levidensi contextorum miraculorum series infinitas nobis enarravere. Videtur hisce omnibus in narrando illud* ἔργον *fuisse, attonitos Lectores ut obstupefacerent: veritatem, ne à longe, ne quidem* παρέργως, *vel* ὡς ἐν τύπῳ, *decus illud vel vitam Historiæ cuiuscunque, ne vel in transcursu, salutarent. Ita paginas suas omnes, omnes literas, nedum lineas, miraculis constipant & condensant, quasi mercibus, vel saburrâ potius, onerariam. Qui de sancto* Patricio, *vel* Cantuariensi Augustino: *de* Dionysio *illo* Areopagitâ, *Parisiensi, ut volunt, Episcopo,* ῥηματολεσχῶν, *præter* τερατολογιῶν, μυθοποιϊῶν ὁρμαθοὺς, *nihil prorsus repræsentant per illas longas, laxas, lacernosas licentiosasque narrationes, quæ nauseam cieant, subvertant stomachum* εὐεκτικῶς ἔχουσι, *lectorum.* Chrysostomum *ipsum, qui testatur adeò disertis verbis, idq; non uno in loco, miraculorũ charisma per suam ætatem desiisse,* θαυματουργὸν *tamen describunt* βιογράφοι, *homines, bonis horis utentes malè. Profectò, modò vera nobis narravissent, Biographi Chronorapsodi Græci Latiniq;, qui ab annis octingentis & quod excurrit, scriptis suis, melioribus inde eiectis & eliminatis, omnes paßim insederunt bibliothecas, illa aurea sæcula Apostolorum: heroica illa tempora Apostolicorum virorũ, cum luteis adeò, & lutulentis componi non possunt nec comparari. Cum in istis tamen, fœda barbaries, craßißima ignorantia, quasi quodam diluvio, universum orbem Christianum involvissent. Vnus* Cuthbertus, Dunstanus, Wulstanus, *unus aut* Beckettus, *in illo artificio mirabiliario,* Athanasios *omnes &* Nazianzenos:

Iustinos

Iustinos *omnes* & Irenæos: Polycarpos & Ignatios: Petrum, Paulum, Iesum *ipsum* Christum, *multis parasangis transcenderunt. Quicquid ab ortu illorum primo, etiam & conceptu, ad extremum spiritum, ad ossa, cinerum, & pulverum segmenta minutissima, decurrebat temporis, illud, & illius momenta omnia, etiam vacationes, miraculis peragendis distinebantur. Omnia erant miracula, vel revera potius,* ἅπαν ῥύπος καὶ λῆρος ἐπὶ λήρῳ. *Homines ridiculi! qui viros sanctos, nonnullos, multos non malos, in scenam huius vitæ nobis producebant, ut tanquam mimum quendam aliquandiu* θαυματοποιοῦντες *agerent, & sic lampadem traderent successuro. Homines impij, non solùm vani, qui divinam augustissimam omnipotentiam, apud veteres olim* παρακαταθήκην, *& nunquam nisi* ἀπὸ μηχανῆς *rebus solitam advocari conclamatis, sine ullo delectu, cuicunque passim, non modò vænum exposuerunt, sed etiam & ludibrio & lubentiæ.* T. Livium, Romanæ *Historiæ parentem, & lacteâ quâdam dicendi facultate fluentem,* Gregorius *Papa primus, si vera narrant, è manibus Christianæ iuventutis excussum, ab omnibus armarijs, quantum in ipso fuerat, librorum publicis amovit privatisque. Et fortassis huius boni viri* κακοζηλίᾳ *iacturam ingentem illam debemus, quàm frustra deplorant eruditi homines & cordati, de tot voluminum decadibus interversis, & nusquam terrarum restaurandis, nisi forsan apud* ἐσχάτους ἀνθρώπων Αἰθίοπας, *in montis illius* Amaræ, *bibliothecâ. Indignatum* Gregorium *hoc fecisse ferunt, quod à cursu rerum,* è Romanâ *dignitate narrandarum, ad portenta descendat commemoranda, & superstitiosas portentorum procurationes. Excusationem* Gregorius *mereretur opinor, si non ob illud ipsum erubescere deberet, quòd tam severè voluit in* T. Livio *castigatum. Nam quod sparsim fit in Historiâ* Livianâ, *hoc confertim procuratur &* σωρηδὸν *in illis Dialogis* Gregorianis. *Ab illo tempore, si subductis calculis ineatur ratio, vix pars centesima de Historiâ Ecclesiæ, miraculis vacua reperietur. In hâc luce literarum, apud Divas,* Aspricollenses & Laurettanas: *apud* Gonzagas, Xaverios, Loiolas, Borrhomeos: *ad ossicula, ramenta, stramina quoque suspendiosorum hominum, & per ætatem decrepitam* παρθενοπίπων, *qui in ætatis flore erant* ἀρσενοκοίτων, *apud vestes, & caligas, & subligacula parricidarum, proh Pietas, & Fides, & verecundia! maior abundantia* θαυματουργιῶν, *quàm apud* Iesum Christum, & Apostolos *provenit. Deplorandam planè vicem Christianæ Historiæ: in quâ, agyrtæ, metrogyrtæ, halophantæ, homines circumforanei, simplicitati humanæ tam nequiter inequitant & insultant.* Pagani, *Historiam cùm appellent, habent etiam,* testem veritatis Christiani, *qui & sunt & haberi desiderant,* Antistites veritatis, *falsitatis instrumentum & præstigiarum habent. Homines* εὐήθεις, *si non improbi, præter plaustra quædam* τερατολογιῶν, *nil nobis in Ecclesiæ Historiâ reposuerunt. Atque utinam hic hominum improbitas constitisset malè feriatorum, neque manus suas impuras adhibuissent ad incrustandam figmentis suis antiquitatem. Cùm enim de reliquijs vetustissimæ memoriæ, non nisi paucæ restarent, atque illæ dissectæ, tanquam laceri artus & membra* Absyrtiana: *Cúmque Acta Martyrum* γνήσια *paucissima, de clade illâ sæculorum superiorum, vel* γνησίοις βονθὰ, *superfuissent: ingens sanè copia, nusquam* Eusebio, Socrati *vel nota de nominibus vel notata, apud* χθεσινοὺς *quosdam &* τειοβολιμαίους *scriptores, quasi ab Orco revocata, comparebat.* Cedrenus, Metaphrastes, Nicephorus, *alij, eruditionis & Historiæ dehonestamenta, laudant nobis* Euodios, *nescio quos* Petri *discipulos, & in sede* Antiochenâ *successores,* Abdias, Prochoros, Hippolytos, Melitones, *multarum narrationum promos-condos, quas mirabili silentio involutas antiquitas ignorabat. Et sunt pleræque horum hominum narrationes, gerræ germanæ, rationi*

repug-

repugnantes communi, in Deum *iniuriæ & pietatem. Vt summæ fuerit fœlicitatis, non solius laboris & νουνεχίας, per obsessum iter tot difficultatibus, ad veritatem potuisse eluctari. Et hæc erat Ecclesiæ calamitas peculiaris, sequitur altera communis cum* Paganis. *Veritatem ab Historiæ* Augustæ *scriptoribus varijs modis fuisse infractam, querebatur olim* Cornelius Tacitus: Libidine præsertim assentandi, aut odio adversus Dominantes. *Nec* Augustam *tantummodò Historiam* Tacitus, *sed & antiquiorem* Romanam *illam, atque* Græcam *querebatur non nemo, multis modis ab affectibus vacillare: dum, vel sibi indulgent vel partium studijs, veritatem delumbabant authores, nervosque illius & articulos concidebant.* Anaxilaum *&* Theopompum *grassatos ad commendationem olim per multorum reprehensiones testatur* Halicarnasseus. Timæus Siculus, *ab eodem vitio, vulgò* ἐπιτίμαιος *dicebatur.* Hieronymus Cardianus, *qui* Græcorum *primus,* Romanas *delibabat antiquitates,* ἔχει δόξαν πρὸς ἀπέχθειαν γεγράφαι τῶν βασιλέων. *Legisse memini apud* Polybium, Fabium Pictorem *&* Philinum *bellorum scriptores* Punicorum, μὴ δεόντως ἀπηγγελκέναι τὴν ἀλήθειαν. *Nam* Philinum, *dum partes tuebatur* Punicas, *multa mentitum in illorum gratiam:* Fabium *contrà,* Romanorum *fortunas, ultra omnem veritatem extulisse.* Nicolaus *quoque* Damascenus, *quod minimè decuit Philosophum è Peripato,* Herodi *regi* χαριζόμενος, *multa convincitur confinxisse à Iosepho.* Artificium promerendi obsequium est: obsequij disciplina, morigera subjectio, *ut argutè* Tertullianus. *Veritatem maiores nostri, sanctissimi viri, ante omnia sectabantur in Historijs: ideoque nihil prorsus, vel exiguum quid, suis affectibus dedisse, sunt existimandi. Non ausim, vel opinione sinistra, labem horum commentarijs aspergere velle.* Αἰδέομαι ἥρωας. *Nec ferendi sunt homuli nescio qui, terræ filij, qui, velut aliqua de vepreculis extracta nitedula, ad arrodendas adoreas lemniscatorum Heroum proreptant. Sunt tamen, qui* Eusebium, *antiquissimum illorum, quorum scripta ad nos, de clade barbarica, pervenerunt, non verentur accusare, quòd ut* Xenophon *olim* Cyrum *in Pædiâ, ita ille* Constantinum *ubique non ad Historiæ veritatem, sed ad effigiem iusti & Christiani Imperij, depinxerit. Nec fortassis iniuriâ. Nusquam enim* Eusebius *viri illius nævos & labeculas commemoravit: ubique est laudum ipsius, & quidem pleno ore, ebuccinator: quum tamen negari non debeat, hæsisse ad metas illius vitam cùm privatam tum etiam publicam, non semel.* Zosimus *ille, pecus Paganum maledicentissimum, velut scurra de trivio, aut de plaustro suo hypocrita, furiosiùs in illum debacchatur. At in rebus eiusdem enarrandis, necesse est dicamus* Eusebium, *Laudatorem non Narratorem; ita totus est ubique Panegyristes. Inter utrunque consedit neglecta veritas, dum utrinque sic affectibus indulgetur.* Ὅταν δέ τι τὸ τῆς ἱστορίας ἦθος ἀναλαμβάνῃ τις, *horum omnium obliviscendum illi est, inquit* Polybius. *Sed nec in solâ* Constantini *caussâ deliquisse vult* Baronius τὸν τοῦ Παμφίλου: *alibi, aliàs, de alijs rebus, testem malæ fidei vel sublestæ, postulavit. Vult* Arij *fuligine, quemadmodum loquitur, non leviter aspersum, sed imbutum penitus: ac, velut advocatum factionis* Arianeæ, *partes Orthodoxorum minùs sincerè, minùs secundùm veritatem narratas peregisse.* Socrates *tamen, illi ætate proximus, vehementer in illo laboravit, ut* Eusebium *vindicaret ab aspersione illâ, & in partes assereret Orthodoxorum: Nec iniustâ forsitan exceptione, si tempora distinguantur accuratè. Nam nondum detectâ* Arij *impietate, fraudibus Hæretici atque imposturis nondum prolatis in apertum, propendebat* Eusebius, *fortassis, in opinionem & partes* Arianas: *at postquam, ventilatâ*

latâ & discussâ caussâ, Nicenæ sanctiones veritatem consignarant, & furori Ariano, atque blasphemiæ anathema maranatha indixerant, non sine ratione opinari licet, virum illum eruditissimum, animo semper constantissimo illi professioni adhæsisse. Post Eusebium, fatendum est, Socratem & Sozomenum multum omni modo attulisse, ad rem veteris Ecclesiæ illustrandam. Hos contendit Annalista Cardinalis multa quidem aliter, quàm ut gesta fuerant, ennarravisse in rebus & certaminibus Novatianorum, cum perfidiæ illi, & schismati adhærerent. Philostorgium in manibus nunc non habemus, Eunomij discipulum, Arianeæ factionis buccinatorem. Multa ille mentitus in Historiâ suâ dicitur, ad invidiam creandum homoüsiastis, hoc est, sacratissimæ Theologiæ de Iesu Christo vero Deo, Patri suo coæterno & coæquali, propugnatoribus. Sed vixit Philostorgius cum figmentis suis, neque uspiam iam prostant eius narrationes. Eusebium, Socratem, Sozomenum Cardinalis, fortassis iniuriâ, postulavit, non minùs quàm Iosephum Iudæum Historicum; quàm rectè verò, quàm secùs, videbimus per partes & in loco. Certum autem est, sequuta fuisse illa tempora, quæ doctissimus Exercitator, non sine caussâ dubitavit, utrum τερατολογίας, an verò ἀγροίας χειρὰς, nominaret. Sed de τερατολογιᾶς iam dictum est. Imperitia autem illa fuit literarum, stupenda barbaries atque ignorantia, quæ de vitâ, moribus, & institutis hominum doctrinam omnem atque eruditionem, sed & ipsam propemodum excusserat humanitatem. Conqueruntur passim, ex utraque factione eruditi viri, per aliquot lustra, etiam sæcula, nil nisi indoctum, ineruditum, barbarum, in libros & literas, in vitam atque mores inolevisse. Neque mirum. Nam in illâ ruinâ & interitu Romani imperij: in illâ calamitate Religionis Christianæ, per gentes ferocissimas, & ab omni humanitate abhorrentes, quæ se passim in Europam infundebant, necesse fuerat ingeniorum cultum, quasi peste contactum & afflatum, emarcescere, & paulatim, quod factum fuit, interire. Honesto enim otio, atque liberali habitu excoluntur artes & adolescunt. Neglectæ, spretæ, armorum strepitu & tumultu inquietatæ, loco ve suo pulsæ & deiectæ de dignitate, secedunt, exulant, profligantur. Itaque quod spectat ad eruditos, post Isidorum Hispalensem, qui ad annum Domini DC. XXXVI, aut circiter, è vitâ excedebat, ad Bedam usque nostratem Venerabilem, qui in vivis erat ad annum DCC. XXXI, in omni, vel quolibet etiam scientiarum genere vel mediocriter versati, erant quidem vix, numero totidem quot, Thebarum portæ vel divitis ostia Nili. Certè feraci satis sæculo rebus gerendis, decora ingenia defuere, qui res easdem præclarè gestas, orationis elegantijs exornatas posteritati commendarent. Quis non ægrè ferat Saxonum maiorum nostrorum, ab ingressu primo res bello paceq; gestas, urbes conditas, nominum designationes, politiæ formam, & sanctiones Legum ignorari? Quis non indignetur Arthuri illius magnanimi fortia facta: Augustini adventum & ἀναστροφὴν. Religionem, satam, fusam, propagatam: Rempub. formatam, sancitam, stabilitam: cæteraq; quàm plurima memoriâ & monumentis æternis digna, vel omnino fuisse tenebris densissimis involuta, & prorsus ἄδηλα, vel ita conspurcata fabulosis nugamentis, ut temporibus Paganorum μυθικοῖς accenseri, vel infra μεταμορφώσεις deberent amandari. A comato Clodione & Meroveo, Francorum nomen in Gallijs illustrari cœpit: à Clodoveo primo, Christi sacris per beatum Remigium initiato, res Ecclesiæ florentes, & omni copiarum proventu beatæ propagabantur: à Pipinis duobus, Herstallo & Nano: à Carolo ante omnes Martello, res tantæ gerebantur, tam illustres, quæ casuum varietate, periculorum magnitudine, eventus

successu

successu & fœlicitate, Romanas *omnes antiquitates*, *&* Græcorum *trophæa possent, si non obscurare, provocare tamen vel adæquare.* Paulum Diaconum & Alcuinum *paullò supra vulgus sese efferentes*, Caroli *Magni, quæ sequuta sunt, tempora protulerunt. Cuius viri, & meritis & nomine magni, illustrissimi triumphi, victoriarum cursus, pietas in Deum, in pietatem zelus & devotio, in Ecclesiâ exornandâ, propagandâ, constituendâ, conservandâque studium: cuius virtutum nobilissimarum præconia, à* T. *aliquo* Livio, Crispo Salustio, Cornelio Tacito *fuerant enuncianda: non ab* Eginharto, Sengallo, Turpino, *literarum dehonestamentis, literatorum quisquilijs deblateranda; nedum mendacijs prodigiosissimis, de* Franciæ *Paribus nescio quibus: de* Rolando, Olivero, *alijs, ultra temporis mythici* τερατολογήματα *deturpanda. Infœlicem barbariem illorum temporum! stupendam prorsus ignorantiam; hominum* ἀμύστων *&* ἀμυήτων *infantissimam infantiam, qui tamen illotis manibus Historiam contrectabant, & cùm res in Ecclesiâ, tum etiam in Imperio gestas, impuro dicendi genere, conspuebant. Eluctari visa est aliquatenus, & se ex istis sordibus extricasse atque sentinâ, eruditio & politior paullò disciplina, cùm circa annum Domini millesimum, viri & ab usu, & ingenio, & meliore dicendi charactere instructi, prodirent. Post hoc tempus, ita loquitur de barbarico illo sæculo* Panvinius *eruditissimus, ob insignem librorum copiam, quæ hactenus apud nos desiderata est, omnia erunt clariora. Vndè ex obscurissimis tenebris egressi paullatim, in apertissimam clarissimamque lucem procedemus. Multi igitur non inutilem operam impenderunt, in Fide & praxi Catholicæ Ecclesiæ illustrandis, explicandis, exornandis.* Felix cursus, *ait* Cardinalis, si absque obice fabularum sincerâ tantùm ferri veritate liceret. Quæ ubi semel, ut zizania inter triticum seminata, fixis radicibus tritici mentita speciem altiori culmo consurgunt: sicut triticum messoris æquâ falce metantur, & cum frumento in horrea recondantur, & mixta tritico, tritici jam nomine decorata, æquo pretio, eademque mensurâ venum dantur. Ita fabularum abolito nomine receptæ semel, transeunt in Historiam, ut opus sit magno cribrario qui magno labore à veris falsa, & fabulas segreget ab Historijs. *Hæc pater Annalium, Historiam sive fabulam, ut ille vocat,* Ioannæ *Papissæ enarrandam aggressurus. Illam non attingo, non saluto.* κείσθω γὰρ, *seu fabula fuerit vel Historia. Hoc certum est, fabulas intermixtas concrevisse cum Historijs & coaluisse, ut utraque indiscreta & indistincta, in apothecas simul antiquitatis recondita fuerint & constipata. Postquam enim inter Ecclesiam & Imperium:* Gregorium *septimum Papam, & Imperatorem* Henricum *quartum dissiluit in partes disturbata religio, & tunica* Iesu Christi *illa inconsutilis, miseris ita modis diloricata & dirupta fuerat, ut ne ad hanc usque ætatem nostram, post sex sæcula consui potuerit, id quod solet contingere in factionibus,* προσπαθείαις *indultum est & affectibus.* Qualis autem cujusque animi est affectus, talis & est homo, *dicebat ille. Veritas hic varijs modis infracta inter obnoxios & invisos. Ita* Stephanus *ab* Halberstate, Anselmus Lucensis, *alij, omnia benè de* Gregorio. *Virum sanctum, moderatum, prudentem, fortem, pietatis describunt amantissimum, & Ecclesiæ Catholicæ alumnum.* Benno, *ex adversâ factione, Cardinalis: author vitæ* Henrici *quarti Imperatoris, tanquam orbis pestem quandam & perniciem, Deo invisum & hominibus, furiosum, crudelem, superbum, schismate & hæresi deturpatum, non tantùm vitâ communi indignum, sed dignum qui, si fieri ita posset, etiam ultra mortuos, communis alastor, amoveretur. Sic illi inter se adversantes, describunt* Hildebrandum.

Variatur

Variatur etiam ad eundem modum in rebus gestis enarrandis Mathildis *illius* Comitissæ Gregorij *illius* συγχρόνε *& advocatæ. Quæ & illum & ipsius partes,* Romanorumque *Pontificum molitiones, suscepit, tutata est & protexit. Et eosdem ex Asse instituit Heredes: undè satis amplum crevere Patrimonium.* Afferere non dubitamus, *ait Cardinalis,* nullam penè aliam Historiam ita varietate Scriptorum, sicut & multiplicitate, tractatam reperiri. Sed non indè elucidatam, imò potius obscuratam, quæ magis Lectoris mentem obvolvat densâ caligine, & offundat tenebras confusionis. *Omnino verum est, illius ævi scriptores singulos, & eos sequutos deinceps alios, prout erant in Pontifices animati, vel Imperatorum partes tuëbantur, diversa de ijsdem, secundùm quoque idem prodidisse.* Germani, *ab Aula* Romanâ *& assentatoribus remotiores, & à metu fulminum Pontificiorum securiores, in Pontifices passim vulgò crimen conferunt.* Itali *& partibus obnoxij, & quòd res illorum agebantur, vel ab affectibus transversim acti, in Imperatores debacchantur intemperantiùs. Quæ est ipsa Christianæ rei etiamnum facies, inter* Protestantes *&* Pontificios. *Fatendum est, nisi impij velimus esse, non solùm ingrati, Dei optimi maximi immortali beneficio, ante sæculum unum & quod excurrit, renascentibus per* Europam *literis, mirificam planè Mundo contigisse* παλιγγενεσίαν. *Nam* Sixto *quarto &* Nicolao *quinto Pontificibus :* Cosmo *&* Laurentio Medicis, *viris optimè meritis de republicâ, omni præconio maioribus, sedulò in id ipsum incumbentibus,* Athenas *illas* Atticas *in* Europam *commigrasse. Concursum est undique in Italiam, velut ad mercatum & Panegyrin bonarum artium: Cum statim ut fieri solet in Epidemicis; illud lumen trans* Alpes *in* Gallias, *mox hùc in* Britanniam *se diffudit. Raram hanc illius sæculi fœlicitatem excepit mox, in motâ caussâ & exacerbatâ religionis, totius Occidentis dissipatio in partes & distractio. Quæ ut odia internecina proseminavit, ita alitur ex odio alternatim. Citiùs inter Philosophos de Bono summo, quàm inter Protestantes & Pontificios (inaudita nomina superioribus sæculis, & subintroducta inordinatè & inauspicatò) de controversis inter ipsos conveniet Quæstionibus. Nec in vitâ iam & moribus disceptatur: sed scriptis omnibus & literis, illi ijdem affectus dominantur &* προσπάθειαι. *Sed viderit scilicet posteritas, de dissidijs, quæ nihil sani, sancti nihil fecerunt reliquum; quæ vel humanitatis & Naturæ communis Leges refixerunt. Ad calamitatem illam Antiquitatis, de quâ dictum nuper, restaurandam resarciendamq́ à viris* φιλαρχαίοις *&* φιλαλήθεσι, *initæ iampridem & tentatæ sunt nonnullæ rationes. Atque ideò post mota certamina* Lutherana, Zwingliana, Calviniana, *ut appellant, & aliorum, quibus ritus quidam vani & ridiculi: ceremoniæ ineptæ gesticulatoriæ: nundinationes, quod scelus est, in ipsa pietate prophanæ & quæstuosæ: sacrilegia tandem execranda, & progrediente* συζήτησει, *ut fieri solet, & animorum unà exacerbatione, capita non pauca Credendorum vocata sunt ad limam Scripturarum; &, secundùm magisterium sacrarum literarum, amussitata per praxin, usum, atque disciplinā resuscitatam, primitivæ illius Ecclesiæ antiquissimæ. Ita post tabulas & delineationes Chronologicas sæculorum ab Apostolis decurrentium, in quibus, leviore, at non inutili operâ, lineamentorū quædam adumbratio, non* τὸ σῶμα *vel* τὸ σύνολον, *repræsentabatur: Post nonnullas, hinc indè, prout tulerat, occasio, per partes decerptas racemationes, inventi sunt tandem qui rem aggressi seriò, plenissimam vindemiam accumulabant, Centuriatores, qui vocantur, Magdeburgici. Facinus pulcherrimum, opus arduum, Herculeam planè molitionem aggressi; de dispersis,*

dispersis, & vagè varieq; disiectis ruderibus antiquitatis collisæ & perturbatæ, ædificium nobis ingens, usu eximium construxerunt. Certè quidem illa methodus, ordo ille, illa rerum series & temporum dispositio, quâ per singulas ætates & Centurias proponuntur repræsentata, ἔκθεσις *fidei,* πρᾶξις *disciplinæ, mores & affectus, progressus & incrementa, labes etiam atque nævi, hæreses præterea & errores, viri famâ eruditionis & sanctitatis celebres & laudati, iucundâ quâdam luce illustrant & perfundunt non ipsas solùm res repræsentandas, sed vitam illam Historiæ cuiuscunque veritatem commendant ubique relucentem, & legentium mentes animosque blandissimè insinuando alliciunt. Fundamentum imprimis statuunt, super lapidem illum angularem pretiosum, ab illo structorum architectonicotato, dedolatum, positum, & fundatum in sacrosanctis illis quatuor Euangelijs: ab Apostolis excultum & perpolitum: quem & scriptæ epistolæ ad Ecclesias, & actus contexti de Ecclesijs, ad æternitatem omnem propagarunt. Hinc iam provecti in apertum pelagus; Disciplinæ formam exteriorem; Fidei normam Ecclesiasticæ & tenorem; Mutationes in moribus &* ἀναστροφῇ*: Hæreticorum fraudes, impietates, imposturas: adversariorum* ἐναντιώσεις*: militum Iesu Christi* ἀνδραγαθήματα*, & Pancratiastarum colluctationes, in partibus operis luculentissimi, exhibent, exponunt indagatores diligentissimi, enarratores expediti. Atque ista quidem undecunque corrasa, & convasata simul in unum contulerunt, de scriptis Patrum apologeticis & Eristicis: de operibus illorum diegematicis & explanationibus credendorum: de sermonibus Panegyricis & homilijs: de Actis ante alia synodalibus, & Epistolis scriptis de diversis rebus: Historijs ad extremum, quæ de clade superiorum nobis Temporum superfuerant; lautam & instructissimam supellectilem. Si quid operi instituto de perfectione defuit, vel destinatâ vel etiam debitâ, ex æquo & bono merentur illi excusari, tum quòd primi rem aggressi sint non libatam alijs, non salutatam: tùm quòd secundas curas non adhibuerint, quibus id quod enucleatè minùs propositum fuerat ab initio, limatiùs deinceps solet exaccurari, & maiore diligentiâ perpoliri. Sed est quod nullo modo vel possumus vel debemus excusare, quòd morbo illo correpti, quo de nunc agimus, Epidemio, suis affectibus per Centurias maiorem in modum solent indulgere, & tanquam adversarij vel advocati, laudare lancinare, pugnare oppugnare, vitio vertere vel commendare, quoties obtulerit se occasio, tanquam Patroni processuri ad Clientes defendendum, potiùs quàm producti obsignatores & citati testes; qui nudam respondeant veritatem. Certum est Historiam non ulteriùs progredi, quàm ut præsentia doceat & præterita: nihil tollit, demit nihil: non addendo, mutando, molliendo, quovis modo interpolando, rerum seriem perturbat & narrationem. Et hoc in illis Centurijs non excusamus. Est illud in secundis intolerandum, quòd nudi rerum narratores qui debebant esse, ac velut notarij, & amanuenses à Commentarijs primitivæ Ecclesiæ: aut saltem viatores & accensi, qui Patribus antiquis illis augustissimis* Catholicæ Ecclesiæ *Dictatoribus fasceis præferant, antecedant, populum summoveant: de viâ secedere, assurgere, submittere admoneant: illi ipsi, quasi rerum vicibus commutatis, & recto illo ordine naturali inverso & civili, Maiorum gentium hos Patricios, vel semones potiùs, capite deijciant imminutos, obnuntient certè & intercedant, Censorio iudicio, atque animadversione notent. Indignum est, cùm quod ponitur in confesso, usu fuisse in medio positum, communi hominum more & sermone usitatum, fruitione retentum aliquandiu, imò longâ quâdam temporum successione confirmatum, loco suo motum & statione*

in ordinem redigatur quaſi? atque illud, quod poſt regulam cælitus demiſſam adhiberi ante omnia debuit; ad quod alia μεταγενέστερα erant exigenda, hoc eſt, Traditio vetuſtiſſima Catholicæ Eccleſiæ *ad opiniones aliorum ſequiores, incertas inſtabiles & vagantes, examinandum traducatur. Hoc ſanè per Centurias obſervaverimus, vetuſtiſſimas* Eccleſiæ *Traditiones: πράξεις maiorum univerſales: Patrum ſententias & opiniones: Epiſcoporum ſolennia conſulta & ſanctiones: mores, fidem, diſciplinam, velut calculos menſariorum putatorios, ad libitum & voluntatem Trapezitæ vim ſuam obtinere, & valorem. Scio unum de primarijs illius incepti operis & abſoluti authoribus, virum certè induſtriæ prodigioſæ, librorum immanem quendam helluonem, & bibliothecarum omnium περιφοιτητὴν, furioſum tamen Theologum* Flaccium Illiricum, *novarum quarundam, & monſtroſarum opinionum extitiſſe adinventorem. Sed πρὸς ἔπος οὐδὲν illud, ut volunt viri valdè eruditi. Illius viri bona mala fama, magna minima exiſtimatio, nihil ad inimicitias illas ſpectant* ſuſceptas cum veritate. *Nam prodigioſæ illius viri fatuitates, ſunt, ne ignoremus, Centuriatis illis laboribus poſteriores. Sed erat fatalis illorum temporum fortè αὐθαδεία, quæ &, hodie quoque obtinet apud rigidiores, ut dum prætendant ſcripturarum αὐτοπιστίαν αὐτονομίαν, & ſupremum dominatum (quod quidem verum eſt, & nullo modo inficiandum) ſuas ipſorum ἀβελτηρείας, ληρῳδίας, rationes certè & interpretationes, ſcita atque opiniones, nugas non rarò, phantaſias, & deliria, ſpecioſo titulo ſcripturarum, & verbi divini quaſi mormolycæo, proſcribere præſumant & obtrudere. Hinc factum, ut* Lesbia *quædam regula, & planè plumbea ſubſtituatur, loco illius Canonis θεοπνεύστου, & ad Fidei etiam δόξας controverſas diſcernendas adhibeatur. Peccant hoc, fatendum eſt,* Centuriatores. *Sugillant* Eccleſiam; *obiurgant Patres, doctrinam aliquando, diſciplinam ſæpè vel receptiſſimam, στιγματίζουσι, eo quòd non conſentiant cum ipſorum placitis, quæ per opinionis errorem ſibi prius ipſi, abſque Dei verbo confingebant. Non equidem abnuerim, nævos interdum & labeculas: reduvias aliquando & ſepedonas contrectant, quorundam antiquorum diamalagmate molliunt, vel adhibito cauterio adurunt. Sed tamen fatendum eſt illos ipſos, aurum vel obrizum, velut παράκομμα, aut numiſma quoddam κιβδηλότατον, ab officinis relegare excambiatorum, dum non illud examinant ad aurificis ſtateram, ſed vulgarem trutinam, hoc eſt, partium ſtudia & errores. Vtiliſſimum nihilominus extitiſſe hoc, virorum, oppido laborioſiſſimorum, ἐκπόνημα, & opus quidem omni laude dignum, conſtat, cum veteris reipub. Chriſtianæ effigiem repræſentet, mores exprimat, fidem enunciet: cum ſucceſſiones per Eccleſiam: doctrinæ progreſſum doceat, & Credendorum ad ſalutem. Quæ & alia cum σποράδην κείμενα velut antiquitatis rudera,* Abſyrti *quædam membra, aut ἀποσπάσματα disiecta ſpargerentur, ſub uno & eodem aſpectu, recollecta poſuerunt. Eſt hoc profectò cùm laude dignum, tum vel maximè coniunctū cum utilitate communi. Nam quæ prius per anfractus neſcio quos, per circuitiones infinitas erant conſectanda: Quæ olim per Mæandros & diverticula, magno conatu fuerant, & non rarò irrito odoranda, ea iam diſpoſita ὑφ' ἕν, locis ſuis certis & determinatis, luce quadam ordinis commendata, cuiuſcunque demum induſtriæ vel mediocri obverſabantur. Hic verò iam moleſtè ferebant illi & indignabantur ſubringentes, quorum intererat ignoratam eſſe penitùs, vetuſtiſſimæ Eccleſiæ faciem illam; vel ſaltem à longè ita cognitam, ne res ipſorum detrimenti quid inde acciperent, ab illâ nempe luce circumfuſæ. Nam ita eſt: cùm eſſent olim priorum caligine ſæculorum circumamictæ pietatis cultuſque divini aſſimulationes & εἰκονίσματα: eæ ferè, ut fit, ſtrictim*

intuentibus

intuentibus & per transennam, vel per specilla opinionis præiudicatæ, multò quàm erant maiores, atque augustiores esse videbantur. Iam verò positæ in propinquo, lumine diffusæ intermedio, sordibus obscenæ, deformitate obsitæ videbantur, & dedecore turpes atque maculosæ. Quocircà, tanquam in communi periculo, classico excitati quodam, concurrunt, summæ suæ rei non aliter metuentes quàm si Annibal *esset ad portas, aut* Capitolium *perfringeretur. Et Velites nonnulli certè cæterique levis armaturæ milites, ubi satis eminus constituti hastam unam alteramvè emiserant, nec illam amentatam, recepti statim inter principia, locum subituris tradidere. Carpunt profectò & arrodunt, vel adlambunt, uti de* Nilo *raptim prætervecti canes, qui per partes & saltuatim, de controversis hodiè quæstionibus, unam alteram, prout tulit fors, aut fuit animus, delassandam ceperant & exagitandã. Ille verò,* πόλλων ἀντάξιος ἄλλων, *qui & primus & solus immanem illam molem, & immensum Chaos controversiarum, mirâ quadam ingenij dexteritate, & singulari artificio excoluit accuratè, & eleganter expolivit* Bellarminus, *nusquam has Centurias oblatas omittit: invadit, impetit, urget animosius: & ubique se componit ex adverso; quo successu? fœlicitate? adversarium. Sed & ille delibat: sparsim colligit, quod invadat, non insistit operi* κατὰ πόδα, *nec à carcere ad metas decurrit. Ille autem qui multo tumultu, magno strepitu & boatu, descendisse se professus est ex adverso adversarium, petulantissimum pecus* Genebrardus, *Syntagma suum nobis Chronorapsodicum eructavit, temerè & festinatò effutitum, de cloacis & fimicelis* Rabbinorum, *potius quàm de myrothecijs derivatum* Ecclesiasticis. *Ita res tandem redacta est ad* Triarios, *de disciplinâ & scholâ* Philippi Nerij Florentini, *Congregationis alumnos Oratorij. Is enim, quod narratur à* Baronio *ad annum* Iesu Christi LVII. *sect.* 162. *rationem inijt, ut qui vitam vellent* Christianam *instituere, & ab ardentiori quodam pietatis studio excolere, ad illud convenirent Oratorium; ubi, nomine divino priùs invocato, designatus ad hoc ipsum è fratribus illius Congregationis unus,* Lectionem auspicaretur. *Hoc est, ut alibi interpretatur ipse,* Panem verbi divini frangeret, *quasi habitâ quâdam collatione, humiliori dicendi genere, quàm quo uti solebant in Concione populari. Quâ finitâ, suggestum conscendebat alter, qui sententijs passim intertextis, de divinâ sacrosancta Scripturâ, Orationem haberet ad Auditores suos, è vitis Patrum compositam, & rebus gestis. Tertius autem huic succenturiatus succedebat: non tamen, ut videtur, continuatâ serie, sed intercisâ, ab horis, quod ait alibi, pomeridianis, cùm illi priores ab Aurorâ declamarent, qui ad fratres & populum in Oratorio, Historias enarraret Ecclesiasticas; dispositas secundùm ordinem rerum perfectarum; idque peculiari quodam instituto, ut* Centuriatorum *refellerentur narrationes. Hanc suam, quod apparet, Spartam nactus ab initio* Cæsar Baronius, *eiusdem Oratorij socius, inter primos, si non fallar, allectus per* Philippum Nerium, *quantâ maximâ potuit, excoluit diligentiâ. Erat autem illa summa etiam prodigiosa. Narrat ipse, laborum suorum non certè nimius venditator, se per illas ordinarias in Oratorio, & quotidianas exercitationes, universam historiam rerum in* Ecclesiâ *gestarum, septenis vicibus peragrasse. Toties illum orbem studiorum suorum repetitum confecisse;*

priusquam manum suam admoveret conscribendis illis, quas apparabat, Historijs, & Annalibus Ecclesiasticis. Prorsus novo, & inaudito exemplo, ab omni retro antiquitate. Non ergo vir eximius ἐν τῷ πίθῳ, *quod solent,* τὴν κεραμείαν, *sed scientiæ vetus ad scribendum accedebat. Postquam, ab ingressu in rem primo, ætas ipsius sexies quinos Solis anfractus, reditusque antiquos converterat. Hoc docet in Epistola ad* Sixtum *quintum* Pontificem *Dedicatoriâ. Instituti autem ratio, quod tetigimus, illa fuit, ut qui Confessioni* Romanæ *adhærebant, haberent in promptu, & ad manum, quod* Centurijs Magdeburgicis *opponerent. Narrat ipse se congessisse in* penariam cellam contra nostri temporis novatores, pro sacrarum Traditionum antiquitate, ac sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ potestate. *Quos Novatores nominatos, Archiepiscopus* Guesnensis Poloniæ *Primas, in literis suis ad* Baronium, Centuriatores *rectè interpretatur. Nec pœnituit Annalistam laboris sui, Cardinalitiam suo merito nactus dignitatem. Nec* Romanam *Ecclesiam, impensi huius laboris, & instituti unquam pœnitebit. Cùm enim, Fides, Pietas, Charitas, Obedientia, virtutes etiam illæ omnes, quæ secundùm rectam rationem mores hominum conformant atque instruunt, duobus ante alia, Præcepto & Praxi, contineantur : Præceptorum dictata & magisteria,* Hoc fac, & vives, *non volentes admittimus & cum applausu aut affectu, sed metu perterriti exaudimus. Facilè autem illabuntur & persuadent, quæ ducuntur ab exemplis* νουθετικά. Virum magnum sequi, est penè sapere. *Declament in scholis, licet, ad ravim usque & raucedinem, Controversarum quæstionum tractatores : pugnent argùmentis vel apodicticotatis : agant testimonijs Scripturarum, nihilominus operam luserint, oleum perdiderint, si consuetudo ex adverso prætendatur auctrix. Fatendum est igitur, non multum roboris aut præsidij futurum fuisse in illis, nec immeritò,* διαβοήτοις, Bellarminianis *in* Romanâ *caussâ* ἀντιπαραστάσεσιν *& concertationibus, si non in partes accessisset* Cæsar Baronius, *& fidem illam Vrbicam, non sanè* Catholico-Romanam, Ecclesiæ potestatem, *ut ipse loquitur,* & Traditionum antiquitatem, *quantum viribus humanis præstari poterat, ab authoritate pollenti, ac, ut barbarè loquar, activosâ, hoc est, omnis memoriæ replicatione, ivisset confirmatum. Lectis autem Historijs quæ ad manum erant: versatis & volutatis monumentis Patrum, latenti rerum notitiâ etiam apud exteros investigatâ : nec formis excusos solùm & passim obvios per tabernas, sed reconditos adhuc per bibliothecarum forulos & pluteos armariorum, pulvere obsitos, & confectos carie, vulgò ignoratos sed & ignotos, in subsidium comparavit. Æmulos huius laudis* Baronianæ, *ut aliquos posteritas productura fuerit, æqualem non vidimus, nec ulla, credo, ætas erit productura; seu magnitudinem operis inchoati, seu rerum narrandarum varietatem, sive ordinem spectemus, fatendum est omnino,* Nil oriturum aliàs, nil ortum tale. *Vnum illud abfuisset, cui totus incubuit & indulsit vehementiùs, partium studium &* προσπάθεια. *Quicquid enim uspiam est vel extabat olim per Romanam Ecclesiam depravati moris, desolatæ fidei, nundinationum improbissimarum, sacrilegij execrandi : Quicquid patratum audaciùs & insolentiùs in Fidei scandalum, Ecclesiæ contumeliam, pietatis opprobrium, &* Iesu Christi *ignominiam,*

ignominiam, per hominum monſtra Pontifices quoſdam & humanitatis, excuſat: parum eſt. Tuetur. Totum non eſt: Laudat & exornat ab Oratione. Non mores Vrbicos ad Antiquitatem refingit, ſed ipſam antiquiſſimam antiquitatem, invitam, reluctantem, obtorto collo, ad urbanam fidem, de directâ Papali omnipotentiâ applicat & conformat. Deplorat hoc Caſaubonus, *& non iniuriâ, Exercitator. Nolo ergo lineam poſt* Apellem. *Qui vir literati Senatus facilè Princeps, poſt* Ioſephum Scaligerum, μακαρείτην (*Nam de* Iuſtô Lipſio, *ne quidem ampliandum:* οὔτε τρίτος, οὔτε τέταρτος, οὔτε δυωδέκατος, δ' οὐδ' ἐν λόγῳ, οὐδ' ἐν ἀριθμῷ) *cùm multos annos* περὶ τοῖς ἔξωθεν, *ſummâ cum laude fuiſſet verſatus, etiam à partium diverſarum hominibus celebraretur; Omiſſâ ſtatione quam tuebatur, & de quâ multorum deſideria excitaverat, apud* ταχλικώτατον *Hiſtoricorum* Polybium, *ad exercendum ingenium atque ſtylum, in campum deſcendit Annaliſticum. Vir planè admirabilis, dum provinciæ ſuæ limites non excederet. Sed ita ſe res habet hodie. Philologi qui ſe haberi volunt, quaſi* Mercurij Muſagetæ *ex aſſe hæredes non de ſemiſſe, vel quadrante, orbis illius ſcientiarum omnium, etiam* μεταφυσικωτάτης, *de myſterijs Ieſu Chriſti, condos, promos, Dictatores dici & Antiſtitas haberi ſeſe volunt. Quodſi qualis proceſſit ab exotericis inſtructus diſciplinis, & literis paratus humanioribus, talis tantuſve ſe compoſuiſſet ad confligendum, à myſterijs Theologiæ ſecretioris informatus, extitiſſet ante alios ἀκαταγώνιστος. Neque enim ſatis eſt, quod aſſeruit ſibi aliquando,* Iuſtus Lipſius, Legiſſe Patres Græcos Latinoſque. *Sed nec illum liberavero ab affectuum morbo illo epidemio, quem ubique graſſantem deploramus.* Ioſephum *certè* Scaligerum *dum tantum non adorat, & ad eius* ἐννοίας *& coniecturales opinationes adhæret, (quas tamen vir doctiſſimus ſed nimis interdum νεανιδοτόμος, tanquam dictas è tripode vel* κυρίας δόξας *proponit) has ſequitur & tuetur* ἀβασανίστως: *abſurda quædam interſpergit* παρορόματα, *quæ non debuimus intacta prætermittere, cum ab eius Eccleſiæ* διαψηφισμοῖς *abſcedant longiùs, & in alia omnia exorbitent, in quâ, dum ſe exercet cum Baronio, videri voluit ita illi adhærere, ut nec vel latum indè unguem recedere putaretur. Certè enim ferri non debent illa, quæ de* Iacobi *vaticinio: de* λογῷ *&* ἀλογίᾳ *apud* Iovium: *de* Prophetijs Sibyllarum: Herode Idumæo, *non alienigenâ: de* Chriſti *Natali, &* Ioannis Baptiſtæ, περὶ γαλῆς. *Sunt etiam quæ cùm digna eſſent* συζητήσεως, *& diſquiſitione exactiori, leviter attingit & prætervolat, cùm in rebus minimè controverſis, operam ponat interdũ longã, non neceſſariam. Sed ea eſt humanarum rerum infirmitas,* Nihil & ſimul inventum extitit, & perfectum. *In ſecundis curis ſuis, & limatiore deinceps diligentiâ, eruditiſſimus vir, ſine dubio, erat illa omnia correcturus, quæ vel properanti, vel agenti aliud, aut minus attento ad ipſam rem, vel humanitus quid paſſo,* παραδιορθωθέντα *profectò, excidebant. Et, ô ſi, Deus, optimus maximus, rerum humanarum diſpenſator æquiſſimus, longiorem ipſi vitæ iſtius uſuram atque uſum indulſiſſet, ut ea quæ iam propoſito deſtinaverat, & erat, fortaſſis, in parte meditatus, perducere potuiſſet ad umbilicum, & numeris omnibus perfecta conſummare.* Credo equidem, neque vana fides, *nihil fuiſſet uſpiam per Exercitationum ſectiones, quod vel iuſtè reprehendere Pontificij poſſent, vel Proteſtantes in illo deſiderare. Sed* vixit, *& quem dederat illi divina diſpenſatio, curſum peregit, tempore forſan ipſi non incommodo, mihi permoleſto, & fortaſſis etiam periculoſo.*

loſo. Nam de mandato ſacratiſſimæ ſuæ Majeſtatis, *Domini clementiſſimi, cui omnia debeo, in labores illos* Caſaubonianos *ſuccedendum erat.* ὡς οὐκ ὄφελον. *reluctari verebar: abnuere non audebam. Nam ſi modò, quod laudatur, obtinere debeat,* vel vultu etiam læditur Pietas; *impietatis macula reformidanda mihi fuerat, ſi non mandato me morigerum exhibuiſſem, etiam tum, cùm præter ſtudium, & induſtriam, ac promptam voluntatem paratamque, afferre in cauſsâ nihil poteram. Videbam autem expectanda mihi eſſe illa præſtiti obſequij redhoſtimenta, quæ* Caſauboni *labores ſtatim & vigilias exceperunt. Nam in iſtâ contentione de religione exacerbatâ, in qua non argumentis ſed convitijs agitur & contumelijs, qui de otio umbratili literatorio in aciem procedunt & palæſtram, non ut in pulvere erudito, ad radium & cylindrum adverſarios experiuntur: ſed tanquam in arenâ,* θηριομαχοῦσι, *& capite luentes, ſaltem ſanguine ſuo civili, hoſtes provocant ex adverſo internecinos. Non aliter quàm illa dirâ devincti execratione apud Poetam,* Nullus amor populis neque fœdera ſunto, *ita rabie efferantur in mutuam perniciem ex utraque parte. Sed de periculo, iacta alea eſt, eatur ergo. Non ego crabrones reformidem: Sed nec in iſtis adhuc vehementer provocavi. Nam utcunque diſſentiendum ſit à* Baronio, *quod* Caſtrio, Torniello, *de* la Puente *licuit atque alijs; virum tamen optimè de omni antiquitate meritum, & illuſtris adeò famæ atque dignitatis, nuſquam nunquam, niſi admodum honorificè, opinor, compellavi: nuſquam convitijs impetivi, quod abundantiùs præſtare ſolent ij, quibus ſolenne eſt, & in more poſitum, tanquam de plauſtro convitiari: Sed nec aliquem alium niſi admodum rarò, & maiorem in modum provocatus. Controverſæ inter partes Quæſtiones, & ſectarum* ἐπιτηδεύματα, *non adeò multæ per hunc apparatum, & illæ ipſæ momenti non maximi occurrunt.* Scaligeri, Caſauboni, *aliorum de noſtrâ Confeſſione eruditorum, ſi quæ ſe, prout tulerat occaſio, offerebant* παρεργήματα, *vel etiam* παραληρήματα, *non prætermiſi. Si quid apud illos parum commodè dictum, minùs ſecundùm veritatem pronuntiatum animadvertebam, non minùs id liberè ac apertè, quàm Baronij quaſlibet hallucinationes, ſed levi utraque brachio, perſtrinxi. Non enim fovemus factiones. Amicus* Socrates, *amicus* Plato, *etiam &* Ariſtoteles *amicus, ſed magis amica Veritas eſt. Quæ una & unica, ſi eam amplecti potuero, mihi* μύριοι. *Sum enim, nec diffiteor,* Nullius addictus jurare in verba magiſtri, *niſi Ieſu Chriſti archididaſcali,* Qui invenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob puero ſuo, atque Iſraël dilecto ſuo, *hoc eſt, depoſitum Eccleſiæ dedit &* παρακαταθήκην *univerſali. Quicquid invenero, vel ſecundùm iſtas vel illas partes, pronunciatum apud vetuſtiores Eccleſiæ proceres, non diſſimulabo: manum daturus, herbam porrecturus, faſceis ſubmiſſurus, ſententiæ ſubſcripturus, & prærogativæ antiquitatis.* Πᾶν γὰρ ἀρχαῖον αἰδέσιμον: *recenter autem ſubintroducta, ipsâ ſuâ novitate ſunt ſuſpecta. Ex ſententiâ vetuſtatis communiori: hoc eſt, Scripturarum ratihabitione, Eccleſiaſticâ Traditione explicatâ, & praxi perpetuâ conſtitutâ, in omni re dubiâ & litigioſâ, ad me quod attinet, ex æquo rem & bono diribiturus, & litem conteſtatam diremptúrus. Si quibus hæc inſtituti ratio arriſerit, mecum ille ſentit, qui Pacem inter partes potiùs ferruminatam velim, quàm ut* pugnent ipſique nepoteſque. *Si qui ſint, quod non dubito, qui bellū malint internecinum & odia immortalia, per me licebit traducant illi noſtram, ut fortè cenſebitur,* ἀδιαφορίαν: *ſilentium indicendum curent.* Ego filius pacifici, *quod voveo & ſpero, illius qui fecit utraq; unum: in tunica illâ*

Chriſti

Christi Iesu *inconsutili, rupturas potiùs factas restaurandas optaverim, quàm de novo scissuras, ubi plerunque non est opus, diloricandas. Pax autem illa* Iesu Christi, *quam legavit testamento abituriens hinc, & deposuit illam apud Ecclesiam suam,* τὴν καλὴν παρακαταθήκην *(illam sanguine redemptam suo) ad Vnionem Pacis, Externæ, Internæ, Æternæ, illa est ad quam omnes anhelare debent, & velis, quod aiunt, remisque contendere. Nec abhorret, ut vulgò opinari solent, huius nostræ Ecclesiæ* Anglicanæ *suffragium & sententia, communi firmata consignatione, cùm in publicis quotidie Liturgijs precemur, Vt qui nomen tuum, Christe, sanctissimum profitentur: hoc est, qui de* Christo, *appellantur* Christiani, *in veritate Dei verbi complectendâ, conspiratione animorum consentientes, in Concordiam illam unicam reducantur, quâ par est fratres inter se copulari.* Deus *autem Pacis, qui reduxit de mortuis, summum illum & maximum Pastorem ovium, Dominum nostrum* Iesum Christum, *per sanguinem æterni sui testamenti; in omni bono opere confirmatos nos custodiat, & conservet, ac stabilitos reddat, ad perficiendam ipsius optimam voluntatem, & sanctissimam: operatus in nobis omnibus illud quod ipsi placitum, & acceptum fuerit in conspectu eius in finem: Idq; per* Iesum Christum, *cui sit gloria, & honor in sæcula sæculorum.*

AMEN.

Errata Typographica.

PAg. 6.lin.37. *pro* recluvias *lege* reduvias. p.11.l.5. *à fine*, tum. p.12.l.7.repræſentata. p. 19. l. 3. Intonarent. p.29.l.21. ἐνυπόστατος. p. 33.l.4. diſtingue ſic: differenti. De Patribus. p.39. 14. Contentos. ſufflaminatos. p.43. l. 33. τὴν ψῆφον. p. 48. 14. fine. p.54.l.16.titi villitijs. p. 58. l.22. audiſis. p.67.l.5. *à fine, lege*, tute doceas. p.75.l.34. δραςήειος. p.76.l.11. inunctus fuerat. l.31.aliter. 32. *diſtingue ſic:* per Iſaacum Deus, Futurum. 33.excuſſo. p.77. l.10. conſenuiſſet. l.13.at qui. l.22. concives. 29. παρχαίων. 30.vocantur. 39.ducebant. 47.δυσχυείας κρυομ. 48. οἰόμενος. p.84.l.3.faſſi. 25.πῆζος. p.86.l.13.ubi de p.88.l.20. *dele punctum poſt*, Inſitionem. p.94.l.6.maculam. p.96.l.2.ducit.l.18. Ιουδαίοις. p.104.11. ſequioribus. p.105.l.13. ἐνέμειναν. p.107.l.4. diſſeminatur. *ult.* Illi. p. 108. 8.ulli. p. 109. l.3. Semones. p.110.l.1.vis. 30.adamem. p.118.8. gloſſæ.Scaligero. p.120.l.25. σκωληκόβρωτος. p.126.l.9. quâ ſunt uſi. p.127.l.6. ſylloge. Dodoneæ. p. 129. l.4 graſſatus. p.138.l.*ſextâ à fine*, appareat. p. 139.l.11. Illis. nec ad illam ſe. l. *tertia à fine*, ſumpſiſſe. p.147. *ſexta à fine*, quàm quindecim viris. nõ eædẽ, s.d. quod dicemus. p.149.5. à fine Attilij inſuta. p.151.l.32.vel illi. 34.rectũ. p.135.3.reſponderent. 31.tuis. p. 156.*ſexta à fine*, unquam. p.163.l.3.aiunt. p.170. l.29. ſi, certò. p.180.13. ambiguitate. p. 181. l. *ſecunda à fine*, tacitâ tantam. p. 183. 4. θριπόβρωτος. p. 195. l. 11. Phole. p. 201. l. 19. videri. p.209.l.36. ἀνατεθείκασιν. p.215.l.17. quod. p. 220. l. 16. morboniam. p. 232. l. *ſextâ à fine*, δικασάμενον. l. penult. Regi. p. 271.l.30.loquantur. p.272.l.3.moriens. p.282.l.14. hunc. p. 282. l. 39. proſcindit. p. 283. l. 2. contingat. p.285.l.12.redegerat. p.298.l.5.Laynes. p.306.l.31.barbarie. p.310.l.4.*à fine*, indixit. p. 311. *dele punctum poſt* δράγμας. l.6.propterea quod. p.320.l.32. ἐπηρεάζετο. p. 330.l.*quintâ à fine, lege* Fratri non ſupervixit: at quàm diu vixit, habitus, &c. p.333.l 27. Quam per ſe. p.347.l.ult. ſuggerunt. p. 348 l.28. *dele punctum poſt* repugnare. p.353.l.3.Nam ab. l.20.defunctus eſt. l.22. *diſtingue:* à Malco quodam Arabe. Illo. l. 29. μέρη φόρων. p.359.l.4.mimicam. p.361.l.30.ductum. p.377.l.24. & antiquiſſimæ. l.27.ſed ut adverſarum. p.378.l.27 celebraſſent. p. 379. l. 2. Erant. p. 380. penult. & alter. p. 381. l. 5. ἐναργῆ. p.382.16.λεγουσι. l.30. Panarij. p.384.l. 33. Non tum. p. 385.ult. θεόσφατος.

EXERCITATIO I.

Sect. I.

Fides erat eadem Sanctorum omnium. Ignatij sententia, locus depravatus, correctus. Iustini locus de salute Paganorum, non rectè acceptus à Baronio. Mestræi hallucinatio. Ignoscendum mutuis Doctorum παροράμασι. *Socratis accusatio.*

IESVM CHRISTVM Dei Filium factum hominem, de Virgine matre, sanctissimâ Mariâ, in tempore apud Patrem præfinito, carnem sibi nostram induisse, firmissimè tenet, & constanter tuetur Ecclesia Dei. Eundem ita filium hominis factum, factum sub lege, quia voluit, mortem subijsse pro peccatis multorum, eosdemque, pretio persoluto, in libertatem vindicatos asseruisse, & ad certam spem, jam præparatæ hæreditatis, in summo cœlo, evexisse, illa ipsa confitetur Ecclesia Dei. Quod Redemptionis nostræ beneficium, non debemus ita cogere in angustum, ut ad illos tantummodò dicatur attinere, qui ex illo tempore, quo mundo innotuit revelatum, in fide Iesu Christi obdormiverunt, sed ad illos pertingere ex æquo omnes, quotquot ab Abele eo justo, à jactis mundi fundamentis, in semen promissum crediderunt. Fuerat enim Christus Iesus, *Agnus occisus ab origine mundi.* Neque populus tantùm ex Ægypto redux, sed & sancti insuper ab Adamo omnes, *eandem escam comederunt, & biberunt eundem potum spiritualem.* Quocircà beatus Martyr Ignatius, in illâ suâ ad Magnesianos scripsit, Οἱ θειότατοι Προφῆται, κατὰ Χριστὸν ἔζησαν Ἰησοῦν· διὰ τοῦτο καὶ ἐδιώχθησαν. *Divinissimi Prophetæ illi olim, vixerant secundùm Iesum Christum, atque ideo patiebantur persecutionem.* Nimirum hoc est, secundùm spem de suscitando illo olim semine promisso: secundùm fidem vivam in Redemptorem, futuris temporibus revelandum, qui Iudæis pariter atque Gentibus salutem æternam procuraret. Quam eandē sententiam diffusiùs deinde persequitur idem Pater:

Οἱ μὲν ἐν παλαιοῖς γράμμασιν ἀναστραφέντες, εἰς κοινότητα ἐλπίδος ἦλθον, ἐκδεχόμενοι τὸν Χριστόν, ὡς ὁ Κύριος διδάσκει λέγων· Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν· καὶ ἴδε, καὶ ἔχαρε· πρὶν γὰρ Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. *Illi igitur, qui in vetuſtâ illâ diſciplinâ verſabantur, in ſpei communionem expectantes Chriſtum, unà Nobiſcum devenerunt. Hoc & ipſe Dominus teſtatur, inquiens: Abraham ille Pater veſter, exultavit ut videret diem meum: vidit autem & gaviſus eſt: Nam priuſquam eſſet Abraham ego ſum.* Correctiùs hunc locum Ignatianum deſcripſi, quàm in nuperâ editione circumfertur Martialis Meſtræi, Theologi Pariſienſis. Falſam ille ſententiam beato Patri affingit, ἀπροσδιόνυσον, & inconſequentem, neque ſolùm, ſed Hæreticam inſuper & blaſphemam. Mens divini viri iſta eſt: concurrendum Nobis eſſe, & conjunctis animis confluendum, ad Ieſum Chriſtum Dei filium, humani noſtri generis ἀπολυτρωτήν. Hoc ut luculentius probaret, repetitis è vetuſtâ memoriâ Prophetarum exemplis & Patriarcharum, à minori ad majus ſic concludit: Si qui olim vetuſtis elementis adhærebant, & diſciplinâ iam antiquatâ imbuebantur: qui, priuſquam factus homo ἐπιδημήσαι ἐν ἡμῖν Servator, collecti ad ſuos Patres, iniverant viam univerſæ Carnis, in communem tamen ſpei ſocietatem, vnà Nobiſcum devenerunt, dum expectant Chriſtum exhibendum; Nobis exhibitum & patefactum: tùm multò certè magis nos oportet, eidem revelato adhærere. Ita enim ſequitur apud Ignatium: *Quo modo nos poterimus abſque illo vivere, cuius ſervi, cum extarent Prophetæ, Illū in ſpiritu præviderunt, & tanquam Præceptorem præſtolabantur, non ſecus ac Dominum expectabant, & ſervatorem ſuum dicentes, Ipſe veniet, & ſervabit nos.* Hæc eſt illius ſententia & mens germana: Illam verò audiamus, affictam ab editore: *Si vetuſtis*, inquit, *literis, Scripturiſq; adhærentes, in ſpem vanam devenerunt expectantes Chriſtum, ut docet Chriſtus; dicens*: Itane verò, erudite vir, In vanam devenerunt illi ſpem, qui Chriſtum, olim venturum expectabant? Patriarchæ, Prophetæ, ſancti omnes? atque id ut docuerit etiam Ieſus Chriſtus? Ieſu veritas & via, tuam fidem! ſiccine tu Apoſtolos docuiſti tuos? Sic Ignatium ipſorum φοιτητὴν (nam Iohannem ſaltem audivit in Aſiâ) Apoſtoli, à te edocti, erudiverunt? Certumne eſt Prophetas, & Patriarchas omnes, Abrahamum, Moſen, Dauidem, Eſaiam, & Malachiam, vetuſtis elementis inſtitutos, dum Chriſtum præſtolantur Redemptorem, in ſpem prorſus vanam deſcendiſſe? Idque ipſum, Ieſum Chriſtum αὐτοκήρυκα vivâ voce docuiſſe? Idque per Apoſtolos ſuos, tanquam doctrinæ cœleſtis παρακαταθήκην, curaſſe ad poſteros derivandum? Miſerrimi Patriarchæ: fallentes & falſi divini vates: ſpe ſuâ exciderunt, & expectatione: & quod planè eſt deploratiſſimum, à Deo ipſo, non alio, in fraudem deducti, καὶ πεφενακισμένοι. Scio, te dicturum hic, Martialis, Os planè impium & blaſphemum, qui vel per ſomnium tam horrenda deblateraverit. Tu tamen Ignatio, beato Martyri, tam horrendam affingis impietatem. Recognoſce etenim apud illum, in tuâ nuperâ editione, κενότητα ἐλπίδος diſertè ſcriptum. Imò tuam lege ipſius inconſultò poſitam verſionem: *In vanam ſpem devenerunt expectantes Chriſtum.* Cauſari Typographicum errorem nequis: non operas, ut Lutetiæ mos eſt, negligentes. Dixiſſem, operarum culpâ præſtandum, qui κενότητα ἐλπίδος, proclivi lapſu, ediderunt, quum κοινότητα deberent repræſentare, ſi non tuam adjeciſſes verſionem, *In ſpem vanam devenerunt*, qui ſic debueras conſignaſſe, *In ſpei communionem.* Librorum carnifices, ubi tum Cenſores, auriti nimis, oculatique interdum? Huic ſi quid ſimile, etiam aliud agens, ut tute loco iſto, quis ἐξ ἐναντίας admiſiſſet, audiſſet illicò

illicò intonantes magiſtros, Hem Caſca, Heus Ruſcio, expedi virgas : certa crux. Genebrardi Feuardentij, Reginaldi, Giffordi, Andreæ, Cacodæmones Cydonij, tu fortaſſis ipſe Martialis, quas non Tragœdias de Atheïſmis, Turciſmis, blaſphemijs impiis excitaretis ? ut omnino magni referre debeat eruditis, *Inter bonos benè agier* ; & erroris veniam, ſi quis inciderit, mutuò dandam & accipiendam. Tu autem, qui Ignatium tàm *accuratè* legeras, debueras omnino meminiſſe, Ieſum Chriſtum, apud illum in Epiſtolis, decies, credo, κοινὴν ἐλπίδα, ſalvandorum quorumcunque nominari. A cujus viri, ut ſanctiſſimi, ita omnium antiquiſſimi, veriſſimâ cum primis & Orthodoxâ ſententiâ, plerique veterum Patrum non receſſere, qui ſub unâ eâdemque communione ſingulos fideles deſcribendos concludendoſque opinabantur, qui Domini adventum, & συγκατάβασιν præceſſerunt, cum illis ſanctis qui Chriſto jam exhibito, addicti ſacramento, nomina dedere. *Et ſicut totus homo* (quod obſervat eleganter Auguſtinus) *dum naſcitur, etiamſi manum præmittat in naſcendo, tamen univerſo corpori ſub capite coniunctus & compactus eſt, quemadmodum etiam nonnulli ex Patribus, in huius rei ſignum, manu præmiſſâ nati ſunt, ita omnes Sancti, qui ante Domini noſtri Ieſu Chriſti nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati ſunt, tamen corpori univerſo, cuius ille caput eſt, ſub capite cohæſerunt.* At verò, non quemadmodum Auguſtinus Orthodoxè cum multis aliis Patribus iſta ſentiebat, ita *Iure laudandus eſt Iuſtinus Martyr, qui cenſuit Chriſtianos eſſe nominandos, quotquot è Gentibus, licet Chriſti adventum præceſſerunt, ratione,* μετὰ λόγου *dixit ille ſermone Græco, vixerunt,* ut in ipſo limine Apparatus ſui ad Annales, doctiſſimus Cardinalis opinatur. Certè alterum è duobus non effugiet πολυγραφώτατος ille Eccleſiaſticarum rerum concinnator, ut vel mentem Iuſtini non ſit aſſequutus, ſed perperam acceperit authorem ſuum, id quod minimè decebat tantum magiſtrum in Iſraele, μηδὲ ἀρχόμενον τῆς ἱστορίας : vel Iuſtino ſe adjunxerit συμφοιτητὴν, in illâ opinione propagandâ, quam apud eruditum Retaliatorem, *blaſphema caterva ſacramentariorum*, dicitur propugnare ; de ſalute Paganorum, ſine Ieſu Chriſto acquiſitâ & procuratâ. Non enim eo loco Iuſtinus Martyr, de credentibus in Chriſtum capiendus eſt, ut falsò perſuaſum Cardinali, quos Eccleſia docet cum Auguſtino, ad Dei populum ſpectare, & cœtum, in cœlis ſalvandorum : ſed de ſolis eis inter Gentiles, qui *vivebant ſecundùm rationem civilem* (quod appellat ille μετὰ λόγου) utcunque de ſemine mulieris : de futurâ per Chriſtum reſtauratione, & imagine divinâ refingendâ, nec ſpem habuerint nec intellectum, neque ſenſum. Anne tu, doctiſſime Cæſar Baroni, *Iure iſta cenſita* pronuntiaveris, *à graviſſimo Authore Iuſtino Martyre ?* Illorum igitur albo inſcribaris oportet, *Qui falſos Ethnicorum deos, qui ſacrilegos Pontifices, qui impios crudeleſque Duces, ſine fide, ſine Chriſto, cœlis intulerunt,* ut in Zuinglium & nonneminem è Proteſtantibus, deſevit Retaliator. Sed fortaſſe Iuſtinum aliorſum trahimus, nec ad mentem planè interpretamur. Id velle videtur, vir eruditus in nuperis tabulis ad legem talionis Caſaubonianæ. Sed rem ipſam è Iuſtino diſputare intutum ratus, ad Sixtum Senenſem nos ablegat informandos. Sixtum verò jampridem conſulueramus, neque tamen potuimus deprehendere, cauſam hanc deciſam determinaſſe. Erit autem pretium operæ recitaſſe ipſiſſima Iuſtini verba, Cardinali Annaliſtæ commemorata ex apologiâ poſteriore.

Τὸν χριστὸν τοῦ Θεοῦ πρωτότοκον εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε. καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν, οἷοι ἐν Ἕλλησι μὲν *Pa.153.edit. Rob.Steph.*

Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς· ἐν Βαρβάροις δὲ Ἀβραάμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ Ἡλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. *Christum Dei filium primogenitum fuisse docti sumus. Eundem autem in præcedentibus docuimus, illam existere rationem, cuius facti fuerunt participes, humanum genus universum. Qui vitam autem secundum illam rationem transigebant, licet Athei planè habebantur, erant tamen Christiani. Huiuscemodi fuerant apud Græcos, Socrates, Heraclitus, & hisce similes: apud Barbaros, Abraham, Ananias, Azarias, & Misael, Elias & complures alij.* Quibus mox subnectit in eandem sententiam, *Adeo ut prædicti viventes sine ratione, inutiles fuerint & Christo hostes, eorum necnon interfectores qui vixerant cum ratione. Illi autem, quicunque demum illi fuerint, qui vivebant & vivunt cum ratione, Christiani sunt.* Hæc totidem verbis Iustinus Martyr, philosophos illos, & illis similes, nomine dignatus & titulo, Christianis: quos non veretur composuisse, cum Fidelium parente, Dei amico Abrahamo; non inferiores judicatos recensere, cum Eliâ Prophetarum θαυματουργοτάτῳ. Neque alio quoquam nomine, quam quod, persecutionem passi, virtutis ergo, visi sunt abhorruisse ab Idolis, Dei Monarchiam cognovisse, facti participes τοῦ λόγου, & deducti ab illâ ratione, ad cognitionem Veritatis. Hinc in alterâ apologiâ ista docet: Philosophos imprimis, si quid olim καλῶς ἐφθέγξαντο καὶ εὗρον, id omne quidem adinvenisse, per λόγου illius, quem volebat, communionem. Non tamen consequi potuisse dicendo vel cogitando τὰ τοῦ λόγου πάντα. Horum tamen quosdam judicio postulatos, de crimine tantum non Christiano, quod essent περίεργοι καὶ ἀσεβεῖς: Christum intellectum ἀπὸ μέρους ab horum Socrate præstantissimo, qui de crimine Christiano caussam dixit, Dei scientiâ & adoratione. Certè Socratis erat ista accusatio, Ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσαγόμενος. *Læsæ maiestatis Socrates tenetur, qui Deos non credit illos esse, quos urbs Atheniensis putat Deos: sed qui novitios & nuper habitos indigites introducit Deos.* Ita liquet, quid voluerit Iustinus Martyr: Gentiles nempè, natos ante Christum incarnatum, ad vitam æternam & salutem, etiam sine Christo pervenisse: absque Christi præviâ cognitione. Nam quid aliud potuit intelligere, cum contendit, *Christianos appellandos?* comparet cum Prophetis & Patriarchis, qui futurum Messiam opperiebantur. Nam quod videri possit secundo loco asperitatem sententiæ prioris mitigare velle, cùm ascribat illis tanquam αὐταρκοῦσαν illam ἀπὸ μέρους cognitionem, hoc certum est, nolle illum eam fidem rudiorum infirmam, aut ut vulgo vocant implicitam, quod viri sentiunt eruditi, Senensis sequuti annotationem: sed μικρὴ fides Iustini illa est, quæ cuivis inesse potest imperfecto, ratione communi prædito. Nimirum quod μετέχει illius λόγου, cujus cùm participes esse doceat quotquot ubiq; sunt mortales, (ita enim pronunciat disertis verbis) quid est in caussa cur non dicam Socrates vel Heraclitus, & his simillimi, notæ melioris heroes, sed homines singuli & universi, qui non expectoraverunt rationē omnem, salutem æternā non consequantur? Sixtus autem Senensis, ut in transcursu notem, ad quem nos rejecit in Talione vir eruditus, immensi laboris author & industriæ fuit, lectionis infinitæ, doctrinæ reconditæ, memoriâ tamen lapsus est in hac ipsa re, dum scriptū refert à Iustino, in libro Quæstionū à Gentibus propositarū, quæst. VIII. quod descriptū à nobis cōmemoratur ex apologiâ. Nam certè neq; scriptum est quæst. illa, nec alibi extat per illū librū: neq; liber est Iustini, vetustissimi Martyris, sed ψευδεπίγραφος, adulterinus fœtus, scriptoris novitij alicujus, longè infra ætatem Iustini Martyris, atq; eruditionem quoque confidentis.

Pa. 132.

SECT.

Sect. II.

Clementis Alexandrini de eâdem re ſententia. Multi eiuſdem loci diſcuſsi. Chryſoſtomi duriora dicta. Epiphanius explicatus. Is, & Auguſtinus vindicantur.

NE verò vir doctiſſimus poſtuletur, quaſi qui ſententiæ alias inauditæ ſolitarius extiterit propagator, ſciendum eſt authorem penè tam antiquum quàm eſt ipſe Martyr, & uſque ad miraculum eruditum, Clementem nempè Alexandrinum, in eâdem verſatum cum eo, incommodâ opinione, de Chriſti minimè requiſitâ ad vitam æternam cognitione, uti rectè Senenſis, & è Senenſi notavit Exercitator. In ſexto Stro. affirmat Clemens, Deũ gemina dediſſe Teſtamenta, Iudæis legem, philoſophiam Gentibus. Et quemadmodum Iudæos conſtituebat apud ſe, perducere ad ſalutem, Prophetas excitando mittendóque, ſic etiam Ἑλλήνων δοκιμωτάτους ſervare voluiſſe, proprios ipſorum dialecto Prophetas excitando. Cenſuit ergo Sibyllas, nam de ijs loquitur, in illum finem miſſas, θεοφορουμένας, ut ad Dei unius cognitionem, ab Idolorum furore & vanitate, quod quidem illæ munus peregerunt ſtrenuè, Gentiles provocarent, uti Prophetæ Iudæos admonebant: utrique autem illos, ad quos mittebantur, ad æternæ vitæ præmia perducerent, ſine Chriſto tamen, & mediatoris ullâ ſatisfactione. Et pag. 295. Legem illam latam miniſterio Moſis, & Paganorum ἐφόδιον philoſophiam, pari paſſu inducit ambulantes, eidemque fini inſervientes, uſque ad adventum Chriſti Domini, qui veteribus omnibus antiquatis, omnia & ſingula renovavit. Quæ ne perperam intellecta cauſetur aliquis Lib. 1. pag. 121. hæc totidem verbis pronunciavit: Ἦν μὲν οὖν καὶ πρὸ τῆς κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην ἀναγκαία ἡ φιλοσοφία: *Priuſquam Dominus in carne adveniret, ad iuſtitiam neceſſariò Philoſophia requirebatur.* Iuſtitiam vult, quâ juſti coram Deo, & ſalutis capaces conſtituimur, Chriſti meritis aſcribendam, ſanguine ejus fuſo, procuratam: tunc ſcilicet cùm funderetur, & ad omnem deinceps poſteritatem derivatus tranſcriberetur, cujus vices apud ſæculum prius, obibat philoſophia inter Gentiles. Et quamvis hujus dicti duritatem mollire conetur in ſequentibus, diſtinctione quâdam interpoſita, quaſi Lex divina, & Scripturæ ſacræ, in hunc finem tenderent κατὰ προηγούμενον, Philoſophia verò κατ' ἀκολούθημα, ſubjungit tamen mox, quaſi dicti ſui pœnitens & diſtinctionis, Τάχα δὲ καὶ προηγουμένως τοῖς Ἕλλησιν ἐδόθη τότε, πρὶν ἢ τὸν κύριον καλέσαι τοὺς Ἕλληνας. Ἐπαιδαγώγει γὰρ καὶ αὐτὴ τοὺς Ἕλληνας, ὡς καὶ ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους, εἰς δικαιοσύνην. *Fortaſsis autem tunc etiam ex antecedenti, Paganis dabatur Philoſophia, priuſquam Gentiles vocaret Dominus. Nam ad inſtar Pædagogi Græcos erudiebat, quemadmodum Hebræos adducebat Lex.* Et adhuc apertius & animoſius, pag. 137. Καί τοι καὶ καθ' ἑαυτὴν, ἐδικαίου τότε τοὺς Ἕλληνας ἡ φιλοσοφία. Quo quidem in loco, qui ſic pronunciat, *Per ſeipſam Philoſophia, tunc temporis, Paganos iuſtificabat*, non hoc volebat ſic intelligi, eſſe illam βαθμὸν καὶ ὑποβάθραν τῆς εἰς Χριστὸν ἐπιστήμης σωτηριώδους, *gradum quendam, & ſcalam ſalutaris ad Chriſtum ſcientiæ & cognitionis*, (ut alibi rectius loquitur Stromateus) quemadmodum hæc duriuſcula, doctiſſimi ab utrâque factione viri iverunt excuſatum. Agnoſcimus hoc ipſum quàm libentiſſimè, & Philoſophiæ dignitatem ſuam, atque gradum, per creaturas deducendi ad Creatorem, ſartum tectum cuſtodimus. τὸ γὰρ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, etiam hoc modo, docuit

Pag. 270. edit. Com.

docuit communicari beatus Paulus. Sed quominus hoc gradu contenti ſimus, facit ipſe Clemens, qui diſertis verbis ſcripſit, *Iuſtificare Philoſophiam: Ex Antecedenti, & Per ſe iuſtificare,* in ſuis principijs naturalibus, & per propriam, dicam barbarè, extenſionem. Iuſtificare autem, ad ſalutem: non ad gradum vel menſuram majoris indulgentiæ meritoriam. Eodem nempè modo intelligebat, per Philoſophiæ vim & ἐνεργείαν, juſtificari homines potuiſſe coram Deo, quo per gratiam Euangelij juſtificantur in Chriſto, juſti facti, & vitâ æternâ donati. Hæc & alia paſſim his ſimilia, antiquus ille ſcriptor & eruditus Clemens, quæ nullo modo poſſunt excuſari, vel interpretatione extenuari. Ioannes autem ὁ πάνυ, ὁ χρυσοῤῥήμων, eandem fovet & tuetur incommodam opinionem, locis illis per Caſaubonum è Sixto Senenſi recitatis: homil. præcipuè

To.2.p.248. edit. Etonenſis. 37. in Matth. quæ ſic transferebat Anianus. *Sed magna (inquis) iniuria hac ratione illis fit, qui ante Chriſti adventum Naturæ conceſſerant. Minimè (inquam) fit: Poterant enim homines tum, ipſum non confeſſi, ſalvari. Non enim Chriſti, qui nondum venerat, cultus ab ijs petebatur, ſed ut Idolorum cultu ſpreto, unum ſolum Deum, omnium conditorem noſcerent. Iccircò Macchabæi ſunt admirationi, qui ne legem proderent, maluerunt mori. Valdè admiramur pueros quoque illos tres, alioſq; complures apud Iudæos, qui benè vixerant, & hanc menſuram cognitionis inviolatam conſervaverant: à quibus nihil amplius petitum eſt. Tum enim, ut diximus, ſufficiebat unum ſolum Deum noſſe. Nunc autem non eſt ita, ſed eſt ad ſalutem neceſſaria cognitio Chriſti.* Nec contentus rem nudè propoſuiſſe Chryſoſtomus, rationem annectit in ſequentibus, quam ſic idem tranſtulit Anianus: *Quod autem qui antè Chriſtum obierunt, ac ideò illum non cognoverunt, ſi ab Idolorum cultu receſſerant, ac Deum ſolum adoraverant: ſi vitam præterea honeſtè peregerant æterna bona ac beatitudinem adipiſcentur, audi quid dicat Paulus, Gloria autem & honor & pax, omni operanti bonum, Iudæo primum, tum Gentili.* Commemorat adhuc alia Sixtus Senenſis, quæ ſunt ab eodem mellitiſſimo ſcriptore, in eandem ſententiam alibi diſputata. Sunt & alia præter illa Sixtiana: in quibus non recedit, nec diſſentit à prioribus, ὁ χρυσοῤῥήμων. Sunt qui vellent excuſata iſta omnia, & excuſant ipſi, præſertim verò Chryſoſtomiana: quaſi nihil aliud illi in animo extitiſſet, quàm illuſtrem illos cognitionem ſingulorum fidei capitum atque articulorum & explicatiſſimam non percepiſſe. Neque ſanè requiſitam fuiſſe fidem explicatam & illuſtrem, ſed tantummodo implicitam, ad ſalutem. Hæc è Sixti officinis profecta medicina, ita mirum in modum pleriſque arriſit & complacuit τῶν χειρουργούντων, ut tanquam παγχρήστῳ quodam emplaſtro, & diamalagmate, ſtrumas vetuſtiorum & recluvias omnes lenire ſe poſſe putent & perſanare, ne dicam vulnera & carcinomata. Sed videbimus ſtatim de illâ pluribus, nunc ſequentia perſequamur. Sunt adhuc, qui his accenſent Epiphanium; qui, virum incomparabilem Auguſtinum: ſed profectò beatus Auguſtinus, ſi quis alius aliquando, longiſſimè abhorrebat ab hac perversâ opinione: & nulla eſt nubecula quæ non poſſit detergi levi negotio, apud Epiphanium. Incaleſcit ille Pater, uti par fuerat, contra Manichæos, Hæreticorum fœcem, & ſentinam. Illorum

To.2.p.298. unum erat, inter ſexcenta, delirium & portentum, Neminem, quotquot vixerant olim, ante annum Tiberij xv. ſalutem æternam conſequutum, Prophetarum & Patriarcharum antiquiorum. Cujus delirij refutationem ſic inſtituebat eo loco Epiphanius, ut docuerit è ſcriptis Euangelicis, Abelis illius juſti ſanguinem, & aliorum etiam ex æquo juſtorum, qui illum inter & Zachariam

vixerant,

vixerant, à Iudæis vindictam, quod docuit Christus, efflagitare. Deinde, ubi docuerat è scriptis Apostolicis, quo in loco legitur, *Duravit mors ab Adamo ad Mosen*, mortem exercuisse tyrannidem suam importunam in omnes homines, subjungit, In Mose autem, ἀνεκόπη ὁ θάνατος, intercisa est ad tempus, & impedita mortis efficacia aliquatenus, non autem παντάπασιν ἠφανίσθη, *omnino evanuit, & penitus abolita est illius vis & potestas* : at in Christo, inquit, passo, mortuo, sepulto, resuscitato, abolita est illa prorsus & excisa. Subjungit autem istis Epiphanius, illa quæ vocantur in quæstionem. Ἀλλ' ἔπω ὁ ἔγγραπτος νόμος, ἀλλ' ὁ κατὰ φύσιν, ἐκ διανοίας καὶ ἐκ παραδόσεως κατὰ διαδοχὴν τῶν πατέρων πρὸς τοὺς υἱοὺς· Ὅτε δὲ τηλαυγῶς ἐξετήθη ὁ νόμος, ἐγένετο ὡς εἰπεῖν, μάχαιρα διχάζουσα τὴν δύναμιν τῆς ἁμαρτίας. Ὅτε δὲ ὁ Σωτὴρ παρεγένετο, συνετρίβη τὸ κέντρον τοῦ θανάτου. *Sed scriptis illa consignata Lex, nondum obtinebat, sed illa quæ fuit secundùm Naturam solam : quæ de mente humana, & naturalibus notionibus* (id enim vult) *& Traditione Parentum, per successionem descenderat ad posteritatem. Verùm ubi apertè promulgata fuit Lex, factus est, ut ita dicam, quasi gladius quidam dividens vim & potestatem peccati. Cùm tandem adveniret ad extremum Servator, contritus est penitùs aculeus ille mortis.* Quæ nihil prorsus ad rem faciunt. Salutem æternam consequuti sunt, haud dubiè, non pauci è vetustioribus, qui Naturæ concesserant, etiam ante legem ullam latam, & scriptis per Mosen traditam. Nec illos qui diluvio obvoluti & suffocati interierunt, omnes & singulos existimaverim æterno supplicio mancipatos & addictos. Vigebat etiam tunc adhuc illa Naturalis Lex, cujus quidem dictata, non scripta, sed animitùs insita & imbuta, per manus ad posteros derivabantur. Revelabat se Dominus per illa tempora frequentiùs αὐτοπροσώπως, per se, & nondum incarnatus, ἀνθρωποειδῶς : vel per suos de Cœlo internuntios, qui de revelatâ voluntate Patres illos priscos faciebant certiores : in eum autem finem, ut sic ipsi Deo εὐαρεστοῦντες, ad æterna tabernacula suis quique temporibus transferrentur. Nec credendum est Deum voluisse in illâ alterâ vitâ tanquam peregrinos & hospites vix agnoscere, nedum ut perduelles aversari, & omni suo, & sanctorum Angelorum consortio exclusos in æternum privare, quos ipsos aliquando habuerat in hac vitâ familiares, & Angelorum ministerijs assuefecerat. Sequuta est demum Lex per Mosen lata; Dei digito ipsius in lapideis tabulis exarata. Obtinuit illa vim suam usque ad τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, & Christi incarnati συγκατάβασιν. In Dei populo, per illa tempora, ingens quidem multitudo. E Gentibus interdum, unus alter, in cœlestem transcripti coloniam migraverunt, etiam tum cùm regnaret Mors, usque ad Mosen : valeret autem plurimum, & obtineret suam vim, usque ad ἐνσάρκωσιν θεοῦ λόγου. Qui tamen non aliter conscripti, in cœlestem coloniam, quàm Christo ductore migraverunt. Nam sine illo Advocato, Mediatore, Arbitro, Sequestro, nemo unquam Civitatis cœlestis jus habuit, vel possessionem in Terrâ viventiũ. Illo Redemptore interveniente, inchoata : illo exhibito, ἐτελειώθη ita olim inchoata, & aliquantisper suspensa, salus. Ἔσωσε verò, ait Epiphanius, διὰ πολλῶν τρόπων· ὁ δὲ τέλειος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν ἐγένετο. *Multis utique modis servabat Deus* (cùm servaret scilicet, homines) *Perfecta autem planè salus, & omnibus suis numeris consummata, in Christo Iesu, procurabatur.* Modi illi multi, non sunt oppositi vel inter se, vel illi omnium perfectissimo modo : sed diversi, sed subordinati modo illi perfectissimo. Christus etiam Iesus Dominus noster, coarctandus non est, in Dominij ratione, nedum procuratione salutis nostræ, quasi nec Dominus nec Servator extitisset priusquam clamaret in Cruce,

Cruce, Conſummatum eſt, aut in Iordane lavaretur. Apage blaſphemam hanc ταπεινότητα. *Chriſtus enim Ieſus heri, hodie, idem & in ſæcula ſæculorum.* Sed in illo Ieſu Chriſti ἀνδραγαθήματι, contritus eſt mortis & inferni ſtimulus, & ſalutis viæ omnes atque rationes, redditæ multo quàm erant antea illuſtriores. Multi erant olim modi, Chriſti nimirum revelandi, & ſalvandos ad Chriſtum perducendi. Sed ſalutis author unicus, unus modorum diſpenſator, Dominus Deus, factus homo, in quo ſolo, ut ſervantur qui ſervabuntur, ita quoque ſervati ſunt, qui ſunt ſalutem conſequuti. Ita nulla eſt nubecula apud Epiphanium, ſed ne ſuſpicio quidem, de ſalute alicujus, citra Chriſtum procuratâ vel procurandâ. Illud addo, loquutum hunc Scriptorem de Patriarchis & Patribus, quibus olim Dei cultus innotuerat: ad Gentiles, & Paganos, non deſcendiſſe. Iuſtitiam, quibus juſti facti Deo placent, ultra Moſis ætatem & οἰκονομίαν extendit: non tamen protendit ad Philoſophos Paganorum. Abel, Enoch, Noa, alij, quos de nominibus compellavit, dum contra furores, & blaſphemias Manichæorum inſtat; quos ſalutem æternam conſequutos docet, nec ſpectabant ſcio, ad populum Iudæorum: ſed nec inter Paganos debent recenſeri: ut Gentes diſtinguuntur contrà Iudæos, religione nimirum & non ortu. Et illi etiam ipſi, non aliter ſalutem dicuntur conſequuti, quàm prout in Chriſto juſtificati erant & à Deo præordinati. Auguſtinus autem, ſi quis alius, longiſſimè ſemper abhorrebat ab hac opinione: ad illam etenim quod attinet, ſic legimus apud virum eruditiſſimum, Lib. XVIII. de Civit. Dei, cap. 47. *Nam nec ipſos Iudæos exiſtimo audere contendere, neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraëlitas. Populus enim revera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quoſdam, non terrena ſed cæleſti ſocietate, ad veros Iſraëlitas ſupernæ cives patriæ pertinentes, etiam in alijs Gentibus fuiſſe, negare non poſſunt. Quia ſi negarent, facillimè convincuntur, de ſancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena nec proſelytus, id eſt advena populi Iſraëlis fuit, ſed ex Gente Idumæâ genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus.* Et deinceps, paulò poſt: *Divinitus etiam proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus, etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eiq; placuerunt, pertinentes ad Ieruſalem ſpiritualem.* Et cap. XXIII. ejuſdem Libri, Sibyllam ad hanc ipſam civitatem pertinuiſſe affirmat. Ita in ſalute, ante Chriſti Domini adventum diſtribuendâ, Auguſtinus exceſſit ad Gentiles, & Iudæos, illam olim celeberrimam mundi totius διχοτομίαν. Extra limites Palæſtinæ, ultra proſelytos & indigenas terræ Chanaan, cœleſtis Ieruſalem ſocietatem collocat, quod non eſt factum ab Epiphanio. Societatem verò, non illam viſibilem & συναγελαῖον: *Nam populus* (ait) *non fuit alius ab Iſraële, qui propriè Dei populus diceretur*: ſed tantùm ſecundùm hanc vel illam portionem, Iobum puta, & Sibyllas. Idem tamen, quo perpetuùm ſibi ipſi conſtet, & veritati, ſive apud Gentes quemlibet, ſeu Iudæos: ſive Iobum, ſeu Sibyllas: minimè omninò per Philoſophiam: ſive Moſen ſeu Prophetas, nequaquam Legis adminiculo, ſalutem adeptos profitetur, & confirmat. Nullos enim olim ſervatos contendit, niſi per unicum Mediatorem Dei ac Hominum, Hominem Ieſum Chriſtum. *Quod nemini conceſſum credendum eſt*, loco quo ſupra de Sibyllis loquutus eſt Auguſtinus, *niſi cui divinitus revelatus eſt, Vnus Mediator Dei & hominum, Homo Ieſus Chriſtus: qui, venturus in Carne, ſic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis veniſſe annuntiatus eſt: ut una eademq; Fides per ipſum omnes in*

Dei Civitatem, in domum Dei, in Dei templum perduceret prædestinatos. Absit enim, ait idem alibi, *ut sit in aliquo vera virtus nisi fuerit iustus : absit ut sit iustus verè, nisi vivat ex Fide. Fides autem ex auditu : auditus per verbum Christi.* Chryſoſtomus in aſſignatione ſuâ fines Palæſtinæ & veterem Synagogam illam, uti & Epiphanius, non exceſſit: ad Socratem non exorbitat vel Heraclitum : ne quidem Iobium vel Sibyllas. Ultra Macchabæos non progreditur, qui ſub tyrannide Seleucidarum, impio illo Antiocho Rege, illuſtre Martyrium, pro cultu patrio, & lege Dei ſcriptâ, ſubiëre. Quibus comites adjunxit pueros illos tres, qui de Idolis non adorandis, Regi Babylonico coram & in os, cum vitæ diſpendio, reſtiterunt. Tamen Chriſtum non ſupponit ſequeſtrem in cauſsâ : cujus nondum exhibiti, vel revelati, ait, cognitio vel fides non requirebatur. Iuſtinus autem Martyr, & πολυμαθέστατος ille Clemens, ad Gentes abeunt, & ad omnes viventes μετὰ λόγου : ad Philoſophos Paganorũ : non unum aut aliquem extra ordinem (id enim fieri potuit, & factum eſt, ut gratia Dei ſalutaris in lumine illo Iſraëlis, in vicinis Iudææ præcipuè gentibus, καθ' ἕνα, & κατ' ἄνδρα irradiaverit) modo viâq; peculiari, ſed ordinariè, ad illorum nationem, & eos omnes, qui ſecundùm rationem vixerant, ſine ullâ penitùs aliâ ſcientiâ Chriſti, vel participatione, niſi quatenus & in quantum, λόγος ἀνέκοψε καὶ ἀνεχαίτισε τὴν ἀλογίαν, *ratio interſcidit & renovavit irrationabilitatem.* Chriſtiani enim erant, & dici debebant Chriſtiani, dicebat ille, *Quicunque olim inter Gentes vivebant* μετὰ λόγου. Iuſtificabat Gentes, etiam per ſe: etiam antecedenter Philoſophia, quod pronuntiat doctiſſimus ille Clemens. Quod ipſum, *Iuſtificare impium,* eſt ſanguinis Ieſu Chriſti ἀνδραγάθημα & prærogativa. Non eſt igitur in confeſſo poſitum, ut cenſuit Baronius illuſtriſſimus, inter omnes Patres, non niſi in Chriſto, & per Chriſtum, ſalutem conſecutos illos omnes fuiſſe, quotquot à jactis Mundi fundamentis fuerant ſalvi conſtituti. Neque erat cur Caſaubonus ita leviter & perfunctoriè hæc attingeret, quaſi palàm profiteri contrariam ſententiam non auderet, cùm nullam prorſus habuerint, ne quidem obſcuriſſimam & tenuiſſimam de Chriſto vel ſuſpicionem Socrates, Heraclitus, hiſce ſimiles : quos tamen cenſendos Chriſtianos Iuſtinus Martyr arbitratur, hoc eſt, in cenſu reponendos ſalvandorum, & ad illorum præmia ſublevandos, qui in Chriſtum Redemptorem, ſpem & confidentiam collocabant. Cùm dicatur Philoſophia, illa ratio humana, quæ neque eſt Chriſtiana Pietas, nec habet quid commune cum Pietate, *Ipſa, Per ſe, Antecedenter iuſtificaſſe Gentiles* apud Clementem. Cùm diſertis verbis Chryſoſtomus affirmet, Chriſti cognitionem non fuiſſe neceſſariam, aut requiſitam ad ſalutem, cùm nondum Chriſtus carnem ſibi noſtram copulaſſet. Et profectò, ſi è vetuſtioribus nulli, hoc opinionis errore fuiſſent imbuti, contrà quam ſtatuit doctiſſimus Baronius, quid opus Philaſtrium Brixianum, in hæc verba ſtatuere tam vehementer : *Poetas falſos, & vanos Philoſophos, qui æſtimant ſalvari poſſe rebelles Deo ? errant illi peius & à veritate diſſentiunt, cum ſemina Paganæ impietatis, non alij niſi Poetæ illi vani, & Philoſophi, Deorum Dearumq; hominum ſenſibus ſeminaverint opiniones.*

Sect. III.

Sixti Senensis responsio de locis Chrysostomi superius allatis. Cavillatur Rosweydus de Fide implicitâ & explicitâ apud Casaubonum. De illa distinctione multa; parum hîc commodâ. Diversa mensura Fidei pro ratione subiectorum. Lazarus ignorabat Resurrectionem, juxta Chrysostomum. Fides implicita, qualis. Non apud Gentes.

Hic igitur cùm hæreret aqua doctissimo Talionis exactori, defunctum se putavit satis illo munere quod in se susceperat, vir valdè prudens & eruditus, si, quod ipse præstare nollet, aut non erat sustinendo, in Sixti Senensis humeros, onus rejiceret, ad quem nos consulendum remittit informandos. Consuluimus Senensem, vir erudite: quin & olim in hac ipsâ caussâ consulueramus, ante notas vel auditas tuas Leges de Talione. Sed nequaquam Sixtus satisfacit. Quippè soli Chrysostomo respondere conatur: Iustinum vel Clementem non attingit: cùm tamen ab illo de eadem re, diversam planè rationem isti inivverint. Deinde non aliter Chrysostomum expedit, quàm per illam detritam, & quæ jam οἴχεται κρόκας de Fide implicita, & explicatâ distinctionem: cujus cùm meminisset opportunè, ὁ μαγδείτης, Exercitator, per Senensem suppeditatæ, aut mutuatæ aliunde, doctissimus Rosweydus, cùm non esset opus, ita oggerit illi Sixtum manuductorem vel ecphantora, ad veræ Theologiæ, scholasticæ scilicet, adyta, & Scholasticorum mysteria; quasi prorsus fuisset ἀδυνάτων τι, virum multiscium, & planè πολυμαθέστατον, fieri, nisi per Sixtum prælucentem facem, arcanorum epoptem, & inspectorem. Neque tamen certus adhærescit effato, de Senensi manuductore suo, sed ab illo, quadam inconstanti levitate, ad Doctorem aliquem resilit Scholasticorum alium. Ita loquitur è lintre vir doctissimus, de neutro vel sollicitus, vel securus. Certè, væ Senensi τῷ μυσταγώγῳ, væ Doctori, quisquis erat ille Scholasticorum, (per quem sic profecit Exercitator) qui profanum ita hominem & ἀμύητον, arcanorum fecit inspectorem. At enim verò Mystagogo, non erat opus: neque pœna τῆς ἐκφάνσεως, Sixto Senensi intentata, vel cuicunque scholastico doctori irrogabitur. Nota magis nulli domus est sua, quàm Novatorum pueris: etiam à pedibus & clitellis: etiam lippis & tonsoribus, illa mystica adeo Fides & Theologia ἐν ἀποκρύφοις, de Fide implicita & explicata: ut minimè fuerit opus Exercitatorem, ad Sixti Senensis, vel cujusvis scholastici Doctoris scrinia recurrere compilanda. Illam autem ipsam distinctionem qua, veluti Macedonis quodam gladio, Gordios nescio quot nodos Magistri nostri solent dissecare, sinistrè prorsus adhibet eo loco Sixtus Senensis, & rem involutam minimè evolvit aut extricat. Respondet enim ille ut Chrysostomum expediat, non fuisse requisitam à salvandis omnibus & singulis ante Christum, distinctam quandam & apertam singulorum fidei Christianæ mysteriorum notitiam, quam non consequebantur, ait, omnes ante τὴν ἐνσάρκωσιν justificati. *Sufficiebat enim*, ait, *simplicioribus Iudæis & minoribus, redemptionis humanæ cognitionem habere, quandam, velaminibus sacrificiorum, ac ceremoniarum*

arum involucris implicitam. At rogo te, doctiſſime Conciliator, num poſt
οἰκονομίαν Dei Verbi, quotquot ſalutem conſequuntur æternam, illam habent
diſtinctam, evolutam, apertam & explicitam ſcientiam, & ab omnibus ex-
peditam difficultatum nodis, & ambiguitatum involucris, cognitionem, de
Chriſto Mediatore, myſteriorum ? Certè quidem habere eam oportet, è
vi neceſſariæ conſecutionis. *Ens* eſt ergo rationis, vel ſpectrum potiùs me-
rum & Chimæra, *Fides illa implicita* περιβόητος, ad quam in Eccleſia Catho-
lico-Romanâ adhæreſcunt animarum tot myriades, veluti ad anchoram
quandam ſacram, ναυαγησόμενοι in tempeſtate. Si ante natum Chriſtum & ex-
hibitum, Fides illa implicita ſufficiebat Iudæis rudioribus & minoribus;
certè quidem poſt Chriſtum incarnatum, & myſterium illud orbi propaga-
tum, & Lumen Gentium diffuſum, neceſſe eſt ut longè diversâ ratione ſe
res habeat, & provehatur conditio ſalvandorum. Hoc eſt, ut nulli ſint,
qui fuerant apud Iudæos, inter Chriſtianos rudiores, qui ſe per implicitam
illam fidem, & informem credulitatem ſperent ſalutem conſequuturos.
Nunc, enim, *non eſt ita*, Chryſoſtomus ait. *Nunc*, hoc eſt, hac rerum ſcenâ,
& revelationis acceſſione : quomodo erat *Tunc*, illa ſtante Moſaïcâ politiâ,
cùm notus erat tantum in Iudæâ Deus, & magnum, ſed in Iſraël, nomen
ejus. At illa rerum ſcenâ, ante Lumen diffuſum illud Gentium, Fides illa
implicita minoribus ſufficiebat, ait Sixtus, & ſimplicioribus Iudæis. Nunc
ergo, neceſſe eſt affirmet Sixtus, ſecundùm mentem & ſententiam Chryſo-
ſtomianam, aperta & explicita intelligentia, & Fides evoluta integumentis
omnibus, Myſteriorum Fidei ſingulorum, etiam in rudioribus deſideratur.
In Morboniam ergo hanc diſtinctionem, tam importunam, & incongruam
pietati, per quam ſubſiſtere, ut olim, adhuc non licet, illi Fidei implicitæ
tam decantatæ, tam apprimè requiſitæ Catholicis noſtris, ne tum cùm ad
illam Fidem ſufflaminandam, velut quædam deſtina, devocetur. Quæſo
te, Eriberte mi eruditiſſime, cùm è mente & ſententia Chryſoſtomianâ,
per neceſſariam conſequentiam conſtituatur, eſſe diverſam, & non eandem,
ſcientiæ menſuram requiſitam, in Nunc ſalvandis poſt exhibitum Servato-
rem, ab illa, ante Eum exhibitum efflagitatâ : cumque Tunc ſufficeret
implicita ſola Fides, Sixto Senenſi authore, apud Chryſoſtomum, Roſ-
weydo ſubſcribente in Talione, ecquis erit ulterius ſæculo iſthoc noſtro, &
futuris, Fidei illius implicitæ & involutæ uſus, quæ tam proclivem ad ſa-
lutem æternam aditum, & viam præmuniat compendiariam, ut innumera
examina animarum, cæteris planè cunctis præſidijs deſtituta, νεκρῶν κλεῖθρα
καὶ σκότου πύλας illas à tergo derelinquant, & cœleſtibus ſedibus adſcribantur
indigites, & inquilini ? Enimvero, ex animi vel tui ſententiâ, in ſingulis &
omnibus, vitam æternam conſequutis, poſt Chriſti completam diſpenſatio-
nem, ſingulorum de Chriſto Mediatore myſteriorum explicatam exigis,
& enodatam cognitionem ? Neminem credis ſalvari poſſe, qui non tuam
vel alterius è Societate ſingularem adæquet intelligentiam ? Non requiris,
ſcio : nec profectò debes tam illuſtrem & explicitam efflagitare. Nam præ-
terquam quod, ut dixi, tam inanis illa eſt diſtinctio, quam libenter agnoſco,
de Fide implicitâ & explicatâ ; quotuſquiſque tandem Chriſtianus, non
exactè in Scripturis eruditus, veteris totius Traditionis Eccleſiaſticæ, &
Apoſtolicæ intelligens, vel ſcientiâ pænè dixerim illâ præditus, quam noſtri
etiam Barbari (ſi per vos licebit noſtros compellare, quos non perfun-

ctoriæ, vel cavillandi causſâ, ſolemus lectitare) ſolent appellare Comprehenſivam, æternâ frui poterit beatitudine ? Anguſtiſſimæ erunt profectò viæ, & porta plus quàm coarctata, ut vix inveniatur alicubi, qui poterit intrare ad ſalutem. Quin multo melius Novatores de rudibus illis apud majores noſtros, & ſimplicioribus, etiam in Papatu medio, ut loquuntur, mortuis, ſperare ſolent & profiteri : Tu verò, ſi reſponſum Sixtianum tueri volueris & propugnare, vir erudite, ad illa è Chryſoſtomo repræſentatum, extra cancellos Purgatorij, nedum pomeria Paradiſi, exturbare debebis neque paucos, nec contemnendos, è canonizatis, & aſcriptis Calendario ſanctis, ad quos illud veſtrum, ἀφελεστέροι plerique ſolent, *Ora pro nobis*, plenis buccis intonare. Præſertim ſi qui, in ſanctorum albo deſcripti leguntur, è cellulis Fratrum de Ignorantiâ, quibus edictum eſt & præſcriptum, *Ne curent diſcere, neſcientes.* Certè res Chriſtianæ, Fidei noſtræ objecta, non ſunt omnes cujuſdam æqualis vel exiſtentiæ, vel proportionis. Sunt enim duo genera eorum quæ creduntur. Credenda primò, illo Symbolo Apoſtolico comprehenſa : quæ ſunt ſatis obvia, in Eccleſię diſciplina, & nota etiam debent eſſe cuicunque nato in Eccleſia, & educato, ſaltem in ſe & primariâ intentione ſua. De quibus illud Magiſtri interpretemur
Li.3.diſ.25 licet, *Quædam eſt menſura Fidei, ſine quâ nunquam poteſt eſſe ſalus.* Et ſunt credenda ſecundariò, quæ ab illis promanant & deducuntur velut πορίσματα quædam & conſectaria. Quæ nec ipſa ſunt ejuſdem omnia, ſed diverſæ cujuſdam & exiſtentiæ, & cognitionis, quæ cùm ſint eruditis in promptu ſatis & intellecta, ignorantur, nec periculosè, ab ineruditâ plebe. Quædam cùm credantur, intelliguntur. Quædam antè creduntur, quàm intelligantur. Quædam nunquam intelliguntur, quamvis & quando credantur. Et ſunt, ne quidem in Lucis illa Patriâ, & maximâ ubertate Terræ viventium, nunquam intelligenda à Nobis cognitione ullâ, vel infusâ & revelatâ, vel acquiſitâ aut innatâ, veſpere vel mane percipiendâ. Γέγονε μυστήριον, (aiebat Seleuciæ quondam Epiſcopus Baſilius, de illo myſterio Redemptionis noſtræ, in tota ſua ſcilicet extenſione) καὶ οὐδέποτε παύσεται τὸ μυστήριον. *Fuit myſterium, neque deſinet aliquando eſſe myſterium :* utpote cujus in ſingulis τὸ βάθος & abyſſum, nec Angelici penetrare queant intellectus. Sed nec ipſa tempora paris ſunt, vel æqualis, quod certum eſt, οἰκονομίας, ita ut homines per illa tempora debeant eſſe, ἐξ ἴσου & æqualiter, omnes ac ſinguli obligati. Surget Regina Auſtri, contra Iudæos : & quidem Pagani contra Chriſtianos in judicio. Qui diſperſit pauca, pauca colliget. Ubi plura elocavit Deus, requiret plura. Non decem Talenta exacturus ab eo, cui duo tantùm credebat. Ingens ergo quoddam intervallum eſt, inter Iudæos & Gentiles : inter Iudæos & Chriſtianos : inter rudes, idiotas, πεπαιδευμένους, & omnibus Naturæ atque Gratiæ auxilijs inſtructos, & ſublevatos. Sed an ulla Dei cognitio poſſit eſſe, quæ ſufficiat ſine Chriſto, & perducat ad ſalutem, hoc vellem Nos Sixtus docuiſſet, nec de illâ Fidei implicitæ & explicitæ diſtinctione, jejunam prorſus atque aridam, nec rei vel tempori opportunam injeciſſet mentionem. Objectum Fidei nunc cujuſcunque, Chriſtus eſt, ſeu implicitæ ſive explicatæ. Quicunque quocunque modo credunt, Deum in Chriſto, neceſſe eſt, vocent Patrem, in ſuâ (exerta ſive illa fides ſit, ſive in Eccleſiæ involuta) Fide. Chriſtum prorſus ſeparavit Chryſoſtomus, ab illorum veterum cognitione. *Qui ante Chriſtum obierunt, &*

illum

illum ideò non cognoverunt, ſi unum Deum agnoverant, & receſſerant ab idolis, ab illis nihil aliud requirebatur. Nunc ſe res habet longè aliter, & requiritur ad ſalutem cognitio Chriſti. An potuit diſertiùs ὁ χρυσοῤῥήμων commentum Sixtianum exploſum amandaſſe ? Certè aliter etiam idem hanc medicinam excuſſerit è pyxide Senenſi, dum Lazarum illum Virbium, de mortuis redivivum, de Reſurrectione mortuorum nihil penitus agnoviſſe pronunciat. *Poſſum & aliud hiſce omnibus addere :* verba ſunt Chryſoſtomi, apud Sixtum, *videlicet quod Lazarus, ne de Reſurrectione quidem quicquam potuerit philoſophari. Sed huius vitæ res credebat, huius vitæ fine terminari.* Poteratne Epicurus hoc pacto ſalvari ? Certè viro beato illo Lazaro, Chryſoſtomo cenſente, non fuit inferior. Sed audi rationem aſſertionis : *Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelij præceſſerunt.* Nec vola, nec veſtigium hic, implicatæ Fidei. Tollit quamcunque cognitionem : non minùs, natus in populo Dei, ille Lazarus ignorabat reſurrectionem, quàm ſi apud hominum tunc extremos, aut extra vias Solis naſceretur. Accedat eodem, quòd implicita illa Fides, Fides ſit habitu, etſi non actu : de Chriſto & per Chriſtum informata : utpotè in Eccleſia cœlitus inſtitutâ & inſtructâ, non extra caulas Iſraëlis inventa. Eſt etenim ipſa, ſi rectè advertebat Andradius, *Conſtans ac firma perſuaſio*, quam planè nullam fovebat Chryſoſtomianus ille Lazarus, *quòd omnia contenta in Sacris Literis, & in Eccleſia Catholicâ credita, vera ſint, licèt Mihi, Tibi, Iſti, ſint incognita & inexplorata.* Itaque qui ignorat, Samſonem verbi gratiâ, fuiſſe Nazarenum ; Ioabum, exercitus Iſraëlitici, ſub imperio Davidico, Ducem ; Ieremiam prophetaſſe ſub Zedechiâ ; Iohannem Baptiſtam eremi inquilinum, vinum aut ſiceram non bibiſſe ; ſine ullo ſalutis ſuæ diſpendio hæc ignorat, cùm nunquam ipſe legerit ea in Scripturis, nunquam de ore exceperit prælegentis. Actu non poteſt ergo iſta credere, cùm Fides activa, certiſſimum ſit, quod ſupponat cognitionem : Habitu credit ea, nihilominus : quandoquidem actu crediturus ſit, unumquodque iſtiuſmodi eſſe verum, poſtquam reſciverit eſſe ſcriptum : quia nimirum cùm ſit Eccleſiæ alumnus, per generalem Eccleſiæ Fidem, intellectum, & notionem, Scripturarum credit αὐτοπιστίαν, veritatem in illis ubique certiſſimam inveniri conſtantiſſimè agnoſcit, & confitetur. Illi autem Philoſophi, quos Iuſtinus cenſuit appellandos Chriſtianos ; Gentiles illi, quos Clemens opinabatur & pronuntiabat per Philoſophiam juſtificatos, nec in ſinu Eccleſiæ fovebantur aliquando, nec de Eccleſiæ oraculis quicquam intelligebant ; neque erant aliquo modo Fidei capaces habitualis, alienarum imbuti vanitatibus opinionum, & in omnibus incerti ac vacillantes. Fac enim lectum audiviſſent aliquando in illâ Coſmopœiâ divini Moſis, per vim atque efficaciam verbi ſui omnipotentis, Deum optimum maximum, Omnia è Nihilo produxiſſe ; tritum illud ſuum obganniviſſent, *Nam è nihilo, nihil fit.* Quæſiviſſent, ut ille apud M. Tullium, atheus, *Quibus ferramentis* in mundi molitione Deus uſus fuerat ? Rectè igitur Auguſtinus, ille accuratiſſimus in Fidei dogmatibus diſcernendis, & diſputandis ſollertiſſimus, fieri olim potüiſſe affirmat, ut per alias etiam Gentes, nedum Iſraëlem, Non nemo pertinuerit ad Cœleſtis Hieruſalem ſocietatem. Nihil tamen hoc ſpectat ad illorum Patrum cauſſam, qui vel ſalutem ſine Chriſto Paganis impendebant ; qui Philoſophos rebantur appellandos Chriſtianos ; vel per ſe Philoſophiam

Li.6. annot. 151. & extat Tom. 6. edit. Eton.

loſophiam juſtificare. Nam diſertim Auguſtinus in Sibyllis ſuis, Chriſti Domini requirit, tanquam unius Mediatoris intelligentiam, licet nihil ſtatuerit, vel ſtatuere poterat, ſed nec ſollicitè laborandum cenſeat, de modo Revelationis. Nam ſcitiſſimè dictum ab Epiphanio, Σώζει ὁ Θεὸς διὰ πολλῶν τρόπων, multis utique modis perducit Deus ad ſalutem, quos ſervare decreverat ab æterno. *Quis eorum*, ſunt verba doctiſſimi Auguſtini, *qui ſe volunt haberi Chriſtianos, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam tu ſolus* (Iulianum alloquitur ex illa ſchola) *iuſtum eſſe dixerit Infidelem? iuſtum dixerit impium? iuſtum dixerit Diabolo mancipatum? Sit licet Fabricius, ſit ille Fabius, ſit licet Scipio, ſit licet Regulus, quorum tu me nominibus, tanquam in antiquâ Romanâ curiâ loqueremur, putaſti eſſe terrendum.* Tum in ſequentibus hoc idem perſequitur argumentum contra Philoſophos Clementis & Iuſtini: *Verùm tu*, inquiens, *in hac cauſſâ, etſi ad ſcholam Pythagoræ provoces, & Platonis, ubi eruditiſſimi & doctiſſimi viri, multo excellentiore cæteris Philoſophia nobilitati, veras virtutes non eſſe dicebant, niſi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabiliſq; ſubſtantiæ, quod eſt Deus. Etiam illi, adverſus te, quantum donet qui nos vocavit Pietatis libertate, clamabo, Nec in iſtis eſt iuſtitia vera, quâ iuſtus ex Fide vivit.* Ad quam ſane Orthodoxam opinionem Clementem illum Stromatea tandem etiam deſcendiſſe, non eſt fortaſſe pernegandum. Aït enim VI. Strom. Chriſtum Gentibus fuiſſe manifeſtatum per Hydaſpen, Sibyllas, & iſtis ſimillimos vates. Quæ tamen veriſſimè pronuntiata non omninò impediunt, quo minus idem eruditiſſimus ſcriptor diverſam aliquando ſententiam foverit: adeò ut non eſſet cur Exercitator vereretur γνώμῃ τῇ γνώμῃ repugnare, atque contra ire aſſertioni Baronianæ, de ſalute Paganorum apud omnes Patres poſitâ in confeſſo, in & per Chriſtum procuratâ.

SECT. IV.

De ſalute Paganorum ſententiæ incommodæ ex utraque parte Theologorum. Zwinglij. Andradij, Vegæ, Eraſmi, Vivis: aliorum Partium ſtudijs occœcati, malè invicem ſe lacerant, qui ſunt ἐξ ἐναντίας. Proteſtantes à Zwinglio diſſentiunt. Orthodoxè ſentiunt cum Auguſtino, & alijs.

ILli autem Pagani, ad hunc modum inſtituti per ſuos vates, ſi modo ſpectabant ex ijs aliqui, ad cœleſtem Dei vivi Civitatem, utcunque conſtituti ſub Lege Naturali, non tamen per illius Legis vim & efficaciam, ſed per alia quædam media, (nam abundat medijs ſapientia divina) ad ſalutem & ad Chriſtum adducebantur. Contrà, quàm cenſuit Diegus Payva, quem veriſſimè ſcripſit Exercitator, omnium animoſiſſimè in iſto negotio verſatum fuiſſe. Is etenim vir doctiſſimus, qui ad Concilium Tridentinum attulit, & profundiſſimi Theologi mentem, & linguam Oratoris eloquentiſſimi, Lib. III. Orthodoxarum explicationum, ad VI. Chemnitij contra Colonienſes axioma, poſtquam ſcripſerat dupliciter ſtatutum à Theologis, de bonis

bonis operibus non Renatorum, in rem præſentem deſcendit particulariùs. Docet autem quoſdam ſic ſtatuere. Illa, bona opera, quamvis ſpecioſæ videantur eſſe Actiones, peccato tamen eſſe, neque leviter, infectas: quin veriſſimè cenſenda eſſe peccata. Atque iſtius ſententiæ propugnatorem refert Proſperum. Addidiſſet & Proſperi Informatorem Auguſtinum: qui exemplo quoque Cornelij docet, Non prodeſſe Orationes aut Eleëmoſynas, niſi in vinculo Chriſtianæ profeſſionis. Certè non ſunt malæ virtutes Ethnicorum: ſed quo modo margarita in mari naſcitur, verùm ex cœleſti rore, & ſic cœlum potiùs quàm mare refert: ita homines in humanâ hac carne, & fluxâ ac fragili mortalitate, ex Gratiâ Dei, Deo placent, & acceptantur: Ideo illa opera bona quædam ſunt ex accidenti; quia fide carent, quæ forma eſt & vita boni operis cujuſcunque. Atque ideo de Polemone Philoſopho dicebat Ambroſius, *Si reſipuit à vino, fuit ebrius ſacrilegio.* Quæ quidem inter numerari debent, *Vrenda flammis, non condenda horreis*, ut cum beato Leone loquar. Alios, ait Andradius, exiſtimaſſe illa opera virtutes quidem, ſed imperfectas, nequaquam dignas æternâ retributione Sanctorum, ſed tamen peccati carentes turpitudine: quæ per concurſum quendam Divinæ gratiæ generalem, ſine ullo ſpeciali auxilio fierent. Atque hanc ſecundò poſitam ſententiam communem eſſe docet, omnium hujus ſæculi Eruditorum, poſſe tamen illam priorem propugnari, cùm non ſit hactenus ab Eccleſia definitum, in quâ claſſe reponi debeant, Infidelium bona opera & non Renatorum. Nam quod ſpectat ad Concilij Tridentini mentem & ſententiam, is qui Conventus illius pars fuit, & quidem in diſputandis dogmatibus non poſtrema, affirmat Anathemate in illos ſolos fulminatum, qui opera omnia, ante Iuſtificationem facta, inter verè Peccata annumerabant, & ſic peccato rebantur inquinata, ut niſi priùs per Gratiam regenerantem Naturæ pravitas reformaretur, non poſſe putarent, ne quidem per Gratiam ullam ſpecialem, ita exornari & præveniri opera, quin adhuc vel optima & ſpecioſiſſima, haberent rationem Peccatorum. Auguſtini porrò illam doctrinam eſſe docet, ut virtutem diſtinguat in perfectam & imperfectam. Cauſſæ autem virtutis ſint in duplici claſſe conſtitutæ: nempè quoad voluntatem operantis, quæ nil per ſe producit niſi peccatum: & Dei concurſum ſpecialem, undè bonum fiat in non Renatis, licèt imperfectum. Rem porrò aliquam conſiderari ait, vel quoad finem & intentionem, vel quoad formalem ejus rationem. Bonam actionem in genere ſuo, & per concurſum Dei quendam ſpecialem, in finem etiam bonum directam, vix fieri tamen poſſe & produci, ſine culpâ & depravatione, propter Tenebras illas & corruptionem naturales. Hæc poſtquam Andradius diſſeruërat, uti ipſe affirmat, ex Auguſtino, de operibus illis non Renatorum, invehitur, quod nollem factum, paullò acerbiùs in Chemnitium, eò quòd Iuſtinum, Clementem, Epiphanium tractaverat duriuſculè aſſerentes, Permultos in Lege Naturæ extitiſſe juſtos, & poſſe Chriſtianos nominari. De qua quæſtione quid ſtatuat ipſemet Andradius, non es (credo) ignarus, certè eſſe non poteras erudite vir, ſi modo penitiùs introſpexeras illius verba. Rem etenim exactiùs & penſiculatiùs examinanti, in hanc ſententiam videbitur deſcendere Andradius, Fidem viz. & veram Dei cognitionem, fundamentum extare perpetuum juſtitiæ. Hanc autem veram cognitionem Dei, è rebus ſenſibilibus hauriri poſſe & haberi, non è ſolis Scripturis & ſolitarijs. Id verò doceri ab Apoſtolo, & non

Con. Donat. de bapt. l. 8.

Lib. de Elia, & jejunio.

non ſolùm inſinuari ad Rom. 1. ver. 19. & ab illo Pſalte Iſraëlis, Pſal. 19. 1, 2. Illum verò qui ad hanc pertingat intelligentiam, facturum ea omnia quæ potuerit, nec laboris ſui fructu & induſtriæ ullo pacto unquam cariturum: quandoquidem in Lege etiam Dei ſcriptâ, nihil aliud ab Apoſtolo deſideretur ad juſtitiam, niſi ut credatur Deum eſſe. Quam ſcientiam, & menſuram cognitionis divinæ, cùm poſſit è Creaturis exprimere quiſpiam vel haurire, proculdubio & illius ſcientiæ menſuram illam aſſequetur, qui per ſcalam Creaturarum aſcendit eò. Hiſce ita conſtitutis annectit Andradius; In ſtatu Gratiæ extare quædam Cognoſcibilia, Hominibus non tantum per ſe, quæ tamen conſtitutis in eo ſtatu non cognoſcentur, reſervata quippè cognoſcenda Comprehenſoribus. Nam & in ſtatu Legali viventibus, fuiſſe quædam affirmat cognoſcibilia, non tamen eâ rerum ſcenâ cognita vel intellecta. Pari modo rem ipſam ſe habuiſſe opinatur in ſtatu & conditione naturali, ubi illa, inquit, cognitio flagitabatur ſola, ad quam hominibus ibidem conſtitutis, aditus patere, & muniri poterat. Damnare namque homines propter defectum cognitionis illius quam conſequi nullo modo poterant, Teter & inhumanus hoſtis voluerit, non autem Deus ſummè benignus & miſericors. Concludit tandem è præmiſſis, Cauſſam planè ſubeſſe nullam, cur illos dubitemus fuiſſe juſtos, qui ſecundùm rationem rectam (hoc eſt illud Iuſtini μτ̃ λόγε) vixerant. Et niſi velimus, inquit, deſciſcere ad Manichæos (quorum blaſphemiam deliram nos jam commemoravimus ex Auguſtino, de nemine ſervato ante annum Tiberij XV.) dandum eſſe & concedendum omni modo ſine Lege Moſis & Euangelio, ſola Lege naturali adjutos nonnullos & ſuffultos perveniſſe ad ſalutem. Cúmque è ſententia Epiphanij, Abelem, Enochum, Iobium in hoc albo recenſeat, adjungit continuò ſe non dubitare, quin ad horum conſeſſum aggregare potuiſſet Epiphanius ex Philoſophis etiam multos, qui genua ſua Baal non curvaverunt. Neque in aliam ſententiam Iuſtini mentem & Clementis interpretatur, quàm ſunt contra Illuſtriſſimum Baronium recitati. Quid erat igitur in cauſsâ, vir doctiſſime Heriberte, cur tu tantopere admirarere adjectum de Andradio Luſitano elogium illud apud Exercitatorem; Illum, nempè, cum primis, atque omnium animoſiſſimè ſalutem Paganorum ſine Chriſto cognito, propugnaſſe. Ideo certè ex Andradio erant iſta tam prolixè per nos recitanda, & tranſcribenda, ut apparere poſſet illum, non modò *paria cum Philologis, literas tractantibus humaniores*; aut, *cum Hæreticis errores eructantibus*, ſenſiſſe, ſed & ultra eos delatum animoſitate ſuâ, ſi unum in cauſsâ Zwinglium, ſi tamen & illum, exceperis ab hoc albo. Ego magis te admiror in illo verſantem errore, ſeu mavis hæreſi, per quam ſcribis Andradium non aliter opinatum, quàm fuiſſe quidem Chriſti cognitionem omnibus ante ſæculis ad ſalutem neceſſariam, quamvis obſcuram & involutam. Quod cùm à nullo vocetur in quæſtionem, non debuit Andradius, imò noluit, vir certè cordatus & eruditus, in re minimè controversâ operam luſiſſe non neceſſariam. Eraſmus, Vives, cæteri omnes, ne quidem excepto, ſi demas exemplorum atrocitatem, Zwinglio, ad Andradij vehementiam non aſſurgunt, qui pluribus hanc theſin diſputatam, ex profeſſo tractavit & tutatus eſt. De Eraſmo ut agamus hic non eſt opus, recurret de eodem illo maximo ſanè viro, tuo Eriberte, conterraneo, dicendi occaſio in ſequentibus, ubi iterum bilem movebit Retaliatori, & Ieſuitis. Cauſſam quod attinet, de qua nunc quæritur. Memineram

neram olim nescio quid legisse me puerum, Scholæ, tunc temporis, Etonensis alumnum, in illius viri præfatione quâdam ad Tusculanas Tullij quæstiones, cùm à te admonitus in Talione, & illum & alterum etiam locum inspicio, in Colloquio, quod appellat, Religiosorum. Neutro tamen reperi stationem ullam ab Erasmo in Cœlis designatam Socrati, Horatio, Virgilio, Ciceroni : ne quidem inter vulgus salvandorum, & promiscuam illam plebem, cœlorum quasi capite-censos, nedum inter Martyrum aureolas, Virginum choros, aut Confessorum mansiones. Quocirca, vir egregie, nisi tu quid potius argutum & tinnulum sectatus fuisses in *Optat*, & *Aptat*, de Erasmo Cœlorum, & sedium cœlestium Designatore, omninò penitùs obmutuisses. Profitetur equidem Erasmus, benè se ominari Maronis & Flacci animabus. Vix posse interdum temperare sibi docet, quin cùm legat quædam sanctè & religiosè à Socrate usurpata apud Platonem vel alios, exclamet, Sancte Socrates, ora pro me. Quasi dicere vellet, ex humano errore factum, & Romani Pontificis in rebus sacris oppidò prodigiosâ olim, & inauditâ nundinatione fuisse, (quod nonnemo, ante & post Erasmum conquestus est) ut inter Divos per Canonizationem referrentur nonnulli, minùs illâ digni veneratione, quàm erat Socrates, tantis virtutum elogijs olim tam illustris, tam inculpatâ vitæ suæ ratione. Hujus ego sententiam non approbavero, de Paganis Poëtis & Philosophis : de Socrate sanctorum catalogo ascribendo, (quod tamen ille, non tàm ex animi sui sententiâ, quàm Romanæ mercaturæ reprehendendæ causâ dicebat) & hæreditati Iesu Christi inserendo : verè tamen videor hoc esse dicturus, non assurgere figuras has Erasmianas, ad Andradianam illam vehementiam, aut, de quâ loqueris, Cœlorum designationem. Tibi tamen meritò bilem movit, ob notatam tam acerbè venalem illam, infamem, indistinctam in Papatu, Divorum, Divarumque ἀποθέωσιν, quæ & alias olim, & ab alijs, imprimis à Boccacio jure optimo, sannas, scommata, & εἰρωνείας expressit, Itali aceti propolâ & promo-condo. Sed nec illa, de Tullio quæ commentatur Erasmus, ad Andradij accedunt animositatem. Nam de animâ Ciceronis, ubi aut quo modo, nunc agat, disquirens, illud imprimis statuit satis religiosè : Non esse fortassis humani alicujus ingenij vel judicij, certum aliquid statuere aut pronuntiare. Non ita timidè vel εὐλαβῶς, Reverendi vestri Patres (si vera narrantur) omnes, Eriberte, de Christi Domini Vicario, Sixto Quinto statuerunt, cùm illum sine ambagibus ullis, sine pœnitentiâ viventem, & morientem sine pœnitentiâ, proculdubio descendisse ad infernum profiterentur. Affirmat secundò Desiderius, se libenter futurum in illorum partibus, qui sperant illum, apud superos quietam vitam agere. Cujus sententiæ suæ rationes postquam expresserat, & ad quædam responderat de vitæ maculis objecta, & Idololatrici cultus vanitate, liberum tamen ad extremum suum cuicunque judicium relinquit, quasi nollet de re incertâ & controversâ litigare. Ita mitius & modestius Literator ille Erasmus, de secretis divinæ dispensationis, quàm Theologus tam illustris è Lusitania Andradius. Ludovicus autem Vives, *Ille accuratâ Theologorum Lovaniensium censurâ notatus*, perinde ac vetustus & eruditissimus Clemens, Philosophos, homines omninò & in solidum pendentes à Naturâ, justos posse fieri per Naturam putavit, quin & justificatos fuisse contendebat. Naturam autem istam illis Ducem & Magistram vitæ datam,

non vult ullo modo dici depravatam, aut pessimis corruptam opinionibus, ultra vel Erasmum in sua designatione, vel Andradium in vehementiâ suâ, in castra provectus, non ut explorator, sed ut transfuga, Pelagiana. Ait namque, *Potuerunt enim qui ex Gentibus Naturam sequebantur Ducem, illam non pravis iudicijs opinionibusq; inquinatam & corruptam, tam grati esse Deo quàm qui Legem Mosaicam servaverunt. Quod enim hi consequuti sunt per Legem, illi essent consequuti sine Lege: & qui tales fuere sine Lege, eodem quo Iudæi pervenerunt, cùm eodem contenderent. Nec inter eos aliud discrimen fuit, quàm est ceu quis Viator mandatam chartæ itineris sui rationem gerat ac veluti formam, alter memoriæ fidat ac iudicio. Idem etiam nostro tempore continget ei, qui cùm nihil de Christo in remotissimis Oceani partibus natus audierit, duo illa maxima servaverit mandata, in quibus Veritas ipsa, Legem totam Prophetasq; constitutos affirmavit, de Deo & proximo diligendis. Huic sua Conscientia est Lex; & iuxta Psalmistam, Memor est in nocte nominis Domini, & custodit Legem eius. Hæc fiunt ei, quia Iustificationes Domini exquirit. Tanti est videlicet, voluisse bonum esse, etiamsi non habeas, à quo virtutem edoceare. Et in hoc hominum genere, quid deest præter aquam? cùm Spiritum Sanctum non secus quàm Apostoli meruerint, & acceperint: testante Petro repleri nonnullos divino afflatu, quos mystica nondum attigit aqua.* Hæc sapiunt ipsissimum Pelagium. Quam tamen Vivis rationem mutuatus est Andradius, & transtulit in suam disputationem, circumcisamne vel quo modo tractatam, tu considera deinceps vir erudite. Et tamen Andradius Orthodoxè omnia & Catholicè docuit, Ludovicus Vives, Hispanus domo, uti & Andradius: professione Catholicus, qualis & Andradius: à Lutheri immunis & immaculatus contagione non minùs quàm Andradius, *Scaurum Varus sequitur*, hoc est, ut opinor, Erasmum semichristianum, quemadmodum loquitur Bellarminus, ipse semipaganus, certè plus quàm semipelagianus. Qui tamen *commentarios illos suos in Augustinum, de Civitate Dei, vel non editos omninò voluit, vel si reviviisceret erat correcturus*, si rectè Possevinus hariolabatur. Sed ita est ni fallor, de Societate merebatur Andradius cum primis optimè. Erat ille vestri Ordinis studiosissimus olim, cùm vix subsisteret inchoatus: & Patronus aderat in caussam vestram disertissimus, contra accusationes Chemnitij acerrimi & valentissimi adversarij, cùm adhuc in cunis penè reptaretis; quocirca referendæ erant illi gratiæ; & agendum è iure Clientelari. Quod si verò omnia εὐφήμως de Andradio, tamen priusquam inveherere tam atrociter, in *blasphemam illam turbam Sacramentariorum*, de falsis Ethnicorum Deis, de sacrilegis Pontificibus, cœlo illatis & beatorum sedibus ascriptis, oculos adhibuisses, Bonum factum, emissititios, an omnia Tibi undique tuta, sarta tecta domi: nec crimen in Hæreticos illud ipsum impingeres, quod posset in Catholicissimos resultare; & quidem plures quàm sunt illi, quos de nominibus compellabas, sacramentarij. Legisse poteras apud Sleidanum in Commentarijs anni millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi, in ipsomet Concilio Tridentino, Fidei illius Vrbicæ fundo & fundamento, & novorum novi Symboli XII. articulorum architecti, hanc ipsam doctrinam, sive hæresim de Paganorum salute sine Christo, publicè pro suggestu & de loco superiore, in orbis illa acropoli, ut tunc erant tempora, fuisse promulgatam, nec ullâ, quod scire potuimus, accuratâ Censurâ Theologorum,

gorum, aut Patrum anathemate vel ferulâ, ex orbe toto Christiano convenarum, notatam. Hanc autem illi, si ut hæreticam improbassent, non tolerassent ut Orthodoxam vel indifferentem, sed Anathema maranatha intonassent, oblatâ tam opportunè in ipsomet Concilio occasione. Legisse poteras apud Balæum, Centur. XIIII. pag. CCXX. in appendice ad Iohannem majorem, Colonienses Theologos annumerasse Divis Lycæi olim principem τον περιπατοῦντα Aristotelem, & librum etiam typis evulgasse, cui titulum fecerant, *De salute Aristotelis.* Alium etiam librum eosdem illos scripsisse, de vitâ & morte Aristotelis, in cujus calce concludunt illud, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum fuerat Baptista in gratuitis. An & isti censebuntur cum sacramentarijs ? Scio quid repones : non esse Slidanum & Balæum admittendos, Hæreticos homines, sublestæ fidei, de Catholicis, testes. Itaque reos illos perage de mendacio. Ostende mentitos, ex odio & malitiâ confinxisse ista. Agit Balæus obsignatis tabulis. Slidanus rem narrat in luce gestam. Nec eorum quisquam, qui plurimi, doctissimique viri Concilio interfuerant, lectum, cognitum, disseminatum, quod ego sciam, refutavit, aut in dubium vocavit hoc testimonium. Et profectò non abhorret à veritate, cùm tres Theologi ex Hispania, Andradius, Vega, Dominicus à Soto, quibus nulli prorsus eruditiores, illi Concilio interfuerunt, rem eandem suis scriptis propugnaverint : Cumque quartus ex eadem illa Hispania, magni nominis & eruditionis Episcopus, qui & ipse Concilio interfuit, & in Concilio scripsit de Quadripartita hominis justitia, Gaspar Casalius ab eorum sententia non abhorruerit, dignum certè Censurâ & elogio non existimaverit. Nam post disputatam in utramque partem quæstionem : recitatos authores utriusque sententiæ & assertionis : argumenta utrinque ponderata, tandem sic concludit : *Circa istud ergò dubium quid dicendum ? Quænam harum sententiarum magis amplexanda est ? Cùm quælibet suos habeat authores Catholicos: & suas rationes, fundamenta, atque principia : nec hactenus aliquid sit determinatum per sanctam matrem Ecclesiam, quo huic quæstioni finis imponatur ; res adhuc controversijs iactatur, & adhuc sub Iudice lis est. Hæ opiniones iam quantum oportuit propositæ atque expositæ sunt, cum earum auctoribus & fundamentis, nunc cuique quid voluerit seligere, probare & sequi liberum sit. Nullum enim in hac parte discrimen timendum videtur, si quis sibi concessâ opinione sententiam hanc vel illam obnixè tueatur, quandoquidem quælibet ponit & credit fidem Salvatoris semper post peccatum hominis, homini ad iustificationem & salutem fuisse necessariam, licèt differant per explicitum & implicitum : Et benè solvuntur utrobique fundamenta, argumenta, seu principia alterius.* Hæc vir doctissimus moderatissimè, de Quadripartita hominis justitia, parte prima, Lib. I. cap. XV. à cujus Christianâ ἐπιεικεία & moderatione, si vos, Heriberte, è Societate imprimis, & vestrarum partium Theologi non immane quantum recederetis, majore cum augmento pietatis, & religionis studio propagandæ, resarcitis, si non omnibus, saltem plerisque in Christi illâ tunicâ inconsutili scissuris, conspirantibus animis incumberemus. Quod verò spectat ad Balæi testimonium & Slidani, si vos in causâ pari, ubi per testes idoneos agendum est, omnium bipedum improbissimos, Staphilum, Bolsecum, Genebrardum, Feuardentium, Sanderum, Personium, cæteros de genere hoc, ab omni modestiâ remotissimos, spurcissimi

cissimi oris, & impudentiæ insignitæ blaterones, omnium rapsodos vel è trivio mendaciorum, omnium fabularum condos promos, ubi testes advocastis, tanquam omni majores exceptione soletis obtrudere, qui de hostibus suis, hæreticis hominibus, & Novatoribus, ut appellant, ferant testimonium, quos & execrantur palàm, & odio prosequuntur capitali: da veniam, agamus ex Lege Talionis, & vestrorum hominum opiniones, saltem incommodas, si non à veritate abhorrentes, nostrorum premamus testimonijs, qui præsertim in rem præsentem cum tabulis descendunt obsignatis. Sed non est opus ut partes tantùm citemus testes. Præter Vegam, Sotum, prius commemoratos cum Andradio, accenseas istis licet & Victoriam, illum totâ Hispaniâ celeberrimum, è cujus quidem scholâ, ut ex equo olim Trojano Principes, eruditissimi viri, Theologi summi complures, prodiere. Præter istos habes agmen apud Casalium: Sanctum Thomam, Nicolaum de Lyra, Abulensem, Brunonem, Carthusianum, Iohannem Arboreum, Durandum, Petrum Paludanum, & Capreolum. At quos viros & quales, erudite vir? Docet Abulensis super Librum Ruth, quòd non omnes homines obligati fuerant, tempore Legis Moisis credere quod credebant Iudæi. *Quia multos Philosophos dicimus fuisse salvos,* (Socratem puta, Heraclitum, Platonem, Ciceronem) *quos nihil horum dicimus credidisse,* (ne quidem implicitè vel involutè) *quia solùm requirebatur quòd non colerent Idola: & crederent unicum esse Deum punitorem & remuneratorem, & quòd caverent à peccatis mortalibus, quæ ratio naturalis dictat esse peccata.* Idem alibi sæpius ita loquitur de Paganis, omnino Christi fidem vel involutam excludendo, licet ex ijs non nemo, quos nobis Casalius commemoravit, de implicitâ loquantur intelligentiâ. Et Bruno Carthusianorum Pater, *Si hoc solùm crederent Gentiles,* inquit, *quòd Creator unus esset, & singulis pro ipsorum actibus retribueret, satis esset illis.* Carthusiæ alumnus Dionysius Rikel, ista duriora scio emollivit, Christi Fidem interponens involutam. *Forsitan suffecit ante Legem scriptam, & item sub Lege, quantum ad Gentiles, quibus sola Lex Naturalis data erat, nec obligabantur ad Legem Mosaicam, dummodo implicitam habuerint Fidem* (quam nusquam exclusit Zwinglius, vel quivis Novatorum) *de adventu, & incarnatione Christi. Qui enim credit quòd Deus remunerator est, credit providentiam Dei, & per consequens* (à longè scilicet) *credit modum humanæ salvationis, saltem implicitum.* Et valdè quidem implicitum. Sed posteriores vix loquuntur ita strictè & suspensè. Andreas Vega, ut in illo ex omnibus in præsentia insistam, nec *Hæreticus fuit* aliquando, nec *Critico tumebat supercilio*, sed in pulvere scholastico, & secretiore Theologiâ μεμυημένος cum paucis, fortissimus athleta versabatur. Qui, quid Concilium Tridentinum de totâ hâc quæstione animitùs sentiebat, cum Andradio & Soto resciscere poterat. Is igitur, de præparatione adultorum ad justificationem, Lib. VI. cap. XVIII. cùm juxta doctrinam Thomæ, Bonaventuræ, Armachani, docuisset, posse haberi Ignorantiam invincibilem de Fide in Iesum Christum, hoc est, ipsomet interprete, eam quam vincere non possumus, omnia faciendo, quæ ad eam vincendam solent & debent efficere & afferre probi homines, concludit tandem in hæc verba: *Quicunque fuerunt, aut etiam modò sunt, ad quos non pervenit Euangelium, cùm nullâ viâ humanâ consequi potuerint Fidem Christi, tamdiu inculpabilem illius ignorantiam habere,*

Lib. 1. p. 1. ca. 12.

vel

vel etiam habuisse sunt existimandi, quamdiu caruerint doctoribus, à quibus eam discere potuerint. In exemplum nobis proponit Occidentales illos longè latéque diffusos populos, Hispanorum nuper industriâ, & navigationibus perlustratos : apud quos aliquod, ne vel leviter impressum, vestigium reperiri posse negat cognitionis Iesu Christi; & tamen ait, *Manifesta ratio suadet, & eos, & quoscunque alios similes, ignorare Christi Fidem inculpabiliter. Non enim potest esse culpæ obnoxium, quod est inevitabile. Et hoc est quod de Iudæis Christus aiebat, Iohan. xv. Si non venissem, & loquutus ijs fuissem, peccatum non haberent : nunc autem non habent de peccato excusationem.* Hæc & alia his similia Andreas Vega, ne soli forsan blasphement Hæreticorum filij. Sed, neque Sixtus Senensis inter Hæreticos recensetur, fortassis inter Criticos annumerandus. Nam ad Theologiæ arcana explicatiùs enucleanda, Criticen adhibuit, & illam multorum hodie amicam, Philologiam. Theologus tamen eruditus, & in illâ scholasticâ secretiore & acroamaticâ, necnon exotericâ & floridiore, versatus erat cum paucis. Is, si illorum albo nolebat ascribi, qui mitiùs censebant de salute Paganorum statuendum, dum dicta quædam Chrysostomi duriora refingit, & ad sanæ Fidei normam & amussim exigit, nunquam ista dixisse tantum contentus fuisset : *De Gentilibus, sufficiebat, si qui absque notitiâ Mediatoris sunt salutem consequuti, eandem habere Fidem in unius Dei credulitate inclusam : hoc est, ut Deum crederent humani generis Servatorem, iuxta ordinem in suâ providentiâ admirabili occultum, & aliquibus ipsorum Vatibus ac Sibyllis peculiari privilegio revelatum.* Hunc virum cur non retulit, & cum illo, Vegam, Andradium, Sotum, alios, per Casalium commemoratos, inter Theomachos illos suos Novatores, furiosus Theologus Feuardentius, ob istam blasphemam impietatem, ut ipse loquitur, per nullum tamen Concilium damnatam hactenus, quod Andradius pronuntiat, & ideo liberè tenendam, censente eodem Casalio? Sed ille ὁ ἐπώνυμος, &, si quisquam alius, rabiosus, partium studijs incensus, & avectus, hosce triumviros, ne suspicione quidem levissimâ aspersit, cum rabie percitus, & odio plusquam Vatiniano in Zwinglium invectus, & non-neminem è Novatoribus, debaccharetur. Nisi forsitan & istos, & illos etiam ignorabat, in eâ fuisse opinione : & præter eos, Iosephum Acostam, Gabrielem Vasquem, & Gregorium, si benè memini, à Valentiâ, è Societate, ad miraculum eruditos : cùm tamen ille, omnium bonorum dissentientium allatrator, variæ & multiplicis lectionis lauream affectet non obscurè. Quæso te, Rosweyde eruditissime, idemque quod arbitror, humanissime, cùm sint in utrisque nostrorum castris, non è tironibus inexercitatis, non quidem Ferentarij aut Agasones, imò ne Centuriones aut Primipili, sed Imperatores etiam ipsi qui pedibus eant in hanc sententiam de salute Paganorum sine Christo procuratâ & assertâ; quæ, malùm, hæc vesania? quis furor, inflammatos nos in mutuas cædes, in alternas clades & calamitates, concitat, partium studijs occœcatos, alienæ famulantes ambitioni? Liceat hîc non immeritò usurpare,

Heu quantum terræ potuit, pelagiq́ parari
Hoc, quem civiles hauserunt sanguine dextræ?

si, quod aliquando faxit Deus, omissis jurgijs, & ex odio rixis, & indè nascentibus contumelijs, junctis copijs, sociatis agminibus, unitis partibus, in

in ſalutem Paganorum promovendam, vel impietatem eradicandam, incumberemus. Credimus nos omnes & fatemur, accuratè tuëmur & defendimus, nulli eſſe vel fuiſſe, ullam unquam ſalutem, partam, pactam, procuratam, oblatam, abſque Mediatore & ſequeſtro Ieſu Chriſto. Credimus nos & profitemur, nullos olim ab omni retrò antiquitate Deo aſſertos, aſcriptos cœlo, niſi Per, Propter, In Chriſto. Non aliud eſſe, vel fuiſſe olim ſub Cœlo nomen, quo ſalutem æternam conſequantur, qui conſequuntur, quàm illius Ieſu Chriſti θεανθρώπε, quem ὑπερύψωσε Deus Pater, ex intuitu (διὸ) humilitatis ſuæ, eò quòd ſe priùs ἐκένωσεν, ut in Nomine Ieſu Chriſti flectatur omne genu, Cœleſtium, Terreſtrium, & Inferorum. *Hæc eſt enim vita æterna*, hoc eſt, ſemita deducens ad æternam vitam, *ut Te cognoſcant ſolum verum Deum, & quem tu miſiſti Ieſum Chriſtum* : quemadmodum diſertis verbis docet Ioh. XVII. III. is qui ſolus eſt Via, Veritas, & Vita. Fatemur cum doctiſſimo Auguſtino, Iſraëlem Dei populum, olim extitiſſe peculiarem : & cùm receſſerimus ab Iſraele, nullam aliam extitiſſe ubivis terrarum gentem, in illum finem ſeparatam, ut eſſet, cui Deus appropinquans, ſeſe in Scripturis ſanctis ordinariè revelaret. Sentimus tamen, cum eodem Auguſtino, Dei cognitionem ſalutarem, intra fines Paleſtinæ nunquam ſic concluſam & coarctatam, ut non ad alios interdum ſcintillaverit Lux illa Iſraëlis ; ſed aliquando, è vicinis præcipuè gentibus, & conterminis Iſraeli, hunc vel illum, unum alium, καθ' ἕνα, & κατ' ἄνδρα, irradiaverit. Quos Dominus Deus ille noſter, Optimus Maximus, & quidem, quod Ciceroni viſum, *priùs Optimus quàm Maximus*, ut humano more balbutiamus, modis multis, nobis miris, extra ordinem, quia voluit, ὡς ἐν παρέργῳ, quia placuit, tanquam aliud ſubindè agens, ſemper tamen in Chriſto Ieſu, perducere dignatus eſt ad ſalutem. *Chriſtus enim gratis mortuus eſt*, Auguſtino & nobis ſic videtur, *ſi homines ulli abſque Chriſto, ad Fidem veram, Virtutem veram, Iuſtitiam veram, Sapientiam veram, quâcunque re aliâ, quâcunque freti ratione perveniant.* Et quemadmodum, dicebat Beatus Paulus dum componit Legem & Euangelium, *Si per Legem Iuſtitia, gratis ergo Chriſtus mortuus eſt* ; ita quoque ſtatuendum eſt non minùs verè, Si Iuſtitia per Naturam, ſi per vim & poteſtatem aliquam, è Naturâ reſultantem ; ſi per humanam aliquam voluntatem eſt, aut acquiſita per Philoſophiam, & civilem ullam rationem, οἴχεται myſterium illud magnum. fruſtrà totum negotium τῆς συγκαταβάσεως, & οἰκονομίας divinæ in Eccleſia : Chriſtus gratis natus, paſſus, mortuus, ſepultus, & ſuſcitatus eſt. Doctiſſimus Pater Auguſtinus ſolidiſſimè ſic diſputat con-

Lib.4.cap.3 tra Pelagij ſectatorem Iulianum. *In & ſub Lege naturali viventes, ſalutem nonnulli ſunt adepti, non tamen vi Naturalis Legis.* Quaſi diceret διαῤῥήδην, Quidam viventes inter Paganos, ſecundùm civilem rationem, Deo ſunt conjuncti, & jam in æternum copulati, non eapropter, quòd vivebant μετὰ λόγε, aut per vim & efficaciam iſtius λόγε, ſed per & propter ſolum Ieſum Chriſtum, mundi totius ἀπολυτρωτὴν, qui modis, ut dixi, miris & occultis, mortis ſuæ meritum & effectum, extra ordinem inſinuabat, cùm minimè palàm ſentiretur ; & ſanguinis ſui pretioſa ἀποχύσει, arenoſa, arida, deſerta loca irrigabat. Πολλοὶ γὰρ τρόποι τῆς σωτηρίας, rectè ad hunc ſenſum pronuntiabat, jam tertiò compellatus Epiphanius. Multi certè è Philoſophis, lumine naturali non tenuiter, ſed mirum in modum illuſtrati, viderunt quo veniendum

eſſet,

eſſet, ſed illi ingrati facti ſunt, qui ipſis præſtitit, ut viderent. Sibi volebant tribuere quod videbant, & facti ſuperbi amiſerunt, & id etiam quod viderunt. Qui tamen ſi videndo perveniſſent eò, ut bona Dei conſequerentur in Terra viventium, de lumine tuo vidiſſent lumen, qui Lux in tenebris coruſcabas. *Nam profectò, quod ſcriptum eſt*, ait Auguſtinus, *Non eſſe aliud ſub Cœlo nomen, in quo oporteat ſalvari nos, ex eo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam eſt vitiatum.* Unde ſcitè, ut ſolet, & eleganter Gregorius in Ezechielem : *Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna Filio Dauid : quia omnes Electi, qui in Iudæâ eſſe potuerunt, ſive qui nunc in Eccleſiâ ſunt, in Mediatorem Dei & Hominum credunt & crediderunt.* At qui Fidem non habebant, nec cognitionem Ieſu Chriſti deſtinati illius ab initio rerum & deſignati ἀπολυτρωτῦ, neque juſti erant coram Deo, nec in operibus placebant Deo, cui eſt impoſſibile placere poſſe ſine Fide, licet illi vixerant κτ λόγν, ſecundùm rationem vel maximè civilem. Qui tamen non vixerunt fruſtrà κτ λόγν, aut mercedem vitæ per virtutem exactæ nullam omninò reportarunt. Apagè fatuam & falſam hanc opinionem. *Nam ſi privatas res ſuas pro communi re, hoc eſt, pro republica & pro eius ærario contempſerunt : avaritiæ reſtiterunt : conſuluerunt patriæ conſilio bono & ſalutari : neque delicto ſecundùm Leges, neque libidini obnoxij : ſed his omnibus artibus, tanquam in viâ verâ, niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam, honorati ſunt in omnibus ferè gentibus, imperij ſui leges* (nam de Romanis loquebatur iſta Auguſtinus) *impoſuere multis gentibus, hodieq; literis & hiſtorijs glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus, iam non eſt quod de ſummi & veri Dei iuſtitiâ conquerantur, perceperunt enim mercedem ſuam.* Dupliciter autem remunerantur iſti : In præſenti vitâ, poſitivè : negativè in futurâ. *Nam quibus non erat daturus Deus æternam vitam, nulla eſt autem æterna vita ſine Chriſto, cum ſanctis ſuis Angelis in cæleſti ſuâ Civitate, ad cuius Civitatis ſocietatem pietas tantùm vera perducit, quæ non exhibet ſervitutem religionis* (λατρείαν) *niſi uni vero Deo, ſi neque terrenam imperij excellentiſſimi gloriam ijs concederet, non redderetur merces bonis eorum operibus, hoc eſt virtutibus, per quas ad tantam gloriam pervenerunt. At quibus largitus eſt iſta Deus, receperunt illi mercedem ſuam.* Negativè ſecundo modo quem obſervat idem Auguſtinus. *Ad hoc eos in die iudicij cogitationes ſuæ defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ Legis ſunt, utcunque fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus ſuis opus Legis hactenus, ut alijs non facerent quæ nollent perpeti : hoc tamen peccantes, quod homines ſine Fide non ad eum finem illa opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia ille bonus, ſed quia iſte magis malus; & minus impius quàm Catilina, non veras virtutes habendo, ſed minus à veris virtutibus deviando.* Neque aliter certè opinabatur ipſe Zwinglius, quod demonſtrat luculenter Rodolfus Gualterus ipſius gener, ex illius viri ſcriptis ad Urbanum Regium : quicquid minùs cautè & prudenter ſcripſerat aliquando in epiſtolâ ad Franciſcum Galliarum Regem. Certè propter illum, & illum opinor ſolum, arrepta eſt tibi, Roſweyde, anſa deſtomachandi, in *blaſphemam catervam* (quam appellas) *Novatorum.* Quicquid autem ſit, hoc eſt extra controverſiam omnem poſitum, Eum ſupra cæteros, ſi qui ſint alij, quod non credo, in eodem errore verſantes, Novatores, invidiam ſibi conflâſſe propter appoſitionem

Epiſt.157.

Homil.17.

ſitionem exemplorum, cùm non aliam foveret, ſi illam fovit, incommodam ſententiam, quàm cui non-nemo ex antiquis Patribus, & flos Theologorum Tridentinorum, ſubſcripturi erant, Vega præſertim & Andradius. Docet autem Zwinglius in illâ ſuæ Fidei ad Regem Galliarum confeſſione, primò, Animas piorum & fidelium omnium corporum, nexibus & tanquam carceribus emiſſas & emancipatas, rectà ſtatim in cœlum ſubvolare, Deo conjungi, beatificâ illius viſione frui, & æternùm in cœlis cum eodem congaudere. Viſuras ibi olim Deum ipſum, cum omnibus dotibus atque opibus ſuis, ijſdemque uſuras affluenter. Eaſdem verò ibidem conſtitutas animas, Sanctorum omnium, Prudentum, Fidelium, Conſtantium, Fortium, Virtuoſorum, quicunque à condito uſque mundo vixerunt, ſodalitatem, cœtum, contubernium frequentaturas. Quartò ſpeciatim hîc eſſe viſuras docet, Adamos duos, redemptum unum, Redemptorem alterum : Abelem, Noachum, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Iudam, Moſen, Ioſuam, Gedeonem, Samuelem, Eliam, Eliſæum, Eſaiam, beatam Virginem Mariam, Davidem, Ezechiam, Ioſiam, Baptiſtam, Petrum, Paulum. Poſtremò deſcendit ad Paganos, & compellat nominatim Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones : Anteceſſores omnes Regis Franciæ. Sigillatim iſtos omnes ubi recitaverat, tandem concludit in hæc verba : *Non fuit vir bonus, non erit mens ſana, non fidelis anima, ab initio mundi ad conſummationem uſque mundi, quem non ſis iſthuc cum Deo viſurus.* Mentem autem appellat ſanam, hominem βιοῦντα κατὰ λόγον. Animam autem fidelem, non illam Fide vivâ & vividâ imbutam, cujus author eſt, & conſummator Ieſus Chriſtus. Ne quidem informem, vel implicitam. Neque enim illam fidem Scipiones, Camilli, Ariſtides, Catones, Græci vel Romani didicerant, expreſſerant, amplectebantur, (inane ſiquidem ſubterfugium eſt quod nuper tranſcripſimus è Caſalio, Fidem implicitam de Ieſu Chriſto, ſub ratione cadere providentiæ. Ita enim ſalvandorum, etiam inter Paganos, numerus aſſurget in infinitum, cùm divinam agnoverint providentiam omnes, qui non declinabant ad Atheiſmum) ſed ſecundùm rationem Civilem Fidem; hoc eſt, Deum in Chriſto ignorantem invincibiliter : reverentem tamen Dei majeſtatem in mundo relucentem, Monarchiam divinam admittentem, divinam profitentem Oeconomiam, & totum illud, quod Ratio dicitur Providentiæ. Aufer autem iſthinc, Eriberte, inauſpicatos & nimis importunè inculcatos à Zwinglio, è Gentilium libris atque literis, Deos, Pontifices, Duces, quamvis *impios*, non tamen *crudeles*, tamen nimis temerè de nominibus compellatos, & quid erit, te rogo, in illâ Zwinglij ſententiâ, tanto ſtrepitu dignum & tumultu ? Clamoribus hiſce tragicis excipiendum, in blaſphemâ catervâ Sacramentariorum ? Illi veſtri Scholarum & Monaſteriorum Principes & Coryphæi, ſi doctrinam à ſe in theſi propoſitam, & argumentis propugnatam, exemplis in hypotheſi, aut vellent aut deberent illuſtrare, non alios, credo, nobis nominarent in hac cauſsâ, quàm vel eoſdem ipſos, vel ipſis ſimillimos, quos Zwinglius nominatim recitavit. Nos, nec iſtum, nec illos, ne erres, vir doctiſſime, ſequimur, vel ſequemur errorum Duces. Zwinglij ſententiam, & aliorum, (ſi qui tamen ſunt, quos reor vel nullos, vel admodum pauciſſimos reperiri, qui adhærent Zwinglij opinionibus) ſuo ipſorum nomine,

necnon

necnon Novatorum, Hæreticorúmque omnium, Beza jampridem & Oecolampadius refutarunt, furioso illo teste Feuardentio. Vegam è vestris vel Andradium, ne leviter pupugit, aut perstrinxit quispiam, quod ego sciam. Et tamen in caussâ Zwinglianâ, fides illa implicita & involuta intercedet, quæ Iustinum, Clementem, alios expedivit. Nolo ἐγὼ ulterius istam βασανίζειν. Concludam verbis doctissimi Augustini: *Illa Fides in nobis salva sit, quâ credimus, nullum hominem, sive maioris, seu parvulæ quamlibet & recentis ætatis, liberari à contagione mortis æternæ, & obligatione peccati eâ, quam primâ suâ nativitate contraxit, nisi per unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum. Cuius hominis, eiusdemq; Dei saluberrimâ Fide, etiam illi iusti salvi facti sunt, qui priusquam veniret in Carne, crediderunt in Carne venturum. Eadem namque Fides est, & nostra, & illorum: Quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus esse factum.* Iesus enim Christus, ille noster Mediator, & ἀπολυτρωτὴς, heri fuit, hodie est, idem erit & in sæcula sæculorum. *Quicquid autem & antequam in Christum crederet Cornelius ille Centurio, & cùm crederet, & credidisset, benè operatus est, totum illud Deo dandum est, ne fortè quis extollatur, ultra quàm quod oportet sapere.*

SECT. V.

Dissertatio de Iovio apud Photium, nimium duriter, & minus aptè atque congruenter reprehenso per Casaubonum. Christus λόγος. Hominum δημιουργία. Filius potius quàm Pater, aut Spiritus Sanctus refinxit Hominem. Christus repositus in præsepi. Homines cur piscibus assimulati. Sagenâ inclusi. Christus in Scripturis est πολυώνυμος. Cur. Casaubonus Basilium non rectè interpretatur de λόγῳ cautionem adhibentem. Verbum, λόγος multipliciter sumitur. Hieronymi locus, desumptus ex Eusebio contra Marcellum. Cuius locus prolixior, ineditus, citatur.

INcommodam satis nonnullorum sententiam, de salute Paganis procurandâ & elargiendâ sine Iesu Christo Mediatore, stylo prosequutus aliquatenus, & perfunctoriè satis Exercitator, in caussam inquirit paullò post, πόθεν ὁρμώμενοι vetusti Scriptores, ad illam propagandam & propugnandam accesserunt. In caussâ esse illud opinatur unicum, quòd existimaverint illi omnes, Hominem dictum esse λογικὸν, id est, rationalem, vel præditum ratione, quia factus particeps sit τοῦ λόγου, ἤτοι χριστοῦ, *Rationis aut Verbi, quod est, Christi.* Et vocem illam, λόγον, postquam docuerat usurpatam esse homonymôs, non sine periculo, apud veteres Patres, id ideò factum arbitratur, propter ambiguam illius vocis & incertam significationem. Eosdem autem Patres affirmat adhuc perperam, cùm Platonem, tum Philosophos etiam alios, propter Θεοῦ λόγου, vel θείου etiam λόγου mentionem, ad Confessionem Christianæ pietatis, & communionem in Fide,

diversa sentientes, pertraxisse. Hinc ad Iovium delapsus in excerptis Photij, Scriptorem, quod apparet ex reliquijs illis, eruditum, illa literis consignavit vir doctissimus, quæ doctissimo quoque Talionis contextori bilem commovêrunt, & fortassis (saltem aliqua ex parte, neque enim errantes excusamus) non injuriâ. *Patrum*, inquit Heribertus, *venerandam canitiem invadit : eorum insidiatur calcaneo. Eos docens à quibus discere : eos lædens quos laudare debuerat.* Grave crimen proculdubio, Caie Cæsar, & scelus ineluibile inexpiandumque nostri Exercitatoris, si modo verè usurpatum erat illud olim adagium, *Etiam vultu læditur pietas.* Sed videtur cocetum quoddam & περιτάειχον esse crimen istud, à capite ad caudam, à canitie ad calcem, pervagatum. Quid opus calcaneo insidiari, cùm in ipsum os & canitiem vi apertâ invadat ? Quid opus προσράψαι τὴν ἀλωπεκῆν, ubi ἐξικνεῖται ἡ λεοντῆ: pellem assuere vulpinam velle, ubi pertingit leonina pellis ? Dolis, insidijs & cuniculis agere subterraneis non est opus, ubi grassantur liberè ad prædam vi manifestâ : hoc est enim, ubi vultus invaditur & canities, frustra calcaneo insidiæ struuntur. Quicquid verò tandem criminis sit, seu calcaneo insidietur, sive involet in os Exercitator; seu vi apertâ, sive doctis dolis oppugnet adversarium suum ; longè abest ab eo tamen, ut in Iovio, utcunque *eleganti Scriptore* apud Photium, *invadat venerandam canitiem antiquorum Patrum*, nisi Patres in Iovium imaginari velimus, vel per μετεμψύχωσιν transfusos aliquando, vel novâ quadam mixtione coagulatos. Neque enim si Rosweydus, vel quivis alius è choro Eruditorum, liberè dissentiat ab Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, Basilio, cæterisve antiquis majorum Gentium Patribus, involare in os Antiquitatis, venerandam veterum Patrum canitiem violare, illorum calcaneo insidiari, aut illos lædere, jure dicetur, quos laudare debebat ; eos docere à quibus oportuit discere. Rectè enim doctissimus & accuratissimus Maldonatus non veretur interdum, quod ante ipsum liberè fecerat Caietanus, à communi consensu, & quasi à torrente Doctorum aliorsùm abire, & in suâ ipsius, vel solitariâ sententiâ, vel cum paucis conjunctâ, residere. Rectè autem è vestro, vir doctissime, Sodalitio vir merito suo certè clarissimus, & in veterum Patrum scriptis jam multos annos, præcipuè Græcorum, versatissimus, si quis alius, & summâ cum laude adhuc versatus, in literis ad me suis pronuntiabat : *Neque enim tanquam Legislatores illos vobis proponendos censemus, aut ferimus Iudices controversiarum, sed ad Ecclesiam universam, ad* ἀμίαντον *illam Christi Sponsam iudicium illud contendimus pertinere, quæ Spiritu Sancto regitur, & à Christo ac sanctis Apostolis ritus accepit & ceremonias, quibus à nobis placandum colendumq́ esse Numen nos docuit, illis præcipuè prioribus quatuor sæculis, quibus illi sancti Patres floruerunt, & suis nobis libris etiam Fidem testatam reliquerunt, quam in universo tunc orbe Christiano Ecclesia prædicabat.* Hæc vir eruditissimus Fronto Ducæus : in cujus sententiam velis remisque libens meritò descendam, & non furiosi mecum, quos vocare soletis, Novatores credo omnes. De Iovio autem obscurior erat fama, quamvis eleganti profectò Scriptore, quod apparet è reliquijs adhuc apud Photium, quàm ut Patrum in eo violetur veneranda canities, si illius calcaneo insidiæ struerentur aliquæ. Adeò erat evanida illius & fugitiva memoria, quæ nusquam in Concilijs, aut veterum Actis (quod ego sciam, vel πολυμαθέστατος Baronius indicavit) apparet,

paret, ut nisi per Photij foret μνημόσυνον, vix quidem aut ne vix, Iovium de nomine agnosceremus. Quocirca cùm istius Iovij, utcunque elegantis ingenij, non tamen antiquissimi, quod videtur, Scriptoris, sed paullò ante tempora Photiana, dicta quædam cum Patribus nonnullis famâ existimationéque celeberrimis, ætate quoque & canitie venerandis, communia, non probaret Exercitator, heroïbus illisce Patribus, Clementi, Athanasio, Ambrosio, Cyrillo pepercit modestè, (si tamen quid erat in quo Senioribus illis parceretur) ne quidem nominibus recitatis, & quod dignum rebatur reprehensione, licet perperam (ita fateor) rebatur, in Iovio, Scriptore notæ cujusdam inferioris improbavit. Nollem excidisset, ne in Iovium quidem, aut Iovio minorem quemcunque Scriptorem, præpropera censura, & nimis importuna, quâ *Ludere potiùs illum in re gravissimâ, quàm seriò Theologum agere* pronuntiavit. Tu tamen iniquus es, mi Rosweyde, qui affirmas, Patrum antiquorum venerandam canitiem, hoc nomine, ab illo lædi vel invadi. Patrem tibi nullum nominavit, ne tum cùm fortè posset, in caussâ improbatâ nominasse quosdam : Iovium selegit quem notaret, in οἰκονομικῇ, quam inscripsit, apud Photium. Ille igitur in ijsce fragmentis, Christum τὸν λόγον, æterni Patris, coæternum Filium & coæqualem, in mundum hunc venisse quidem arbitratur, non Patrem verò, non Spiritum Sanctum, ob eam caussam, ut εἰς ἀλογίαν καταπεσοῦσαν τὴν φύσιν ἡμῶν, καὶ μηδὲν πρὸς τὸ νοερὸν, ὅλην δὲ πρὸς τὸ σαρκικὸν ἀποπεσοῦσαν : *In irrationalitatem lapsam Naturam nostram humanam, & nequaquam ad bonum intelligibile, sed totam delapsam in carnale bonum, retraheret & restauraret.* Respondemus exertissimè, vir erudite, primùm, meritò reprehendi vestrorum hominum iniquissimam consuetudinem, quâ soletis cœlum terris permiscere, & nimis profectò invidiosè Patrum contemptum & Insuper-habitionem nobis imputare, si quandoque, licèt parcè, modestissimè licèt & petitâ veniâ, in rebus adiaphoris neque maximi momenti, à quorundam Procerum illorum in Ecclesia διαβοήτων, neque enim omnium, sententiâ recesserimus & opinione. Non est hoc candoris vel eruditionis tuæ, Eriberte, tuique similium doctorum, non est. Non est hoc prudentiæ vel pudoris tui, illud alteri reponere, & tanquam crimen objectare, quod cùm tibi ipsi detur vitio, erubescas. Conscientiam cito testem, vir doctissime, an ex æquo & bono ? an *more Maiorum*, quo quondam *Inter bonos bene agier*, oportebat ? Secundò, sic dictum habeto, bone vir : Antiquum concedimus Scriptorem Iovium ; non tamen antiquissimum : non tamen inter Proceres & veluti Patricios in consessu Senatorum Ecclesiæ Dei allectum vel ascriptum. Non enim, si quis author satis elegans, ante aliquot sæcula migravit ad plures, ideò statim Clementibus, Tertullianis, Irenæis, Iustinis par fuerit & æqualis : cum Cyrillis numerabitur, Athanasijs, Ambrosijs. Potuisse non dubito, Exercitatorem, si in Patres antiquos involare voluisset, Iustinum, cum primis illustrem martyrio & doctrinâ virum, denigrare ; qui Socratem, Heraclitum, & hisce similes Ethnicos pro Christianis numeravit : atque ideò numeravit pro Christianis, quòd Iesus noster Christus in hunc mundum venerat, ut humanam repararet, ipse Dei λόγος, τὴν ἀλογίαν. Illi, inquit Iustinus, λόγου μετέχον : & ideò vixerunt μετὰ λόγου. Quia autem μετὰ λόγου vixerant, erant dicendi Christiani, cùm Christus author nominis sit Dei λόγος. Non λόγος μόνος, ὅμοιος τῷ ἐν ἀνθρώποις, πότε μὲν ἐν τῷ θεῷ ἡσυχάζων, ὁμοίως τῷ παρ' ἡμῖν σιωπῶντι;

uti loquitur Euſebius contra Marcellum, πότε δὲ ἐνεργῶν, τῷ παρ᾽ ἡμῖν ἐν τῷ λέγειν φθεγγομένῳ παραπλησίως: *Ratio ſola ſimilis in hominibus exiſtenti rationi interdum in Deo quieſcens, quemadmodum inter nos ubi quis conticeſcit, interdum verò operans ad eum modum quo, qui vocem ſuam exerit in loquendo.* Ita enim quicunque tandem opinaretur, ψιλὸς ἂν εἴη Ἰουδαϊκῷ τινὶ καὶ ἀνθρωπίνῳ συντρέχων φρονήματι, τὸν δ᾽ ἀληθῶς υἱὸν τοῦ θεοῦ ἀρνούμενος: *Manifeſtò teneretur, cum Iudaica & humana opinione concurrere, Dei autem filium verum & genuinum negare.* Quæ cùm ſint, ut jam diximus, rejectitia, καὶ τὴν ἀλήθειαν παραχαράσσοντα, quod rectè arbitratur Caſaubonus, non tamen ſequitur quod volebat ille idem, κίβδηλον eſſe & damnatam ſententiam, quicunque tandem eam tutatus fuerit, Chriſtum ideo miſſum, cùm eſſet θεοῦ λόγος, ut humanam ſanaret τὴν ὑγίαν: aut ideò falſum eſſe quod illi propugnant, τοῦ λόγου μετέχειν, hoc eſt, Chriſti participes factos eſſe omnes, quicunque ſecundùm rectam rationem viventes, Chriſtum Dei unigenitum, hoc eſt, ἀληθῶς υἱὸν, ut Euſebius loquitur, non agnoverunt. Nam non tam latè patet, *Chriſtianus eſt*, quam patet μετέχει λόγου. Neque hæc dicuntur è converſo, Omnis Chriſtianus μετέχει λόγου; &, Quiſquis λόγου μετέχει, is eſt dicendus Chriſtianus. Lux eſt Ieſus Chriſtus, & eſſe dicitur Lux, *illuminans omnem hominem* qui in hunc mundum venerit, ait Evangeliſta: non tamen quiſquis in mundum veniens, lumine quovis, à Chriſto quidem diffuſo, & propagato, illuminatur; hoc eſt, quia & quatenus μετέχει λόγου, ideò pertinet ad Ieſum Chriſtum. Illuminat omnem hominem venientem in hunc ipſum mundum, non quia nullus eſt omninò, qui non illo illuminatur; ſed quia niſi ab illo, nullus illuminatus, illuminatur. Eadem Lux, & λόγος idem. Sed illuminati omnes non eodem modo, ad eandem menſuram, ijſdem medijs, ſed nec eodem per omnia lumine illuminantur. Λόγον illum θεῖκὸν, καὶ θεοῦ, καὶ θεὸν oportere diffundi & ad homines diſſeminari, rectè quidem ſtatuit Iuſtinus Martyr: ſed quatenus tamen, ſed quouſque. λόγου etenim μετέχοντες, diſparibus menſuris, modis diverſis, participant: cùm, quod vetus habet regula Philoſophorum, neceſſe ſit omninò, quod recipitur ad modum recipiatur recipientis, non ad ſufficientiam ὑπερβάλλοντος, aut τὴν αὐτάρκειαν, communicantis. An illam τοῦ λόγου menſuram voluit, ad ſalutem conſequendam, & vitam æternam ſufficere, quæ in ſtatu naturali conſtitutis, ſine ullo ſpecialioris gratiæ ſubſidio ſalutari, aut extra ordinem privilegio, per modos minimè communes aut ordinarios communicatur? At parca eſt & curta nimis hæc ſupellex: jejuna, macra, nec ſufficiens communicatio. Neque propter Chriſtum, Lumen, λόγον, hâc ſolâ ratione, non autem alia quavis excellentiore, communicatum, poſſunt vel debent, ut ſtatutum eſt à nobis, cenſeri Chriſtiani, Socrates, Heraclitus, Fabricius, Regulus, aut ſi qui olim inter Græcos à fœdere Iſraëlitico alieni, vixerunt μετὰ λόγου. Quid enim, quæſo, obſtaret tum, quo minus illi omnes qui ratione præditi ſunt, nec in vitam & mores belluinos degenerarunt, etſi forſan non ex æquo omnes, poſſint tamen appellari Chriſtiani? Quocircà doctiſſimus Exercitator, ſi in animo haberet, quod tu βλασφημεῖς, petulantiùs inceſſere & contumelioſiùs tractare Patrum canitiem venerandam, in Iuſtinum, Clementem, Chryſoſtomum, cæteros, non in Iovium, Senatorem pedaneum inveheretur. Sed antiquitatis ſummus admirator ille, & quod tu minimè ignoras, inſtaurator egregius, longè profectò abhorrebat, ab illâ

nonnullorum

nonnullorum intemperie ſive ſcabie, qui per Patrum contemptum & vexationes graſſari ſolent ad gloriam, & illam vulgi imperiti commendationem. Iovium ille, non diffiteor, perſtrinxit duriùs, qui propter τὸν λόγον, introductum reſtauratorem τῆς ἀλογίας, *ludere* ſcripſit elegantem virum, *potiùs quàm ſeriò Theologum agere:* Quaſi illum exiſtimet & non alium, ſeriò tractare Theologiam, qui tantummodo dogmaticè per κυρίας δόξας, per ſenſum Scripturæ literalem res tractet & diſpenſet Theologicas, ac non etiam illos qui ſatis ſobriè, ad mores & diſciplinam accommodatè, per allegorias & anagogas, quaſi animi ſui relaxandi gratiâ, liberiùs diſcurrunt, varietate quâdam jucundâ ſe oblectant, & animos ita alliciunt auditorum. In ordinem illi cogunt Spiritum Sanctum, & tanquam ſub diſciplinâ redigunt imperioſi nimium Novantes, qui præter literam, & illam ſolam, non admittunt in Scripturis intelligentiam. Sancti Patres in reddenda ratione, cur Filius in divinis, ac non Pater vel Spiritus, humanam noſtram carnem, admirando modo, in illâ συγκαταβάσει ſibi copulaverit, non in unicâ hac conſiſtunt ſolitariâ; ſed plures quidem, probabiliter omnes, excogitarunt, & cum fidei conjunctas analogia rationes. Hanc ob rem, amœniſſimi ingenij Iovius (quod ſatis liquet è reliquijs Photianis) illàm, non ſolam neque ſolitariam, ſed cum pluribus, utcunque cenſendam inprimis, duxit ingerendam, quæ deducebatur ab illâ ſimilitudine, quam λόγος, Dei Patris æterni coæternus, ἰσπώδης & ἐνυπόστατος habuit, cum λόγῳ ἐσίας hominis, olim conditi ad imaginem & ſimilitudinem ſui creatoris. Quam Dei imaginem atque ſimilitudinem, in homine primo relucentem creato, in lapſu per peccatum deformatam, & quemadmodum ille loquitur, delapſam εἰς ἀλογίαν, ille λόγος ἀρχέτυπος, certum eſt, & ἰσπώδης, admodum certè congruenter ἐν τῇ οἰκονομίᾳ ſuſcepit refingendam. *Homo conſtitutus in honore*, ut cum Regio pſalte proloquar, cùm non poſſet concoquere fœlicitatem ſuam, *ſimilis factus eſt brutis animantibus, & cum ijſdem reputatus*, Hanc ob cauſſam, non ſolùm λόγος miſſus eſt, ad reformandam illam belluinam ἀλογίαν, ſed (quod ipſum nec Iovius prætermiſit in ſequentibus) magnus ille mundi Monarcha, conditor & reſtaurator, Λόγος, de Virgine matre, modo prorſus myſtico, ἐνσαρκωθεὶς, & in lucem hanc caducam & mortalem editus, faſcijs involutus præſepi imponitur, quod eſt revera τράπεζα τῶν ἀλόγων, *menſa brutorum animantium*, admirabili divinâ diſpenſatione. In iſtius inſuper rei ſignum, ſagenam docet idem in mare miſſam, piſcibus in unum concludendis, cùm piſces ſint, id quod proverbium docet, ἀφωνότατοι, & viventium omnium ἀλογώτατοι; quippe cùm, nullum in ullâ ſpecie, queas, ut cætera animantia, cicurare. Hiſce, homines, divini verbi verriculo τῷ ἀμφιβλήστρῳ, ad regnum Dei olim includendi, nec quidem injuriâ, aſſimulari poterint, propter impotentiam naturalem, & ad omne bonum opus ἀλογιστίαν & ἀλογίαν. Quæ ipſa & ſimilia non debemus, ita ab eo dicta interpretari, quaſi eam ob cauſſam, & non aliam omnino, Chriſtus iſtâ parabolâ uteretur: aut quaſi hanc ob ipſam cauſſam ſolitariam, infans in præſepi fuiſſet reclinatus: quod, cùm diverſam aſſignet Evangeliſta cauſſam, & è re præſenti ortam, propterea quòd nimirum non eſſet in diverſorio locus, nemo unquam aut ſcripſit, aut ſentire debuit. Servatâ tamen fidei analogiâ, cauſſâ primâ & præcipuâ obſervatâ, etiam aliæ multiplices, inter ſe diverſæ, quid ni poſſint præterea excogitari,

ad

ad Ecclesiæ Iesu Christi ædificationem? Per multa siquidem media, velut totidem semitas ἐκ παραλλήλου, ad eundem finem: hoc est, per viam Regiam καὶ λεωφόρον, pervenitur: & unus etiam atque idemmet ipse finis, velut quoddam objectum adæquatum proponi solet. *Est cortex Scripturæ*, ait Leo, *est & medulla*. Nec aberrat, aut de viâ recedit ille, qui ut possit pertingere ad medullam, corticem scrutatur multipliciter. Neque ludere vel nugas eum agere statuendum est, quisquis *Patris Sapientiam*, ideò venisse in mundum docet, ut prudentiam traderet atque eruditionem: quandoquidem sunt infatuati & stulti facti, quos peccatum à Deo alienavit. Neque si quis illum qui *Lux est vera*, illuminans omnem hominem in hunc mundum venientem, & Sol justitiæ oriens ex alto, opus aggressum restaurationis statuat, quia tenebræ mundus esset factus, & homines in hoc mundo constituti essent omnes vel ἀφώτιστοι, lumine prorsus omni vero & veritate destituti: vel, μὴ καθαρῶς πεφωτισμένοι, lumine quodam, sed vel scintillante, vel præditi quodam caliginoso. Hæc qui statuerit, non est statim dicendus otiari. Nec denique si quis filium Dei dixerit, ob illam caussam incarnatum (quanquam hoc non probet noster Iovius) διότι τοῖς εἰς υἱοθεσίαν κεκλημένοις, τὸν υἱὸν ἔδει ἀναχωνιστὴν τῆς υἱοθεσίας γεγενῆσθαι, *vocatis ad adoptionem filiorum, ipsum Dei filium oportebat, adoptionis comparere restauratorem*; ideò minus Theologicè putabitur loqui, aut ludere in re seriâ. Rectè enim Cyrillus Hierosolymitanus, Οὐκ ἔστιν ὄνομα ἓν ἀρκοῦν, οὔτε δύο, οὔτε τρία, οὔτε πλείω, διδάξαι τὰ περὶ Θεοῦ, *Vnum nomen aliquod non est sufficiens, non duo, non tria, sed neque plura, ad docendum ea quæ spectant ad cognitionem Dei.* Et verè Cyrillus, cùm, ut habet Iustinus ille Martyr, οὐδὲν ὄνομα ἐπὶ Θεοῦ κυριολογεῖται, *Nullum de Deo proprium nomen prædicatur propriè.* Itaque κἂν μονοειδὴς sit, est tamen, ait idem qui supra Cyrillus, πολυώνυμος. *Ostium* dicitur, *Mons*, *Ovis*, *Pastor*, *Leo*, *Lapis*, *Christus*, *Filius hominis*, *Iesus*, *Dominus*, *Vitis*, *Via*, *Veritas*, *Agnus Dei*, *Verbum*, &c. & ut liceat mihi illud Callimachium, ad mentem Cyrilli παρῳδεῖν, τῇ πολυωνυμίῃ οὐδεὶς τόσος ὅσος Ἰησοῦς, In quibus omnibus nullum nomen est, appellatio certè nulla, de quâ eâdem satis congruè, & ad regulam fidei appositè, non possit ratio probabilis afferri, cur is, eo nomine designatus, ad restaurandum venerit humanum genus, non autem Pater vel Sanctus Spiritus: quo modo reddidit, de λόγῳ refingente τὴν ἀλογίαν, caussam pietati congruentem Photianus Iovius, & valdè insuper elegantem ac concinnam. Basilium ad ista trahi per doctissimum virum, invitum miror & reluctantem, cum illud transcriptum è Basilio ad propositum non spectet, aut præsentem istam disquisitionem. Ὅρα, ait Basilius, μὴ πότε σε παρακρούσηται τὸ ὁμώνυμον τῆς φωνῆς. Vide ne te fortè decipiat homonymia vocis, pag. 505. edit. Parisinæ. Sed quorsum ista cautio? ὅρα μὴ πότε &c. nimirum, quia λόγος refingere nostram illam & restaurare, in quam incideramus τὴν ἀλογίαν, per peccatum similes facti brutis animantibus, ab illo dicatur, & in caussâ allegetur, quod quamvis dicatur argutè quidem, parum tamen solidè videbatur Basilio dici? Id videtur voluisse Exercitator. Si noluit, omnino nihil dixerit. Neque enim si cavendum ab homonymiâ vocis alicujus aliquando est, illâ voce interdicitur omnino nobis uti, ab eo debemus abstinere, quasi non posset illa vox utiliter, piè, sobriè omnino adhiberi. Scimus apud Philosophos & νοῦν & λόγον, rerum præfuisse Creationi, & conservationi earundem, dici. Neque refert quid per

Hymno 2. in Apollin.

λόγον

λόγον illi intellexerint, quid νοῦν statuerunt διαλογιζόμενοι, à nostris hauserunt appellationes, fatendum est: de sententia nostrorum non loquutos fuisse, si & ego, nec illibenter, dederim: Quid tum? Quæ est hæc iniquitas (vir erudite) cum Philosophis ἀφωτίστοις, sanctos Patres in idem pistrinum veluti compingere, καλῶς τῷ φωτὶ πεφωτισμένους; optimè à lumine illuminatos. Cyrillus ad suam mentem Philosophos adhibuit: illi autem non loquuti sunt ad illius mentem. Ut probaveris non locutos, non probabis tamen malè loquutos; aut, ut illud demus, veteres Patres, ut illos, sic loquutos malè. Sed attende παραλόγισμον tuum in Basilij loco. Sanctus ille Pater enarraturus locum ex Euangelio Iohannis, ubi dicitur in principio ὁ λόγος extitisse, quærit ante alia, ποῖος esset ille λόγος? num humanus? num Angelicus? esse enim & Angelorum λόγον, prolato ex Apostolo testimonio probat. Λόγον porrò omnem in communi usu positum, esse vel προφορικὸν, qui in aërem solet evanescere: vel ἐνδιάθετον, & τῇ καρδίᾳ ἐναποκείμενον. His ad istum modum prælibatis, infert cautionem illam tuam, Ὅρα μή ποτέ σε παρακρούσηται. Erant enim Hæreticorum filij, qui, ut Hilarius rectè docet, *Perimentes quantum in ipsis est Dei filium, verbum esse tantùm profitentur: prodeuntem, scilicet, ex loquentis ore sermonem, & insubstantivæ vocis incorporalem sonum. Vt Deo Patri istiusmodi sit verbum Filius, cuiusmodi per insitam nobis loquendi naturam, verbum ore profertur in vocem.* Cujus impiæ sententiæ propugnatores existunt apud Epiphanium, Paulus Samosatenus, & Marcellus Ancyranus. Quod idem de Marcello eodem scripsit Eusebius, in libris de Theologiâ contra Marcellum, quos penes me servo manuscriptos Græcè, Socratis Historici testimonio confirmatos. Hanc ob caussam Basilius ubi cautelam adhibuerat, ἄκουε, inquit, τοῦ λόγου θεοπρεπῶς. Atqui certè θεοπρεπῶς, cùm Iovius hoc in loco, tum sancti etiam Patres acceperunt. Sed θεοπρεπῶς ille λόγος acceptus, in multiplici ac variâ acceptione consistit. Fatemur etenim cum Hieronymo, λόγον Græcè non unum quid significare. *Nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & caussa uniuscuiusque rei, quæ in Christo universa rectè intelligimus.* Hæc ille ut videtur ex Origine mutuatus, qui in Iohannis Euangelium ita scribit in clarissimi Savilij manuscripto, Ὥσπερ οὖν θεοὶ πολλοί, ἀλλ' ἡμῖν εἷς θεὸς ὁ πατήρ· καὶ πολλοὶ κύριοι· ἀλλ' ἡμῖν εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστός, οὕτω καὶ πολλοὶ λόγοι. *Quemadmodum igitur Dij sunt multi, sed nobis unus Deus est, Pater: & multi Domini, sed nobis unus Dominus Iesus Christus, sic & multa etiam verba sunt:* hoc est, vox illa λόγος, quemadmodum censuit Hieronymus, multipliciter accipitur. Sed distinctiùs Eusebius in illo cujus supra memini contra Marcellum Ancyranum scripto, Ἡ μὲν εἰς τὸν λόγον δηλοῦσα λέξις, διὰ Ἑλληνικῆς γλώττης διερμηνευμένη, πολύσημον ὑποβάλλει τὴν ἐξ αὐτῆς θεωρίαν· κέκληται γὰρ ὁ λόγος, καὶ ὁ ἐν τῇ λογικῇ ψυχῇ καταβεβλημένος, καθ' ὃν τὸ λογίζεσθαι ἡμῖν πάρεστι· καὶ παρὰ τοῦτον ἕτερος, ὁ διὰ γλώττης καὶ φωνῆς ἐνάρθρου σημαντικόν τι. Καὶ κατὰ τρίτον τρόπον, ὁ διὰ γραφῆς τῇ γραφῇ συντεταγμένος. Ἤδη δὲ λόγον εἰώθαμεν λέγειν καὶ τὸν σπερματικὸν ἢ φυτικόν, καθ' ὃν, δυνάμει, τὰ μὴ φῦντα, ἐναπόκειται τοῖς σπέρμασι, μέλλοντα ὅσον τ' ἐνεργείας εἰς φῶς προϊέναι· Καὶ παρὰ ταῦτα ἑτέρως εἰώθασιν ὀνομάζειν λόγον, τὸν ἐπιστημονικὸν τέχνης τινὸς ἢ ἐπιστήμης· καὶ πάντων τῶνδε θεωρημάτων καταληπτικόν, οἷον ἰατρικόν, καὶ ἀρχιτεκτονικόν, ἢ γεωμετρικόν. Locum integrum descripsi ex Eusebio, propterea quòd nec Græcè nec Latinè scriptum illud adhuc excusum extet; in quibus quidem singulis significatis, illud Basilij, θεοπρεπῶς locum suum potest obtinere. Non est autem opus illâ cautione, hoc in loco Basiliano, quâ nos voluit præmunire

ad Paulinũ.

Tom. 2.

præmunire doctiſſimus Exercitator, ſed aliâ magis accommodatâ, quam adhibet in ſequentibus idem Pater. Ὅσον εὐσεβὲς, τοῦτον λάβε εἰς τὴν τῆς μονογενοῦς θεολογίαν, ἐκ τῆς τοῦ λόγου φωνῆς· ὅπερ δ᾽ ἂν εὕρῃς ἀπεμφαῖνον καὶ ἀνάρμοστον φαινόμενον, τοῦτο παραίτησαι, καὶ μηχανῇ πάσῃ ὑπέρβηθι. *Quicquid erit coniunctum cum pietate, ad Deitatem unigeniti demonſtrandam, licet id deſumas à voce* λόγος: *atſi quid inveneris alienum & incongruum, illud te oportet repudiare, atque omni modo tranſilire.* Tale illud Valentini illius execrandi in excerptis Clementinis apud Theodotum, qui impiè & nefariè affirmare ſolebat, Æonas ſuos, portentoſa commenta, ὁμωνύμως τῷ λόγῳ λόγους εἶναι. Tale illud fortaſſis apud Chaldæos, Ægyptios, & ab illis derivatos Platonicos, olim philoſophandi genus, qui Patris & Filij in divinis ſubſiſtentiam per Νοῦν & λόγον expreſſiſſe nonnullis viſi ſunt, undè arreptâ occaſione perditiſſimi omnium Hæreticorum Gnoſtici, immania quædam portenta ſunt commenti. Sed illud quod à Iovio concinnè ponitur de λόγῳ reformante τὴν ἀλογίαν humanam, extra omnem aleam hujuſcemodi periculi ſitum eſt, nec probanda eſt viri eruditiſſimi, pluſquam rigidior hic Cenſura; vel περιεργία nimis intempeſtiva.

Sect. VI.

Viri docti ἀλαζόνευμα *intempeſtivum. Aquinas Scholaſticorum coryphæus. Ambroſius ſolus pro Patribus Latinis citatus à Taliatore. Patres Græciâ celebres numero non momento recitati. Imago divina &* λόγος *non dicuntur* ἀπρεπόντως. *Imago & ſimilitudo variè à Patribus exponuntur. Imago* κατὰ χάραγμα *ſumitur.*

QVicquid autem ſit de Cenſurâ Caſaubonianâ, tu tamen, Heriberte, vix eſt ut ſeriò Iovianam rem egeris, aut in cauſſa non fueris prævaricatus. *Nolo*, inquis, *mihi fidem pro Iovio, ſeriò pugnanti adhibeas, niſi Patres ipſos Græciâ Latio celebres, niſi D. Thomam Scholaſticorum Coryphæum, eadem produxero aſſerentem.* Satis iſta confidenter, & fortaſſis temerè: ſatis etiam alienè & ἀπροσδιονύσως. Quid enim Patres tuos iſtos celebres? quid Thomam commemoras coryphæum omnium ſcholaſticorum? Tuum illum Thomam, *ſecretioris Theologiæ* jam per aliquot luſtra Dictatorem, facilè tibi, credo, condonaret Exercitator: cui non eſt tanti coryphæus ille, quin, ad vetuſtam ſi componas antiquitatem, ſit σφὰξ βομβῶν τέττιγος ἐναντίον: cujus ille *ſcorias*, tu ita loqueris in ſequentibus, cum puriſſimo veterum Patrum, & obrizo quidem auro non admiſceret. Sed nos illum tuum non vilipendimus Scholaſticorum principem & coryphæum, neque ſecretiorem illam faſtidimus, ut ſolent delicatuli, ſtulti forſitan, certè imperiti, Theologiam. Vir planè admirandus D. Thomas fuit: Id non poſſumus tamen fortaſſis aſſentiri, coryphæum dici omnium ſcholaſticorum, cum eidem anteriores, ſaltem duo, viam præiverint Theologiæ: Halenſis autem noſter irrefragabilis Doctor, ad miraculum uſque eruditus, palmam illi poſſit, ſi non præripere, tamen dubiam facere & ambiguam: cumque illo deinceps poſteriores, Scotus ille *lima veritatis*,

ut Scaligero viſum : Ockamus, *qui exceſſit modum ingenij humani,* nec vivi neque mortui D. tuo Thomæ ſubmiſerint faſces. Quod ſi Angelos, tu Roſweyde, cum Gregorio, ſeraphinicis ſubjeceris poteſtatibus, quæ eſt illa ratio? quæ conſequentia? ut doctor Angelicus ab Aquino, ſeraphico præferatur Bonaventuræ? Videbimus autem in loco de Aquinate, quem de κορυφῇ non detraxero, à te, & ſocietate, his aliquot luſtris literarum Cenſoribus, ὑπὲρ βαθμῶν, non ignoro, collocatum, & Principem Senatus recitatum. Videndum nunc de Patribus *Græciâ Latio celebrioribus*, quos tu niſi produxeris idem cum Iovio tuo afferentes, ne Iovio quidem velis adhiberi fidem. Viveret Exercitator, vir erudite, non recuſaret ille conditionem: neque enim adhiberet fidem Iovio, quem perſtrinxit aſſerentem quod de fide tibi tantum non videtur eſſe: ſed de Iovio te ſecurum jubemus eſſe, illi fidem nos habemus non inviti, de Chriſto λόγῳ, refingente τὴν ἀλογίαν humanam, differenti de Patribus celebribus, à quorum jam conſeſſu, & Concilio, Iovium tute tandem videris ſummoviſſe, vocandus es ad calculos & examen. Agamus ergo invicem collatis tabulis: Patres narras Græciâ Latióque celebres: puta autem, & inîto numerum Latinorum Patrum. Citamus primum è Patribus Latio celebrioribus: Ambroſium ſuggeris; nec abnuimus: Secundum poſtulamus; Ambroſium profers & ſecundò: Tertium; & eundem Ambroſium ipſum narras: ita eſt Ambroſius, ut loquuntur, τὸ πᾶν. An enim tu treis nobis celebres è Latio narrabis Ambroſios? Unum novimus celebrem è veteri Latio, Mediolanenſem Antiſtitem, Ambroſium: πολλῶν certè ἀντάξιον ἀνδρῶν: ſed Patrem tamen, non Patres. Ambroſius enim Alexandrinus, Didymi auditor & φοιτητὴς, qui ſub Theodoſio floruit ad annum Domini CCCC: & Ambroſius ille, Origenis amicus, ſi modo ſcriptor aut Pater cenſebitur, erant ambo, Græciâ non Latio celebres. Nolo dicere, εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνὴρ: Ambroſius eſt enim qui citatur. Ambroſius Pater eſt è Latio, & inter celebres in Latio Patres, ſi unum exceperis Auguſtinum, celeberrimus è Latio fortaſſe Pater. Unus tamen eſt non plures. Non Patres, ſed Pater. Itaque nomina exolve, vel ex lege quam tute tibi dixiſti, non debemus deinceps adhibere tibi fidem. In Græciâ celebres agnoſco Patres, Clementem, Athanaſium, Cyrillum, & ne te conſtringam arctiùs, Damaſcenum. At celebres iſti è Græcia Patres, cohors non admodum numeroſa. Celebris è Latio Ambroſius Pater, unus ille ſolus ac ſolitarius, ain' pugnant, & ſeriò, univerſi ſinguli, pro Iovio? hoc eſt, pro ſententiâ Iovianâ, dum ſententiam ipſi ſuam pro mente illius exponunt? Quid ſi ne pro ſententiâ omnes quovis modo? quid ſi ne unus è ſententia? Solus eſt qui meminit λόγου & λογικοῦ, Athanaſius, in locis à te productis: loquuntur de Imagine Patres cæteri, quæ non eſt eadem cum λόγῳ. Neque tamen de λόγῳ ita loquitur, & λογικῷ Athanaſius, ut ille Iovius apud Photium. Huic enim rationi de Filio λόγῳ incarnato, & refingente humanam conditionem jam delapſam εἰς τὴν ἀλογίαν, & per peccatum περιφερόμενον, ita penitùs videtur Iovius Photij adhæſiſſe, ut vix aliam ab illâ rationem admitteret afferendam. Hanc ſolam producit, illuſtrat ſolam, hanc varijs adornat & explicatam reddit veriſimilitudinum elegantijs è ſacrarum Scripturarum penu depromptis. Eandem rationem in ſequentibus non ſemel reponit repetitam: atque ita repetitam, ὡς ὑπερδεδιὼς, inquit Photius, eorum rejiciat & refellat

fellat ſententiam, qui docebant ideò miſſum Dei filium, non Patrem, non Spiritum Sanctum, quod humanum genus, θεῦ υἱὸς ipſe, εἰς υἱοθεσίαν eſſet deducturus. Hoc non fecit Athanaſius, qui ita loquitur τῦ λόγυ reſtauratore hominis lapſi εἰς τὴν ἀλογίαν, vel ut ipſe loquitur, τῦ λογικῦ, ut prætereà non excludat ſimilitudinem Medici, miſſi quidem, ut perſanaret ſerpentis illius antiqui morſus venenatos, qui vitam æternam largiatur, mortuis olim, ſed per gratiam, reſuſcitatis à peccato. Ut lucem agnoſcat illuminantem tenebras, quibus, pluſquam craſſiſſimis & Ægyptiacis, humanum genus olim involvebatur. Hæc, non diffiteor, Athanaſius. Sed præter Athanaſium Patres illi reliqui Græciâ celebriores, Clemens, Cyrillus, Damaſcenus, ne nominant quidem λόγον, λογικὸν, ἀλογίαν: tantummodò de imagine in homine divinâ, & ſimilitudine illâ primogeniâ, ad quam erat in principio creatus homo, quam ipſe per peccatum vel amiſit vel deformavit, loquuntur iſti, quod in tuis ipſius excerptis apparet eſſe verum. Hanc in homine imaginem contendunt, & rectè quidem, præeunte Apoſtolo, contendunt illi priſci Patres, Mediatorem illum Dei & humani generis hominem Ieſum Chriſtum, reformaſſe & denuò reſtauraſſe, ut placeret Deo, à quo deſciverat, cui erat exoſus per peccatum homo: ſed iſtorum imago non eſt Iovij λόγος. Ratio illa pars imaginis divinæ fuerit, non eſt tamen imago καθόλυ ϖρῶτον, ut dicantur imago & λόγος αὐτοπροφόντως; ut quicquid ſit imago illud ipſum ὁ λόγος etiam fuerit, & ſimilitudinem omnem divinam ὁ λόγος adimpleat, quæcunque iila dici aut imaginari queat. Divinam autem imaginem diverſimodè exponi ab antiquis & recentioribus Interpretibus tu minimè ignoras Eriberte. Sunt qui diſtinguunt à ſimilitudine: ſunt qui putant homonymως utramque illam vocem adhiberi. Communis expoſitio Patrum per *Imaginem* intelligit naturam intelligentiâ & voluntate informatam: per *ſimilitudinem*, non aliud quàm ſapientiam & intelligentiam: Rectum in naturalibus ſuis hominem, glorioſum in ſupra naturam donis, gratiæ divinæ ſpecialis. Qui diſtinguunt diverſimodè interpretantur. Tatiano, Imago eſt ἀθανασία: qui tamen alibi cum Philaſtrio animam ipſam humanam, ut & Zeno Veronenſis, imaginem Dei opinabatur. Plerique Patres Græci, τὴν δεσποτείαν, & imperium in cæteras creaturas, quo, veluti Rex & Monarcha quiſpiam, per divinam benignitatem inſignitus fuerat; ut Chryſoſtomus, Nyſſenus, Baſilius uterque interpretantur. Ego forſan Imaginem adhuc propiùs intellexerim, ipſam formam humanam & effigiem illam, quam in tempore à Deo determinato, per incarnationem ſibimet adunivit Filius, in quo Pater mundum condidit, quam, cum Patribus olim diſpenſatoriè converſatus, ad tempus aſſumpſit θαυμαστῶς, quámque ipſam, cùm è limo ædificaret hominem, & animam viventem ei inſpiraret, ad tempus quoque induerat, deponendam: non illam hypoſtaticως, abſit enim, unitam & aſſumptam, ſed modo olim Patribus familiari conſignatam; quam & ipſam (veluti qui quaſdam ſcintillas notitiarum divinarum retinuerant, ſententiam priſci Paganorum anteſignani ad Idololatriam foviſſe videntur, dum (quod refert Iuſtinus ille Martyr) Idola vetuſtiſſima (dixerunt Græci βρέτη, ἀνθρώπων μορφὰς ἔχοντα) fabricarent. Sunt iſta ſcrupuloſiora fortaſſis, illa tamen quæ abundè doceant, perperam à te λόγον cum Imagine confundi, dum Patres illos Græcos, ad Iovianum λόγον attrahere conaris, qui nihil, præter imaginem

ginem Dei divinam, hic loquuntur. Quod ſi ita eſſet, quemadmodum contendis, vir erudite, næ tu nimium oblitus es Talionis tuique inſtituti, qui Caſaubonum, impietatis reum, & quidem execrandæ, non peregiſti, propterea quod negaret hominem in Adamo lapſum, per Ieſum verò Chriſtum ἀνακαινισθέντα, imaginem Dei in ſe deformatam recuperaſſe; quippe qui de Iovio pronunciavit, *ludere illum, non ſeriò Theologum agere,* eo quod, λόγον miſſum diceret, ut repararet τὴν εἰκόνα; hoc eſt Ieſum Chriſtum eapropter incarnatum, ut hominem Deo Patri conciliaret. Ita certè blaſphemat, quantum ego quidem video, Exercitator, ſi modo, qui de λόγῳ, & εἰκόνι dubitaverit, de Imagine dubitet reparatâ. Iovium autem ille nuſquam pronuntiaſſet ludere, ſi Chriſtum qui imago eſt Patris ſui, & divinæ naturæ χαρακτηρισμὸς, miſſum in mundum affirmaſſet, ut refingeret in homine & reſtauraret divinam illam imaginem deformatam, ad modum quo imprimis conformabatur. Doctorem Angelicum, ad quem tandem relaberis, tanquam Triariorum Primipilum, convenientiſſimè diſputantem ad Iovij mentem & ſententiam explicandam libentiſſimè admittimus Novatores. Et utinam ſecundùm veritatem ita omnia ſcripſiſſet D. Thomas, & Scholaſticorum cum illo tota natio. Ille autem, quid, aut quorſum velut οὐραγὸς Patrum celebriorum agmen claudat? non credo involabit in Antiquitatis os, aut Patrum canitiem venerandam aſpernabitur, qui in D. Thomam, quod ipſum tamen improbo, animatus fuerit paulò iniquiùs. Ad ætatem non pertingit, ad doctrinam, non aſpirat Antiquorum Patrum, Scholaſticorum licet Coryphæus. Patrum antiquorum aurata numiſmata, ad ſacrarum literarum trutinam vel rationis rectæ ſtateram non ſemper expendunt aut ubique, qui per multa retrò ſæcula in ſcholis dominabantur Theologicis: ſed frequenter ſua ipſorum παρακόμματα obtrudere ſolebant & merces malas: & cùm rationis regulam παρακρούειν, tum monetam illam auream Sanctuarij παραχαράττειν conſuëverunt. Sed nolo τὸ βλάσφημον ubi amo & admiror plerunque etiam nævos: ignoſcendum lapſis; admirari poſſumus & debemus illa tot potius ἀνδραγαθήματα. Prodigioſa planè attuliſſe ingenia commemorare ſoleo Scholaſticos illos, ad rem Theologicam diſcutiendam. Sed audi, vir erudite, videris tu, alienâ fide loqui, & oculos non tuos adhibuiſſe, quippè quòd, quem locum deſignabas tantummodo, Ferrarienſi debes illum D. Thomæ commentatori, in illum alterum è libris contra Gentes, Lib. 3. cap. 42.

Sect. VII.

Accuſatio ſecunda in Caſaubonum propter Euthymium taxatum, diluitur. Non ex antiquis Patribus ille. Maldonati de eodem Cenſura durior. Fruſtra mitigatur in Talione, & à Pelagianiſmo excuſatur. Vocatio peccatoris. Gratia Iuſto & peccatori neceſſaria. Turbæ in his. Euthymij ætas.

A Jovio apud Photium ſecundus ſuccedit Euthymius, in Talione: in quo venerandam illam Patrum canitiem invadit Exercitator. *Qui in eo luculentam ſuam prodit inſcitiam, dum & falſam Euthymio mentem, & umbratile Baronio figmentum obijcit.* Loquendum hic ſummiſſius, vir erudite Heriberte, & agendum mitius cum Caſaubono, vel propter illum veſtrum, magni nominis Theologum Maldonatum, qui non quaſdam reliquias de Pelagio hoc in loco agnoſcit Euthymianas, ut tu timidè aſſeveras & conciſim, ſed (niſi poteris verborum atrocitatem benigniore aliqua interpretatione mollire) *Prorſus*, ut ille inquit, *erit Pelagianum*, quod aſſeritur hic ab Euthymio, *Iuſti ſibi ipſis ad ſalutem ſufficiunt. Sed nequaquam volebat Maldonatus*, ſic tu loqueris interpretativè, *authorem de Eccleſiâ bene meritum de Pelagianiſmo poſtulare, modum taxavit incautiorem:* Frigidè; nec dignum tua eruditione. Noluit Maldonatus. Et unde tu reſciſcis noluiſſe? An hominem, veſtri ordinis magnum decus & ornamentum, de facie noveris haud ſcio: non credo noviſſe te, cùm diu ſit, ante me natum, ex quo in vivis eſſe deſijt Maldonatus. An ex intimioribus Maldonato, ſenſum ejus animi & ſententiam aperuerit hæſitanti aliquis, cui vivus & valens ipſe, *Se noluiſſe* poſtulatus edixerat? Non eſt, opinor, inter cætera veſtri ordinis γνωείσματα, & illud unum: non eſt è votis extenſis & ampliatis unum, Authorem in aliquibus benè meritum de Eccleſiâ, ſaltem æque benè meritum ac eſt Zigabenus, nullius alterius criminis poſtulare, cùm nec ſacratis capitibus, Romanis Pontificibus, peperceritis. Nolebat Hieronymus Origenem benè meritum de Eccleſiâ: nolebat Ruffinum, Palladio judice in Lauſiacis, meliorem ſeipſo virum, hæreſeos poſtulare vel errorum: poſtulavit tamen, & quidem cum acerbitate. Nolebat Theophilus: Epiphanius nolebat vexare Chryſoſtomum modis multis, virum optimè meritum, ipſi non peſſimè, de Eccleſiâ meriti: vexarunt tamen, & tam quidem vehementer, ut ad exilium & mortem exagitaverint. Nolebant factum in Hiſpaniâ forſan (factum eſt tamen referente Marianâ veſtro) ut viri eruditionis opinione præſtantes, cauſſam è vinculis cogerentur dicere, haud levi cum ſalutis ſuæ, atque exiſtimationis diſcrimine. Si autem intelligit, quod opinor, Mariana, Benedictum Ariam Montanum, è Biblijs Antwerpienſibus celeberrimum, non eſt quod negare poteris, illum optimè meritum de Eccleſiâ. Nollet etiam Roſweydus noſter, Tertullianum poſtulare de Montaniſmo, authorem optimè meritum de Eccleſiâ Dei, ſcriptis ſuis prioribus ante Hæreſin, & qui, quod Pacianus refert, poſt Hæreſin iterum factus eſt Catholicus:

De Edit. vulg. ca. 1.

tholicus: & tamen postulasti de Montanismo. Noluit Maldonatus, ergo non fecit? Quàm malè hæc cohærent & ad invicem consequuntur? Fecit, ergo voluit, potiùs sequitur. Hoc quid est aliud quam quod de Iovio dixerat Exercitator, *Ludere velle in re seriâ, neque seriò Theologum agere.* Quicquid voluerit, non potest excusari nominatissimus vestri ordinis Theologus Maldonatus, quo minus origo & fundus fuerit *umbratilis* ejus *figmenti* Casauboniani. Si nollet hanc inustam Zigabeno notam, quorsum tum commeminit Pelagianismi? Quia scilicet, *modum taxavit incautiorem loquendi.* At at, *Pelagianum est*, ait Maldonatus, qui est ipsius loquendi modus: non videtur favere Pelagio Zigabenus: non in illius sententiam propendere: non alio quodam modo loquendi utitur, quo incautior loquendi modus Euthymianus taxetur. Pelagianum est, quid facit ad loquendi modum? rem subjectam designat, & ipsam caussam petit. Non erat adeò infans Maldonatus, quin sensum suæ mentis explicare nosset. Exposuisset liquidius, quid ipse vellet, & loquendi modum taxaret Pelagianis faventem opinionibus, non ita plenis buccis, quod tamen facit, *Pelagianum*, nominasset. Sed esto, quod pronuntias, licet sit falsissimum, pro nunc verum: quæso te quid tinniunt Casauboniana, *Agenti aliud*; &, *aliter sentienti exciderunt?* Quod si verò Casaubonus calumniator erit, qui Theologum illum eruditum non tractavit acerbius, quàm ut diceret securum fuisse nimis: aut, parum, quid dixerat, attendisse; Maldonatus quâ in Classe reponendus erit, qui plus quàm incautum sugillavit? Saltem, eadem per omnia, revera autem multò atrociora, scripsit Maldonatus, atque omnium primus & princeps scripsit: Quicquid hic habet, mutuatur à Maldonato Exercitator. Tantumne est, fuisse de Societate? sed Æthiopem dealbas qui sic excusatum itas Maldonatum. Non taxavit modum dicendi incautiorem; sed Authorem ferit ipsum, & perstringit acerbius, *optimè meritum*, Te censente, *de Ecclesiâ Dei. Interpretem Scripturarum*, censente Baronio, *accuratissimum:* neque aliquam aliquando benigniorem, vel attulit ipse, vel excogitavit, Interpretationem, quâ Catholicum scriptorem excusaret. Potest autem esse quis Catholicus scriptor: Accuratus Interpres Scripturarum Author, optimè meritus de Ecclesiâ, qui per incogitantiam, aliud agens, vel etiam hallucinatus, suis interdum scriptis interspersèrit, Hæreticam propositionem. Id quod in Iustino, Irenæo, Clemente, Chrysostomo, atque alijs ex antiquis Ecclesiæ Patribus patet. Sed illam, quàm frustrà quidem expectatam nunquam ullo pacto exprimemus à Maldonato, à teipso, si placet, audiamus, benigniorem Euthymiani dicti interpretationem. *Veriùs*, inquis, *æstimo, nihil aliud Euthymium voluisse.* Iterum, malè revolveris, ad *voluisse.* Quam tu totus es hariolus & conjectator? Noluit Maldonatus: opinabaris noluisse. Voluit Euthymius: iterum opinaris voluisse. Veriùs, enim ais, æstimo voluisse. Ita conjecturis meris res transigetur; & doctis tuis deludemur dolis. Voluisse autem? *Nihil aliud quàm peccatoribus opus esse novis & inusitatis gratiæ auxilijs, ut resurgant, cum iusti, eo quod iam pridem consecuti sunt adiumento gratiæ, sibi sufficiant.* Hæc sunt illa quæ tu veriùs æstimas. Sed præstaret fortassis, lapsi in errorem Euthymij deseruisse patrocinium, quam talibus suffultum, & subnixum adminiculis resuscitasse, & in pedes erexisse. Ne de gratiæ auxilijs adjumentum arcessat, quæ tantis disputantium rixis

&

& jurgijs, tam diverſimodè apud veſtros agitantur: dum cum Patribus Dominicanis, Calviniſmum ſufflaminantibus, litigantur Patres Societatis, è diverſo trahentes, quod impingunt adverſarij, ad Pelagianiſmum. Sed horum jurgia non moramur: Tu, quàm veriùs æſtimes, intueamur. Sibi ſufficiunt, inquis, juſti. Rectè autem, cùm ſint αὐταρκεῖς & αὐτονόμοι. Sed tamen ad quid ſufficiunt ipſi ſibi juſti? ad ſtandum ne ſufficiunt, an ad reſurgendum? Videtur certè quidem dici oportere ad reſurgendum ſufficere ſibi juſtos, non autem peccatores. Apud Sanctum Euangeliſtam enim, quem locum Euthymius interpretabatur, componuntur juſti & peccatores: & in vocatione quidem ad pœnitentiam componuntur: hoc eſt, in reſurgendo dicuntur pares. *Non veni vocare iuſtos*, ait Dominus Chriſtus, *ſed peccatores ad pœnitentiam:* Ambo, utrinque, ſinguli, omnes, de quibus hoc in loco habetur ſermo, per Servatorem, in ſtatu pari conſtituuntur, in æquali conditione conſiderantur, egere ſupponuntur vocatione. Opus eſt peccatoribus quatenus ſcilicet ſunt, peccatores, & quatenus ſemper extiterant peccatores, vocatione. Hoc eſt, te Interprete, Non quibuſlibet & ordinarijs auxilijs gratiæ, hoc etenim verum eſt, ſed novis gratiæ auxilijs, ut reſurgant, quaſi qui jam decoctores facti, vetera illa omnia, tanquam paternam hæreditatem abliguritam, diſſipaverant. Juſtis non eſt opus auxilijs novis: hoc eſt, vocatione, ut reſurgant (vocatos eſſe oportet, cùm ſint utrique de quibus ſermo inſtituitur, in uno & eodem tertio conſtituti.) Ipſi enim ſibi ſufficiunt, non tantum ὑπαρχόντως, ut ſubſiſtant ad præſentem menſuram juſtitiæ, ſed & ὑπερβαλλόντως, ex abundanti, in futurum. Adde, quos volebat hic intelligi Chriſtus, erant dejecti proſtrati omnes & χαμαιπετεῖς, in ſtatu peccati, ſecundùm magis & minus, conſtituti. Hoc intererat: Phariſæi cùm eſſent in felle amaritudinis, & obligatione peccati conſtricti tenerentur, ſibi tamen ipſis ἐκ τοῦ οἰήσεως, juſti videbantur eſſe. Publicani è contra, cùm peccatorum ponderi ſuccumberent, humillimè, quales erant, eſſe ſe tales fatebantur. Quos tu hic intelligis, ſunt inter ſe, quàm maximâ diſparati differentiâ. Peccatores, adhuc non vocati, de ſtatu ſuo, & loco non moventur, non reſurgunt. Juſti ſe movent poſtquam ſurrexerint. Imo juſti ſe movent, inquis tu, ut reſurgant, (tum nimirum exiſtentes juſti) neque gratiæ ullis indigent adjumentis. Ad ſurgendum, oportet ut affirmes, novis gratiæ adjumentis non indigere. Cùm de prima peccatoris converſione & vocatione quæſtio inſtituatur: cùm legamus *ad Fidem*, apud Euthymium, hoc eſt, ad ingreſſum novæ vitæ: cùm facti fuerint creaturæ novæ: non autem ad progreſſum Chriſtianiſmi, quo nunquam illi pervenerunt. Vocantur utrique. Peccatores, & juſti. Iam verò, nemo vocatur ab alio, non ignoras, niſi qui vel non eſt præſens: vel ſaltem qui, cùm ſit in proximo conſtitutus, non eſt in rem præſentem intentus. Aliter enim, nihil opus eſt vocatione aliquâ. Cùm vocari dicantur ideo utrinque, quid cenſes in cauſsâ ſtatuendum eſſe? erantne prorſus abſentes, aut animo tantùm quia non intenti ad rem, cùm vocarentur. Sed vocati juſti, alacres ſtatim accurrebant, affluebant vocati ſubſidijs ut venirent, ſibi quippe ſine gratia ſufficientes. Peccatores, abſentes cùm eſſent & vocati, ut cæteri non accurrebant, nam auxilijs novis indigebant. Pelagianum erat dogma, Gratiam illam primam, quâ proſtrati reſurgunt & dejecti, à naturâ hominibus advenire,

&

& principijs deberi τοῖς ἐφ' ἡμῖν. Hæreticum erat dogma, ſine Chriſti manuductione, aliquos accurrere ad ſalutem poſſe. Utrinque ingens præcipitium: in alterutrum verò tua iſta excuſatio devolvetur omninò neceſſariò. Quin verò id, *Vt iuſtus*, hoc eſt, *qui ſurrexit, ſibi ſuffecerit cùm ſurrexit ad ſurgendum*, non ſolum eſt hæreticum, ſed à ſenſu communi alienum. Juſtus enim nemo eſt, qui non jam ſurrexit. Priuſquam ſurrexerat, erat ille omnia potiùs quàm juſtus: ut, qui jam ſurrexit, quo reſurgat, non indigeat novis gratiæ auxilijs ad ſurgendum, neſcio quo modo tuis auribus non abſurdum tinniat. Quod ſi devoçetur ζήτημα ad ſuos proprios terminos, & juſti in *ſtando*, apud Euthymium: peccatores in *ſurgendo*, conſiderentur, (quanquam hoc non ſit ad mentem vel ipſius interpretis, vel ſenſum & ſententiam interpretandi loci) an tu putas hoſce juſtos ſibi ita ſufficere, ut ne iterum recidivent aut cadant in peccatum? non egere putas gratiæ auxilijs quibuſdam novis, illis ipſis contentis & ſufflaminatis, quæ, tùm cùm primum vocarentur, fuerant adepti? Hæccine eſt quam Euthymio appingis ſententiam? quam *verius* tu illius *eſſe mentem æſtimas*, hæc mens eſt? Certè nequaquam benigniore aliquâ interpretatione, rem tam horridam, atque aſperam levigare poteris & emollire. Videris autem quàm bene merueris, ob hanc ipſam expoſitionem de Theologo illo tam erudito: de Pelagio volens nolens merueris egregiè: de ſecundâ gratiâ omninò malè, quam vel tollis omninò ut ſupervacuam; vel, ut cum Nazianzeno loquar, λόγῳ πλάττεις μόνῳ, σκινδαψούς τινας καὶ τραγελάφους, ἃ γλῶσσα μόνη ζωπίθησιν: *ſermone ſolo tu fictam ſtatuis eſſe, cum ſcindapſis reponis & Tragelaphis, quæ linguæ ſolius ſunt creaturæ.* Terriculamentum erat merum admonitio Pauli: *Is qui ſtat, viderit ne cadat.* Μορμὼ illud effatum Domini: *Eccè ſanus factus es, noli iterum peccare, ne aliquod peius contingat tibi.* Omnis qui ſtat, jam juſtificatus, factus juſtus eſt; in vocatione ſua ad Chriſtum (ita ſeſe habet Paulina illa ſeries & cauſarum concatenatio) juſtificatus. Gratia illa quam ſtans, vel ſaltem quam ut ſtaret, undè undè adeptus illam eſt, eidem ſuffecit ad perſiſtendum. Non eſt opus illi novis & inuſitatis auxilijs gratiæ. Ita juſti quicunque ſunt, tuti ſunt omnino & ſecuri, ſunt ſibi αὐταρκεῖς abundè ſuffecturi, eo non alio, gratiæ adjumento conſtabiliti, quàm, quod ſunt cùm reſurgerent, conſecuti. Ita juſtus ſemel conſtitutus, fidem non excutit, non amittit, acquiſitam. Ita certus eſt de ſuâ perſeuerantiâ. Certus per fidem ordinariam, ſine omni omnino revelatione, de ſalute æternâ conſequendâ. Ita velit nolit, juſtificatus ſemel, fœlicitatem ſanctorum in fine dierum conſequetur. Caveſis, belliſſimæ conſequentiæ, Roſweyde, ne te nobis procudant Calviniſtam. Viderit Inquiſitio pravitatis Hæreticæ, nequid Eccleſia capiat detrimenti. Nam ſi juſti ſibi ſufficiant, quid ni ſint de ſalute ſuâ ſecuri? Habent *poſſe ut velint*: Habent *velle ut poſſint.* Quid opus exorent, ne deinceps *inducantur in tentationem?* ſi ſufficiant ſibi autem, & ſunt ſecuri, non excutient, quantum video, juſtificantem gratiam. Finaliter, hoc parum eſt, imò ne totaliter ad temporis exigui morulam: hoc quoque parum eſt. Ne ad momentum: ne ex aliquâ parte. Novis enim auxilijs non indigent. Iuſti ſibi ipſi ſufficiunt, tu affirmas, eo gratiæ adjumento, quod ſunt conſecuti tum cùm primo juſti ſtatuerentur. Colligamus in faſciculum diſperſa & diſſeminata. Iuſti ſibi ſufficiunt, vel ad ſtandum, vel

ad

ad resurgendum scilicet. Non autem ad standum. Non quæritur, non dicitur, à te refellitur. Non ad resurgendum : nam gratiam jampridem consecuti, & justi facti, resurrexerunt. Ad standum ergo sufficiunt. At qui stat ab eo per quem stant omnes, in Apostolo præmonetur & præmunitur, *Videat ne cadat*. Cereus est in vitium mortalium quivis. Si nec sufficiunt ad standum, nec ad resurgendum, sibi justi, ad quid quæso sufficiunt ? Da tertium, in quo nec stant neque resurgunt : nec sunt justi, nec peccatores. Ut justus sit autem, qui non surrexit : ut habuerit justificatis gratiam conferri solitam, neque tamen surrexerit, tu ne unquam concoxeris Eriberte ? Dura sunt, sed emollis in sequentibus : *id est*, inquis, *non indigent primâ gratiâ quâ resurgant*, cùm eam jam possideant, & jam per illam resurrexerint. Dura prius erant, jam durissima : silices planè fiunt hâc interpretatione : neque tu, si attuleris Struthiocameli stomachum, ista unquam concoxeris tam lapidea. Iusti sibi ipsi sufficiunt ad salutem : Ergo, Christus non venit ut vocaret eos ad pœnitentiam. Portentum sententiæ. Cujus tamen pars posterior, ipsius est effatum Veritatis. Iusti sufficiunt sibi : hoc est, eo, quod jam consecuti sunt, gratiæ adjumento sibi sufficiunt, neque novis auxilijs aliquibus indigent : itane tu reris, vir erudite ? Indignum Theologo pronunciatum. Hoc est, non indigent primâ gratiâ quâ resurgant, cùm eam jam possederint & possideant, & per eam surrexerint. Indignum homine intelligenti effatum. Quod nisi stultescat & sit ὁ μωρὸς λόγος, ingenium profectò transcendit humanum, & Lectores redigit ad insaniam. Nam quis feret loquentem, ad hunc modum, Non indigent primâ gratiâ, vocante scilicet, ut resurgant, cùm jamdudum per illam ipsam gratiam, justi facti, resurrexerint ? Priusquam autem resurrexerant, adhuc in peccatis constituti, non vocati ad cognitionem Dei, an non tum illâ indigebant gratiâ ut resurgere possent ? Primam illam gratiam, quâ resurgebant, cui acceptam referre debent ? An non à se derivatam sibi debitam profiterentur, quam non aliunde advocabant, nec opus erat ut advocarent, quàm ex apothecis virium naturalium ? Hanc enim αὐτάρκειαν, οἴκοθεν οἰκάδε possessam custodiebant. *Sibi enim sufficiunt iusti*, eo quod pridem consecuti sunt adjumento gratiæ. Si totus Pelagium saperet, & spiraret Euthymius Zigabenus, non aliter tamen pronuntiaret. Verùm esto, non ab ipsis acceptam hanc gratiam possederint, at aliundè. Unde autem ? A Christo datam, pactam, procuratam. Verùm Christi gratiam nemo possidet non vocatus. Iusti apud Euthymium non vocati erant, sed possidebant. Certè Christus exertè profitetur, se non venisse ut vocaret illos justos : Non erant vocati ergo ; nisi Christo vel inscio, vel invito. Et certè non erat opus ut vocarentur : cùm vocati & sint, & sibi videantur, nudi, egeni, abjecti, omni gratiæ pulchritudine & colore destituti. At sibi videbantur αὐτάρκεις illi. Erant saltem, fatente Zigabeno. *Nam non indigebant novis gratiæ auxilijs:* hoc est, prima gratia suscitante non indigebant. Certè, cum illam possiderent. Indigemus illis quibus caremus. Quibus cumulati, non indigemus : nisi fortè usu, non ipsis rebus. Possidebant autem, nisi abliguritam fortè decoxerant, ut dixi, jam vocati. Sensus loci illius Euangelici, ut impedimentis omnibus extricati eluctemur, constituatur. Certum est imprimis Christum Dei Filium factum hominem, in mundum venisse, ut homines à Deo alienos, & alienatos, cum Deo in gratiam reductos perduceret ad salutem. *Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi salvos facere Peccatores. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla caussa est*

est medicinæ. Si venit de cœlo magnus Medicus, magnus per mundum iacebat ægrotus, ait Augustinus. Loquitur ergo de vocatione, hoc est, invitatione ad salutem consequendam: & salutem accedentibus impertiendam. Certè justi non indigent vocatione: ne sani quidem medicinâ. Iusti facti vocabantur priùs: & vocati, accedentes fiebant justi. Sed justus aut est, aut videtur sibi justus. Qua vocatione non eget, qui jam est vocatus. Quâ sanitate non indiget, jam constitutus sanus, eadem nec indiget, opinione sua, qui se jam retur illam adeptum esse. Ideo, *Sugillat eos Dominus, Scribas & Pharisæos, qui se iustos æstimantes, peccatorum & Publicanorum consortia declinabant.* Non venit ergo Christus vocare justos, sed peccatores. Quia justi qui erant, quicunque tandem fuerant, jam vocatione suâ justi facti erant, & à statu transierant peccatorum. Vocatis offertur, ut vocant, gratia prima. Venit, ex sententiâ Euthymianâ, ut peccatoribus daret illam gratiam, per quam cùm justi constituti forent, non alijs atque alijs auxilijs gratiæ redintegratæ & novæ consummandos traderet, sed illi primæ ut sufficienti commendaret. Illud autem, ad salutem, non παρέλκει, licet omissum sit, ut otiosè positum. Imo verò rei cardo in illis vertitur, ad *salutem*. Nam quid contulit Christus, præter *salutem*? Ad quid nos vocat, nisi ad *salutem*? Peccatores vocet, vocet ille justos, semper vocat ad *salutem*. Iusti, sibi sufficiebant ad *salutem*. Qui de mundo & potestate tenebrarum educti, ad spem præparatæ hæreditatis in cœlo componebantur, ubi semel per Dei vocationem egressi fuerant, gratiâ illâ primâ & non aliâ, non novis auxilijs vel supplemento aliquo, decurso pietatis Christianæ stadio, à carceribus ad metas & τὸν βραβεῖον inoffenso pede pervenerunt. Ita nomen inane erit secunda gratia, subsequens, cooperans, & sustentans. Nos talem doctrinam nequaquam recipimus, recepit Euthymius post Pelagium. Post Euthymium explicuit luculenter Tapperus. Non enim requiritur, inquit ille, alius Dei concursus quàm conservatio luminis, & ejus tanquam caussæ universalis in ordine gratiarum cooperatio per hoc lumen & liberum arbitrium. Quod per septem propositiones distinctas latiùs tuetur ille Doctor. Mentem Zigabeno meliorem optare potuisti, vir erudite, sententiam adaptare meliorem non poteris, quàm aptavit olim Maldonatus, & è Maldonato Exercitator.

EXERCITATIO II.

Sect. I.

Iacobi vaticinium de Sceptro Iudæ. E ſententia Iudæorum. Chriſtianorum. Baronij. Cyrilli Alexandrini. Hieronymi locus duplex à Baronio, male acceptus. Prior, Pererio Iudice, falsâ interpretatione aliorſum tractus. Regnum promiſſum Tribui Iudæ. In quâ parte vaticinij adimpletio promiſſi. Duratio. Babylonica μετοικεσία.

MAgnus ille Patriarcha Iacob, viam ingreſſurus univerſæ carnis, quemadmodum refert divinus Moſes, vaticinatur inquiens, *Non deficiet ſceptrum de Iudâ, neque Legiſlator de femore eius, donec veniat cui repoſitum eſt, & Ipſe erit Gentium expectatio.* Gentium verò illa expectatio, eſt Semen benedictum, Cornu ſalutis omni credenti in domo David erigendum. In hoc divini viri vaticinio, dupliciter jam olim exponendo, variatum eſt. Iudæi Interpretes, ut qui ſunt à Deo derelicti, Prophetiæ iſtius τὸ ὑποκείμενον in alia omnia immutant & transformant. Non poſſunt, non debent rebelles Deo, Ieſu Chriſto Domino juratiſſimi hoſtes, ad fabularum ſtultiſſimas vanitates projecti, mitiùs tractari à Chriſtianis: nec illorum ſententia perditiſſima, leviore aliquâ mitigatione explicari, quod videtur hominibus quibuſdam non malis oportere fieri, propterea quòd in eorum Targum, vel etiam ſcriptis Rabbinorum quibuſdam vetuſtioribus, de Meſſiæ adventu vaticinium exponatur. Non eſt etenim conditio par eorum, qui olim ante Domini συστρατεύσαντων, magiſtri in Iſraël extiterunt, & illorum Rabbinorum, qui deinceps blaſphemias ubique eructarunt, in Chriſtum & nomen Chriſtianum. Hoſce autem perfidiæ & impietatis ſatellites, refellit κατ' αὐτὸν ſanctiſſimus Pater Iuſtinus Martyr, cum Tryphone Iudæo διαλογιζόμενος. Chriſtiani, credo, omnes, quotquot ſunt ubique, de ſubjecto conſentiunt vaticinij, Ieſu Chriſto in carne exhibendo: quod ad terminos attinet ac eventum Prophetiæ, in ſententias diſcrepantes, & quidem plurimas diverſi abierunt. Annalium author Eccleſiaſticorum, in Apparatu, ſtatim ferè ab initio, in hanc diſceſſit opinionem: Prædictum imprimis & promiſſum fuiſſe hoc vaticinio, regnum tribui Iudæ ſuper Iſraelem. Quod poſtquam in Davide

illa tribus adepta fuerat, per longam Regum sibi invicem succedentium prosapiam, & annorum seriem continuatam, ad captivitatem usque tenuit Babylonicam. Post illam Babylonicam μετοικεσίαν, omissum ad tempus & intercisum imperium in Zorobabele recuperavit: atque ita ab illo, per ipsius posteros, sine omni penitùs defectione, deductum tenuit & derivatum, usque ad annum secundum Olympiadis CLXXXIIII, quo, Coss. Calvino & Pollione, Herodes Idumæus, Gentilis homo primùm, tum deinceps Proselytus, Romanorum beneficio, regnum in Iudæâ capessivit, quando penitùs cessasse visum est sceptrum de Iudâ, & principatus ad alienigenas translatus. Hæc est sententia Cardinalis, quam fusiùs persequitur per apparatum, tot summatim capitibus comprehensa. Laudat porrò sententiæ astipulatores suæ doctissimos Patres, Hieronymum & Cyrillum Alexandrinum. De Cyrillo, in parte non movemus litem: nam de illo ponitur in confesso, quòd libro suo VIII. contra Iulianum, complementum prophetiæ & eventum in eo statuerit, in quo collocatum scimus à Baronio, quod paulò post dicemus in sequentibus. At eidem de Hieronymo non est concedendum (quamvis hîc conniverit nimis facilis Exercitator) cujus duplici innititur testimonio tamen: Prius extat in commentarijs ad caput primum Sophoniæ Prophetæ: posterius ad XXI. Ezechielis. Hoc secundo in loco, ad Ezechielem, Hieronymus contendit & componit vaticinium illud Iacobi Patriarchæ, agentis jam tum in extremis, cum verbis Prophetæ in eodem loco: *Aufer cidarim*, ait vates, *tolle coronam*, & quæ sequuntur, *donec veniat cuius est iudicium, & tradam ei. Cidaris*, quâ voce Interpres expressit id quod Hebraicè dicitur *mitznepheth*, tiara erat etiam dicta, & πῖλος βασιλικός, ut Hesychius exponit, quam Persarum reges gestabant erectam, cæteri depressam & decumbentem, uti docet doctiss. B. Brissonius, in eruditissimo commentario de Persarum regio statu. Quocirca qui de cidari tollendâ pronuntiat, loquitur de nomine & potestate regiâ penitùs abolendâ; quod apparet euidentiùs, postquam adjunxit, *Tolle coronam*. Et loquitur de tollendâ ad certum tempus; *Donec veniat cuius est iudicium:* hoc est, in Christo donec restituatur, qui judicium omne accepit à patre suo, & potestatem tam in cœlo quàm in terrâ. Quin loquatur hic Propheta de translatione sceptri: sceptri nempe Iudaici à domo David & stirpe Iudaicâ transferendi Hieronymo tacente, Cardinali minimè commonifaciente, non controvertitur. An verò Hieronymus hoc exponens vaticinium, ad sententiam descenderit καὶ τὴν ψῆφον Baronianum; hæc lis & quæstio ventilatur. Baronius affirmat, Pererius negat. *Certè beatus Hieronymus*, ait ille, *super caput* XXI. *Ezechielis, non semel asseveranter ait, regnum Iudæ & Davidis, omninò finitum esse in Zedechiâ, qui fuit ultimus Regum ante captivitatem, nec ulteriùs in eo populo perdurasse.* Profectò, asseveranter, quod Pererius observat, hoc beatus Hieronymus affirmavit. *Post urbis Hierusalem obsidionem*, verba sunt doctissimi illius Patris, *& subversionem; post populi captivitatem, ad Ducem Israel sermo dirigitur, quem nemini dubium est significari Zedechiam, in quo, Regum Israel de stirpe David imperium est finitum.* Et statim in sequentibus: *Propter te, sacerdotium & regnum finitum est populi Iudæorum.* Et mox adhuc apertiùs: *Vndè qui postea usque ad adventum Christi Reges fuerunt & Sacerdotes, quorum unus Pontifex Hyrcanus* (imo quod dicemus, Aristobulus, nam lapsus est hic memoriâ doctissimus Pater) *diadema suo capiti imposuit. Frustrà sibi hoc & illud voluit vendicare, cùm regnum ei post Zedechiam non deberetur, sed illi, cui repositum erat,*

&,qui fuit Gentium expectatio. Hæc,& alia fortaſſis,Hieronymus ibidem. Qui ne verbo confirmat Cardinalis ſententiam, niſi vaticinium Iacobi recitaſſe ſolummodò,& in medium produxiſſe,ſit, ad hanc vel illam ſententiam hunc vel illum ſenſum expoſuiſſe. Atque ita eſt: E gemino teſtimonio, apud Cardinalem, hoc alterum Hieronymianum prorſus,quod aiunt,*ad Bacchum nihil:* de ſecundo, è commentarijs ad Sophoniam allato, dicendum eſt deinceps ſuo loco, in ſequentibus. Interim hic ſatis erit indicaſſe, & illud teſtimonium πρὸς ἔπος ἰδεῖν eſſe, à mente Cardinalis autem alienum. Ipſam porro quod ſpectat Cardinalis ſententiam, membris non pauciſſimis comprehenſam, & conſtitutam, illud imprimis obſervandum eſt, doctiſſimum virum ita confidenter & abſque omni hæſitatione, veluti deciſam, & conceſſam ab omnibus determinare, cùm tamen de ſenſu hujus vaticinij germano genuino, ab Interpretibus Scripturarum & tractatoribus, in diuerſas ab illâ, & quidem plurimas, receſſum fuerit opiniones. Sex ſeptemve commemorat, quas refellit omnes, Ieſuita celeberrimus Benedictus Pererius,in ſuis ad Gen. commentarijs: & inter illas omnes rejectitias, non agnoſcit is aliam minus probabilem, quàm eſt illa, quam tuetur contra Iulianum, doctiſſimus Cyrillus Alexandrinus, in quâ ſolâ acquieſcit Cardinalis. Verba ſunt Cyrilli contra Iulianum. *Quomodo ceſſaſſe dicit regnum Davidis in Zedechiâ, cùm Zorobabel poſt tempus captivitatis in regni ſolio conſederit, fueritq́ è tribu Iudâ & David, tranſmiſſumq́ ſit per poſteros illius ſceptrum, uſque ad Herodis regnum, qui ex matre quidem Iudæâ fuerat, ſed patre alienigenâ procreatus.* Pace autem viri tanti, Pererius ait, non videtur eſſe verum quod aſſumit. Non eſſe verum autem, & certum eſt, & probat ille; & ſatis aptè & probabiliter quidem probat. Sed mihi cum Cyrillo lis non eſt futura. Αἰδέομαι Τρῶας. Patrum autem canitiem reveremur Novatores: neque facilè deſcendimus ex adverſo: ſed veſtigia perſequimur Baroniana, qui Cyrillum dum propugnat, & aſſertionem, quam Pererius & Caſaubonus profligarunt, multa certè intermiſcuit παραχαράγματα, quæ nobis revocanda ſunt ad ſtateram. Prima autem propoſitio Baroniana, quam, tanquam fundamentum ille quoddam ac baſin, annectendis ab ipſo demum conſectarijs præſtruxit illa eſt, *Promiſſum fuiſſe, hoc vaticinio tribui Iudæ regnum in populum Iſraelem.* Certè quidem regnum promiſſum fuerat: & quod fuerat promiſſum, adimpletum erat in Davide. Sed & hoc vaticinio regnum promiſſum fuerat: an hâc tamen parte vaticinij non conſtat (multis enim partibus illud conſtat, neque eſt ſimplex aut μονήρες.) an potiùs adepti ſemel regni continuatio hâc in parte, quod ego arbitror. Nam regnum potiùs promitti videbitur in illo membro; *Iuda, adorabunt te filij patris tui:* cùm jus & prærogativa primogenituræ, à Rubeno ad Iudam, ſaltem quod principatum ſpectat, transferretur: nam duplicem portionem Ioſephus habuit, in Levi reſedit ſacerdotium. Primogenituræ verò, principatum annexum olim fuiſſe, cùm alibi liquet Scripturarum, tum in illâ Iſaaci benedictione, Gen. 27. ubi filium Iacobum tanquam primogenitum ſic affatur, clarè demonſtratur: *Serviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ.* Regnum autem illud non ſtatim promiſſum adimplebatur: neque enim continuò adepta eſt illa tribus regnum, ſed poſt multa tandem ſæcula, in Davide. Et ſemel promiſſum,non uſque quaque duraturum forſan dicitur,eodem modo & tenore, quo priùs in Davide, uſque dum veniret, ᾧ ἀπόκειται; *cuius erat iudicium, ut*

tradatur

tradatur ei, hoc eſt, ut conſentiunt Chriſtiani, uſque dum Meſſias inauguraretur: cùm Herodes gentilis, tum proſelytus, Romanorum principum beneficiarius, regnaret in Iudæâ. Nam multis ante ſæculis, quàm ille ᾧ ἀπόκειται revelabatur, ante regnum Herodis Idumæj, defecerat Regnum, τὸ κυρίως dictū, de tribu Iudâ, σκηπτοῦχος βασιλεὺς de domo David: tum nimirum cùm Regum ultimus Zedechias, demolito templo, incensâ urbe, direptis ſacris, prophanatis adytis, polyteiâ Iudaicâ deſolatâ, unà cum proceribus & ducibus populi, cum Pontifice & collegio Sacerdotum, plebis portione non exiguâ, captus & traductus eſſet Babylonem. Quæ quidem Iudæorum μετοικεσία, regnique Iudaici deſolatio, annos plus minus D.LXXXVII. Chriſtum Meſſiam præceſſerat incarnatum; durante per annos ſeptuaginta, quod conſtat, captivitate, ad aquas Babylonis, extorres patriâ, avitis ſedibus exulantes, ſine regibus ſuis, ſine principe ullo, ſine principatu è domo David, in terrâ alienâ conſtituti, ſervierunt, quod monuerat Hieremias, ut libenter, & fideli operâ facerent, Nabuchodonoſoro Babylonis Monarchæ, & ejuſdem aliquot ſucceſſoribus: neque tamen, niſi poſt ſæcula quinque, ᾧ ἀπόκειται judicium, revelabatur. Poſt illam conſummatam captivitatem, reverſi in patriam, & Iudæi deinceps (natio à tribu) denominati, habuerunt primùm Duces, & Ethnarcas, Reges deinceps & Pontifices, de tribu an Iudâ, & domo David, nondum adducimus in quæſtionem. De Regno etenim prius & Monarchiâ diſſerendum eſt, illo inquam ſtatu, quem provectus eò in Davide ἀπογόνῳ ſuo, Iudas ille Patriarcha, per aliquot ſæcula tenuit & continuavit non interciſâ ſucceſſione. Debuit autem deduxiſſe, quod videtur velle Patriarcha Iacob, uſque dum revelaretur is, cui omnis poteſtas, judicium omne in cœlo & in terrâ deberetur, & cui Gentes tradendæ erant.

SECT. II.

Regimen Iudæorum mixtum poſt captivitatem. Ariſtobulus ſibi primus diadema impoſuit. Hieronymi lapſus μνημονικός. *Adauctus à Villalpando. Oſee, Ieremiæ locus, Hieronymus, Baſilius Baronium refellunt. Pſeudo-Baſilius refellitur. Virga. Principatus non regnum. Baronius vacillat. Hugo Victor, Barradius notati. Deficere. Quando defecit.*

IMprimis autem hoc certum eſt, & poſitum in confeſſo apud Illuſtriſſimum Cardinalem, regimen illius populi è Babylone reducis in terram ſuam, per annos CCCC LXXXI. & menſes tres exactos ab edicto Cyri, non fuiſſe, ſicut fuerat ante μετοικεσίαν, monarchicum, ſed mixtum Democratiæ paucorum Optimatium imperium. Narrat hoc Ioſephus diſertis verbis, (neque reluctantur in cauſsâ adverſarij) Κατῴκησαν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας. Hieroſolymis habitarunt, reip. formâ uſi mixtâ Ariſtocratiæ Oligarchiâ. Antiq. XI. IIII. Nec iſtius authoris contemnenda eſt hiſtoria. Fatentur enim omnes, Cardinali excepto, poſtquam receſſerimus ab hiſtoriâ ſacrâ, ἀξιοπιστότατον ſemper habitum rerum ſuæ gentis enarratorem.

Eum

Eum certè ſolum, è naufragio lamentabili illo literarum habemus viæ ducem, ad illorum odorandas antiquitates, ubi nos deſtituit lucerna Iſraelis, poſt deperditas Hecatæj, Ariſtobuli, Eupolemi, Iuſti Tiberienſis & aliorum qui extabant aliquando, hiſtorias. Primus è Iudæorum gente, qui poſt captivitatem Babylonicam diadema & coronam induit, Ariſtobulus erat, Hyrcani filius Aſſamonæus, ut expreſsè relatum eſt à Ioſepho. Τελευτήσαντος αὐτοῖς τοῦ πατρὸς, ait, ὁ πρεσβύτατης Ἀριστόβουλος, τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθεῖναι δόξας (ἔκρινε γὰρ οὕτως) διάδημα πρῶτος ἐπιτίθεται, μετὰ υ ἀριθμὸν ἐτῶν, καὶ π. καὶ α. καὶ μηνῶν γ᾽ ἀφ᾽ οὗ τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος δουλείας ἀπαλλαγεὶς ὁ λαὸς, εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθε. *Defuncto ipſorum* (Alexandri & Ariſtobuli) *genitore* (Hyrcano) *Ariſtobulus ætate maior, cùm in regium imperium transferendum, ita enim ipſi placuit, ſuum ſtatuiſſet principatum, primus ſibi impoſuit diadema, poſt annos quater centum, octoginta, unum, & menſes tres, quàm populus ſervitute Babylonicâ liberatus, in ſuam terram remeaſſet.* Sunt qui hoc referunt ad Alexandrum ſucceſſorem & fratrem Ariſtobuli. Hieronymus in cap. XXI. Ezech. verbis ſuperiùs recitatis, Hyrcano hoc aſcripſit, horum fratrum parenti, errore utique manifeſto: quem inſigniter adauxit Villalpandus comment. in Ezech. XXI. qui, quem nominat Hyrcanum Hieronymus, illum alterum fuiſſe retur Alexandri filium: non autem priorem Simone genitum Macchabæo, ſed illum ipſum quem diutiſſimè, varijs caſibus exagitatum, Herodes interemit ad extremum, longâ & ærumnoſâ ſenectute gravem. In illo autem mixto principatu, poteſtas ſumma, nedum imperium, penes tribum Iuda non ſemper reſidebat, ſed ad alios, ab illâ tribu alienos, devolvebatur. Sed nondum ſumus eò devoluti, inter regni terminos & domum Davidis regnatricem, à Baronio decircinati. Teſtimonium igitur Iudæi hiſtorici, de formâ regiminis non Monarchicâ, ipſa etiam ſacra confirmant oracula, non unâ ſed diverſis vicibus enuntiata. *Sedebunt*, ait Oſe, III. XII. *dies multos filij Iſraelis ſine Rege.* Hoc tempus multorum dierum, Theodoretus ad noviſſimos dies refert: hoc eſt, tempus poſt exactam captivitatem, & reditum Iſraelis in gentem unam. *In noviſſimo die:* id eſt, poſt exactionem & finem 70. annorum captivitatis: nimirum poſtquam multos dies ſederant ſine Rege, extorres patriâ, in alienâ gente. Et ante Theodoretum, non nemo ex Interpretibus authore Hieronymo: quanquam ipſe de noviſſimis diebus interpretetur, hoc eſt, ab οἰκονομίᾳ & συγκαταβάσει Ieſu Chriſti, aduſque mundi συντέλειαν, numerandis. Certè, poſtquam in figuris illa omnia contigerint, quæ in veteri olim populo diſpenſabantur, non ſunt adeo coarctanda Prophetarum vaticinia, quin ad diverſa tempora & rerum eventus κατὰ σκόπον διάπτερον referri poſſint & accommodari. Sed illuſtriùs multò Hieremias adhuc, cap. XXII. commate poſtremo rem attingit: *Hæc dicit Dominus, Scribe virum iſtum ſterilem: virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Neque enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Iudâ.* Iechoniam intelligit, quem paulo prius Chonian nominaverat. Natus eſt autem de Ioachim Iechonias, qui & ipſe Ioachin alio nomine dicebatur: Verba ſunt Hieronymi in commentarijs: *De Iechoniâ natus eſt Salathiel, de Salathiel Zorobabel, & per ordinem venitur ad Chriſtum. Sed non ſucceſſit Ioachino filius Rex, ſicut ipſe ſucceſſerat Rex patri ſuo, ſed fuit in captivitate & Salathiel & Zorobabel: & uſque ad Chriſtum nullus regiam obtinuit poteſtatem.* Attende, Baroni: *nullus obtinuit in Iudæâ regiam* deinceps, ad Chriſtum uſque, *poteſtatem.* At fallitur egregiè doctiſſimus Hieronymus: Ariſtobulus obtinuit, &

ab

ab illo alij, ante editum in lucem Messiam Dominum, regiam in Iudæâ potestatem. Nequaquam diffitetur illud Hieronymus. Retulit enim ad Hyrcanum Assamonæum istud, quòd primus sibi imposuerat diadema. Falsus in homine non in re. Quomodo hic affirmet oblitus sui, *nullus*, usque ad Christum, *regiam obtinuit potestatem?* Explicat se deinceps & expedit rem ambiguam Hieronymus. *Omnes*, inquit, *fuere captivi, & nullus deinceps de stirpe David in terrâ Iudæâ tenuit principatum:* non simpliciter nullus à Iechoniâ. Zedechias enim tenuit ante captivitatem: sed patruus, non filius, erat Zedechias. *Scribe virum istum sterilem.* Post captivitatem, Aristobulus tenuit: tenuit Alexander, Hyrcanus, Antigonus, alij. Sed non de stirpe David, ait Hieronymus. Quod omnino observandum est propter Macchabæos, ad quos statim devolvitur Annalista. Nam censente Hieronymo hîc in commentarijs, non erant illi de gente & tribu principante. Addit enim adhuc idem: *Vndè & Iosephus refert, de sacerdotali genere & tribu Levi fuisse principes: quibus successerit Herodes Antipatri proselyti filius: & postea sub Vespasiano, regnum huius generis, imò imaginem imperij, funditus fuisse deletam.* Basilium Hieronymo advocamus in partes, quemadmodum in glossis reperimus, ad locum Hieremiæ. *Exterminata est Ierusalem à Nabuchodonosor: regnum eius* (Iechoniæ) *dissolutum est. Nequaquam autem ulterius paternæ successiones regnantium sicut prius erant. Nam ab initio usque ad captivitatem regnabant qui ex genere David fuerant. Regressi autem Salathiel & Zorobabel* (quanquam ille non est regressus, sed in captivitate diem obijt) *populariter præerant populo, principatu iam in sacerdotium declinante, propter quod commixtæ erant sacerdotalis & regalis tribus; vnde & Dominus rex est & sacerdos, ad Deum: & non defecit quidem regalis tribus usque ad Christi adventum. Non tamen sedit super solium David de semine Iechoniæ.* Neque dissentit Theodoretus, *Ostendit finem regni Iudaici*, inquit ille. *Et est sermo certissimus. Nec proferat quis in medium Zorobabelem. Non enim Rex fuit populi sed gubernator eius, & Dux exercitus.* Quo turpius illius Lucumonis commentum, qui sub nomine Basilij mundo illusit in commentarijs Psalmorum quicunque fuit, LX. nimirum & LIX. *Solum autem ex Iudâ Zorobabelem Principem ac Regem habuerunt* inquiens: & secundo loco, ad hunc modum, *Regnum aliquando inter illos obtinuit Zorobabel:* cujus planè contrarium Basilius, cum cætera antiquitate, opinabatur. Possent ad hoc ipsum aliorum alia testimonia, longè plura, advocari, sed non est opus. Neque enim *regnum* aiunt, propriè dictum, hoc est, unius dominatum tribui Iudæ, vel domo Davidis addixit Iacob, usque ad Messiæ incarnationem; sed *principatum, saltem aliquem:* sed prærogativam supra cæteras: neque enim fuisse necessarium, ut unius imperium obtineret. Satis enim abundè fidem factam videri vaticinio, si *Dominium*, non Regium sed quodcunque: *sceptrum*, hoc est, virga potestatis, utcunque non regalis, sed qualis tandem cunque, in tribu Iuda remansisset. Vox ipsa quam usurpat Historia sacra in hac parte vaticinij Iacobitani *Scebet*, *duo significat*, ait Oleaster, *in sacris literis. Virgam* nimirum, & *familiam.* Et *Virgam* primariâ significatione: modificato quodam sensu *familiam.* Propterea quòd non aliter ab uno aliquo descendant in familiâ οἱ πολλοί, quàm solent è virgâ pullulare folia. Virgam notat ergò, sed non vimineam: non lictoris cujusdam aut accensi, vel plagosi Orbilij fasceis & flagellum, puerorum in scholis tergicidæ: sed qualis erat illa Ahashueri virga, quâ uxorem Estheram ille demulcebat. Qualis illa frequens apud

Prophetas,

Prophetas, ad quam allusum est in potestate Christi, non illâ mundanâ sed æterna. Qualis illa apud Poetam principem virga fuit, quæ

Nunquam fronde levi fundet virgulta, nec umbras;
Quum semel in sylvis imâ de stirpe recisa
Matre caret, posuitq; comas & brachia ferro:
Olim arbos, ast artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusq; dedit gestare Latinis.

Virga autem regia principatus erat insigne: potestatis & jurisdictionis indicium. Sceptrũ significat, absolutam, supremam, regiam potestatem ἀνυπεύθυνον: & inferiorem quoque regiâ dignitatem, omnimodam nimirum potestatem. Cardinalis eruditus de Iudæ virgâ siue sceptro disputans, non aliter videtur accipere, alibíve velle acquiescere, quàm in regiâ supremâ potestate. Ita ubique dum ista tractat, *Sceptrum*, *Regnum*, *Regium sceptrum*, & his similia γνωρίσματα μοναρχίας usurpat; cùm tamen sive ulla controversiâ, neque Iacob vaticinando promiserit tribui Iudæ, neque tribus Iuda unquam habuerit, tantam, tam excellentem potestatem, ad regnum usque Herodis Idumæi. Itaque malè conscius vacillat statim: & à *Regno, sceptro regio*, cæterisque, ad *Principatum* descendit, *saltem aliquem*: ad *potestatem* delabitur, licet non *supremam*: ad *sceptrum* adhæret, licèt minimè *regium*. Ita verbis ludit admodum inconstanter & lectori per offucias fucum facit. Profectò principatum illum Iudæ diversi diversimodè intellectum exposuerunt: quàm rectè, quàm sapienter omnes! Absurdum esse videtur, & rectâ ratione destitutum, quod scriptum ab Hugone Victorino memini legisse, in allegorijs ad cap. 9. Gen. ab alijs post illum memoratum, qui prophetiæ hanc clausulam sic interpretantur. *Dominium quoddam non auferetur*: ita nimirum, ut omni prorsus prærogativâ tribus illa careret in Israële. Usuram autem docet nonnullis privilegijs super reliquas omnes tribus omni tempore, licet ijsdem intercisis aut per vices repetitis. Sed instat, à Victore in privilegijs, omnium quos viderim, nugacissimè. Princeps, inquir, illa tribus intravit mare rubrum ἐν τῇ ἐξόδῳ. Tabernaculo Mosaico consummato, princeps offerebat illa tribus: ambulante exercitu, illa movebatur prima, & in acie ducebat principia. Legimus profectò illam tribum προπορεύοντος τοῦ στρατοῦ, ut loquuntur τακτικοὶ, primam aciem duxisse. Et oraculo divino admonitum scimus, Iudam principem ascendisse contra Chananæos, Iosuâ ad patres jam collecto. Sed ex speciali scimus privilegio factum, & præcepto in rem præsentem particulari: non propter promissum à Iacobo sceptrum, non ex vi benedictionis hujus Principalis. Consultus enim respondet, Iudicum primo, Iehova Deus Israel, *Princeps ascendet tribus Iuda.* At de primo ingressu in mare rubrum, mirarer è quo Cabalâ hoc resciverat Hugo, non enim tunc in montibus constitutus vigil ἐν σκοπιῇ, notaverat tam exactè quæ tribus ante alias ingrederetur aquas, si non meminerам legisse apud Hieronymum alicubi, hoc proditum ita literis à Rabbinis Iudæorum. Certè Iordanem mirabiliter dispertitum, in ipso ingressu terræ promissionis, non de Iudâ aliqui antesignani, sed κιβωτοφόροι de tribu Levi, omnium principes & primi sunt ingressi. Quòd si locus detur ullus hîc conjecturæ, Mosen ego dicerem miraculo instrumentum, populo attonito atque hæsitanti, Ducem itineris extitisse viæ illius inviæ deinceps omnibus per mare divisum capessendæ: Sed non refert qui vel quales ingrederentur primi. Hoc enim, & istiusmodi omnia leviora sunt, quàm ut in illis Iacob Patriarcha singularem illam

illam poneret prærogativam, quâ Iudas ſupra fratres attollebatur. Eoque magis habenda ſunt leviora, quod non erant ita diu duratura: cum terminum ſuæ benedictionis vates ſtatuerit, uſque dum veniret ille ᾧ ἀπόκειται: hoc eſt, donec ille mitteretur, in quem Gentes crederent, regnaturus in æternum in domo Iacob, Propheta, Pontifex, Princeps unctus: id eſt enim *Shilo*, ut rectè eruditi ſtatuerunt, non locus ubi Samuel inauguravit Saulem, uti æquè joculariter ſcripſit idem Hugo. Sed illum mittamus à Victore. Hoc certum eſt omnino in hâc prophetiâ, quod non debet in dubium aliquando adduci, poteſtatem promiſſam, & ſceptrum Iudæ non eſſe ita coarctandum, ut ultra citrave regiam non extendatur: aut ut Reges qui dicuntur, & revera ſunt, Monarchæ non inferioris notæ principes & μεγιστᾶνες, per Iacobum intelligantur, in vaticinio & benedictione. Virga penes alios, magiſtratus nimirum ſubordinatos & minores etiam reſidet. Legum vel interpretes vel authores, alij à Monarchis ſemper extiterunt. Iſraelitis, quamprimum inter Gentes, ab Ægyptiacâ ſervitute reduces, cenſebantur, Leges in Sinâ à Deo latæ, in manu Mediatoris promulgabantur. Moſes, Aaron, Ioſua, Iudicum omnis catalogus, multi deinceps, continuatâ, aut paulatim interciſâ ſerie, extiterunt magiſtratus, priuſquam regnatum eſt in Iſraël. Ubi primum regnari ceptum eſt ſemel, nuſquam deinceps deſitum eſt, uſque dum per Chaldæos captâ urbe, conflagravit templum, ipſaque ceſſavit politeia. Sub ipsâ Gentis captivitate, non redacta res fuerat ad anarchiam, quod cùm ex illis apparet Danieli lacinijs aſcriptis, tum è vatibus Hieremiâ & Ezechiele, necnon hiſtoriâ Eſtheræ. Reverſi, ſine omni controverſiâ, inter multas, quibus conflictati ſunt, & tantum non attriti, calamitates, Principes tamen, Ethnarcas, Magiſtratus, Duces, Pontifices, Concilium ſeniorum, ad Herodis tempora, quin ulterius, ad cladem uſque Flavianam, & gentis interitum atque internecionem retinuerunt. Anno demum Chriſtianæ, ab aſcenſu Servatoris, Epochæ quadrageſimo ſecundo, quam prædixerat Dominus venturam, clades illa & deſolatio contingebat. Exinde nec Propheta, neque Rex, nec Pontifex inungitur in illâ Gente: Sacerdotium abolitum, deſolatum Templum, diſperſi populi, ſacrificia nulla, non lex, non legiſlator, non magiſtratus, non patria demum undè cenſeantur, & dudum eſt cùm deſierunt, inter nationes numerari. Atque hunc ad modum ſortita eſt eventum prophetia Iacob, poſtquam, *Deſyderatus cunctis gentibus*, *Spes & deſyderium æternorum collium*, Ieſus Chriſtus advenit & implevit omnia. Frivolum eſt igitur, & minimè quidem neceſſarium, quod ſolet reſponderi à quibuſdam, & reſponſum eſt à Sebaſtiano Barradâ Societatis Theologo, ad objectum quo urgetur vehementius Baronij ſententia & Cyrilli, de ablato ſceptro à Iudâ, hoc eſt, ab illâ tribu, principatu: vel regni & Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ & inferioris cujuſdam poteſtatis fruitione. Nam cùm conſtet ablatum ante Herodem natum, de tribu Iuda ſceptrum regium; neque poſſit negari ceſſaſſe aliquoties ſceptrum, ſaltem in illâ clade Babylonicâ, voces illas in vaticinio poſitas, *Non auferetur ſceptrum, donec veniat*, intelligendas volunt, non quoad *actum*, ut loquuntur, temporalem, vel ceſſationem interciſam, ita ut, ne ullatenus interrumpenda poteſtas illa Regia, (nam de Regiâ iterum loquuntur, inconſtanter) aut ad temporis exigui ſpatium impediendâ intelligatur, (id enim conſtare falſiſſimum eſſe, cum per vices ablatum redierit:) ſed, *non auferetur*, hoc eſt, in ſolidum & penitùs indè auferetur: ita autem, ut nunquam deinceps potuerit ablatum illud

ſceptrum à Iuda recuperari. Quæ quidem reſponſio cùm ſit veriſſima, quoad ſenſum & ſententiam ablationis ſceptri, non tamen adhibetur hoc in loco, niſi fruſtra & inconſideratè, ubi, ſi rectè intelligantur omnia, ne quidem ad temporis momentum aliquod, virga poteſtatis, & Legum condi-promi magiſtratus, defecerunt, hoc eſt, omnis omnino forma & ratio politeiæ intercidit. Et profectò, ne poſt Chriſtum in carne exhibitum, & ſceptrum Iudæorum ad Herodem tranſlatum ex Idumæâ oriundum, penitus defecerat, & omni modo prorſus, principatus. Interciſus enim, per Herodis regnum, illius Romanorum beneficiarij, & per Archelaum præthereà ad novennij ſpatium interruptus, in Herode Agrippâ repullulavit. Author enim eſt ipſemet Cardinalis ſect. v. in Apparatu, Herodem Agrippam, quod omnino verum eſt, qui poſt Chriſti ἀνάβασιν regnavit in Iudæâ, filium extitiſſe Ariſtobuli illius, quem Herodes ille primus gentilis homo, poſteà proſelytus, Infanticida, genitum ſuſceperat ex Aſſamonæâ Mariamne, Hyrcani Pontificis illius, & de jure ϗ ἐκ διαδοχῆς, Regis in Iudæâ, nepte. Neque debet hoc rejicere, ſed nec vili pendere Cardinalis, cum non aliâ ullâ ratione queat ſententiã aſtruere illam ſuam, de principatu Iudæ reſtituto in Aſſamonæis, quam quod per lineam fœmininam in tribum Iuda principantem, & domũ Davidis regnatricem admitti, vel aſpirare eò poſſint. Sed profectò, ut diximus, hoc in loco, *Aufero*, non eſt actum impedire, & ad tempus quaſi aliò derivare ſceptrum, videlicet de familiâ regiâ ſeparatum; ſed & actum omnem interrumpere, & potentiam amputare recuperandi. Sic ubi dixit Dominus Davidi ſuo, *Miſericordiam meam non auferam ab illo:* Non hoc volebat, quod *non abſcondet faciem:* aut, vultum ſubducet lætificantem: ne ad tempus quidem perexiguum: hoc eſt, Actum non impediet Miſericordiæ: ſubduxit enim vultum & turbatus eſt: ſed quod in æternum id non faciet. Nam reverſus eſt Deus, & conſolatus eſt eum. At actum & potentiam complexus eſt, qui dixit, *auferetur*, & perpetuum ac interciſum etiam incluſit principatus tenorem. Unde *non deficiet* legunt ſeptuaginta de fine conſummato intelligentes, eo, quem vocarunt Græci πέρας, in quo quicquid ulterius eſt, non admittitur.

SECT. III.

Zorobabel de Iudâ, Princeps familiæ, & reipub. ſed non eius poſteri: ipſe, Regis dono, cum alijs. Darij votum de Templo ædificando. Pontifices Principes reipub. Iudæorum. Barradij nugæ & ἀγνωσία in principatu Pontificum.

SEd pergamus ad ſequentia in hoc vaticinio enucleando, quæ proponit Cardinalis in Apparatu. Illa autem ſunt perſonæ ad quas hoc ſceptrum & quicquid eſt Iudaici uſpiam principatus in mixtâ illa politeiâ poſt captivitatem pertinebat. Perſonæ ſunt in duplici diſtinctione. Nam vel Zorobabel è Babylone redux (neque enim reverſus eſt qui in captivitate naſcebatur, quod tamen viſum non nemini diximus, Salathiel) vel poſteri etiam Zorobabelis ſummam dici poſſunt, etſi non regiam, poteſtatem obtinuiſſe. Illum, etſi non Regem, ut fatuis quibuſdam videbatur, Principem ſuæ gentis tamen, neque nomine tantum tenùs, non inficiamur extitiſſe. At à Zorobabele

babele oriundos, eundem cum eo tenuiſſe gradum honoris atque dignitatis, uſque adventum Ieſu Chriſti, neque probat, nec probare poterit vir eruditus. *Zorobabel in Iudâ principatum*, inquit, *gentis ſuæ obtinebat*. Recte inquit; obtinebat enim, at fuit oriundus è tribu Iudâ & domo Davidis regnatrice: fuit autem, neq; ignoramus. Non defecit ergo ſceptrũ, ſanè non defecit, oportebat enim prædictum illud, adimpleri. Quamdiu Zorobabel ſupervixit, non defecerat principatus, utcunque defecerat regnum de Iuda ante editum in lucem Zorobabelem, genitum quippe ἐν τῇ μετοικησίᾳ. Poſt reditum è captivitate, domum, princeps familiæ, quondam regnatricis, Zorobabel fuit: princeps etiam in repub. gentis ſuæ, non tamen reipub. princeps, quemadmodum multis retro ſæculis majores ipſius erant à Davide. Amiſerant Iudæi, ſi non omnem, illum tamen antiquum reipub. ſtatum. In patriam reduces, more Majorum, vetuſtis legibus atque inſtitutis, quoad ſacra præſertim & res divinas, utebantur, non tamen antiquam illam libertatem & αὐτονομίαν, non veterem politeiam reſumpſerunt. Eminebat inter reduces Zorobabel, cum familiæ ſplendore & prærogativâ, tum gratiâ & favore principantum. Spectabat ad illum de communi jure, ut hæredem & primogenitum domus regnatricis, imperium & principatus, ſed illo non eſt uſus principatu: uſus familiæ principatu, quippe in naturâ ſtabilito; ſpectabat enim genus, ortum, proſapiam, ſed in populum tamen principatus, non propterea illi deferebatur: ſed ex gratia & ſpeciali prærogativa. Erat enim Dario regi Perſarum à poculis, & cum eodem adhuc in vita privata conſtituto, ſummâ conjunctus familiaritate. Hinc cùm in Perſide regnaret Darius τοῦ Ὑστάσπεως, haud exulem amicum aſpernatus, neque veteris immemor amicitiæ, quod vitium eſt plerumque illorum hominum: *Quos ex nihilo magna ad faſtigia rerum evexit, quoties voluit fortuna iocari*: Supplicanti conceſſit, & regio diplomate confirmavit, ut res ſuæ patriæ, fractas & jacentes, in integrum denuò reſtauraret: immunitatem populi confirmavit: volentes ipſi commiſit reducendos, & iiſdem reductis juſſit ut præeſſet cum imperio. Neque veteris amicitiæ tantùm memor Zorobabeli Darius hæc largiebatur, ſed voti etiam reus, quippe qui ſpoponderat, ſi regnum aſſequeretur, in Perſide poſt Magos fratres interemptos electus, templum à Cyro inchoatum, à Cambyſe, interrupto opere impeditum, denuò ſe velle reſtaurare. Hæc omnia authore Ioſepho referuntur, ex XI. Antiq. cap. IIII. Ἔτυχε δὲ καὶ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἀφικόμενος πρὸς Δαρεῖον ἐξ Ἱεροσολύμων Ζοροβάβηλος: *Venerat ad Darium ex Hieroſolymis per illa tempora Zorobabelus.* Is cùm eſſet princeps Iudæorum, (ἄρχων legitur apud Ioſephum) miſſus eò fuerat cum quibuſdam alijs, per Cyrũ tum cùm edicto ſanciret reſtaurationem templi & civitatis incipiendam; & poſtea, populi dux & gubernator extitit ſub Dario, quo in loco voce utitur, ἡγεμών, ita enim Ioſephus ad ſequentia annectit: ὃς τῶν αἰχμαλώτων Ἰουδαίων ἡγεμὼν ἀποδέδεικτο, πάλαι γὰρ ἦν αὐτῷ φιλία πρὸς τὸν βασιλέα. *Qui captivorum Iudæorum princeps eſſe declarabatur; erat enim ab antiquo eidem cum rege (Dario) amicitia.* Qui poſtquam illum inter corporis cuſtodes allectum recenſuerat, & de ſucceſſu ζητήματος illius narraverat, *Quid fortiſſimum in naturâ rerum* dici deberet, cujus mentio habetur in tertio, uti dicitur, libro Eſdræ, ſubjungit de voto, ταῦτ' εἰπόντος ὑπέμνησεν αὐτὸν τῆς εὐχῆς, ἣν ἐποιήσατο, εἰ λάβοι τὴν βασιλείαν. Αὕτη δ' ἦν, ἀνοικοδομῆσαι μὲν Ἱεροσόλυμα, κατασκευάσαι δὲ ἐν αὐτοῖς τὸν τοῦ Θεοῦ ναόν· ἀποκαταστῆσαι δὲ καὶ τὰ σκεύη ὅσα συλήσας Ναβουχοδονόσορος εἰς Βαβυλῶνα ἐκόμισε. *Hæc ubi dixerat, in mentem eidem revocavit votũ, quod*

 voverat,

voverat, ſi regni compos foret factus. Erat autem illud, ſe reſtauraturum Hieroſolymam, Dei Templum ædificaturum, vaſa illa omnia reſtituturum quæ per ſacrilegium direpta Nabuchodonoſor tranſtulerat Babylonem. Neque hanc poteſtatem αὐτοδέσποτον vel abſolutam, aut ſoli Zorobabelo conceſſam eſſe voluit Rex: nam præterquam quod ſecum Ioſedeci filium, principem ſacerdotum eidem legimus ubique aſſociatum, Ananiam quoque & Mardochæum ὁμοτίμους & ὁμοψήφους ei datos, fideliſſimus idem author rerum Iudaicarum Ioſephus eodem loco memorat, à Dario: quemadmodum prius ſub imperio Cyri, Mithridatem quæſtorem, & principem tribus Benjamiticæ, pari poteſtate præditos dederat ei comites: ſed nec iſtum qualemcunque principatum, per ſuum diploma & διάγραμμα eidem in poſteros deinceps conceſſit derivandum. Nam qui poſteà regreſſi ſunt è Perſide, miſſi per magnos reges cum imperio, Eſdras nimirum & Nehemias, genus Zorobabeli vel cognationem nullo modo attingebant. Atque ita nondum conſtat principatum populi ne qualem certè cunque poſt captivitatem exolutam, manſiſſe penes tribum Iuda, in Zorobabele poſteriſque; quod pronuntiat adeò confidenter, & veluti deciſum determinat Cardinalis. Reſpondet Sebaſtianus Barradas, Baronij magnus ubique plagiarius, poſteros Zorobabelis illius, uſque ad tyrannidem Herodis magni Infanticidæ, ad clavum reipub. conſediſſe, atque ita quidem expoſitioni Baronianæ fidem conſtare & authoritatem. Sed heus, mi homo, principium petis. Hoc quod tu reſpondes, eſt τὸ κρινόμενον, id ipſum quod verſatur in quæſtione: quod nos non affirmatum à te, ſed probatum cupimus: niſi fortè tu poſteros non illos intellexeris, qui erant oriundi à Zorobabele, ſed pro tempore, in imperio ſucceſſores, licet plurimum à genere, ac gente ejuſdem diſparatos. Quod ſi nolueris, & quidem eſt ridiculum ſi volueris, nullo modo debes ignorare, temerè a te poſitum & affirmatum illud eſſe, ipſius poſteros uſque ad Meſſiam gubernacula imperij obtinuiſſe. Nam priuſquam ᾧ ἀπόκειται, naſceretur, in mixto illo principatu, ſumma rerum omnium gerendarum, penes ſacerdotes, non poſteros ullos Zorobabelis ſtatuebatur. Docent hoc multipliciter libri veterum literæque, Macchabaicæ hiſtoriæ ſcriptor, fœdera, conventus, amicitias, pacta, cum vicinis & remotis gentibus: Romanis, Spartanis, Seleucidis: bella quoque geſta, & eductas acies, per Pontifices qui tunc vivebant, Pontificum nomine atque autoritate intercedente, non alterius cujuſcunque, commemoravit. Alexandro magno, cùm direptâ Tyro, armis infeſtus animiſque Hieroſolymas metropolin gentis peteret expugnaturus, non alius occurrit quàm Iaddus Pontifex; cum nullo alio Iudæo tranſigit & paciſcitur, quàm cum Iaddo ſacerdote; de poſteris Zorobabelis nulla mentio, Ethnarchis vel ducibus illius Gentis. Ptolomæus ſecundus Ægypti Rex, de ſcripturis in Græcam linguam transferendis, non ad alios in hoc populo principes ſcripſit, quàm ſummum Pontificem Eleazarum, Oniæ pupilli & conſanguinei ἐπίτροπον. Atque hic eſt ubique rerum Iudaicarum perpetuus tenor, nuſquam immutata conſuetudo. Teſtatur hoc Ioſephus Antiquitatum author Iudaicarum, lib. XI. cap. IIII. de temporibus ab illo reditu è Babylone, uſque dum potirentur rerum Aſſamonæi. Οἱ γὰρ Ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίους συνέβη ἐκ γένους βασιλεύειν. *Rebus*, inquit, *præerant ſacerdotum principes, uſque dum geniti ab Aſſamonæo, ad regni faſtigium ſe eveherent.* Quod factum docuimus ſub Ariſtobulo, poſt quingentos propè annos à captivitate: ſed occurrit in parte Sebaſtianus, Sceptrum, id eſt, regni adminiſtrationem,

eoſdem

eoſdem illos poſteros obtinuiſſe, quamvis penes Pontifices eſſet ſumma authoritas. Hominem mirificum ! Penes ſummos ſacerdotes ſumma fuit authoritas, & tamen ſceptrum illud Iudâ, hoc eſt, regni adminiſtratio, penes alios? nempe poſteros Zorobabelis : quibus ſcilicet debebatur, propter vaticinium hoc Iacobi. Erant ergò Pontifices, Majores domus regiæ, ut quondam Carlomanni, Pipinique apud Francos : titulo tenus regnabant qui deſcenderant de Iuda, ita ſceptrum illud Iuda & ὑπεροχῇ, ſubordinata quædam & precaria poteſtas fuit : vicariâ poteſtate adminiſtrabant regnum; ita de Levi non Iudâ σκηπτοῦχος erat βασιλεύς: & tribus ſacerdotalis illa principalis. An eſt alia potius poteſtas ſuperior ſumma ? & regiâ illâ ſublimi ſublimior quædam ? ac ſceptrum auguſtius regnatrice ? Ita credi volebat homo naſutus. Summam poteſtatem diſtinxit a regiâ, eamque conſtituit penes Iudæorum Pontifices, ut non eſſe videretur res nova & inaudita, ſi quam illi habuerunt authoritatem ſummam ſupra Reges, eandem ſibi vindicet, nec immeritò, Romanus hodiè Epiſcopus apud Chriſtianos; & quaſi ſuo ſibi jure uſurpet ſuper omnes illos qui vocantur Dij. Hoc niſi volebat, ut ſic novum novæ fidei Hildebrandinæ articulum animis noſtris ſenſim ac furtim inſtillaret, non poteſt illa reſponſio quam adhibuit Barradas a ſummâ fatuitate excuſari : ut penes poſteros Zorobabelis e tribu Iudâ, regnum, & imperium reſideret, ſumma tamen authoritas penes alios, hoc eſt, de Levi ſacerdotes. At ſceptrum de jure pertinebat, inquis, dum cauſæ labaſcenti fulcimentum apponis, ad poſteros Zorobabelis de Iudâ oriundos. Quid tum verò, bone tu Sebaſtiane? an iccircò fuerunt cum ſummo imperio illi poſteri ? an quia de jure ſpectabat ad illos, *poteſtas* non *quævis*, ſed *ſuprema regia*, ideò fides facta vaticinio Iacob? quaſi non de actu loqueretur & poſſeſſione divinus vates, ſed de jure & potentiâ, quamvis impeditâ ? An potius hinc ſequetur eſſe aliam ſummam â ſummâ poteſtate poteſtatem, eamque in Pontifice reſidere? Imò verò, inquis, *quamvis Pontifices cum imperio erant, tamen illos de Iudâ veroſimile eſt præcipuum locum obtinuiſſe in repub. adminiſtrandâ.* Præcipuum locum oportet te intelligere, & credo intelligis, ab imperio alium, & imperio ſubordinatum : niſi primum & præcipuum æquè latè patentem à primo intelligas & præcipuo: ſed ut demus præcipuum quovis modo tenuiſſe illos locum, quod neque probatur neque uſquam proditur in vetuſtâ memoriâ, tamen quamdiu non fuerat primus locus ille præcipuus, vaticinium Iacobi non attingit, in quo ſceptrum promittitur, hoc eſt, prima authoritas, & Iudam dicuntur adoraturi fratrum filij. Et ut attingeret prophetiam iſta expoſitio, dicas tamen oportet, ὦ σοφέ σύ, cur ſit veroſimile illos (ſub Pontificibus conſtitutos) locum in republicâ, quamvis ſubordinatum, præcipuum tamen obtinuiſſe ? Quas profers veriſimiles conjecturas ? quo authoris teſtimonio in hac cauſâ niteris ? & ut iſta fuerint, tamen illud tuum, *Regiam* & *ſupremam authoritatem*, undè tandem deductum ibis ? ſed nimirum par cauſa fuit & germana conditio forſan tribus Iudæ, ac eſt principum quorundam Chriſtianorum ; ſcilicet divinus vates Iacob, non de actu loquutus eſt & poſſeſſione imperij, non de executione juriſdictionis, ſed de jure tantummodò & potentiâ, ac nomine nudo principatus, ſceptrum, hoc eſt, jus ad imperium & principatum, ad Iudam ſpectabat, at ſceptri adminiſtratio, hoc eſt, τὸ προτέρημα & ὕπατον κρᾶτος, penes alios, Pontifices uſurpantes imperium, reſidebat. Ad eundem modum noſtri ſacerdotes petaſati rubro-galeritæ, & eorum Primicerius Romanus Pontifex, quo jure parum refert, quâve

injuriâ,

injuriâ, misit falcem in messes alienas, supremam obtinuit ubique potestatem; vicariam habent Reges precariamque, quibus tamen de jure, & illo supremo, nempè divino, debetur summa. Et hæc est illa Helena quæ jamdudum obtinuit, postquam semel, ut habet vetus verbum, Ἀντ' ἀεργιάης Ἀγαμέμνονα δῖοι Ἀχαῖοι. Interim quid facies huic homini sic balbutienti? quasi fungis ac fatuis tantummodo scriberet; per verisimilitudines rem totam expedit; ridendum se propinat cachinnonibus, & tamen isti Patres si collegio Conimbricensi credimus, sunt Musarum corcula Iovis cerebella. *Queis meliore luto finxit præcordia Titan.* Sed non est res seria transmittenda per quasdam verisimilitudines. A *Iure*, si tamen jus fuerat, ad *esse* & *possidere* nō patiemur te disputare. Secundas aut tertias, fortè quidem ne vicesimas obtinere in rep. administrandâ, non est principem usurpare locum: Sceptrum gestare, leges ferre, non est ab alicujus nutu pendere vel imperio: neque vile quicquam vulgare, vel protritum Propheta Iacob intellexit, cum proferret illa tam augusta, *Sceptrum de Iudâ non recedet, &c.* sed quoddam excellens privilegium, & supremam undiquaque in populo potestatem. Sed omissis hisce titillitijs & nugamentis, ad magis seria descendamus.

SECT. IIII.

Assamonæi, an per lineam fæmininam de Iuda. Genebrardi error, Baronio & alijs improbatus, qui Assamonæos per Patrem de Iudâ fuisse scripsit. De Matrimonio tribuum sacerdotalis & regalis. Philonis locus de connubijs Pontificum, malè versus, intellectus. Baronij incogitantia.

SEntentiæ Baronianæ de tribu Iudâ, & sceptro eidē tribui quasi appropriato, præsidium & firmamentum omne atque robur in Assamonæorum subsidijs situm est. Ad illos confugit velut anchoram sacram in tempestate, undè vento si excussus aut abreptus fuerit, necesse est ut naufragium patiatur. Nam ut demus illi penes tribum Iuda, in posteris nimirum Zorobabelis, a parentis excessu potestatem aliquam, etsi non summam consedisse; tamen postquam τὸ κράτος ad Iudam Macchabæum devolutum fuerat, per aliquot ante Christum sæcula, negari non potuit, neque verò est ab illo aut quovis alio deductum in quæstionem, nisi fuerint de Iudâ Macchabæi, sceptrum & imperium defecisse. Quanquam nihil video, cur non licitum fuerit cùm Barradæ tum etiam Baronio Cardinali, cæterisque harum partium sectatoribus, ex meris conjecturis sine ullâ ratione, de temporibus hisce Macchabaicis perindè atque de intermedijs ab excessu Zorobabelis, ἀνιστορήτως, ἀδιακρίτως, pro imperio pronuntiare. Quamvis Pontifices (erant enim Macchabæi Pontificatu præditi) cum imperio essent, tamen ortos de Iudâ Zorobabelis posteros, verosimile est, præcipuum locum in repub. administrandâ obtinuisse. Sed non utuntur isto, cùm tamen æque hic possent, atque alibi, suffugio. In Assamonæorum origine rei cardo vertitur: *Et illi erant*, inquit illustrissimus Baronius, *saltem per lineam fæmininam, de Iudâ oriundi.* Quod paternum genus attinet, & originem inde, in confesso ponitur apud Cardinalem, ortos è Leviticâ prosapiâ fuisse, ut disertis verbis extat ab illo scriptum, qui primum

librum

librum dedit Macchabæorum. Atque ideò Genebrardum perstrinxit, nec injuriâ, qui, per genus suum paternum, tribui Iudæ hos inseruit & domo Davidis regnatrici; contra quam testantur, quicunque olim aliquid de rebus Macchabaicis prodidere: contra quam testatur divinus Paulus dum sic statuit, neminem unquam de Iuda ministrasse altari. Sed quicquid delirat Genebrardus de paterna origine Macchabæorum, per genus maternum ad Iudam spectasse, contendit vir illustris: *atque ita per lineam saltem fæmininã, non recesserat*, inquit, ne in Assamonæis, *sceptrum & principatus ab illâ tribu.* Confirmat istud πείσμα Cardinalis tripliciter. Nam docet imprimis licitum fuisse tribui sacerdotali illi, non autem ulli ab illâ tribui, matrimonium contrahere cum regali. Secundò, Rabbinorum testimonijs probat, fuisse Assamonæos eo modo de tribu Iudâ oriundos. Tertiò, ne hoc novum atque inauditũ cuivis videretur, sceptra de familia in familiam transferri, apud alias quoque gentes Asiaticas, id in more fuisse positum contendit. Sigillatim de singulis, & tuo quidem ordine vir doctissime dispiciemus, ut quàm firmis innitantur rationum momentis Cardinalitia hæc psephismata, dijudicemus. Argumentum ergo tale est, Licuit Assamonæis, fœminis de Iudâ copulari, atque ideo non est dubium Macchabæos ab illâ tribu per fœminas descendisse. Licuisse contrahere ita matrimonia probat, producto Philonis è primo sermone de Monarchiâ testimonio, quod cùm parcè hîc perstringat, diffusius deinde ad XXXIII. sectionẽ prosequetur. Πρὸς δὲ τούτοις, ait Philo, καὶ τὸ γένος ἀκριβοῖ τῶν μελλουσῶν γαμεῖσθαι, προστάξας, τῷ μὲν ἀρχιερεῖ μνᾶσθαι μὴ μόνον γυναῖκα παρθένον, ἀλλὰ καὶ ἱερεῖαν ἐξ ἱερέων· ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας, καὶ τρόπον τινα, τοῦ αὐτοῦ αἵματος, ὦσι νυμφίος τε καὶ νύμφη, πρὸς ἁρμονίαν ἐπιδειξάμενοι παρ' ὅλον τὸν βίον κρᾶσιν ἠθῶν βεβαιοτάτην. Baronij interpres ita vertit: *Cùm de genere futurarum uxorum diligenter cavetur, ut Pontifici spondeatur non solum virgo, sed sacerdotalis generis præterea virgo, ut sponsus atque sponsa gentiles sint, & quodammodò consanguinei, quo magis per totam vitam moribus conveniant.* Hæc de totâ Pontificiâ familiâ Philo, non de eo qui actu erat Pontifex. Addit de cæteris non Pontificibus, sed minorum classium sacerdotibus, qualis esse Zacharias memoratur: Ἐπιτρέπει δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, μὴ ἱερέων γαμεῖν θυγατέρας· τῇ μὲν, ὅτι μικρὰ τούτων ἡ καθαρσία· τῇ δὲ, ὅτι τὸ ἔθνος οὐκ ἐβουλήθη γένους εἰς ἅπαν ἱερατικοῦ ἀμοιρῆσαι καὶ παντελῶς ἀποτάξαι. *Cæteris conceditur*, ait idem interpres, *ut quamvis ipsi sacerdotes sint, possint tamen ducere non sacerdotum filias. Sive quod leve sit hoc piaculum, sive quod non expediat plebem in totum submoveri ab affinitatibus sacerdotum.* Quo in loco Philonis transferendo, erratur ab interprete Baroniano, qui transtulit illa, ὅτι μικρὰ τούτων ἡ καθαρσία, *Quod leve sit hoc piaculum*, cum diversum quid voluerit Iudæus Philo, nimirum in sacerdotibus subalternarum classium, non exactam adeò numeris omnibus sanctimoniam & purificationis mensuram desiderari, atque in summis requirebatur sacerdotibus, quippè quibus sanctiora incumberent obeunda munera, & qui erant in typos & figuras rerum multo majorũ destinatj: sed crassius erratur ab ipso illustrissimo viro, qui mirum an vigilans ista scripsit, an semel chartis illita relegit. Nam quorsum quæso hoc testimonim è Philone huc advocavit? an non ut constare nobis liquido posset, non illicitum fuisse pontificibus olìm cõtrahere matrimonia cum fæminis de Iuda, ut postquam id cõstiterit licuisse, benignius eidem largiamur, neque enim ullâ necessitate alligamur, per fæminas de Iudâ in familiam Assamonæam sceptrum & principatum jure cõnubiali transfusum aliquando immigrasse. At Philo tuus, Baroni, ecquid hoc affirmat? Audi tuum interpretem

Heb. 7. 13. 14.

rectè

rectè præeuntem. *Diligenter cavetur, ut Pontifici spondeatur non solùm virgo, sed generis etiam sacerdotalis, virgo.* Quâ quidem diligenti cautione fœminæ de Iudâ, nisi dixeris eosdem esse generis sacerdotalis, a connubijs Pontificum excluduntur. Lege apud eundem rationem præcepti, *Vt sponsus, & sponsa gentiles sint*, & tuam admirare incogitantiam. Sed de conjugijs sacerdotum agendum fusius cum ob istam in præsenti rationem, tum ob eandem materiam iterum repositam in sequentibus.

Sect. V.

Lex de non miscendis tribuum matrimonijs : ratio legis : trib⁹ Levi habuit quasdam possessiones. An cum regiâ tribu posset contrahere matrimonium Pontifex. Aaronis exemplum à proposito alienum : & Iehoiadæ: qui an fuerat Pontifex summus disputatur. Sigonij error. Ἀρχιερεῖς *alij dicti à Pontifice. Baronius vacillat. Testimonium Rabbinorum videtur malè recitasse. Genebrardi* λῆρος.

Num.ult.6. LEx erat in Israel à Deo lata, *Nubant quibus volunt, suæ tantùm tribus hominibus nubant.* Lex lata in negotio quodam particulari, Zelophahadi filiarum. Illæ enim patri suo propter masculæ prolis defectum, hæredes aditura hæreditatem, jubentur matrimonio elocari, ita tamen, ut suæ tribus hominibus elocentur. Ratio autem hujus legis generalior ad omnes ex æquo pertinebat, qui de genere Iacobi censebantur. Sequitur enim in eodem cap. apud Mosen: *Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione suâ: & cunctæ fæminæ maritos ducent de eâdem tribu, ut hæreditas permaneat in familijs, neque sibi tribus invicem misceantur.* Hâc lege in Israel obtinente, videtur non potuisse inter masculum & fœminam matrimonium contrahi, nisi essent ex eadem tribu orti utrique. At concessum erat tribui sacerdotali (ita loquitur Cardinalis sect. XXXII. ubi disputat de affinitate beatissimæ Virginis ac Elisabethæ, è diversis tribubus exortarũ) & quidem speciali privilegio concessum, ut possent cum fœminis de tribu Iuda regali nuptias contrahere Pontifices & affinitatem. Rationes non omisit Lyra postillator istius concessæ dispensationis, propter tribus utriusque præcipuam supra cæteras omnes nobilitatẽ, in regali & Pontificiâ dignitate. Secundò, ut Reges habentes potestatem contrahendi cum sacerdotibus matrimonij, & familiaritatem ineundi, per istos in lege Dei eruditi, arctius ad Dominum constringerentur. Tertiò, ut in populo per hanc viam initam pax & unio animorum conservaretur. Quas profectò rationes nôn solicitat, nec inquirit in easdem Cardinalis; accersit ab exemplis proposito suo firmamentum, exemplis autem Iehoiadæ & Aaronis. Hi cùm Pontificatu, uterque supremo, in Dei populo fungerentur, uxores nihilominus duxerunt de tribu Iuda: Aaron, Elisabetham, Aminadabi filiam, sororem Nahasson principis Iuda. Hic Ichoshabeam Ioramo genitã, sororem Ochosiæ regis Iudæ: Hisce postquam exemplis innixus egisset, tamen unicam non omisit rationem adhibere: hisce tribubus, scilicet Regiæ atque sacerdoali, permiscere connubia non prohibitum, propterea quod legis latæ ratio foret, ne commisceantur hæreditates, & possessiones filiorum Israel de tribu in tribum derivarentur. Tribus autem Levi, nullas obtinebat hæreditates: ita nulla ratio fuit, cur legis illius vinculo

vinculo innodaretur de non maritandis, ad confundendas poſſeſſiones, filiabus. Habuit autem tribus Levi,ut propius congrediamur,ſuas quaſdam & ſeparatas & certas ac determinatas hæreditatum poſſeſſiones: non in unum collectas, ut cæteræ tribus, ſed diſperſas per cæteras tribus & diſſeminatas, juxta Iacobi vaticinium: *Dividam in Iacob & diſpergam in Iſrael*: nimirum quadraginta octo civitates cum ſuburbijs & pomerijs etiam ſuis ſatis amplis: compaſcua, reor,omnia in communi ſolo, non ſpatijs dimenſis proprietaria. Terrarum iſtæ quales demum cunque portiones, utcunque gentem ſequerentur,& generis proſapiam ſacerdotalem,non poterant per fæminas de tribu in tribum deportari: cùm,quod nunquam defecturi erant ſacerdotes ad altare coram Domino adolentes,vel Levitæ miniſtrantes in templo: tùm quod non erant diſpertitæ quædam poſſeſſiones,ſed tantum depaſtæ in communi ſolo: tum etiam propter illud mandatum ἀναγκαῖον de non confundendis hæreditatibus. Sed & tribui etiam Levi non fortaſſe penitus interdictũ fuerat aliquantulum agri obtinere: extra Iudæam ſaltem, ait Lyra: intra fines Iudææ, ait Hugo Cardinalis: obtinuiſſe certum eſt,quod de Barnabâ conſtat, Act. IIII. de Ieremiâ, XXXI. VII. de Abiatharo, tertio Regum. II. XXVI. ſed quicquid ſit de tribu ſacerdotali,regiam illam alteram certum eſt, egregias ſortitam eſſe in terra Chanaan & diviſim diſpertitas hæreditates. Potuit autem contingere in utravis tribu, neque enim quid contrarium Deus ullibi dicitur indulſiſſe, ut quod factum erat in Manaſſe & domo Zelophahadi,vir aliquis etiam de Levi aut de Iuda ſine prole maſcula,relictis tantummodo filiabus decederet; filiæ autem Levi cum viris Iudæ,vel filiæ Iuda cum viris Levi,(neque enim id prohibitum, ait Cardinalis, neque cavit hoc vir perſpicax in apparatu ſuo,) conjungerentur matrimonio, & paternam illam ſuam hæreditatem de tribu ſuâ & contribulibus, ad maritum & liberos de tribu non ſuâ ſic transferrent, ut omnino confunderentur hæreditates. Quocirca ſi ad Legem illam attendamus, etiam inter haſce tribus prohiberi debebant hæc connubia, & licet illud ſileat vir eruditus, prohibebantur: niſi forte de Levi,viri non fæminæ cum Iuda contraherent: de Iuda è contrario fæminæ non viri maritarentur: quæ nec ipſa quidem ratio,venturæ caviſſet confuſioni.Secundo,dicendũ eſt indulſiſſe Deum ſpeciale privilegium duabus hiſce tribubus alternatim conducendi viros & uxores, niſi velint violatæ legis reos peragere,qui lege interdicta & prohibita perpetrarunt. Neque enim ubi ſemel ſtatutum eſt in omnes, ſine culpâ delinquitur ab aliquibus,niſi forſan is quem penes eſt authoritas diſpenſandi, ſpeciale indulſerit privilegium. Ponunt ergo privilegium,& authorem privilegij Deum. αὐτάρκη & αὐτόπτην authorem illum, ſi de facti conſtaret veritate. Non autem agunt tabulis obſignatis nobiſcum,neque locum deſignant indulti privilegij, nuſquam enim comparet: nullum erat Iudæ ſpeciale, nam ubi par ratio,nulla lex oppoſita; quidni cæteris etiam tribubus id liceret, quod uni licuit? cur non cæteris tribubus pateret aditus ad connubia ſacerdotum? & tribui ſacerdotali ad alias tribus? Sed ut detur diſpenſatum & indultum Levitis, & cæteris ſacerdotibus,tamen reſtat adhuc tota de Pontifice quæſtio, quem & Philo, rerum gentis ſuæ callentiſſimus, à cæteris diſtinxit ſacerdotibus, in hoc ipſo de connubijs negotio: & certum eſt multa ei non licuiſſe,quæ licebant ſacerdotibus inferiorum claſſium; ſpeciatim verò in nuptijs contrahendis,ad ſuã ipſius tribum conſtrictum, nec potuiſſe illum ullo modo uxorem aliundè ne de tribu regnatrice ſibi copulare,docet, idque juxta Domini mandatum Philo.

Nam Levit. XXI. commate XIIII. de ſummo ſacerdote cautum legimus, ut non tantum virgini illibatæ famæ atque caſtitatis, ſed ſuæ etiam gentis copuletur, *ſuæ* autem *gentis*, non eſt quod vulgus opinatur poſtillatorum, virginem de Iacob, & de gente ortam Iſraeliticâ, ſed de proſapiâ ſacerdotali ducat in matrimonium. Quorſum enim de Pontifice tam ſignanter, ubi nihil ei proprium deſignabatur? quorſum ubi loquitur de prohibitis Pontifici ſpeciatim, tam laxè rem expedijt divinus Moſes, cum cuivis oriundo de fæmore Iacob, cujuſcunque demum tandem tribus vel familiæ fuerat, uxorem alienigenam in domum introducere & gentem ſuam, conſtet ſeveriſſimè interdictam? Neque obſtat quod habent ſeptuaginta, παρθένον λήψεται ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, *Virginem aſſumet de populo ſuo:* Λαὸς enim hìc, non gentem ſignificat Iſraeliticã, ſed genus denotat ſacerdotale: prius ergo dixerat ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ. Neque *populus* hìc quicquã aliud ſonat, quàm tribum & familiam, hoc eſt, Leviticâ proſapiâ oriundam uxorem. Miror autem doctiſſimum conditorem Annalium, non obſervaſſe Philonem Iudæũ, illum rerum Iudaicarum, vel ipſomet teſte, ſcientiſſimum, hoc ipſum αὐτολεξεὶ pronuntiaſſe, Non licuiſſe Pontifici, de aliâ ullâ tribu, præterquam ſuâ, uxorem ducere: cum nihil potuerit explicatius aut magis dici διαῤῥήδην. Sed urget ab exemplis τὸ προτιθέμενον Cardinalis, exemplis autem Iehojadæ atque Aaronis; Aaron primus Pontifex in Iſraele, uxorem duxerat Eliſabetham Aminadabi de tribu Iudâ. Ergo autem, Mattathias de vice Iojarib, poſt Oniam profugum in Ægyptum, rectâ forſan lineâ ſacerdotum princeps, in conjugem duxit aliquã de Iuda fœminam, & regia Davidis ſtirpe editã. Sed audit is in aurẽ ἀπαγγελίας. De Aarone res eſt in confeſſo; de Mattathia Macchabæorũ προτοπάτορι vel quovis ex illius majoribus, juberent te probare, Chriſto Domino oblatrantes, Iulianus Apoſtata, & Rabbini Iudæorum. Sed integrum fuerat Aaroni ante latam legem, de matrimonijs, quamcunque demum voluit in uxorem ducere. Diu ante legem latam, ante aſſumptionem ad ſacerdotium, ante Levitarum ſeparata ad Deum & à Deo miniſteria, in Ægypto adhuc conſtitutus, duxerat uxorem Eliſabetham, liberos omnes, ſaltem quatuor maſculos, genuerat, utpote major octogenario in exitu Iſraelis ex Ægypto. Legem porrò de præteritis non cavere, tam certum quam tritum eſt pronuntiatum. Ita nihil ad cauſam Aaronis exemplar, niſi putes licuiſſe Phineaſo materteram aut amitam ſuam ducere uxorem, quia duxerat Amramus Iochabedam. Longè ergo diſpar Aaronis hoc exemplar, ab illo quod urgere Cardinalis debuit, qui depulſus hinc confugit ad Iehojadam, de quo conſtat è Scripturis, quod poſt latam illam legem per aliquot ſæcula, contra quam ſtatutũ fuit legiſlatori, uxorem duxerat, ſacerdotũ princeps de tribu Iuda. Et profectò, quod jam dixi, conſtat è Scripturis duxiſſe hunc uxorem de domo regnatrice. At unde motus, vel quorſum, quam benè, quam malè hoc ab illo factum ſit, illud non conſtat è ſcripturis. Salomon, Iehojada non inferior, plures aſcivit de vicinis etiam gentibus, alienigenas, idololatras in uxores. En cauſam parem, & ſequelam abſurdam: ſin minus æqualem, quia Iojada Pontifex ſacerdotum princeps, Salomon regni & imperij princeps: at hactenùs parem, quia lege vetitam, ſuperiorem, quia plures, & de gente duxit aliena. Sed en Pontificem tantum non Pontifici proximum ſacerdotem, Iaddi Pontificis fratrem Manaſſem, qui uxorem duxerat peregrinam. Erat illud vetitum divina lege, factum tamen conſtat contra legem. Quid ſi ergo reponam de Iehojadâ? Conſtat de facto: ſed factum non oportuit, lex violabatur per hoc conjugium. Nullius factum pro jure recitandum.

Multa

Multa fiunt,& a ſanctis memorantur facta,quæ præſtaret infecta eſſe;fieri non debebant,nequeunt excuſari: puniuntur à Deo graviſſimis ſupplicijs, ab ipſis nefandiſſimè perpetrata. Multa contra per diſpenſationem indulgentur,multa,non ignoras, diſſimulanter tolerantur, in quibus tamen lubens meritò Servatoris illud dictum uſurpaveris; *Ab initio autem non fuit ſic.* Quid hinc ſequetur autem,vir erudite? non te latet Cypriani apophthegma: *Exempla fiunt,quæ eſſe iam facinora deſierunt.* Certe ſi Philoni, ſi Scripturæ ſtemus, legem latam hoc facto violavit Iehojada, malum poſteritati præivit exemplũ, legem ſimiliter & legis repagula perrumpendi; ſed & illud fortaſſis reſpondere licebit, Iehojadam iſtius facti authorem, minimè videri ſacerdotem ſummum, recta lineâ ab Aarone, ſed aut aliquem è primis ſacerdotibus, qui & Principes ſacerdotum & Pontifices interdum appellantur: aut ſumma præditum authoritate, qui quæ contra Athaliam, Medeam illam Iudaicam, furiam & peſtem domus regiæ,fecit,zelo Domus Dei inflammatus fecit: vel Pontificatus etiam adminiſtratorem, tanquam generis conſanguinitate proximum, & tutorem pupilli Pontificis, quod ſcimus uſu interdũ receptũ fuiſſe olim apud Iudæos; ut in Eleaſaro & nonnullis apud Ioſephum. Vix enim credi dignũ videtur,Iehojadam illum, religionis columen & legis cultorem obſervandiſſimum, in animum ſuum unquam inducturum, ut contra divini mandati tenorem, & perpetuam majorum conſuetudinem, extrà gentem illam ſacerdotalem,uxorem ſibi aliquam ſociaret. Adjuvat porrò hanc opinionem illud,quod in albo Pontificum non annumeretur, nec apud Ioſephum in ſuis ſcriptis, ſed neque in Hiſtoriâ ſacrâ, ubi genealogiæ ſummorum Pontificum ab Aarone uſque deducuntur. Accedat eodem quod in rebus Ioaſhi, nuſquam, quod memini, Pontifex maximus vocetur,ſed nudè Pontifex: quandoque ſacerdos, & nonnunquam magnus Pontifex;quomodò inter principes ſacerdotum,qui plures erant, eximius quiſpiam poterat appellari. Non me fugit tamen reperiri nonnullos qui exiſtiment, Iehojadã aſcriptũ illi albo recitari,ſub alio tamen nomine, non iſto quo dicitur hiſtoriæ ſacræ, Sudeæ nimirum elogio,apud Ioſephũ. Atque hæc eſt ſententia doctiſſimi Sigonij, eò quod Sudeas ille Ioſephianus CXXX.annos vixiſſe memoretur.Sed ratio fugerat doctiſſimum huncce virum: neque enim de Sudea hoc Ioſephus affirmat.De Iehojada autem eo loco,quo res Ioaſhi perſequitur, ita loquitur: Ἐτελεύτησεν τὸν βίον, ἔτη μὲν βιώσας ρλ, δίκαιος καὶ χρηστὸς γενόμενος, καὶ ἐτάφη ἐν ταῖς βασιλικαῖς θήκαις ἐν Ἱεροσολύμοις, ὅτι τοῦ Δαβίδου γένει τὴν βασιλείαν ἀνεκτήσατο. *Poſtquam centum & triginta annos vixerat,diem ſuum extremum clauſit, vir iuſtus & optimus poſtquam extitiſſet, & in ſepulchris Regum Iudæ conditus, eò quod regnum ſtirpi Davidicæ aſſerüerat.* Quo in loco uſurpari vocem ἀρχιερέα non inficias ibimus;ſed quomodo uſurpetur jam diximus: nimirum, quia ſummę authoritatis erat,neque enim ſi putaſſet eum ſummũ Pontificem, in catalogo Pontificum prætermiſiſſet Ioſephus diligentiſſimus hiſtoriæ Iudaicæ author: & certum eſt è ſacris literis, ſolitos eos dici ἀρχιερέας aliquando, qui non aſcenderant ad gradum Pontificatus maximi inter Iudæos. Sed quid opus aliunde ſententiam Cardinalis refutare velle de connubijs ſacerdotum cum tribu Iuda, cùm ipſum habeamus in cauſa confitentem reum,qui id αὐτολεξεὶ deinceps pronuntiabit.Sectione etenim XXXV.in apparatu ſuo,aſſertivè,ut loquuntur,licet minimè ſibi ipſi conſtans, affirmavit, *Excepto Pontifice, cui eſſet ineundũ cum ſtirpe ſuâ coniugium,reliquis licuiſſe,è cæteris tribubus uxores ducere.* Ecquid,vir doctiſſime,meminiſti eorũ,quę ſect.ſcripſeras ſuperiori?

Lib. 5. de repub. Hebræorum.

quæ tanto apparatu, & pompa docuisti de conjugijs Aaronis & Iehojadæ? Ita te non oportuit tam paucis aut penè nullis interjectis, tecum in sententiâ non constare: è cæteris licuit; ergo non è tribu regiâ solitariâ. Excepto Pontifice, cæteris licuit: illi ergo, de quo loquimur in præsenti negotio, Macchabaïcæ gentis fundo & origine primâ, non nisi de gente suâ licuit uxorem ducere, cùm, ut videtur, esset Pontificius, & statim vel ipse vel ipsius posteri, ignoras enim, ascenderint ad Pontificatum. Quanquam illud etiam admonendus es, ὦ 'γαθὲ, falsum per te pronuntiari de cæteris sacerdotibus, qui, ut docet nos Scriptura, de suâ gente, hoc est tribu sacerdotali, nec aliundè unquam ducebant uxores suas: quemadmodū Zacharias Elisabetham de filiabus Aaronis. At secundo argumento accedis propius, καὶ αὐτὸν βατῆρα ποδὶ κρούεις. *Rabbini*, inquis, *illud attestantur*. Rabbini! Euge, veritatis illi τὰ παιδικά, omnium bipedum mendacissimi. Argumentum est prorsus inartificiale, ut loquuntur novitij Dialectici, καὶ συλλογισμὸς planè ἀσυλλόγιστος, *Rabbini id testantur*. Bonum factum, tamen nobis nominasses Rabbinos. Satisfacerent proculdubiò nihilo minus, quam suis ille olim satisfecit, qui *Bugoniam* scripsit, uti ludit Varro. Nunc quo minus credamus de Rabbinis, veritatis hostibus, hominibus protritæ impudentiæ, stultitiæ planè conclamatæ, eruditionis σκευάσματι, facit Gilbertus Genebrardus: qui cùm ad insaniam usque sit Rabbinista, contendit nihilominus in Chronologiâ, Assamonæos illos (quos tu vir illustris & Rabbini tui de Levi narratis descendisse, & tantùm πρὸς μητρὸς, origine maternâ, regiam tribum attigisse) paternâ stirpe & origine, de Iudâ exortos & non de Levi. Noverat ille, credo, Rabbinorum mentes intimiores: nam in colle cabalistico & Talmudico destertuerat, atque ipsa adyta impietatis Iudaicæ penetraverat, & tamen non advertit in mysterijs Rabbinorum, quod doctissimus Baronius clarissimè vidit, qui Rabbinos vix à limite salutavit. Genebrardum scimus nefarie hallucinatum, & in hoc pronuntiato, ut sexcentis alijs, turpissimè cœcutjisse; qui si eo modo, ipse quo viros se meliores & doctiores solet, pro meritis tractaretur, *in crucem saltare* juberetur. Non tamen propterea, quod cespitavit Genebrardus, & meritò notatus sit a Cardinali, Rabbinorū ideo commentū aliud, Annalibus illitū, veritatem sapit. Sed fortasse de commento Genebrardino plura deinceps in sequentibus: Rabbinorū testimonium Cardinali commodatū expressisset ipse author, rescisceremus quid exertim in hac causâ dici deberet & secundùm Rabbinos, affirmari.

Sect. VI.

Baronij ἀγνωσία *de Imperio Assamonæorum. An illud fuerit justum & legitimè acquisitum. Erant sacerdotes de vice Iojarib Dominium multiplex. Iudæ principatus Macchabæi, & res fortiter gestæ.*

POstquam nihil profecerat vir Illustrissimus, superioribus in causâ argumentis, instat iterum & insistit ἐν τῷ πεπεραγμένῳ, de quo tamen non est quæstio, & subinfert ἀλογίστως, quod exindè non sequetur, de quo tamen quæritur ante alia, ad hunc modum: Pænes Assamonæos principatus gentis Iudaicæ fuerat: quem per annos non sanè paucos tenuere: at nunquam penes illos extitisset, nisi descendissent de domo David, & originem à Iudâ sortiti essent. Adderes, vir optime, nunquam *legitimus* principatus penes illos extitisset: nunquam recta lineâ pervenissent ad imperium. Nam de usurpato

vel

vel arrepto per vim; de concesso & collato per suffragia populi, magnatum calculos, Dei dispositionem & οἰκονομίαν, exceptio legitima intercedet; extare penes illos principatus poterat, utcunque ne de Israel, quod vidimus in Herode, descendissent. Utrum autem legitimè principatum tenuerint, videris ipse Baroni, cujus illud refert: nos securi, nunquam sollicitabimus; tantummodo rem nudam hic, & sicut olim gesta fuit proponemus. Principatus & imperij diversas esse & inter se discrepantes rationes si ignores, næ tu infantior, quàm nos opinamur, qui tuam suspicimus eruditionem. Quod si autem non sit eadem principatus omnis ratio, erras si ab Actu ad Ius concludas. Est Dominium quoddam verum modo quodam suo, & principatus à Deo illo permissus, per quem Reges regnant, & Principes decernunt justa, non tamen legitimus sed vi arreptus principatus. Est non usurpatus principatus, diversimodè tamen, ut modò dicebamus, subintroductus. In lege Naturæ δεσποτεία. In lege Gentium βασιλεία. In voluntate & moribus institutisque majorum, singularum nationum πολιτεία. Assamonæi tui, si contra fas & jus & præceptum divinum, non permissionem tamen, cùm ad alios à Deo destinatos, & in rem præsentem introductos imperium pertineret, per vim & factionem & tyrannidem sibiipsis asseruerint, vide quid tum fiet vaticinio Iacob, de Iudæ principatu non defecturo, cùm diu ante editum in lucem Messiam, Assamonæi de stirpe Levi, ejectis & in ordinem coactis de Iudâ oriundis, sibi arrogaverint principatum. Athalia se intruserat in regnum Iudaicum, impotens & ambitiosa mulier. Non erat illa de domo Iacob per Davidem. Plenæ sunt tyrannorum, veterum historiæ, qui de facto, non de jure cum imperio fuerant: quo pacto si pervenerint ad sceptrum Assamonæi, actum est de toto hoc negotio. Secundò, qui tam laxè argumentaris ab imperio Assamonæorum ad originem de Iudâ, Deum ipsum videris coarctare, & terminis circumscribere decircinatum. Quasi in manu Domini non ita essent regna, ut conferre, condonare, transferre, immutare ad libitum posset, prout ipsi visum expedire. Prædixit non defuturum Iudæ principatum. Certè. Sed quo sensu, dicemus posthac. Prædixit & Davidi non defecturum. Neque tamen ita stirpi & prosapiæ Davidicæ alligarat, per decretum immutabile, principatum, ut nequaquam propter peccata populi & ipsorum Regum, ageret, ferret, mutaret omnia: Certè, quemadmodum domum Saulis, de solio dejectam & imperio, subjecit Davidi posterisque de domo eâdem oriundis; ita quoque & Reges de domo David, à vero cultu divino, & pietate deviantes, & ad omnem Idololatriam exorbitantes, abdicavit deinceps in æternum. Promissiones etenim divinæ omnes, conditionem habent, vel tacitam annexam, vel expressam. Et hoc vult (credo) Fulgentius ad Monimum. *Promissionem dici non posse, nisi cùm aliquid ad hoc prædicitur faciendum, ut possit ei cui promittitur, prodesse iam factum.* Sed de justo Imperio Assamonæorum non erimus molesti erudito viro, de sequelâ infirmâ & inconsequenti, non possumus accedere pronuntianti. Non extitisset penes eos principatus, nisi fuissent de domo Davidis oriundi. Quod ipsius ἀπόφθεγμα, ut videri vult, multipliciter laborat infirmitate. Erant autem, quod observat Cardinalis, geminâ præditi Assamonæi, & utraque supremâ, potestate: Civili unâ in politicis: Ecclesiasticâ altera, in sacris & ritibus procurandis: ad utramque potestatem, quibus modis pervenerint, ordinarióne & per successionem certam, an alio quovis, considerandum. Erant primo sacerdotes αἰῶθεν ab Aarone: hoc positum est in

confesso

confeſſo apud omnes. Nam Genebrardi exploſa eſt per viros eruditos, ridicula, Iudaica, & blaſphema fatuitas, qui de Iudâ fabulatur illos, & non de Levi oriundos. De vice Jojarib ſacerdotes erant, quod teſtatur hiſtoria Macchabaica. Inter autem vices ſacerdotũ XXIV. in quas David olim diſtribuerat ab Eleaſaro & Ithamaro oriundos, familiam ducebat illa claſſis Iojaribi, ſacerdotũ ab Eleaſaro deductorũ. Princeps erat ordo inter cæteros omnes, non tamen Pontificius, Iojaribi ordo. Neque enim conſtat an lineæ Pontificali proximus vel Iojarib, vel alius quiſpiam in illã claſſem conjectus ſuccedebat, cùm non per ſuffragia aut electionem: non per decretũ aut diploma regium: ſed per ſortem res tota tranſigeretur. Neque poſſumus certò affirmare, inter omnes ſacerdotes de vice illâ Iojaribi, Aſſamonæos genere & propinquitate proximos, illam lineam Pontificiam attigiſſe. Summum ſacerdotium penes illos fuerat, ſaltem à familiâ & domo Eli, in Abiatharo, abdicatâ & dejectâ, quos rectâ ſerie abs Aarone jus primogenituræ commendabat. Hoc certum eſt, ſi Joſepho & hiſtoriæ Macchabaicæ authori credimus: Poſtquam Onias illius nominis tertius, Pontifex Maximus ὁ ἐκ διαδοχῆς, ſeceſſerat in Ægyptum ad Ptolomæum Philopatora, & Rege non invito neque repugnante multùm, templũ ibidem condiderat, ſacra inſtituerat & ſacerdotium, neque in patriam ſuam reverti & avitam repetere dignitatem vel poſſet vel unquam cogitaret, in illius locũ, & vacuum Pontificatũ, Lyſias Seleucidarum ſatapra, & Syriæ tunc temporis præfectus, ſub quâ ſemper Iudæa cenſebatur, perſuaſo Rege, Alcimum intruſit per vim & arma, hominẽ nequiſſimũ, & minimè γένους ἀρχιερατικοῦ, ut Joſephus refert, pretio corruptus & pecuniâ datâ. Mortuo autem Alcimo, (plagâ quadam θεηλάτῳ percuſſus occubuit) & vacante jam Pontificatu, τὴν ἀρχιερωσύνην ὁ λαὸς τῷ Ἰούδᾳ δίδωσι; fit Pontifex à populo Iudas Maccabæus, Mattathiæ Aſſamonæi filius, vir de univerſa Iudæorum gente, & religione patriâ, quàm præclarè meritus, divini cultus & Moſaicæ legis ſtudioſiſſimus propugnator, quam, contra furores Seleucidarum Regum, & proditiones nefariorum civium, armis animiſque tutatus fuerat. Hinc illi aditus patefactus eſt, per ſuffragia populi, ad Pontificatum, quem triennium adminiſtravit, autore Ioſepho Antiquit. XII. & cap. ult. Ἀρχιερωσύνην ἔτος τρίτον κατασχὼν, ἀπέθανεν. Nec diſſimili modo, quàm quo Pontificiam, & illam in repub. civilem acquiſivit, poſt interitum parentis ſui Mattathiæ poteſtatem. Erat enim, cum fratribus ſuis, ſtrenuus admodum & manu promptus, conſilijs habilis, rebus gerendis dexteritate ſummâ & ingenio præditus. Is ergo συναραμένων αὐτῷ τῶν ἀδελφῶν, *rem cum ipſo procurantibus fratribus ſuis*, ſummâ cum laude & ſucceſſu optimo, in maximis Iudaicæ reipub. negotijs & turbulentiſſimis verſatus tempeſtatibus, τούς τε πολεμίους ἐξέβαλεν ἐκ τῆς χώρας, καὶ τοὺς παρανομήσαντας εἰς τὰ πάτρια τῶν ὁμοφύλων, διεχειρίσατο καὶ ἐκαθάρισεν ἀπὸ παντὸς μιάσματος τὴν γῆν, *Hoſtes pulſos è terrâ patriâ eiecit, Iudæos contribules ſuos, qui in cultum & religionem patritam deliquerant, interfecit, & terrã ipſam omni impuritate mundatã reddidit.* Gentem, religionem, opes, facultates, corpora, ipſas animas à crudeli nimium & ſuperbo Seleucidarum jugo, armis, coactus vindicaverat. Apollonium Regis Antiochi Ducem: Serona quendã Cœleſyriæ Præfectum, armis congreſſus ſuperavit. Gorgiam, necnon Lyſiam, & Antiochũ ipſum Eupàtora, Bacchidem, Nicanorem, alios, acie victos profligavit. Tanta erat animi illius virtus, fortitudo, & fœlicitas adeo decantata, ut cum ducibus ab omni memoriâ clariſſimis, unus, nec injuriâ, componatur. Ab hâc ille commendatione profectus, & per patrem Mattathiam animam

agentem

agentem, verbis supremis collaudatus, in Iudæorum principatũ, tum vacuum, armis suis assertum & sanguine vindicatũ, introducitur: non autem se intrusit in possessionem & hæreditatem alienã. Nam quonam, quæso, pacto, diceretur imperium illud alienum? Seleucidæ, Syriæ & Orientis δυνασεύοντες, quo jure regnum in Iudæâ obtinebant? qui cùm essent oriundi à Seleuco Nicatore, inter duces Alexandri magni numerato, qui post illius excessum, per vim aut fraudes, divisis inter se ditionibus, Dominos legitimos Alexandri posteros & cognatos hæreditatibus exuerant avitis, & Iudæam inter cæteras gentes nimis propinquam, innumeris cladibus post Ptolomæos, inauditis calamitatibus contriverant, & ad cultus religionisque ruinam per Idolomanias grassati fuerant in modum immaniorem? Neque Iudæ, Davidis, aut Zorobabelis, posterorumve sibi jus arrogabat aut imperium Macchabæus. Nam quis erat de Iuda tum cum imperio? Quis fuerat, per non paucas annorũ decurias? Certum est, Iosepho perhibente testimonium divinis literis, à multis retro annis de tribu Iuda neminem imperio præfuisse. Et certè quo jure, quâ concessione, ad tribũ illã Iuda pervenerat ab initio principatus? Annon illius concessione solâ qui per Iacobũ jam morti proximũ de rebus olim futuris vaticinabatur? qui progressu temporis, ut adimpleret quod pollicitus fuerat, *Elegit Davidem servum suum, de post fœtantes accepit eum, & sustulit illum de gregibus ovium, ut pasceret Iacob populum suum, & Israelem hæreditatem suam?* Is autem ipse juraverat in furore suo, quòd non erit de semine Iechoniæ, qui sederet ulterius super solium David, aut haberet potestatem ulterius in Israel. Et quod spectat ad Zedechiæ posteros, certum est interemptos per Babylonios, in conspectu parentis ipsius liberos, Reblathæ, hoc est, ut quidã volunt, Antiochiæ. Ille ergo, Rex & Dominus universæ terræ, qui disponit, prout visum est ipsi, regna gentium, regium illud sceptrum, cujus ipse primus author & origo extiterat in Davidis domo, de eâdem ipsâ domo abstulerat in æternum, usque dum ille revelaretur, cui data erat & destinata ab æterno, omnis potestas in cœlo & in terrâ. Quocirca, neque opus electione fuerat, nedum à majoribus successione, ubi penes eum omnis potestas residebat, qui liberrimè, & pro suo summo jure, prout ipsi placuerat, disponebat omnia. Et tamen accesserãt suffragia populi, postquam sponte secesserant, οἱ ἐκ διαδοχῆς, & malâ omnes morte interierant, portenta Pontificum, quadriga impietatis, Iason, Lysimachus, Menelaus, Alcimus, quos ambitio & malæ artes intruserant in utrumque principatũ.

SECT. VII.

Virũ Assamonæi de Iudâ per lineã fœmininã, per quã ad Imperiũ pervenere. Fœminæ in Asiâ, sed an in populo etiam Dei, imperarunt. Nemo propter matrem de aliquâ tribu censebatur. Baronij inconsideratè dictũ de sceptro Iudæ. Cur nemo ante Christũ per fœminã ad Iudæ sceptrũ pervenit. An defecit in captivitate. Cardinalis inconsideratè regnũ Christi & Antigoni componit. Regnũ Christi non fuit temporale aut mundanũ.

SEquitur postremo loco apud Cardinalem, ruinosæ causæ destina & tibicen, linea illa ducatus fœminina, per quam, postquam cætera malè visa sunt cessisse, sceptrum illud Iudæ promissum, in illâ tribu regiâ, & domo Davidis regnatrice, usque ad Herodis Idumæi principatum, perdurasse, non autem

autem ulterius, memoratur. In quâ quæstione optandum fuerat, diligentius aliquantulum, & majori cum curâ versatus fuisset Cardinalis, cùm ab hoc refugio, si dejectus fuerit, actum sit de imperio, saltem legitimo, Assamonæorũ. Ac memini profectò legisse me scriptum apud Arrhianum in ἀναβάσει, de mulieribus in Asiâ imperare olim solitis, jam ab usque Semiramide deductâ consuetudine. Νενομισμένον, ait ille, ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔτι ἀπὸ Σεμιράμεως, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν. Et Nitocrin reginam Babyloniorum: Artemisiam Halicarnassi dominam: Scythis Tomyriden imperantem, veteres Historici commemorarunt, quarum nunquam pœnituit ipsarum subditos ipsas præfuisse rerũ summæ. Sed tamen apud paucas nationes, & illas ipsas rarissimè reperiri, hæc γυναικοκρατείας, & hujusmodi his similia exempla, fatendum est. Secundò respondemus, quod, utcunque τὸ γυναικοκρατεῖσθαι, in more positum fuisset Asiaticis, tamen adhuc desideramus exemplum usurpatæ consuetudinis in Monarchiâ & principatu, per successionem, Iudæorum. Nulla enim unquam princeps fœmina in domo David, nulla fuit adhuc de Judâ cum imperio, per quam id quod dicitur de principibus Macchabaicis, defendi vel probari possit. Neque enim Athalia ad propositum facit, fœmina multis nominibus execranda, quæ contra jus & fas, per factionem & tyrannidem, invaserat imperium alienum. Tertiò, rectè notavit vir doctissimus Pererius, Neminem unquam hujus tribus vel illius censitum, propter genus maternum, ab illâ tribu deductum, sed paternum. Est enim Iudaici juris regula, *Familia matris non vocatur familia:* quæ per scripta Rabbinorum occurrit frequenter. Neque enim beatissima Virgo Maria, de Iudâ sed de Levi descendisse dicenda fuerat, si, quod volebant blasphemi Manichæi, patre orta Levitâ & non Iudæo fuerat. Et postremò, benedictio hæc Iacobi, non tam Iudam Patriarcham, quàm Levi, quantum video, attinebat: imò magis Levi quàm Iudam, cùm propter Levitas ab origine paternâ, propter quam quidem originem de hâc vel illâ tribu dicuntur esse, Prophetia hæc, partem longè maximam, effectum suum sit & complementum, non aliter autem, sortita. Hæc tamen de lineâ fœmininâ, propter Cyrilli illius authoritatem, qui solus ex antiquissimis, quod ego noverim, Cardinalis suffragatur opinioni, fuerint excusatiora: at illa quæ ponuntur sect. VI. in hoc ipso Apparatu, nullo modo veniam merentur vel possunt excusari. Ita autem loquitur vir eruditus: *Quocircà cùm fuisset à tribu Iudâ ereptum regale sceptrum, per fœminas in alios, atque in ipsos denique Assamonæos translatum, nihil tum supererat, quàm ut, Sanctus sanctorum inungeretur.* Quæ ponuntur hic à viro erudito, apud omnes Historicos, sacros, profanos, ad hunc usque diem sunt inaudita. Ait regium illud sceptrum per lineam fœmininam translatum fuisse, in alios præter hos Assamonæos, & in alios ante Assamonæos. Vos autem codices Vaticani, & quicunque situ & squalore obsiti, per cryptas Vrbanas delitescitis; esse inter vos existimem inauditum adhuc orbi Christiano Historicum, & cunctæ incognitum antiquitati, cui ista debeamus tam abstrusa, tam sæculis omnibus ignorata, nimirum, sceptrum illud de Iudâ, & domo David, per lineam fœmininã, in Assamonæos, hoc parum est, alios pręter, & ante Assamonæos translatum? ante Iudam scilicet Macchabæum, qui primus de gente Assamonæâ, cum imperio & Pontificatu maximo, Iudaicæ genti præfuit. Quomodo in alios? & quosnam quæso alios ante eum? Post, an vero ante μετοικεσίαν, alios? de tempore præcedente captivitatem, dici non potest ad alios translatum per mulieres. Quicunque enim fuerant cum imperio, certissimum est & sacris literis testa-

testatissimum, de domo Davidis fuisse proseminatos: vel per Salomonem vel Nathanem, extinctâ prosapiâ, vel coalescente in istius familiam, Salomonis: neque inter eos omnes vel unum reperies, qui per lineam fœmininam provehebatur ad imperium. Post populi reditum è Babylone, ante Iudæ principatum Macchabæi, termini statuendi sunt illius effati, *Ante Assamonæos per lineam fœmininam, translatus erat ad alios principatus.* Nominantur tum fuisse cum authoritate Zorobabel, Mardochæus, Nehemias, Esdras, & Pontifices. Extra ordinem illi, & honorariâ, isti autem ordinariâ & communi potestate præditi. Cedo mihi quos, vel quem unum ex istis, origo materna, & fœminina linea, in summo collocavit principatu. Constat contrarium de Zorobabele. Nehemias, Esdras, Mardochæus, quicquid illud vel quodcunque fuerat imperium, debebant, scimus, Persarũ regibus, quorum summâ illi gratiâ floruere. Pontifices ergo soli, ante Assamonæos, jure suo materno, illi genti præfuerint oportet. Est ergo quod tuæ diligentiæ Cæsar, debeamus, sive fortunam mavis dicere, qui nos tandem reddidisti certiores, quo pacto pervenit ad Pontifices, Iudæorum principatus ille, quem certissimum est illos occupasse, quo sine controversiâ, fruebantur, ante Iudam Macchabæum natum. Erant scilicet & illi de Iudâ, per matrimonium alicujus fœminæ insititij: quæ, nisi ipsa illa, domus regiæ hæres, & à Zorobabele deducta per rectam lineam descenderet, non poterat nec debuit, vel te ipso authore, sceptrũ de Iudâ in Levi transferre. Ego autem semper ita judicavi, Mariam θεοτόκον è domo David rectâ serie descendentem, regnũ & principatum Iudæ, interversum, intercisum, aliorsum ad tempus devolutum, quasi hęres familię & primogenita foret, suo quodam jure sibi vindicare potuisse, potiùs quàm vel Pontifices priores, vel sequutis sæculis Assamonæos, per lineam illam tuam fœmininam. Scio regnum Iesu Christi non fuisse de hoc mundo: neque unctum à Patre in regnum temporale: nihil tamen impedit quin potuerit fuisse à matre suâ hæres etiam illo modo in domo David. Atque ideo factum ut in populo Dei post omnem retro omnium sæculorũ memoriam, nemo unquam per matrem aut lineam fœmininam ad imperium conscenderet & principatum, ut illi, ὧ ἀπόκειτο, potestas omnis, modus iste singularis, reservaretur: & illa etiam benedicta inter mulieres, ut in cæteris, hac etiam in parte, gratiâ frueretur *præeminentiæ.* Hæc cùm ita se habeant, tamen est illud incommodum in ϖροτάσει ulterius Baronianâ, quod, *per lineam fœmininũ, & illos alios atque alios,* sensum magis ambiguum vaticinij reddiderit, de sceptro Iudaico in tribu Iudâ continuando, usque *dum veniret cui erant reposita,* Gentium ille Messias & expectatio. Per ista quidem satis, & nimium multa, incommodè dicta, & multis implexa difficultatibus, de vaticinio Iacobi quæ feruntur, tua cùm accesserint, quæ sunt cum manifestis monumentis Scripturarum pugnantia, neque Iudęorum blasphemias retundere poterimus, nec scommata refellere Atheorum, nec fidem confirmare vacillantium, nec judicijs doctorũ satisfacere. Oportebat te autem, vir erudite, professum historiarum enodationem, summâ curâ incumbere & diligentiâ ad hanc provinciam exornandam, in quâ, tantum non, rei Christianę cardo, certè ingens momentum, versaretur. Tu tamen securus, prȩter omnia superius incommodè dicta, sect. IIII. quod non concesseras, id alibi tamen tanquam certum pronuntias & decisum. Duas tantùm, neque plures, in tribu Iudâ agnoveras domos regnatrices, & lineas, ut vocant, principantes, posteros Davidis ad Zorobabelem, ordine certissimo descendentes: & Assamonæos insititios,

& regni velut quaſdam παραφυάδας, tranſverſim veluti inſinuatos. Tertias tamen poſtea aut quartas forſan ingeris, priores utique Macchabæis, *alios atque alios*, quos quærimus nec invenimus uſpiam, niſi ſint inquilini Utopienſes, aut tranſmigrarunt ad Saponianos. Et tamen hiſce poſitis, videris minus adhuc ſecurus eſſe. Nam ſatis hæſitanter & dubitabundus, de eventu iſtius vaticinij pronuncias: *Tum penitus ceſſaſſe viſum eſt, cùm Herodes Idumæus, gentilis homo, poſtea proſelytus, regnũ Iudæorum capeſſivit.* Hæſitanter iſto loco, *viſum eſt*, qui prius dixeras confidenter, *defeciſſe.* δεύτεραι φροντίδες, ait vetus verbum, φρονιμώτεραι: viderat fortaſſe eruditus vir, ne quidem in Herode defeciſſe penitus ſceptrum de Iudâ, ſi ad lineam attendatur fœmininam. Certe quidem non magis defecerat in Herode ſceptrum, quàm ſemel olim atque iterum, nondum nato Herode, defecerat. Defeciſſe videbatur in captivitate, utcunque non penitus defeciſſe tamen. Ita cenſuit olim Iuſtinus Martyr cum Tryphone Iudæo διαλογιζόμενος in hæc verba: Καὶ ὅτε εἰς Βαβυλῶνα ἀπήχθη ὁ λαὸς, πολεμηθείσης τῆς γῆς, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἀπαχθέντων, μὴ οὐκ ἐπαύσατο ἐξ ὑμῶν, ὁ προφήτης, ὃς κύριος καὶ ἡγούμενος καὶ ἄρχων ὑμῶν τοῦ λαοῦ ἦν; *Cùm populus Babylonem abduceretur, terra veſtra hoſtili incurſione vaſtaretur, vaſa ſacra transferrentur, non ceſſavit è vobis propheta tamen, qui dominus, princeps, & rector veſtri populi erat.* Viſum eſt eo tempore defeciſſe ſceptrũ, ſed nõ defecit. Nam poſt annos LXX. repullulavit. Ieremias, Ezechiel, Daniel, vates ſacri per tempus illud deſolationis, numerabantur. Erant derelictæ reliquiæ in terrâ Iudæ, quibus tanquam ἐπίτροπος, tutelæ nomine, præerat à Rege Chaldæo impoſitus Gedalias: &, quemadmodum apparet è lacinijs aſſutis Danieli, in ipsâ quidem terrâ captivitatis ſuæ formã quandam retinebant τῆς πολιτείας. Viſa quoque & Herodis tempore talis deſolatio, & ſceptri defectio incubuiſſe: ſed tantùm viſa. Nam & facies reipub. in concilio magno reſtabat: & vates ſanctique præcellentes commemorantur, Zacharias, Baptiſta, Eliſabetha, Anna, Simeon, Maria, Agabus deinceps, & nonnulli alij. Et ſaltem per lineam fœmininam in domo Macchabaica, in Agrippa τοῦ νέου, Ariſtobuli filio, quem Hiſtoricus ſanctus Herodem vocat, Act. XII. ſceptrũ Iudę continuatũ legitur, non minùs quàm olim in Aſſamonęos tranſlatũ continuabatur. Ita loquitur è lintre Cardinalis: incertus veritatis, & quidem neceſſariò, qui κλυδῶνι τρέχει, ſed ἔξω τῆς ὁδοῦ. Veritas enim ſola inconcuſſa: πολυσχιδὲς τὸ ψεῦδος καὶ πολυτρόπον. Mallem tamen incertus, quàm inconſultus & inconſideratus, quemadmodum ſect. VI, loquutus deprehenditur, hanc de ſceptro Iudaico diſceptationem, ſatis per ſe undique impeditam concluſiſſet. *Nihil*, ait, *ſupererat, niſi ut is mitteretur, qui cælitùs delapſus regnaret in Iſrael* (hoc eſt, ᾧ ἀπόκειται, in Iacobi vaticinio) *regnumq́ Iudaicũ, quod acto in crucẽ Antigono extinctũ fuerat, per crucem quam ſubiret reſtitueret, & ſpatijs amplioribus propagaret.* Quid audio autem? qui, regnum, quod conciderat reſtitueret: & idem illud, non aliud quàm quod conciderat in Antigono? Certè ſpatijs quàm ampliſſimis, is qui Gentes ſubegit, & poſuit Nationes hæreditatem ſuam, regnũ Iſraelis, hoc eſt, ſuum, circumſcripſit, cùm Eccleſiam propagavit univerſalem, nullis terminandam terrarum anguſtijs, nullis limitibus coercendam. Sed quæſo te, vir docte, regnum ne illud quod Antigono extincto conciderat, reſtituit, & ſpatijs amplioribus propagavit? Credamne cùm legerim dixiſſe Regem ipſum, *Quis me conſtituit Iudicem inter vos?* Cum ſecundâ vice dixerit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo?* Non credam Cardinali ne jurato: non centum Bozjis aut Carerijs: non toti Canoniſtarum, aut Congregationis

Oratorij

Oratorij nationi. Scio Iudæorum magiſtros, à Deo juſtiſſimè derelictos, atque εἰς νοῦν ἀδόκιμον, & tenebras pluſquam Ægyptiacas traditos, & cum Rabbinis Novatores quoſdam noſtros, propudium & ignominiam Chriſtianiſmi, ἀλλοτριοεπισκοποῦντας, & maleferiatos in alienâ profeſſione, dum negligunt ſuam, regnum Meſſię glorioſum expectare, ſolium verò erigendum Davidis, in terra Chanaan atavorum olim poſſeſſione, Hieroſolymis quondam deſolatis, illum ipſum nunc forſan, uti delirant illi Suaviludij, ultra Caſpios montes cum gente ſuâ concluſum πραγματεύοντα neſcio quæ, venturum mox cum exercitu invictum, & ἀνυπόστατον, Iudæoſque undiquaque recollectos, iterum in libertatem aſſerturum. Hæc ſi cuiquam cordi ſint, tam ridiculè delira & blaſphema, age, cum Iudæis Chriſticidis deliret & dementator. Nos regem libentiſſimè profitemur, cœlitus delapſum in haſce terras: Gentibus ordinandis Imperatorem, regnum Iſraelis, tabernaculum Davidis, domum Jacob, ſceptrum Iudę reſtauraturum: regnaturum, *& à ligno regnaturum*, cum vate ſacro canimus, credimus, & per crucem, illud omnis ignominiæ & contumeliarum ἐπίσημον & complementum, glorioſiſſimè triumphaſſe pronuntiamus: ſed regnum illud in Antigoni Cruce extinctum, alieniſſimum erat à regno Meſſię glorioſo: nihil ad Chriſtum vel filium David: nihil ad Chriſtianos, eorum ſpem, fidem, expectationem ſpectaſſe, cum ſummâ confidentiâ conteſtamur: niſi forſan per & ſub typi vel figuræ cujuſpiam ratione. Neque hactenùs in Antigoni regno, tua hæſit ad metas oratio ſolùm; eſt in quo te ulterius adhuc debemus convenire: quòd in illo, regnum Iudaicum pronunties terminatum penitùs & extinctum. Vide autem quanto tuo cum periculo affirmes, quam non conſentaneè ſupradictis. Ille juris ſi quid habuit ad Iudaicum regnum, ad quod certè nullum ullo modo habuit Hyrcano vivo, per lineam acquiſivit fœmininam: quippe ortu, Levita, non de Iuda; Aſſamonæi, non Davidis, vel Zorobabelis ἀπόγονος. At linea illa eadem fœminina, quod jam ſemel atque iterum te admonui, & habemus in cauſsâ confitentem adverſarium, Ariſtobulum germinavit, poſt Antigonum extinctum, qui Herodem Agrippam procreavit, Iudæis, & quidem cum magnâ gloriâ, imperantem, poſt Chriſtum in cruce interemptum, de morte reducem & cœlo ſuſceptum, de qua totâ re non eſt dubitatio. Imò vide quàm pronunties inconſideratè de regno extincto in Antigoni cruce. Illud enim quod cum illo extinguebatur, verum licet, non tamen merum regnum fuit. Parthorum ſiquidem regnavit beneficiarius, neque erat legitimum, ſed uſurpatum regnum, excluſo per vim & factionem Hyrcano, cui jus primogenituræ, ſacerdotium cum regno, deferebat. Quodſi regnum hoc iſtius Antigoni extinctum, Chriſtus Dominus reſuſcitavit, tu Chriſtum affirmas, regnum id quod conciderat, hoc eſt, terrenum non cœleſte, alienum non ſuum, uſurpatum non legitimè acquiſitum, deturbato hærede, violenter acquiſitum, reſtituiſſe. Non αὐτολεξεὶ, & totidem verbis hoc ſcio pronuntias, at ne te invito pronuntietur, abrade de Annalibus, *Regnum quod*, hoc eſt, illud ipſum quod Antigonus per malas artes & impietatem conſcenderat. Ne verò de Antigono lis intendatur, facilè foret Joſephum advocare teſtem, ſed non eſt opus cùm tale doceas, quod verum eſt, Parthorum favore ſublevatum, ejecto Hyrcano & in ordinem coacto, invaſiſſe imperium non ſuum. Quodſi Hyrcanum, cui ſceptrum debebatur, ejecit, & illius invaſit principatum Antigonus, non erat Rex ille, tyrannus forſan fuerat: alius ab eo prior vel poſterior, dicendus eſt ultimus Judæorum rex. Ita, neque regnum,

 nedum

nedum Iudæorum à Davide legitimum in Antigono crucifixo extinguebatur, nedũ in Christo, restaurabatur. Accedat, quod omnino est verissimũ, Hyrcanũ legitimũ illius regni hæredem, multis quidem annis Antigono extincto, supervixisse, usque ad victoriam Augusti Actiacam. Ita regnũ Iudæorũ si extinctũ sit dicendũ, in legitimi regis obitu & excessu, post Herodis Idumæi principatũ, in occiso per Herodem Hyrcano, non Antigoni supplicio, extinguebatur. Atque hactenùs illa, satis quidem multa, incommodè dicta, inconsideratiùs prolata, tacitè dissimulata, securiùs involuta, minùs explicata, in sententiâ Cardinalis de sceptro illo Iudæ, dudum ablato, transferendo autem secundùm vaticinia prophetarum, cùm ille, ᾧ ἀπόκειτο, omnis in cœlo terraque potestas, revelaretur. Superest ut paucis, licet neque forsan opus sit, nec ullâ constringamur necessitate, quid de toto hoc negotio existimandũ fuerit, expediamus.

Sect. VIII.

Semen mulieris, multis deinceps nominibus dictum. Iacobi vaticinium de sceptro auferendo, adimpletum in vrbis desolatione, non Herodis introitu. Iustini, Eusebij, Athanasij, Hieronymi, Theodoreti sententiæ. Baronius falsò recitat Hieronymum. Novissima tempora. Vaticinia, de complemento, non vocanda ad calculos. Advent' Christi duplex, contra Iudæos, Iohan. 21. Vaticinium Iacobi personale, generale. De gente capiunt Eusebius, Chrysostomus, Augustinus. Iudæi dicti post captivitatem.

IMprimis & ante omnia statuendum est, vaticinij istius partem & portionem, promissionem propheticam continere, de Messiâ & Servatore olim suscitando in populo Dei, de tribu Iudâ, in quo salus & fœlicitas consummarentur, cui dominium, principatus, & quicquid est sublime, quasi quoddam peculium reservaretur. Ille autem ᾧ ἀπόκειτο, non est alius, quàm semen mulieris ab initio, stipulatione cum protoplastis factâ, caput serpentis conterendo promissum. Semen autem promissum mulieris, generali quâdam & amplissimâ significatione suâ intellectum, contractius deinde factum semen Abrahæ: cùm eidem à Domino diceretur, *In semine tuo benedicentur omnes terræ nationes.* Semen autem Abrahæ, tertia vice factum, *lætitia Isaci*, Isaci gaudium, *stella Iacob*: Iacobi stella, *leo de Iudâ*: leo de Iuda, *radix Iesse. Flos de Iessè, filius David*, qui de tribu Iudâ oriundus, promissionem accepit specialissimam, ita ut deinceps apud Prophetas non alio quovis titulo insigniatur ille, cui erant omnia reposita, quàm filius David, Rex Israel, David servus, & fidelis Domini exercituum. Secundò non minus constare debet hoc ipso vaticinio designari tempus illud cunctis nationibus desideratum, cùm in plenitudine dierum, *sanctus ille* foret inungendus, & *cornu salutis, in domo David*, omni credenti erigendum. Constat quoque tertiò, & immotum atque fixum in causâ manere debet, juxta vaticinium & promissionem factam, in tempore præfinito & determinato, adimpleta esse omnia de sceptro & Legislatore Iudæ tum ablato, cùm ille mitteretur in hunc mundum, cui omnis in cœlo ac in terris potestas ἀπόκειτο, *cuius erat iudicium, & tradebatur ei.* Tempus autem illud quo tempore contigerit,

contigerit, quomodo defecerit Legiſlator & ſceptrum de Iudâ, admodum res eſt controverſa & ambigua, multiſque involuta difficultatibus. Et hic liceat nobis bonâ cum veniâ, à doctiſſimis, Cyrillo & Baronio diſſentire. Sic igitur ex ſententia communiori, & conjunctis teſtimonijs recentium & antiquorum ſtatuimus, paulò poſt adventum Ieſu Chriſti, non ut illi, paulò antequam veniret in carne, ſortitã eſſe hanc Iacobi prophetiam eventũ ſuum & perfectã conſummationẽ: cùm penitus concideret Iudæorũ politeia, deſolaretur urbs, & templũ in æternum, ceſſaret ſacrificium illud juge, nullo unquam tempore, ut priùs, reſumendum, nec conſtaret miniſterium vel ſacerdotium ulteriùs: cùm populus inauditis & planè ſtupendis calamitatibus attritus, factus eſſet εἰς διασπορὰν. Tunc penitùs ceſſaſſe ſtatuendum eſt, principatũ omnem de Iuda: remotũ de inter genua ejus Legiſlatorẽ. Hæc eſt illa ſententia, per quam ſemel poſitã atque explicatam, Iudæorũ & Iudaizantium blaſphemijs occurremus: Hæreticorũ fabulas & pertinaciam retundem⁹: Atheorũ illudemus διασυρμὸς: eruditorũ curas atque ſtudia excitabimus. Non affirmat expreſsè, principatũ tunc, in ipſo momento defecturũ; neque enim vaticinia vel ſolent, vel debent ad calculos tam exactè devocari: Illud eſt quod ſtatuit, ſi quando contingat principatũ deficere, & Legiſlatores amoveri, certiſſimum eſſe, & conſtare debere, illum ᾧ ἀπόκειται, adveniſſe. Nobis certò conſtat hæc defeciſſe omnia, & penitus quidem defeciſſe à non paucis ſæculis. Non defeciſſe olim ante hæc tempora prorſus, conſtat per hiſtorias omnium ſæculorũ: ut de miſſo Meſſiâ ſimus perſuaſiſſimi: de tempore diligentiùs inquiramus. *Non auferetur*, inquit, *donec veniat:* ἕως ἔλθῃ, donec venerit. Veniſſe illum prius neceſſe eſt, quàm ſceptrũ penitus auferatur, aut deficiat in æternũ Legiſlator. Neque aliter antiquiſſimus Paraphraſtes, *Ille quidem non deficiet in ſæculum ſæculi, uſque dum veniat Meſſias:* hoc eſt, uſque dum comparuerit ille, & advenerit, in quo omnia, quæcunque olim fuerant in figuris, reipsâ ſunt adimpleta & conſummata. Non defecit in Zedechiâ; non defecit in Zorobabele; non in Aſſamonæorũ deleto principatu; imò ne in Herode Idumæo. Sed in Agrippâ defecit poſteriore: ſed in deletâ Iudaicâ politiâ; templo deſolato, incensâ urbe, ſacerdotio confuſo & extincto, populo redacto in æternam ſervitutem, & facto in opprobrium univerſis gentibus, in illâ clade & deſolatione Flavianâ. Hæc eſt illa epoche, hic terminus completi vaticinij: exindè enim ſceptrũ, Rex, regnum, princeps, principatus, magiſtratus omnis: Lex, Politia, Propheta, Sacerdos, Templũ, terra, Deus, oĩa & ſingula Iudæis adempta ſunt: ipſi facti εἰς διασπορὰν & κατάραν univerſo mundo, in perpetuum. Ita ſtatuit expreſsè Iuſtinus Martyr, μετὰ τὸ αὐτὸν ἐλθεῖν, οὔτε προφήτης, οὔτε βασιλεὺς ἐν τῷ γένει ὑμῶν. *Poſtquam Chriſtus ille adveniſſet, neque eſt Propheta, neque Rex in populo veſtro.* Ita ille alloquitur Tryphonẽ Iudæum, vaticinium hoc Jacobi ῥητῶς & expreſſius exponendo. Qui & alibi eundem Iudæum ſic affatur, ut nihil queat recitari magis in rem aliquam accommodatè. *Porrò, nunquam prius in Gente veſtrâ eſſe deſiiſſe neque Prophetũ, neque principẽ, ex quo aliquod imperium accepit veſtra natio, ne impudenter vel dicere audetis vel probare poteſtis. Nam Herodem ſub quo paſſus eſt* (ita enim lego, ὑφ᾽ οὗ. quanquam lapſus eſt apertè doctiſſim⁹ pater in hiſtoriâ: quandoquidem non ſub primo Herode Aſcalonita, ſed ſecundo, illius filio, non Rege ſed Tetrarchâ Chriſtus paſſus fuerit, & reſurrexerit) *Aſcalonitam ortu fuiſſe dicentes, nihilominus dicitis in gente veſtrâ extitiſſe ſummum ſacerdotem: adeò etiam ut tum vobis licuerit, juxta legem Moſis, offerre ſacrificia & oblationes, & legitima alia*

quæque

quæque custodire : tum autem Prophetas, successione suâ usque ad Iohannem extitisse. Quemadmodum quoque cùm Babylonem abductus est populus vester, terra vastatâ, & sacris vasis sublatis, non desiit esse ex vobis Prophetes, qui Dominus & Dux, & princeps populi vestri fuerit. At post Christi nostri in gente vestra manifestationem, (ait, *post*, non *ante* Incarnationem : ab Herodis interitu, non in imperio.) *& mortem, haudquaquam Propheta existit, non extitit aliquando : sed & sub Rege esse desiistis : Ad hæc & terra vestra desolata est, & tanquam custodia pomorum derelicta.* Hæc cùm protulerit antiquissimus omnium penè Patrum, & temporum Apostolicorum scriptor Justinus, idque etiam è sententia Rabbinorum paulò vetustiorum, maximum ille caussæ Baronianæ præjudicium næ quidem attulit, per conjunctas Iudæorum & Christianorum confessiones. Neque aliter Eusebius interpretatur, de Demonstr. Euang. lib. III. cap. II. pa. 62. Εἶτά, φησι, μὴ πρότερον ἐκλείψειν ἐκ τοῦ ἔθνους αὐτῶν, ἄρχοντας καὶ ἡγουμένους, ἢ παρεῖναι τὸν προφητευόμενον. τούτου δὲ ἐπιστάντος, καταλυθήσεσθαι μὲν αὐτίκα τὴν τῶν Ἰουδαίων ἀρχήν, αὐτὸν δὲ οὐκ ἔτι Ἰουδαίων, ἐθνῶν δὲ ἔσεσθαι προσδοκίαν. Ait apertè, *Postquam apparuerit* : ad temp⁹ manifestationis retulit quæ tum facta est in mundum universum. *Deinde* (sunt ipsissima Eusebij verba) *ait, non prius defecturum de gente ipsorum principem vel ducem, quàm is qui prædictus est advenerit in mundum. Qui postquam apparuerit, è vestigio Iudæorum principatus dissolvetur : neque Iudæorum erit ille ulterius sed gentium expectatio.* Et magnus ille fidei quæ est in Iesum Christum ὑπερασπιστὴς Athanasius, inter cætera, quæ ad isthoc dixerat vaticinium, concludit : *Si ergo vel nunc ullus est apud Iudæos aut Rex, aut Propheta, aut visio, rectè inficiantur Christum venisse. Sin autem neque Rex, neque ulla Prophetia superest, sed obsignata est in posterum omnis prophetia, & civitas & templum direptum, quorsum ista impietas & tergiversatio, ut cùm ista facta videant, Christum negent?* Accedit sententia Hieronymi ad istos, & Theodoreti in Geneseos locum : quorum iste, defecisse sacerdotium affirmat, tùm, cùm hoc vaticinium compleretur. Nam post Matthiam, & Agrippam, regem hunc atque summũ sacerdotem illum, qui captæ supererant civitati, non fuit neque erit adhuc in Israel, regnum aut sacerdotium in æternum. Hieronymus in eodem non alio loco, quàm quo nitebatur Cardinalis, commentarijs nimirum in Prophetam Sophoniam, planissimè descendit in hanc ipsam opinionem. *Erit autem*, ait vates, *in die hostiæ Domini* : ad quæ, scriptum sic reliquit Hieronymus : *Usque ad illud tempus perseverarunt Reges de Iudâ, de stirpe David, secundùm prophetiam, Non deficiet sceptrum de Iudâ*, &c. *Post hostiam enim Christi ablatum est regnum à Iudæis.* Post hostiam ait Domini, in arâ nimirum crucis oblatam : non post ortum, vel ante nativitatem Domini, in speluncâ, aut Herodis Idumæi principatum : statuit ergo vaticinium adimplendum, post *hostiam Domini* : non ante vel ad *præsepe* : aut cultum & remunerationem Magorum. Ita tempora sunt diversa, eventus non idem, nec finis & complementum in eodem secundùm Hieronymum & Cardinalem. Et certè Pererius eruditè advertit, differentes attulisse Hieronymũ sententias, duobus istis in locis, commentarijs nimirum ad Sophoniam & Ezechielem, ab illâ, quam affingit Baronius opinione, huic Patri : cùm tamen eadem ipsa commentaria Baronio Pererius inscriberet, à quo dissentiebat. Quodsi verum prodiderit vir eruditus, adhuc alibi etiam Hieronymus in hæc ipsa descendit. Nam postquam ad Cyrillum hunc adjunxerat, notatis ad marginem, quos modò dixi, locis, sic concludit, *Licet aliter aliquando contrarium dixerit.* Non in illis ad Sophoniam vel Ezechielem, aliter : restat igitur,

tur, quod adhuc alibi idem dixit. Nolo patrum calculis advocandis immorari, satis testium in causâ recitavimus, qui de novitate nostram hanc sententiam absolutam, in antiquorum classem transcribent & transponent. Et certè, de novissimis temporibus Patriarcha, quod affirmat ille ipse in vaticinio, intellexit quæ prædixerat olim esse ventura in Israele. *Congregamini*, ait, *ut enuntiem ego vobis, quid venturum sit super vos in novissimis diebus.* Novissimi autem dies, *acharith iamim*, licet tempora interdum remotiora significent, à captivitate Babylonica ad τὴν ἐνσάρκωσιν, tamen peculiari ferè Scripturarum eloquio, de Messiæ temporibus usurpantur. *Erit*, inquit Isaias cap. II. *in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & confluent ad eum omnes gentes.* Quæ totidem penè verbis leguntur, apud Micheam repetita cap. IIII. & tam à Iudæis, quàm Christianis, de Messiæ politiâ intelliguntur. Neque aliter Apostoli intellexerunt, qui sua ipsorum tempora, novissima vocaverunt, ab exorto illo lumine gentium omnium: Ita enim Iohannes I. Epist. II. loquebatur; *Novissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt. Vndè scimus, quia hora novissima est.* Et Paulus ad Hebræos I. II. Ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, *Novissimis autem hisce diebus alloquutus est nos in filio suo.* Postquam venerat, & alloquutus fuerat is qui mitti debuit, ordinatus ab æterno, tempora Novissima nominantur. Ejus enim regnum stabiliendum ἐν ἐσχάταις ταῖς ἡμέραις prædicebatur. In quibus toto orbe vagatur ille populus propter necem Messiæ olim illatam, quemadmodum prædixerat futurum divinus Moses Deuter. XXXI. *Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.* At enim verò anni tum effluxerant à nativitate Servatoris LXXIII. præter propter, cùm consummaretur & eventum sortiretur hoc vaticinium. Rectè. Sed & anni non minus, ut videri possit, multi, ab ablato per Herodem principatu Iudæ, & regno translato ad gentem alienam Idumæos, & illud ipsum secundùm prædictionem Isac Esauo olim dictam de Iacobo, cùm nondum Messias nasceretur. Esto autem, multò plures effluxissent: non sunt adeò coercenda vaticinia: neque Dei voluntas circumscribenda. Qui volunt in Herode defecisse sceptrum, non statim advenisse Messiam contendunt, postquam illi, Consulibus Calvino & Pollione, regnum Senatus & Augustus confirmarunt. Totos annos viginti octo intervenisse vult Baronius, priusquam in Bethlem nasceretur: ultra equidem triginta largiri debuit, à semoto Legislatore & translato sceptro, neque tamen, ᾧ ἀπόκειτο, nascebatur. Satis ergo vaticinijs factum esse solet, si eventum ipsorum & complementum, non in ipso τοῦ νῦν, & momento temporis, sed in vicinitate quâdam terminemus. Dictum est, illud *veniet*, non præsentem denotare, sed præteritam rei prædictæ mentionem: & jam quidem advenisse Messiam oportere, cùm sceptrum de Iudâ auferretur, non priusquam veniret, auferendum fuisse. Et verè quidem dictum, secundùm Cardinalem & Cyrillum, qui per annos, præter propter, triginta elapsos posteriora faciunt τὰ ἐπιφάνεια, quàm fuit tempus erepti Iudæis sceptri in Herode. Sed & aliter occurrendum est huic scrupulo, & in ipsomet adventu, ac illius τοῦ νῦν, τὸ τέλος & terminus defigendus impleti istius vaticinij. Χριστοῦ γὰρ παρουσίαν καταγγελλομένω, οὐ μίαν μόνον,

ἀλλὰ

ἀλλὰ καὶ δευτέραν, *Christi præsentiam annuntiamus*, (ait alter Cyrillus Hierosolymitanus) *non unam duntaxat, sed & alteram.* Et certè memorant adventum Prophetæ geminatum. Primum in quo ille ἄτιμος, καὶ ἀειδὴς, καὶ θνητὸς φανήσεσθαι κεκηρυγμένος ἦν, *Prædictum fuerat adventurum illum inhonoratum, invisibilem, aut sine ulla specie & decore, mortalitatem indutum:* secundus, ὅτε ἐν δόξῃ, inquit Iustinus Martyr. Quæ duo tempora inter se tam disiuncta, & rationibus diversis disparata, ἀναμὶξ plerunque, sicut notat idem scriptor, præter antiquitatem, eruditissimus, in sacris literis à Prophetis proponi solent: ita ut vix aut quidem ne vix internosci queant, ne quidem ab acutis Interpretibus, quæ uni quæ alteri congruant, aut adaptari adventui debeant. Porrò duplex est ἐν δόξῃ ille adventus: tam, cùm adversus homines, hunc vel illum, singulares; quàm cùm adversus plures, exercetur. Particularis ille, in novissimo sui cujusque tempore: generalis iste, in novissimo dierum omnium. Iudex in utroque idem Christus: idem est adveniens utrobique. Neminem enim Pater judicat, sed judicium omne in Filium transcripsit. Iohan. XXI. ad Simonem Petrum de dilecto discipulo ait Veritas, Ἐὰν θέλω αὐτὸν μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ; *Si illum manere velim usque dum advenero, quid ad te? Venero* autem, ad judicium exercendum. Non universale, in fine mundi, (quod falsò discipuli arbitrabantur, & non nemo ex antiquis, post Hippolytum credidit apud Augustinum, tractatu 124. in Iohannem: nam diu est cùm discipulus ille sub Trajano Cæsare, Ephesi viam sit ingressus universæ carnis) sed contra Iudæos particulare, quo & urbs, & regnum, & respublica, & ipsi denique desolati, quasi fato quodam occubuere. Ita locum exponit, sequutus vetustiores Theophylactus, Κατὰ τῶν σταυρωσάντων με Ἰουδαίων, μέλλων αὐτοὺς διὰ τῆς τῶν Ῥωμαίων ῥάβδου πατάξαι, καὶ καταστρέψαι τὴν πόλιν αὐτῶν. *Donec venero: in iudicium scilicet, contra me crucifigentes Iudæos, quos per Romanorum virgam sum percussurus, & subversurus eorum civitatem.* Quo quidem casu, cùm sceptrum, & Legislator ablatus, defecerint omnino, adimpletum est quod dixit, *Non deficiet* &c. *donec venerit:* cùm autem venerit tunc deficiet, & postquam defecerit in adventu illo glorioso, non restituetur in æternum. At ad illa usque tempora regnatum nequaquam est in Israel per duces de Iudâ & domo David. Fateor equidem, neque opus erat, ut regnaretur: nec secundùm Cardinalem regnatum est. Regnum enim propriè dictum finitum est in Zedechiâ ante μετοικεσίαν. Regnum, impropriè, hoc est, potestas & principatus, in Zorobabele, quod profectò constare poterit, terminatus: neque enim à Zorobabele, de domo David & tribu Iudâ quispiam deinceps in Israel fuit cum imperio. Si per Assamonæos recuperatum, (quod affirmat) dixerit principatum, præterquam, quod hoc liquidò falsitatis convicerimus, non enim erant illi de Iudâ sed de Levi, tum ne quidem in Herode principatus defecit ad eum modum, cùm ab exitu illius per lineam fœmininam, in Herode Agrippâ repullulaverit. Sed non erat opus ut regnaretur. Non enim de Iudâ filio Jacob, in individuo dixit: non in particulari de tribu Iudæ: sed de gente Iudæâ & natione. Sensus ergo est, Iudæos ab illo tempore primo, quo cum cæteris gentibus censebantur, non desituros gentem esse, nec dissipandos, sed cum formâ aliquâ reipublicæ perstituros, sacerdotium & legem retenturos, usque dum Messias advenisset, quo semel revelato, futurum è vestigio ut in Israel accedat desolatio.

neque mirum videri debet: neque ſcrupulus in contrarium objiciatur aliquis, quaſi iſta quæ in hoc vaticinio continentur, tribuj Iudæ congruere in particulari deberent. Cur enim tribui, ſi non Perſonæ? Perſonam alloquitur; *Iuda, te laudabunt:* & tamen nihil ferè eſt per totum hoc Iacobi vaticinium, quod individuo intelligendum venit. Compellat enim filios indefinitè: *Congregamini, & audite filij Iacob.* Congregamini, ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis. Vobis autem, non Rubeno, Simeoni, Leui, Iudæ. Eſt enim vaticinium de nouiſſimis diebus, cùm Patriarchæ ipſi, quos alloquebatur, in pulvere terræ, in terrâ ſilentum, conquieſcerent. Nuſquam Dan in via coluber fuit. Nunquam Nepthali cervus: Benjamin lupus, ne per ſimilitudinem dici poterant; quicquid ille delirat, qui per titulum Teſtamenti Patriarcharum, mundo illuſit circumforaneus. Iudam nemo è fratribus adoravit: Ioſephi potiùs hoc encomium fuiſſet. Sed tribum Iuda in Dauide adorarunt. Dan per Sampſonem coluber in via. Simeon & Levi diviſi in Iacob. Sunt tamen perſonalia nonnulla intermixta, non ad tribum ſpectantia ſed perſonam. Quale quod patraverat flagitium Ruben; *Principium roboris, & initium doloris: cubile aſcendiſti Patris tui:* quale facinus admiſerunt Simeon & Levi, fratres in malo, *In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſuffoderunt murum.* Quod ſi de perſonâ atque tribu indiſtinctè, indefinitè atque alternatim dicantur adeò multa, quid impedit quo minùs veluti de tribu vnâ quadam & cognatione dici quæ videntur, ad gentem ſpectent univerſam, & referri eò debeant, cum caput gentis totius illæ tribus, puta Ephraim & Iuda, futuræ eſſent? Gens Iſraelitica quanta quanta, de femore Iacobi oriebatur, in tribus duodecim diſtributa; coünitæ & coalitæ ad Hieroboami tempora, quod notum ex Hiſtoriâ, conſtiterant: exinde diviſæ univerſim: ita ut X. è XII. Hieroboamo: duæ reliquæ Roboamo adhærerent. Traductis X. tribubus per Salmanaſſerem, regnum Iuda permanſit à regibus ordinatum è domo Dauid, quod & ipſum quoque tandem corruit ſubverſum per Babylonios, & populus traductus in captivitatem. Septuaginta peractis in captivitate annis, remearunt domum in avitas ſedes, & in unam rempub. coaluerunt, & tum demum (quod relatum eſt à Ioſepho) quotquot reuerſi ſunt è Babylone, quicunque perſtiterant in terrâ Chanaan, de omnibus tribubus ſuis ἀνάμιξ, Iudæi cęperunt appellari ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα προσηγορίας μετέλαβον. Hoc cùm Iacob Patriarcha in ſpiritu videret, Iudam tribus ſuæ patrem, in tribu illa: & populum, in utroque capite & coryphæo populi, compellavit; & de rebus in noviſſimis diebus gerendis, in quibus illi diebus, Iudæi dicebantur, præmonuit, non eſſe auferendum à Iudæis principatum, aut ultimam deſolationem invehendam, donec veniſſet in carne, & conſummaſſet omnia qui venturus dicebatur Chriſtus Dominus. Quocirca doctiſſimus Chryſoſtomus, & in Scripturis enarrandis Græcorum primus, hanc prophetiæ partem exponens ita loquitur, Μέχρι τότε διαρκέσει τὰ Ἰουδαϊκά. *Eo uſque res & ſtatus Iudaicus perſiſtet.* Hoc eſt, populi totius πολιτεία, non tribus illius principatus. Καὶ οἱ ἄρχοντες οἱ ἐξ Ἰουδαίων, *& de Iudæis principes viri cum imperio:* de Iudæis iterum, gente totâ, quę ex omnibus tribubus coaluerat, & Iudæi à Iuda dicebantur: ἕως ἂν ἐκεῖνος παραγένηται, uſque dum advenerit (tempus jam præteritum) ille in quem confident nationes. Ἰουδαῖοι δὲ νῦν, Euſebius affirmat, οὐ τὴν φυλὴν ὀνομάζει, ἀλλ' ἐπεὶ κατά τινα προσωνυμίαν

προσωνυμίαν ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις ἀπὸ βασιλικῆς φυλῆς Ἰούδα τὸ πᾶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐχρημάτιζεν, ὡς καὶ εἰς σήμερον Ἰουδαίους ὀνομάζεσθαι σφόδρα θαυμαστῶς καὶ προφητικῶς τὸ πᾶν ἔθνος Ἰουδαίων ὠνόμασεν, ὥσπερ οὖν καὶ ἡμεῖς Ἰουδαίους προσαγορεύομεν. *Iudam in præſenti non tribum vocavit, ſed valde admirabiliter de more Prophetarum, quandoquidem temporibus ſuccedentibus, per quandam denominationem, ab illa regiâ tribu deduct â appellatione, univerſa natio Iudæi appellabantur, gentem hoc in loco Iudaïcam quam nos etiamnum dicimus, nominavit.* Et in fidei dogmatibus diſceptandis princeps Auguſtinus ad eundem modum. *Iudæi Herodem regem alienigenam habere maverunt, quo regnante natus eſt Chriſtus; Iam enim venerat plenitudo temporis ſignificata prophetico ſpiritu, per os Patriarchæ Iacob, ubi ait, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repoſitum eſt, & ipſe erit gentium expectatio. Non ergo defuit Iudæorum princeps ex Iudæis, uſque ad Herodem quem primum acceperunt alienigenam regem.* Non dixit, hoc in loco Auguſtinus (18. de C. Dei, cap. 45.) *Non deficiet princeps ex tribu Iuda.* Sed *non defuit Iudæorum è Iudæis princeps:* ejuſdem gentis generiſque; quod verum eſt. Nam à reditu, ſemper per proprios Principes & Magiſtratus, per Pontifices, Duces, Reges reſpub. adminiſtrabatur, donec ſublatum eſt, utcunq; non penitus, in Herode, ſceptrum, & tranſlata dominatio ad alienos, à ſanguine, fœdere, & femore Iacob. Sed agnoſcit Auguſtinus cum Baronio, adimpletum vaticinium in Herode. Certè quidem, nec abnuimus in Herode. Nam duorum ſummorum in omni literaturâ, ſententia de Herode, ab omnibus meritò explodenda eſt, quâ contra Chriſtianiſmi proceres, de vaticinio, & Herode alitèr ſtatuitur. Sed ita in Herode, ut non in illo tantùm. Ablatum eſt in eo ſceptrum eo modo, quo nunquam priùs ab edicto vaticinio: ſed per Inchoationem tantùm, cum cæpiſſet adimpleri vaticinium: ablatum eſt autem poſt Herodem eo modo, quo nec in Herode ipſo auferebatur; per adimpletionem conſummatam. Hoc enim quod ſemel atque iterum dicebatur, ratum atque fixum manere debet, complementum vaticinij atque ἔκβασιν non eſſe in anguſtias compingendum, ut ad horulæ unius, diei, menſis, anni ſpatium annectatur: ad principium vel finem imperij Agrippæ, Iunioris, vel Herodis primi: ortum, vel Aſcenſionem ſervatoris: Initium vel *clauſulam itinerarij filij Dei.* Cum Herodes Idumæus, proſelytus, alienus à ſanguine Iſraelis, Romanorum beneficiarius capeſſivit imperium in Iudæa, cępit adimpleri, quod prædictum olim fuerat, *Non deficiet princeps,* & quæ ſequuntur. Cum per arma Romanorum deſolarentur omnia, tum quod ceperat, complementum accepit, & omnino ſortiebatur τὴν ἔκβασιν & effectum. Eo ſenſu & ſententia eruditiſſimus Baronius quàm veriſſimè ſcripſit, *Nunquam æquè defuerat atque tum defecit.* Nunquam æquè: nam tum primum ἀλλόφυλος Hieroſolymis in Iudæa imperavit. Cum verò regnum omne, & principatus cujuſcunque, Sacerdotium, Lex, Prophetia, Templum, ſacra, religio, deſolarentur, tum magis defecit quàm defecerat unquam: tunc ablatum eſt ſceptrum & Legiſlator; ſortitumque eſt τὴν ἔκβασιν adimpletam, vaticinium illud, poſt cætera omnia conſummata, quæ Prophetæ prædixerant adimplenda. Atque hæc eſt veriſſima ac certiſſima Iacobi vaticinij interpretatio, quam nec ulla impellet dubitatio, nec poterint οἱ ἐξ ἐναντίας cavillari.

SECT.

SECT. IX.

De Herode quæ tradit Cardinalis Baronius. Idumæus ortu. Nicolai Damasceni, Historici πολυγραφωτάτου, domus Herodianæ assentatoris, sententia de Herode. Iudæorum tabulæ genealogicæ. Herodes non primùm Gentilis, tum proselytus: sed Paganus ad finem potiùs vitæ. Proselyti non iidem qui νεοφύτοι. Maldonatus notatus. δένδρα νεόφυτα. Gerim. Georæ. ἐπιμίκτοι: qui confundantur interdum cum proselytis. Hesychius, Baronius notati. Idumæi circumcisi. Iudæi religione. Proselytorum mores dissoluti.

DIctum est de regno Iudaïco transferendo secundùm vaticinium Prophetæ Iacob: sequitur apud eundẽ ordine conveniente, de Herode, ut eum vocat Iustinus Martyr, Ascalonitâ, termino vaticinij illius Patriarchalis, & Iudæorum alastore tractatio; sectione ergo V. in Apparatu, de eodem in hæc verba reliquit ille scriptum: *Herodes Idumæus, Gentilis homo, postea proselytus, Iudæorum regnum capessivit.* Et posteà in eâdem sectione iterum: *Nunquam tamen aliquis suffectus est Rex alienigena, qui regnaret in Iudæâ, nisi cum Herodes Idumæus obtinuit regnum.* Factum hoc notavit in eodem loco, ad annum secundum Olympiadis C. XXX. IIII Consf. Calvino & Pollione. Tria igitur de Herode commemorat Cardinalis. Originem generis: *Idumæus, alienigena.* Religionem professionemq; cultus: *Gentilis homo, tum proselytus.* Regnum in gentem Iudæorum. *Regnum in Iudæâ capessivit.* De regno ejus aliàs, quando initum: quomodo acquisitum: quamdiù regnatum in Iudæâ. In quibus singulis mirificè laborant Apparatus & Annales. In præsenti de genere & religione: quæ certè nulla fuit, nisi prout regnandi rationes, & πολιτείας flagitabant, est agendum. Ait ortu extitisse Idumæum. Et rectè ait (licèt sint qui dissentiunt etiam num, & olim aliqui reclamarunt,) alienum extitisse à semine Iudæ, domo Dauid, non extractum de fœmore Iacob. Fuit enim, quod ponitur in confesso, filius Antipatri cujusdam, qui cum de nomine parentis sui Antipas ipse diceretur, mutato nomine voluit potiùs Antipater quàm Antipas appellari. Antipas iste, seu Antipater, cum φίλος esset Ὑρκανοῦ (qui gerebat Hierosolymis Pontificatum, & cui per ætatis prærogativam, Iudæorum etiam regnum debebatur) & πολλῶν, quemadmodum Iosephus testatur, εὐπορῶν χρημάτων: essetque præterea δραστήριος ἀνὴρ, & τοῦ γένους προεστώς, *vir actuosus, & præcipuâ nobilitate præditus,* magnam sui nominis existimationem in Iudæâ, & vicinijs concitavit. Qui cum aliquandiù floruisset in maximis negotijs rebusque gerendis, Romanorum principibus, & Iudæorum genti commendatus, tandem vir sanè admirabilis, veneno tollitur per quendam qui Hyrcano à poculis fuerat, Malcho quodam Arabe procurante, relictis è Cypro uxore liberis, Phasaelo, Herode, Iosepho, Pherorâ, & fœminej sexus unicâ filiolâ Salome. Hæc Iosephus suggessit in Antiq. Lib. XV. XI. & XIX. Erat horum mater nomine Cypros, Arabissa gente, non ortu Cypria, quod prodiderunt. Est enim nomen mulieris proprium, non autem gentis appellativum. Dissentit ab his Nicolaus Damascenus,

Orator, Philoſophus, & hiſtoriarum olim Scriptor celeberrimus, & cum primis πολυγραφώτατος. Ἱστορίαν συνέγραψε γὰρ πολλήν: quemadmodum retulit Athenæus. Lib. XIIII. Dipnoſophiſτῶν. Certè πολλὴν ἱστορίαν, cum ad libros ſupra CXX. excreverit illud opus, ſi non plures, quemadmodum è Græcorum ſcriptis conſtat. Ille Nicolaus apud Ioſephum, Herodem dixit eſſe
Antiq. xiiij. ij. γένους ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων, τῶν ἐκ Βαβυλῶνος εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀφικομένων, Originem traxiſſe à Iudæis illis, qui omnium primi, (nimirum ſub initio principatûs Cyri,) è captivitate Babylonicâ domum revertebantur. Nemo veterum præter Nicolaum hoc ſcripſerat de Herode, Ioſephus ait. Et mentitus eſt illud in hiſtoriâ Nicolaus, (quemadmodum alia quoque non pauca) Ἡρώδῃ χαριζόμενος in illius gratiam, cui ſummâ familiaritate ſanctus fuerat, & à conſilijs plerunque ſecretioribus. Commentum hoc Damaſceni perfacile fuit temporibus illis, è tabulis Genealogicis refutare, quæ & publicè & privatim cuſtodiebantur. Erant enim Iudæi omnes, harum rerum cum primis ſtudioſi, quippè qui cum de Nobilitate ſua ab Abrahamo gloriarentur, tum ſemen illud Iſraelis promiſſum, benedictum, venturum è ſuâ gente certiſſimè expectabant. Hanc ob cauſſam, quod memoriæ mandavit Ioſephus, mittere ſolebant Hieroſolymas, conſcribentes à patre nomen nuptæ, & ab antiquis retrò progenitoribus. Neque obſtat quod Herodes illas tabulas abolendas, ſui generis ſibi conſciùs alieni, omni ope operâque ſatagebat: Nicolaj iſtius forſan conſilio, quo hiſtoriæ ſuæ maculas palliaret. Ὀλίγοι δὲ τῶν ἐπιμελῶν, ἰδιωτικὰς ἑαυτοῖς ἀπογραφάς, ἢ μνημονεύσαντες τῶν ὀνομάτων, ἢ ἄλλως ἔχοντες ἐξ ἀντιγράφων, ἐναβρύνονται, σωζομένης τῇ μνήμῃ τῆς εὐγενείας, inquit Euſebius

Lib. I. contra Appionem.

Libi. VII. hoc eſt interprete Chriſtophoiſono, *Erant tamen nonnulli antiquitatis replicandæ ſtudioſi, qui nomina à vitæ ſtirpis vel tenentes memoriâ, vel ex ſcriptis Annalibus promentes, privatim ſibi indices conficiebant: magnoperéque propterea gloriabantur, quod ipſorum nobilitas ita foret ad poſteros reſervata.* Quocirca immotum & fixum maneat quod primo loco ponitur in apparatu, Herodem ortu & genere Idumæum fuiſſe. Viros doctos quid aliud dixeris quam φλυαρεῖν, qui cum Nicolao palpone, & aſſectatore domus Herodianæ, alius ſtatuerunt. Eſto etiam adimpletum, ut modo tangebamus, quod prędictum erat olim, dum Eſauum alloquitur per Iſacum: Deus futurum eſt ut excuſto jugo, nempè ſervitutis, ſuperior evadas fratre tuo ſervitutis enim jugum Eſaui poſteri, ſub rege Amaſiâ, excuſſerunt: Iudæos, à Iacobo oriundos, in Herode rege ſubegere: ſed id quod ſequitur deinceps in apparatu, Hominem fuiſſe Herodem primò Gentilem, poſteà factum eundem proſelytum, hoc perindè atque illud non videtur eſſe verum; certè ſuâ non caret difficultate. Vox utraque Cardinali uſurpata hoc in loco, Gentilis nimirum & proſelytus, pertinet ad religionis profeſſionem, & cultum numinis alicujus. Religio tum fuit bipartita, Paganornm, qui idóla & ſimulachra, Deos falſos & fictitios venerabantur. Iudæorum, qui colebant Deum verum; Deum unum & unicum, cœli & terræ conditorem, modo ipſis per Moſen revelato. Fiebat interdum ut à Paganiſmo nonnulli tranſirent ad Iudæos, ſacra, Deum, religionem illius populi ſuſcipientes: Proſelytos illi iſtos, quod pauci ignorant, appellabant, eò quod deſertis Dijs ſacriſque ſuis ad partes Iudæorum aggregarentur. Conſtat hoc ex hiſtoria Euangel. Matth. 23. 15. ad quem locum in hæc verba Hieronymus ſcripſerat. *Scribæ ac Phariſæi totum orbem luſtrantes propter negotiationes, vel diverſa lucra,*

lucra, à discipulis captantes, quasi sub imagine pietatis, studium habebant de gentibus facere proselytum. In veteri testamento vocabantur Gerim, advenæ scilicet ac peregrini. *Numeravit Salomon omnes Gerim:* II. Paralip. II. hoc est proselytos & advenas qui in Israel erant. Ad quam vocem Hebraïcam videtur respexisse translationis vulgatæ in novo testamento author, qui προσήλυτον non semel *advenam* interpretatur. Ut, *Nicolaum advenam Antiochenum*, Acts VI. V. Non est idem cum νεοφύτῳ ὁ προσήλυτος quod non nemo opinatur post Maldonatum, ad I. Timoth. III. VI. προσήλυτος enim semper dicebatur, licet multos annos esset Iudaïsmum professus, atque adeò in illo consenuisset proselytismo neque unquam inter filios Israelis censebatur, aut eorum fruebatur privilegijs: ne posteri quidem ipsius unquam, quemadmodum docuit Abulensis. Non illis favebat annus jubilæi, aut lex recuperandæ libertatis, aut remissionis debitorum: aut qui progressus fecerat in fide Christi, cessabat Neophytus nominari. Non vult Paulus νεόφυτον Episcopũ creari: caruissent Christiani Episcopis suis & præsidibus si quod olim proselyti apud Iudæos, Neophyti fuissent inter Christianos: hoc est si nomen illud adhæsisset perpetuo proselytis illis, qui à Paganismo ad Christum transiebant, quemadmodum inter Iudæos olim proselyti vel Gerim perpetuò dicebantur. *Omnis Ecclesia gentium proselyta est*, ut in Psalmum 145. habet Augustinus. *Et tamen non Apostolo contradicit, verum jam nullus hospes est & advena:* Ephes. 2. 19. *Adventitia est ad patres Ecclesia Gentium, non de carne nata, sed imitando filia:* Concines tamen omnes sanctorum sunt, συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι Θεοῦ. Neophytos appellavit Apostolus illos, qui nomina sua Christo non ita pridem dederant, & in album ascribebantur Catechumenorum: quo sensu in re rusticâ novellæ arbores, δένδρα solent νεόφυτα nominari. Undè & Suidas νεόφυτον reddidit, τὸν νεωστὶ φυτευθέντα. Potiùs illi sunt νεόφυτοι quos Paulus designavit, qui ἅμα τε μαθηταὶ καὶ διδάσκαλοι erant quemadmodum loquitur Nazianzenus, dum egregie depingit in Apologiâ primâ, τοὺς πρεσβυτέρους ἱερεῖς καὶ ἐκ τῶν παρχαίων. Quem locum non exscribo quia longior est. Inter Canones qui vocatur Apostolorum, unus est qui videtur intendisse locum Paulinum. Τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα καὶ βαπτισθέντα οὐ δίκαιόν ἐστι παραυτίκα προχειρίζεσθαι ἐπίσκοπον, εἰ μή πε κατὰ θείαν χάριν τοῦτο γένοιτο. *Eum qui transierit à gentilismo, & sacrobaptismati initiatus fuerit, protenus Episcopum fieri, non est æquum, nisi forsan per divinæ gratiæ dispensationem fiat.* Quomodo aliquando contingebat, in beati Ambrosij promotione ad Episcopatum Mediolanensem: Diversi erant à Gerim seu proselytis atque advenis, Georæ nominati. Nam præter Samaritanos per illa tempora, tria præcipuè hominum genera Palæstinam incolebant. Israelitæ, Georæ, & Proselyti. Georæ dicebantur ij, quales erant qui genus ducebantur & originem suam ab ijs quorum olim fuerat terra Chanaan, priusquem addicta Abrahamo, illius posteris per Iosuam divideretur. Erant isti distincti à proselytis, nec non ab altero quodam peregrinorum genere qui vocabantur ἐπίμικτοι. Erant autem Ἐπίμικτοι illorũ posteri, qui unà cum Mose atq; Israelitis ex Ægypto exierunt. Hoc apparet ex Africani testimonio quem citat Eusebius Lib. I. Hist. cap. VII. Ἀναγράπτων δὲ εἰς τότε ἐν τοῖς ἀρχείοις ὄντων, τῶν Ἑβραϊκῶν γενῶν, καὶ τῶν ἄχρι προσηλύτων ἀναφερομένων, ὡς Ἀχιὼρ τοῦ τε Ἀμμανίτου, καὶ Ῥοὺθ τῆς Μωαβίτιδος· τῶν τε ἀπ' Αἰγύπτου συνεκπεσόντων ἐπιμίκτων· ὁ Ἡρώδης, οὐδέν τι συμβαλλομένου Ἰσραηλιτῶν γένους αὐτῷ, καὶ συνειδότι τῆς δυσγενείας, κεντούμενος ἐνέπρησεν αὐτῶν τὰς ἀναγραφὰς τῶν γενῶν, οἰόμενος δυσγενὴς ἀναφανεῖσθαι, τῷ μηδ' ἄλλον ἐκ δημοσίου συγγραφῆς

συγγραφῆς τὸ γένος ἀνάγειν ἐπὶ τοὺς πατριάρχας, καὶ προσηλύτους, τούς τε λεγομένους γειώρας ἢ τοὺς ἐπιμίκτους, *Cum ad illud usq; tempus in Archivis descriptæ Hebraicæ genealogiæ conservarentur: nec non eorum ortus & origines, qui ad Proselytos usq; olim pertingebant: Achor nempè Ammonitem, & Ruth Moabitida: atque ad illos epimictos qui unà ex Ægypto commigrarant. Herodes, quandoquidem Proselytorum genealogiæ nihil ipsi quicquam conferebant, simul conscientiâ suæ ignobilitatis perculsus, tabulas illas combussit genealogicas: Nobilissimum se visum iri arbitratus, cum nemo prorsus posset, è tabulis adhuc publicis genus suum producere ascendendo, ad Patriarchas, Proselytos, Georas qui vocantur aut Epimictos.* Quo tamen in loco tam illustri, Georæ & Epimicti non distinguuntur in nuperâ editione Allobrogicâ, cum tamen inter se nil commune habeant. Sed editione illâ nihil unquam prodijt vitiosius: neque quicquam mangones illi, aliud quæsiverunt in Eusebio, Iosepho, alijs authoribus, quàm lucellum, quos titulis splendidissimis & ementitis nequissimè prostituere solent. Eosdem Georas & Proselytos distinguit doctissimus Iustinus Martyr pag. 350. Parisinæ nuperæ editionis. Ταῦτα μὲν ὑμεῖς εἰς τὸν Γηόραν, ita enim scriptum in Iustino, καὶ τοὺς προσηλύτους εἰρῆσθαι νομίζετε, τῷ ὄντι δὲ εἰς ἡμᾶς εἴρηται, τοὺς διʼ Ἰησοῦ πεφωτισμένους, *Hæc vos in Georam & proselytos vestros dicta arbitramini, re autem verâ sunt de Nobis promulgata, quotquot sumus per Iesum illuminati.* Quanquam non distinguuntur interdum istæ voces, cum nimirum extentâ significatione, proselyti dicantur illi omnes, qui quocunq; modo, cum fuerint circumcisi, sunt ad Israelem aggregati. Οὐ γὰρ χρήζουσιν οἱ προσήλυτοι διαθήκης, εἰ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς περιτεμνομένοις κειμένου νόμου, περὶ ἐκείνων οὕτως ἡ γραφὴ λέγει προστεθήσεται καὶ ὁ Γηόρας πρὸς αὐτοὺς, καὶ προστεθήσεται πρὸς τὸν οἶκον Ἰακώβ. *Nam proselyti vestri nihil indigent testamento, si unâ eademque omnibus circumcisis lege propositâ, de ijs ita Scriptura loquatur, Et apponetur etiam Georas ad ipsos, & apponetur ad domum Iacob.* Sed propriè loquendo distinguuntur, licet ista legantur apud Iustinum, loco superiorem illum mox consequente. Hujusce porrò vocis Scriptura est diuersa; in Iustino Γηόρας est: Γειώρας apud Iosephum. Eusebij codices Γειώρας repręsentant, quomodo etiã scribitur in Hesychio, cujus locũ confusum sic distingue, & lege. Γειώρας, γείτονας. ἐξ ἄλλου γένους τῷ Ἰσραὴλ. λεγομένους προσηλύτους. ἢ τοὺς περὶ τὴν γῆν διαπονουμένους. Fallitur autem Grammaticus eruditissimus, qui Γειώρας confundit cum Proselytis, propriè nimirum non laxè loquendo, quod observabamus. Inter istos proselytos censendum Herodem Iudæorũ regem fuisse nemo, opinor, τῶν νοῦν ἐχόντων inficias iverit. Non tamen illiusmodi proselytum agnoscimus, qualem illũ confingit Cardinalis. Ait fuisse Gentilem priùs, & tum factum proselytum. De ipso, credo, loquitur, ut erat τὸ ὄν τι, in se, non in parentibus, aut in majorum lumbis considerato: Gentilem sectâ & professione, non autem prosapiâ & origine vocat. Quomodo, si dicendus Gentilis fuerat, hoc ad vitæ ejus finem referendum esset, cum planè factus ἄθεος, &, ut loquuntur hodiè, nec injuriâ, *politicus*, neque Deum Iudæorum revereretur, neque ullam religionem sequeretur. Nam Gentilium mores, & Paganorum ritus, non aliter quàm tyranni Seleucidæ Macchabaïcis temporibus, in religionem, patriam, ita enim erat, & sacra Iudaïca inferebat. Pontificum munus, Sacerdotum vices, agebat, vendebat, raptabat prolibito. Imagines, statuas, clypeos, in locis publicis, sacris, profanis erigebat, id quod omni modo lege vetabatur. Ista ille omnia, & sexcenta hujus generis tum factitabat, quò placeret proceribus & Imperatori

Romanis,

Romanis, quibus regnum acceptum debebat: in quorum, Augusti, & nepotum honorem, profusissimus pecuniarum gurges & vorago, civitates, theatra, gymnasia, ludos, aras, imagines, balnea, porticus, templa deniq; statuebat & sacerdotia. Fuit insuper moribus plusquam belluinis: monstrum hominis & portentũ, nullâ virtute à vitijs redemptum: portentosæ libidinis, prostitutæ & prorsus conculcatæ pudicitiæ, luxuriosæ incontinentiæ quasi quædam sentina: Crudelitatis, ultra quicquid est barbari ej, immanis & truculentæ. Explicatiùs ista omnia & per partes Iosephus persequitur: quorum pleraque deinceps Sect. CXVI. posita, non diffitetur Cardinalis. Atque ea quidem omnia, vergente ætate, firmato imperio, postquam multos annos Iudeæ præfuisset, perpetravit, ut inverso potiùs ordine dicendum fuerit, *Primò fuit proselytus, deinceps factus est Gentilis.* Et certè ita potiùs dicendum fuit: nam nequaquam ab initio gentilis fuit, saltem quoad externam religionis faciem. Patre primùm natus est Idumæo. Idumæj verò omnes ante natum Antipatrum, Gentiles licet ortu, non tamen erant religione. Iudæorum enim cultum ϗ τὴν θρησκείαν circumcisi dudum omnes amplectebantur. Nam Iohannes Hyrcanus, Simone genitus, Macchabæi fratre, Assamoneus, Iudæorum summus Sacerdos & Dux, cum bello Idumæos subjugasset, ἐπέτρεπεν ἐν τῇ αὐτῶν χώρᾳ μένειν, *permisit ut in Patriâ suâ habitarent*; non ejecti, non extorres: Si modò admitterent Circumcisionem, & Deum agnoscerent Iudæorũ. Hanc ut conditionem acceptavere, deinceps censebantur, quod ad sacra pertineret & religionem, cum Iudæis, non autem genere & origine, quod doctissimi quidam viri perperã censuere. Secundò, se Iudeos religione profitentur ipsi & præseferunt Idumæi. Excitati etenim aliquando, falso quodam in vulgus rumore sparso, de prodendis Hierosolymis, religionis arce & Metropoli, Romanorum ducibus, accurrunt universi arreptis armis, opem sacris & templo alacriter allaturi. Quemadmodum relatum à Iosepho, Αλωσ. V. XVI. Id enim magnopere formidabant, ne patriæ pietatis illa arx in manus Gentilium deveniret, profananda scilicet Idolorum cultu & sacris paganicis incestanda. Hinc autem ortum Herodis illius genitorem Antipatrum, ϗ τοῦ γένους προεστῶτα, ut Iosephus loquitur, cum primis, & ante primos, illius gentis nobiles numeratum, Iudaïcæ gentis sacris atque religioni tam addictæ, tam studiosæ, arctissimâ quinetiam familiaritate cum Pontifice Hyrcano, homine minimè quidem improbo, aut dissoluto, conjunctum, rebus gerendis adhibitum, reip. negotijs procurandis admotum, non est verosimile solum inter omnes & solitariũ, à communi fuisse professione, & religionis facie, juramento astrictæ, alienum & abhorrentem; ut Gentilis dici debeat & appellari. Accedat, quod Herodes adolescens adhuc, XXV. nimirum annorum juvenis, Galilææ præpositus administrandæ, cùm Ezechiam occidisset archilatronem, & grassatorum nefandissimum antesignanum, Synedrio sistitur, dicturus caussam de fuso sanguine (non ut Gentilis, nam quid Gentilibus cum illo Consistorio seniorũ de religione tractaturo, & caussas cognituro, ut ita dicam, Ecclesiasticas?) capitis sententiam subiturus. Paret ille Concilio: cui sese sistit: non hoc facturus Gentilis unquam, aut abhorrens à cultu Iudæorum. Imò vero Gentilis non tenebatur, habuit enim, ut loquuntur, exceptionem fori, citanti se sistere Synedrio. Hæc & alia sunt in rebus Herodianis, quæ refellunt sententiam

ſententiam eruditi viri, de gentili Herode, & tum poſteà proſelyto. Erat certè proſelytus, ſed ab ortu primo: ortus proſelyto genitore Antipatro. Non Gentilis, profeſſione: niſi forſan in extremâ ſenectute. Quid mirum ſi proſelytus Herodes, vitam vixit adeò contaminatam? Proſelyti enim veſtri, ait Iuſtinus Martyr, non modò fideles non ſunt, ſed duplo magis quam vos ipſi, (hoc eſt, Iudęi, in quos nunquam proſelyti coaleſcebant) maledictis & blaſphemijs proſcindunt nomen ejus. Et quid ni ob hæc ſcelera à Deo derelicti, & antè & poſt τὴν οἰκονομίαν, εἰς πάθη ἀτιμίας ἐξοκέλλουσι, & cum Herode ij, atque illi cum Herode ſuo, ad omnia impia, atque ipſum declinant Gentiliſmum? quem ille ſanè Gentiliſmum, non ἀπ' ἀρχῆς, ſed firmatus in imperio, procuravit, & promovit in Iudæa.

SECT. X.

Scaligeri & Caſauboni nova opinio de Herode non ἀλλοφύλῳ *ventilatur. 1ª. ratio de Danielis hebdomad. 2ª. Idumæus erat, ergo Iudæus. De Idumæis multa.* ἀλλόφυλος *nunquam ad religionem ſed ortum, refertur. Herodotus, Stephanus, notantur. Strabonis & Ammonij loci duo contra Animadverſorem. Vetuſtiſſimi proſelyti dicti alienigenæ &c. diſtincti nominibus, juribus pleriſque: in quibuſdam conjuncti Judæis. Multa alia obiter.*

CONſtare non poterat de ſceptro Iudæ illa expoſitio Baroniana, niſi eſſet Herodes ille primus à gente Iſraeliticâ alienus. Statuit ergo Herodem alienigenam Cardinalis: neceſſariò ſecundùm rationes ſuas, veriſſimè ex hiſtoricâ veritate. Viri docti, & in literis humanioribus uſque ad miraculum eruditi, cum non probarent, nec injuriâ, vaticinij interpretationem Cardinalitiam, conſectarium illius ſententiæ, de Genere Herodis alieno à Iacob, inconſideratiſſimè convellere ſunt aggreſſi. Euſebius in Chronico, & quoties de nomine Herodē notat ἀλλόφυλον appellat. Et, præter Nicolaum Damaſcenum, qui Herodi χαριζόμενος contrarium ſcripſit, haud, credo, reperitur inter antiquos, qui diverſum ſentiret de Herode. Cum ab illo receſſeris, primus omnium poſt Herodem natum, vir ſummæ & multiplicis eruditionis, in animadverſionibus Euſebianis negat, alienigenam extitiſſe: &, quod utinàm non ſolennitèr uſurparet, in antiquos ſcriptores nimiùm petulans & protervus, contumelijs inceſſit τὸν τοῦ Παμφίλου. Sed fruatur ille genio & ingenio ſuo: Rationum quas adducit vir doctiſſimus, hæc eſt prima: Euſebius in hanc ſententiam deſcendit, de Herode alienigenâ ſcilicet, ut ſcitum illud ſuum de Danielis hebdomadibus, oppidò quidem falſum, tueretur. Nam illas hebdomadas Danielis, in principio imperij Herodiani, Euſebius determinat. Certè quidèm id non uno in loco affirmat. In VIII. Demonſtrat. Evang. cap. II. ita ſcribit. Τοσοῦτος γε ὢν ἀποδείκνυται ἀπὸ τῆς ἀνανεώσεως Ἱερουσαλὴμ ὃ γέγονεν ἐπὶ Δαρείου τοῦ τῶν Περσῶν βασιλέως, μέχρι τῆς Αὐγούστου, Ῥωμαίων ἐπικρατήσεως, Ἡρώδου τε Ἰουδαίων βασιλέως, ἀλλοφύλου τὸ γένος, καθ' ὃς τὸ τῆς γενέσεως ἱστορεῖται τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. *Ille etenim annorum numerus contigiſſe demonſtratur, ab Hieroſolymis reſtauratis, quod factum ſub Dario Perſarum rege fuit, uſque dum apud Romanos rerum Auguſtus potiretur, & Herodes reipub.*

Iudæorum

Iudæorum præesset cum imperio, ortu ille quidèm alienigena: quorum sub principatu Nativitas servatoris commemorabatur. Neque alibi alitèr aut dissentanea scribebat eruditissimus ille & antiquus author. De hebdomadum istarum initio, vel epoche aut complemento, litem nullam intendimus cuiquam: est enim res cum primis controversa, multiplicibus involuta perplexitatibus, & ut videtur non nemini erudito, Herculeus planè ἆθλος, si non insuperabilis. Esto autem, Eusebius in illarum caculo, in sensu & sententiâ, erraverit. An statim sequetur illa omnia, quæ ad illam sententiam, ut nonnullis videtur, perversam & falsissimam attulit comprobandam, etiam in se & separatim sumpta, falsitatis contagione laborare? mirabilis est ista Dialectica; & tamen vir doctissimus sic παραλογίζει. Descendit eo Eusebius, & pronuntiat Herodem alieno genere ortum, quo suam stabiliret opinionem perversam & ridiculam, de hebdomadibus Danielis in Herodis initio, quod falsum est terminatis. Quæ est mera suspicio, & gratis dicitur, cùm nusquã hoc prodiderit Eusebius ipse: nusquã possit ex eo deduci & concludi. Si nunquã Herodem alienigenam vocasset, nisi ubi illam suam opinionem inculcat: in nullũ aliũ finem, nisi ut inculcaret: si semper ubi inculcat opinionem illam suam, Herodem nominasset ἀλλόφυλον, tamen præter inanem suspicionem, vir eruditissimus planè nihil attulisset: Nunc cum nihil horum fecerit ὁ τοῦ Παμφίλου, plus est quam inanis hæc suspicio. Divina illa Dei Dominique nostri αὐτάρκεια, & in Omnes, & super omnia παντοκρατορεία arripitur non semel à multis ad res absurdas construendas, ad illorum deliramenta constabilienda, qui desipiunt in Naturâ ληρωδῶς, in ratione communi παραδόξως, in Theologia ἀλογίστως, dũm chimæras nescio quas & monstra procudunt opinionum. An proindè neganda est omnipotentia, quia rebus ridiculis & absurdis, & tantùm non blasphemis applicatur? an misericordia illa & longanimitas nulla erit, quia trahunt illam in perniciem suam, & abutuntur nonnulli licentiosius? Apagè sequelas tam insanas. Atenim ipsemet Eusebius, quod non fecit tamen, descenderit, esto, in hanc sententiam de Herode dicendò alienigenâ propter alteram illam suam opinionem de Danielis hebdomadibus terminandis; at illi tamen omnes, qui errorem eundem cùm Eusebio non erraverunt, qui in calculo & ratione hebdomadarum illarum, ab Eusebij mente recesseruut, aut forsan de illo sensu ne cogitarunt, quorsum illi alienigenam nominarunt? Omnibus enim ille, ubicunque temporum & ætatum scriptoribus, alienigena & ἀλλόφυλος memoratur, si unum atque alterum neque plures, exceperis: At sententia illa Eusebiana de hebdomadibus, non est adeò recepta, ut saltem communis opinio dici potuerit. Primus, ais, Eusebius illam confinxit. At Eusebio antiquiores patres Herodem ἀλλόφυλον profitentur. Neque enim est illa Eusebij opinio singularis quam tuetur & sequuta est universa antiquitas. Nam vel unicum mihi designet Patrem Scaliger qui Herodem Idumæum, vel Ascaloniten, non alienum à genere Israelis, sed Iudæum prosapiâ & domo dixerit. Atque hæc est illa prima ratiocinatio, suâ futilitate λόγος ἀλόγιστος, & scopæ dissolutæ. Secundò sic insistit Animadversor: Erat Herodes Idumæus & parentibus proselytis ex Idumæâ genitus. Ita Eusebius, & universa pœnè antiquorum cohors, de illius genere statuerunt. Certè pœnè. Neque enim omnes; repugnat Africanus apud Eusebium: repugnat Iustinus, qui Ascaloniten vocant. Sed liben-

M ter

ter acquiescimus in origine Idumaïcâ, & fabulas illas temerè interdum creditas, Morboniam relegamus. Quod si erat Idumæus: alienigena fuit: an non autem? Idumęi enim erant ἀλλόφυλοι: à fœmore & fœdere Iacobi alieni. Imò, inquis, pro Iudæis habebantur Idumæi, ante editum in lucem hunc Herodem. Scimus istud, & attulimus sect. præcedenti. Sed quomodo pro Iudæis habebantur? an ortu? an origine? aut religionis potiùs professione, & sacrorum communium societate? Certum est, & constat: & benè quidem habet quod constet è sacris literis, Esauum illum qui & Edom dicebatur, à quo deducti Idumæi, & Iacobum Iudæorum progenitorem, fratres extitisse uterinos. Dum adhuc in utero versarentur, dictum, *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex te dividentur, populusque populum superabit, & major minori serviet.* Duæ illæ gentes, scis quæ fuerant. Scis quam divisæ & discrepantes, etiam ἄνωθεν, quid in clade Ierusalem Idumæi dixerunt: Quā semper infensi, infesti Iudæis. Potestne fieri, ut divisa, ut quā maximè separata gens Idumæi, pro veris Iudæis censerentur. Coalescunt in unum distincti quandoque populi: uno eodemque imperio, ijsdem legibus & institutis sociati. Castellani, Arragonij, Legionenses, Lusitani, vulgò Hispani nominantur. Est tamen in quo discriminantur. Nos autem Angli genus ἐπίμικτον desijmus esse, qui eramus olim, ut & Romā translati, Albani, Sabini, Hetrusci, alij: vel Româ deducti, in Colonias. Non tamen erant olim dicti Romani, quicunque bellis victi, & in provinciales redacti, Deos, sacra, leges, consuetudines, vel omnino vel partem maximam receperant. Nos ipsi, qui sub uno jam tandem Rege, non rosis tantummodo sed regnis coünitis, in Gentem & imperium unicum, gloriosissimè σὺν Θεῷ coaluimus, quibus eadem sacra, religio, cultus, Deus, nationibus, distincti, ortu & stirpe discriminati sumus, Angli, Scoti, Walli, Hiberni, ne ad insulanos ultra descendamus. Profectò, quicquid olim de religione fuerat; de sacris & ritibus Legalibus: de Proselytis, ἐπιμίκτοις, Georis, Samaritis: sanguis tamen illibatus omnino, & generis origo custodiebatur. Tabulæ enim genealogicæ apud illos extabant, quibus tribus distinctæ conservabantur, tribuum familiæ & hæreditates discriminatæ: Georas, Gerim, ἐπιμίκτους, ξένους Samaritanos exactissimè, & Rechabitas interdignoscebant: propter opinionem illam de nobilitate. *Nos* inquiunt, *sumus filij Abraham:* tum etiam ob promissum olim redemptorem de Israele, & non aliundè progerminandum. Subegit Idumæos, quod testantur sacræ literæ, & fecit vectigales Rex David. Subjugati servierunt regibus Iudæ per annos plus minùs centum quinquaginta, usque ad Iorami principatū. Liberi permanserunt, excusso Iudæorum jugo, subjecti interim Assyrijs, Babylonijs, Seleucidarum principibus, χαχοὶ semper γείτονες Iudæis, usque ad Iohannem Hyrcanum Simonis filium Assamonæum, per annos pręter propter octingentos, quando iterum subjugati, cum imperio ceremonias & sacra Iudæorum, inviti primò, deinceps, ut videtur, volentes & animo lubentissimo etiam susceperunt. Hæc subjectio, & susceptio religionis Iudaïcæ, est illa Helena, quæ doctissimos viros adeò dementavit, ut propterea Iudæos eosdem dicendos, & minimè Idumæos contenderint. Ut confirmet hanc μετάθεσιν eruditissimus animadversor, Iosephi Historici locū adducit in medium, illū quem nos paulò priùs recitabamus ipsum ex Antiquit. XIII. XVII. quam ipsius ex illo loco argumentationem, magis nos reddidimus efficacem, prolatis

in

in medium, ex eodem Iosepho, quæ pro sede atque arce religionis suæ, urbe nimirum Hierosolymitanâ, perfecerunt, sedibus exciti πατρῴων. Inde enim constat, Idumæos semel circumcisos, & legem Mosaïcam amplexatos, adusque Iudæorum desolationem, & cladem per Romanos illatam urbi, sacris, politiæ, ad antiquos mores ac Idolomaniam non reversos, sed per annos pœnè ducentos, circumcisionem admisisse. Sed ista ipsa sic confirmata, Fumi meri sunt & insomnia. Nisi velimus dicere, ἀλλοφυλίαν non ad sanguinem & originem generis, sed cultum religionesque pertinere. Et alienigenam esse illum qui fidem alienam & religionem diversam profitetur: non illum, qui ab aliâ natione advenit, aut de genere descendit minimè conjuncto nobiscum societate. Apud authorem historiæ Macchabaïcæ illi homines Belial qui in ritus & religionem gentiles (Iason puta, Alcimus, Menelaus) consenserant; cum forent Israelitæ, & γένους etiam plerumque ἱερατικοῦ, erantne per te ἀλλόφυλοι nominandi? erant certe. At Πολλοὶ ἀπὸ Ἰσραὴλ, ait ille, εὐδόκησαν τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ καὶ ἔθυσαν τοῖς εἰδώλοις, καὶ ἐβεβήλωσαν τὸ σάββατον. *Multi origine Israelitæ in illo cultu sibi complacuerunt, & idolis sacrificarunt, & sabbathum profanarunt.* Vocat ecce illos Israelitas, qui tamen defecerant à cultu patrio, &, quantum pertinebat ad religionem, erant Gentiles puri puti: quemadmodum ille olim quem Phinees interemit adulterantem, & animo & corpore Israelita. Certè rectè non appellant ἀλλοφύλους. Nam alienigena ille est & non alius, qui de genere ortus alieno, ἐκ τῆς ἄλλης φυλῆς, nihil ad cognationem pertinebat, vel ad prosapiam Israeliticam. Atque ita παρωνύμως Theodoretus (qui quid esset ἀλλόφυλος æque intelligebat, ac quivis è Grammaticis literator,) ἐκ τῆς ἄλλης φυλῆς βασιλέα, *Ex aliâ tribu regem:* dum appellat alienigenam, rectè dixit imperâsse, cum Iacobi vaticinium inciperet adimpleri. Socrates ille Sophronisci, cum Deos alios, & alienos, καινὰ δαιμόνια, introduceret, & non solum introduceret, sed obitis etiam sacris ipse coleret, non ideò ἀλλόφυλος apud Athenienses, verborum quàm rerum studiosiores, censebatur: non ut alienigena ejiciebatur foras: sed ut Atheniensis causam suam dixit, Iudicio capitali postulatus. Gallus non dicitur è Bataviâ oriundus, qui Missarum solennibus Lutetiæ intererit vel Aurelijs: neque Batavus censebitur Galliâ profectus aut Italiâ, qui se Hagæ vel Leidæ in Hollandiâ, Ecclesijs Protestantium copulaverit. Angli sunt Duaci, vel Vallesoliti, aut etiam Romæ, professi Religionem Christi Catholico-Romano ritu, etiam societati initiati, etiam quatuor vota professi in societate, licet nomina baptismalia renuntiaverint: sunt enim sanguinis non professionis ista, Anglus, Gallus, Italus, Veronensis, Batavus. Professio non extinguit characterem generis, neque cum mutato vitæ aut religionis instituto, cognatio & origo immutatur. At secundùm rationes eruditi viri, Angli non essent qui sunt ingressi religionem: neque ortu Veronenses in Hollandiâ, professi religionem Catholico-Protestantium. Apud Herodotum legimus Musa III. Μόνοι πάντων ἀνθρώπων Κολχοὶ καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ᾽ ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύροι ἐν Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ᾽ Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Colchi, Ægyptij, ac Æthiopes, soli inter omnes circumcidebantur ab initio. Nam Phœnices & Syri qui Palæstinam incolunt, ab Ægyptijs se fatentur accepisse.* Falsum multipliciter quod Herodotus affirmat. Non enim illi soli circumcisi ab initio. Imò ne ab initio circumcisi. Falsum, hunc morem circumcidendi ab

ab Ægyptijs vel Æthiopibus, vel Colchis permanâſſe ad Iudæos. Multò magis falſum quod adiungit, *Ipſos hoc Iudæos confiteri.* Non fatentur. Non falſi fuerunt aliquando, quod ille fabulatur, neque unquam faſſuri ſunt, quin contendunt vehementiùs & veriſſimè, apud Ipſos olim, Ipſos primos, Ipſos ſolos in uſu fuiſſe τὴν περιτομὴν: atq; eam ob cauſſam diſtinctionis gratiâ, dictas olim Gentes, *incircumciſas.* Sed iſta non ſunt præſentis inſtituti: illud eſt autem, Colchos, Æthiopas, Ægyptios alienigenas ſemper habitos, & fuiſſe revera alienigenas, non obſtante illo τοῦ περιτέμνεσθαι, neque ὁμοφύλους fuiſſe appellandos propter uſurpatam hanc maximè Illuſtrem Iudæorum ceremoniam & ſacramentum, imò ne quidem propter omnes ritus ſacros adhibitos & profanos. Quocircà & ſacrarum literarum paginæ, paſſim commemorant *alienigenas, advenas, peregrinos*: non de Iacob, non de Iſrael; qui tamen vivebant ſecundùm Moſen, & venerabantur Deum Abrahami, Iſaci, & Iacobi. Qui per pactum æternum, ſponſionem illam fœderis Circumciſionem, inſerti erant populo promiſſionis. Et niſi id eſſet ita in Naturâ rei, haud ulli unquam fuiſſent proſelyti, Georæ, ἐπίμικτοι, ξένοι. Vacillat iccirco doctiſſimi viri diſputatio, etiam tum ubi nimium, ut ſolet, confidenter νεανιεύεται καὶ ἀγαζονεύεται ita inquiens, *Quare fruſtra Herodem alienigenam Euſebius vocat, qui patre & avo Idumæis, & proinde Iudæis, prognatus erat. Proindè Iudæis?* φιμωθήτι vir erudite. Componis ἀσύστατα. *Proindè non Iudæis,* verum eſt. Et certè non magis proindè Iudæis, quàm proindè Colchis, Ægyptijs, aut Æthiopibus. At enim verò Stephano Bizantino οἱ Ἰουδαῖοι vocantur Ἑβραίων ἔθνος. At Euſebio, Africano, & ſanctis Patribus, Idumæi diverſi ſunt ab Hebræis. Stephanus autem Byzantius ſanctis Patribus collatus πρὸς παρὰ λύδιον ἅρμα quod dici ſolet, nullo in numero haberi debet. Secundò, non eſt illud forſan à Stephano profectum, doctiſſimo Grammatico, ſed ab ejus ſemidocto mutilatore Hermolao: citat enim τῆς Ἰδούμης derivationem, quod non ſolebat Stephanus Paganus, cultu & profeſſione, è ſacrâ paginâ, quod conſtat in vocibus Ἑβραῖοι & Ἰουδαῖοι. Nunquam enim vir doctiſſimus, ſi ſacras unquam literas ſalutaſſet tam ſuaviter deliraſſet, ac delirat ille. Ἰουδαία. Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ ἀπὸ τῶν παίδων τῆς Σεμιράμιδος Ἰούδα καὶ Ἰδουμαία (forte Ἰδούμα) ὡς δὲ Κλαύδιος Ἰόλαος ἀπὸ Ἰουδαίου σπάρτου ἀπὸ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐκστρατεύοντος. *Alexander Polyhiſtor cenſet Iudæam appellatam à liberis Semiramidis Iudâ & Idumâ. Claudius autem Iolaus à Iudæo Spartorum uno, qui Thebis profectus, Bacchicæ expeditionis comes extitit.* Stultè & ridiculè, Alexander. Quid liberis Semiramidis cum Iudæâ? quæ per multa, poſt Semiramin ſæcula Iudæa non dicebatur? quid cum Idumâ, vel Idumæa? At quod Claudius ille tradidit de authore gentis Iudææ portentoſo, è dentibus orto ſerpentinis, quos, ut eſt in fabulis, occiſo Dracone diſſeminavit & mandavit ſulcis, non ſolum ſtultum ſed blaſphemum debuit erudito Animadverſori videri: ut non tam libenter in Idumæis ad Stephani confugeret authoritatem. Qui non minus fœliciter verſatus eſt in Hebræorum deducenda originatione ab Abrabone neſcio quo, ſecutus Lampſacenum Characem; ubi nec ratio nominis aut analogia, nedum veritas & hiſtoria obſervatur. Auguſtinus aliquando, & Artapanus antiquus author apud Euſebium Lib. προπαρ. IX. cap. ult. Hebræos quaſi Abraæos dictos volunt ab Abramo, qui certè omnium primus Gen. XIIII. XIII. *Hebræus* dicebatur: & huc procul dubio alluſit Charax, quem delirans delirantem Stephanus, ille claſſicus

Animadverſoris

Animadverſoris author, ſequutus eſt. Cujus quanti ſit authoritas facienda, hæc nominum ſacrorum portentoſa derivatio, & ridicula ἀνιστορησία declarat. Sed tertio reſpondemus cum exercitatore, cui hæc Scaligeriana figmenta placuerunt, & Straboni Idumæos cum Iudæis numeratos, quatenus Idumæa dicitur eſſe pars Iudçæ, unde ἀνὴρ ἐπιχώριος Herodes ille Idumæus. Certè ſunt confines illæ regiones: utr. que Synæ, utræque conjunctæ: nam ut Plinio notatum, *Supra Idumæam & Samariam, Iudæa longè latéque funditur*; ut ſit nihil mirum, ſi, qui vel non omnino, vel parum in ſacris literis erant verſati, Iudæos confuderint & Idumæos. Advocatur in ſubſidium Ammonij authoritas: qui non exceſſit ferulam Grammaticalem. Iudæi, inquit, differunt & Idumæi, quemadmodũ affirmat Ptolomæus Aſcalonita in primo ſuo libro de Rege Herode. Ἰουδαῖοι γάρ εἰσιν οἱ ἐξ ἀρχῆς φυσικοί: Ἰδουμαῖοι δέ τὸ μὲν ἀρχῆθεν οὐκ Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ φοίνικες καὶ Σύροι: κρατηθέντες δ' ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀναγκασθέντες περιτέμνεσθαι, καὶ συντελεῖν εἰς τὸ ἔθνος, καὶ τὰ αὐτὰ νόμιμα ἡγεῖσθαι, ἐκλήθησαν Ἰουδαῖοι. *Iudæi ſunt, ab initio Naturali ſic appellati: Idumæi ab initio Iudæi non erant, ſed Syri & Phœnices: victi autem à Iudæis, circumciſionem ſuſcipere coacti, & in rempub. cum ijſdem convenire, ijſdemque legibus & inſtitutis ali, vocati ſunt Iudæi.* Quæ ad iſtum modum ſcripta ſunt ab hoc Grammatico, commentum refellunt Scaligerianum. *Vocati ſunt*, ait. Non erant tamen. Multa dicuntur quæ non ſunt. Non erant φυσικῶς, & ἀπ' ἀρχῆς. De naturâ rei quæritur non vocis uſu: & tamen etiam ſunt dicti Idumæi, apud ipſum Ptolomæum, Ioſephum, Strabonem, Plinium, poſtquam vocati Iudæi. Alienigena ἀλλόφυλος, qualis erat Herodes, τὴν φύσιν reſpicit, non τὴν θρησκείαν. Φύσει non erant Iudæi Idumæi: id affirmat Ammonius διαῤῥήδην. Vocabantur Iudæi. Non ſemper tamen: non ab omnibus: non indiſtinctim & notione generali, ſed tantummodò reſpectu profeſſionis æquè atque gentis. Et, ubi nomen gentis, ſi Caſaubono fides, vel ſtrictiùs vel latè accipiebatur. Turcæ ſunt hodiè, gens una, certa, & determinata. Turcas tamen appellamus, quicunque de quâcunque natione, abnegato redemptore Ieſu Chriſto, impuri nebulonis & impoſtoris Maometis blaſphemias amplectuntur; quos tamen ipſos, Italos, Croatas, Anglos, Epirotas, Gallos, Hiſpanos, ſcimus, nominamus & profitemur. Falſum ergo quod ſubjungit doctiſſimus aſſertor: *Vides ergo à quo tempore Hyrcanus ſubegit Idumæos, non ampliùs Idumæos ſed Iudæos vocatos, & pro veris Iudæis habitos fuiſſe.* Falſum inquam: veri enim Iudæi, ſunt φυσικοί. At nunquam ſunt habiti hoc modo Idumæi pro Iudæis. Falſum ſic vocatos ab eo tempore. Plurimi enim authores ab illo tempore, de Idumeis & Idumæâ fecerunt mentionem: nulli unquam nominarunt Iudæos omnino; aut producat nobis aliquem, librorum omnium helluo, qui ſepoſito reſpectu profeſſionis Idumæos Iudæos vocavit, nedum agnovit pro Iudæis veris, hoc eſt, ab Abrahamo, Iacobo, Iuda oriundos. Iam verò qui quenquam alienigenam dixit, niſi eum qui de gente & cognatione eſt alienâ, adhuc deſideramus ut oſtendat eruditiſſimus Animadverſor. Veteres certè & recentiores omnes cum ἀλλόφυλον tum etiam alienigenam, pro externo, extraneo, à cognatione non à ſacris alieno & pietate, uſurparunt. Citant è Plutarcho in ſympoſiacis; Καθάπερ ἐν πόλει μιγάδων καὶ συγκλύδων ἀνθρώπων πλῆθος οὐ ῥᾳδίως μίαν οὐδὲ ὁμοπαθοῦσαν ἴσχουσαι κατάστασιν, ἀλλ' ἑκάστη πρὸς τὸ οἰκεῖον ἀντιτείνουσα, καὶ δυσέμβατος οὖσα πρὸς τὸ ἀλλόφυλον. οἰκεῖον, hoc eſt, patrium, opponit ἀλλοφύλῳ alienigenæ, & externo: quomodo vocat Gellius

Lib. v. cap. xiij.

Gellius *vinum* illud, quod non domi natum ſed advectum aliunde fuit. Quemadmodum & Cicero ſemel atque iterum *domeſticum alienigenæ* opponit: & in ſecundo de Legibus ait, *Deos alienigenas coli* (hoc eſt, peregrinas & exoticas, & externas religiones induci) *confuſionem habet religionum.* Quocirca Lucretius unâ eademque paginâ, nempè XXVIII. edit. Gifanianæ, quater aut quinquies, partes, & res *alienigenas*, diſtinctas, diſſimiles ἀνομοιομερεῖς & ἀνομοιογενεῖς appellavit. Et certè nemo unquam alienigenam dixit, niſi qui de genere externo, de origine diversâ deſcendat & propagetur. Nemo unquam Herodem Idumæum domo, quia erat circumciſus, quandocunque tandem circumcidebatur, Iudæum dixit aut debuit dicere, vel de femore Iacobi oriundum. Id enim dicendum eſt de Herode, ſi modò Iudæum, propriè loquendo, appellabimus. Nunquam enim ἀλλόφυλος vel alienigena, quod ſæpiùs iteravimns, vel doceant eruditi ubique de profeſſione & ſectâ, enuntiatur. Ludit autem & illudit Lectorum patientiæ vir eruditus, ſi contendat Herodem non fuiſſe dicendum alienigenam, propterea quod fuerat circumciſus: quaſi penitus ceſſaverit Idumæi vocabulum, aut uſus nominis proſelyti nullus fuiſſet in populo Dei, cum qui cultum divinum amplexarentur, Iudæi deberent, & non proſelyti nominari. Sed poſt Hyrcani tempora illius gentis triumphatoris, Idumæi, populus: Idume regio, id quod nonnullorum teſtimonijs diximus, dicebatur. Hoc non debebat eſſe, cum ex vi edicti Scaligeriani, Iudæi gens, regio ipſa Iudæa dicenda foret. Neque aliter loquutus eſſet Ioſephus, moris patrij, & conſuetudinis tam receptæ callentiſſimus. Verùm ille Hiſtoricus contrarium facit. Antiq. XIX. VII. ait Herodem aliquando Iudęis iratum, voluiſſe σφενδονᾶν τὰς τῶν ἀλλοφύλων πόλεις: inter urbes autem alienigenarum nonnullas Idumaïcas enumeravit. Argumento certiſſimo, quo in loco, doctiſsimus Hiſtoricus, Idumæam haberet nationem. Qui ſi ſcripſerit, quod verum eſt, Herodem fuiſſe Idumæum ortu, non aliter profectò de Herode ſentiebat, quàm de alienigenâ & peregrino. Fruſtra igitur vir illuſtris gloriatur de Ioſepho, quòd Herodem ἀλλόφυλον non appellaverit. Quid ſi voce illâ non eſt uſus Ioſephus, ſcripſit tamen quod æquivaleret ἀλλοφύλῳ per conſequentiam neceſſariam. Et qui contra Nicolaum Damaſcenum contendit de genere & ortu Herodis Iudaïco, qui primus & princeps extitit, ſine ſectatoribus, iſtius hæreſis αὐτοσρήτε Patriarcha, quid aliud ſentiret quàm fuiſſe alienigenam? & ſi vel per ſomnium illi olim ſubiiſſet cogitatio, extituros quandoque viros eruditione præſtantes, qui tam abſurdam & exploſam & derelictam ab omnibus opinionem eſſent propugnaturi, ῥητῶς ille vir, καὶ αὐτολεξεὶ, ἀλλόφυλον proculdubio nominâſſet. Sed adhuc inſtat, & veluti gloriabundus quærit, Quis unquam vetuſtiſſimos proſelytos, alienigenas audijt nominari? Et quis unquam Iſraelitas appellari audijt, Rachab, Ruth, Iethro, Ionadab, eos qui profecti ſunt ex Ægypto? qui ſecutis temporibus acceſſerunt ad ſacra, & religionem Iudæorum? Heſychius diſtinguit in Γειώρας ἐξ ἄλλου γένους τοῦ Ισραήλ. *Genere diverſo ab Iſraele* Africanus etiam diſtinguit apud Euſebium: quem licet contemnat Animadverſor, eſt ille tamen *aliquis*, velit nolit. Scriptura diſtinguit, dum peregrinos, & advenas ab Iſraele diſtinctione interpoſitâ aliquoties ſeparat; & Gherim, προσηλύτους paſsim appellat. *Advenas in portis. Peregrinos in terrâ.* Dum toties commemorant in lege ſacræ literæ, te quæſo

vir

vir doctiſſime,quos voluit deſignare Spiritus Dei ſanctus,an non vetuſtiſſimos proſelytos? *Civis & peregrinus*, opponuntur, Levitici 24. verſ. 16. 22. Num. 15. 30. Deut. 1. 16. *Advenæ & peregrini* conjunguntur, Num. 25. 15. 37. *Indigenæ & peregrini opponuntur*, Num. 15. 13. *Vxores peregrinæ* commemorantur ſæpiùs: & *Advenæ in Iſrael*, credo centies. Quos tu vetuſtiſſimos proſelytos dixeris, ſi quicquam dixeris, neceſſe eſt, & à ſanguine Iſraelis disjunctiſsimos, atque ſeparatos in æternum. Nomen proſelytus non occurrit; eſt enim origine illud nomen, Grecum. Neq; tu de nominibus ſed re, contendis nomini Gerim, proſelyti, advenæ, peregrini, ſubjectâ opinor. Quos cum his nominibus inſignitos legeris, mirari non poſſum certe ſatis ſcriptum inconſideratiùs illud, vetuſtiſsimos proſelytos non vocatos alienigenas. Sed & proſelytos dictos alienigenas illos reperies non ſemel vetuſtiſsimos, 1 Paral. 22. 2. *Et præcepit David ut congregarentur omnes proſelyti de terrâ Iſrael: & conſtituit ex ijs latomos, ad cædendos lapides.* Septuaginta verterunt προσηλύτους quod eſt Hebraïcè גרים. Sic II. Paralip. cap. XXX. XXV. καὶ οἱ προσήλυτοι οἱ ἐλθόντες ἐκ γῆς Ἰσραὴλ, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰούδα. *Et proſelyti venientes è terrâ Iſrael, & qui Iuda incolebant.* Quibus verbis non alij ſignificantur, quam converſi ad Iudaïſmum de alijs gentibus: qui dicuntur alibi, *peregrinæ, advenæ, alienigenæ, alieni à ſanguine Iſraelis:* & interdum κατ' εὐφημισμὸν, *Timentes Deum.* Id quod apertius adhuc videre eſt apud Ezechielem XIIII. VII. ubi proſelyti dicuntur advenæ, & opponuntur Iſraelitis ſecundum carnem & cognationem Iacob. *Quia homo*, ait vates, *homo de domo Iſrael & de proſelytis; quicunque advena fuerit in terrâ Iſrael, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola in corde ſuo*, &c. Religionem Iudaïcam & Deum profeſſi Iudæorum, proſelyti nominantur vati ſacro: advenæ dicuntur ab eodem, & oppoſiti componuntur cum Iſraelitis. Neque verum eſt quod ſomniant viri eruditi, proſelytos deſinere proſelytos eſſe & appellari. Diſtinguebantur nomine & appellatione: diſtinguebantur jure, & conditione. De Nominis differentiâ jam ſatis diximus: & conſtat paſſim per ſcripturas. Levit. XVII. hæc διχοτομία obtinet: *Homo de filijs Iſrael, & de advenis qui peregrinantur inter vos.* Non ait advenæ, hoc eſt, ipſi converſi, ſed de advenis: deſignans poſteritatem, & Natos natorum, & qui naſcebantur ab illis: quales erant ij quos latomos conſtituit Salomon ad domum Domini ædificandum, qui ſummam immanem conficiebant ineunte ratione Salomone: nimirum 153600 virorum robuſtorum, non annumeratis ſenib⁹, pueris, aut mulieribus. Neq; ſolum nominibus & proſapijs diſtinguebantur, ut nunquam dicerentur Iſraelitę vel Iudæi, ſed jure, ut diximus & conditione. Neq; obſtat quod dictum ſit, Exod. XII. *Eadem erit lex advenæ & colono*, hoc eſt, Iſraelitæ & proſelyto: nec quod ſcriptum Num. 35. *Tam filijs Iſrael quam advenis atque peregrinis.* Nam imprimis hæc ipſa teſtimonia confirmant diſtinctionem Iſraelitarũ & proſelytorũ, etiam per deductas à capitibus ſuis genealogias. Secundò cum per exceptionem hęc dicantur, ſatis indè conſtat id quod diximus, nequaquã æqualibus privilegijs utroſq; olim gaviſos, ut illi volunt; ſi enim per omnia æqualibus, quid opus omnino his exceptionibus? Tertiò igitur dicim⁹, in quibuſdã caſibus ex Dei ſpeciali indulgentiâ, converſis ad Iudaiſmum populis ęquales quaſdã conceſſas immunitates: comedebant paſchalẽ agnũ ex ęquo utriq; Ex. 12. juſtitię & legũ beneficijs, quantũ ad judicialia, fruebantur ex ęquo.

Levit.

Levit. XXIIII. *Æquum erit judicium inter vos, ſivè civis, ſivè peregrinus peccaverit.* Civitates refugij in cauſsâ fuſi ſanguinis, æquè peregrinis ac Iudæis patebant, Num. XXXV. Non erant æquales in honoribus adeundis; à multis excludebantur διαῤῥήδην. Filij Iſrael ſi ſe venderent aut venderentur, ſervitus durabat uſque in annum ſeptimum remiſſionis, Exod. XXI. & Deut XV. vel ad annum quinquageſimum jubilæi Levit. XXV. Contra tamen legimus de proſelytis. *Servus & ancilla ſint vobis de nationibus quæ in circuitu veſtro ſunt: & de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terrâ veſtrâ, hos habebitis in famulos & hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros; fratres autem veſtros, filios Iſrael, ne opprimatis per potentiam, ſed dimittite eos in jubilæo.* Non gaudebant privilegio remiſſionis debitorum. Deut. XV. I. *Septimo anno facies remiſſionem. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit, quia annus eſt remiſſionis Domini. A peregrino & advenâ exiges: civem & propinquum, poteſtatem repetendi non habebis.* Iudæi non poterant dare invicem ad uſuram: dare tamen poterant proſelytis. Poſtremo ab honoribus & Magiſtratu gerendo: à matrimonio contrahendo: & multis alijs privilegijs excludebantur, niſi forſan per gratiam ſpecialiorem: aut principum interdum indulgentiam: in eum nempè finem, ut perpetuis temporibus, per involvola figurarum & typorum, Gentium olim illam ὑιοθεσίαν & inſititionem. Deus optimus, maximus multifariam declararet. Poſſem hanc ego δρῶ ulterius βασανίζειν: Sed abundè eſt ad illam vaniſſimam viri docti ſententiam refellendam, de proſelytorum ἰσοπολιτεία, & æquali per omnia cum Iudæis conditione, in eum finem, ut Herodem indigenam opinaremur, & vaticinij eventum eluſum olim, Chriſtianam pietatem vacillantem admitteremus: quam rectiſſimè Serarius reprehendit olim opinionem inanem & ineptam, licet forſitan aſperius quam decebat, virum doctiſſimum undecunque.

SECT. XI.

Contra exercitatorem de eadem quæſtione diſceptatio. Liquido loquantur veritatis ſtudioſi. Strabo labitur. Explicatur. Ludit in homonymijs exercitator, & in circulum revolvitur. Lapſus in origine Idumæorum. Locus Deuter. 23. 7. explicatus. Iuſtinus contra Scaligerum defenſus. Explicatus, emendatus.

MIrari ſatis nequeo quomodo ſententia tam inconcinna, & ab omni antiquitatis aſſenſu prorſus aliena, viris placuerit tam exactè eruditis, Scaligero & Caſaubono τῷ μακαρίτῃ. Novus enim ille antagoniſtes prodijt univerſæ antiquitati bellum indicturus, & quod nollem, neq; enim is videri unquam voluit aut præ ſe tulit, τῆς καινοτομίας hyperaſpiſtes. *Omnino*, inquit, *ſi verum quærimus & propriè loqui volumus, Herodes alienigena non erat ſed Iudæus, ut graviſſimus ſcriptor illorum temporum ipſum appellat Strabo.* Veritatem quærimus, vir erudite, & per omnes angiportus inveſtigamus, κτῆμα πάντων τιμαλφέστατον, & propriè, hoc eſt, evolutè loqui deſideramus, φανερὸν γὰρ τὸ πρόσωπον τῆς ἀληθείας, quam obſcurant plerunq; ἀμφιβολογοῦντες, dum decipulis innituntur homonymiarum. An verò, vir doctiſſimè, tibi

legem

legem dixeris, penes auditorium esto & ψῆφος & sententia, in sequentibus. Id enim, ut admoneam in principio disceptationis, Achilleum est in hac caussâ tuâ, ut per vocis Iudæi indistinctas notiones inattento lectori illudatur. *Iudæus erat*, inquis, *Herodes, & dicebatur*. Iudæum intelligimus ortu & prosapiâ: non autem cultu & professione. Neque enim quæritur, de religionis, saltem ἐν τῷ φαινομένῳ, professione. Verè etenim contendimus contra Cardinalem Annalistam, proselytum fuisse ab origine, ortum parente, saltem altero, proselyto. Utrum verò circumcisus fuit octavâ die, secundùm præscriptum circumcisionis, an verò in ætate maturiore, quod velle videtur, apud Animadversorem Epiphanius, non est tanti, ut ob id ille litem doctissimo patri intendere deberet. Iudæum fuisse docet Strabo. Magnum narras authorem, & illorum temporum. Sed an Iudęum ortu? an professione? an cum Iudæum narrat, alienigenam docet? Id enim exigendum, si propriè loqui volueris & veritatem quærere delitescentem. Non id ait Strabo, non horum quicquam: tantummodo Herodem vocat ἄνδρα ἐπιχώριον, & Pontificem item summum, *ille magnus & gravissimus illorum temporum scriptor*. In quo si crassam prodiderit ignorantiam, quidni item in illo altero ejusdem sententiæ membro, de patriâ Herodis & origine? Verba autem Strabonis ista sunt, tuæ edit. pag. 526. ὕστερον Ἡρώδης ἀνὴρ ἐπιχώριος, παραδὺς εἰς τὴν ἱερωσύνην, τοσοῦτον διήνεγκε τῶν πρὸ αὐτοῦ, καὶ μάλιστα τῇ μετὰ πρὸς Ῥωμαίους φιλίᾳ καὶ πολιτείᾳ, ὥστε καὶ βασιλεὺς ἐχρημάτισε. *Posteà Herodes vir indigena, cum in sacerdotium se subintrusisset, tantum ijs quidem præstitit qui ipsum præcesserant, Romanorum amicitiâ & familiaritate subnixus, ut Rex quoque fuerit appellatus*. Vocat autem ἐπιχώριον, fortassis quod Iudæum existimaret: in quo non mirum est si fefellerit hominem Cappadocem & pereginum ratio: neq; magnum est, cum turpiter hallucinatus Pontificem prodiderit. Aut potiùs vocat ἐπιχώριον quod in eâ regione natus erat Antipatro parente, proselyto, & Hyrcani Pontificis familiari. Quomodo ἐπιχώριος, & Ἰουδαῖος non sunt synonyma, quod retur Exercitator. Quod si verò natus esset in Idumæâ: vel sic tamen dici posset ἐπιχώριος: cum utraque regio Iudæa & Idumæa Syriæ censeretur esse, & Idumæa Straboni in Palestina. Opponuntur Iudæi & Proselyti. Nec aliud contendimus bone vir. Oppositorum ea est conditio, ut unum nequeat esse alterum, servatis legibus oppositorum. Iudæi autem duplices. Sunt verò, *& qui nascebantur de semine Abrahæ*. Et hoc est propriè Iudæi, an non? *Et qui fiebant Iudæi*. Hoc est impropriè, & quadantenus. Neque enim propriè fieri possent, nisi nascerentur. Dixisti modò *si propriè loqui volumus, non est Herodes alienigena*. Est ergo de semine Abrahæ. Et certè est. Ita propriè & omni modo Iudæus. Ita non est opus Hyrcani circumcisione; aut proselytismo, & illa circumductione: nam rectâ descendit ex Abrahamo, per Esauum scilicet Isaaci. Hoccine vir docte est veritatem amare, & propriè loqui velle? Quantus quantus hic Casaubonus est, certè totus est in istis ex homonymijs & æquivocis conflatus. Iudæi propriè non sunt, qui ex Abrahamo descendunt omnes: sed soli qui ab illo erant. Per Isaacum, filium illum promissionis derivati. Neque omnes deducti ab Isaaco, nisi per Iacobum illum benedictum. A quo si Herodem narraveris descendisse, mirabimur confidentiam; & cum Iosepho Iudæorum historico, te cum Nicolao Damasceno recensebimus. Factus est

N Iudæus.

Iudæus. Non litigamus. Natus eſt Iudæus. οὐδὲν ὑγιές. *Proſelytus, Iudæus* opponuntur. Sed Iudæus natus, non factus. αὐτόματος γὰρ iſte προσήλυτος. Si duplex Iudæus in oppoſitione, cur non duplicem commemoras proſelytum? id ratio volebat oppoſitionis. Id verò cùm ridiculum eſt, tum etiam ἀδυνάτων τι. Iudæus, Turca, Tartarus, ſacris noſtris ablutus & initiatus, Chriſtianus fit & dicitur. Ecquis repugnat? ſed an Gallus fit? an Italus? vel Germanus? Chriſtianus, nomen eſt non Naturæ ſed Gratiæ. Non naſcimur ſed renaſcimur Chriſtiani. Et συκοφαντοῦμεν ὃ φοροῦμεν, ἔργοις τῇ κλήσει μαχόμενοι. *Calumniamur id quod ferimus operibus, ſi cum vocatione pugnamus*, ait Pater, quod in Patronymicis non facimus. Iudæus, Turca, ſunt in ambiguo: ſi de ſanguine intelligis, μελαγχολᾶς. Si de profeſſione, πρὸς ἔπος οὐδέν. Ut nec illa quæ è Targum & Libris Rabbinorum indicantur. Benè habet quod juris aliquam differentiam, inter γνήσιον Iudæum & proſelytum ſtatueris: Immanem priùs ſtatue Nativitatis, hoc eſt, propriè Iudaiſmi, ab ἀλλοφυλισμῷ: nam niſi ſtatueris, illa nihil erit. Sed benè inquam habet quòd ſtatueris: nam diſtinguis ut diverſa, quæ non poſſunt eſſe eadem, & Herodem una operâ alienigenam facis, ſi non ſit inter γνησίοις Ἰουδαίοις reponendus. Sed fatali inconſtantiâ, in circulum revolveris, & γνησίως Iudæum contendis eſſe. Ita enim erant Sabini, Volſci, Latini, Æqui, in Romanam recepti civitatem. Neque enim Appius ille Clauſus, ullâ re inferior Valerijs fuerat, Fabijs, Iulijs, aut cæteris patricijs qui ab ipsâ origine Civitatis allecti fuerant in Senatum. Pari conditione proſelytos in repub. verſatos olim Iudæorum tu nunquam probaveris, vir eruditiſſime; nos jam contrarium è ſcripturis teſtatum dedimus. Nunquam aio, ne quidem proſelytos Idumæos. Idumæis etenim prærogativas quaſdam & præeminentias indulſit Dominus Deus, de quibus extat præceptum apud Moſen Deut. XXIII. VII. *Non abominaberis Idumæum qui frater tuus eſt.* Certe frater: non animo tamen utcunque utero. Eſau & Iacob fratres erant, ſed in utero diſcordantes diſparatique. Eſau Idumæos propagavit (Nam illa non digero, ſunt enim διάπεπλα, *propago Iſmaelis filij Abraham*: quaſi non ab Eſauo Idumæi qui & Edomitæ, ſed ab Iſmaele deſcendiſſent) à Iacobo Iſraelitarum tribus propagatæ, quarum omnium reliquiæ & portiunculæ, poſt illam Babylonicam μετοικεσίαν, à regiâ tribu, dicebantur Iudæi. Fraternum illud odium in radicibus gentium ad poſteritatem omnem diffundebatur. κακῆς ῥίζης κακὸν βλάστημα. Neque hoſtes magis infeſtos aut infenſos alios, quàm Idumæos, vicinam ſibi gentem & affinem, Iacobi poſteritas experiebatur. *In die Ieruſalem dicebant, exinanite, exinanite, uſque ad fundamenta in ea.* Quod ſi propter mandatum illud, Idumæi majoribus gaudebant privilegijs, quàm alij ex alijs nationibus proſelyti, non tamen tantis, ut ad jura Quiritium, hoc eſt, Iudaïſmum tranſirent, & ἰσοπολιτείαν, nedum, nomen, genus, originem, Iudaïca, ut deinceps non ἀλλόφυλοι ſed Iſraelitæ, hoc eſt, γνήσιοι, Iudæi vocarentur. Sed profectò *non abominari* non eſt, quantum ego ſcio, honorare. Multo minus ita honorare ut per omnia adæquentur indigenis, & Iudæis. Plus indultum Idumæis quàm Moabitis: non tamen plus quàm Ægyptijs erat. Qui dixerat, *Edomæum non abominaberis quia frater tuus eſt*, ille idem ibidem quòque dixit, *Non abominaberis Ægyptium, quia peregrinus fuiſti in terrâ Ægypti.* Ita pari paſſu hic incedunt, peregrînus Ægyptius & Idumæus. τὴν ἀντιπελαργίαν docent iſta, & dilectionem mutuam

inter

inter fratres : commentum eſt merum quod vir eruditus ſomniavit de privilegijs neſcio quibus Idumæorum. Herodes Antipatrum parentem, avum Antipam proſelytos habuit, factos Iudæos ex Idumæis. Sed Iudęos profeſſione, non loco, tribu, habitatione. Et quæris quo jure cenſeri queat ἀλλόφυλος. Reſpondeo : jure naturali. Profeſſio non immutat ortum ; reſpondeo, jure Civitatum. Neque enim propter eoſdem Deos ejuſdem dicuntur nationis. Per contemptum Georæ dicebantur : non tamen per calumniam. Nam verum erat. Et contemptus ille, in more, & in ore populorum frequens erga adventitios & aſcitos etiam εἰς τὴν ἰσοπολιτείαν, cujus minimè Georæ participabant, quid aliud clamare videtur, quàm diſtinctos ἀρχῆθεν, ita permanſiſſe, & jure legitimo permanſiſſe, cum in benè moratis Civitatibus, Romanâ, Spartanâ, rebuſp. in communi ſtatu & conditione convitijs, petulantiæ, & contemptui, nunquam ille aditus patuiſſet. Quocirca per jugulum, recurrat illud dictum περιττῆς: jus Iudæis προσηλύτοις, in omnibus ferè, certè τοῖς κυριωτάτοις, adæquabat. Contrarium docuimus contra Animadverſorem. Æternum diſtinxit & diſcriminavit. Neceſſariò in quibuſdam copulavit, ne & alieni, & alienati, & penitùs excluſi viderentur. Niſi enim in ijs quæ ad Deum pertinerent, conjungerentur ; Gentiles adhuc eſſent non proſelyti. Ad Deum autem ſpectant & τὴν θρησκείαν, etiam illa quæ citantur ab Exercitore, de eſu agni paſchalis : vel ad juſtitiam communem, de quâ & nos priùs diximus, quæ neque barbaro cuïvis intercludenda fuerat. Ridiculum eſt autem proſelytum dici, non meliore conditione habitum vel ſtatu, quàm quivis è gentibus, qui Goijm dicebantur, quos an Baronius confuderit cum Gerim, ipſe viderit, propterea quod negetur pari habitus cum Iudæis appellationis titulo, & dignitatis ſtatu. Gradibus hæc inter ſe diſtinguuntur. Iudæus in multis gloriabatur, ad quæ neutiquam proſelyti adſpirare poterant. Proſelytorum, licet Iudæis inferior, quàm Gentium illuſtrior conditio fuerat. Reſpectu quorundam communi jure uſurpatorum privilegiorum, Iudęis iſti accenſebantur : ambiguâ quâdam & impropriâ nominis ſignificatione Iudæi dici poterant, at ſi quæſtio oriretur de ἀλλοφυλισμῷ, jam omnino ſeparari à Iudæis debebant, & quidvis potiùs dici quàm Iudæi. Tranſcriptus erat Herodes in Iudæos : neque nos negamus, & quatenus tranſcriptus, alienigena nominari potuit. Hoc tu concedis. Quis à te quid ulteriùs, bone vir, exacturus, dicam inſcribet, vel movebit moleſtiam aliquam ? Patres enim cum Herodem alienigenam appellant, nihil aliud intelligunt, quàm ſtirpe, origine, ortu Idumæum, tranſcriptum verò inter Iudęos, propter circumciſionem & ſacra Iudaïca ſuſcepta dictum Iudæum non recordantur, dici poſſe Iudæum non inficiarentur, hoc eſt, religionis cultu & profeſſione. Completum nihilominus in eo vaticinium Iacob, quia de ſtirpe & ſanguine non Iudaïco oriundus, ad regnum pervenerit in Iudæa. Quæ cum ſint utrinque poſita in confeſſo, magno molimine magnas nugas agunt, qui, confuſis quæ diſtingui & diſparari debuerant, more Andabatarum, σκιαμαχοῦσι. Infinitus eſſem ſi perſequerer : alij id facient ex inſtituto, neque enim ξένος ſe debent pati ἄγχεσθαι, cum totius Antiquitatis contumeliâ, qui paſſim (infœlix ovium pecus) unum aliquem, puta Iulium Africanum, vel Nicolaum Damaſcenum inconſideratiùs præeuntem, conſequuntur εὐηθέστατα. Euſebium, quoties flagellat

 Animadverſor,

Animadverſor, virum vel invidiâ clamante, de literis ſaltem & literatis, benè meritum, & tanquam ſcurram de trivio triobolarem maledictis ubique καταπλύνει? Sed nec Iuſtinus Martyr impunè tulerit, vir valdè eruditus & ſanctiſſimus; Qui Herodem Idumæum, imò Aſcaloniten, atque ideò magis adhuc alienigenam, ſummum apud Iudæos Pontificatum obtinuiſſe affirmat, & ab ipſiſmet Iudæis, pro Pontifice habitum, profeſſus eſt. Atenim, vir doctiſſime, cum Iuſtino mitiùs agendum tibi fuerat, propter illum *præſtantiſſimum authorem Strabonem*, qui Herodem ἐπιχώριον indigenam & Iudæum nobis prodidit. Certè enim Iuſtinus, nequaquam recitat omnibus alijs indictam & inauditam hiſtoriam, prodigioſam, paradoxam, & ab omni antiquitate alienam: id enim ante illum ſcripſerat Herodi coætaneus author Strabo. Cui cur, vir πολυμαθέστατε, (nam te id non latuit) ληρώδη, quam appellas, & eſt, ſententiam, potiùs quam Iuſtino, attribuiſti? *Nunquam erant*, rectè inquis, *Iudæi, licet imperitiſſimi & planè plumbei, tam ſtulti & ridiculi, ut id affirmarent, quod falſum ſcirent & abominarentur.* Non recuſo quo minùs ſit opinio ληρώδης: imò autem ſententia eſt planè blaſphema, & ἐκ διαμέτρου Paulo Apoſtolo contraria, qui profitetur, neminem unquam non de Levi, ſacris altaribus aſtitiſſe. Impoſuitne ergo Iuſtino Martyri Iudæorum aliquis Sycophanta? an Strabonem ſecutus eſt authorem, laudatiſſimum in multis illum ſcriptorem, qui de Pontificatu illo Herodis rumores ἀδεσπότους ſectatus eſt? an Iudæos potiùs immerentes, doctiſſimus pater in invidiam adductos accuſavit? Eò certè videtur inclinare doctiſſimus Animadverſor, & quod maximè in Iuſtini vituperium tenderet, amplecti, ad Euſebium pag. 150. ubi culpam conjicit in Iuſtinum, authorem ſententiæ tam ληρώδους, & Iudæos abſolvit, licet plumbeos, ab hac fatuitate tam immani. Quis iſta ferat æquo animo, in erudito homine, & quod plus eſt, Chriſtiano: nimiùm petulanter inſultante & malitioſè? qui potiùs doctiſſimum atque antiquiſſimum Scriptorem Eccleſiaſticum, rei Chriſtianæ aſſertorem, vel ad ſanguinem effuſum fortiſſimum, præ Iudæis, Deo & hominibus inviſis, ad ſtuporem in omni literarum genere, & Scripturis exponendis, ridiculis & fungis, ſententiæ tam futilis & tam fatuæ authorem facit. At Iuſtinum è Dialogo cum Tryphone in hæc verba citat.

Pag. 271. edit. Par. Καὶ γὰρ Ἡρώδην ἐφ' οὗ ἔπαθεν Ἀσκαλωνίτην γεγονέναι λέγοντες ὅμως ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα λέγετε ἀρχιερέα, Hoc eſt, interprete Iohanne Lango, *Nam Herodem Aſcaloniten ſub quo paſſus eſt Chriſtus, allegantes, nihilominus dicitis in genere veſtro fuiſſe ſacrorum Antiſtitem.* Satis ambiguè cum Græca poſſint in utranque partem, ut dicemus, explicari. Animadverſor qui Græcè callebat, nemo meliùs, & cui licuit alterutrum ſenſum amplecti, inter duos ambiguos: qui Iuſtino imprimis infamiam crearet, eum ille ſecutus eſt in transferendo, *Nam Herodem illum*, inquiens, *ſub quo paſſus eſt, Aſcaloniten fuiſſe dicentes, tamen in veſtrâ gente exiſtentem ſummum fuiſſe dicitis Sacerdotem.* Ita locum ille legit, diſtinguit & interpretatur. Tria ſunt autem quæ poſita arbitratur à Iuſtino. Chriſtum paſſum ſub Herode Aſcalonite. Illum ipſum Herodem Aſcaloniten, ἐν τῷ γένει fuiſſe Ἰουδαίων, hoc eſt, ut Iudæum & cum Iudæis, recenſitum. Tertiò eundem inter Iudæos ſummum exercuiſſe Pontificatum. E tribus, quod medium eſt, mirificè amplectitur vir eruditus, ſuis quippè rationibus imprimis accommodatum, quibus minimè ἀλλόφυλος prædicatur. Extrema utrinque, vt affectum videas, & quo animo hæc tractet contra patres, veluti

veluti prorſus inaudita, & omni deſtituta patrocinio, explodit: cum tamen, quod non potuit ignorare, Herodis ſacerdotium Strabonis authoritate nitatur: & Herodem gente Aſcaloniten non unus nominaverit. Sed meros agit ludos Animadverſor, & clariſſimum Iuſtinum injuriâ perſtringit non vulgari. Locum enim neque ſatis integrum deſcribit: & quem retulit in ſuas animadverſiones, cùm diſtinctione peſſimâ depravat, tùm falſiſſimâ interpolat interpretatione. Locus integer (deſcripſimus in prioribus illum, ſed fuſiùs hoc in loco & accuratiùs deſcribendus, & exponendus eſt) ſic ſe habet. Ὅτι οὖν οὐδέποτε ἐν τῷ γένει ὑμῶν ἐπαύσατο, οὔτε προφήτης, οὔτε ἄρχων, ἐξ ὅτου ἀρχὴν ἔλαβε, μέχρι οὗ οὗτος Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ γέγονε καὶ ἔπαθεν, οὐδ' ἀναισχύντως τολμήσετε εἰπεῖν, ἢ ἀποδεῖξαι ἔχετε. καὶ γὰρ Ἡρώδην ὑφ' οὗ (nam ſic legendum) ἔπαθεν, Ἀσκαλωνίτην γεγονέναι λέγοντες, ὅμως ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα λέγετε ἀρχιερέα. ὥστε καὶ τότε ὄντος ὑμῖν κατὰ τὸν νόμον τοῦ Μωσέως, καὶ προσφορὰς προσφέροντος, καὶ τὰ ἄλλα νόμιμα φυλάσσοντος. *Quocircà quod in gente veſtrâ defecerit aliquando, ſive Propheta, ſive Dux, poſtquam imperium ſemel incepit habere, uſque dum Ieſus iſte Chriſtus naſceretur, & pateretur, ne per ſummam, quâ præditi eſtis, impudentiam audetis affirmare, aut poteſtis ullo modo demonſtrare. Nam Herodem, quo rerum potiente paſſus eſt, cum fuiſſe Aſcaloniten vos affirmetis, tamen inter vos adhuc extitiſſe eos dicitis qui Pontificatu fungeretur. Extitiſſe* autem: non Herodem, quod vigilans ſibi perſuaſit ſomniator, ſed alium quemvis, tribu editum ſacerdotali, qui Pontificatu in illâ gente fungeretur. Hoc eſt, quemadmodum locus ipſe docebit intuentem, Regem, vel Principem, Sacerdotem & Prophetam in gente Iudaïca extitiſſe utcunq; ad Herodem Aſcaloniten, atque ideò extraneum & ἀλλόφυλον, rerum fuerant habenæ devolutæ. Ita non eſt diſtinctio poſt ὄντα ponenda, quemadmodum ſentit, qui depravat locum, ſed penitùs tollenda, ut oratio fluat & ſano ſenſu intelligatur. Hoc ita eſſe ſequentia docent. *Adeò ut, etiam tum apud vos extarent qui ſecundùm leges à Moſe latas offerrent oblationes, & alia legalia obſervarent.* Neque verò illa, ἐν γένει ὑμῶν ὄντα, quod ille retur, ad Herodem, ſed ad ἀρχιερέα referri debent. Nondum enim, quod erat in ſacris oraculis, exterminatum fuerat Sacerdotium & prophetia abolita, ſed utrumque poterat, quamvis rariùs & maculatiùs, in reliquijs ejus gentis reperiri. Atque ita gloriatur de B. Iuſtino fruſtra, cui error ſupinus ex incuriâ vel potiùs malevolentiâ exortus, falſiſſimam affinxit opinionem. Reſtat unica Iuſtino adhuc aſperſa labes, qui ſub illo Herode, qui dictus eſt Aſcalonita, Servatorem eſſe paſſum pronunciavit, cum ille Infanticida (nam is eſt Herodes quem vocat Aſcaloniten) ante multos retro annos, nimirum priuſquam Dominus ex Ægypto puer remearet, mala jam morte interierat: ille autem Herodes, ſub quo patiebatur, Antipas dictus, & Tetrarcha, ſuperioris illius filius, non eſſet, aut diceretur Aſcalonita. Certè ita ſi ſcripſit, uti hodie legimus, doctiſſimus Martyr, lapſus eſt memoriâ, vel per ἀνιστορησίαν turpiter hallucinatur. Sed nunquam illi viro tam exactè erudito, ne cum Iudæo adverſario διαγωνιζομένῳ, excidiſſet illud dictum tam inconſideratum. Quid ergo? nimirum, illa, ὑφ' οὗ ἔπαθε incurioſè ſunt ex antè dictis repetita, dum Librarij mens aberrans eò revolveretur, vel ad illa, Ἡρώδην Ἀσκαλωνίτην, ab inſulſo lectore & malè feriato annotatum in ora libri fuerat ὑφ' οὗ ἔπαθεν; quod Librarij deinceps, (ineruditum pecus) ineptum gloſſema, in ſeriem orationis Iuſtinianæ è margine tranſtulerunt per imperitiam. Quo genere depravationum cum ſcriptores omnes, tam non

raro

rarò hic Iustinus, in malam sæpe mentem transferuntur. Hoc ipsum, scio, visum esset viro acutissimo, & in hoc genere omnium oculatissimo, quemadmodum sæpiùs videtur in authoribus alijs, si ipsius sententiæ de Herode Iudæo, & non Idumæo, Iudæo non alienigenâ, falsæ & novitiæ patrocinaretur: cùm verò obfuturum animadverteret, maluit patri doctissimo antiquissimoque maculum inurere imperitiæ vel incuriæ, quàm cum sententiæ suæ præjudicio eluere: adeò verum est,

τὰ μὴ καλὰ καλὰ φιλέοντι.

EXERCI-

EXERCITATIO III.

Sect. I.

Judæi olim Idololatriæ dediti: deinceps superstitionibus. Variæ apud illos sectæ. Tres præcipuè. Pharisæi. Patriarchæ eorum. Hieronymus perperam à Baronio citatus. Locus ex historiâ Macchabaïcâ de Iudæ oblatione expositus. Baronius malâ fide authorem suum citat. Aquila interpres. De illo fabulæ. Sammai. Hilel. Scribæ, Pharisæi. Horum instituta, & opiniones variæ.

CUltus divini prophanatio extabat olim multiplex apud Iudęos, & in pietatem patriam prevaricatio. Ante illam Babylonicam μετοικεσίαν, ab ipsâ Exodo & egressu ab Ægypto, quemadmodum testantur historiæ sacræ, propensi ad Gentilismum, & mores vicinarum nationum imitandos, ferebantur. Idola, ad insaniam usque, sectabantur: Vitulos, Baalim, Astaroth, cætera numinum portenta colebant & purgamenta. Sacrificabant Dęmonibus ἀνθρωποθύται, charissima sua pignora concremantes: thus adolebant in excelsis: vinum, libamina reginæ cœlorum offerebant: sabbata autem Domini non sanctificabant: templum & sacraria prophanabant: vix de nomine Legem Dei & fœderis æterni pactum noverant. Deum unum, verum, munificum: Deum suum & patrum suorum, susq; deque habebant, omnium mortalium ingratissimi. Testatur hoc ubique Scriptura sacra: pleni sunt querelarum, expostulationum, exprobrationum, minarum, Prophetarum libri: testatissimæ verò, & universo mundo cognitissimæ clades illæ multiplices, calamitates inauditæ, quibus per justissimum Deum vindicem fuerant attriti. Hæc non uno in loco Iudęis olim inter antiquissimos Christianismi professores, vetustissimus Iustinus Martyr objiciebat. Non enim aliter intelligendus est, vir summæ sanctitatis & doctrinæ, qui Tryphoni Iudæo, quocum disceptabat, non semel, Idololatriam & patrij cultus prophanationem, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ exprobrat: nimirum ad vetustos Iudęos olim respexit, qui vixerant ante captivitatem Babylonis. Nam quod attinet ad eandem gentem posteà, reversi è Babylone, propensi ferebantur ad superstitionē: atq; ex alterâ parte ἐν τῇ ὑπερβολῇ, vehementer deliquerunt. Ita verum est quod scripsit beatus Leo, *Non in*

solo

Serm. v. de Nativ. Christi.

ſolo opere virtutum, non in ſolâ obſervantiâ mandatorum, ſed etiam tramite fidei, anguſta & ardua illa via eſt quæ dicit ad vitam: & magni laboris eſt, magnique diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones, & veroſimiles falſitates, per unam ſanæ doctrinæ ſemitam, inoffenſis greſſibus ambulare. Et cum undique ſe laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere. Poſt illam denuò in patrias ſedes μετοικεσίαν, in varias diſtracti opiniones, & ſectas diſcrepantes diſſipati, circa cultus avitos & religionem patriam quæſtionum laqueis ſeſe induebant. De lege multa movebant dubia; inutiles plerunque, ſi non abſurdas, impias, blaſphemas inſtituebant diſputationes. Ad legem ipſam, velut imperfectam & claudicantem, neque ſuis adhuc numeris abſolutam, lacinias quaſdam, ῥακώδη φορήματα, δευτερώσεων, & traditionum ſuarum aſſüebant. Contra legem & pietatem, hæreticas, prophanas, atheas tuebantur opiniones. Sectæ autem, in quas diviſi ſcindebantur, & quaſi ſcholæ oppoſitæ, tres olim extiterant nominatiſſimæ. Nam ſi quæ erant aliæ ab iſtis tribus inde veluti propagines effloruere. Erant autem illæ tres. Phariſæorum prima, Sadducæorum ſecunda; tertia, qui Eſſeni aut etiam Ἀσκηταὶ, vel Θεραπευταὶ dicebantur, tutati ſunt. Hæc ſunt apud Ioſephum teſtatiſſima. Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ἐκ πάνυ παλαιοῦ τῶν πατρίων. ἡ τῶν Ἐσσηνῶν, ἡ τῶν Σαδδουκαίων, τρίτην δ' ἐφιλοσόφουν οἱ Φαρισαῖοι. *Tres erant apud Iudæos ab antiquiſſimo olim tempore, religionis patriæ ſectæ. Eſſenorum una, Sadducæorum ſecunda, tertia verò quam Phariſæi philoſophati ſunt:* & libro ſecundo ἁλωσ. cap. VII. Τρεῖς εἰσὶ παρ' ἡμῖν αἱρέσεις. Φαρισαίων μὲν πρώτη, καὶ Σαδδουκαίων ἡ δευτέρα: τρίτη δ' ἡ Ἐσσηνῶν. Quæ non duobus tantùm locis reperta, aliquoties apud eundem repetita extant. Lib. 2. cap. 12. Lib. 13. cap. 9. & 18. Lib. 15. cap. 13. & in illo contra Appionem commentario, quemadmodum obſervavit doctiſſimus olim Hieronymus, à quo vix eſt qui diſſentiat. Nam, quæ plurimæ Iudæorum religionem jam ſeneſcentem diſtrahebant ſectæ, ab iſtis tribus, quod jam dictũ eſt, veluti propagines effloruere. Atque ideò Theophylactus in Act. cap. XXII. Non ſolum tres αἱρέσεις Iudæorum recenſet, ſed γενικὰς αἱρέσεις τρεῖς. Genericas cæterarum, undè effundebantur illæ. Phariſæorum, in hiſtoriâ ſacrâ, multa mentio, cum Ieſu Chriſto non paucæ concertationes: multæ, magnæ adverſus Eccleſiam, in Apoſtolis creſcentem & diſcipulis, molitiones. De his in Apparatu ad Annales acturus doctiſſimus Annaliſta ſect. VIII. inquit: *De Phariſæis illa quæ ſcripta reliquit Hieronymus attingam paucis.* Rectè, quod paucis: rectiùs autem, ſi non omnino; nam certè extra oleas & veritatem evagaris vir erudite. *Teſtatur*, ais, *Hieronymus, quod non multò ante adventum Chriſti, exorti ſint in Iudæâ Sammai & Hillel, & ex his Scribæ ac Phariſæi.* Teſtatur Hieronymus, qui tamen Ioſephi citata teſtimonia comprobaverat, quibus iſtis antiquitas, & quidẽ ſumma, ἐκ παλαιοῦ, imò πάνυ ἀρχαίας, aſcribebatur? Fallit Cardinalis & fallitur: non enim fatendum hoc Hieronymum teſtari. Fatendum tamen doctiſſimum Patrem in ſuis ad VIII. Eſaiæ commentarijs, ad illa verba, *Et in petram ſcandali duabus domibus*, illa ſcripſiſſe quæ commemorantur. Sed non teſtatur hoc Hieronymus, quod illi volunt. Teſtatur enim is qui teſtimonium perhibet. Perhibet autem teſtimonium, qui ex animi ſui teſtatur ſententiâ. Id non facit Stridonenſis pater, verùm recitat tantùm aliorum, quemadmodum ſcriptam repererat, opinionem: falſamne an veram non laborat, tantùm recitat aliorum, ex illo Pſeud-evangelio ſecundùm Nazaræos, quod tranſtulerat ipſe in

Antiq. xviij. ij.

Latinum

Latinum ſermonem, ſententias. *Quas domos*, inquit, *Nazaræi, qui ita Chriſtum recipiunt, ut obſervationes legis veteris non amittant, duas familias interpretantur; Sammai & Hillel; ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi, quorum ſuſcepit ſcholam Achibas, quem magiſtrum Aquilæ proſelyti autumant; & poſt eum Meir: cui ſucceſſit Iohannan filius Zachai, & poſt eum Elieſer, & per ordinem Delphon, & rurſum Ioſeph Galilæus: & uſque ad captivitatem Hieruſalem, Ioſue. Sammai igitur & Hillel non multò priuſquam Dominus naſceretur, orti ſunt in Iudæâ, quorum prior diſſipator interpretatur, ſequens prophanus, eò quod per Traditiones ſuas & δευτερώσεις, Legis præcepta diſſipaverint & maculaverint.* Hæc ſunt illa quæ doctiſſimis pleriſque viris, Genebrardo, Druſio, Serario, alijs, crucem fixerunt dum ſe non extricant, aut Hieronymi ſententiam ab incuriâ & ἀνιστορησίᾳ eximunt. Sed miramur doctiſſimum Annalium ſcriptorem, qui pro Hieronymianis hæc obtruſit, non animadvertiſſe pro ſuâ prudentiâ atque eruditione, manifeſtam his ineſſe falſitatem, & ſententiam cùm abſurdam, tum impoſſibilem, quam tamen concoxerat tam faciliter. Sammai & Hillel Patriarchas appellat Scribarum & Phariſæorum, *Quorum*, inquit, *poſteri familias illas conſtituerunt, quæ Chriſtum in carne non receperunt.* Sunt hic tria inter ſe diſparata: Sammai: Poſteri: Familiæ. Treis, ad minimum γενέαι & hominum ſibi invicem ſuccedentium Ordines. Et vix eſt ut ante natorum natos, ad poſterorũ deſcendas appellationem. Eſt autem ætas hominum non ſeptem annorum, ut non uno in loco apud Halicarnaſſeum: non centum, ut apud pleroſque olim veteres: ſed annorum, in Scripturis, ſeptuaginta. Ut qui Hillel & Sammai audacter affirmant, non multò ante Chriſtum floruiſſe, nos doceant, remotis verborum ambagibus, oporteat, quomodo hoc verum eſſe queat, ut qui paulò ante Chriſtum, puta, annos floruere quadraginta, Patriarchæ fuerint eorum hominum, quorum poſteri familias conſtituere, quæ Chriſtum prædicantem oppugnarunt. Nam præterquam quòd erant treis iſtę ſectæ ἐξ ἀρχαίου, quod diſertis verbis habet Ioſephus: quo tempore Ionathas ſummus Pontifex, Iudæ Macchabæi frater, Spartam legatos literaſque miſit, & à Spartanis viciſſim accepit, jam erant treis ſectę Iudæorũ: κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον, verba ſunt ejuſdem alibi, viz. Antiquit. 13. cap. 9. τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν. *Hoc ipſo tempore, treis extabant Iudæorum ſectæ.* Deindè Hyrcanus Iudæorum dux & Pontifex, diſcipulus cum eſſet Phariſæorum, offenſus Eleazari cujuſdam Phariſæi hominis inſolentiſſimi dicacitate, in partes Sadducæorum abijt. Antiquit. XIII. XVIII. qui, per multos annos Chriſti Domini τὴν ἐνσάρκωσιν præceſſerat. Neque aliud volebat Cyrenæus ille Iaſon, ſeu quicunque librum ſecundum Macchabæorum ſcripſit, loco illo celeberrimo, & maximè controverſo, quo de Iudâ Macchabæo mentionem facit, qui προσήγαγε θυσίαν περὶ ἁμαρτίας: *Sacrificium attulit pro peccatis*: nimirum eorum, qui in prælio occubuerant contra Iamnæos, ὑπὲρ ἀναστάσεως διαλογιζόμενος 2 Macchab. 12. *Quòd de mortuorum Reſurrectione cogitaret.* Religione quippè Phariſæus, quemadmodum & cæteri, ante Hyrcanum, Aſſamonæi, quam qui negabant jam invaluerant Sadducæi, & ad quorum partes paulò poſt apoſtata abijt ille Hyrcanus. Vult ergo Iudam Macchabæum à Sadducaïcâ impietate abhorruiſſe, ad quam ipſius è fratre nepos tranſiverat, Iaſone vivo videnteque. Cujus quidem loci ſenſum alium qui quærunt,

aut in nefcio quas illationes diftorquent, nodum illi in fcirpo quærunt. Quam verò fidem mereatur, non Hieronymus, in quo fruftra defudant excufando, fed ementitus deridiculi fcripti illius author, teftantur illa, quod Achibas, qui primus τὴν χολὴν διεδέχετο, & paulò ante Chriftum vixerat, (quanquam funt qui longè antiquiorem faciunt : vel, nimirum περὶ τῆς μετοικεσίας : vel faltem cum magnæ Synagogæ magiftris computandum) Aquilæ illius præceptor extitiffe dicatur, qui Scripturas veteres in linguam Græcam tranftuliffe ab omnibus commemoratur. Non adducit hæc de Aquilâ, & Achibâ Baronius. Fateor profectò, non adducit. Sed reperiuntur tamen apud Hieronymum eo loco. Noverat autem, pro fuâ Baronius eruditione, nullo modo fubfiftere poffe Iudæorum commenta & aniles fabulas, fed manifeftiffimas continere hiftoriarum ἐναντιώσεις & ἀνιστορησίας, itaque illas prætermifit in Apparatu. In quo dum bonum fe declarat Oratorem, nequid afferat in causâ; quod cum objectum fit, refellere nequeat, malâ fide verfatur in hiftoriâ, & quod dicendum fuerat, illud tacet. At non quemadmodum Cæfar Baronius, ita ifta reticuit Sixtus Senenfis. Sed vir ille doctiffimus verfatur in errore, & unà fecum alios in errorem impellit, qui Ponticum illum Aquilam, Scripturarum interpretem, è fententiâ Hieronymianâ, refert floruiffe ante Chriftum natum, & facras literas interpretatum. Non fentiebat Hieronymus iftud: neque illa funt Hieronymi verba ex animi fui fententiâ prolata, fed fcriptoris impoftoris & nugivenduli, illius Evangelij fecundùm Nazaræos authoris; aut fi ita fentiebat, quod non eft probabile (licet hâc in parte fugillet eruditiffimum fcriptorem, etiam Exercitator) fruftra certè fuit doctiffimus Pater.

Biblioth. fanctæ. Lib. iiij.

Nam Aquilam Ponticum profelytum, veriffime cenfent alij omnes, fub imperio Adriani floruiffe, operamque illi fuam locaviffe, in urbe Eliâ (Hierofolymis) extruendâ. Hanc fententiam de Aquilâ, Baronius amplectitur, *ut veriorem :* ad annum Chriftum C. XXX. VII. *veriorem*, quàm erat illa altera, Hieronymo ab ipfo attributa, quem non nihil ab illâ diffentire pronunciat fuâ opinione, quod vixiffe illum fcripferit ante Chriftum. En Sixtus Cardinalem quomodo ducit. Tranfiverat ifte Aquila à Gentilifmo ad facra Chriftianorum : à Chriftianis defecit ad Iudæos, & linguam ipforum poftquam addidicerat, in fermonem Græcum Scripturas tranftulit, ad annum Chrifti CXX. ait Epiphanius, poft illam Septuaginta interpretationem annos CCCCXXX. & menfes quatuor. Fuit alius ab ifto ejufdem nominis, Ponto itidem oriundus, de quo in Actuum hiftoriâ beatus Lucas, Iudæus genere, non profelytus, ut ille alter Titi Romani Imperatoris è forore (ut Rabbini fabulantur) nepos. Hujus Aquilæ profelyti interpretationem recentiffimam, defignari putant (nec improbabiliter,) à Iuftino Martyre, quoties in dialogo cum Tryphone conqueritur, fcripturas ipfas & Septuaginta feniorum interpretationem, à Iudæis de induftriâ depravatas, quotiefcunque de Chrifto agebatur. Quæ illorum fententia verofimilior eft, quòd in odium Iefu Chrifti & Chriftianorum, factus jam Apoftata fuam aggreffus legatur verfionem. Ἑρμήνευσεν οὐκ ὀρθῷ λογισμῷ χρησάμενος, ἀλλ' ὅπως διαστρέψῃ τινὰ τῶν ῥητῶν, ἐνσκήψας τῇ τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνείᾳ, ἵνα τὰ περὶ Χριστοῦ ἐν ταῖς γραφαῖς μεμαρτυρημένα, ἄλλως ἐκδώσει, δι' ἣν εἶχεν αἰδῶ εἰς ἄλογον αὐτοῦ ἀπολογίαν. *Interpretatus eft animo parum fincero, id propofitum habens, ut dicta quædam pervertere poffet, Septuaginta involans*

lans expoſitionem, & ut ſcripturarum de Chriſto teſtimonia in alium ſenſum tranſferre ad ſui ipſius, cum puderet ipſum ſui, defenſionem. Ita de illo Epiphanius. Sed ab illo revertamur ad Phariſæos. Horum primam originem certo temporis articulo non circumſcribunt. Nec illius ſectæ & αἱρέσεως primus uſpiam author & princeps invenitur. Nam de Sammai & Hillel exploſa eſt ſententia. Et illud nonnullorum commentum ſpecioſum magis quàm ſolidum videtur, quo ſecundi cujuſdam ortus principes & duces, non autem primi dicuntur eſſe, (cum & magis in vulgus innoteſcere cœperint,& in binas inter ſe diſſentientes familias dividerentur.) Sammai & Hillel: atq; illud Hieronymo placuïſſet commentum. Sed Scribas Hieronymus (vel ille quiſquis erat fictitius Scriptor) & Phariſęos, ab Hillele & Samai deductos affirmat, non autem diviſos in ſectas Phariſæos, quos nuſquam diviſos vel Scriptura vel Ioſephus commemorat in hiſtoriâ. Scribę autē & Phariſæi non dicuntur καθόλε πρῶτον; erant enim Phariſæi non Scribæ: & Scribæ quidam non Phariſęi. Neque nomen conſecuti magis illuſtre dici poſſunt, poſt Hyrcani interitum, quàm ab ipſis Macchabęorum initijs habuerant, ut à Pollione Ioſephi, vel Rabbinorum Hillele, vel Sameâ, qui Herode jam nato floruerunt, advocetur diviſis claritudo. Magnus nugator Bulingerus, quaſi dicta Caſaubono, de Phariſæis & Scribis iſta recitat pag. LXXX. *Locus ille, quem ex Actis* XXIII. *affers, non oſtendit, Scribas alios à Sadducæis, alios à Phariſæis ſtetiſſe.* Ille autem non ſcripſit, nec ſentiebat iſta, ſed quæ vir bonus reticuit in Diatribâ. Denotatur conſenſus opinionum inter Scribas nimirum & Phariſæos in aliquot capitibus doctrinæ. Baronius erat, qui rebatur, Scribas alteram eſſe partem Phariſæorum, non Caſaubonus. Erant autem Scribæ à temporibus antiquiſſimis ante notum nomen Phariſæorum. Quanquam vel invito hoc compilatore, verum fuit, Scribarum quoſdam Phariſaïcis imbutos opinionibus: quoſdam adhæſiſſe Sadducæis. Ridiculum eſt etenim quod affertur, quia μόνοι εὐπορῶντες favebant Sadducæis, ideò Scribæ quotquot erant, à partibus ſtabant Phariſaïcis: quaſi forent omnes Scribæ, tenuïores, capite potiùs ſuo, quàm facultatibus cenſi. Iam verò mores. Mores horum hominum atq; inſtituta vitæ, vel ut Græci loquuntur, πολιτείαι, ad capita diverſa referuntur. Exhibebo elenchum è Ioſepho, Epiphanio, & quibuſdam alijs, nec non ſacrâ Scripturâ concinnatum. Atque primò quod ad victum attinet, lautitijs haud illi magnis utebantur, ἐξευτελίζουσι τὴν δίαιταν, οὐδὲν εἰς μαλακώτερον ἐνδιδόντες. *Vili diætâ utebantur, nihil prorſus mollitiei indulgentes:* inquit Ioſephus. Cibum quando ſumebant, manus ante omnia abluebant, Matth. 15.2. Mar. 7.3. aliter enim panem ipſum, hoc eſt, omnia edulia, pollui rebantur & κοινωνεῖσθαι. Manus autem lavandi mos iſte fuerat, quemadmodum recitavit doctiſsimus Serarius, è centum Benedictionum libro: *Standum eſt cum lavas manus, & non parieti innitendum aut aliquo ſuſtentaculo. Eligenda eſt aqua pura, non ſalſa aut corrupta, quam canis dedignetur bibere. Fundenda eſt aqua tribus vicibus ſuper manus. In primâ effuſione ſunt digiti ſurſum elevandi, in poſterioribus demittendi. Sunt manus ſimul lavandæ, non una autem poſt alteram. Tertiò opus eſt in manuum lotura ut manus ſiniſtra tanquam famula ſubſerviat dextræ. Nec ſatis erit ſi manus abſque aquâ cum mappâ benè terſeris, aut ſi illotis manibus ad menſam acceſſeris, & cochleari uſus nudâ manu cibum non tetigeris. Qui verò è cloacâ ad menſam acceſſerit*

De Ponder. & menſur. p. D.xxxviij.

ceſſerit, bis tenetur lavare manus. A foro quoties remeabant domum lavabant manus. Teſtatur illud Marcus in Evangelio, ubi de lotionibus urceorum, æramentorum, lectorum loquitur, Mar. 7. 4. Cum peccatoribus cibum non capiebant, ut colligitur ex illâ increpatione Matth. 9. 2. imò ſe ne tangi volebant à peccatoribus: quos vel deſcripſit Eſaias vel prædixit, 65. 5. Iejunabant frequentiſſimè, & ſemet inediâ macerabant. δὶς τοῦ σαββάτου, ait ille glorioſulus in Evangelio Lucæ 18. quod beatus Epiphanius explicavit, ubi feriam ſecundam & quintam, jejunijs affirmabat eorum deſtinatas. Tertiò, ὅτε ἤσκουν, ὥριζον δεκαετίαν ἢ ὀκταετίαν, ἢ τετραετίαν, inquit idem Epiphanius. Qui de eorum in hâc parte σκληραγωγίᾳ plura refert hær. XVI. ſed hanc auſteram vitam Aſcetarum, non omnes tenebantur exercere, ſed ipſorum tantummodo perfectiſſimi. Orationibus frequenter vacabant: & addit textus ſacer, diuturnas habuïſſe orationes, quas ſtantes in publico muſſitabant. Privatis autem orationibus domi ita incubuiſſe narrat Epiphanius, ut ſomnum omnino ne vellent capere, nec ab hâc ipſorum ἀσκήσει divelli. Quemadmodum igitur ferunt Ariſtotelem, ὁπότε κοιμῷτο, σφαῖραν χαλκῆν βάλλεσθαι αὐτῷ εἰς τὴν χεῖρα λεκάνης ὑποκειμένης, ἵν' ἐκπεσούσης τῆς σφαίρας εἰς τὴν λεκάνην, ὑπὸ τοῦ ψόφου ἐξεγείροιτο. *Cum ſe ad quieſcendum componeret, æream ſphæram manu tenuiſſe pelvi ſubjectâ, ut cum manu ſphæra excidiſſet in pelvim, ſono excitatus à ſomno ſurgeret;* ita quoque & Phariſæi ſimiles ſibi rationes excogitabant, per quas, quoad fieri poſſet, vigiles in Orationibus perſeuerarent. Epiphanij de hac ipſa re locum aſcribere non pigebit, quod in editis codicibus vitioſè, ut pleraque omnia illius utiliſſimi ſcriptoris, circumferatur. Τινὲς μὲν γὰρ αὐτῶν ὅτε ἤσκουν, ὥριζον δεκαετίαν, ἢ ὀκταετίαν, ἢ τετραετίαν, ὅμως παρθενίας ἢ ἐγκρατείας. συνεχῶς δὲ εὐχόμενοι πυκνότερον τὸν ἀγῶνα τοῦτον ἐνίσταντο. καὶ διὰ τὸ δῆθεν μὴ σωματικόν τι παθεῖν ἢ κλαπῆναι δι' ὀνειράτων αὐτὴν τινὰ ῥύψιν τοῦ σώματος ἀσφαλιζόμενοι, οἱ μὲν σανίδας ἑαυτοῖς ἐφιλοκάλουν σπιθαμῆς μόνης τὸ πλάτος, καὶ ἐπὶ ταύτας ἑαυτοὺς ἐτίθεσαν κατὰ τὴν ἑσπέραν, ἵνα εἰ ὑπνώσειέ τις, καταπέσοι εἰς τοὔδαφος καὶ αὖθις ἐγείρηται εἰς εὐχήν, διὰ τὸ ἄγρυπνον ἔχειν τὸν βίον, κατὰ τὸ δυνατόν. ἄλλοι δὲ κάχληκας συλλέγοντες, ἑαυτοῖς ὑπεστρώννυον, εἰς τὸ νυττομένους μὴ ὕπνῳ βάθει φέρεσθαι, ἀλλὰ βιάζεσθαι γρήγορσιν ἑαυτοῖς πορίζεσθαι. ἄλλοι δὲ καὶ ἀκάνθας εἶχον διὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν. *Quidam verò ex iſtis cum ſe exercerent, decennium, octennium, aut quadriennium ſibi virginitatis aut continentiæ præſcribebant. Cumque continuis vacarent orationibus crebrius, hoc certamen adurgebant, ut nequid ipſis accideret corporale, aut per ſomnum clandeſtinè triſtem corporis defluxum paterentur. Nonnulli eorum aſſeres ſibi ipſis diligenter parabant, ſpithamæ aut palmi latitudinem habentes, & in his ſe ad veſperam componebant, ut qui dormiſſet, excideret in pavimentum, atque ita excitatus reſurgeret ad orandum Deum: eo fine ut quoad fieri poſſet, vigilantem haberent vitam. Alij lapillos rurſus ſibi ſubſternebant, ut dum illis pungerentur, profundo ſomno ne ſopiti jacerent, ſed vigilantiam cogerentur ſibi comparare; alij autem ob eandem & cauſſam, ſpinas pro ſtrato adhibebant.* Erant autem, authore Ioſepho, ad miſericordiã quodammodo inclinatiores, & iccircò περὶ τὰς κολάσεις ἐπιεικῶς εἶχον. Quod non ita ſe habuiſſe nos ſcimus ex illo odio pluſquam Vatiniano, quo Dominum Ieſum & ſanctiſſimos Apoſtolos ſunt perſequuti. Erga veteres Prophetas & Dei ſervos in Iſraele benè eſſe animati videri volebant. Itaque ſepulchra ſtudioſè ædificabant, monumenta juſtorum exornabant, & frequentiùs illo utebantur elogio, *Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum, effundendo,* ſcilicet. Iam verò quod dogmata & doctrinam ſpectat, ſedebant ſuper cathedrâ Moyſis: hoc

hoc eſt, ordinariâ quadam ſucceſſione, partes docendi explicandiq; legem Moyſis, ad ſe devolutam, & quaſi publicâ ſancitam authoritate, uſurpabant. Moſes enim jam indè ab antiquis temporibus, in Synagogis Iudæorum legebatur, & exponebatur: quo munere publico Scribæ fungebantur & Phariſæi. Hanc tamen authoritatem elevarant ipſi, cùm vitæ hyprocriticâ ratione, tum multis gravibuſque corruptelis, quibus legem, & doctrinam commacularant. Quocirca diſcipulos ſic affatur Dominus, Matth. XVI. XI. *Cavete à fermento Phariſæorum.* Hoc eſt, à doctrinâ, ut exponitur eodem loco. In doctrinâ Phariſæorũ ſunt iſta capita. Seniorum δευτερώσεις & traditiones valdè commendabant: &, quamvis eſſent abſurdæ, ridiculæ, & blaſphemæ pleræque, audaciſſimi nebulones ad Deum authorem eas in monte Sina, qui ἀγράφως illa Moyſi commendarat, referebant omnes. Ad divinæ Legis complementum traditas aſtruebant, & præ lege ipsâ obobſervandas commendabant. Traditiones porrò iſtas omnes quaſcunque demùm ſuggerebant, ad quatuor authores, authore Epiphanio, referebant. Μία μὲν εἰς ὄνομα τοῦ προφήτου Μωϋσέως: δευτέρα εἰς διδάσκαλον αὐτῶν Ἀκιβὰν οὕτω καλούμενον ἢ Βαρακίβαν: ἄλλη δὲ εἰς τὸν Ἀνδὰν ἢ Ἄνναν τὸν καὶ Ἰούδαν: ἑτέρα δὲ εἰς τοὺς υἱοὺς τοῦ Ἀσαμωναίου. *Prima nempè traditio, ſub nomine Moſis prophetæ ferebatur. Secundam ad ipſorum doctorem Acibam, ſeu Baracibas vocabatur, referebant. Tertia ab Andâ, ſeu Annâ qui & Iudas erat, deducebatur. Quartam filijs Aſſamonæi aſcribebant.* Adeò illi de legis ſufficientiâ & αὐταρκείᾳ ſentiebant abjectè: & tamen erant σύνταγμά τι Ἰουδαίων δοκοῦν εὐσεβέστατον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους εὐσεβέστερον ἀφηγεῖσθαι· *Conventus quidam Iudaici qui videbantur præ alijs pijſſimi & Leges exactiore modo, quã ſolebant cæteris interpretari.* Quemadmodum Ioſephus affirmavit. Quod ſi lux in Iſrael, tantæ erant tenebræ, ipſæ tenebræ profectò craſſiſſimæ erant. Decimas rerum omnium minutiſſimarum, minthæ, anethi, rutæ, cymini perperſolvebant. Et in hâc δεκατώσει hypocriticè gloriabantur. Ut unum lucrari poſſent proſelytum, πᾶσαν μὲν ξηρὰν, πᾶσαν δὲ καὶ ὑγρὰν circumibant; in quo ſtudium præ ſe ferebant non vulgare, erga patriam religionem, revera tamen gloriam hinc aucupabantur, & rei faciendæ inhiabant. Erant enim, uti gloriæ animalia, ita quoque mancipia avaritiæ. Quod non uno in loco Servator docet. Honorem provectioribus deferendum cenſebant, ideò fortaſſè quod ipſi fuerant ἐν τῷ ἀξιώματι conſtituti, & in publicis congreſſibus πρωτοκλισίας adamarent. De Naturâ humanæ animæ abſurda quædam ſtatuebant. ἰσχὺν illi ἀθάνατον credebant ineſſe: atque ideò omnem animam, quodammodo Immortalem rebantur τῇ οὐσίᾳ: ſed malorum æternis cruciatibus addicebant: bonorum μεταβαίνειν εἰς ἕτερα σώματα docebant, quod relatum à Ioſepho Phariſæo, Lib. II. cap. XIII. τῆς ἁλώσεως. A qua perſuaſione profecti, Chriſtum Dominum fuiſſe Baptiſtam, Eliam, Ieremiam aut aliquem è prophetis, dicebant Matth. XVI. XIIII. Fingebant autem δικαιώσεις quaſdam ſub tellure exerceri, ad dijudicandum & diſcernendum quæ bonæ, quæ malæ eſſent animæ: quamadmodum poetarum fabulæ Æacum, Rhadamanthum, & Minoem, ſtatuebant; ut è Pythagoricis deliramentis, & Poetarum nugis eorum pietas & religio videatur conflata, aut iſtorum impietas & deliramenta promanâſſe è ſanctionibus Phariſaïcis. Credebant fato cuncta gubernari. Quo nomine ridentur ab Epiphanio, quod cum Reſurrectionem & judicium concederent, tamen fatum inducerent & neceſsitatem. Sed reſpondet Ioſephus Lib. II. cap. XIII. περὶ ἁλωσ. in illâ

ſententiâ

ſententiâ verſari Phariſæos, ut exiſtimēt, πράττειν καλῶς καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον, ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι. Benè vel malè agendi facultatem, maximam partem in hominum poteſtate ſitam eſſe. Ita fatum ab hominibus in quibus αὐτεξούσιον & libertas arbitrij fuerat, removebant, cæteris rebus omnibus præficiebant tamen. Sed parùm ſibi conſtat in hoc reſponſo Ioſephus: nam & alibi in vitâ ſuâ hæreſim affirmat Phariſaïcam ſimilem omnino Stoïcorum opinioni. Et Antiquit. XVIII. II. eoſdem ait, ſublatâ libertate, cuncta fato gubernari, opinatos. Et profectò qui matheſeos adeò erant ſtudioſi, non poterant ſe, actiones ſuas, vel humanas à fatali rerum concatenatione expedire; ſublatâ enim illâ, aſtrorum vires ἐν τῇ γενέσει, & futuris humanæ vitæ periodis diſponendis, mera ſunt figmenta & μορμολύκεια. Errat ergo qui errare Baronium ſcripſit, dum affirmat Phariſæos omnia fato tribuïſſe: expreſſiſſimè affirmat hoc Ioſephus: conſentit vir magnus Epiphanius. Non miramur derelictos à Deo Phariſęos, ut in impias, ſic etiam & in contrarias opiniones declinâſſe & ſibi ipſi repugnantes. Genus iſthoc hominũ ab iſtis profectum inſtitutis, per nundinariam ſanctitatem, & hypocriſin illam ſuam, ſummâ fruebantur authoritate: plebeculæ ſibi animos devinci-erant: in aulas Regum ſe inſinuaverant: apud mulierculas imprimis princes gratioſi. In aula Herodis dominabantur: aulæ omnia ſecreta rimabantur, fœminarum animos ſubigendo. Ideò grandi pecuniâ cum Herodes hos mulctâſſet, uxor Pherorae, erat is Herodis frater, totam illam ſummam fiſco repræſentavit. Hinc benè meritæ gratiam ut Phariſæi reponerent, prædicunt mulieri (πρόγνωσιν γὰρ ἐπεπίστευντο ἐπιφοιτήσει Θεοῦ, *per Dei etenim acceſſionem rerum prædictio futurarum illis concredebatur*, Ioſephus, ait, & ita in vulgus de ſe ſpargi rumores curaverant) ſtirpem Herodis & genus interituram, ipſius & Pheroræ regnaturam. Sed falſi in illâ prædictione vates. Quemadmodum autem gratiâ in Herodis aulâ prępollebant, ita priùs apud Alexandram Hyrcani ſecundi Pontificis matrem prævaluerant. Alexander rex illius maritus, illos oderat cane & angue pejus. Et ἑστιώμενος aliquando μετὰ παλλακίδων ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν αὐτῶν ὡς ω. *Cum pellicibus ſuis epulatus, juſſit quaſi octingentos Phariſæos, in urbe Bethome captos, in crucem tolli*, cum priùs conjuges & liberos ipſorum occidi juſſiſſet in conſpectu ipſorum. Ille tamen jam morti proximus, uxori Alexandræ conſilium dabat, ut coleret adhiberetque in conſilijs Phariſæos. δύνασθαι γὰρ πολὺ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, βλάψαι τε μισοῦντας, καὶ οἰκείως διακειμένους ὠφελῆσαι. *Plurimum poſſe eos apud populum, qui ſi ipſam odiſſent, nocere facilè; ſi diligerent, operam utilem accommodare poſſent.* Hoc factum, uti ſuaſerat, ab Alexandrâ, & illi rerum omnium adminiſtrationem ad ſe ſolos devocabant. Regno, regnique commodis illi ſoli fruebantur, ſumptus omnes Alexandra faciebat ſola, & difficultates præſtabat univerſas. Itaque ἐκράτει τῶν μὲν ἄλλων αὐτὴ, αὐτῆς δὲ οἱ Φαρισαῖοι. *Ipſa cæteris, Phariſæi autem ipſi imperabant.* Hæc omnia cum fuerint in Phariſæis, irrequieta φιλοπραγμοσύνη, impotens ambitio animi, ſanctitas nundinaria, & ſimulatæ virtutum multarum ſpecies, næ illi quidem non interciderunt hodiè. Sunt ubique plurimi Phariſæi.

SECT.

Sect. II.

De Sadducæis. Nominis origo. Epiphanij locus haud rectè citatus à Cardinale, Sadducæos à Sedec non Sadoc deducentis. Epiphanius correctus & explicatus. Barradius fidelior in Epiph. recitando quàm Baronius. Maldonatus laudatus. Josephus explicatus. Chemnitius notatus. Tertullianus à Baronio contra se productus. Sadducæi à Sedec justitiâ, cur, quomodo dicti. Legem solam recipiebant. Traditiones aversabantur. Philastrius notatur.

PHarisæos eorumque simulatam sanctitatem missam faciens Cardinalis, de Sadducæis secunda sectâ Iudæorum, eorumque origine in hunc modum commemorat è Iosepho. *In reliquis cum Samaritis idem sensisse, nisi tantùm quòd agentes Hierosolymis, unà cum Iudæis sacrificarent, confirmat Epiphanius, qui eosdem à Saddoc Sacerdote nomen accepisse, sed à doctrinâ præceptoris narrat defecisse.* Hæc doctissimus Annalista, quæ ad duo capita rediguntur. Denominationem à præceptore. Doctrinâ, in qua defecerant ab institutis sui præceptoris. In nominis notione, quã ex Epiphanio mutuatã videri vult proposuisse, vel sciens fallit, & in errorẽ cùm seipsum tùm lectores inducit; vel decipitur saltem ab Interprete, quem solum videtur hìc, ut ubique sequi: videtur inquam, nam non possum statuere, cum ad manum non sit Latinus Epiphanius. Græca autem sic se habent. Επονομάζουσι ἢ ὅτοι ἑαυτοὺς Σαδδουκαίους δῆθεν, ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης ἐπικλήσεως ὁρμωμένης. Σεδὲκ γὰρ ἑρμηνεύεται δικαιοσύνη. *Vocant semet isti Sadducæos, nomine à Iustitiâ derivato. Sedec enim Iustitiam interpretantur.* Audis ergò, vir doctissime, apud Epiphanium, Sadducæos ab Hebræo Sedec, (nam de modo scribendi litigent sive divini seu humaniores Grammatici, nihil refert) non autem à Sadoc Sacerdote antiquo, dici denominatos. Neque aliter videtur in Trihæresio, Hebræarum antiquitatum callentissimus vir, utinam paulò modestior, Serarius, existimâsse. Lib. 2. cap. 18. quamvis potiùs à Sadoc quàm Sedec nomen sortitos opinetur, is tamen Epiphanio non illam ascripsit, ut Baronius hallucinatur, sed solam alteram à Sedec, quod verum est. At enimverò sequitur apud Epiphanium, quod ad suam caussam trahit Cardinalis. Est autem illud absque dubio, erroris illi fundus & origo. Ἦν δὲ καὶ Σαδδοὺκ τις τοὔνομα κατὰ τὸ παλαιὸν, τῶν ἱερέων. ἀλλ' οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ τοῦ ἐπιστάτου αὐτῶν διδασκαλίᾳ, ἠθέτησαν μὲν γὰρ οὗτοι τὴν τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν. *Erat & Sadoc Sacerdos quidam temporibus antiquis. Sed non permanserunt in doctrinâ magistri sui. Nam mortuorum Resurrectionem sustulerunt.* Hic videtur Baronio innuere Epiphanius, ab illo Sacerdote Sadoc, appellatam illam hæresin Sadducæorum. Sed ut illud ita fuerit, quorsum tandem Cardinalis, ubi duplicem repererat appellationis caussam in Epiphanio: illam claram per se, in confesso positam, nullis ambiguitatibus impeditam: alteram verò, ut lenissimè dicam, involutam: hujus meminerit, hanc amplexus fuerit, quòd à Sadoco dicerentur, præcipuè cum sciret Pharisæos, & Essenos, binas illa φωνὰς, ut Theophylactus loquebatur, αἱρέσεις non ab aliquo fundatore, sed aliundè vocitatas? Ille autem Sadoc, quis, & quando vixit: contemporaneus opinor Sammai & Hillel, qui

qui paulò antè quàm Christus nasceretur, in Iudæâ Patriarchæ illorum hominum erant, qui familias illas produxerunt, undè orti Scribæ & Pharisęi, juratissimi Iesu Christi hostes & detractores. Nam quo teste Cardinalis probaturus est, Sadducæam illam hæresim antiquiorem, quàm erat Pharisaïca, extitisse? Locus denique ipse, (quod videbimus) apud Epiphanium, nec volam consequentiæ nec vestigium habebat. Sed leviora erant ista quàm quæ multiplicem Baronij eruditionem remorarentur, nos hebetiores Novatorum filij λύσιν non potuimus invenire. Cum Baronio per omnia opinatur eadem Iesuita Barradas, Tom. 3. Comment. in Evangel. & videtur, quod solenne est magistris nostris Bellarmino & Baronio segnioribus, Cardinalem authorem laudatum virum sequi, & ex eo sapere; quemadmodum & ipse Cardinalis, licet neuter agnoscat per quem profecit, Gilberto Genebrardo sua debeat accepta referre, qui vir, non secus quàm κυρίαις δόξαις, ita solet insomnijs Rabbinorum & μυθολογήμασιν adhærere. Multò tamen fideliùs versatum esse constat, hâc in parte Iesuitam, quàm Cardinalem. Is enim utramq; nominis originationem confitetur se, non autem pejorem, accepisse & unicam ab Epiphanio. Fallitur nihilominus & ille in Epiphanio Sebastianus. Non enim Cyprius ille pater duplex etymon in medium protulit, sed unico contentus, à Sedec justitiâ, & non à Sadoc Sacerdote, appellatos scripsit Sadducæos, quemadmodum etiam censuit Hieronymus. *Sadducæi,* verba sunt Hieronymi, *interpretantur justi. Ipsi enim sibi vindicabant illud quod non erant.* Ad caput Matth. XXII. Quocircà rectè scriptum à Maldonato, emunctæ naris Iesuïtâ, *Sadducæos à Sedec Iustitiâ, quasi homines justos, Epiphanius & Hieronymus dictos putant.* Non erant justi sed videri volebant, Iustitia civili & forensi nimirum. Ideò erant in judicijs & pœnarum mulctis erogandis exactores acerrimi: ut citatur à Barradio ex historiâ scholasticâ. Et rectè quidem ille Comestor Petrus. Huc enim referes Iosephi illud dictum; quo difficiles, morosos, intractabiles omnino pronuntiavit, ita ut ab eorum moribus abhorreret populus, & ad Pharisæos potiùs inclinaret, qui φύσει, quod diximus, ἐπιεικῶς πρὸς τὰς κολάσεις, *Naturaliter, ad pœnas irrogandas moderatè,* saltem maximâ ex parte, *se habebant.* Epiphanij verò verba non sunt prætermittenda, quæ Baronium impulerunt in errorem. Sunt autem ista. Ην δὲ καὶ Σαδδοὺχ τις τοὔνομα κατὰ τὸ παλαιὸν τῶν ἱερέων. Quæ non sunt ab illo patre profecta, sed cujusdam glossatoris adjectamento debentur marginali, unde textum Epiphanij invaserunt. Nom quid, malum, faciunt apud Epiphanium? Perfecta sunt omnia sublatis istis: hiant autem his intrusis, & suspenduntur. *Erat insuper sacerdos quidam Sadoc temporibus priscis.* Quid tum verò? aut cui rei hæc admonitio? Non enim sequitur, ipsum in Israel aperuisse scholam: instituisse sectam: ab illo videri Sadducęos, saltem secundùm aliquos, appellatos. Nec in præcedentibus quicquam est, nec apud consequentia reperitur, quò illa periodus referri debeat. Erat Sacerdos quidam Sadoc temporibus antiquis: addidisset Epiphanius, ut expleret sententiam, & rem planam faceret & enucleatam, *A quo Sadducæi denominantur.* Et certè doctissimus vir Chemnitius in Harmoniâ, hæc ipsa, tanquam ab Epiphanio recitata ascripsit. Sed locum credo non adivit, cum ita scriberet, vir eruditus; fallitur egregiè vel lapsus est memoriâ & hallucinatus, vel etiam ex industriâ, quod non credo. Secundò, vox illa

Comment. ad 3. cap. Matth.

illa ἐπιστάτης, apud Epiphanium, quâ deceptus videtur vel Baronius ipſe, vel illius certè interpres, non eſt, quod illi exiſtimarunt, referenda ad Sadoc Sacerdotem, ſed ad alium cujus nomen in præcedentibus erat poſitũ, nimirum Doſitheum Iudæum, transfugam ad Samaritanos. Is eſt ille ἐπιστάτης. Erat autem Doſitheus ἀπὸ Ἰουδαίων, & ἐν τῇ παιδεύσει κατὰ τὸν νόμον προήκων. Qui cum inter ſuos τὰ πρωτεῖα exambiret, neque tamen aſſequeretur, ἐξέκλινε εἰς τὸ Σαμαρειτικὸν γένος, καὶ ταύτην τὴν αἵρεσιν προεστήσατο; *defecit ad genus Samaritanum, & hæreſi illorum præfuit.* Hæc ubi ſcripſerat, adjungit Epiphanius, de Sadducæis; è radice Samaritanorum illos extitiſſe docens. Nam de Iudaïſmi hæreſibus, in hunc modum ſcribit. Πρῶτοι Σαδδουκαῖοι, ἀπόσπασμα ὄντες, ἀπὸ Δοσιθέου τοῦ προειρημένου. ἐπονομάζουσι δὲ οὗτοι ἑαυτοὺς Σαδδουκαίους δῆθεν, ἀπὸ δικαιοσύνης τῆς ἐπικλήσεως ὁρμωμένης. Σεδὲκ γὰρ ἑρμηνεύεται δικαιοσύνη. Ἦν δὲ καὶ Σαδδούκ τις τοὔνομα κατὰ τὸ παλαιὸν τῶν ἱερέων. ἀλλ᾽ οὐκ ἐνέμειναν οὗτοι ἐν τῇ τοῦ ἐπιστάτου διδασκαλίᾳ. *Primi omnium Sadducæi, avulſi velut propago ab antedicto illo Doſitheo. Denominant ſemet ipſos autem iſti Sadducæos, à juſtitiâ derivatâ voce. Nam Sedec interpretatur juſtitia. Erat & Sadoc quidam nomine Sacerdos antiquiſſimis temporibus. Sed iſti in præceptoris ſui doctrinâ non perſtiterunt.* Doſitheus iccirco Patriarcha ille Samaritanorum à Iudæis transfuga, erat ἐπιστάτης, à cujus doctrinâ prolapſi dicuntur Sadducæi: non autem Sadoc, ſive ille idem fuerit ad quem in diebus Salomonis devolutum ſcimus, ab Elianâ familiâ Pontificatum; ſeu quis alius recentior ejuſdem cum illo appellationis, Antigoni puta Sochæi diſcipulorum aliquis, de quo multa fabulantur Rabbini poſteriores. Nam Doſitheum docuiſſe mortuorum in carne Reſurrectionem, negatam à Sadducæis teſtatur Epiphanius. Sed & Tertullianus cum eodem: quem dum deſcribit ſect. XV. Cardinalis ignorâſſe videtur, certè non animadvertiſſe, authorem ſe & teſtem omni majorem exceptione produxiſſe, qui ſuæ aſſertionis jugulum peteret. Verba Tertulliani ita citat. *Taceo hæreticos Iudaiſmi, Doſitheum Samaritanum: qui primus auſus eſt Prophetas, tanquam non in Spiritu ſancto loquutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice ſurgentes, auſi ſunt ad hanc hæreſin, etiam Carnis Reſurrectionem negare.* Hæc doctiſſimus & vetuſtiſſimus Afer ille, de Præſcrip. cap. XLV. Tantum non conceptis verbis hoc idem ſect. eadem docet, ſui, ut ſæpè, immemor Cardinalis; *In reliquis,* inquiens, *Sadducæos Samaritanis conſenſum præbuiſſe, tantummodo agentes Hieroſolymis, in templo cum Iudæis, non in monte Garizim cum Samaritanis ſacrificâſſe.* Reſurrectionem carnis Iudæorum nemo inficiabatur. Secundùm Chryſoſtomum, non uno in loco, illam ignorabant etiam optimi & Deo dilectiſſimi: Lazarum ille vult nihil de Reſurrectione intellexiſſe. At negabant Samaritæ. Fuit Doſitheus Apoſtata Samaritanus, Sadducæorum ἐπιστάτης, qui non negabat Reſurrectionem; & non Sadoc Sacerdos ille antiquus. Nam ſecundus ille Sadoc an Sacerdos eſſet unquam, oportet priùs probent qui magnis conatibus nugas nobis repræſentant Rabbinorum. Neque obſtat, quod objicitur, fuiſſe Iudæorum Epicureos, & propterea non dictos à Iuſtitiâ. Nam pari modo ſequeretur, non appellatos à Sadoco. Non enim Atheus erat vel Epicureus ille: quemcunque tandem fingunt nobis ſuaviludij Rabbinizantes, Patribus incognitum Sadocum. Neque erant uſque

P quaque

quaque Epicurei: Sed quoad impia quædam dogmata & deliramenta. Nam vitæ plerisque institutis morosæ & seueræ, non erant censendi Epicurei. At esto, sint vel maximè Epicurei. Quasi nomina sint semper notæ rerum κατ' ἀναλογίαν, vel ἐπωνυμίαν, & non etiam quandoq; κατ' ἀντίφρασιν: sicut *bellum* dicitur quod minimè bonum, aut *mons* à movendo, *lucus* à lucendo, quia nihil minùs moveat, aut luceat, vel luce illustretur minùs. Hypocrisis nunquam erat res mundo inaudita. Et Hæretici imprimis & nunc & olim, omnium maximè hypocritæ extiterunt: ut qui diritatem morum & conversationis, dictionis aliquâ lenitate mollire & amicire, sui putarent interesse. Verosimile à Iustitiâ sibi nomen istos imposuisse, propter mores austeros & severiores, & quòd rigidiorem in omnes censuram exercerent, ut scriptum memoravimus à Iosepho. Sed nec illud abludit à veritate, sic dictos vel se voluisse dici, quòd δευτερώσεις illas Pharisaïcas & Traditiones, in contumeliam Scripturarum excogitatas, non admitterent, sed odissent & publicè exagitarent. Nam cum multa quidem impiè Sadducæi & sceleratè in vulgus spargerent, illud unicum egregiè ab ijs factum est, hominibus alioquin insigniter impijs, quòd hominum inventa delirantium, ad legem divinam assui vel præstrui & assumi non paterentur. Legem enim Mosaïcam certum est, idque docet Servator, Sadducæos acceptâsse, ubi impiam ipsorum de Resurrectione blasphemiam testimonio Mosaïco difflavit: Deus non est mortuorum sed vivorum Deus. Non enim aliundè testimonium Servator adducebat (frivolum enim fuisset imò ἐωλοθὲς) quàm ab ijs quos ipsi admittebant libris. Præter Legem Mosaïcam, Scripturarum nihil admittebant, neque audiendi duo vel tres in rebus omnibus pænè Novatores, contra veterum Patrum unanimem in hâc re consensum: Traditiones summopere aversabantur. De quo dogmate Pharisæorum locuples est admodum Iosephus testis, Antiquit. XVIII. II. Νόμιμα πολλὰ παρέδοσαν τῷ δήμῳ φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις. καὶ διὰ τοῦτο, ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Pharisæi multa legalia populo tradiderant à majoribus accepta, quæ in legibus Mosaicis non scribebantur: ea ideò Sadducæorum secta eliminat, illa tantummodo pro Legibus observari debere contendens, quæ in Scripturis continentur: quæ verò è Majorum traditione descenderant, non esse omnino custodienda.* Hæc cum censuerint Sadducæi, & pro lege scriptâ, divinitus revelatâ, contra mendicabula Traditionum humanarum steterint, næ verosimillimum se Sadducæos, hoc est, Iustos reputâsse, & speciosum istum titulum, id quod usu non raro videmus obtinere, horrendis aliorum scelerum portentis prætexuisse. Erat hoc profectò unum in Sadducæis præclarum, quòd hominum placita cum æterni Dei verbo componi, & tantum non anteponi, non possent ferre. Quocircà sunt falsa, quæ scribuntur à Philastrio, cap. IIII. *Eum Resurrectionem, & Angelorum existentiam pernegâsse. Eum*, hoc est, Dositheum, ad Samaritanos transfugam, qui tantùm schismaticus factus est, non autem hæreticus tam flagitiosus. Samaritæ negabant, cum Sadducæis Dosithei discipulis, sed à præceptoris sui placitis desciscentibus, ideoque

legem

Legem ſolam è Scripturis admittebant, in quâ nihil rebantur contineri, quod quovis modo faceret ad ἀνάστασιν & παλιγγενεσίαν illam è pulvere ſtabiliendam. Sed, quod ſcitè notatur ab Epiphanio, etiam in lege Moſis paſſim ἐμφέρεται μὲ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν τὸ σημεῖον, οὐδαμοῦ τάγε τηλαυγῶς κεκήρυκται. *Diſſeminantur reſurrectionis mortuorum indicium, nuſquam, autē liquidò & apertè prædicatur.* Quæ illius obſervatio veriſſima deprehenditur, ex obſervato Servatoris argumento illo, *Deus eſt vivorum, non mortuorum Deus.* Illud ergo impiè quòd Scripturas repudiarent: neque minùs impurè quòd poſt hanc vitam, nec præmium bonis nec ſuppliciū malis repoſita putarent, τὰς κατ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι, *Pœnas & præmia apud inferos tollebant.* Hinc, nullam agnoſcebant, ut paulò priùs dictum eſt, Reſurrectionem: hinc animas hominum, unà cum corporibus interire, & in nihilum recidere blaſphemabant. Hinc Angelos negabant: ſunt enim hæc inter ſe cohærentia, & quaſi concatenatione quadam copulata, Acts 23.28. negabant ſpiritum, cujuſcunq; generis ſpiritalem exiſtentiam, Deum, Angelum, Dæmonem, hominem animâ conſtantem. Hæc omnia, ut ſecundùm voluntatem viverent, & carnis adimplerent deſideria, undè omnem providentiam ſuſtulerant, & è contrario Phariſæis ὁδεύοντες, Fatum omne, & neceſſitatem: propter hæc opinionum monſtra, εἰς ὀλίγους ἄνδρας οὗτος ὁ λόγος ἀφίκετο, *Ad paucos pervenit hoc inſtitutum* (hoc eſt, non multi hanc ſectam amplexabantur) ſed eos præcipuos dignitate: nihil penè poterāt, vel gratiâ, vel authoritate, ἦν τε πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς, ὡς πρὸς ἀλλοτρίους, uti docet Ioſephus Lib. 2. ἁλωσ. 12. *Erant inter ſe moribus agreſtes & crudeles: neque alitèr cum conjunctiſſimis, quam cum maximè alienis, peregrinis & hoſtibus, verſabantur.* Et tamen Iudæorum Pontificum nonnullos, ad hanc impietatem abijſſe præcipites innuit Actorum Apoſtolorum ſeries: docet Ioſephus de Anano juniore; de Alexandro & Ariſtobulo, & eorum parente Iohanne Hyrcano, qui cum diù fœliciſſimè rebus præfuiſſet, declinavit ad extremum, & Atheam Sadducæorum ſententiam amplexabatur.

Sect. III.

Maldonati quædam aſſertiones & calumniæ refelluntur. Sadducæi hæreticine an Athei & Epicuræi. Calviniſtis & Lutheranis anne ſimiles. An potiùs Maldonato & ſodalibus Ieſuitis.

MAldonatus in commentarijs ad III. cap. verſ. VII. Evangelij ſecundùm Matthæum, quaſdam ſuas de Sadducæis aſſertiones propoſuit, non inſuper habendas Nouatoribus, ut vocant, nobis, nec ab inſtitutâ cum Baronio diſquiſitione alienas. Sadducæos, inquit primò, tanquam hæreticos Iudæi habebant: ut Act. 23.6. manifeſtum eſt. Imò, mi homo, non magis hæreticos Sadducæos, quam Phariſæos habebant aut Eſſenos. Sectarum enim nomina erant omnes, & ſcholis diviſæ profeſſiones. Sectas tu ſi omnes Hæreſeis dixeris, Heretici cenſebuntur Chriſtiani. Nam frequenter illā ſectā uſurpat Tertullianus. Erant ſibi invicem fortaſſis hęretici: Phariſæi non minùs Sadducæis, quā Sadducęis illis & Eſſenis. Neq; erant

erant ab his alij, nisi forsan paucissimi, οὐδ' ἐν λόγῳ οὐδ' ἐν ἀριθμῷ, quibus omnes collati Hæretici & erant & dici poterant. Quòd si magis impij Sadducæi, cum ad omnem pietatis & religionis omnis abnegationem ferrentur, spiritus negarent & resurrectionem, non tamen ita Hæretici Sadducæi, ut soli Hæretici haberentur à Iudæis. Secundò, non hæretici si verũ velimus æstimare, sed Athei censendi nobis fuerint: cum nec illa agnoscerent, quæ sunt in religione & in pietate maximè omnium architectonica: Neque illi apud Iudæos, penes quos relliquiæ majorum pietatis & cultus divini residebant, in numero istos Hæreticorum haberent, sed ad Paganos & impios rejicerent. Neque enim Turcas hodiè nos Hæreticos, utcunq; Deum unum agnoscant & profiteantur, habemus. Tertiò non apparet apud beatum Lucam, habitos pro Hæreticis apud Iudęos, non magis quàm si quis è Societate, aut contrariâ familiâ Dominicanorum, se hanc vel illam sectam profiteretur amplecti, has vel illas tueri opiniones, atque hâc suâ professione, tanquam Hęreticos omnes proscriberet & denigraret, alterius familiæ asseclas & alumnos. Paulus ortu se & sectâ Pharisæum agnoscit: è re suâ ratus, cum periclitaretur, dissentionis ansam & occasionem adversarijs, partim Pharisæis, Sadducæis partim, exhibere. Non tamen cum se huic sectæ, puta Pharisaicæ, discipulum agnosceret, propterea Sadducæos, vel si qui aderant Esseni, aut Herodiani, Hæreticos unà agnoscebat: nam nec Pharisęos orthodoxos volebat, hac professione suâ subintelligi. Adisis Lector locum in Actis, & miraberis sequelam hinc derivatam. Secunda Maldonati propositio multas secum involvit absurditates: è convitijs conflatur & maledictis homine prorsus indignis erudito: *Lutheranis illi similes & Calvinianis.* Singulis nimirum & universis, quotquot in illis duabus familijs sua nomina profitentur, aut potiùs per contumeliam concluduntur, id est, quatenus hi & illi Hæretici catholicis vobis audiunt. Ergo tui Maldonate sodales sæculares (nullis enim regulis alligari sustinent) Pharisæorum vices & locum subibunt? Nam Monachorum greges & armenta, Essenos αὐτοπότους deblateratis. At cur verò similes Calvinistis? Nempè quia superbi, seditiosi, Principum gratiam captantes, increduli sunt. Aufer hinc illud, *Calvinistis*, & narra nobis illis tuis elogijs insignem vel insignes; vix erit admissus in rem arbiter aliquis, quin epithetis hujusmodi designari & χαρακτηρίζεσθαι dixerit Iesuitam ut pleriq; hodiè sunt, potiùs quàm Calvinistam. Non quòd propriè & quarto modo Iesuitam nobis denotent hi characteres; sunt enim, sat scio, inter Patres Societatis complures ab his elogijs longissimè abhorrentes, sed quòd multos, & quidem multò plures, hæc ætas è Societate, quàm Calvinismo, hisce similes protulerit, superbos, seditiosos (nostrates præcipuè) & quæ sequuntur. Superbos & elatos fastuque turgidos nemo non facile confitebitur, nisi qui quodnam plerunque animal Iesuita existat, hospes in humanis rebus, ignoraverit. Ex albo mihi aliquem Ribadeneiriano nominatim designa (Andream Schottum, Frontonem Ducęum, Heribertum Rosweydum, & hisce similes semper excipio) Colonũ Capuæ, dixeris, in domicilio superbiæ natum, singulari arrogantiâ, fastu, supercilio se suaque admirantem, aliorum rectè facta lentè probantem & fastidiosè. Quisque ex illo catalogo literator, Rhetoris pullus & Theologaster, Varrones, Cicerones, Augustinos infra se positos fastidit. Etiam homo insigniter

ſigniter ineruditus, & propter ſtuporem atque aſinitatem, ut ita dicam, ridiculus Aquæpontanus, nondum transfuga Bridgwaterus dictus, qui ne tria verba Latina effari poterat, ſermones ſuperambulat Hæreticorum, eique Patri reverendo, ſi Muſis placet, Apolline nullo, εὖγε, εὖγε, grande ſophos, acclamatum. Hi mores, Maldonate, ſi nobis non ſuperbos χαρακτηρίζωσι, doce Nos quid ſuperbiam definiremus. Iam verò quòd appellat ſeditioſos, cavit aſtutè, ſcilicet homo minimè vecors, ne quod puella olim matri apud noſtrates dixit, in vicinarum, ut ſæpè fit, muliercularum jurgijs & convitijs, Mater, tu præveni, meretricem hanc appellare, ne illa ſic te vocet, & verum probet: ita nos de Loiolitis, quos ſcurriliter appellatis Calviniſtas, qui non minùs in Calvini quam Thomæ Aquinatis verba juramus, verè affirmemus, ſaltem κατὰ τὸ πολὺ, Buſtiarios orbis, incendiarios communes, Regum hoſtes & rerumpub. juratos, omnium linguis atque literis uſurpari. Næ, cum primis & præcipuè nos Angli, à multis retro annis hiſce palmarijs ἀνδραγαθήμασιν aſſueti, illud Valerij Maximi, de Hannibale in Romanos animato ἀπόφθεγμα adhibeamus, *Hujus non ſolũ vigiliæ, ſed ipſe etiam ſomnus, noſtræ reipub. capitalis fuit.* Hujus autem, puta Parſonij alicujus aut Creſwelli, Oldcorni, Garnetti, Baldwini, aliorum, quos memoriter tibi tuiſve, Maldonate, gregalibus, ſeditionum, cædium, incendiorum flabella, recitarem. Sed res eſt adeò in confeſſo poſita & luce clarior meridianâ, ut præter Andreas-Cacodæmonas-Iohannes, nemo de iſtorum hominum perfidiâ, & inauditâ Stygijs archivis immanitate dubitaverit.

Sæpe horum famuli turbato ad limina ſomno,
Expavere truces, per vaſta ſilentia, voces,
Et largo ſudore viros reperere futuras
Miſcentes pugnas, & inania bella gerentes.

Οὕτω γὰρ ἄγαν διεφθαρμένοι τὰς ψυχὰς ἦσαν, ὥστε μᾶλλον ἐπιθυμεῖν περιβόητοι εἶναι ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἀτυχήμασιν, ἢ μηδὲν κακὸν πράξαντας ἀγνοεῖσθαι. *Adeò animis iſti ſunt depravatis, ut celebrari ob inſignia quædam infortunia potiùs exoptent, quàm nullâ re improbè, & ſceleratè geſta, ignorari.* Ut inverſis paulisper Dionis Chryſoſtomi verbis utar. At Principum hoſtes, gratiam fortè Principum non captabunt. *De Ilio non capto.* Quaſi verò ſic Lyſandrum dedidicerant, ut non pellem vulpinam in ſubſidium advocent, ubi curta nimis non pertingit leonina. Captant Patres, quos cepiſſe volunt, blandimentis: adulantur paraſiticè, ubi opus, ſi modò Sirenas has admittent εὐηθέστεροι, & velint in omnibus ῥινηλατεῖσθαι. Sin autem cuiquam-*magè fultum eſt generoſo pectus honeſto*, & peſtem hanc & perniciem omnium τῶν ἐπὶ βαθμῶν nimiùm vicinam reformidet, ſentiet ultores: *& conjuratos Erebo procedere manes.* Heus Caſca: hem Ruſcio: expedi virgas: certa crux. Guignardi, Clementes, Ravailliaci, hoc genus omne, jugulis jurata cohors ad omnem aderunt occaſionem. Dolus enim an virtus, quis in hoſte requiret? Lyſandrum Loiolitanæ diſciplinæ Patriarcham jocari ſolitum Sardoniacè, legiſſe memini: Viros, fraudibus, perjurijs, promiſſis, decipiendos, ut pueri bullis, pupis, crepundijs inducuntur. ἢ λόχον ἱέμεναι, ἠδ' ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι, ita ſtant in procinctu, ad utrumque paratiſſimi. Mentitur tertiò Alaſtor iſte, Calviniſtas quos conuomit & conſpurcat, propter incredulitatem Sadducæis aſſimilari: nam, *Neque Reſurrectionem*, inquit, *mortuorum, neque animorum immortalitatem, neque ſpiritum credebant, neque aliud quicquam quod non ſenſu & ratione poſſent comprehendere.* Credebant.

bant. Qui? Sadducæos viz? fatemur autem: Calviniſtas autem? Per jugulum tibi regero, mentiris furcifer. Propudium hominis Male-nate; tu ne ille Maldonatus, quem tantopere in hiſtoriâ ſuâ Iacobus Thuanus dilaudavit? quem ſuſpexit olim viventem videntemque Lutetiæ? Non es idem. Certè è duobus alterum neceſſe eſt dixerim: ut vel ille vir ampliſſimus, & Loiolitanæ familiæ cordolium quondam, quod ego non arbitror, mentitus fuerit in hiſtoriâ; vel inſignis hypocrita Maldonatus extiterit. Aut, ſi tertium libeat addere, Maldonati ſocijs & congerronibus qui prolem poſthumam, protulerunt non Maldonato modeſtiſſimo Theologo, illud quicquid eſt, per omnes commentariorum ſectiones, convitiorum, contumeliarum ſcurrilitatis, & mendaciorum, quæ ſanè nobis plauſtra quædam onerarent, debeamus. Cede autem Calviniſtam, maledicentiſſimum animal, hujus impietatis fautorem aut amentiæ. Nominabo tibi non unum è Pontificijs: imò & Dijs Pontificibus, Atheïſmi fuligine, neque leviter tinctum ſed imbutum penitùs: Alexandros, Iohannes, Leones, Clementes, Iulios, Paulos. Cedo Calviniſtam ἀρχαικῶς ſacrificium & libationes Iovi, Neptuno, alijs, dæmonibus qui obtulerit: Qui cum ad ſolenneis in Eccleſiâ precationes itaret, ſolebat dicere, *Eamus ad communem errorem*: aut, horreſco referens, *ad audiendam fabulam de Ieſu Chriſto.* Cedo Calviniſtam, qui publicè in ſcholis dum ventoſus homo captaret auram popularem, & ingenium ſuum plebi, & inhianti venditaret juventuti, contra religionis Chriſtianæ fundamenta, die alterâ, & quidem acerrimè diſputaverit, & ſequenti, in cauſsâ rationes adductas frigidiuſculè diluerit, tanquam qui nollet vincere; quod fama eſt feciſſe Maldonatum: nec improbabilis omnino fama, cum teſtantibus Ieſuitis Muſſipontanis, conſtet illum poſtulatum hæreſeos fuiſſe aliquando. Agnoſce iccircò, calumnioſiſſime rabula, in quibus Sadducæos κεχαρακτηρισμένους quæras & invenias: qui illorum expreſſiſſimam repręſentent imaginem: quos nunquam ego irritaſſem aliquando, nuſquam vel aliquo verbulo læſiſſem, cum non neminem ex illa Societate ampleᴄtar, & ad annem, niſi ſcurrarum ab hac familia emiſſorum linguæ calamique, omni contumeliarũ genere, & blaſphemiarum, petulanter adeò laſcivirent: αἰσχρὸν γὰρ σιωπᾷν, Ξενοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν. In quo tamen ipſo, præter animi propoſitum & voluntatem, decurſu, ita fibulam orationi, & calamo appingam, ut, quales ſunt in illâ Societate plurimi egregij, illuſtres, omni literarum & virtutum ornamentis inſigniſſimi, quos dixi, Schottos, Frontones, Roſweydos, Leſſios, ab illorum hominum ſocietate ſeparem, quorum cum exitus reformident, non dubito quin abhorreant impietates. Hactenus audivimus luxuriantem & laſcivientem rabulam; exhibebit ſe deinceps prodigioſè ſtultum. Scribit enim Ioſephum Iudæorum hiſtoricum, *Sadducæos facere ſimillimos* Lutheranis & Calviniſtis. Quaſi verò, bipedum ridiculiſſime, de Luthero ac Calvino quicquam Ioſepho Iudæo innotuerat, quos gregales tui, diſputatores futiliſsimi, magnis quibuſdam verborum ampullis, heri atque hodiè, infra centum annos, in Germaniâ atque Gallijs apparuiſſe ſolent vociferari. Potuit autem Ioſephus, ὦ σοφὲ σὺ tales nobis Phariſæos & Sadducæos depingere, ut in illis Ieſuitas quoſdam veſtros velut in tabellâ expreſſos intueremur: at *facere Ieſuitas* non potuit Ioſephus Sadducæos vel Phariſæos. Sed neque tales deſcripſit Ioſephus Calviniſtarum ſuorum Patriarchas Sadducæos, per

omnia

omnia, quales illos mentitur Maldonatus. Ubi enim gratiosos? ubi gratiam captantes potentiorum? ubi seditionum faces aut flabella? Non adhibuit Iosephum vanissimus rapsodus, cum ista scriberet, in consilium. Sed cum, quos oderat, Calvinistas tales finxisset, ex abundanti adjecit, Sadducæorum similitudinem. Nam certè Iosephus de Iudæorum illis Epicureis contraria planè prodit. Pharisæis ea congruunt, non Sadducæis: Iesuitarum Patriarchis, non Calvinistarum: quippè cum illi nihil planè possent propter mores, ut dixi, tetricosiores & tristiores: Pharisæorum iccirco advocatione uti cogebantur, & per eosdem illud impetrare, quod volebant effectum. Sed traditiones ἀγράφους non admittebant, atque in eo similes erant Calvinianis. Etiam hæc est illa Helena quæ has turbas concitavit, & Maldonati maledicentiam exarmavit. Non admiserunt Traditiones. Et rectè, mi homo, non admiserunt. An tu hoc negare Iesuita audes? Non admisit easdem Servator Christus, quin perstrinxit illas olim cum acerbitate. Utinam sic in cæteris errassent Sadducæi. Nam hoc egregium in ipsis, & hoc unicum laude & commendatione dignum. Neq; præter effrontem hunc Iesuitam, vel scriptorum ipsius potiùs interpolatores, culpaverit hanc quispiam Pharisaicarum Traditionum exagitationem. Sed tamen δευτερώσεις tu & traditiones Pharisaicas, utcunque tibi libeat insanire, non defendes: apertè non audes, & perfrictâ fronte, contra Iesum Christum debacchari. Agè igitur, homo insulsissime, quorsum perstringis Sadducæos, qui non scriptas spreverunt Traditiones? Non illos, inquis, aut illas traditiones, aut traditionum illarum vituperatores Sadducæos perstringo, sed hujus temporis Hæreticos, Calvinistas puta & Lutheranos, qui in hoc imitantur Sadducæos. Qui traditiones non scriptas æque atque Sadducæi aversantur. Traditiones, utrique, Sadducęi & Hæretici, reprehendunt. At Traditiones quas illi reprehendebant, tute ipse reprehendes, si Christum sequeris. Separa, si poteris, hæc membra comparata. Quorum par est caussa, eorum laus æqualis vel vituperium. Si propter rem eandem, Traditiones rejectas, reprehendas utrosque, res & caussa par omnino & æqualis erit, & videbitur ita esse non cæcutienti. Traditiones autem non eædem erunt. Fortassè non eædem materialitèr. Formalitèr eædem & finalitèr ad legem assutæ δευτερώσεις illę: ideò autem assutæ, ut τὸ ἐλλιπὲς, & id quod Legi deerat, ad finem suum, per Traditiones illas adimpleretur. Si vestræ, Iesuita, Traditiones, ἐν τῷ μὴ γεγράφθαι, pari passu ambulant cum Pharisaïcis, ad eundem quoque finem referuntur, ut Scripturæ αὐτάρκειαν, quæ nulla est aut esse poterit sine istis, adimpleant: abominantur Hæretici, quos vocas, Traditiones. Sed considerentur, ut oportet, Traditiones, & nec Apostolicas, nec Ecclesiasticas rejiciunt, aut condemnant Traditiones. Scriptura sine Traditionibus habet satis virium ad finem suum destinatum consequendum: Traditiones nisi vel innitantur, vel consentiunt cum Scripturis, hinc rectâ in malã crucem. Sed de Traditionibus non est nunc locus. Et de Sadducæorum hæresi plus satis. Quæ dicta sunt asperius, in Calumniatores, non in Societatem dicta sunto, quam non vellico. His missis accedamus ad Herodianos (nam de Essenis alibi, commodiore loco.) qui, licet inter γνωστὰς αἱρέσεις non essent, non tamen nomen nullum obtinebant; & sunt in sacris Scripturis nominati.

SECT. IIII.

Herodiani Iudæorum hæretici. Meßiam Herodem, Antipatri autem filium, non Antipam, dicebant. Epiphanij laudata & defensa contra Hieronymum sententia. Multæ opiniones de Herodianis. Baronius amplectitur rectam, malè confirmat. Hieronymus notatur. Maldonatus mentitur Theophylact. Beza notatur. Stapletoni multiplex delirium. Suetonij locus de Rege ab Oriente. Herodis dies apud Persiam. Scaliger defensus contra Serarium. Cujus calumniæ refelluntur, notatur ἀκρισία.

QUemadmodum Iesu Christo, orbi revelato, & Gentibus exhibito secundùm promissiones Patribus factas, exorti sunt statim Antichristi multi, qui se opponerent Dei excelso brachio, ac titulum & nomen sibi illud usurparent, quod Dei unigenito debebatur; ita etiam cum recens adhuc nasceretur, aut etiam paulò antequam de Virgine carnem sumpsisset (nam de temporis articulo & τοῦ νῦν non constat Herodianorum exortorum aut aliorum:) multi in Iudæâ oriebantur, qui & novas religionum sectas instituerent, & se etiam pro Messiâ venditarent. Inter cæteros Hæretici quidam, quod Baronius observat, regnante Herode Idumęo prodierunt, qui ipsum pro Messiâ in Scripturis prædicto, reputabant, cui regnum Israelis in æternitatem promissum olim fuerat, eo quod secundùm vaticinium Iacob, regnum in eo recesserat de Iudâ. Huic sententiæ Epiphanius astipulatur, ubi agens de hæresibus Iudæorum, inquit, Μετὰ ταύτην δὲ, καὶ μετὰ ταύτας πάλιν ἑβδόμη αἵρεσις ἦν, ἡ τῶν Ἡρωδιανῶν καλουμένη. οὐδὲν δὲ ἐξόν τι παρηλλαγμένον οὗτοι, ἀλλ᾽ ὅλοι εἰσὶν Ἰουδαῖοι, ἀργοί τε καὶ ὑποκριταί. Ἡρώδην δὲ οὗτοι ἡγοῦνται Χριστὸν Κύριον, τὸν ἐν πάσαις γραφαῖς, νόμου τε καὶ προφητῶν, προσδοκώμενον. *Post hanc autem hæresim* (nempè Ossenorum) *etiam post illas omnes septima erat quæ Herodianorum dicebatur. Nihil isti innovatum introduxere, sed Iudæi quanti quanti certè toti erant, otio dediti & hypocritæ. Herodem arbitrabantur esse illum Christum in Prophetis omnibus & in Lege promissum, & ab omnibus expectatum.* Est hæc doctissimi istius Patris, meo quidem animo, verissima sententia: non tamen adeo communis omnium, ut nunquam passa sit contradicentes: quin à multis olim improbata: à doctissimis non paucis hujus sæculi scriptoribus, explosa est. Quocirca confirmasset hanc suam cum Epiphanio communem opinionem Cardinalis: ad objecta in contrarium respondisset: dubia quædam explicuisset: non tacuisset adversarios, cum in rebus plerunque non controversis, operam nimiam impendit non necessariam. Tertullianum laudat astipulatorem: qui rem breviter & unico quasi verbulo perstringit, *Cum his,* inquiens, *Herodianos, qui Christũ Herodem esse dixerunt.* At Hieronymus quem similia scripsisse affirmat, non modò aliquando contrariũ sensit, verũ etiam, quod illi perquam est familiare, ubi aliquid tractat ἐριστικῶς, nimiâ verborum asperitate & violentiâ contrarium. In dialogo certè contra Luciferianos, Herodem ab istis pro Domino Christo agnitum & susceptum scribit: at in cap. Matth. XXII. in alia omnia potiùs descendit. *Cæsar Augustus,*

Herodem

Herodem filium Antipatri alienigenam & proſelytum, regem Iudæis conſtituerat, qui tributo præeſſet & Romano pareret imperio. Mittunt igitur Phariſæi diſcipulos ſuos cum Herodianis, id eſt, militibus Herodis, quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſolvebant, Herodianos vocabant, & non divino cultui addictos. Iſta Hieronymus οἰκόθεν, & ex animi ſui ſententiâ: addit deinceps contra illam quam tuetur Cardinalis cum Epiphanio, perquàm acerbè in hæc verba. *Quidam Latinorum ridiculè putant Herodianos, qui Herodem eſſe Chriſtum dicebant, quod nuſquam legitur.* Itane, nuſquam? Certè legebatur apud Tertullianum. At qualem virum? Legitur etiamnum apud ipſum Hieronymum. An ἐκ δευτέρων φροντίδων καὶ σοφοτέρων? At nuſquam legitur in Scripturis. Quæſo te, doctiſſime vir, & ubinam in Scripturis reperiſti, fuiſſe milites Herodis hos Herodianos? æquè autem illud atque iſtud ſcriptum. Quod ſi alterutrum in Scripturis, vel quid diverſum, ſcriptum extitiſſet, non tanta extitiſſet de ſenſu loci ſententiarum diſcrepantia. Scripto illi unico adhærerent ſinguli, & contra ſentientes valere juberent, utcunque eruditos, & quantævis authoritatis. Sed neque Latinorum eſt ſolorum opinio. Epiphanius inter Græcos, neque notæ vel claſſis extremæ, reputatur. At diſertis verbis pronuntiat contra Hieronymum. Neq; finxit illam etiam Theophylactus, qui poſtquam illam commemoraverat quam tuetur Hyeronymus opinionem, non ab illo quidem hauſtã, quam nec legerat nec poterat intelligere, ſed hauſtã à Chryſoſtomo, quem ubique ſequuntur in Scripturis interpretandis Græci Interpretes μεταγενέστεροι, & cum primis Theophylactus, in noſtram potiùs, hoc eſt, Epiphanianam, quàm Chryſoſtomianam illam alteram delabitur. Τίνες ἦσαν οἱ Ἡρωδιανοί; reſpondet: ἤτοι στρατιῶται τοῦ Ἡρώδου. ἢ αἵρεσίς τις νεοφανής, τὸν Ἡρώδην αὐτὸν δογματίζουσα Χριστὸν εἶναι. διὰ τὸ ἐπ᾽ αὐτοῦ πέρας δέξασθαι τὴν τῶν Ἰουδαϊκῶν βασιλέων διαδοχήν. *Herodiani autem*, inquit, *qui nam erant? vel milites Herodis, vel hæreſis quædam nuper exorta, quæ Herodem dicebat eſſe Chriſtum, propterea quod in illo, ad ſuam periodum pervenerat, ſucceſſio regum Iudaicorum.* Hæc ille, quo in loco poſteriorem iſtarum opinionum, ſe quidem dicit approbare, eique ſubſcribere, non priori. Tamen alios aliter ſenſiſſe per illam innuit disjunctionem, & diſertim docet comment. in cap. XII. Marci. Non erat hæc igitur Latinorum ſolummodo opinio, quod iratus ſcripſit doctiſſimus Hieronymus, ſed Græcorum & Latinorum communis: & multò magis probabilis, quàm illa de militibus, cujus ipſe aſtipulator inveniebatur. Nam quid militibus, armatis latronibus, & pacis hoſtibus, cum ſcholis & diſcipulis Phariſæorum? Imò verò, quî poterant Herodis milites illi aſſiſtere, eidem famulari, cum jam ante viginti, & quod excurrit annos, inter vivos Herodes ille eſſe deſierat? Nam quod aliqui Herodem non illum Antipatri Aſcalonitem intelligunt vel Idumæum, ſed illo genitum Antipam, hominem nullius rei, nullius authoritatis, non Regem Iudęæ ſed Tetrarcham, ridiculè errant. Aſcribit hunc errorem Maldonatus Theophylacto. Sed perperam aſcribit. Nam apertè Theophylactus & diſertis verbis affirmat, ſe illum Herodem intelligere, ἐφ᾽ οὗ πέρας ἐδέξατο ἡ τῶν Ἰουδαϊκῶν βασιλέων διαδοχή. *In quo Iudaicorum regum ſucceſſio terminabatur.* Niſi fortè Maldonatus in Herode illo Antipâ, & non Herode Antipatri filio, conſummatam opinetur Iudaicum ſceptrũ. Non erravit iccircò Theophylactus, ut erravit pueriliter & ineptè

iracundus ille ſenex Stapletonus noſtras, cujus locum in ſequentibus proferemus. Tertiam addit ſententiam interpres Syrus, qui pro aulicis & domeſticis Herodis intelligit Herodianos. Et eſt ille paraphraſtes, quicunque tandem fuit, valdè antiquus. Ad quam ſe profitetur acceſſionem facere vir eruditus Beza. In quâ quidem ſententiâ, ut in ſuperiore, ineptum ſe propinat Maldonatus. Quartam habet Hugo opinionem in gloſſis ſuper Marci cap. XII. milites fuiſſe CC. numero affirmans, quos Herodi Cleopatra in præſidiū miſerat. Abſurdiſſimè: quaſi non diu ante iſta tempora Cleopatra, admotis aſpidibus, in Ægypto interijſſet, priuſquā Chriſtus Dominus naſceretur; aut regnaret hic Herodes per annos pluſculos: nimirum ille Herodes, qui Chriſto prædicante, rebus in Galilæâ precariò præfuit: primus enim fuerat Herodes Aſcalonita, apud Antonium & Cleopatram gratioſus. Quintam refert Maldonatus opinionem, cæterarum omnium penè abſurdiſſimam: quam nuſquam adhuc legiſſe memini, præterquam apud illum commentatorem, nimirum Iudæ illius Galilæi, ſeditioſorum ducis olim & flabelli, tumultuſq; ingentis concitatoris, reliquias quaſdam extitiſſe, qui tributum Romanis ſolvendum negabant, & ideò vocabantur Herodiani, quòd Herodes ſe illis favere, & benè velle ſimularet, quo gratiam inire poſſet apud Iudæos. A qua ridiculâ opinione non multum videtur abhorruiſſe Beza. Sed pugnat ratio temporis contra hanc ſententiam. Rerum illarum ſeries pugnat. Pugnat Herodis illius primi perpetuus tenor, & in Romanum nomen obſervantia. Nam quòd Beza de ſecundo, & non priore Herode hæc intelligat, atque eam ob cauſſam ſimultates cum Pilato exercuiſſe putat; & propter has ſimultates, & animum à Romanis alienum, Viennam, aut Lugdunum deportatum è regno in exilium, partim, vaniſſimæ ſunt conjecturæ, Ioſephi partim teſtimonio refelluntur. Sexta his accedit à Iano Druſio Hebraïcarum antiquitatum ſollertiſſimo indagatore, qui è Lexico quodam juris Hebraïco profert Rabbinorum deliramenta: Herodem (hunc an illum, vel quemcunque non conſtat) ex deſerto Græcos ſecum attuliſſe, qui in terrâ fuerant habitatâ, & ex ejus nomine ſunt Herodiani appellati. Hanc ille Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα, quemadmodum Lycophronea vates; nulli vel paucis intelligendam. Septimam refert & præfert Maldonatus: Herodianos videri appellatos illos, qui tributum Cæſari ſolvendum contendebant: vel quia, quod ridiculum eſt, tributis colligendis à Romanis præfectus fuerat Herodes: vel quòd iſto modo Imperatorum gratiam & favorem aucuparetur. Sed rectè Beza illud nuſquam à ſe lectum profitetur. Neque enim is qui juſtus eſt ad tributa, hoc eſt, & libenter, & ad ultimum quadrantem ſolvit, aut alios hortatur, voce vel exemplo ad ſolvendum, tributis præficitur colligendis. Herodem, ſive metu, ſeu voluntate, Romanorum voluntatibus obſecundatum, conceſſerim non invitus. Et non eſt improbabile, iſtos ſive ſectæ, ſeu militiæ, aut familiæ homines, qui ad gratiam Herodis ſui agebant omnia, impenſè ſuaſiſſe, & procuraſſe tributi ſolutionem. Sed nequaquam tamen in hoc ſunt omnia. Neque enim propter ſimilem cum Rege voluntatem, hoc eſt, obſequij & obedientiæ propoſitum, denominationem hanc tam ſpecialem ſortirentur. Quin & ipſemet hiſtoriæ ſacræ Scriptor, verborum involvulis prætermiſſis, apertè

loqueretur,

loqueretur (quid enim ni?) & expresſo nomine Herodianos illos diceret, qui tributa ſolvenda affirmabant? Et pari modo, (licet Syrum paraphraſten viri magni ſequantur, de Herodis aulicis hæc capientem nihilominus) ſi id vellet beatiſſimorum Euangeliſtarum hiſtoria ut Herodis aulicos intelligeremus, cur non Aulicos Herodis rotundè dixit? Neque obſtat quod reponunt, Herodem tunc mortuum, & ad patres ſuos collectum. Nam hinc ſequeretur primò, dictos & dicendos Herodianos ab illo Antipâ, non illo Antipatri, quod nullus veterum ſomniavit. Solus enim, credo, Stapletonus, quemadmodum paulò priùs indicavimus, in hunc modum & hæc verba deliravit. *Veniunt Phariſæorum diſcipuli*, inquit, *immunitatis aſſertores veniunt Herodiani, vectigalium exactores, ut Chriſtum in cauſſâ vectigalis caperent, & aliquo reatus vinculo irretirent. Herodes enim, à Tiberio huic tributo colligendo præfectus fuerat, ut qui ejus beneficio regnum acceperat.* In quibus hominis inſanientis præ iracundiâ non raro, multiplex occurrit ἀλογισία. Confundit primùm, exactores vectigalium (publicanos alij dicerent) cum Herodianis. Quaſi Herodiani non eſſent alij, quàm qui vocabantur publicani, à quorum conſortio abhorrebant Phariſæi, qui nuſquam nunquam quicquam duriùs, vel malitioſè in Chriſtum Dominum leguntur admiſiſſe, quin potiùs omnia humanitatis & officij munera exhibuiſſe. Herodem ſecundò Publicanorum principem & coryphæum imaginatur. Quaſi fuiſſet de Equitibus Romanis Herodes: & ideò regnum illi delatum: acſi publicanis, vel procuratoribus regna ſolerent Romani largiri, ut tributis colligendis navarent operam: quæ ſunt utraque ſtupiditatis cujuſdam egregiæ. Tertiò non diſtinguit Herodes duos: nec de utro velit intelligi patefecit. Si priorem intelligat, jam obierat ille diem, priuſquam rerum Tiberius potiretur. Et regnum ille ſuum acquiſierat, Cæſaris Antonijque beneficio, cùm Tiberius nondum in domum tranſierat regnatricem. Si poſteriorem velit, illo primogenitum, ita licebit inſignem procaciſſimi ſenis infantiam, & in antiquitate ignorantiam, irridere. Nam Herodes ille Antipas, Galileæ ſoli præfuit, non Iudęæ; & Tetrarcha non Rex eidem præfuit: iſque gentis illius Tetrarcha fiebat, non in eum finem ut vectigalia, portoria, reditus colligeret Romanorum. Nec erat à Tiberio Tetrarcha creatus, ſed ab Auguſto, ſecundùm teſtamentum & ſupremum parentis ſui Herodis voluntatem. Sed nec Tiberio procurante aut gratiam Auguſti conciliante, ad illam pervenit dignitatem. Conſuluiſſet Ioſephum Stapletonus, non è ſuis loqueretur rapſodijs; tot portenta, tam anguſtâ ſententiâ non concluſiſſet. Neque ſequitur neceſſariò, mortuus erat Herodes ille primus, quocirco φερώνυμοι Herodiani non poterant ab illius exceſſu tot annos perſiſtere in Iudæâ. Meſſiam enim ſuum, quem Herodem rebantur Herodiani iſti, Iudæi expectabant non alium futurum, quàm verum hominem, hominis filium, humano more genitum, quemadmodum fatetur Iudæus Tryphon apud Iuſtinum διαλογιζόμενος. Quocirca mori poterat, quemadmodum & naſci illorum Meſsias. Ideò licet obierat ille Herodes Meſsias, manere poterant & manebant illius aſſeclæ & ſectatores in Iudęâ. Nec obſtat quòd Iudæis infeſtus, inviſus, & odio habitus erat: atque ideò non fuiſſe aut extare potuiſſe aliquos, qui illo vivo hanc foverent opinionem, vel etiam mortuo qui tuerentur; tunc

In Dominicum xxij. poſt Pentecoſt. text. ij.

cùm, ut habet vetus verbum, *mortuus ille non morderet*. Valdè enim ſunt iſta imbecilla, &, quod diceret adverſarius in cauſſâ Hieronymus, perridicula. Primò non eſt κατὰ παντὸς quod de odio affirmant. Erat olim inviſus, neque tunc quidem omnibus, cùm ſublatis & ejectis Aſſamonæis, homo extraneus, alienâ ſtirpe genteque genitus, Romanorum beneficio, regnum in Iſrael adipiſceretur. Sed odium illud omne, vel magnam certè partem, jam olim elüerat ille, & gratiam apud vulgus non vulgarem iniverat, beneficentiâ ſuâ, & liberalitate commendatus. Operibus ille ſuis eam gentem publicis privatis devincierat, & per aliquot annos aſtrictam jam tenuerat. Fatendum tamen eſt, ſub vitæ exitum, odioſum denuò redditum & inviſum. Redierat enim ad ingenium ſuum, & propter quaſdam ſuſpiciones & inanes metus, per contumelias nonnullorum ad ſuam utilitatem omnia referentium, crudeliſſimè in omnes omnium ætatum atque ordinum, etiam conjunctiſſimos, deſæviebat. *Fuit Herodes*, ait ille quiſquis tandem fuerat Gorionides, Lib. V. cap. IIII. *homo importunus ac improbus, qui vexationem jugumque ſuum aggravavit ſuper nos vehementer: & crudelitatem quâ ſuperbus populum & crudelis vexavit non autem regnavit, adeò ut in canâ etiam ſenectute ſuâ quoſdam interficeret. Detraxit ipſi populo integumentum ac veſtem: nulli divitiarum aliquid reliquit, propter exactiones, quibus nos oppreſſit graviſſimas. Alienigenas ditavit, & Iudæos pauperavit. Ipſe in templum ſimulachra introduxit, & ſanctuarium polluit, ut beatus ſit qui anteà mortuus eſt, & non ſenſit crudelitatem Herodis in paucis illis annis qui fluxerunt à tribulatione illâ quæ fuit in captivitate in terrâ inimicorum noſtrorum, quando regnaverunt ſuper nos Reges Babyloniæ. Quoniam Herodes iſte afflixit nos in terrâ noſtrâ graviùs quàm experti ſumus in terrâ inimicorum noſtrorum, in diebus Medorum & Perſarum: Darius enim & Artaxerxes emiſerunt nos de captivitate in terram noſtram: at iſte Rex Herodes plurimos tranſtulit de terrâ noſtrâ, & fecit eos tributarios ſibi & alijs multis populis. Nam fuit Herodes multo crudelior Dario: jactantior Artaxerxe: & avarior Medis. Expectavimus propterea diem mortis ejus, ut egrederemur in libertatem. Ipſe enim redegit nos in ſervitutem, & ſubſtituit in locum ſuum regem Archelaum, in omne malum quod fecit pater ejus, & adjecit adhuc nova.* Hæc & plura Iudæi, nec ſanè injuriâ, querebantur, & miſſis Romam, qui cauſſam agerent apud Imperatorem legatis, ſunt conqueſti. Sed quid hæc tandem, vel graviora ſi proferantur, offecerint? Non eſt opus excuſemus vel diluamus odium, quo Iudæi, nec immeritò, Herodem proſequebantur. Veſpaſianum deinceps an non oderant Iudæi? certè magis ille majore quodam odio dignus, qui gentem univerſam, non hos aut illos, vel familias quaſdam, tantis, tot, tam inauditis cladibus afflixit: & per filium tandem Titum, urbem incendit, demolitus eſt templum, ſubvertit altaria, prophanavit ſacra, & direptis deſpoliatiſque omnibus deſolavit, & in διασπορὰν, ad hunc uſque diem gentem univerſam diſſipavit. Inventi tamen ſunt inter Iudæos, qui eidem per fœdam adulandi libidinem, Meſſiæ illius in Prophetis prænunciati, nomen & dignitatem deferrent, quemadmodum alibi relatum à Cardinali. Neque enim ſolius Ioſephi vox fuerat, *Hoc planè reſponſo Veſpaſiano imperium deſignabatur*, qui creatus eſt in Iudæâ Imperator. *Percrebuerat enim Oriente toto rumor*, ait Suetonius, *vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Oriente profecti imperio potirentur.* Nec cuiquam res mira, nedum videri debet incredibilis, ſi Herodes inveniret palpones

In Veſp. c. 4.

iſtos:

istos: scimus enim inventos, qui Domitianos, Commodos, Maximinos, Maxentios, Pios, Fælices, Victores, patriæ Patres salutarent: qui Caligulis, Neronibus, Elagabalis, hominum monstris & propudijs supparasitarentur nullis virtutibus commendatis, in re nullâ de communi hominum societate benè meritis, cùm in Herode virtutes magnæ, cum maximis vitijs decertarent. Nemo unquam τῶν ἐν τέλει aut megistanum, vivus caruit assentatoribus. Herodes etiam mortuus, ut & Nero, invenit illos, qui memoriam suam gratâ recolerent observatione. *Herodiani*, inquit vetus scholiastes Persij à P. Pythæo olim editus, *natalem Herodis observabant, ut etiam Sabbata: quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt.* Hæc ille Grammaticus, non sine authore suo proculdubio, ad illa Persij è Satyrâ 1ª. ——— *Cùm*

Herodis venere dies, unctâque fenestrâ
Dispositæ pinguem nebulàm vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum:
Cauda natat thynni: tumet alta fidelia vino.

Doctissimus Eusebij animadversor, hæresin hanc fuisse, & corpus quoddam atque sodalitatem ad exemplum eorum qui Confratriæ appellantur, existimavit, qui multa ut in gratiam vivi, etiam in honorem mortui faciebant, illiusque memoriam & natalem quotannis, sacrificijs & honoribus prosequebantur. Hoc rectè notatum abs eruditissimo viro allatrant & arrodunt παντοσοφομάστιγες illi, qui nisi se & sua nil admirari solent, approbare nihil. *Nam quo*, inquit ille Momus, *ex auctore tam multa, tam nova, & magna divinaque promit?* Et quo tu quæso authore promis quæ magis nova, & inaudita statim promis? Nova illa sunt, Herodianæ sodalitates & confratriæ: sacrificia, impendia, dies festi. Sed an sodalitates illo ævo novæ: an omni ævo potiùs inauditæ? saltem nostrâ & majorum memoriâ plurimæ prodierunt, etiam examina sodalitatum; & quidni, mi homo, tam Herodis Idumæi magni olim Regis, sodalitium ferimus, æquè atque Ignatij, è nescio quo gurgustio, Bombomachidæ Catalonij? Scimus olim sodales Titios apud veteres Romanos: Augustales deinceps, & Flaviales, atque Hadrianales sub imperio. Ubi tot exempla præcedentia, an tu novum & inauditum Herodianos sodales appellaveris, ubi omnia ille Cæsareæ domus adulator, ad exemplum Romanorum componebat? Scholiastes ille, vetus author aliquis, erit alicujus puto authoritatis apud Philologos: à nullo profectus Novatore: nisi forsan minus gratus, quòd is cui debemus eum, Petrus Pythæus, non erat novo & furioso, sed antiquo more, Catholicus. Ab illo didicimus scholiaste, Iudæos: non omnes, sed nonnullos (& hoc quid est aliud quam, *fraternitas?*) Herodis Natalem, vel lucis istius, vel Imperij, in usu solenni & celebritate positum, observâsse: qui mos, quid mirum si non statim evanuit, sed aliquandiù, ad Neronis, vel ulterius, duraverit imperium? Nam Herodes ille, ut se ὁμόφυλον cum esset ἀλλόφυλος, in concione appellat apud Iosephum, ita quoque dum adhuc in vivis esset, studio affectatissimo desiderabat videri se esse illum & non alium, promissum per Prophetas Messiam, cui regnum in Israel debebatur. Cui, viri satis clari & illustris, desiderio si satisfactum, quid miramur, ab assentatoribus? neque enim desunt inter Christianos, principum pestes & alastoras hujusce generis. Sed nec impietas ista unius sæculi fuerat,

aut

aut cum Herode ipso terminata. Quid mirum? *Exempla enim fiunt*, aliorum scilicet, *quæ jam esse facinora*, in authoribus, *desierunt*. Nec impietas hominum in quocunque genere cum authore extingui aut evanescere solet. Neq; post ritus illos sepulchrales cessavit adulatio in defunctum, cum viverent & imperio potirentur defuncti liberi & hæredes. Ismaelitæ Muhammedem, ut rectè Scaliger, nebulonem omni scelerum colluvione copertũ; & vivum coluerunt per sodalitates, & sepultum in Inferno, etiam num divinis honoribus prosequuntur. At non loquuntur omnia glossa veteres, quæ sunt posita à Scaligeriano in Eusebianis. Esto non ῥητῶς, & totidem verbis: quædam tamen disertim & expressè: cætera ita, ut si non necessariò, probabiliter tamen admodum intelligantur. An verò quæ Scaligero ut contradicere possit, affert reprehensor, omnia leguntur apud aliquem Patrem inter eos quos aduersarios objecerat Scaligero? an quædam? an quicquam? an vel apex? nisi forsan inter Patres eat Iuvenalis, admodum sinistro omine advocatus. Vult enim per Herodis dies omnia Iudæorum festa, Sabbata & solennitates designari. Scenopegia nominat & dies Purim: quidni adjecit his etiam Pascha & Pentecosten? Hic verò id imprimis dicendum suppetit: si sine justis authoribus, & classicâ authoritate agendũ, me non videre quin antiquus scholiastes, vir doctus & eruditus, quíque legerat authores, quos forsan ne de nomine adversarius salutavit, ex adverso si componatur, Iesuitæ Rambarvillano anteponatur. Secundò, nisi per figurarum nescio quot auxilium, *per omnes dies Herodis*, hoc est, singula Sabbatha & Iudæorum festa, violas, brevem florem (ut de rosâ Horatius) per fenestras, & lucernas sparsas & dispositas, non potest nobis suppeditare. Tertiò autem, more patrio & è præscripto legis cum Sabbatha tum festa celebrant Iudæi: non autem ut pagani & Gentiles, qui mos hic describitur à poeta. Esto autem, dicantur ut voles, *Herodis dies*: Et quidem Romæ: & ab Equite Romano eruditissimo. Cedo rationem appellationis si non præstiteris authoritatem. Dicuntur illa Sabbata observare reges apud Iuvenalem. Sed, mi homo: & naucleri apud Synesium: & ipsa plebecula, apud sacras literas. Observare diem non est dicere diem: à se & suo nomine denotare diem: ut quia Herodes regnavit in Iudæâ: & Sabbatizavit Iudaïco more: iccirco Sabbatha & Iudæorum festi Herodis dies nominentur. Quid ni enim naucleri item dies? certè summâ cum ratione, Iudæorum dies. Serarius observavit, suppono servâsse, sancti Kiliani, quem devotè colebat, solennitatem. Observaverant alij Sanctorum aliorum dies, & forsan etiam *meropede* observabant. Quod si quispiam de societate poeta, versibus vellet, ut Persius fecit, complecti Kiliani Natalem & festam lucem, Nicolai Serarij diem diceret? Insanus homuncio non credo effugeret, scio meritus esset, indices expurgatorios, & hæretici pravitatis Inquisitionem. Postremò, cujus tandem Herodis Dies? Antipæ credo: sub quo mentio est Herodianorum in Evangelio. At nec Romæ, nec in Iudæâ tantæ famæ fuit ille vel existimationis. Agrippæ forsan qui magnus dicebatur: quem insani & insulsi palpones illi apud Lucam in Actis, Deum & non hominem mentiuntur. Et id videtur velle Nicolaus. *Imò posset etiam Herodes ille ibi accipi, qui eo ipso supererat tempore, Agrippa nimirum, qui in magnâ apud Caium & Neronem erat gratiâ.* Quid audio Nicolae. Agrippam tum superstitem? cum

Persius

Persius sub Nerone, & quidem monstro, decurso jam quinquennio, ista scriberet? Benè habet. Hoc non indices expurgatorios, sed equuleum flagitat & tortorem. Agrippa is est, qui Actorum XII. plagâ θεηλάτῳ percussus occubuit ante Principem, vel Principi hæredem Neronem destinatũ, quàm te hic ille Scaliger pugnis pungeret hallucinantẽ, superesset modò & ætherea vesceretur aurâ? Mitiùs forsan, te tamen & Baronius, ille tantus tanti tui buccinator, castigaret. Dixisses ab Herode illo primo & præcipuo dies istos dictos. Sed tum necesse est, mortui memoriæ consecratos pronunties, & dies ab illo celebratos, qui nec diem ulteriùs nec solennitatem ullã collectus ad populares peragebat. Atque ita vel invitus ad sodalitates: ad Natalem Herodis: ad Scaligerum, ad Persium, ad glossas devolvaris. Sed nolo diutiùs cum viro erudito, nugas agere: redeo in viam & ad rem. Nihil prorsus ego video veritati cogruentius, quàm est illa Epiphanij, & Tertulliani sententia de Herodianis. Non tamen absurdum erit si dicantur ex illorum numero quidam, tributis colligendis vel præfuisse, vel operam saltem suam impendisse; hoc est, fuerint aliquatenus publicani. Fortassis & illud magis verosimile: ex aulâ Herodis extitisse quosdam: cùm illius primi, tùm secundi Herodis item. Cùm genus illud hominum ἐν ταῖς αὐλαῖς, sint ad omnia fœdissima adulationum obsequia omnium hominum projectissimi. Sed τὸ κεφάλαιον illud semper existit: eosdem censendos, ut Tertullianus loquitur, *hæreticos Iudaismi*. Atque hæc cùm sit sententia eruditæ Antiquitatis, non erat cur beatus Hieronymus, adeò illam cum stomacho, quod facit, atque indignatione rejiceret & respüeret. Sed mutavit in melius opinionem, & postquam veritatem dies edocüerat, qui priùs sugillaverat Tertullianum, linguâ ipsius loquitur tantùm non & verbis deinceps. Quam cùm Nos novatores cum antiquis patribus amplectamur, illi qui vel aliorsum abeunt, vel non audent ad partes accedere, quo loco, quo numero sunt censendi?

SECT. V.

Dositheani Iudæorum hæretici. Dositheus post Christum vixit. Origenes explicatus. Dositheani distincti à Samaritanis superstitiosè Sabbathum *colebant. Cardinalem non rectè taxavit Exercitator.*

QUartum genus erat Samaritanorum, qui Dosithei sunt nominati. Ita Cardinalis in apparatu sect. XIII. Intelligit autem Dositheos, vel Dositheanos, ut nonnulli vocant, quarto loco recensitos apud Epiphaniũ, inter Samaritas repositos fuisse. Quod verũ est. De quibus, quod caput est, prætermisit recitare, nempè horum authorem Dositheum post Christi ἐνσάρκωσιν floruisse: & se pro Messiâ venditasse. Μετὰ τοὺς τοῦ Ἰησοῦ χρόνους, ἠθέλησε καὶ ὁ Σαμαρεὺς Δοσίθεος πεῖσαι Σαμαρεῦσιν, ὅτι αὐτὸς εἴη προφητευόμενος ὑπὸ Μωϋσέως Χριστός. καὶ ἔδοξε τινῶν τῇ ἑαυτοῦ διδασκαλίᾳ κεκρατηκέναι. *Post Iesu tempora, voluit Samaritanus Dositheus, persuadere Samaritis suis, se esse Christum illum, de quo Moses olim erat vaticinatus. Et visus est nonnullos suâ doctrinâ captivos cepisse.* Hæc Origenes alicubi Lib. primo contra Celsum. Signanter autem dicit, *per*

Mosen

Mosen prophetatam; quod solius ejus scripta, repudiatis prophetarum monumentis admittebant Samaritani. Rectissime autem Dosithei sectatores, à Sadducæis distinxit Cardinalis, non solis dogmatum opinionibus, sed temporis & ætatis discrimine: cùm illi antiquissimi in Iudæâ fuerint: Dositheus ut vidimus ex Origene, à tempore Iesu Christi in scenam prodierit. *Sabbathum*, ait, *isti superstitiosè colebant*. Rectè. Nam Dositheus ita statuebat: *Vnusquisque quo habitu, quo loco, quâ positione inventus fuerit ineunte die Sabbathi, ita usque ad vesperam debet permanere.* Summa profectò superstitio. Quæ sola admonere Cardinalem potuit, Iudæum nauclerum apud Synesium in Ecclesiâ quâdam, non fuisse Dositheanum. Neque enim eo habitu, illo loco, illâ positione permanebat in quâ deprehensus fuerat die Sabbati ineunte. Qui enim tenebat clavum, relicto clavo in terram se abjecit. Hoc est, stationem suam deseruit. Sed & admonuit. Neque enim vir doctissimus in illa sectione, quod imponit eidem falsò Exercitator, exemplum illud naucleri apud Synesium, ad Dositheanam hæresim affirmat pertinere: tantummodo per quandam occasionem natam de Dosithei superstitios â Sabbathi observatione, apud Origenem, historiam illam refert ab Synesio commemoratam. *Sanè haud ingratum fore existimamus*, ait, *ex quo in hæc de Sabbathi superstitiosâ observatione semel incidimus, si, quod scribit ad Euoptium de navigatione suâ, hic opportunè recensuerimus.* Quocirca inconsultò, & præpropero culpandi desiderio provectus, Cardinali illustrissimo id ascripsit vir doctissimus, de quo illi non venerat in cogitationem. Historia autem illa quam de Dositheo innuit eâdem sectione apud Epiphanium, de interitu hujus hypocritæ, est, & exitu fœdo, quo tandem σκωληκόβρωτος è vivis excessit, vel deteriùs illo quiddam passus. Neque possum probare nimiam illam diligentiam Exercitatoris, & omnia passim arripiendi, etiam ubi non erat opus, studium, & περιέργειαν. Nam, *Ex Sermonis Latini usu:* & satis convenienter Historicæ veritati scripsit illustrissimus Cardinalis, à Pompeio magno Iudæam ex parte redactam in provinciæ formam: quod tamen sic scriptum, sugillat Exercitator. *Vsus ille sermonis Latini, ex Historica pendet veritate Romanâ.* Nam si ex parte regiones aliquas Romani jubebant esse liberas, ex parte ὑποτελεῖς, & subjectas Romanis Magistratibus, loquendum erat eo modo, quo rem, ut gesta est, ita esse gestam Lectores intelligant. Hic se Bulingerus jactare poterat: qui nihil tamen affert, præter Marcellini testimonium: qui & parùm idoneus author existit formandæ Latinitati, & multum infra Pompeij ætatem subsedit. Sed ut ut se res habet de Scriptore, locus est à proposito alienus. Nam non docet Iudæam in parte redactam in provinciæ formam, in parte relictam fuisse liberam & αὐτόνομον: *Sed Palæstinæ regiones rectori latâ jurisdictione formatas.* Potest autem illa Annalistæ Cardinalis sententia sic exponi, ut non fuerit penitùs & omnino redacta Iudæa in provinciæ formam, eo quod non erat prorsus subiecta Romanorum potestati, sed imperatâ pecuniæ quadam summâ, Hyrcano Regi suo, & Antipatro ἐπιτρόπῳ, traditâ. Vel in parte potest dici redacta in prouinciæ formam, eo quod Hierosolymis tributo imperato, & quibusdam alijs Civitatibus, aliæ non paucæ exemptæ fuerint, & minimè tributis oneratæ. Nam, Gadara, in gratiam Liberti sui Demetrij Gadarensis, μικρὸν ἔμπροσθεν κατασκαφεῖσαν, ἀνέκτισε Pompeius. Alias, quas de nominibus

minibus designavit Historicus τοῖς εἰκέταρον ἀπέδωκε: deindè alijs nominatis addit, πάσας Πομπήϊος ἀφῆκεν ἐλευθέρας. Hoc est, ex parte redegit in provinciam. Neque enim fuit adeò, in Romanâ repub. inauditum, ut ejusdem regionis diversæ gentes, gentis ejusdem civitates aliæ, atque aliæ, non ijsdem uterentur privilegiorum immunitatibus. Benè monuit Bulingerus, liberâ repub. Præsides non dictos, qui mittebantur in provincias cum imperio. Atque in eo cum erraverit Exercitator, non debuit vir eruditus, qui sibi non caverat de Latini Sermonis usu, Cardinalem illustrissimũ ob id ipsum corripuisse. Quanquam Augustus & alij Principes non minùs vocem, *Præsides*, quàm *Imperatores* de libera civitate in subditum imperio transtulere.

Sect. VI.

Hemerobaptistæ: videntur se aquis immersisse. Pharisæi & Esseni quotidiè lavabant. Epiphanius explicatus. Baronius notatur. Nazaræi. Legem fictam dicebant quam habemus: & ad aliam ἀπόκρυφον *provocabant. De Ossenis nimium curtus Cardinalis, cùm sint qui confundunt cum Essenis.*

Distinguit Epiphanius Hemerobaptistas à cæteris Iudaïsmi hæreticis & sectatoribus. Sed cùm μηδὲν παρηλλάττουσα inveniretur τῶν ἄλλων, hæc hæresis ut inquit ille idem Pater, erat potiùs monstrum quoddam, ex multis conflatum, ut rectè advertebat Cardinalis. Illud enim βαπτίζεσθαι quotidiè, æque erat Pharisæorum & Essenorum institutum. Nam Pharisæi non edebant nisi lotis manibus, & quoties domum è foro redibant, lavabant. Illorum erat institutum, Ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα λούεσθαι, *Aquâ frigidâ per diem & per noctem lavare*, ut Iosephus ait. Quam quoque rationem Esseni observabant, à Pythagoreïs ipsorum Patriarchis mutuatam: sic enim illi τὴν ἁγνείαν εἶναι, διὰ καθαρμῶν καὶ λουτρῶν καὶ περιῤῥαντηρίων, *Puritatem esse per purgationes & lavatra, & irrigationes affirmabant.* Baronius, ad annum Christi XXXIII. XIIII. non distinguit istos à Scribis & Pharisæis. Vocat enim, *quoddam genus Scribarum & Pharisæorum.* Sed cur non etiam addidit *Essenorum*, qui vitam vitalem sine lotionibus nullam esse existimabant, id enim est ζῆν apud Epiphanium; de sententiâ communi omniũ rectè loquentiũ: nec est opus correctione Exercitatoris. Sed profectò in lotionibus hæc, opinor, differentia observabatur. Quod cùm cæteri manus tantũ lavarent, dum λουτροῖς aut περιῤῥαντηρίοις uterentur; isti progressi ulterius, se immergebant aquis, & ita totum corpus à vertice ad talos perluerent. Undè βαπτίζεσθαι de ijsdem loquentes Scriptores vocem adhibent, λούεσθαι autem de cæteris. Atque illud voluit doctissimus Epiphanius indicare, cùm tam distinctim & separatim, singulas anni tempestates enumeraret. Τοῦτο δὲ περιττὸν αὕτη κεκτημένη ἡ αἵρεσις, ὡς ἐν ἔαρί τε καὶ μετοπώρῳ, χειμῶνι τε καὶ θέρει, πάντοτε καθημέραν βαπτίζεσθαι, ὅθεν καὶ ἡμεροβαπτιστῶν εἴληφε τὴν ἐπωνυμίαν. *Hoc super cæteras superfluum habet ista hæresis, quòd verno & autumnali tempore, quòd per æstatem atque brumam, singulis diebus baptizarentur aquis, undè & Hemerobaptistarum acceperunt nominationem.* Suffecisset enim dixisse, καθ᾽ ἡμέραν, nisi quiddam ulterius, & quasi novum atque peregrinum indicare vellet: nimirum etiam per hyemem & sub Iove

 frigido,

frigido, in more iſtis poſitum extitiſſe, ut aquis omnino perluerentur, & immerſi mundarentur: quam conſuetudinem & σκληραγωγίαν, ne cæteræ hæreſes nec rigidiſſimæ, obſervabant. Sequuntur Nazaræi apud Epiphanium, quorum inſtituta & theoremata, cum à cæteris omnibus diſcreparent, non debuerat vir illuſtris vel ita tranſilire, vel obſcurè & involutè illorum defungi narratione. *Nec ſacrificia,* inquit, *nec libros Moyſis, cum cæteris habebant communia. Abſtinebantque ab animatis velut immundis.* At, *velut immundis,* non reperio apud Epiphanium. οὔτ' ἐμψύχων μετεῖχον, ἀλλὰ ἀθέμιτον ἦν παρ' αὐτοῖς τὸ χρεῶν μεταλαμβάνειν, ἢ θυσιάζειν. *Animalium non participabant. Sed prohibitum erat apud ipſos carnes vel comedere, vel ſacrificare.* Prohibitum vobis, Baroni, & nobis etiam per carnis privium, ferias quoque quintam & ſextam, vel etiam tertiam, μετέχειν χρεῶν: non tamen abſtinetis, velut ab immundis, eſu carnium, per illos dies. Sed injuriâ vos, & meritò quidem affici, conquerimini ab ijs, qui per æſtum abrepti contradictionis, Romanæ Eccleſiæ πρᾶξιν in jejuniorum ſtatis obſervationibus, cum Montaniſmi delirijs, aut Manichæorum blaſphemijs componunt. Longè enim (fatendum eſt) diverſa ratio, τὴν ἀποχὴν ἐμψύχων, in illâ Eccleſiâ, & illorum συναγωγαῖς, promulgavit. Poteſt ergo fieri, ut animata illi munda habuerint, & tamen ab eſu eorum abſtinuerint. Abſtinebant certè, ſed & à ſacrificijs & fundendo ſanguine animalium abſtinebant. Nulla admittebant ſacrificia. Tantum abeſt ut habuerint, licet non communia cum Iudæis alijs; velut loco, tempore, modove ab alijs diſcrepantes. Dixerunt enim libros illos legis qui extabant, confictos fuiſſe, in quibus ſacrificia commemorantur. Nihil enim illorum aliquando, ab antiquis patribus factitatum. Iccircò Pentateuchum repudiabant. Legem fatebantur accepiſſe Moſen: ſed non illam literis conſignatam, verùm aliam. Hoc modo non abludit quod dixit Cardinalis, *libros legis communes non habuiſſe.* Sabbatum colebant: erant circumciſi: Feſtorum frequentabant ſolennitates: & Patres eos omnes agnoſcebant ab Adamo καὶ περαιτέρω, uſque ad Ieſum filium Nave. Αὐτὴν δὲ οὐ παρεδέχετο τὴν πεντάτευχον, ἀλλὰ ὡμολόγει μὲν τὸν Μωϋσέα, καὶ ὅτι ἐδέξατο τὴν νομοθεσίαν ἐπίστευον. οὐ ταύτην δέ φησιν, ἀλλ' ἑτέραν. ὅθεν τὰ μὲν πάντα φυλάττουσι τῶν Ἰουδαίων, Ἰουδαῖοι ὄντες, θυσίαν δὲ οὐκ ἔθυον, οὔτε ἐμψύχων μετεῖχον, ἀλλ' ἀθέμιτον ἦν παρ' αὐτοῖς τὸ χρεῶν μεταλαμβάνειν ἢ θυσιάζειν αὐτούς. ἔφασκον γὰρ πεπλάσθαι ταῦτα τὰ βιβλία, καὶ μηδὲν τούτων ὑπὸ τῶν πατέρων γεγενῆσθαι. Hactenus de illis Epiphanius, ſatis enucleatè, quæ fortaſſe non debuerat vir illuſtris prætterire, ſed hiſtoricam profeſſus elucidationem pluribus perſequi & enucleare. De Oſſenis, qui ſequuntur, nimis etiam curtus eſſe deprehenditur: præſertim cum affinis adeo vox & appellatio Eſſenis inveniatur, celeberrimæ pœnè Iudaïſmi hæreſi, ut vix aut ne vix diſtinguatur. Præſertim cùm inventi ſint viri eruditi, qui eoſdem Eſſenos & Oſſenos contendunt eſſe, neque debuiſſe Epiphanium pronunciant, diverſas haſce ſectas & familias conſtituere Hæreticorum, quæ una & eadem eſſe invenitur, ſi memoriæ antiquorum paulò accuratiùs excutiantur. Epiphanij authoritas ſibi ipſi ſufficiet, non inficior: bonum tamen factum deſtinam & tibicinem diligentia appoſuiſſet Baroniania, qui dubia quæque & involuta in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſuſcepit enucleanda, & ſartam tectam veritatem conſervandam.

EXERCI-

EXERCITATIO IV.

Sect. I.

De Prophetis in populo Dei. Defecerant ante Christum incarnatum. Caiphas, Balaam &c. quales Prophetæ. Apud Christianos primitivos multi. Inter gentes olim. Sibyllæ famosissimæ, quarum testimonijs veteres Patres usos frustra laboret ut probet Rosweydus. Baronius in quibusdam immeritò reprehensus.

PRophetas olim in populo Dei varijs temporibus diversos fuisse excitatos, nemo est quin intelligat ex Scripturis, cui saltem Scripturæ sunt in manibus. Quos ob hoc ipsum Nazianzenus æque ac νομοθέτας ἢ στρατηγοὺς, Legumlatores vel Duces, τοῦ λαοῦ affirmat προβεβλῆσθαι, populi Antistites extitisse. Istos rectè scripsit Iustinus Martyr, τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, ὡς ἤδη γινόμενα λέγειν: *Ita solitos de venturis proloqui, ac si de præteritis loquerentur.* Erant enim omnes θεόπνευστοι, θεοφόροι, θεοφορούμενοι, à Deo inspirati, portantes Deum, à Deo acti & delati. Non à seipsis loquebantur, sed illa tantummodò, & non alia proloquuti fuerant, quæ æterni consilij particeps ille Spiritus ipsis dictaverat promulganda. Dignum his elogium habes, apud Iustinum illum beatissimum Martyrem. Πάντων τῶν νομιζομένων φιλοσόφων παλαιότεροι, μακάριοι, δίκαιοι, θεοφιλεῖς, θείῳ πνεύματι λαλήσαντες καὶ τὰ μέλλοντα θεσπίζοντες. οὗτοι μόνοι τὸ ἀληθὲς καὶ εἶδον καὶ ἐξεῖπον, μήτε εὐλαβηθέντες μήτε δυσωπηθέντες τίνα, μὴ ἡττημένοι τῆς δόξης. *Erant Prophetæ omnibus illis qui putati sunt philosophi, antiquiores: Beati, justi, Deo dilecti, in divino Spiritu loquentes, & futura prædicentes: Soli isti inter omnes veritatem, cum viderent & intelligerent, ad eum modum enunciarunt, ut neminem metuerent, nullius verecundiâ retardarentur, nec inani gloriæ & ambitioni succumberent.* Defecerant autem isti in populo Dei, per aliquot ætates ante Christum. Nam quod alicubi narrat Iosephus, de nonnullis è sectâ suâ Pharisaïcâ deque alijs ex Essenorum sectâ Prophetiæ dono inspiratis, statuendum non aliter est, quàm prædixisse illos nonnulla, in causis suis prævisa sibi & observata, licet vulgo imperito, & harum rerum rudi, incognita essent & obscura. Aut, prædixisse nonnulla eo modo quo solent interdum morituri entes, animâ seipsam recolligente, atque jam è carcere & vinculis veluti, de corpore suo abituriente. Aut, ut interdum conjectores, harioli, & divini, vel θύται solent: quæ potiùs conjecturæ sunt quàm vaticinia,

In Apol. 1.

Pag. 36.

nia, ſi non pacta quædam & conteſſerationes, tacito modo vel expreſſo, cum ſpiritibus engaſtrimythis & Pythonibus. Aut etiam eo modo quo pſeudo-propheta ille Balaam, aut Caiphas filius perditionis, leguntur vaticinati: Spiritu Dei impellente & urgente, non autem, ut Prophetis ijs inſidente, aut illorum linguas loquelaſque moderante. Erant & apud Chriſtianos veteres & primitivos, Prophetæ celebres, rerum futurarum prædictionibus clari, dum majori adhuc copiâ atque efficaciâ, ſua dona Dei Spiritus & Chariſmata in Eccleſiam profunderet & propagaret. Hinc contra Iudæos Iuſtinus ille ſupra memoratus Martyr concludit eruditè, Chriſtianos in hæreditatem Dei, & partem antiqui Iſraelis, Iudæis rejectis, ſucceſſiſſe. Παρ' ἡμῖν γὰρ καὶ μέχει νῦν προφητικὰ πνεύματα καὶ χαρίσματά ἐστιν, ἐξ οὗ καὶ αὐτοὶ συνιέναι ὀφείλετε, ὅτι τὰ πάλαι ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα εἰς ἡμᾶς μετετέθη. *Apud nos in hodiernum uſque diem prophetici Spiritus & Chariſmata ſunt. Vndè & vos, Iudæi, intelligere poteſtis, quod quæ olim apud vos inveniebantur, ea jam tranſlata ſint ad Nos.* Nam quod Chriſtus videatur circumſcripſiſſe quodammodo hæc dona & chariſmata, uſque ad Iohannem, Matth. XI. XIII. non id volebat Veritas, & magiſter Veritatis, in novo teſtamento nullos olim futuros, quemadmodum in vetuſto fuerant, *videntes*. Nam & aliud prædixerat per Iohelem: & aliud complemento effectum dederat, cùm effunderetur, & quidem, ut nunquam ante, ὑπερβλύζοντως ille divinus Spiritus, & quaqua verſum emanaret. Id tantùm ergo voluit, eò uſque, nempè ad Iohannem Chriſti anteambulonem, Legem viguiſſe & Prophetas, hoc eſt, pacti antiqui terminos prorogatos: abindè novum fœdus ineundum. Neque tamen ſequitur, hinc Baptiſtam inter fœderis antiqui Vates & Sanctos recenſendum non eſſe, quem Servator illo in albo collocavit. Erat enim utriuſque temporis & termini intermedius: Illius, quia Vates rei adimplendæ: hujus quia ἀποδεικτής, dum adimpleretur. Nam & oculis præſentem uſurpavit, & digito monſtravit tranſeuntem. Intermedij verò cujuſcunque ea eſt natura, ut utriuſque participet extremitatis. Itaque præter Apoſtolos, qui de rebus futuris in Eccleſiâ vaticinati ſunt, quarum adhuc τὸ συμπέρασμα & complementum expectamus, viri Apoſtolici, Agabus, Silanus, Iudas, alij: & Philippi Diaconi filiæ Diaconiſſæ: poſt illos etiam multi in Eccleſiâ illa veteri, prophetico ſpiritu leguntur imbuti; quemadmodum docebat Iuſtinus Martyr. Sed & Gentes ſuas habuere vates licet rariores: qui res venturas, non in ſuis cauſis deprehenſas, nec à Iudęorum vatibus acceptas, ſed ſimpliciter pręviſas, & à Deo revelatas enuntiabant. Erant illa quidem extra ordinem collata prophetiæ dona: (quemadmodum & vocatio nonnullorum, & illuminatio ſpecialis) quaſi quædam præviæ tùm prędictiones atque pignora, fore ut Gentes futuris temporibus aliquandò biberent de illo fonte cœleſti & æterno, & de jugi illo puteo irrigarentur undè affatim potabant & hauriebant aquas, in hæreditate conſtituti domus Iacob. Ita Balaamum illum impium, Madianiten Idololatram, hoſtem Iſraelis pernicioſiſſimum, Prophetam appellant Scripturæ ſacræ: qui quidem inter cætera prædicebat de ſtellâ è Iacob oriundâ, & ſceptro ex Iſrael ſuſcitando. Ita quoque Cretenſem Epimenidem, non Poetam appellavit beatus Paulus: non Philoſophum, cum poſſet, ſed Prophetam. Extant enim illius cum apud Platonem tùm etiam alibi Epimenidis diuinationes: quem & ipſum περὶ χρησμῶν ſcripſiſſe ferunt:

runt: & γνωστικώτατον fuisse Laertius commemorat, & valdè multa prædixisse. Sed inter vates omnes & divinos Paganorum, Mopsos, Idmonas, Tiresias, Telemos, Amphiaraos, Helenos, Marcios: inter vates Pythias, Dodonæas, Ammonis, Branchidarum, sacerdotes Bacidas: inter Zoroastras & Hydaspas, præcipua semper erat, cùm apud Gentiles, tùm Christianos, Sibyllarum existimatio. De quibus cum multi multa prodiderint, partim directè & ex instituto, partim oblatâ occasione, tum etiam Baronius illustrissimus in apparatu multa preclarè coacervavit & congessit post vaticinia Iudaicorum Prophetarum, ad illustrandam divinam illam dispensationem in Iesu Christo exhibito & incarnato. Quæ omnia in rem accommodata, dicam tuis verbis, doctissime Rosweyde, contra cavillationes Casaubonianas. *Quidni præferret in aliquam nostræ fidei commendationem?* At tu cur locos benè longos ex Augustino Clemente, Origene describeres, non erat opus, per quos nobis palam faceres, veteres Ecclesiæ priscæ Patres, Sibyllarum usos testimonijs? Quis hoc ignorat, qui vel Lactantium salutavit unquam? & cui quæso non dictus iste Hylas? Utcunque autem clarissimus Baronius, multa verè & eruditè de Sibyllis, & illarum prophetijs annotaverit (quæ immeritò sugillant eruditi quidam) quædam tamen habere illum non ignoras, censurâ vel tuâ, & similium eruditorum atque animadversione non indigna; in quibus tecum si lubet, nos exerceamus, veritatem per omnia, ἰχνηλατοῦντες, minimè, quod non par est, περιστατικῶς.

Sect. II.

Sibyllæ. Siobulæ. Sios. τὸ τῷ σίῳ. Suidas notatur. Sibylla, an proprium alicujus fœminæ nomen. Lactantij, Eustathij sententia de nomine. De numero variant authores. Iejunus Baronius. Onufrius notatur. Baronij sententiam de Sibyllis non rejecit penitus Exercitator. Multa: non omnia, conficta sub Sibyllarum nomine. Suidæ & Oraculorum portentosa quædam, de Chaldaicâ Sibyllâ. Casauboni censura notatur. Primitivi Patres veritatis amantissimi. ψευδεπίγραφα scripta. De mendacio, Ecclesiæ & Augustini judicium. Casaubonus taxatur.

PRimùm igitur doctissimus Cardinalis in nomine Sibyllarum, illius notione ac notatione ludit: *Sibyllæ*, inquiens, *dictæ quasi θεοβόλαι, nimirum quòd Deo putarentur esse quasi à consilijs, qui solebat his arcana sua & ἀπόρρητα revelare*, quæ abstrusa & in se abscondita illæ vates iterum enunciarent, & hominibus patefacerent. Rectè quidem quoad rem subjectam, non verè tamen quoad etymon, & illam quam volebat docere Cardinalis, nominis denotationem. Prophetę quidem omnes, quodammodo, Deo dici possunt à Consilijs. Et ipsa Sybilla, apud principem poetam, *Divûm interpres* nominatur. Non tamen illæ Latinè dicebantur Theobulæ, sed Sibulæ. *Si*, autem & *Theo*, non levi discrimine distinguuntur. Scribendum Cardinali fuit *Siobulæ*: quod discere potuerat harum rerum Epoptes Cardinalis, à mystagogis suis doctissimis viris, Onufrio Panvinio & Gyraldo.

Hæc

Hæc autem vox *Siobulæ*, est ipsummet nomen Sibyllæ. Erant autem illæ, ut Arnobius loquitur, *Mulieres Deo plenæ, interpretesque Dei.* Σιὸς enim κατὰ γλῶσσαν, Deus est: Æolicâ nimirum dialecto, ut princeps glossographorum Hesychius memorat. Σιὸρ inquit ille, Θεός. Λάκωνες. Rectè. Nam Spartani ρ utebantur loco σ, quemadmodum docet Servius Honoratus ad tertium *perfecti Operis*: & pluribus Casaubonus Animadversor in Athenæum. Hinc illud Laconicum juramentum, νὴ τὼ σιώ, Per Deos. Hoc est per Castorem & Pollucem. Quomodo Latini loquuti sunt, (qui plurima mutuati sunt ab Æolicâ dialecto, quasi usi olim Græci in Italiâ) *Ædepol, Pol, Ecastor.* Suidas vult Sibyllam esse vocem merè Latinam. Ῥωμαϊκὴ, inquit, λέξις, ἑρμηνευομένη προφῆτις, *Romana dictio, interpretata Prophetis.* Sed fallitur Suidas: &, in Græcis cum sit author non contemnendus, prodit se valdè imperitum & rudem literarum Latinarum. Lactantius author est apud Gyraldum, fuisse Sibyllam nomen proprium non appellativum. Illius nimirum fœminæ proprium nomen, quæ princeps & prima, Sibylla vo-
Pag. 351. Edit. Rom. cabatur. In quâ sententiâ cum eodem versatur ad Homeri Iliad. ῥαψῳδ. β. doctissimus poetæ interpres Christianus & Episcopus Eustathius: quem vanissimè quidam, *verbosissimum interpretem* nominarunt. Sed non fuerunt tamen isti, Lactantius & Eustathius in illâ opinione, omnes illas indifferenter Sibyllas dictas fuisse quæ numine correptæ vaticinabantur, sed omnes eo modo θεοφορουμένας & afflatas numine, non incommodè Sybillas potuisse dici: &, quæ Sibyllæ dicebantur, eo modo fuisse afflatas. Φαεννὶς γὰρ θυγάτηρ βασιλεύσαντος ἀνδρὸς ἐν Χάοσι. καὶ αἱ πέλειαι παρὰ Δωδωναίοις. ἐμαντεύσαντο μὲν ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ αὗται· Σίβυλλαι δὲ ὑπ' ἀνθρώπων οὐκ ἐκλήθησαν. *Phaennis filia cujusdam reguli apud Chaonas, & columbæ præterea Dodoneæ vaticinatæ quidem sunt & ipsæ, Deo nimirum repletæ, non tamen ab hominibus Sibyllæ dicebantur*, inquit Pausanias. Sed fortassè Baronius sequebatur depravatam in Lactantio lectionem, apud quem reperitur θεοσβύλην pro σιοβύλλην, uti animadvertit in collectaneis suis Ioannes Scoppa Philologus non indiligens aut indoctus. Nec in numero satis certus Cardinalis. *Decem numero uti aiunt.* Sed qui hoc aiunt, doctissime vir? Omnes aiunt? Ita velle videris. Sed non certè omnes hoc affirmant: *nec consentiunt de numero*, inquit Onufrius eruditissimus. Quæ certè fuerint, vel quot Sibyllæ: quibus locis floruerint aut temporibus, magna est inter veteres scriptores dissensio. Alij unam nec plures affirmant, alij duas: quidam tres: nonnulli quatuor: decem multi: & adhuc plures aliqui constituerunt. Martianus Capella ultra numerũ binariũ non ascendit. Plinius, & Solinus è Plinio, tres suggerit. Ælianus in varijs, recenset quatuor. οἱ δέ φασιν, inquit, καὶ ἑτέρας ἕξ. ὡς τὰς πάσας εἶναι δέκα. Sunt qui addunt his sex alias. Vt fuerint universæ, decem; quæ verba ab Onufrio malè referuntur. Prætermissa sunt penitus à Gyraldo, scriptore in omnibus diligentissimo. Aiunt ergo: Sed quidam, non omnes aiunt. Clemens Alexandrinus inter priscos patres, vir, si quis alius, reconditæ eruditionis, & lectionis infinitæ, τὸ πλῆθος Sibyllarum commemorat indefinitè: Sed tamen πλῆθος. Et quod modo dicebamus, arreptitiæ omnes, quodam modo, & per quandam analogiam Sibyllæ dici poterant & dicebantur. *Sibyllæ*
Orig. viij. viij. *generaliter dicuntur*, ait Isidorus, omnes fæminæ vates, *lingua Græca. Nam* σιὸν *Æolico sermone Deum: βουλὴν Græci mentem nuncupant, quasi Dei mentem. Proindè igitur quia divinam voluntatem hominibus solebant interpretari,*

Sibyllæ

Sibyllæ nominatæ ſunt. Sicut enim omnis vir prophetans, vel vates dicitur vel propheta, ita omnis fæmina prophetans, Sibylla dicitur. Quod nomen ex officio, non proprietate vocabuli eſt. Sed de Sibyllis conſulendi, Lactantius paſſim, maximè autem in primo, cap. VII. Viues in Auguſtin. de Civitate Dei Lib. XVIII. cap. XXVII. Sixtus Senenſ. n. Lib. Bibliothecæ. Ioannes Scoppa Syllogea prima cap. XI. collectaneorum: Onufrius Panvinius, Lilius Gyraldus, qui de iſtis ſcripſerunt ſpeciatim, & in nuperâ editione Oraculorum Sibyllinorum Iohannes Obſopæus; ſparſim de ijſdem plerique Patres, præcipuè quibus res olim fuerat cum gentium Philoſophis & Paganis, nomini & pietati Chriſtianæ infeſtis. Nam veriſſimè ſcriptum Cardinali, *Conſilium Dei fuiſſe, ut longè ante Chriſti adventum tantæ rei Sacramentum Iudæis atque Gentibus innoteſceret: illis quidem per prophetas, hiſce verò per ſuos vates Hydaſpen præcipuè & Sibyllas.* Quam veriſſimâ doctiſſimi viri ſententiam, non omnino videtur rejeciſſe & ex omni parte Exercitator. Non negat enim extitiſſe Sibyllas iſtas fæminas olim fatidicas apud gentes & θεοφορουμένας. Non inficiatur fæminas olim fatidicas fæminas omnino quicquam de Chriſto tradidiſſe, aut de rebus ad fidem & Chriſtum ſpectantibus nihil protuliſſe. Non redargüit Patres illos primitivos, quòd utantur teſtimonijs Sibyllarum: non magis quam Apoſtolum Paulum redargüit, quod Menandri, Arati, Epimenidis verſiculos allegabat. Alia erant, quæ minus in Baronio, & in alijs probabat, rectenè an ſecus non diſquiro, Exercitator. Oraculis Sibyllinis & Vaticinijs, neque olim tribuebant Chriſtiani tantum, neque certè tribuere debebant, quantum prædictionibus prophetarum. Ἡμεῖς ἀποδείκνυμεν, ait Origines, συνάγοντες ἀπὸ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, ὅτι οἱ ἐν Ἰουδαίοις προφῆται, ἐλλαμπόμενοι ὑπὸ τοῦ θείου πνεύματος τοσοῦτον, ὅσον ἦν καὶ αὐτοῖς τοῖς προφητεύουσι χρήσιμον, προαπέλαυον τῆς τοῦ κρείττονος εἰς αὐτοὺς ἐπιδημίας, καὶ διὰ τὴν πρὸς τὴν ψυχὴν αὐτῶν, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, ἁφὴν τοῦ καλουμένου ἁγίου πνεύματος, διορατικώτεροί τε τὸν νοῦν ἐγίνοντο, καὶ τὴν ψυχὴν λαμπρότεροι. *Nos*, Libro VII. contra Celſum, *colligimus è Scripturis ſacris, quòd Prophetæ Iudæorum, illuſtrati divino ſpiritu, quatenus erat opus illo illuſtrari, divinorũ conſiliorũ interpretes primi, fruebantur adventu ad ſe numinis, contactique animâ, ut ita loquar, Sancto Spiritu, et hanc adipiſcebantur ſplendidiorem, & mentem perſpicaciorem, atque adeo corpus ipſum, non amplius Spiritu contumax, aut rectam vitæ rationem faſtidiens.* Ideo paullò poſt addit idem pater. *Quæ quidem cauſſa eſt, quod nihili pendamus, Pythia, Dodonæa, Claria, Branchidarum, Ammoniſque oracula, & ſi quæ celebrantur alia, ſolaque Iudaica miremur.* Non aſpergit Cardinalẽ iſto crimine Caſaubonus: cùm longè poſtponat ſcio, cum Origine Sibyllas omnes vel minimo vatũ Iudaicorũ: eũ tamẽ de Sibyllis ita ſenſiſſe nõ honorificè probat, ut tantũ ejs detulerit quantũ quidẽ videtur detuliſſe: & omnia illa pro Sibyllinis agnoverit, vel quę olim circumferebantur pro Sibyllinis, vel ſunt etiam à Patribus tanquam Sibyllina uſurpata. Et certè eſt illud omnino veriſſimum: Non omnia, quæ aut hodiè circumferuntur, aut olim etiam ſub ſpecioſo Sibyllarum titulo inſcripta, per manus & linguas hominum ambulabant, genuina fuiſſe Sibyllarum oracula, dixerit aliquis, aut etiam eſſe à fatidicis illis mulieribus profecta, rectè pronuntiaverit. Ante natum Chriſtum, & Herodis Idumæi Principatum, priùs quàm per homines Chriſtianos quicquam in apertum producebatur, aut etiam produci poterat de Chriſto, de regno Chriſti, de rebus Chriſtianis, teſtimonij, ſub Sibyllarum

larum nominibus multa passim prostituebantur, conficta, spuria, inepta, ridicula. Nam si nihil commentitij sub augusto illo nomine volitaret, cur Legati missi sunt à Romanis in Asiam post exustum sociali bello Capitolium, ut Sibyllæ vaticinia Erythris Romam adferrent? Cur datum est negotium sacerdotibus, quod didicimus referente Tacito, *quantum humanâ ope possent*, vera à falsis discernendi? Ob hanc causam Augustus, quod referebat è Suetonio Baronius, non nisi delectu habito, Sibyllina carmina recondidit. Ad eundem modum, (nullus dubito) & post Dominum Christum incarnatum, impostores quidam pari audaciâ grassabantur, & multa à se ac etiam alijs conficta, veluti profecta à Sibyllis, mundo obtruserunt. Apud Suidam illum rapsodum, leguntur quædam prodigijs simillima, fidem omnem transcendentia, de Sibyllæ Chaldaicę, ultra Cecropis ætatem, antiquitate. Quæ non aliundè desumpsit ille Græcus, quàm ex illis Oraculis, quæ non heri atque hodiè, sub Sibyllæ nomine circumferuntur. Leguntur enim ipsissima illa tam prodigiosa verba libro primo pag. 183. edit. Paris.

Ω γενέης ἕκτης πρῶτον γένος, ὦ μέγα χάρμα
Ης ἔτυχον μετέπειτ᾽ ὅτι ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον.
Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ᾽ ἅμ᾽ ἐμῷ πόσει ἢ δαέρεσιν.

Iactatam se affirmat vates in illo diluvio universali, quo Noachus solus cum suis salvus remansit. Ut vel ipsius Patriarchæ, aut filiorum alicujus conjunx fuerit. Ita enim hos versus transtulit interpres Sebastian. Castalio.

O ævi sexti strips prima, ô gaudia magna
Quæ sortita fui, postquàm discrimina mortis
Effugi, iactata meo cum coniuge multum,
Nec non cum leviris glores socero que socruque.

Sed tam ista quàm huius generis alia sunt hominum malè feriatorum imposturæ & figmenta, quæ per illa oracula passim dispersa occurrunt: quæ & olim conficta legebantur, cum datum esset negotium sacerdotibus Romanis per Augustum vera discernendi à falsis, meris rejectamentis & oraculorum ἀποκαθάρμασιν. Non tamen propter ista vel his similia, fidem prorsus omnem & existimationem Sibyllinis oraculis detrahere debebant eruditi viri, tanquam meros logos haberemus, & præter hominum otiosorum imposturas, planè nihil. Ecquis enim est ex antiquis scriptoribus quorum nomina gloriosa, & magnæ authoritatis, non sunt olim futilissimis prætexta nænijs? Athanasio, Hieronymo, beatis Apostolis, non solùm falsa, & futilia, sed etiam blasphema quædam ascribuntur. Quodsi prorsus pseudepigrapha essent hæc oracula, quorsum quæso tum ipsi suam operam, & illud πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνου, tam malè agendo, tam saltem aliud agendo, impendebant, in colligendis, recensendis, typis elegantionibus excudendis, additis etiam figuris æneis, notis industriæ & laboris indicibus, illustrandis illis nugis & quisquilijs circumforanei cujusdam tenebrionis? Ridiculum planè mihi videtur magnis conatibus & impensis molem aliquam magnam exædificare, quam statim ubi tectum vel fastigium induxeris, demoliaris. Et hominis profectò est cùm ingenio, tum otio & industriâ sua abutentis, apparatum & supellectilem non vulgarem ad Sibyllæ illud antrum, hoc est, vaticinia, exornandum comportare, & idem

dem mox iniecto fimo & retrimentis, nescio quibus, obturare. Sed nec ferendam doctissimi Exercitatoris censuram reor esse illam, quam meritò Rosweydus flagellat, qua nimium petulanter, in præjudicium Patrum vetustissimorum, grassatus est; quorum vel judicio, & intelligentiæ: vel fidei & candori: vel etiam doctrinæ & eruditioni detractum ivit Exercitator, quasi vel fucum facere scientes vellent, & per præstigias agyrtarum, in causså fidei φεναχίζειν, etiam apud Ethnicos non prorsus stipites aut asinos, qui fraudem fuissent subodorati: aut quasi possent aut deberent, homines minimè mali (hoc ponitur in confesso) etiam prudentes & nasuti (velit nolit) se pati tam εὐήθως & ridiculè ῥινὸς ἄγεσθαι per imposturarum nequissimos architectos. Quàm vellem Casaubonus spongiam induxisset importunis illis; *Postremo me id vehementer movet, quòd videam primis Ecclesiæ temporibus, quamplurimos extitisse, qui facinus palmarium judicassent, figmentis suis cœlestem veritatem adjutum ire. Quo faciliùs scilicet nova doctrina à Gentium sapientibus admitteretur.* Novam tu doctrinam, pio, opinor, sensu, & religioso affectu vocas, quo Novum in terris: & omnia nova dicuntur sub Evangelio. Quocircò, non sugillo quòd appelles illam novam quam tunc omnino primùm Deus Mundo dignabatur revelare. Sed tamen illa Nova & nuper nata doctrina, cœlitus demissa ab Antiquo dierum, figmentorum subniti non debebat, quo minimè indigebat, sufflamine. Non è rei Naturâ ipsius & formali ratione doctrinæ. Hoc concedes. Sed neque propter mediorum defectum vel ἀδυναμίαν. Erat etenim, *Potentia Dei omni credenti*, in Brachio suo excelso revelata. Quicquid Deus voluit, hoc facillimè perfecit in Cœlo, & in Terrâ. Voluit autem omnia optimè & sanctissimè, hoc est, cum veritate conjuncta, & secundùm suam ipsius Naturam facere. Facilitatem supponis Admissionis, quasi manus mendacijs libenter exporrigere vellent. Imò futilitatem objectionis obtrudis. Nam quod falsum & fucatum ostenditur, nequaquam facilè admittitur à sapientibus. Admittunt illi facilè, id quod est εὐσεβὲς, εὐπρεπὲς, εὔλογον, cum pietate atque ordine conjunctum, nec abhorret à communi ratione. Doctrina cœlestis illa nova, si aliquo aliundè & non suo solo auxilio indigeret & commendatione, à *Diversis* utique, hoc est, humanæ rationis adjumentis: & non â *Contrarijs*, fallacijs, figmentis, imposturis, emendicasset opem commendationis. Figmenta complures plurima, & quidem portentosa, in nascentis Ecclesiæ incunabulis comminiscebantur. Factitabant hoc strenuè Hæreticorum illa tota natio, Simonis Samaritæ τερατώδης; & Gnosticorum schola αἱρετικώδης, qui non alio fine, non intuitu alio, Hæreses ex inferno pestilentissimas suscitabant, quàm ut pro Doctrinis novis, à Gentium sapientibus admitterentur. Iudicabant isti fœtidi impuritatum gurgites, palmarium se facinus perpetratutos, si cœlestem Domini doctrinam suis fictionibus possent conspurcare. Non erat ijs in animo promovere veritatem: non suis neophytis Christianis (nam volebant haberi pro Christianis) eam puram putam, immaculatam instillare. De hisce si intelligas, admittimus figmenta. Sed tum, de fine & proposito reclamamus. Si de ijs qui Christum Iesum, æterni Patris Filium coæternum & coæqualem, factum hominem, factum sub Lege, mortuum, vivuum, regnantem in Cœlis, in fine dierum reversurum, ut vivos & mortuos resuscitare possit, apud Gentiles

propagabant: negamus constantissimè extitisse, apud primos Ecclesiæ proceres, primis temporibus, *Quamplurimos*, qui figmentis suis & mendacijs volebant stabilire veritatem. Nam cita de nomine vel unum nobis, qui notas *Quamplurimos*, falsò & indefinitè. Apostolum mihi designa, vel Apostolicum virum aliquem, in scholâ versatum Apostolorum, vel literis & doctrinâ imbutum Apostolicis. Ex infirmitate errare si hac in parte possent, (& tamen non probaveris errasse vel ex infirmitate) at certo consilio & destinato voluntatis imperio tam fœde deliquisse contra veritatem, & proposito quodam voluntatis mendacia sua mundo obtrusisse, non probaveris. Fidem non decuit, non professionem Christianam: non erat conjunctum cum illorum moribus & τῇ αἱρέσει. Presbyterum quendam ex Asiâ refert Tertullianus convictum aliquando fuisse apud Iohannem Apostolum, de confictâ Pauli & Teclæ peregrinatione, in qua verbi ministerium obitum, baptismi datum Sacramentum, & alia quædam falsa comminiscebatur, per illam fœminam, summa præditam sanctitate, undè meritò per beatum Apostolum, gradu suo, & Presbyteratu decessit exturbatus. Satis evidenti testimonio, quod mihi videtur, quo animo essent, quâ affecti æquitate, & assensu illi vetustissimi Patres, in commentum hoc Casaubonianum, veritatem scilicet, humanis figmentis illustrandam esse vel confirmandam. Officiosa vocabant hæc mendacia, inquit, bono fine excogitata. Agnosco hanc in Scholis, & apud Casuïstas Mendacij solennem, à fine intento, distinctionem. Legimus apud illos, esse quædam Mendacia perniciosa: quædam jocosa. Nonnulla officiosa: sed an vetustissimi illi Patres, hanc agnoverint, hâc usi fuerint distributione, dubito, ἐπέχω, nusquam legisse memini me apud antiquissimos Ecclesiæ proceres officiosum mendacium aliquod excogitatum vel adhibitum in finem bonum. Distinctio illa est, à posteriori sæculo, Augustini fortè, non autem ævo Apostolico. Hoc scio, Patres omnes licentiam illam abominatos, veritatem per mendacia, constabiliendi. *Mendaciorum multa genera*
De Mend. cap. 3. *sunt*, inquit Augustinus, *quæ quidem universaliter odisse debemus. Nullum etenim mendacium est, quod non sit contrarium veritati.* Et paullò post, *Sicut lux & tenebræ: pietas & impietas: justitia & iniquitas, ita inter se sunt veritas & Mendacium. Vndè, quantùm amamus istam, tantùm illud odisse debemus.* Et cap. xx. pronuntiat disertis verbis, Ne quidem ad vitam & salutem conservandam, ullo pacto esse mentiendum: *Quisquis dicit*, inquiens, *pro periclitantis hominis salute, corporali vel spirituali, esse mentiendum, monstratur à veritate exorbitare. Quid si furto nostro, vel adulterio posset aliquis de morte liberari, ideò jurandum est vel mæchandum? Cur animam suam quisquam corrumpat, ut alter vivat in Corpore?* Rationem porrò reddit valdè justam. *Dilectio proximi, ex suâ cujusque dilectione terminum accipit. Diliges proximum tuum sicut teipsum: Quomodo eum diliget sicut seipsum, cui ut præstet vitam temporalem, ipse amittet æternam? Non est hoc, diligere sicut seipsum, sed plus quàm seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam occidit.* Neque aliter ab initio, de veritate, dictis, scriptis, vitâ denique & sanguine propugnandâ, sentiebant Patres. Antiquissimus & doctissimus Iustinus Martyr, Imperatores ipsos, ad quos scribebat, in Apologiâ, communi nomine Christianorum omnium sic affatur. Ἐκ παντὸς τρόπου, καὶ περὶ τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς φιλαληθῆ, κἂν θάνατος ἀπειλῆται, καὶ δίκαια λέγειν τε καὶ πράττειν δεῖ αἱρεῖσθαι,

Veritatis

veritatis quemlibet amatorem oportet, ea quæ justa sunt dicere, facere: atque illa etiam omnino tum cum mors ipsi intentetur, per vitæ suæ dispendium eligere & tueri. Neque erat hæc unius opinio singularis: in communi Christianorum vita propagata versabatur. Ἐξεταζόμενοι, οὐκ ἀρνούμεθα, διὰ τὸ συνεπίστασθαι ἑαυτοῖς μηδὲν κακόν. ἀσεβὲς δὲ ἡγούμενοι κατὰ πάντα μὴ ἀληθεύειν, ὃ καὶ φίλον γινώσκομεν τῷ Θεῷ. *Interrogati, vel torti, non abnegamus (professionem scilicet) nos esse Christianos. Eo quod nullius mali conscij Nobis scimus. Impium verò arbitramur esse, non per omnia & in omnibus veritatem proferre, quam scimus Deo ipsi adeò complacere.* Hæc Iustinus alibi de Christianis: quorum obstinatum animorum propositum, de veritate illæsâ & illibatâ conservandâ dementiam Pagani censebant esse, quod testabatur Tertullianus. Hæc erat illa παρακαταθήκη, per manus Apo- *Apol. 27.*
stolorum Depositum apud sanctam Ecclesiam Dei: hæc πατροπαράδοτος Traditio vetustiorum, transmissa ad discipulos ab Apostolicis viris, qui Iesum Christum vel in Carne viderunt, vel versati fuerant cum Apostolis. Quod & suis etiam scriptis divinus ille Doctor consignavit; qui monuit, non esse malum faciendum, ut eveniant indè bona. Quod cum ipsi per calumniam inureretur, παρῃτεῖτο beatissimus Apostolus Paulus. Apagè ergò ab Ecclesiâ illa primitivâ mendacia quæcunque officiosa, pias fraudes, & imposturas quascunque sacras, quæ utcunque irrepserunt in usum atque πρᾶξιν μεταγενεστέρων; apud heroïca illa tempora & proceres Ecclesiæ primitivæ, vel ignotæ prorsus erant, vel censuris gravissimis notatæ: quippè qui in solâ & nudâ veritate, non fucis & fallacijs, gloriabantur. Sed instat vir doctus, & τὸ πρεσβευόμενον urget. Sexcenti quippè libri, quos illa ætas, & proxima vidit, conficti ab hominibus minimè malis, ab illo fonte omnes profluxerunt. Fonte autem? Quo? Piarum fraudum & imposturarum. Imò non: sed impiarum præstigiarum: Ab insidijs, & fallacijs diabolicis. Illi enim Libri, quos commemoras sub nomine Iesu Christi & Apostolorum conscripti, non à Catholicis, sed Hæreticis proficiscebantur: quod mirum est doctissimum virum, vel ignorare, vel voluisse dissimulare. Nam profligatissimi Hæreticorum omnium: fœx & sentina impuritatis, Gnosticorum natio & Manichæorum; hæc in vulgus protrusit deliramenta: quæ, maximam certè partem, proscripsit decretum Gelasianum. Sed enim, recipiunt, admittunt, & laudant hosce libros, vetustissimi omnium Patres, Iustinus, Clemens, Tertullianus. Hosce autem, vir doctissime? quos? proscriptos à Gelasio & στιγματιζομένους? Omnes autem illos? & per omnia? an scriptos ab officiosè mentientibus tantùm, in illum finem ut rem Christianam promoverent? Quinam isti fuerint recepti & laudati libri: & quatenus admissi, intelligemus, si nobis ignorantibus indicaveris. Quosdam commemorant, recitant, laudant in parte recensitos à Gelasio. Non proscriptos, licet relatos extra Canonem: & conjectos inter Apocryphos. Sed proscriptos, fortè in parte. Gallus etenim gallinaceus, dum vertit stercorarium invenit gemmam. Et quidni? Poetas illi patres citant sæpè, & scriptorum varietatem Paganicorum. Laudant in parte. Et quidni laudent? approbantne per omnia, quos in parte laudant? Laudant autem, an pleno ore? Non credo, quod in parte recitent. Quasi illi Scriptores, laudatores isti, ex compacto ad fucum faciendum, ad veritatem promovendam per imposturas, conspirassent.

 Ita

Ita enim eſt: inter Patres vetuſtos & hæc rejectamenta honeſtatis, vetus verbum videtur obtinere, Ἐγὼ οἶδα Σίμωνα, καὶ Σίμων οἶδεν ἐμέ. Quam fuerat tibi redimendum quantovis pretio, vir doctiſſime, mitius, modeſtius, honorificentius de illâ venerandâ antiquitate meditatus fuiſſes, nec aperto capite è meris conjecturis, ſine omni vel umbra probabilitatis, de graviſſimo crimine mendacio ad veritatem procurandam & propugnandam viros ſanctiſſimos, innocentiſſimos, veraciſſimos poſtulaſſes. Eſto autem abſolvantur à conſpiratione illâ, nec ſcientes & volentes veritati ſubſidium aliquod à mendacio, Deo gloriam quæſiverint à Diabolo: tamen ab εὐηθείᾳ & nimiâ ſimplicitate non poterant excuſari; quippè qui, in ſuis cum Paganorum Philoſophis & proceribus diſputationibus, ad Sibyllas, & Hydaſpas provocarunt. At enimvero, mi homo, prorſus excuſantur: & quidem ſummæ prudentiæ laudem atque ἀγχινοίας meruiſſe ſunt cenſendi, qui proprijs ad certamen illud armis, & quidem accommodatiſſime uſi fuerunt, paganis profligatis per Paganos: Hæreticis ſubactis per Hæreticos contribules ſuos. Neque enim cum Pagano diſputaturus quiſpiam, ex *armario Davidis*, Scripturâ ſacrâ deſumet ſibi tela, quæ contemnent in cauſsâ adverſarij. Paganorum ſcriptorum teſtimonijs erat cum illis agendum: rationes à Naturâ depromendæ, è rerum uſu deſumendæ, in quibus acquieſcere poterant & debebant authoritatibus. Mihi certè rem attentiùs conſideranti, credo etiam cuïvis νοῦν ἔχοντι, hoc ipſum apportabit μεγάλην ῥοπὴν ad perſuadendum, non eſſe Sibyllina oracula conficta à Chriſtianis, quòd veteres illi athletæ Chriſtiani nominis, contra Paganos in aciem vel arenam deſcenſuri, non aliundè adduxerint libentiùs teſtimonia, & ſe inſtruxerint ad certamen quàm ex oraculis illis Sibyllinis. Quid autem? Arbitraris illos ſtipites, fungos, fatuos, bucos, blennos, cum quibus confligebant Patres? Erant autem cum primis naſuti, rerum uſu, & literarum quâdam acceſſione, intelligentes; Philoſophi, Rhetores, artium humanarum profeſſores, in repub. verſati, & ſummis plerunque honoribus functi. An verò dixeris, ſuæ & publicæ cauſſæ prævaricatores, qui rem proderent per perfidiam, quam volebant videri propugnare? Non pecuniâ corruptos, non gratiâ mutatos, non minis deterritos, non ſpe inductos calumniari poteris; ſed ab ijs diſſidentes debes fateri capitali odio, quorum novitates, in religione patriâ ſubvertendâ, abominabantur. Quod ſi ita ſit, cur nuſquam, nunquam eſt objectum à quoquam, & regeſtum advocatis Chriſtianorum & patronis? Cur nuſquam legitur in literis & libris adverſariorum, Hæc falſò Sibyllis & per impoſturas adſcribuntur? quæ conficta χθὲς καὶ πρώην, à Chriſtianis, producuntur? Reſponſio certè facilis & proclivis adeò fuit, quam ſit imber cum pluit: quâ acceptâ & auditâ, obmuteſcerent, fraudis ſuæ conſcij, Chriſtiani. At non eſt reſponſum ad hunc modum, ne quidem ab ingenioſiſſimis, & infeſtiſſimis omnium adverſarijs. Nam noverant Oracula illa teſtatiſſima. Romanos ſciebant tanquam præſens quoddam numen veneratos, in rebus arduis conſulere ſolitos fuiſſe. Οὐδὲν οὕτω Ῥωμαῖοι φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα οὔτε ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλεια
Lib.4. Ἀρχαιολ. θέσφατα, inquit Halicarnaſſeus. Erant multa, Sibyllinis oraculis expoſita, iſta certè quæ contra Paganos tractabantur, orbi univerſo cognitiſſima. Percrebuerat per terrarum orbem, Libris haberi Sibyllinis, Oriente profectum, regnaturum. Hæc ego miror Eribertum adverſarium acrem,

præetermiſiſſe

prætermisisse in talione, quæ incurrant in tam justam reprehensionem, neque possunt ullatenus excusari. Sed ita est, vir eruditus, multis à tergo derelictis, magnisque in Casaubono minimè decursis, sed ne quidem à longè salutatis spatijs, in quibus se effusè jactaret oratio ipsius; nusquam pedem ponit, consistit nusquam, priusquam ipsi post ingentes saltus, nescio quid tritum, commune, & pervagatum de Traditionibus occursaret. Hic paulisper consistit, sed hìc & paulisper: cum tamen de columnarum unâ, religioni Catholicæ-Romanæ sustentandæ, Traditionibus non scriptis, ageretur, & ipsi esset occasio perbenigna ministrata, citandi ad lassitudinem. ἱσπαίαν. Sed Roscius noluit agere, aut crudior fuit. Ne tamen hiantes spectatores, quasi impransos dimittat & famelicos, locum è Clemente Alexandrino, in quo fundata legitur hæc Traditio, descriptum repræsentat nobis in suâ latitudine cum non esset opus.

Sect. III.

Clementis Alexandrini locus, de beato Paulo, qui nusquam legitur in Scripturis. Græci remissi ad Sibyllas de Christo. Clementis ætas. Traditiones ἄγραφοι citissimè corrumpuntur. Salmeronis sententia, nullum scriptum olim Canonicum intercidisse. Traditiones, certæ & indubitatæ non rejectæ. Clemens non rectè dicitur Traditiones advocasse. Exercitationes, & Talio notantur. Casaubonus falsò Clementi imponit. Traditiones Romanæ. Baronius malè ratiocinatur. Clemens explicatur. Cognitio duplex. Humana media. Græca, & Seculares Literæ adhibendæ in sacris. Origenis locus.

CLemens Alexandrinus, quod observat Exercitator, Paulum Apostolum commemorat Græcos rejicientem ad libros Sibyllinos & oracula Hydaspea, ut de filio Dei veritatem indè deducant. Quid autem si commemorat eos ad easdem rejicientem? *Traditio est* autem ista, à Clemente prodita, *nullâ fide digna:* scilicet, quia sic visum doctissimo viro, sine ullâ ratione. Miror te, doctissime Rosweyde, tacitam & intactam hanc censuram, ut sunt multæ quidem aliæ, importunam prætermisisse. Quid ita calamus frigescebat? Quid tua manus languescebat? Certè quidem videbitur, non tibi mens animi defuisse, sed nihil in promptu vel procinctu, ad manum fuisse, quod huic Appio, semper molesto, cum censurâ imperiosâ, opponas. Quæris undè constet, illi Traditioni fidem vacillare? Lentum est & lene, tantummodo quærere, undè constet. Ipse dixit: & ideò constat. Addis Pauli ætatem per duo tantùm sæcula Clementis ætatem præcessisse: ut recens illius Traditionis memoria potuerit esse apud Christianos. Hic instare debebas: hoc urgere: pungit enim. Quin descendisse adhuc, ad unum tantùm sæculum, & quod excurrit paulum. Tertiò, quia tria sunt omnia, ut ter respondeas adversario, non esse mirum, quædam de Sibyllis à Paulo commemorata, cum & Poetarum Græcorum, & publicarum inscriptionum non refugiat authoritatem. Quod quidem non negat Exercitator: sed hoc ipsum à Clemente recitatum

tum, negat, esse inter illa referendum, quæ sic Paulus de Sibyllis commemoraret. De genere non negat, & τῷ καθόλε: hoc ipsum, in hâc classe reponendum negat. Sed deinceps de Poetis à Paulo citatis: ne præoccupemus authoritates. Illud interim in loco, commodè admonendus es, falsò à te dici, nec ad rem propositam, Paulum, quædam de Sibyllis allegasse. Lege enim tua ipsius de Sybillis excerpta è Clemente: λάβετε, ait, καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους. ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. *Sumite vobis Græcorum scripta. Sibyllam legite, & intelligetis quemadmodum illa Deum unum docet, & prædicit quæ ventura erant.* Nihil hic allegat de Sibyllis beatus Apostolus. Remittit tantùm Gentes ad Sibyllas suorum vates: quomodo Iudęos Servator remittit ad Scripturas: Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, Iohan. v. Monet ut Iudæi per se Scripturas consulant: non ipse in præsenti recitabat, aliquod desumptum è Scripturis testimonium. Hoc obiter, quasi non tam proprium aut propinquum huic loco: illud autem proprium est istius loci, de ætatis Clementinæ termino, non valdè remoto abs ævo Apostolorum. Sed non ignoras, duo sæcula, non scriptæ, sed per manus derivatæ Traditioni, offundere posse tenebras & errorem. Cùm illud quod Famæ tantummodo innitatur, & rumoribus incertis debeatur, per unius anni decursi spatium & intervallum, nedum ducentorum, augmenti multum, plurimum etiam accipiat detrimenti. *Vires acquirit eundo*, dixit ille: sed & vires imminutas scimus, & alteratas eundo rerum facies. Nominare tibi possum, sed tute recolere memoriâ sat benè scio potes, non infimæ notæ, non protritæ authoritatis viros, ætate priores, nedum suppares Clementi Alexandrino, qui referebant illa quædam ad Apostolicas Traditiones, quæ Tu, vir doctus, & Theologus, neutiquam probare potes aut vis. Hęreticorum antiquissimi, ante Clementis ætatem & scripta, ludibria, commenta, & insomnia sua: fraudes, muscipulas, & imposturas: horrenda flagitia & impietates, Traditionum elogijs exornabant. Et inter Orthdoxos & pios Patres priscæ illius Ecclesiæ & Apostolicæ, non nemo inventus est, qui per Traditiones παραδεδότες, nescio quas, viam ad absurda quædam dogmata, & tricas ineptissimas muniebant. Nosti quid acciderit illi Papiæ. At cui viro? cujus sæculi & ætatis? Quid ille olim per suas Traditiones, per manus acceptas, ab ipsismet Apostolis, si Deo placet, immediatè, concludebat? & tamen haud assensum tuum accommodabis ijs, quę discipulus eorum Papias, ab ipsis se dicebat Apostolis accepisse. Non est dubium, aut esse potest hominibus non insanis, quum omnia literis fuerint consignata, quæ per illum Apostolum laboriosissimum facta olim, dicta, & in Gentibus fuerunt prædicata. Et fortasse, quæ fuerant mandata literis, non omnia pervenerunt ad manus, ætatem, vel memoriam nostram: etiam θεόπνευστα, & per Spiritus Sancti Amanuenses, scriptis posteritati tradita vel consignata. Non est enim necesse ut Alfonso Salmeroni subscribamus, qui Tomo primo, prolegom. IX. can. IIII, accuratè tenet & exactè defendit, nullum unquam librum, qui fuit aliquando in Ecclesiæ vel Synagogæ Canonem receptus, intercidisse; sed relatum in Canonem, adhuc integrum ad posteros pervenisse. Hoc relatum à Pinedâ, ejusdem Societatis Theologo erudito, in Salomone prævio cap. I. Quam eandem opinionem tuebatur è Protestantibus, Whitakerus: cui nonnulli alij eruditi viri, ex illa Confessione subscripserunt. Quicquid illi, ut mihi videtur,

tur, falsæ sententiæ acciderit & incommodæ, innumera erant alia, negari non poteſt, ab illo Apoſtolo diligentiſſimo, & φιλοπονωτάτῳ, elegantèr, prudentèr, piè, divinè, dicta, quæ nec ab ipſo fuerant, nec ab alio quovis divinitùs inſpirato viro, literis mandata aliquando. Quorum bona pars cur non potuerit, in Eccleſiâ illâ primitivâ omnium antiquiſſimâ per manus tradita, & de manu in manum derivara, ſubſtitiſſe, non video: etiam illibata, & defœcata, præſertim in hujuſcemodi rebus, non obſtante Papiæ, & quorundam ἀπιθεστέρων ἀβλεψία. Tibi fuerat probandum, vir doctiſſime, hanc ipſam à Clemente commemoratam, fuiſſe ex ijs unam. Nam de Traditis quidem multis, non eſt ambigendum. At hoc non probas. Malè. Non eras, ut videtur, probaturus. Agè verò, demonſtra nobis vel hanc fuiſſe Paulinam Traditionem (quanquam hæc ipſa non eſt tanti ut litigemus) vel alias quaſlibet, de quibus litigatur inter partes, fuiſſe profectas, ab Apoſtolis Paulo, Petro, Iohanne cæteris, & ad Nos, ad Noſtra uſque tempora derivatas, noſtris uſibus, noſtræ inſtitutioni, & informationi perpetuæ (nam quaſdam fuiſſe temporibus quibuſdam & occaſionibus accommodatas & attemperatas nemo neſcit) deſtinatas, non contendemus, non repugnabimus de authoritate ſacrâ; amplectemur eo ſenſu, intentione illâ, quâ fuere ab authore nobis commendatæ, illiſque perlibenter aſſurgemus. Clementem authorem laudat Eribertus, qui pronuntiat acceptum à Traditione, beatum Paulum relegaſſe & remiſiſſe Gentiles, ad Sibyllas & Hydaſpas inſtituendos: hoc ipſum uterque, Exercitator & tu Retaliator probatis per Traditionem. Reſpondeo primùm, atque ita tibi fuerat Caſaubono reſpondendum, Non conſtare an hæc ejuſmodi Traditio fuerat. Neq; enim ὁ στρωματεύς, id affirmat. Δηλώσει, hæc illius verba ſunt, πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι, καὶ ὁ ἀπόστολος λέγων Παῦλος. Λάβετε τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε, καὶ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. καὶ καθὼς παράταξιν ποιήσουσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς μισοῦντες αὐτὸν, καὶ τοὺς φοροῦντας τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Vltra Petri prædicationem, docebit hoc ipſum Apoſtolus Paulus inquiens, Sumite vobis in manus Gracorum libros, legite Sibyllam, & intelligetis quemadmodum illa manifeſtat unum Deum. Sumpto quoque in manus veſtras Hyſtaſpe* (potiùs Hydaſpe) *iegite illum, & invenietis filium Dei deſcriptum multo luculentiſſimè & explicatiſſimè. Invenietis etiam relatum qualitèr & quomodo, Reges multi contra Chriſtum ad arma congregabuntur, odio illum habentes, & illos etiam omnes qui cum eo ſunt, de ipſius nomine appellati.* Nullam hic animadverto mentionem fieri Traditionum. Divinatio eſt fieri: potiùs hallucinatio eſt: affirmatio nec eſt nec eſſe poteſt certa. Multo probabiliùs videbitur Clemens Stromateus, loci circumſtantias attendenti, ſcriptam alicubi traditionem, & literis conſignatam, vel ab Apoſtolo, vel de Apoſtolo, quàm per manus traditam, atque ἄγραφον deſignare. Utcunque, gratis illud dictum eſt ab Exercitatore, & ſine ullâ prorſus authoritate, *Traditionem* iſtam *vanam eſſe*, & *fide indignam*, quod legitur apud Clementem, de beato Paulo, Gentiles ad Sibyllam rejiciente. Non enim ſe αὐτόπτην haberi vir doctus vel volebat, vel etiam debuit, ut in re tam vetuſtâ, ante mille & quadringentos annos actâ, quàm literis hęc mandaret in exercitationibus, ſibi potiùs fidem adhibendam putet, quàm doctiſſimo Stromatei Alexandrino. Poterat inſuper Retaliator, non minùs probabilitèr & illud Caſaubono oppoſuiſſe, falſum eſſe quod affirmat inconſultiùs,

inconsultiùs, remissos Gentiles ad Sibyllas, ablegatos ad Hydaspen, ut de Filio Dei veritatem indè hauriant. Nusquam hoc reperitur apud Clementem. Licebit mihi lectores quoscunque sic affari, quemadmodum Paganos est affatus Clemens, λάβετε Clementem: ἐπίγνωτε contextum Clementinum: nusquam Theologiam de filio Dei, mysterium illud magnum mundo revelatum, dicit Clemens, à Sibyllis vel quibuslibet vatibus Paganorum desumendam, ad salutem legenti sufficientem. Duo sunt omnino quæ discenda docet, vel potiùs observanda apud Sibyllas Clemens: Dei unius solius principatum, & in res omnes Monarchiam, ut Iustinus volebat, qui probavit hanc ipsam aliundè: secundo loco res & eventus multarum rerum ab ijsdem vatibus, Deo revelante, longè ante prævisas & prædictas. Non enim solummodo Iacula prævisa minùs feriunt: & *Nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc ipsa per Præscientiæ clypeum muniamur*, quod Gregorius docet; sed ut fidem in eventu faciliorem mereantur, quæ per tot priùs sæcula eventura dicebantur. In hanc rem non ille solus

Hom. 35. in Evangel.

Inter anhelantes Garamantas, corniger Hammon
Fatidico pandit venientia sæcula luco:

Sed multo magis, & ante Iovem genitum, anus quædam fatidicæ διαφρηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. In Oraculis Hydaspinis, ait idem Stromateus, illos inventuros filium Dei, clarissimè descriptum & prædicatum. Quàm clarè non liquet, non potest sciri: cum nusquam jam extent Hydaspis scripta: & quis vel undè fuerit, uon satis constet. Nihil tamen impedit quo minus clarè, venturum Dei filium prænuntiaverit, Spiritu divino impellente, & linguam, ut olim Balaami, moderante. Frivolum est quod statim Exercitator apponit, perspicuitatem istam, majorem quàm in quovis Prophetarum, apud Dei populum θεοφορουμένων, certissimum esse signum ψευδεπιγραφίας. Nisi velit vaticinij Balaam elevare fidem, quandoquidem ne Esaias quidem ἐμφανέστερον dixerit, quæ prædixit, quàm qui, venturum dixit stellam è Iacobo. Loquuntur exertè, clarè pronuntiant pro modo & mensurâ ἐπιφοιτήσεως Θεοῦ: secundùm finem & intentionem moderantis Dei. Itaque licet observare, vates Ethnicos in responsis suis abruptè proloqui non rarò. Ita ille apud summum poetam,

——— *Prohibent nam cætera Parcæ*
Scire Helenum. ———

Sic illa apud Silium Italicum in 1.

——— *Venientia fata*
Scire ultra prohibet Iuno, fibræque repentè
Conticuere. Latent casus longique labores.

Undè *muta* sunt *exta* apud Festum. Etiam ipsæ Sibyllæ ita φοιβολήπτοι vaticinantur perindè ut olim jumentum Balaami loquebatur. Αὐτὴ γάρ, ait ille, οὐχ ὥσπερ οἱ ποιηταὶ καὶ μετὰ τὸ γράφειν ἐξουσίαν εἶχον διορθοῦσθαι καὶ ἐπιξέειν μάλιστα διὰ τὴν τῶν μέτρων ἀκρίβειαν. ἀλλ' ἐν μὲν τῷ τῆς ἐπιπνοίας καιρῷ τὰ τῆς προφητείας ἐπλήρου, παυσαμένης δὲ τῆς ἐπιπνοίας, ἐπαύσατο καὶ ἡ τῶν εἰρημένων μνήμη. *Non suppetebat facultas Sibyllæ versus suos corrigere, & sub incudem revocare postquam illos scripserat, quemadmodum sua carmina corrigendi habebant Poetæ potestatem; & numerorum hiatus explendi: verùm quo tempore afflabatur numine, numeros omnes propheticos adimplebat: cessante afflatu cessabat unà & dictorum penitus reminiscentia.* Itaque hunc admodum

modum potuit Hydaſpes ille, perquam clarè deſcripſiſſe filium Dei. Sed non id affirmat; at volebat Clemens, è ſcriptis aliquibus Hydaſpeis, veritatem completam ſufficientem, perfectam viro Dei informando hauriri poſſe de Filio Dei, aut illâ in Carne συγκατάβασει, non magis quàm è ſcriptis Menandri, Arati, Epimenidis ſive Callimachi, fundatam volebat doctrinam illam & conſtabilitam, quam deſumptis indè teſtimonijs illuſtrabat Paulus: aut, quàm Dei Monarchiam ex aræ Athenienſis inſcriptione comprobabat. Sit vero Traditio quam recitat Clemens: illam Traditionem ſic recitatam urgeret Clemens; non eſt tamen Traditio illa à ſe ſufficiens; non in illum finem à Clemente recitata, ut in cenſu illarum Traditionum reponatur, quæ fidei ultimam ſuſtineant reſolutionem. Sunt in Eccleſiâ Romanâ multæ hujus generis Traditiones non ſcriptæ, incertæ, luxatæ, & tamen ἐπὶ ταύτας, ὡς ἐπὶ τεῖχος ὀχυρὸν καταφεύγειν εἰώθετε. Ad illas, in fidei quæſtionibus controverſis, & dubijs, tanquam ad murum munitiſſimum confugere conſuëviſtis, Eriberte, ut Iuſtini Martyris uſurpem verba de Iudæis: Populo haſce veſtras παραδόσεις, & ineruditæ plebeculæ ſoletis obtrudere, ut de fide certas, & credendas, & aſſenſu firmo ſuſcipiendas, etiam ſub tremendâ illa formulâ, *Hoc crede, & vives.* Ita verũ eſt de vobis, quod ſcriptum reperitur apud Dionem Chryſoſtomum Oratione ultima, Τὸν Διὸς θεσμὸν πάλαι παρέβητε, τὸν δὲ τοῦ δεῖνος, ἢ τοῦ δεῖνος, ὅπως μήτις παραβήσεται σκοπεῖτε. *Jovis certè Leges & dictata olim eſt cum tranſgreſſi fueritis: hujus autem ſcita vel illius, nequis violet aut infringat, accuratam & ſedulam datis operam:* planè ad eundem modum, quo, qui inter Iudæos Legem Dei ſcriptam, per ſuas ipſorum παραδόσεις majorum, irritam penè reddiderant, & inanem. Quas ſcitiſſimè Clemens ille alter Romanus, τὰ διὰ τῆς δευτερώσεως ἐπίσακτα nominavit. Nam, *plenitudo prædicationis:* vel *alia quædam doctrina* Conſtitut.6. *inſtructior*, ut appellat Tertullianus, niſi per Hæreticos infames, in ſup- 22. plementum quaſi Evangelij, à nullis unquam Eccleſiæ obtrudebantur. *Dominus palam edixit*, ait idem Scriptor Afer, *ſine ullâ ſignificatione* De Præſ. *alicujus taciti Sacramenti ipſe præceperat: Si quid in tenebris & in abſcondito* cap.26. *audiſſent, in luce & in tectis prædicarent. Ipſe per ſimilitudinem præfiguraverat, ne unam mnam, id eſt, unum verbum ejus, ſine fructu, in abdito reſervarent. Ipſe docebat lucernam non ſub modio abſtrui debere, ſed in candelabrum conſtitui, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Hæc Apoſtoli, aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, ſi non adimpleverunt, abſcondentes aliquid de Lumine, id eſt, de Dei verbo, & Chriſti Sacramento, Neminem quod ſcio, verebantur: non Iudæorum vim, non Ethnicorum: quo magis, utique in Eccleſia liberè prædicabant, qui in Synagogis, & locis publicis non tacebant: imò neque Iudæos convertere, neque Ethnicos inducere potuiſſent, niſi quod Credi ab ijs volebant, ordine exponerent. Multò magis jam credentibus Eccleſijs nihil ſubtraxiſſent, quæ alijs paucis ſeorſum demandarent.* Hæc doctiſſimus ille Pater: Scripturarum propugnans τὴν αὐτοπιστίαν, & ad finem ſuum, qui eſt, Hominem Dei perfectum reddere, αὐτάρκειαν, contra quarumcunque Traditionum aſſumenta, majorem in modum demonſtrans. Non tamen ille id volebat, nihil penitus ἀγράφως, & per manus traditum ad poſteros, ab Apoſtolis deſcendiſſe. *Multa ſunt quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur:* ut Auguſtinus docet: ſed quemadmodum ſe

explicuït Tertullianus, *Etſi quædam inter domeſticos diſſerebant, non tamen ea fuiſſe credendum eſt, quæ aliam regulam fidei ſuperinducerent, illi contrariam, quam Catholicè in medium proferebant.* Itaque conjungit in rebus Fidei, Scripturas & Traditiones. Ἕνα τοίνυν Θεὸν σέβειν ἡμᾶς, εἴτε θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, εἴτε τῶν πατέρων διδασκαλίαι παιδεύουσι. Sed dupliciter creditur quod credendum eſt: *Ad fidei normam* ſalutaris: Ad hanc ſufficient ſacræ paginæ: *Ad morum exercitia,* & diſciplinam: atque hìc advocandæ Traditiones. Quanquam fides illa ſalutaris, ἐν πλάτει ſuo dupliciter intelligenda: Quoad *ſolidationem*, ἐκ τῶν λογίων θεοπνεύστων: Et quoad *dilucidationem*, ἐκ παραδοθεισῶν παραδόσεων, quæ eſt *Eccleſiaſticæ authoritas intelligentiæ: & Catholici ſenſus norma, ad quam linea interpretationis Scripturæ dirigenda:* ſecundùm *Vniverſitatem loci: Antiquitatem ſententiæ: Conſenſum judicij,* quod præclarè diſputat Vincentius Lirinenſis. Ad quam ſanam intelligentiam, *Vnaquæque provincia,* quod Hieronymus habet, *abundet in ſuo ſenſu: & præcepta majorum Leges Apoſtolicas arbitretur.* Sed hæc de quâ diſſeritur apud Clementem, Traditionum iſtarum cenſum non ingreditur. Ἀλλ᾽ ὡς κατὰ καιρὸν ἧκε τὸ κήρυγμα νῦν, οὕτω κατὰ καιρὸν ἐδόθη νόμος μὲν καὶ προφῆται τοῖς βαρβάροις, φιλοσοφία δὲ τοῖς Ἕλλησι τὰς ἀκοὰς ἐθίζουσα πρὸς τὸ κήρυγμα: Ut in ſequentibus docet idem Clemens. Erant ergò quædam præviæ diſpoſitiones, quibus aures Gentilium aſſuefactæ, faciliùs admitterent promulgandi Evangelij diſpenſationem. Non erat itaque opus, Exercitator hoc in loco caveret, ne ſi Traditio Eccleſiæ admitteretur illa, Veritas pateretur detrimentum. Non admiſit Clemens: & ſi admiſiſſet, importuna erat hæc cenſura. At fidem facit Baronius huic Traditioni: Quoniam in ſcriptis Paulinis etiamnum, laudati inveniantur Poetæ Græci. Profectò Cardinalis Illuſtriſſimus inquit, ſect. 19. *Quidni Paulus ex Græcorum libris aliquando petendum putaret Teſtimonium, cum & Græcos poetas citare conſueverit, ex Græcorum libris?* Cum poetas Græcos citet? quàm inconcinne? Identica autem eſt hæc probatio? an enim Græci poetæ non ſunt Græci? an Libri autem Græcorum ſunt non alij quam quos vocant ξυγγραφεῖς? ut ex animi ſui ſententiâ potuerit Cardinalis dixiſſe Paulum Thucydidem æque ac Menandrum recitâſſe. An verò Græci ſunt, ut Patres loquuntur, Chriſtianis oppoſiti Pagani? incongruè certè quocunque modo, cùm ad phraſin & loquendi formam, tum ad rem etiam ſubjectam. An diceret potiùs, *è Sybillarum libris?* loqueretur tum certè ad intellectum & ſenſum, ſed parùm loqueretur ad veritatem. Non enim Paulus petit ab ijs teſtimonium: neque recitat hoc Clemens in eum finem, ut probaret Paulum petijſſe teſtimonium à Sibyllis. Sed veriſſimum eſt quod intendit Baronius, utcunque more Andabatarum, huc illuc incertus, quaſi cæcus, ruat. Paulum, qui in ſcriptis ſuis legitur Græcorum poetas aliquandò, datâ occaſione, citaviſſe, veroſimiliter potuiſſe, datâ etiam occaſione, Græcos ipſos ad ſuos vates, & eorum vaticinia ablegaſſe, undè doceri poterant & convinci in nonnullis quæ ab ipſo doceri nollent. Ut ità apparet luce clariùs, neque ipſum fuiſſe φλύαρον aut σπερμολόγον: nec doctrinam quam afferebat, novitatem ſapere. Sed non oportuit Baronium illi narratiunculæ aſſerere fidem, eo quo diximus, argumento. Nam ubi de fide & doctrinâ divinitùs revelatâ agitur, nunquam humanis ullis teſtimonijs Apoſtolus utitur. Hæc ſunt è calamo Caſauboniano pag. LXXIIII.

Ratio

Ratio eſt, ut mentem Caſauboni, & ſententiam explicatiorem reddamus, Quià cum fides ſit virtus Theologica, ratio ejus formalis, veritas divina ſit neceſſe eſt, & non humana: divinis effatis, edictis, promulgatis innitatur, & non humanis teſtimonijs aut concluſionibus. Nam ut rectè animadvertit magnus ille naturæ myſtes, *Concluſionis aſſertio non eſt certior, quàm erat aſſenſus principiorum.* Ut credendis de Deo & divinis aſſentiri poſſimus, opus nobis eſt multis: ſuo ordine ſingulis, loco, tempore, gradu, & conditione diſpoſitis. Opus eſt auditu, informatore, exemplis, præmijs, pœnis, miraculis, lumine naturali, alijs medijs humanis & adjumentis ad credendum. Quod ſi non acceſſerit interior informatio, lux interna Spiritus ſancti peculiaris, illã haudquaquam acquieſcet humanus animus, nec ad ſe componet πληροφορίαν, quæ credentes ſequitur ad ſalutem. Dupliciter autem agit, quiſquis fidem vult procurare. Ut, animum movendo, inducat aſſenſum, & in aſſenſu mentem reſolvat & confirmet. Fides præparatur, excitatur, promovetur gradatim illis medijs: ſed ad fidem ultimatè reſolvendam, opus eſt adhuc infuſo habitu non acquiſito. Caſaubonus, Eriberte, reſponderet & *ſeriò & ſobriè*, ne nimiùm triumphes, loquutum ſe eſſe, & intelligi debere, de fidei ratione formali inducendâ, de ultimâ ejus reſolutione: de medijs activis & ſufficientibns, non de prævijs quibuſdam humanis auxilijs, quæ Paulus vel è re natâ intelligebat, vel neceſſariò prærequiſitâ, aut etiam ſimul adhibendâ. Cenſes ne Paulum fuiſſe Arati teſtimonio contentum, ut nihil prætereà præter illud urgeret? aut præter aræ illam ἐπιγραφὴν? apud Philoſophos Athenienſes, nihil omnino in cauſsâ attuliſſe, quo Dei probaret, & evinceret Monarchiam? nimiùm coarctas Apoſtolum Roſweyde. Non ita tu, opinor, cæcutire potuiſti. E contra, nec Caſaubonus ita ceſpitare, ut in omni re aut quæſtione de Fide, omnem putaret excludendam probationem, argumentationem, illuſtrationem, ab auxilijs & incitamentis humanis, à Literis, ut vocantur, ſæcularibus: quæ licet νόθοι ſint, ſunt tamen γνησίοις βοηθοί, ut ſcitiſſimè ſcriptum Nazianzeno. At tum, inquies, quid Caſauboni ratio ad Clementem? Cur non doctiſſimo illi Patri licuit ad Sibyllas remittendos putare Gentiles informandos, convincendos de veritate aliquâ divinâ etiam ad ſalutem neceſſariâ? Certè licebat. Nec Caſaubonum excuſo, hìc, ut mihi videtur, minus cautè & penſiculatè quemadmodum aliàs, incedentem: Nec te, vir erudite, qui videris id egiſſe ut tua nobis hoc in loco adverſaria exonerares, quam rectè quam ſecùs ad verum rei controverſæ ſtatum, ſecurus. Ita quæ deinceps, è ſanctis Patribus accerſis teſtimonia, magnâ quidem ambitione, majore autem chartarum diſpendio, vel nihil probant, nihil improbant, aut quæſitum non probant, ſed diverſum: nempè uſum legitimum & utiliſſimum, contra quoſdam δοκησισόφους è Catharorum familiâ, in doctrinâ ſacrâ, & concionibus, literaturæ ut vocant ſæcularis. *Rectè*, inquis, *Clemens Alexandrinus.* In quo tandem rectè? nam multa ille egregiè. In eo quod docet Paulum Apoſtolum, ut notitiam imprimeret Athenienſibus, unum Deum eſſe non multos, & illam πολυθεΐαν profligaret, ab Aræ Atticæ inſcriptione dicendi ſumpſit occaſionem. Rectè quidem ille. Quid tu autem poſt Clementem? Certè etiã quoad verba, rectè. *Sumit occaſionẽ*, verba ſunt. Sed an ad mentẽ etiam Caſauboni, rectè? nequaquam rectè. Hoc

tibi nego. Non utitur, inquit, in hac re, teſtimonijs ad rem ſufficientibus, & actionem totam conficientibus. Humana teſtimonia in occaſionem vertere divina teſtimonia adhibendi, aliud eſt, non idem quod humanis uti teſtimonijs. Clementis autem locus ſic ſe habet. Vult probare τοὺς Ἕλληνας ἀληθῆ δογματίζειν. Non eſſe omnia in Scriptoribus Græcis à veritate divinâ aliena. Hoc ut conficiat, beati Pauli advocat teſtimonium duplex. Prius eſt ab Aræ inſcriptione. Secundum ab illo Arati hemiſtichio, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Hoc utroque teſtimonio rectè uſum fuiſſe beatum Apoſtolum, an quiſquam Chriſtianus negaturus eſt? ſed quatenus tamen uſum? nam non κατὰ πλάτος debet accipi. Tu autem audi & animadverte ſi rectè attenderis, ad illa quæ ſunt à te ipſo producta in ſequentibus. Eſt, ut explanem Clementem, cognitio quædam κατὰ περίφρασιν, apud Græcos illa haberi poterat, & inveniebatur: eſt cognitio κατ᾽ ἐπίγνωσιν, quæ per ſolum Ieſum Chriſtum Θεάνθρωπον haberi poterat. Quæ eſt τῆς περιφράσεως Ἑλληνικῆς κατάληψις, verbis eam Prophetæ Eſaiæ explicat, *Vt aperias eorum oculos: ut converteres à tenebris ad lucem miſi te ad Gentes: à poteſtate Sathanæ ad Deum.* Ad quam faciendam ἐπιστροφὴν, illa, uti vocat, Ἑλληνικὴ περίφρασις, non ſufficiebat. Atq; ita Clementi, Roſweyde, non multum eſt quod debes. Hieronimo & cæteris nihil magis quam illi, niſi forſan adhuc minus multò quam illi. Prudentis eſt profectò, quod tu rectè affirmas, ut ſe conferat ad Ethnicos, ubi non recipiuntur teſtimonia Prophetarũ. Et verum eſt quod narras ex Hieronymo, Cyprianum morderi apud Lactantium, quod adverſus Demetrianum Gentilem ſcribens, teſtimonijs utebatur Prophetarum & Apoſtolorum, quæ non admittebantur à Paganis. Quod locis à te citatis docet Chryſoſtomus, beatus Dei Spiritus, qui fit omnia omnibus, ut lucretur nonnullos: qui docet extorquere de manibus hoſtium, gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio gladio obtruncare. Qui in Deuteronomio præcipit, mulieris captivæ radendum caput, & ſupercilia: Pilos & ungues reſecandos, atque ita viro Iſraelitico tradendam in matrimonio. Sed hæc omnia præter ſcopum & rem propoſitam: cum literas humaniores in ſacris neutiquam condemnet Exercitator: uſum agnoſcat: adhibeat ipſe plurimum: & in fide etiam informandâ ſuum locum habere & intelligat & profiteatur. Sed ſemper ut ſint βοηθοὶ, propter hominum infirmitatem, non ut γνήσιοι fidei & credulitatis noſtræ Dominæ. Rem totam abſolvam unico Origenis teſtimonio pag. v. contra Celſum, quem Latine tantùm dabo propterea quod prolixior ſit. *Hoc igitur in defenſionem Chriſtianiſmi ex ipſius adverſarij ſcriptis rapimus, quando verum eſt hominem exercitatum in Græcanicis diſciplinis, ſi ad eum accedat, non ſolum approbare veritatem, ſed ad meditationem ejus applicare animum: & ſi quid deeſſe videatur, ſuppleturũ Græcanicis argumentis, ad aſtruendum Chriſtianæ religionis veritatem. His adjiciendum, diſciplinam noſtram habere quandam demonſtrationem propriam, diviniorem quàm ſunt Græcorum demonſtrationes, quam Apoſtolus nominat demonſtrationem ſpiritus & virtutis: utpote Spiritu per Prophetas fidem aſtruente ijs quæ de Chriſto feruntur. Virtute verò per prodigia quæ facta credimus cùm argumentis alijs, tum quia ſuperſunt etiam nunc eorum veſtigia, duntaxat apud eos qui vivunt juxta ipſius voluntatem.* Iſta Origenes: in eo nos acquieſcimus. Nec diverſum ab iſtis ſenſerat doctiſſimus Exercitator.

SECT.

Sect. IV.

Rejicitur ſententia Caſauboni de Sibyllis commentitijs; de pijs fraudibus veterum Patrum. Talionis author in illum injurius in Auguſtino, cujus locus explicatur contra Roſweydum. Objectio de Chriſtianorum falſificatione oraculorum Sibyllinorum. Origenis ad illa reſponſio. Euſebium malè intellectum à Caſaubono non advertit Taliator.

QUæ ſequuntur apud tabulam XI. tuam Eriberte Roſweyde, vir erudite, de Sibyllis ab Euſebio & Auguſtino in dubium vocatis, & fidei dubiæ atque authoritatis conſtitutis, non ſunt omnia συρφετώδη vel rejicienda. Nam quædam de Chriſto Ieſu protuliſſe Sibyllam ſive Erythræam, ſeu Cumanam, (ſive utranque, aut ab illis aliam & diverſam) rectiſſimè aſſeritur ab Auguſtino. Neque ullo modo probari debet, nedum defendi, doctiſſimi Exercitatoris opinio, quâ quæcunque manifeſta repeviuntur de Chriſto Ieſu, & Chriſti in carne οἰκονομία ſub nomine Sibyllarum recitata, vel etiam Hydaſpis & Triſmegiſti, στιγματίζει, & conficta arbitratur, ut pias fraudes, à majoribus. Nimis ille intemperanter & προπετῶς linguam calamumque exacerbavit. Multa ſub eorũ vatum nomine olim ficta non negamus: ſed ante notum nomen Chriſtianum: multa orbi obtruſa quoque confitemur à nugivendulis circumforaneis, etiam poſtquam cepit eſſe inter homines Chriſtianiſmus. Multa ſpuria & ὑποβολιμαῖα adjecta & intermixta veris, cujuſmodi erant quæ è Suidâ proferebamus. Sed an inter iſta ea omnia reponi debent, quæ Chriſtum deſcribunt manifeſtè? ita vult nimirum Exercitator. An eadem conficta ab antiquis Eccleſiæ Chriſtianæ proceribus? Eouſque prorupit vir eruditus, incogitantiæ, ut leviſſimo verbo dicam. *Nam de Hæreticorum libris non loquimur:* inquit. Ἀλλὰ γέρον, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Melius certè de literis & religione: de repub. Chriſtianâ merentur illi heroes; melius vetuſti Patres, quorum venerandam authoritatem nimis equidem protervè contemptum ivit, qui in illam prolapſus eſt inſignitam hæreſim, de Sibyllarum vaticinijs ſpurijs & adulterinis. Hic tu retaliator, ſi laxare voluiſſes orationis tuæ habenas, & ſtilum calamumque exacuere, confitentem me haberes neque repugnantem adverſarium, modo fines non excederes æquanimitatis. Sed tu qui ſanctorum patrum contemptum clamas, & canitiem petulanter, ubi non erat opus, deformatam, hic ubi non nimium repugnaremus, contraxiſti velum orationis. Ampliſſimam certè dicendi materiem, & uberrimam declamandi ſegetem, illa capita ſuppeditaſſent Caſauboniana, quæ penitùs intacta prætervolaſti. Quod vero craſſam clamitas ignorantiam, vel fraudem admiſſam ſuſpicare in locis per teipſum indicatis, non multum hæc recedunt à calumniâ. *Locus ille,* inquis, *Auguſtini, non capitur de Chriſtianis viris eruditis, & judicij limatioris, nec de ipſo Auguſtino; quaſi ipſe cum viris eruditioribus, de fide carminum Sibyllinorum dubitaret, ſed capitur partim de Paganis & Iudæis, partim de Chriſtianis infirmioribus, & judicij minus limati.* Auguſtini verba, è loco nominato recitaverat Exercitator iſta, *Quæcunque aliorum*

De C. D. lib. xviij. cap. xlvij.

aliorum Prophetiæ de Dei per Iesum Christum gratiâ proferuntur, possunt putari à Christianis conficta esse. Ideò nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quàm ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Iudæorũ scripta sunt codicibus. Hunc locũ Augustini cur tandem produxit? quo elogio adornat ipsum Augustinum? *Verissimè*, inquit, *beatus Augustinus.* Nec plura Casaubonus. Hoc tu non probas in talione? ergo minimè vere Augustinus? quicquid sit quod scripsit, minimè verè scripsit, tuo judicio, qui rectissimè videtur, & verissimè scripsisse Exercitatori? Quæ Casaubonus de Paganis, nec illis solis, sed etiam Christianis & judicij limatioris viris intellexit, quibus de fraude subolebat aliquid in Sibyllarum scriptis, Eusebianum alterum testimonium respiciunt, non autem hoc beatissimi Augustini. Dicebat Eusebius, τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν, plurimos de illis ambigere, & suspectæ fidei habere Sibyllina oracula. Quod dictum de Paganis, nec non Christianis exactioris judicij Eusebius intellexit, aut saltem videtur Casaubono, sic intellexisse. Involasses in Casaubonum, & propter Eusebium exagitasses, si, præter mentem ipsius authoris, hoc dictum intellexerit. Sin verò Eusebium ille rectè ceperit, ipsum, τὸν τοῦ Παμφίλου cur tolerasti? Certè nihil potuit unquam accommodatiùs menti & sententiæ Casaubonianæ reperiri, quàm est illud Eusebij testimonium. De Augustino ne verbum addidisses. Non enim secundùm eum pronuntiabit Exercitator. Duo sunt quæ notantur apud Augustinum. Primum est, Posse illa putari conficta à nostris olim hominibus, quæ solebant è libris & vaticinijs Sibyllarum pro fide Christianâ, & de Christo ipso, recitari. Alterum est, firmissima esse illa ipsa testimonia ad convincendos quoslibet alienos, quæ è vaticinijs Iudæorum desumebantur, qui in Spiritu sancto loquuti sunt, & erant sine omni controversiâ vixerantque, priusquam nomen Christianum orbi innotuisset, aut Iesus Christus de Virgine nasceretur. Et quidem quod ad illam objectionem attinet, putabantur à nonnullis esse conficta, quod objectum est à Celso apud Origenem, Christianos παρεγγεγράφεν μὲν εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ καὶ βλάσφημα εἰκῇ δύνασθαι. Sed respondet Origenes huic calumniæ: *Deindè ei nescio quid venit in mentem, ut censeret Sibyllam à nobis potiùs, quam Iesum appellandum fuisse Dei filium, asseverans Nos, multa ejus versibus inseruisse maledica, non tamen indicans quæ sunt illa quæ inseruimus. Indicasset autem si antiqua habuisset incorruptiora exemplaria, in quibus non reperiantur, quæ putat à nobis interpolata.* Hoc est autem quod respondet ad calumniam illam Origenes, Antiquissima Oraculorum illorum exemplaria, & quidem ante Christi incarnationem scripta, satis abundè hanc calumniam diluere, & confutare; in quibus, ea omnia perscripta olim reperiuntur, inquit, quæ vos heri & nudiustertius conficta clamatis esse. Quo quidem responso, vir doctissimus, calumniam illam penitùs confecit, & simul accusationem Casaubonianam. Sed, ut ad Augustinum redeamus: Gentiles & Pagani, Iudæorum vaticinijs num sunt involvendi? Qui nec Prophetas ipsos olim nossent, nec quid dona Prophetiæ & charismata possent? meministi opinor relatum à te nuper de Cypriano, viro disertissimo & acerrimo disputatore, ad morsum illum à Firmiliano apud Lactantium, quod contra Paganum Demetrianum scribens, Prophetarum uteretur θεοφορουμένων, & Apostolorum testimonijs, cum ille ea ficta, fucata, futilia diceret & commentitia? meministi

Lib. vij.

minifti Chryfoftomo, eandem omnino fuiffe mentem? Hieronymo eandem? & cæteris omnibus. Imò verò rationem id fuadere non ignoras, ut in principijs ijfdem fubfiftentes, per communia & confeffa principia refellamus? Quid ergo Auguftinus in contrarium adductus? quafi, vir, fi quis alius, architectonicotatos, & dialecticarum peritiffimus rationum, tam pueriliter hallucinari poterat, ut Paganos convincendos, informandos, docendos è Scripturis, quas non acceptabant, opinaretur. Certè aliter non erat Auguftinus hac in re animatus, quam ille qui Cyprianum fugillabat. Cogita ergo tecum denuò, vir erudite, de quibus ille locus intelligi debeat Auguftini. *De Paganis,* inquiebas, *partim & de Iudæis, partim: etiam de Chriftianis infirmioribus, & judicij minùs limati, quos ideò ait fulciendos.* Vide autem ne fallaris, vir erudite. De Iudæis folis egerat & feparatis, in præcedentibus. De Paganis rem prius expeditam dederat, cap. nimirum XLVI. Iudæi, veteris teftamenti Scriptores, divinitùs infpiratos libentiffimè fuerant admiffuri. Ex ijs facillimè poterant & clariffimè de Iefu Chrifto refutari. Et abundè funt à Patribus, hoc enim præftitit Iuftinus Martyr & alij, refutati. At ijdem Prophetæ non erant pari modo fuffecturi ad Paganos refutandos, quibus non erat æque perfuafum ac Iudæis, de illorum authoritate. Iudæi, quibus optimè perfuafum fuerat de Prophetis & illorum vaticinijs, verofimiliter refelli poterant per Oracula Sibyllina. Tamen cum & illi refpondere poffent, illarum vaticinia conficta fuiffe per Chriftianos, quod peræque Gentiles & cum pari ratione non poterant refpondere, ftandum docet teftimonijs Prophetarum. Ita, quoflibet alienos, apud Auguftinum non ad genera fingulorum, fed ad fingulos unius generis referemus, cum de ijs loquatur Auguftinus. Hæc mens eft & fententia eruditiffimi illius patris. Quod fi per *Quoflibet alienos,* cum ita is loquatur generaliter, omnino volueris Paganos unà cum Iudæis includi, non admodum reluctabor. At ut Chriftianos unà infirmiores includas, non poffumus concedere, neque tute arrogaveris nifi admodum imprudenter, erudite vir. *Alieni* enim non funt à fide Chrifti, ne quidem infirmiores Chriftiani. *Alienus* enim omnem excludit, vel ullâ quidem ex parte, participationem. Quæ eft hæc ignorantia, jam & cujus, ô bone? craffane, fupina, invincibilis? tua an Cafauboni? Certè non eft μονήρης & folitaria: fequitur enim vix fex interjectis lineis, quod fi non exfcriptorem fomnolentum, diffolutum olet difputatorem. *Vult igitur,* inquis, *Auguftinus, tum cùm agendum eft cum Ethnicis & Iudæis, nullum certius teftimonium adduci poffe, quàm ex ipfis Iudæorum fcriptis.* Itane autem voluit Auguftinus? Certè Patres reliqui, non alij quàm quos ipfe nominabas: certè ratio communis de communi principio differentium aliud fuadent & diverfum. Voluiffe hoc tam puerile Auguftinum, non credam fexcenties affirmanti. Neceffe profectò tibi fuerat, qui tuam affinxeras Auguftino, ab illius mente fententiam tam alienam, & expofitionem tam inconcinnam, Ethnicos Iudæis in hoc loco fuppingere. Neque enim tua aliter cohærebunt; fed debueras fimul animadvertiffe quàm malè cohæreant Ethnici & Iudæi inter fe, in eodem hoc tertio, Prophetis cælitus miffis, à Deo excitatis, divinitùs infpiratis. Tunc Ethnicos opinaris, ità certò fibi perfuafiffe de facrarum literarum αὐτοπιςίᾳ, ut certius nullum extare poffe putent teftimonium? Cognofcebant ergo Gentiles Moyfen, qualis & quantus ille vir olim fuerat,

rat, quàm Deo usus familiariter? Quâ ille virtute, cujus manu potenti, res illas gessit, memoriâ omni celeberrimas? Esaiæ, Hieremiæ, cæterorum literis assentiebantur in Spiritu Sancto prolatis? divinæ apud Iudæos œconomiæ, & perpetuæ favebant dispensationi? Quidni etiam cum Iudæis in eandem veniebant societatem, & inventuræ promissæque salutis communionem ante tempus acceptabile assumebantur? Per lumen autem Fidei abundè, & olim acquisitum: per gratiam infusam, absque omni ministerio Apostolorum, cur Gentiles non credebant? Cùm præcipuè Iudęorum cordibus, in suâ malitiâ obduratorum, non autem Gentilium, velum illud præpansum dicatur fuisse. Δεῖ πρὸς τοὺς τῆς ἐκκλησίας θρέμμας μὴ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις διδάσκειν τὰ θεῖα, ἀλλὰ πρὸς τὸ βούλημα τῆς διδασκαλίας τοῦ πνεύματος τὸν λόγον ποιεῖσθαι τὴν ἔκθεσιν. *Constituenda sunt & ordinanda, apud Ecclesiæ alumnos, illa quæ de Deo sunt, & ad Deum spectant, non ex ratione aliquâ humanâ, sed secundùm sensum & intelligentiã doctrinæ spiritualis, sermo & dissertatio omnis instituenda.* Quam rationem ineundam, ex hac praxi & sententiâ Iustini illius Martyris, cum præinstructis & præeruditis, si olim cum Gentibus convertendis instituere voluissent Patres antiquissimi, aut si hodiè cum Turcis, Paganis, & cæteris à Deo alienis illi, qui illorum saluti procurandæ incumbunt & insistunt, frustra oleum & operam impenderent, & magno conatu, impensis non paucis, nihil illos sapere facerent vel intelligere. Non fuisset olim opus, ut antiqui illi Patres, Gentiles veteres provocarent ad Gentilium scripta, si, quod Rosweydus Augustinum sensisse docet, quoties agendum erat vel disputandum cum Paganis & à pietate alienis, nullum certius advocari testimonium posset, quàm ex libris & literis Iudæorum. Σεμνὴ παρὰ τῶν ἐχθρῶν ἡ μαρτυρία, gravissimum est, & ponderis quidem maximi, ab adversarijs testimonium. In caussâ autem Pietatis Pagani erant, & non Iudæi, adversarij. Ubi de Christo, aut in Christum pietate instituitur Quæstio, adversarij sunt, & Iudæi & Pagani. Frustra autem semper, & in omni re, id (quod habet verbum vetus) fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Quocircà Ecclesiæ primitivæ Proceres illi industrij & prudentes, operam frustrà, & inutilem prorsus collocabant in re minimè necessariâ, qui ex Oraculis Ethnicis, nempè Sibyllinis, vel Hydaspeis & Lumine naturali rationibus deductis & derivatis, venturis ad fidem Paganis viam præstruebant, & Gentiles suis cassibus irretitos tenebant & constrictos. Compendio res poterat expediri, *Habent Mosen & Prophetas. Scrutamini Scripturas: Ad legem & ad Testimonium: Labia Sacerdotis scientiam custodirent.* Itaque etiam Deus ipse frustra apud Paganos suos olim, ipsorum Dialecto, Prophetas excitavit misitque, (Cum tamen Deus qui nec φαῦλον nec φλυαρὸν quicquam facit, id voluerit: & rectè factum Clemens Alexandrinus pronunciaverit) cum scripta solummodo Iudæorum illis essent ad salutem abundè suffectura. Sed neque debuit illud prætermitti, laxè nimis locutum, & dissolutiùs fuisse argumentatum doctissimum authorem talionis, cum pronunciat B. Augustinum, *non dubitasse de fide oraculorum Sibyllinorum*, quòd unam Sibyllam, Erythræam, quædam de Christo manifesta agnoscat prædixisse. Poterat enim Augustinus ex eorum concessis ita concludere, qui Oracula illa recipiebant, quæ reverâ Pagani admittebant, non tamen ita, ut ipse quoque necessariò in eâdem versaretur opinione. Sed & paralogismo innititur hæc ratiocinatio. Fides Oraculo-

rum

rum Sibyllinorum ad opus ipſorum pertingit, & totum illud corpus vaticiniotum. Auguſtini verò pronunciatum terminis anguſtis circumſcribitur, neque aſſurgit, ultra *quædam de Chriſto manifeſta.* Atque hactenus de Auguſtino, & oraculis Sibyllarum ex Auguſtino. Euſebium verò miror prætermiſſum: in quo tamen, ſi ſubſiſtere libuiſſet, calumniæ crimen, & craſſæ quoque ignorantiæ culpam cum calumniâ, poſſes amoliri. Certo enim certius ὁ τοῦ Παμφίλου, in illâ concione Conſtantini ad Sanctorum cætum cap. XIX. de Paganis tantummodo eſt intelligendus, non item de Chriſtianis aliquibus judicij limatioris, quemadmodũ rebatur Exercitator. Nam non ait, οἱ χριστιανοὶ, aut οἱ πολλοὶ τῶν χριστιανῶν, ſed οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστοῦσιν, *Plerique mortales hoc non credunt*, inquit. In latitudine totius univerſitatis. Sed adhuc & hos ipſos, πολλοὺς & ἀνθρώπους, opponit ſtatim τῇ ἡμετέρᾳ, ut loquitur ipſe, θρησκείᾳ. Ad noſtrum vero cultum & religionem non acceſſerant, qui Gentiliſmo adhærebant. Sed apertiùs adhuc idem paulò poſt: ubi docet Chriſtianos (politos proculdubiò, & limatioris judicij) demonſtraſſe, quod nullo unquam modo fieri poterat, ut hoc poema vaticiniorum, poſt Chriſtum incarnatum ab hominibus Chriſtianis compoſitum fuerit; idq; ipſum manifeſtè comparere, è temporũ rationibus conſideratis, quas nonnulli è Chriſtianis eruditioribus inïerant, & inter ſe contulerant. Cum Virgilius, & M. item Tullius, qui priuſquam Chriſtus de Virgine ſanctiſſimâ naſceretur, eſſe deſierant inter vivos; multa indè citarent, & referrent in ſua ſcripta. Et tamen hæc ipſa adeo conteſtata, à noſtris conficta ſolebant Pagani calumniari. Impudentiſſimo enim ore ità blaſphemabant, ὑποπτεύουσι δέ τινα τῆς ἡμετέρας θρησκείας ποιητικῆς μούσης οὐκ ἄμοιρον τὰ ἔπη ταῦτα πεποιηκέναι, νοθεύεσθαί τε αὐτά. Commentum planè inſulſum. Quod tamen viris undecunq; doctiſſimis arriſiſſe conſtat: & certè mirum eſt. Non perſuaderi ſibi voluit Caſaubonus Acroſtichidem illam, qua Ieſu Chriſti ſervatoris nomen Literis initialibus exaratur, Ciceroni olim viſam, *quamvis Euſebius hoc affirmet.* At verò non affirmat hoc Euſebius, nec perſuadere contendit de Acroſtichide viſâ Ciceroni: illâ ſaltem acroſtichide. Nec ipſe Cicero ſe vidiſſe hanc acroſtichidem uſpiam inſinuat in libris Divinationum. Acroſtichis illi viſa quædam: hoc certum eſt. Poema quoddam Sibyllæ in Latinũ ſermonem ipſum convertiſſe, Euſebius conteſtatur. Non tamen hoc poema pronuntiat Euſebius fuiſſe converſum: non ſe hanc vidiſſe Acroſtichidem Cicero commemoravit. Quanquam certè crediderim hanc ipſam vidiſſe Ciceronem: & hoc poema tranſtuliſſe in ſuos libros, alicubi: licet nunc non extet apud illũ. Dixiſſet apertè hæc Euſebius: quæ ratio ſuadet, ut non illi potiùs, ante tot ſæcula Scriptori, vel adverſarijs judicibus, erudítiſſimo adhibeatur fides, quàm uni atque alteri, nuper natis, & non rarò in Euſebij contumeliam debacchantibus. Veriſſimè, non diffiteor, B. Auguſtinus. *Quæcunque aliorum Prophetiæ de Dei per Ieſum Chriſtum gratiâ, poſſunt putari, â Chriſtianis eſſe confictæ. Ideò nihil eſt firmius, ad convincendum quoſlibet alienos, ſi de hâc re contenderint, noſtroſque fulciendos, ſi rectè ſapuerint, quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Iudæorum ſcripta ſunt codicibus.* Poſſunt putari & certè putata ſunt, ab illis conficta. Sed quàm præter omnem rationem, Auguſtinus diſputat in eodem capite. Poſſunt putari: ſed à Iudæis, qui nequaquam ferre poterant, aut admittere volebant, Divinam alicubi revelationem fieri, niſi per terminos Palæſtinæ: oriundis de fœmore & proſapiâ Iacob. Docet hoc

De Civ.D. 18. 47.

vanissimè ab ijs commentum commemoratum. Luculenter ostendit Deum se palam manifestasse olim, alienis ab Israele. *Quandoquidem verò*, inquit, *non est opus ut ad fidem Iesu Christi construendam, provocemus ad Oracula, revelationesve Paganorum: Quisquis alienigena, id est non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in Canonem sacrarum literarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari potest.* Non quo necessarius sit, etiamsi *desit, sed quia non incongruè creditur fuisse & in alijs gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est; & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt: sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes; sed per malos Angelos docti sunt, quos etiam præsentem Christum, quem Iudæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos.* Ita vir eruditus mala mente ad propositum suum, cum citaret Augustini testimonium, non ad integram sententiam Augustini, nec ad loci scopum attendebat. Cum quod prudenter & magna cum utilitate contra quosdam adversarios in caussâ proponitur, id ipsum aliàs contra alios, nisi ridiculè & pueriliter non adhibeatur. Sibyllina Oracula vetusti Patres eo fine in caussam allegabant, ut intelligerent homines alieni à fide, non esse novum, aut ab ipsis confictum, quod de Iesu Christo Θεανθρώπῳ illi prædicabant.

SECT. V.

Conflagratio Capitolij: & carminum Sibyllinorum. Baronij commentum novum de conservatis exemplaribus. De exscriptis per Attilium. Cumana, & Cumæa Sibylla. Halicarnassei, Lactantij, Marcellini loci. Non erant unius Sibyllæ carmina deinceps reposita in custodia Quindecimvirorum. Nec tam privata Halicarnasseus adversus Baronium. Nugatur qui potestatem Pontificiam: & Scripturas non vulgandas, in Sibyllinorum oraculorum usu fundat vel fingit.

PErgit autem Annalista Cardinalis porrò, de Sibyllis disputans in apparatu, ad illarum carmina & vaticinia, quæ consulere solebant in rebus arduis & difficillimis reipub. temporibus Romani, *Donec exusto Capitolio, sub belli Marsici vel socialis tempore, sive fraude id factum, sive consulto consilio fuerat, Sibyllina etiam carmina conflagrarunt.* Inciderat autem hoc incendium in annum urbis conditæ DC. LXXI. C. Norbano Flacco, & P. Scipione Consulibus. Quod testatur Tacitus Lib. III. Histor. *Fraude privatâ*, ut idem author est ibidem. *Custodum negligentiâ*, ait Cassiodorus, alij culpam in L. Syllam conferebant. Sed rectiùs, opinor, Appianus, τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπινόει, fortuito enim incendio conflagravit. Contigit hoc à fundamentis jactis, CCCC. XXV. annis completis. Carmina Sibyllina, eodem incendio conflagrarunt. Nam ibidem Sibyllæ sacellum fuit, inquit Solinus cap. 8. Sed *illius, quæ rebus Romanis quinquagesimâ Olympiade interfuit. Cujus librum, ad Cornelium usque Sullam, Pontifices nostri consulebant. Tunc enim unà cum Capitolio igne consumptus est. Nam priores duos, Tarquinio superbo*

parcius

parcius precium offerente quam postulabatur, ipsa exusserat. Neque diversum veteres prodidere. Nec de Libro vel Libris Sibyllinis ex isto incendio conservatis aliquis veterum meminit. Novitium est, inauditum est, de suo cerebro confictum, quod Baronius suggerit, sect. 23. in apparatu, *Non sic accipias, ut ea penitùs interierint, nec illorum remanserit aliquod expressum vestigium.* Imò verò, sic accipias: nullum penitus remanserat illorum exemplar: cum unicum illud haberetur, quod illâ conflagratione est consumptum. Docent hoc Solinus, cap. VIII. Plinius, quem compilat ille, Lib. 13. cap. 13. Halicarnasseus Lib. IIII. Nam quod instat in Attilio duumviro, quasi quæ olim fuerant clam & furtim ab illo exscripta exemplaria, (vel potiùs exemplar) per manus hominum passim vagarentur, est hoc à nullo unquam memoriæ proditum, sed omni modo ridiculum & absurdum. Non enim Romani, qui culpam & crimen hoc Attilianum tam severè coërcuerant, passi fuissent, æquo animo sui imperij arcanum, vel potiùs arcana, quæ silentio obtegi intererat reipub. & saluti communi, per hominum manus atq; oculos, passim volitare: omnium linguis & sermonibus teri atq; usurpari. Certè enim, novo quodam exemplo, & in posteros salutari, Attilium illum exscriptorem, qui ad usum & oblectationem suam privatam: aut etiam ex curiositate, ut fit, humanâ, exscripserat in proprios usus exemplum, non secus quàm parricidam, extra hominum commercium amoverunt, sed & insutum in culeum in mare projecerunt. *Constat*, inquit Cardinalis, & certè constat, *etsi non ab alio, ab Attilio duumviro ea fuisse exscripta privatim, eundemq; eam ob causam insutum in culeum mari fuisse injectum.* Sed tacuisset opinor rectiùs de Attilio Cardinalis. Hæc enim arguunt ita exscriptum exemplar ab Attilio, fuisse abolitum potiùs quàm custoditum. Neque quicquam ab illo proditum memoriæ omnino extat, undè tam absurdam, & incredibilem in Romanis moribus confirmet opinionem. Ἀδικεῖν τὶ δόξαντα περὶ τὴν πίστιν, ait ille Historicus de Attilio duumviro, καὶ μηνυθέντα ὑφ' ἑνὸς τῶν δημοσίων, ὡς πατροκτόνον εἰς ἀσκὸν ἐρράψας βόειον, ἔρριψεν εἰς τὸ πέλαγος. *Fidem suam visum Attilium violasse, & à quodam servo publico delatum, veluti fuisset parricida, insutum in culeum projecit in mare.* Loquitur de Tarquinio. Erat autem, nec injuriâ, parricida nominandus, qui secreta consilia suæ patriæ, tam nefariè eliminabat, & hostibus, quantum in ipso quidem erat, propalabat. *Noti enim semper beneficijs publicis*, ut in Aureliano Vopiscus, *Sibyllini libri fuerant.* Conflagarunt itaque penitùs in illo incendio Capitolino Sibyllina carmina, bello sociali: nullisque relictis exemplaribus penitùs erant abolita. Neque refragatur Halicarnasseus: nec sunt restituta demùm eadem, aut poterant restitui ullo pacto. Non magis profectò quàm duo illi libri, sive sex fuerant, quos ipsa Sibylla Tarquinio præsente & inspectante, dum vili pretio licitatur, concremavit. At Lactantius testatur expressè, Cumanæ Sibyllæ carmina suis etiam temporibus extitisse, eademque recondita, non ab alio, quàm Decemviris inspici consuevisse. Lib. 1. de falsa relig. cap. sexto. Imò verò non loquitur de carminibus Cumanæ, sed Cumeæ Sibyllæ. Sunt istæ non eadem, sed diversæ: quod dicimus. Verba sunt Lactantij, *Harum omnium Sibyllarum carmina, & feruntur & habentur præterquam Cumææ: cujus libri à Romanis occuluntur, nec eos ab ullo nisi à Quindecim viris inspici fas habent.*

Non tamen litigabo de nomine, cum ſit error facilis & proclivis, ut Cumæa, quæ erat, illa Cumana diceretur. Ammianus certè Marcellinus confundit, qui parum abfuiſſe docet, quin rurſus oracula Sibyllina cremarentur. *Verùm, ut compertum eſt poſteà*, ait ille, *eadem nocte Palatini Apollinis templum, præfecturam regente Aproniano, in urbe conflagravit æternâ: ubi, ni multiplex juviſſet auxilium, Cumana carmina conſumpſerat magnitudo flammarum.* Quæ tamen olim irreparabiliter conflagaverant. Sed quia aliundè ad hoc damnum reſarciendum auxilia advenerant, Erythris, Cumis, à privatis, à populis, factum, ut etiam illa, ſic reſtaurata carmina, Sibyllæ Cumanæ eſſe dicerentur. Certè ſi alibi Romæ, prȩterquam in cellâ Capitolinâ, quæ ſub Norbano & Flacco Conſulibus Flammis abſumpta fuerat, deſcripta vaticinia extitiſſent, idque etiam Senatus, populuſque Romanus paſſi fuiſſent, quid opus erat Erythras Legatos mittere vel alias quaſcunque Aſiaticas civitates, qui oraculis Sibyllinis deſcribendis, undè undè conquiſitis comportatiſque, locarent ſuam operam? Quid opus ut P. Gabinius, M. Octacilius, L. Valerius Legati mitterentur Erythras, qui carmina Sibyllina conquiſita Romam portarent? Quid opus delectis viris negotium à Senatu dari de deſcribendis verſibus dijudicandiſque, quantum ope humanâ præſtari poterat, poſtquam delata eſſent Romam à Legatis: ſi modò domi in urbe deſcripta apographa cuſtodirentur? *Nam non ſic accipias*, ait Apparatus, *ut ea penitus interirent*, licet ſecretò, & paucis cognita haberentur. Nam, illo rerum ſtatu, vel diligentiùs & ſcrupuloſiùs inquiſita, non delituiſſent: & cognita, & revelata impunè tuliſſent exſcriptores fortè cum rempub. expenſis & ſollicitudine, ſe verò periculo liberaſſent. Proculdubiò, prudentiſſimi illi viri, per Aſiam, & remotas orbis partes, illa nequaquam eſſent odorati, dubia & incerta, quæ domi certiſſima habere poterant, utpote deſcripta ex autographo Sibyllino: neque diſcernenda erant illa neceſſariò, quæ conſtabat fuiſſe omnia Sibyllina; & Cumana, reipub. Romanæ ſaluti & utilitati, non alijs rebus, ut aliorum illa, deſtinata. Non reſipiunt hæc Romanam illam prudentiam. Sed & poſt illam primam recenſionem, quorſum Cæſar Auguſtus eadem vaticinia reviſenda, repurgandaque commiſit? *Simul enim commonefecit Senatum Tiberius*, ait Tacitus, ubi ſupra, *quia multa vana ſub nomine celebri vulgabantur, Auguſtum ſanxiſſe, quem intra diem ad Prætorem urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret.* Quorſum Gallus Aſinius apud eundem Tacitum, de altero ad priores libros recipiendo, referret ad Senatum? Quocircà eruditè Panvinius obſervat, poſteriores illos codices Romæ repoſitos, ab exuſto Capitolio ſociali bello, non eſſe unius alicujus Sibyllæ, uti fuerant illa priora oracula Cumanæ, ſed plurium. Nam, ut diximus, plures erant, licet ab unius Cumanæ vel Cumȩæ Sibyllæ nomine cenſerentur apud Romanos omnes. Undè vatum Romanorum, in alio genere, maximus, quamvis ex hiſce libris poſterioribus, non illis concrematis loqueretur, tamen ita ſcripſit: *Vltima Cumææ venit jam temporis ætas.*

Sed & ipſe Dionyſius Halicarnaſſeus, laudatus in hac ipsâ re Cardinali noſtro author, clientis ſui cauſſam prævaricando prodit, verbiſque planiſſimis hanc falſam convincit opinionem. Οἱ δὲ νῦν ὄντες, ait ille de verſibus Sibyllinis, ἐκ πολλῶν εἰσὶ συμφορητοὶ τόπων. οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, οἱ δὲ ἐξ Ἐρυθρῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ. οἱ δὲ ἐξ ἄλλων πόλεων. *Quæ autem hodiè extant carmina, ſunt è pluribus locis illa collectitia.*

collectitia. Nonnulla ab Italiæ urbibus: quædam Erythris ex Asia deportata: nonnulla autem aliundè. Etiam è chartis transcripta quædam privatorum. Nam ut de publicis civitatum archivis illa sumebantur in eum finem, ut nulla subesset de imposturâ Christianorum suspicio: idque ipsum, divina diù ante providentia præcaverat. Ita cadit causâ Cardinalis, prævaricatore advocato. Illa autem Erythris ad hunc modum,& aliundè vaticinia comportata, reposita erant & ipsa in Capitolio resuscitato: & ita sub custodiâ Quindecim virorum per multa sæcula permanserunt; non tamen, ut aliquando, solitarijs descripta exemplaribus, usque ad Honorij principatum. Illo enim principe, Flavius Stilicho, vir bello & pace cum antiquis Romanorum ducibus conferendus, si non ipsum ambitio transversum tulisset ab egregio virtutũ curriculo, in horrenda præcipitia, dum imperium in suam familiam transferre satagit, & omnibus ad id facinus technis & machinamentis grassaretur, etiam Sibyllina oracula curavit ignibus & flammâ abolenda. Indè in illum ita invehitur Rutilius in Itinerario:

Nec tantùm Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

Sed hæc post Lactantij tempora contigerunt: cujus sæculo, quod observat Cardinalis, jam tum custodita in Capitolio servabantur. Risi autem: (quis enim non, *petulanti splene cachinno,* in risum resolvetur?) ubi legeram apud nuperum suaviludium, Casauboniarum hylactora adorearum, in dispunctionibus, *Potestatem Ecclesiasticam,* (Pontificiam proculdubiò omnipotentiam) à librorum custodiâ Sibyllinorum *attingi.* Solis nempè Pontificibus permissum fuerat, si quando præ vetustate exolescerent, suâ manu Sibyllinos libros exscribere. Quod quidem curaverat, ne quis alius eos legeret, Augustus Cæsar. Hæc attingunt potestatem Ecclesiasticam, scilicet? Sed indirectè, mi homo, & mediatè: tot autem medijs interjectis, ut vis & ἐνέργεια à Quindecimviris emanans, tota elanguerit, in fumum abierit, priusquam potestatem illam Chimæricam attigerit, in Ecclesiâ Pontificia? Illorum authoritas erat scriniaria; an tu tuos Pontifices Notarios designas, & libellorum vetustate exoletorum in cryptis & pluteis vaticanis resarcinatores? Scilicet istam Iesus Christus delegavit Petro potestatem. Et credo, equidem, istam, potiùs quàm laxam illam & extravagantem, de Regum ditionibus & diadematibus ludendi: legimus enim Petrum scripsisse literas: immanem illam potestatem attigisse, non legimus. Credo iterum, qui Paulum Petri assessorem, memineram libellorum, & membranarum rationem habuisse: Potestatem illam vestram Ecclesiasticam, ne limis, ne per transennam, aliquando salutasse, ne verbulo arrogasse sibi, memineram. Sed res eo loco sita est, Potestas illa, Ecclesiastica scilicet, adeò erat olim Deo, & divinæ providentiæ, curæ & sollicitudini, ut, quemadmodum de Crucis figurâ, ait Iustinus Martyr: *Mare non scinditur: Terra non aratur: Fossores suum opus non faciunt: neque manuarij artifices suum;* nisi potestatem hanc attingentibus instrumentis. Ideò quidni, mi homo, (ne ab exscriptione longiùs abeamus) & pœna Attilius illius duumviri parricidalis potestatem hanc attingat Ecclesiasticã? nimirum ut insula in culeum illa Potestas, (hoc est Pontifices prædictâ præditi potestate) cum simiâ, gallo, & serpente, in mare projiciatur. Certè admodum inergetica, & immediatissima esset hæc attactio, quæ etiam ad teipsum *Pag. 90.*

inter

inter cæteros pertingeret, teque unà involutum abſorberet. Sed quid ego de Eccleſiaſticâ illa poteſtate, Dei ipſius πνευματικοῖς, ut cum Zachariâ Mitylenenſi illam vocem uſurpem, dubitem attactâ ab Oraculis Sibyllinis? Doctrina Eccleſiaſtica, quanta quanta eſt, ab ijſdem eodem modo attingitur proculdubiò. Non vacabat Ieſuitæ illi capita ire per omnia; unum arripuit, & in illo ludit. Ex his facilè apparebit, Romanæ Eccleſiæ ſanctionem, de non concedendâ promiſcuè Bibliorum in vulgato idiomate lectione, æquiſſimam eſſe atque ſanctiſſimam. Ita pari paſſu ambulant in ſanctitate, divina biblia & oracula Sibyllina: & vates illæ Gentilium Spiritu ſancto inſidente, non autem impellente, loquebantur. Niſi enim omnia ſint æqualia, inæqualis compoſitio non quadrabit. Agè autem, Cardinalis Controverſor, ſub incudem adhuc ultimam diſſertationes voca: palmarium eſt hoc gregalis tui, & planè Achilleum in cauſſa argumentum, omnibus adhuc ſcholis inauditum, pro vulgatis verſionibus prohibendis, *Romani non permittebant Oraculorum Sibyllinorum promiſcuam lectionem, ergo nec Romana Eccleſia Bibliorum.* Miror hominem, hoc invento tam tranſcendenti, non, ut olim Archimedem è balneo narrant, nudum, exilüiſſe, & εὕρηκα εὕρηκα per omnes angiportus ingeminaſſe, & literis ad Claudium Aquavivam datis, (nondum enim dominabatur Romæ Mutius Vitelleſcius, cum poreptaret in *dias luminis auras*, patris ſui Pallas partus aureus) ſignificaſſe, rem confectam de vulgatis verſionibus, Achille pro Catholicis depugnante. Sed quid ille poterit docebit dies: nos iterum ſalutemus Cardinalem.

Sect. VI.

Cumæa Sibylla: Non eadem quæ Cumana. Virgilij locus. Baronij error in Solino. Sixti Senenſis, duplex error. Gyraldi lapſus in Strabone. Athenaïs mulier fatidica. Sibyllarum ultima. Inſignis error in Iuſtino correctus. Torniellus notatur. Chaldæa Sibylla. ποδισμά. *Pauſaniæ locus, Sabba, Sambetho. Onufrij errores aliquot notati.*

SEctione XXVI. in apparatu ſcripſit Cardinalis. *Cumæa, quæ noviſſima omnium Sibyllarum fuiſſe memoratur, vixit Olympiade quinquageſimâ, Solino authore.* Sed fallitur vir doctiſſimus in re ipsâ, & in authore Solino quem allegat. Non enim Sibyllam *Cumæam*, ſed *Cumanam* Solinus habet. *Cumanam*, inquiens, *tertio fuiſſe poſt iſtos loco, ipſa ævi ſeries narrat.* Hoc eſt, per illam Olympiada vixiſſe docetur. Diverſiſſima porrò eſt Sibylla Cumæa à Cumanâ, quod doctiſſimus Onufrius obſervabat. Cumæa erat, quæ, ſub Trojani belli tempore, Cumis in Aſiâ vaticinabatur (quanquam apud Onufrium per incuriam, *Italici belli*, legitur: cum deberet legi, *Iliaci)* at Cumana fuit quæ priſco Tarquinio regnante (alij ſuperbum volunt hunc fuiſſe) Romam venit, eidemque ſuos libros, pretio è flammis redimendos, offerebat. Sixtus Senenſis illam Cumis Ioniæ in Aſiâ civitate ortam narrat. Perperam duas enim, quod diximus, confundit Sibyllas. Et errat idem vir eruditus aliter, dum Cumis ortam referens, Cumanam

vocat. Nam illius urbis Ethnicon eſt apud Stephanum Κυμαῖος, & non Κυμανός. Ideò longè eruditiſſimus poetarum in VI. perfecti Operis, ſemper illam Cumæam & non Cumanam vocat. Quippe quam, Cumis ex Aſiâ, volunt in Italiam commigraſſe: quam deinceps & altera, Cumana ſequuta eſt. Quod vero in Bucolicis, ubi de verſibus fatidicis illis loquitur qui Romæ in armarijs Capitolinis cuſtodiebantur, (undè & ipſe, & Cicero, de Rege venturo, velit nolit Caſaubonus, hauriebant) ait:

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas;

Eruditè, & ſibi ſimilis iſta ſcripſit. Exuſto enim Capitolio, non ulterius Cumanæ Sibyllæ, hoc eſt Italicæ, Carmina, ſed Aſiaticarum Sibyllarum, Erythris & aliundè petita Romæ ſervabuntur: in quibus hæc de Chriſto, & non in Cumanæ illius, habebantur. Hanc diſtinctionem nec viri eruditiſſimi, ſed nec doctiſſimus Servius, obſervarunt. Non fuit ergò Cumæa, ſed Cumana Sibyllarum ultima. Imò verò nec illa ultima, modo laxius hoc nomen, pro omni fœminâ fatidicâ, uſurpemus: Sed & Erythrea poſterior Cumanâ fuit, ſi Gyraldo credimus Strabonis authoritate innixo. Verum enimvero erravit Lilius: nec errori Geographus patrocinabitur. Neque enim ea ſcripſit quæ Lilius opinatur. Ἐκ δὲ Ἐρυθρῶν Σίβυλλα ἐστὶν, ait ille ἔνθους καὶ μαντικὴ γυνὴ τῶν ἀρχαίων τις. κατ᾽ Ἀλέξανδρον δὲ ἄλλη τις ἦν ἣ αὐτὸν τρόπον μαντικὴ, καλουμένη Ἀθηναῒς, ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως. *Erythris erat oriunda Sibylla, apud antiquos divina olim & fatidica mulier. Sub ætate autem Alexandri, extitit & alia, non minus quàm illa erat, fatidica, ex eâdem illâ urbe, cui nomen erat Athenais.* Ita Strabo, Lib. 14. pag. 443. & iterum Lib. XVIII. pag. D. LX. Περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου εὐγενείας, καὶ τὴν Ἀθηναΐδα φασὶν ἀνειπεῖν. καὶ γὰρ καὶ ταύτην ὁμοίαν εἶναι τῇ παλαιᾷ Σιβύλλῃ. *De nobilitate Alexandri ferunt etiam Athenaida effatam eſſe. Illam enim volunt ſimillimam extitiſſe, illi vetuſtiori Sibyllæ.* Longè ergo diverſum quid Strabo hic prodiderat, quam Lilius Gyraldus arbitrabatur. Duas enim Erythræas fœminas fuiſſe docet: fatidicam utramque, Erythris utramque oriundam: illam Sibyllam antiquiſſimam: alteram longè inferiorem, proprio nomine dictam Athenaida, (nam illa prior Herophyle de nomine ſuo proprio dicebatur) ſub ætate magni Alexandri. Sed Cumanam illam vatem vel μεταγενεστέραν, vel illam etiam σύγχρονον Iuſtinus Martyr eſſe docet, in ſuâ ad Gentes parænesi. Pag. XXX. edit. Rob. Stephan. Ἔστι δὲ καὶ ὑμῖν τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκμανθάνειν ῥᾳδίως, ἐκ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης. *Facile autem rectam divini numinis cultum ediſcere poteſtis ab antiquâ Sibylla.* Ad quæ ſtatim annectit in ſequentibus illa, quæ de antiquitate ipſam commendarent. Ταύτην δὲ ἐκ μὲν τῆς Βαβυλῶνος ἀφικέσθαι, φασι, Βηρώσσου τοῦ τὴν Χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος, θυγατέρα οὖσαν. ἐς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, διαβαίνουσαν, ἐκεῖ τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν, ἐν τινὶ Κυμῇ, οὕτω καλουμένῃ πόλει. *Hanc Babylone profectam aiunt, Beroſo genitam, illo qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, & in partes Campaniæ, neſcio quo pacto advenientem, ibi in urbe quâdam Cumâ, qui locus ſexto lapide à Baijs diſtat, ubi aquæ ſunt Campaniæ calidæ, oracula dediſſe & reſponſa.* Ad hunc modum legitur in Scriptore vetuſtiſſimo & pererudito: ſed ſcriptum fuiſſe ad hunc modum à Iuſtino, non credam. Et mirari ſatis nequeo, hæc ab omini hiſtoricâ veritate tam aliena, abs Onufrio, pro veriſſimis recitata fuiſſe, & calculo etiam ſuo approbata, à nemine autem, quod ſciam adhuc obſervata. Iuſtinus enim illam ſuam, de quâ agebat, Sibyllam, antiquiſſimam fuiſſe commemorat. Hæc quæ recitavimus è Iuſtino, omnem illi adimunt antiquitatem. Beroſus enim

enim, vatis iſtius (ut verba volunt) pater, Chaldaïcam hiſtoriam ſcripſiſſe memoratur. Et erat certè rerum Chaldaïcarum author Beroſus celeberrimus, Ioſepho & noſtrarum rerum Scriptoribus memoratus. At ille qui Chaldaïcam hiſtoriam ſcripſit Beroſus, poſt ætatem Alexandri Macedonis ſcripſit: & hiſtoriam illam ſuam nuncupavit Antiocho ſoteri, Nicatoris Seleuci filio, quem certum eſt, aliquot ab exceſſu Alexandri annis rebus Aſiaticis præfuiſſe. Atque hoc Tatianus ipſius Iuſtini φοιτητὴς in illâ contra Græcos oratione docet. Non erat igitur, neque eſſe potuit, iſtius Chaldæi Beroſi filia, vates illa Sibylla, quam Iuſtinus uti erat, πλημμελῶς, Antiquiſſimam nominavit. Affirmat ſecundo loco Iuſtinus Martyr, Sibyllam illam ſuam de quâ intellexit, Cumæ in Italiâ vaticinatam. Hæc vaticinatio in Italiâ, oportet ut contigerit poſt exceſſum Alexandri, paulò ante primum illud bellum Punicum. Sed ita ſentire, eſt mendacium ἀδιάκριτον ſine ullo legitimo authore procudere, &, hiſtorias ſcienti cuicunq; incredibile. Circumferebant enim per iſta tempora Romani arma ſua per omnes Italiæ regiones: ſæpenumerò, datis occaſionibus, libros fatidicos conſulebant. Ad Oraculum Dephicum quandoque mittebant. Quòd ſi vates illa Cumana per iſta tempora, in propinquis locis dediſſet reſponſa, quid opus, quæſo, erat, ut Romani aliundè illa peterent, quæ domi in foribus reſponſa dabantur? Meminiſſet illius Sibyllæ T. Livius: Polybius ὁ πάνυ: aut rerum Italicarum Scriptor aliquis. Accedat inſuper, quòd ſi per illa tempora, oracula & reſponſa dediſſet, Beroſi illius Chaldæi filia, quæ multa de Chriſto & rebus ad fidem noſtram Chriſtianam ſpectantibus prædicebat, videri poterat, & erat profectò veroſimillimum, illam, ſua oracula, nequaquam θεόπνευστα aut θεοφορουμένην, promulgaſſe, ſed è vaticinijs Prophetarum compilata corraſiſſe. Vivebant enim nonnulli vates: ipſius Pater Beroſus vivebat poſt tempora Babylonicæ μετοικεσίας. Et quidni, modò eſſent ætate provectiores, cum Eſdrâ, Nehemiâ, Zachariâ, Aggæo, Malachiâ familiaritatem, aut etiam amicitiam contrahere poſſent? à Iudæorum Sacerdotibus & Scribis, in quotidianis ſermonibus, & conſuetudine frequenti, illa à Prophetis enuntiata mutuari poterant, quæ deinceps non aliter quàm ſua vaticinia Gentibus, rerum rudibus, & omnium ignaris, perſcripſere? His ita verò datis, Sibylla illa neque vates cenſenda fuerat, neque ἐγγὺς τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας, id quod de ſuâ vetuſtâ fatidicâ muliere Iuſtinus Martyr pronunciabat. Quartò, locum iſtum tam illuſtrem, depravatum circumferri, ſi nihil aliud evinceret, illud tamen unum clamat, quod ſtatim ſequitur: Ταύτης τῆς Σιβύλλης, ὡς χρησμῳδοῦ, πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν συγγραφέων μέμνηνται, καὶ Πλάτων ἐν Φαίδρῳ. Plato, inquit ille, in Phædro, iſtius Sibyllæ meminit. Certè meminit Sibyllæ, cùm in Phædro, tum etiam alibi Plato: cujus autem meminerit, non edicit ipſe Plato. Iuſtinus autem vult illum hujus Sibyllæ ſuæ meminiſſe; quæ vixit poſt ætatem Alexandri. At quàm dicuntur iſta ἀνιστορήτως; Γίνεται Πλάτων, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ, καθ᾽ ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. τελευτᾷ δὲ, ὥς φησιν Ἕρμιππος, ἐν γάμοις δειπνῶν, τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, βιοὺς ἔτος ἓν πρὸς ὀγδοήκοντα. *Naſcitur Plato, ut teſtatur Apollodorus in Chronicis, Olymp.* LXXXVIII. *Thargelionis menſis die ſeptimo: quo die natum Apollinem arbitrantur Delij. Moritur autem in nuptijs epulatus, ut Hermippus tradit, primo anno* CVIII. *Olympiad. annum ætatis ſuæ agens* LXXXI.

Hæc

Hæc Laertius. Hoc eſt, integro decennio obïerat Plato, priuſquam Alexander regnaret in Macedonia. Quæ cum ſint hiſtorijs teſtatiſſima, neque minùs verum ſit de exceſſu Alexandri ſub Conſulatu L. Furij & D. Iunij, ad annum ſecundum Olympiadis CXIIII, ut refert Diodorus: Sibyllæ Babylonicæ Beroſo hiſtoriarum ſcriptore genitæ, non potuit meminiſſe in Phædro ſuo Plato; cum Beroſus illius pater hiſtoriam ſuam inſcripſerit tertio Syriæ regi Antiocho, τῷ ἐξ Ἀλεξάνδρου διαδοχῆς. Mirum eſt hoc tam enorme & portentoſum mendacium hactenus Iuſtini codicibus adhæſiſſe, à nemine quod ſciam, ne quidem diligentiſſimo Sylburgio, cum authorem illum ederet animadverſum: Non à Billio cenſore non indiligenti: Non ab oculatiſſimis Scaligero & Caſaubono, nec iſtius allatratore Ieſuitâ in Diſpunctione. Sed magis majorem in modum mirum eſt, nuperum ſacrorum Annalium authorem, æmulum induſtriæ Baronianæ, ad annum mundi M. M. M. DCC. LXXV. ſine ſcrupulo retuliſſe in farraginem illam ſuam, è rapſodo blaterone Genebrardo, hoc paradoxorum omnium maximum. Sed ſolent ita literas tractare illotis manibus, Ἀγαμέμνονας ὑποκρίνοντες ὄντες Μίθαικοι. Fuit autem illa periodus, ne deinceps ignoret illud Tornielllus, τοῦ τὴν χαλδαϊκὴν ἱστορίαν συγγράψαντος, gloſſema aſcriptum ab aliquo ſciolo, rerum iſtarum & temporum imperitiſſimo: qui præter rerum Chaldaïcarum authorem, nullum alium crediderat Beroſum in rerum naturâ extitiſſe: cum, revera extaret alter, Cecrope antiquior, non κατὰ παροιμίαν, quod uſurpatur proverbium, ſed κατ' ἀλήθειαν, ante Cecropem, antiquior antiquiſſimo, cujus, ex Erymanthe, filiâ fuiſſe Saba memoratur, illa quæ Sibylla omnium aliarum prima dicebatur. Docet hoc Pauſanias in Achaïcis pag. CCC. XXVIII. Fuit hæc prima omnium Sibyllarum: undè πολαιά dicitur à Iuſtino. A quibus non diſſentit Suïdas. Πρώτη ἡ χαλδαία ἡ καὶ Περσὶς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθω. Ait non Sabben vocatam, quemadmodum Pauſanias dixerat, ſed Sambethonem. Verùm nulla prorſus differentia eſt, niſi in apicibus, per ſcriptos codices, literarum. Sunt qui hanc Noachi volunt eſſe filiam, aut unius ſaltem filiorum ipſius uxorem: quemadmodum apparet ex eodem Suidâ. Quæ cum ita ſint, errat multipliciter, eruditus vir Onufrius. Primo quod hanc Perſicam ſeu Chaldaïcam Sibyllam, omnium longè antiquiſſimam aliarum (& tamen Delphica dicitur à Boccho apud Solinum, ante bellum Trojanum floruiſſe) non niſi octavam recitet. Secundò quod Beroſi hiſtorici filiam faciat. Tertiò quod ſcripſerit illam apud Iuſtinũ vocari Erymanthen, quadam fœminâ nobili genitâ proſapiâ, ortam, cum apud illũ Patrem nil ejuſmodi extet. Quartò quod pronuntiet nomen illi proprium Sambethen fuiſſe, quæ nupſerat Noacho Patriarchæ. Certè hoc argumentum de Sibyllis, multò dexterius & diligentius quam Onufrius, vir doctiſſimus Gyraldus perſequutus eſt; quamvis ille alter, peculiari quodam tractatu rem ſuſceperit perficiendam.

SECT. VII.

Christiani veteres lectione Oraculorum multâ utebantur. Dicti Sibyllistæ. Baronius importunè reprehenditur ab Exercitatore. Iustini locus. Casauboni rationes futiles. Suspiciones illius refelluntur. Certa ejus scientia refellitur. Vopisci locus aliter expositus quàm per Casaub. Dionem is parum fideliter citat.

VEriſſimè omnino vir illuſtris Baronius prodidit in apparatu, Chriſtianos olim veteres multum fuiſſe in Oraculis Sibyllinis evolvendis occupatos. Nam & id pluſquam ſatis manifeſtum eſt è ſcriptis Iuſtini, Theophili, Clementis, Euſebij, Lactantij, aliorum: & conſtat quoq; Celſi Epicurei teſtimonio apud Origenem, qui Sibylliſtas majores noſtros, eam ipſam ob cauſſam, nominavit. Harum autem lectione, quia multum inde in rem ſuam transferebant, prohibiti majores noſtri, metu mortis. Id quod cum docuiſſet Annaliſta è Iuſtino & aliundè, importunè reprehenſus eſt, & intempeſtivè ab Exercitatore. *Duobus*, inquit ille, & verè inquit, *teſtimonijs hoc Baronius probat.* Probationes autem quales, vir erudite? quantum in ſe ponderis & momenti habent? *Nos de priore, falli ipſum ſuſpicamur: de poſteriore ſcimus.* Scientiâ ergo & ſuſpicione conficietur reprehenſio Card. & tamen hæc ſuſpicio ſcientia tandem fiet: *non enim*, inquit concludens, *Arbitramur falſum.* Sed tam falſum eſt, Baronij nempè πορίσμα, quàm quod eſt falſiſſimum. Teſtimonium illud prius, à Iuſtino ſumitur toties in hoc ipſo argumento laudato rerum noſtrarũ authore. Iuſtini verba leguntur in apologiâ ad Imperat. iſta. Κατ᾽ ἐνέργειαν ϗ τ̃ φαύλων δαιμόνων &c. *Operâ & inſtinctu malorum dæmonum, mortis ſupplicium adverſus librorum Hydaſpis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt. Vt per timorem homines ab illis, quo minus ſcripta illa legentes rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur, abſterreantur. Quod certè quidem efficere, & ad finem ſuum perducere, nequiverunt. Non enim abſque timore tantum hujuſmodi ſcripta legimus, verum etiam vobis ad inſpiciendum, quæ in ijs traduntur, ut videtis offerimus.* Hactenus Iuſtinus, interprete Lango, nos docuit vaticinationum Sibyllinarum lectionem Chriſtianis olim fuiſſe, legibus Paganorum Principum, interdictam. Solem per meridiem lucere neget oportet, qui hoc non confiteatur. Et tamen, *falli eum*, ait, *ſuſpicamur:* Cardinalem ſcilicet, qui in illum ipſum finem produxit. At, vir erudite, ſuſpicionis qui fundus tuæ? quæ veroſimilitudo dubitationis? *Quia conſtat*, inquis, *ex hiſtoriâ Romanâ, legibus Romanorum prohibitam lectionem vaticiniorum.* At, vir erudite, non omnium credo vaticiniorum. Illorum non, quæ Cicero, Virgilius, alij promulgarunt. Non illis, qui in Aſiâ, Erythris, & alibi, deſcripta domi habebant vaticinia. Nam & à privatis acceperunt verſus, Gabinius, Octacilius, Valerius, Legati. Non ſequitur autem ab illâ lege poſitâ (ſi modò erat ulla ab exuſto Capitolio Lex poſita, quæ lectionem, ut anteà, prohibebat) non & aliam deinceps promulgari potuiſſe, quin latam eſſe, quâ Chriſtiani omnes ſpeciatim Sibylliſtæ dicti, prohiberentur illarum lectione. Tu ſequi affirmas, prodigioſâ ſequelâ: quin ulterius, ſtatuis Iuſtinum fuiſſe deceptum in hâc lege, qui ad Chriſtianos

illam,

illam, quæ in omnes erat lata, convertit. Tam infans ſcilicet Iuſtinus erat, ut qui ipſos Imperatores meditatò, in re omnium graviſſimâ alloqueretur, apertiſſimâ ſuâ hallucinatione fraudem faceret defenſioni. Querebatur injuriam erga Chriſtianos, de interdictis Libris Sibyllinis. Reſponderant promptè. Inſanis homo: Chriſtianos tuos lex non magis ſtringit, quam quemlibet Deorum Dearumque cultorem. Dic autem, tu ferendos eſſe illos cenſueris, qui legem de repetundis, de ambitu, de quacunque injuſtitiâ prohibendâ latam, ſibi poſtularent condonari, ſe, immunes eximi, nec pœnis ſupplicijſque conſtrictos teneri? apagè fatuïtatem nimis inſulſam: noli verò graviſſimos rei Chriſtianæ proceres, hâc ἀβελτερείᾳ onerare. Indignor planè, vir eruditiſſime, hâc tuâ factum incogitantiâ, ut jure videantur accuſare poſſe, ad omnem calumniam projectiſſimi, de ſpretâ canitie & authoritate ſanctorum Patrum novatores. *Iuſtinus*, nam pergis, *quia homo Syrus, non potuit adhibere diſtinctionem inter quædam vaticinia, ut tu arbitraris,* ψευδεπίγραφα, *& Romæ cuſtodita illa oracula; quin, propterea, quod in illis quædam legerat de Chriſto & rebus Chriſtianis, putaret illud totum volumen, quod Romæ ſervaretur, ejuſdem eſſe argumenti.* Sine volâ & veſtigio eſt hæc calumnia. Patere enim id quod res eſt dicam; calumnia eſt illa inquam, te, tuâque eruditione, Iuſtini ſanctitate & prudentiâ, indigna. Cocetum eſt, & neſcio quæ miſcellanea potio, è tuo cerebro, tuis ſuſpicionibus conflata & coagulata. Primum, undè tibi conſtat, ex illis oraculis Romæ cuſtoditis, nihil potuiſſe afferri, quod Chriſtum concerneret & pietatem? an quia nihil ejus generis per Quindecim viros apud Liviũ allatũ: tantùm illa quæ Gentiũ ſuperſtitiones & dæmonũ cultum ſtabilirent? ſed reſpondeo. Non conſtare omnia per illos inde allata. Pauca enim extant apud Livium in Hiſtorijs, δεισιδαιμονέστατον Hiſtoricorum. Multa alia attulerunt, quæ nos neſcimus. Secundò, nihil protulerunt: ergo, nihil erat de Chriſto, aut Chriſtianis. Nego tibi ſequi argumentum. Dum tu ad Athenæum illuſtrandum, multa ex Heſychio, & Polluce, & Euſtathio derivabas, non tamen omnia credo quæ ſunt in duobus illis Grammaticis & hoc Commentatore, in trijs leguntur animadverſionibus. Vide hinc & agnoſce τὴν ἀσυλλογισίαν. Tertiò tibi reſpondemus, diverſiſſima fuiſſe illa Carmina ante exuſtum Capitolium cuſtodita, quæ ſola citavit in Hiſtoriâ Livius, ab illis quæ deinceps ex Aſiâ ſunt allata. Arcana Romani Imperij, eſto, (ut largiamur) illa continebant tantum: in iſtis alia erant, & alîus generis admiſta plurima. Quod vel è Cicerone, Virgilio, & Varrone conſtat. Erythræam etenim, vel Perſicam Sibyllas, volunt Patres, non illam Cumanam de rebus Chriſtianorum commentatas. Mitto quærere, quomodo? an è Prophetarum vaticinijs inſtructas? an vero per Dæmonas afflatas? an, quod ego potiùs arbitror, θεοφορουμένας. Mitto inquam quærere in præſenti, hoc certum eſt, & miror te non advertiſſe, non poſſe Iuſtinum, virum prudentiſſimum, ex animi tui ſententiâ explicari, qui Hydaſpis lectionem interdictam ſimul, & aliorum Prophetarum fuiſſe docet. At doce tu, vir πολυμαθέστατε, qui per omnes Græciæ Latijque campos ſedulæ apis inſtar volitaſti, δρέπων κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασῶν, an memineris in legibus Romanorum, interdictum Hydaſpen, aut Prophetas rejectos, quomodo Sibyllarum lectio dicitur intercluſa? reſpondiſſe velis, hoc eſſe Iuſtini πάρεργα qui conjunxit: At nos te valere & ſapere jubemus, qui certò ſcimus Iuſtino

 cognitum

cognitum & pręmeditatum fuisse illud,quod in hâc causâ continente Imperatorum accusationem, apud Imperatores dicturus erat. Hactenus suspicio: ex certâ deinceps scientiâ loqueris. In quo,magis quàm aliàs,videris mihi, vir eruditissime,ne suspiciones quidem,saltem tolerandas,protulisse. Aurelianus Augustus apud Vopiscum, ita Patres affatur per epistolam; *Miror vos Patres sancti jamdiù de aperiendis Sibyllinis libris dubitasse, perindè quasi in Christianorum Ecclesiâ,non in templo Deorum omnium tractaretis.* Locus impeditus, sicuti ego arbitror, & quem tu, quantumvis certus, & ex scientiâ merâ, nullo sensu certissimo explicaveris. Affers, è tripode, & credi jubes, Nos ampliamus: & oraculo, oraculum cupimus expediri. *Duo hic componit*, inquis, *Imperator*. Scio autem. Senatores & Christianos: Ecclesiam Cristianorum, & Deorum omnium templum. In Ecclesijs inquis (& probas ex Origine quod nemo vocaverit in Quæstionem) Preces & vota omnia ad unum Deum referebant. Sciebat hoc quoque Aurelianus. Credo equidem: neque enim clam erat. Quid autem illi ἐξ ἐναντίας? illi recurrebant ad Sibyllas. Primùm, hoc falsum; non enim semper. Imò admodum raro ad Sibyllas. Quid si autem semper? Quid si sensum hunc admittamus? hoc ne posito, tollitur quod Baronius voluit? Non licuisse Christianis Sibyllas adire. Non video sequelam quin contrarium potiùs: prohibitum Christianis erat, id quod sibi, veluti peculiare quiddam, Pagani reservarant, ne, quorum sacra aversarentur, ab eorum antistitibus adjumenti quid aut solatij derivarent. Sed frigescit nimis hæc expositio: elumbis est & languida, nec ad vim & τὸ στιβαρὸν Aureliani. Metus est & timor in hâc increpatione. Dubitabant enim. Dubitabant autem, hoc tute fateris, ne fieret Imperatori injuria. Quo posito in causâ & per te concesso,si noveris Aurelianum benè, parùm aut nihil à tyranno distantem, ne tu metum vel invitus, quod sponte tamen facis, hisce Patribus obstitisse confitebere, quo minus sine ipsius Imperatoris mandato, libros adirent Sibyllinos. Castigat hunc metum, mortis scilicet vel infortunij; & *Quid*, inquit, *dubitatis adire libros?* Non enim vobis interdicta, ut luatis capite, inspectio Librorum fatidicorum, quemadmodum Christianis interdictum: in quorum Ecclesijs ne legantur(nam id è more fuit & instituto veteri) severissimè, inquit, est interdictum. Te jam appello, doctissime vir, sepone ad tempus affectum & προσπάθειαν illam, quo in proprias animatus es (ut omnes sumus) opiniones, & narra ex animi sententiâ minimè abrepti pręjudicijs, utrum harum opinionum,& historiæ,& communi sensui convenientiorem opineris: neque enim abnuerim, ad te ipsum judicem, (sed ut illa olim mulier, à Philippo dormitante, ad vigilantem) provocare. Esto autem Lectoris, cujuscunque tandem, eruditi, & non præjudicatis affectibus aliorsum inclinati, judicium, de loco Ciceronis è secundo de Divinatione ad Messiæ regis adventum significandum per Cardinalem adductum. Non enim Cæsar aut Cæsariani de Rege famam illam vel venturo, vel de necessitate advocando, in vulgus nunquam sparsissent, nisi apud oracula Sibyllina de eo extaret mentio & prædictio. Prætendi non potest, quod non est, aut saltem verosimiliter esse creditur. Regem venturum illa vates prædixerat; & indefinitè,venturum, sed circa,tamen illa tempora, præmonuerat. Et propter hanc obscuram, ut sunt λοξὰ oracula & ambigua, prædictionem, Lentulus aliquantò priùs, ut rectè obser-

vatum

vatum Cardinali, ſibi finxerat illum principatum, quem Antonius & Cæſariani aſſeruerant D. Iulio: Veſpaſiano deinceps alij vindicabant. Cicero forſan hæc ficta omnino dixerit, homo reipub. ſtudioſus. At politicum ſtratagema, qui quicquam intelligunt, non poſſe à Chimæris ſumi vel Tragelaphis, ſatis ſciunt. Atque ideo Dio, non ait, ut falſò aſſerit Exercitator, ſparſos, & fictos fuiſſe hos rumores, qui nihil in ſe haberent veritatis, ſed verba Dionis integra, quæ vir doctiſſimus parùm fideliter mutilavit, iſta ſunt. Λόγου γὰρ τινὸς, εἴτ' οὖν ἀληθοῦς, εἴτε καὶ ψευδοῦς, οἷα που φιλεῖ λογοποιεῖσθαι, διαδοθέντος, ὡς τῶν ἱερέων, τῶν ιε. καλουμένων, &c. quæ ſequuntur in Exercitat. *Sparſo quodam rumore ſive vero, ſeu etiam falſo (nam ejuſmodi ſolent interdum fictè diſſeminari) quaſi Sacerdotes illi qui Quindecim viri dicuntur, proloquuti fuiſſent,* &c. Non igitur, *hoc ſolum Dio*, quod ille voluit, ſed in ambiguo relinquit: Dubius an quid ejuſmodi in vulgus ſpargeretur. Certè non fuiſſet auſus ille Cotta, rem totam de Rege comminiſci. Nec Antonius & cæteri Cæſaris amici hâc viâ inſtitiſſent, ad Cæſarem Regem declarandum, niſi aliquid de Rege quodam, & per illa tempora, renunciando, innotuiſſet, carminibus Sibyllinis prædictum fuiſſe: Quod, cum illa in Ieſum Chriſtum, Regem, ſed non de hoc mundo intendiſſet, illi, palpones Cæſareani, in ſenſum alienum detorquebant. Verſus autem ipſos Lactantius recitavit, ad quos reſpiciebant illi.

Καὶ τοτ' ἀπ' ἠελίου πέμψει Θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Quæ carmina poſſunt nullo negotio in rem Cæſareanam ab ignaris ſecretioris conſilij divini Gentilibus detorqueri. Cicero fictitia contendebat illa carmina. De Rege, fateor, ſuſpicabatur conficta, homo reipub. amantiſſimus: Cæſareanis partibus adverſarius: capitalis M. Antonij hoſtis. Et ut ſibi videbatur, non levibus argumentis ſuſpecta reddebat. *Callidè*, inquit, *qui illud compoſuit, perfecit ut quodcunque accidiſſet, prædictum videretur. Hominum & temporum definitione ſublatâ.* At falſum & fictum reſpondet Caſtalio: & quidem verè. Deſignat enim tempus huic monarchiæ conſtituendæ, tum cum Ægyptus Romano imperio aduniretur. Ita enim illa

Αὐτὰρ ἐπεὶ Ῥώμη καὶ Αἰγύπτου βασιλεύσει
Εἰς ἓν διϊθύνουσα, τότε δὴ βασιλεία μεγίστη
Ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ' ἀνθρώποισι φανεῖται.

Quod & factum eſt, victo ad Actium Antonio, 28. annos priuſquam Chriſtus naſceretur. Neque eſſe hoc commentum poſterioris cujuſdam Chriſtiani liquet, de rumore, ſuſpicione, & metu in animis hominum excitatis, tum cum Auletes Ptolomæus Ægypti rex regno ſuo pulſus conaretur reduci à Senatu Romano populoque. Quod ſi verò penitùs reticuiſſet hanc definitionem Sibylla, eo magis Sibyllam authorem θεοφορουμένην reſipuiſſet. Erant enim Oracula olim hujus generis, λοξά, ambigua & in utramq; partem admittebant interpretationem. Et tamen falſum eſt omnino quod objiciebat ille. *Apertiſſimè loquebatur de venturo rege.* Regem vero ipſum non erat opus ut ſignatè & præciſè adeò denotaret. Quicquid ſenſerit Cicero, in rem ſuam intentus, certum eſt Virgilio perſuaſiſſimum fuiſſe ex oraculis Sibyllinis, de Rege venturo: de aureâ ætate inſtaurandа: pace terrâ mariq; ſtabilienda loquutam vatem: ut nullâ ratione eludi

queant,

queant, aut in aliũ & diversum sensum detorqueri. Neq; tanta est authoritas eruditi viri in Exercitationibus suis, ut contra Eusebij sententiã & aliorum, ei potiùs quàm Patribus adhærendũ putemus. Quicquid autem hâc in parte motum est, quicquid suspicionibus & argumentis actum, id totum à Paganis olim, & pietatis Christianæ hostibus afferebatur in causâ & objectabatur. *Multi sunt*, ait ille Imperator ἱερώτατος Constantinus apud Eusebium, *qui nullam fidem, ei de Christo vaticinio adhibent, idque cum fateantur Sibyllam vatem Erythræam fuisse. Imò verò suspicantur Christianam religionem professum aliquem, & Poetices non ignarum, ista ipsa carmina contexuisse, quæ falso nomine & titulo, Sibyllæ ascribuntur.* Respondet autem Imperator: *De hujus rei veritate satis constat. Quippè nostri homines tempora adeò accuratè collegerunt, ut nemo possit suspicari hoc poema post Christi Incarnationem editum: ut sit necesse mentiri illos omnes, qui pseudepigrapha hæc carmina comminiscuntur.* Scripserat eodem loco vir doctissimus: Potuisse fieri ut Maro (præter illa oracula Sibyllina) ab Hebræis aliqua de his acceperit, cum Asinij Pollionis familiaritate summâ uteretur:

(Pollio amat nostram quanvis sit rustica, musam)

Herodes autem Iudæorum Rex cum Romam veniret, hospitem Pollionem adiret, quod scriptum à Iosepho Antiquit. 15. 13. Et certè verosimile est, audisse eum nescio quæ vel apud Pollionem vel alibi, cum passim per Romanam urbem Iudæi incolerent. Frequentiùs autem illi, & datâ omni occasione de Rege suo Messia gloriabundi, loquebantur. At hariolatur; inquit doctissimus Censor in Exercitat. diversam quoque tuetur Iosephus sententiam ab illâ quam fingebat, & illi ascribebat Cardinalis. Inquit enim Iosephus, τούτοις ἀνελθοῦσι καταγωγὴ ἦν ὁ Πολλίωνος οἶκος. *His ubi Romam advenerant*, loquitur autem de Herodis liberis, *pro diversorio erant ædes Pollionis.* At verò non est hæc contraria sententia, quod affirmabat Exercitator, sed planè consentit cum illâ, in quâ, quod ille vult, Baronius hariolabatur. Herodes aliquoties Romam adijt. Necesse est alicubi ut hospitaretur. Apud Pollionem est verosimile. Eo quod, tanquam apud Paternum hospitem & amicum libenter Herodis filij apud illum hospitabantur. Erat autem Pollio hic Asinius, cum Domitio Calvino Consul tùm, cùm regnum Iudæorum, per Senatus Romani authoritatem, in Herodem alienigenam esset collatum. Et in illa petitione Herodem sua gratiâ plurimum juverat. Sed nolo ego ista pluribus de Sibyllis, & illarum olim in vetustâ Ecclesiâ usu & authoritate. Satis autem superque præsidij situm esse videtur, contra doctissimorum virorum exceptiones, in isto, quod vetusti Patres, & antiqui Christianismi Proceres, quorum venerandæ canitiei assurgere debet Exercitator, multum contulisse illarum oracula existimaverint, ad sectam Christianam inter Paganos propagandam. Qui si vel commenti fuissent ipsi hæc oracula, vel conficta ab alijs, per pias fraudes sed dolo malo, existimassent, veritatis Antistites sanctissimi, à suis libris & literis omnem horum mentionem exturbassent.

SECT.

Sect. VIII.

De Christo nihil: omnia Idololatrica locuta Sibylla. Casauboni error. obloquitur Augustino, alijs. Fortè verum de Cumanâ: non alijs. Iudæi, alij, ad Vespasianos retulere. Ἐκθέσεις *ex Augustino, vaticiniorum de Christo. Paulum Orosium indignè tractat* Exercitator. *Baron. laudatus. Prodigia varia: alia, in Christum convenientia. Quædam figmenta affi cta. In ijs de Iesu ostenso per Sibyllam Augusto, hæret ad metas Baronij judicium.*

NOn tamen adhuc deserendæ sunt Sibyllæ, & illarum prædictiones, quasi effætæ aut confectæ, de manibus deponendæ. Scitum est quod de Erythræa scribebat Augustinus: *Nihil habuit in toto carmine suo, quod ad deorum falsorum sive fictorum cultum pertineat.* Quo testimonio, miror ego doctissimum virum non ivisse confirmatũ positionem illam suam, *Oracula de Christo Sibyllina, ab homine Christiano, vel semi-Christiano, orbi obtrudebantur.* Ille autem hoc relicto propugnaculo, in adversum potiùs ire maluit, & palàm beato Augustino obloqui, & in os veluti, contraria pronunciare. *Nihil unquam ex illis libris prolatum*, inquit, *quo Gentium error, & insanus ille dæmonum cultus non confirmaretur, aut etiam novâ occasione impietatis augeretur.* Quod illius effatum fortassis de Cumanâ Sibyllâ verum est. Ex illius libris, ad quos solis Quindecimviris patebat aditus, præter sacra, sacrificia, ritus, ceremonias & profanos cultus, nihil unquam Romani observabant, aut in lucem protrahebant. De Cumæa Erythræa præcipuè, falsum est, & nullo modo debet asseverari. *Quinimo*, verba sunt beati Augustini, *ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Dei Civitatem.* Cumanam illam non excusamus. Neque tamen illa minimè ita excusata commentum constabiliverit Exercitatoris. Quippè de illius carminibus loqui non poterit, aut sententiam proferre, cum quicquid erat uspiam illius Vatis Oraculorum, per incendium illud Capitolinum conflagraret. De cæteris, Augustino & veritati, adhibenda credulitas potiùs quàm Novatoribus quibuscunque. Περὶ γὰρ τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἔσεσθαι παρουσίας, inquit Iustinus Martyr in Parænesi, καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων, σαφῶς καὶ φανερῶς προανεφώνησε. Atque ideò affatur sic Gentiles, Ἔστι ὑμῖν ἀναγκαῖον προγύμνασμα ἡ τούτων γνῶσις, τῆς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείας. Non intellectæ harum vatum prædictiones. Quis negat? & quia nequaquam intellectæ, detortæ, ut fit, in sensum alieniorem. *Viæ meæ, non ut vestræ*, dicebat Dominus. Nec carnalis homo, quæ Dei sunt, percipit omnino. Ipsi Iudæi, quibus aderant Doctores, *Videntes in Israel*, ad intelligentiam harum rerum prælucentes facem, Regnum illud Messiæ, quod omnibus ponitur in confesso, non nisi temporale intelligebant. Atque illi hinc ὁρμώμενοι, in humilitatem Servatoris & ὑπόδυνότητα efferati ferebantur. Nemo miretur, qui hæc ita esse intelligat, Paganos, illo lumine Israelis destitutos, in alia omnia abijsse diversos. Facile fuerat Lentulo, Antonio, Virgilio, Iosepho, alijs ad suum quosque sensum, ambigua vaticiniorum detorquere. *Pluribus persuasio inerat*, ut ex Historiâ *Histor. 5.*

Hiſtoriâ Cornelianâ nobis recitat Cardinalis, *antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore ut invaleſceret Oriens, profectique Iudæâ rerum potirentur. Quæ ambages Veſpaſianum & Titum prædixerant. Sed vulgus more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem ad vera mutabantur.* Neque ſolum Romani, ſed & ipſemet Ioſephus in Lege eruditus & Sacerdos, ad Veſpaſianum hoc oraculum referebat. Iudæi de ſuâ gente interpretati, ad arma concurrebant: ut Suetonius, Oroſius & Egeſippus prodidere. *Sed prudentiores*, ait hic, *ad Ieſum referendum eſſe conſtanter crediderunt, qui in Iudæorum terris ſecundùm carnem genitus ex Mariâ, regnum ſuum* (minimè temporale) *per univerſa terrarum ſpatia diffudit.* Nativitatem hujus Regis, admirandam & *generationem*, quæ, ut loquitur beatus Leo, *origo populi eſt Chriſtiani*, multa, magna, admiranda proculdubio, prodigia, & prævia præceſſerunt. Illud, cujus meminerat Iulius Marathus apud Suetonium in Octavio cap. 94. nemo Chriſtianus non retulerit ad Ieſum Chriſtum, *Naturam, regem parturire.* Ita enim divinitùs comparatum ſemper fuit, ut mutationes rerumpub. cœlitùs demonſtratæ, prævijs quibuſdam ſignis oſtenderentur. Nulla retro antiquorum temporum ſeries, parem huic mutationem aliquando vidit vel protulit. Πάντα καινά, diſertis verbis, Scriptura notat proveniſſe; vetera autem præterijſſe. *Rerum vices ſunt mutatæ, ut & anima nova, & corpus novum: novum adorationis genus, & promiſſionis novæ: & teſtamentum, & vita, & menſa, & veſtis, & ut uno verbo dicam, omnia nova ſint.* Quod mellito Scriptori Chryſoſtomo obſervatum eſt. *Novus enim homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo, & vitæ, noſtræ veteri contrarietatem oppoſuit novitatis ſuæ*, ait B. Gregor. hom. 32. in Evangel. Multa carminibus ſuis Sibylla interſperſerat, quæ locis diſſeminata, in unum veluti corpus καὶ ὑφ' ἕν. Lactantius ſic congeſta, complexus eſt, vel potiùs Auguſtinus è Lactantio. *Inſerit*, Auguſtinus ait, *operi ſuo Lactantius, quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus Sibyllæ. Sed quæ ſingillatim ipſe poſuit, ego arbitratus ſum conjunctim eſſe ponenda; tanquam unum ſit prolixum, quæ ille plura commemoravit & brevia. In manus iniquas*, inquit, *Infidelium poſtquam veniet. Et dabunt Deo alapas manibus inceſtis. Et impurato ore expuent venenatos ſputus. Dabit verò ad verbera ſimpliciter ſanctum corpus, & colaphos accipiens tacebit. Ne quis agnoſcat quod verbum, vel inde venit ut Inferis loquatur, & coronâ ſpinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad potum acetum dederint. Inhoſpitalitatis hanc monſtrabunt menſam. Ipſa enim inſipiens gens Deum tuum non intellexiſti ludentem mortalium mentibus: Templi vero velum ſcindetur, & medio die nox erit tenebroſa nimis in tribus horis. Et morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto, & tunc ab inferis regreſſus ad lucem lævam veniet, primo reſurrectionis principio revocatus oſtenſo.* Multa per diſpenſationem extraordinariam mortalibus Deus revelavit, quæ vel nec lecta, vel non intellecta, Paulus Oroſius *rerum noſtrarum*, ut veriſſimo elogio honeſtavit illum Baronius, *nobiliſſimus author* magnam partem collegit, & in unum veluti faſciculum diſpoſuit. Quem virum meliùs, non ſolùm de Eccleſiâ Dei, ſed & de literis humanioribus meritum fateri oportet, quàm ut *mirificam ignorantiam rerum Romanarum* præ ſe tulerit, quomodo Novatores δυσιστοφοι calumniantur. Habuiſſe volunt illum virum, odioſi alienæ induſtriæ æſtimatores, zelum quidem domus Dei, ſed nimiæ fuiſſe facilitatis, in nugis hujuſcemodi credendis colligendiſq;. Honorificentius

de

de hoc homine, cum Auguſtinus, tum etiam Hieronymus olim prædicabant. Fieri poteſt, (quippeni) ut præſagia quæ intendimus & prognoſtica, quæ plurima tunc temporis contingebant, aliquid aliud directè, & κατὰ σκόπον πρῶτον collimaverint, eique eventu liquidò ſatis reſponderint. Quid tum verò? Non ſunt ita diſpenſationes divinæ in anguſtum cogendæ, coarctandæve, quaſi ἓν πρὸς ἕν, & non πρὸς πλείω divina deſtinaſſet οἰκονομία. In Scripturis interpretandis, poſito qui primus eſt, & ſecundùm literam, ſenſu, aliæ deinceps interpretationes indè, ſervatâ, quæ eſt fidei, analogiâ, deduci, conſtrui, & poni poſſunt. In operibus divinis quoque conſtituendis, quidni eadem proportio debeat obſervari, ut quiſque in ſuo ſano ſenſu abundet? Quocirca laudandum eſt, & amplexandum Cardinalis apophthegma illud ſect. 27. in Apparatu. *Haud adeò novum mirumve erit, ſi, quæ in Auguſto contigerunt, eadem Chriſti adventus præmonſtrandi cauſa obveniſſe dixerimus. Quippè qui ſciamus, eundem Chriſtum in Cyro Rege Perſarum, fuiſſe expreſſum. Vt de illo dixerit Dominus, Aſſimulavi te mihi, & non cognoviſti me. Quocirca, & Paſtorem illum, & unctum Domini compellavit,* Eſay 45. 28. *Nec quicquam impedit quo minus paria de Auguſto Cæſare, & dici queant & excogitari, & ſecundùm illum, cum acciderint, exponi.* Anno urbis conditæ 714. Aſinio Pollione, & Domitio Calvino Conſ. quo anno regnum Iudæorum concedente Senatu, Herodes Idumæus capeſſivit, Romæ è Tabernâ meritoriâ Tranſtiberim, oleum è terrâ erupit, fluxitque per diem integrum. Sine intermiſſione? Paulus Oroſius de iſto ſigno ait: *Quo ſigno, quid evidentius, quàm quod in diebus Cæſaris, toto orbe regnantis, futura Chriſti nativitas declarata eſt? Chriſtus enim unctus interpretatur. Itaque cum eo tempore quo Cæſari perpetua Tribunitia poteſtas decreta eſt, Romæ fons olei per totum diem, defluxit. Sub Principatu Cæſaris Romanoque imperio, per totum diem, hoc eſt, per omne Romani tempus Imperij, Chriſtum, & ex eo Chriſtianos, id eſt, unctum & unctos, de meritoriâ tabernâ, hoc eſt, de hoſpitali, largâque Eccleſiâ, affluenter, atque inceſſabiliter proceſſuros.* Poſtillatores in anno lapſi ſunt: etiam & in ordine, & miraculo enarrando. Fontem aquæ aiunt converſum in oleum. Quaſi fons ille aquam prius ſcaturiiſſet: ubi nullus erat prius omnino fons. In anno lapſi: quaſi anno natali hoc contigiſſet, cum ante XXXVIII. annos prius eveniſſet. Sed veritas prognoſtici non impeditur, propter eventum ita olim completum. Neque enim vaticinia & prædictiones ita ſunt ad calculos ſtrictè devocanda. Eſto igitur, erraverit Abulenſis, qui factum hoc prodidit, memoriâ lapſus, ipſo die, ad veſperam, Natalitio. Non erravit Oroſius, qui quod factum, tum cum factum, Chriſtum Domini pronunciat deſignaſſe. Eſto, multa de numero prodigiorum quæ vel ſub id temporis contigiſſe commemorantur, falſa, ficta, præſtigia fuerint, φαινόμενα μὲν, οὐκ ὄντα δὲ: ideóne per omnia Spiritus ille nequam, miſeris mortalibus illudebat? Credat ille, qui & Moſen præſtigiatorem credet, eo quod per magicas ſuas præſtigias, Iannes & Iambres reſtiterunt Moſi. Vera miracula unius Dei eſt præſtare; opus ſcilicet omnipotentiæ θαυματουργεῖν. Vel ejus qui accepit ab eo poteſtatem. Sed Poteſtas illa, mi vir erudite, etiam non vocatis, etiam non Chriſtianis, etiam Antichriſto, etiam Diabolo per Deū, ſæpiùs occultè, ſemper juſtè, communicatur. Specificantur, agnoſco, à fine

miracula. Verè narras, Diabolum, & Diaboli miniſtros nunquam ad bonum finem ſua miracula direxiſſe. Quid ſi autem, nec tu negaveris, quin eadem ipſa Deus, invito Diabolo & reluctante, quaſi obtorto collo, in bonum finem relata & tranſacta tulerit? Nec tu unquam effeceris, quæ portenta olim & prodigia inter Paganos contingebant, ope & operâ, adminiſtri Diaboli fuiſſe omnia conſummata. Non eget Ieſus Chriſtus Diabolo præcone. Nec ſponte fungitur hoc munere Diabolus, niſi ut in fraudem deductos φενακίζοι. Ille tamen coactus,& reluctans, teſtimonium non rarò veritati perhibet. Sed hæc à Te dicuntur, erudite vir, quaſi eſſet in confeſſo poſitum, id quod non eſt: omnia illa miracula Oroſio commemorata, præſtigias eſſe: cum falſus tamen fueris in præcedentibus, *Pleraque falſa*; non omnia: Quædam autem, *fortaſſe vera*. Scio nonnulla commemorata, quæ ego quoque tecum præſtigiarum albo ſum & aſcripturus. Sed inter præſtigias, rei narratæ, non rei geſtæ. Hoc eſt, fuiſſe commenta dixerim poſterorum, nullo modo, vel per Diabolum, olim repræſentata. Abulenſis, Bonaventura, Petrus de Natalibus referunt vineas Engaddi illâ nocte, quâ natus eſt Ieſus Chriſtus floruiſſe, & fructum balſami protuliſſe. Fabula ἀδέσποτος: otioſi cujuſdam cerebri figmentnm, veteribus planè inauditum. Alij commemorant ignem de Cœlo per illam noctem decidiſſe; & Sodomitas per terrarum orbem univerſum propagatos, deleviſſe. λῆρον λήρει: alij fabulam confinxerunt de Sibyllâ quadam apud Auguſtum, & Mariâ ſublimi in aëre cum puerulo Ieſu, quomodo nunc picta repræſentari ſolet beatiſſima Virgo. Hanc merito ridet, & exibilat Exercitator: Baronius veluti levigat, & interpretatione quadam emollit. Nimium, non dicam credulus, ſed certè clemens, qui diris omnibus non devovit ſtultiſſimi commenti vanitatem. *Hujus antiqui Patres non meminere*, inquit Ieſuita Barradas, Qui fabulam ita refert, ex Innocentio tertio & Antonino. *Natus eſt Chriſtus eo tempore quo erat Pax in toto orbe. Quod nunquam contigerat à tempore Numæ Regis Romanorum ſecundi* (& tamen hoc falſum eſt de Iano clauſo) *uſque ad tunc* (Bis antea clauſerat Auguſtus.) *Sed ſemper fuerunt Romani in prælijs, niſi per unum annum. Quod Romani induſtriæ Octaviaui tribuentes, voluerunt eum ut Deum venerari: ſed Imperator non aſſenſit. Cumque populus ſuper hoc ei importunus eſſet, Sibyllam prophetiſſam advocavit, ſcire volens per oracula ejus, an alius eo major naſciturus eſſet. Cum ergo in die Natalis Chriſti, concilium ſuper hanc rem convocaſſet, & Sibylla in camerâ Imperatoris oraculis inſiſteret, in die mediâ circulus aureus apparuit circa ſolem, & in medio virgo pulcherrima, puerum geſtans in gremio. Quod Sibylla Cæſari oſtendit, eique dixit, Hic puer major eſt Te, & ideò ipſum adora.* Hæc & alia Petrus de Natalibus: Quæ cum ſint ſtupidiſſimi cerebri rejectamenta, magnus ille nugator Bulengerus, piè credit. Et Baronium quoque piè crediſiſſe vult perſuadere. Sed nimis eſt ille credulus: nimis obeſæ naris, ſi hæc credat tam ſine ſale, & ſenſu conſarcinata. Turbatur vehementer de Sibyllâ, quæ in rem præſentem affuiſſe dicitur: uti quoque & Baronius turbatur. Et in apparatu hic reſpondet, *ſic accipiendum, ut ea ipſa Auguſtus, à Sibyllâ, hoc eſt Sibyllinis carminibus, quæ Sibyllæ nomine à majoribus citari conſueverant, acceperit, non autem à Sibyllâ, quaſi adhuc vivente vate.*

Certè

Certè non. Nam ante multa retro ſæcula vox facta fuit,& præterea nihil. Sed reſponſio non ſatisfecit, ne quidem nugaciſſimo Bulingero: Sibyllam advocavit, faciunt λογολέσχαι; Sibylla advocata in cameram imperatoris, Oraculis inſiſtebat. Itaque deſerit Baronium, &, *Fuit*, inquit, *antiquis moribus mulier, quæ inſtinctu Dei, Auguſtum monuerit.* Et cur non clare hoc pronuntiarunt illi, qui præmanſam tibi fabulam Infanti in os inſeruere? Certè nimis Græcus non eſt hic nugator, Caſaubonus,ſed tute potiùs qui, *quicquid Græcia mendax, Audet in Hiſtoriâ pie credes, quod ad gloriam* Dei (qui tamen à mendacijs non quærit ſuam gloriam)tibi, tibique ſimilibus, ſit licet ἀνυπόστατον, videtur conducere. Cautior Barradius, cui ſuſpecta fictio. *Si verum fuit ſignum, quod me latet, dicta eſt Sibylla fœmina aliqua Sybillis ſimilis quæ Auguſti ætate vivebat.* Hæc tamen ἀποτρίμματα otioſorum hominum, non debent præjudicari ſignis alijs, quæ & cum ſenſu communi conſtant, & ſecundùm Hiſtoriæ fidem contingebant, & à Chriſti ſervatoris ἀνδραγαθήματων proportione quâdam non abhorrebant. Quid vetat credere οἰκονομικῶς factum apud Deum, quod feciſſe Auguſtum ἱστορικῶς certum eſt? *Indecoras adulationes repreſſit, & inſequenti die, graviſſimo corripuit edicto, Dominumque ſe poſthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis, vel ſeriò vel joco paſſus eſt:* ut Suetonius narrat, cap. 53. Unum enim habemus Dominum: & cum ab illo receſſerimus, non eſt alius. Cujus nomen, *Rex Regum*, & *Dominus Dominantium.* Cur non credi liceat, οἰκονομικῶς factum, quod à Suetonio effectum commemoratur, quòd Auguſtus tabulas veterum ærario debitorum, præcipuam calumniandi materiam, exuſſit? Σεισαχθείαν enim ille D. Ieſus introduxit,cùm vice noſtrâ rigidiſſimæ divinæ juſtitiæ ſatisfacturus, Chirographum quod contra nos habebatur, cruci ſuæ ſuffixum vacuavit. Ianum clauſum ab Auguſto commemorant ter. Ab ortu urbis ad Auguſtum bis tantummodo clauſum, legimus. Clauſum verò refert Paulus Oroſius (proculdubio ſcriptis innixus quæ nunc non extant,) per duodecim annos præter propter, quo tempore Chiſtus mundo innotuit revelatus. Baronius diſſentit cum Dione. *At ego non tantam fidem*, inquit Barradius, *ijs qui circumferuntur faſtis, aut Græco Dioni tribuo, ut propterea diſcedam à ſententia, gravis & antiqui Scriptoris Oroſij:* In quâ ſententiâ fuit etiam Exercitator. *Veteres autem revolvamus hiſtorias, & inveniemus, uſque ad 28. annum Cæſaris Auguſti, cujus* XLI. *anno Chriſtus natus eſt, in toto terrarum orbe fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ita ut caderent, & cæderentur. Orto autem Domino ſalvatore, quando ſub Præſide Quirinio prima eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, & Evangelicæ doctrinæ Pax Romani Imperij præparata, tunc omnia bella ceſſaverint. Et nequaquam per oppida atque vicos exercebantur ad prælia, ſed ad agrorum cultus militibus tantùm, Legionibuſque Romanis contra barbaras nationes bellandi ſtudio delegato.* Hæc Hieronymus ad cap. 2. Eſaiæ. Neque eſt qui difficulter credere velit hoc ſummo Dei beneficio, providentiâ, & prudentiâ factum, eo quod Rex Pacis, regnum Pacis, ad opus Pacis peragendum, inter Homines Pacificos, & bonæ voluntatis,in æternum erecturus, cum nos Patri ſuo eſſet reconciliaturus, utraque unum debebat facere: & par erat, ut in pacis plenitudine generatio ipſius mundo innoteſceret; quando impletus eſt Angelorum ille concentus, *Gloria in excelſis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis.* Ideò *in diebus ejus orta eſt Iuſtitia, & multitudo Pacis:*

quod notat idem Hieronymus è Scripturis. Neque fovet ille ſuam ſolitariam opinionem: cæteri cum eo conſpirant Patres. Sed non fortaſſe, contendent hic eruditi viri: illud ferre nullo modo poſſunt, quod Baronius Illuſtriſſimus affirmat, *Proximè antedicta tempora, illuſtriſſimum totoque orbe celeberrimum Apollinis Delphici Oraculum occluſum fuiſſe:* nec ultra uſitata reſponſa dediſſe horreſcente Dæmone, ut qui optime noſſe poterat mala ſua annuntiari. Et quamvis hoc videatur & affirmare, & confirmare M. Cicero, tamen refellitur Cicero ab Hiſtoriâ; atque ita laborat inopiâ teſtimonium, hoc effatum Cardinalitium. Aut ſaltem benignâ expoſitione, in ſenſum deducendum eſt, commodiorem: ut non de defectu Oraculorũ, ſed mutatione quâdam circumſtantiali veniat intelligendus. Nimirum, ἐμμέτρως reddi deſijſſe, non tum reddi penitùs oracula deſijſſe. Ait enim, *Iſto modo reddi,* & tamen hoc falſum eſt. Nam & Oribaſio, & Iuliano & alijs datum ἐμμέτρως legitur oraculum. Et Iupiter Belus atque alij, etiam poſt Auguſti tempora, nedum Ciceronis, erant vocales. Illud Macrino datum ἔμμετρον.

Ω γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.

Ita futilis eſt evaſio, *non penitus dari deſierunt oracula, ſed tantum* ἐμμέτρως *dari.* Verum eſt quod obſervat Bulengerus, *Si M. Tullius audiendus ſit, etiam Pyrrhi temporibus Apollo verſus facere deſierat.* Ordinario modo ſcilicet, & quâ priùs frequentiâ: non tamen penitus & in totum. Nam quod raro fit, cum ſæpiùs & de more olim aſſueverat fieri, id verò deſijſſe fieri, nec ineptè, dici poteſt. Quanquam ego per ætatem Ciceronis, Auguſtique, penitùs Oracula obmutuiſſe crediderim, temporibus illis interciſa, quibus magnum illud Dei myſterium, Mundo erat revelandum, adque illa tempora accommodatiſſimum referri potuiſſe oraculum, quod vi coactus, & quaſi invitus Apollo effudit, ſive Auguſto χρηζομένῳ ſeu alicui alteri, neque enim refert.

Ἑβραῖος κέλεταί με Θεὸς, μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν, καὶ ὁδὸν πάλιν αὖθις ἱκέσθαι.

Ἄπιθι λοιπὸν ἐκ δόμων ἡμετέρων. Hoc oraculum non inventum à Suidâ vel Nicephoro, vel Cedreno, fatentur qui fidem illius elevare contendunt. Fatentur accepiſſe eos à Georgio Monacho qui debebat Euſebio illud ipſum. Euſebium hoc commentum fuiſſe non audent dicere: qui tamen, quod nemo ſanæ mentis auderet, doctiſſimo viro derogant, & antiquiſſimo, propter hoc ipſum Oraculum fidem. Quis non indignetur, qui à Ioſepho Scaligero, & Iſaaco Caſaubono non placet Pythiam ab Auguſti ſeculo, vel anterius verſibus loquutam, ideò confictа fuiſſe, neceſſe ſit, omnia ab antiquis Eccleſiæ proceribus, nam id volunt, oracula & reſponſa quæ ab illo ævo, in libris literiſque inveniuntur? Diverſimodè effertur hoc oraculum: eſt ergo adulterinum? Apagè nugas. Sunt enim conficta & adulterata, & pſeudepigrapha veterum authorum ſcripta, ubi diverſitas Lectionum reperitur? Nam certè non variat apud Suidam ſenſus, ſed nec magnopere verba diſſentiunt, apud Suidam & alios, ab ijs quæ legebantur, vel ſaltem noſtris Criticis legi videbantur debere, apud Georgium vel Euſebium. Certè poſt Auguſti ſæculum, Pythiam non deſijſſe Oracula reddere multa ſunt quæ probant apud Hiſtoricos. Ægrè tamen & veluti

veluti reluctantem dediſſe declarant quæ ſunt apud Theodoretum Lib.3. cap.9. de Iuliano : Αὐτὸς δὲ τὸν Πύθιον, τὸν Δαφναῖον ἱκετεύειν δηλῶσαι οἱ, τὰ ἐσόμενα: ὁ δὲ τοὺς γειτονεύοντας νεκροὺς ἔφη ἐμποδὼν γίνεσθαι (ſancti Babylæ Martyris corporis relliquias intellexit) τῇ μαντείᾳ, καὶ χρῆναι τούτους πρότερον εἰς ἕτερον μετατεθῆναι χωρίον, εἶτ' οὕτως ἀπαγγεῖλαι τὴν πρόῤῥησιν. Οὐ γὰρ ἂν εἴποιμί τι, μὴ τοῦ τεμένους ἐκκαθαρθέντος. Hæc faſſus eſt Apollo Daphnæus apud Antiochiam : nihilo vocalior aut potentior Delphis, ut opinor. Deus autem qui in Sanctis ſuis adeò admirabiliter operabatur, an credendus eſt in filio ſuo jam vicino, jam appropinquante, minorem exeruiſſe virtutem & potentiam? Abjectè nimium de Deo ſentiunt, qui non fidem adhibent magnalibus iſtis & potentiæ brachij excelſi. Erravit in Cœnâ δωδεκαθέῳ Baronius; qui quę ſemel fuit celebrata, quaſi repetitam ab Auguſto refert, *Pro Apolline ſolebat diſcumbere.* Non excuſo erratum. Sed qui lapſus memoriâ eſt in Suetonio recitando, omnino verum tenuit de defectu Oraculorum. Concludo cum Origene contra Celſum, *Lib. vij.* Ἡμεῖς ἐν οὐδενὶ μὲν τεθείμεθα λόγῳ τὰ ἀπὸ τῆς Πυθίας ἢ Δωδωνίδων, ἢ Κλαρίου, ἢ ἐν Βραγχίδαις, ἢ ἐν Ἄμμωνος, ἢ ὑπὸ μυρίων ἄλλων λεγομένων θεοπρόπων εἰρημένα. τὰ δ' ὑπὸ τῶν ἐν Ἰουδαίᾳ προφητευσάντων τεθήπαμεν, ὁρῶντες ὅτι ἄξιος ἦν αὐτῶν ὁ ἐῤῥωμένος καὶ εὔτονος, καὶ σεμνὸς βίος; πνεύματος Θεοῦ προφητεύοντος καινῷ τρόπῳ, καὶ οὐδὲν ἔχοντα παραπλήσιον ταῖς ἀπὸ τῶν δαιμόνων μαντείαις. Illorum tamen teſtimonia libenter arrepta, in rem noſtram, contra ipſos authores, utpote invitis expreſſa, adhibemus. Cum vel unius adverſarij teſtimonium, apud æquos rerum æſtimatores magis premat; quam multorum, qui vel à partibus ſtant, vel non componuntur ex adverſo reſponſiones.

EXER-

EXERCITATIO V.

Sect. I.

Nobilitas triplex. Christus in omni genere εὐγενέστατος. Iudæ tribus variæ ὑπεροχαὶ. Omnes propter Christum. Virgo Maria porta clausa: radix Iesse. Quæstio de genealogia Christi per Iosephum, omissa per Casaub. qui ob id reprehenderat Baronium. Patrum de illâ sententiæ. Baronij sententia de connubio tribuum, non satisfacit. Virgo hæres, ut videtur. Non pauperrima. Cur in stabulo peperit.

MAgnum magna decent. Itaque fieri non poterat, quin unus è multis non esset, sed præcipuus inter omnes, in cujus adventum hæc magnalia Dei apparabantur. Nasci à Principibus fortuitum est. Et totum hoc, quod vocant homines, εὐγένειαν, generis splendorem, majorum titulos, inanes sunt plerunque strepitus, & ventosorum hominum crepitacula inania & mormolycæa. *Stemmata quid faciunt?* ait ille: Rectè. *Si coram Lepidis male vivitur.* Homines notos magis quàm nobiles, licet & nobilitatem *longè repetant longéque revolvant*, ridiculos potiùs, quam suspiciendos digito monstramus, & execramur. Verum est quod sciscit
In Luc. 1. beatus Ambrosius, fateor: *Non solum mores in ijs qui prædicabiles sunt, sed etiam Parentes oportere laudari.* Illud tamen ita intelligendum est, *Vt veluti transmissa, immaculatæ puritatis, hæreditas*, quod ait idem, *in ijs quos volumus laudare præcellat.* Libenter agnoscimus quod ille dixit, verum. *Nobilitas sola est atque unica virtus*, Et tamen in confesso ponitur Rem ab accidentibus minimè constitutam, utpote quæ accedant constitutæ, cum illorum Esse, ut loquuntur, sit Inesse, tamen jam constantem, multum ab illis, coloris, gratiæ, dignitatis, & splendoris acquirere. Virtutem suspicimus & admiramur, etiam penes Thersitem repositam παγκατάπτυστον: & tamen,
Orat. 28. *Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.* Nobilitatem, à Gregorio Nazianzeno triplicem memini constitutam. Unam quæ supernè originem traxit. Quâ quidem, si consideremus, omnes peræque Nobiles sumus: quippè creati ad Dei imaginem. Alteram quæ à sanguine proficiscitur: cujus ratione, haud quidem scio, an quisquam Nobilis dici possit, cum

corruptione conſtet. Tertia à virtute agnoſcitur, cujus vel uberius vel exilius participes efficimur, prout divinam imaginem, vel integram ſervaverimus, vel corruperimus. Ita ille, pluribus quoque rem eandem proſecutus. Certè totum illud quod homines εὐγένεις ſolent εὐγενὲς, æſtimare, eſt potiùs παράκομμα & παραχάραγμα, quam Θεοῦ νόμισμα, ut cum Ignatio loquar. Is cujus cauſsâ hæc inſtituta eſt de Generis & Nobilitatis laude προπυργοσκὴν, & nobilis erat ultra omnes olim, Nobilitate quæ in Nobis eſt: Imago & character Dei gloriæ. *Deus enim Dei Filius, de ſempiterno & Ingenito Patre unigenitus, & ſempiternus, manens in formâ Dei, & incommutabiliter atque intemporaliter habens non aliud Eſſe quam Pater, formam ſervi, ſine ſuæ majeſtatis detrimento accepit,* ait B. Leo, *ut in ſuâ Nos proveheret, non ipſe in noſtra deficeret.* Item Nobilitate, quæ *ad Nos* pertingit, præcipuum & εὐγενέστατον, de *femore Iacob* deducebat. Semen mulieris, ab initio dierum compromiſſum. Semen Abrahæ in Iſaaco ſeparatum. Stella Iacob: Leo de Iuda: ſtirps de Ieſſe. Filius David, Sanctum illud, de Spiritu Sancto conceptum, natum de Mariâ Virgine. Tertio, & Nobilitate quæ *à Nobis*, ad omnem poſteritatem propagari ſolita eſt & diffundi, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, Electi, Uncti, Sacerdotes, Reges ad omnia ſumma præordinati. Quod ad illam attinet ſecundo loco poſitam, à Iacobo per Iudam, & Davidem Nobilitatem; amplectimur illa, non ſolum verè ſed & rotundè, & eleganter dicta à Baronio, *Venturus in mundum Dei Filius verbum Patris, cujus generatio inenarrabilis Eſaiæ 53. ex genere Abrahæ, tribu Iudâ, & ſtirpe David, ut ex diſpoſitione divini conſilij fuit ordinatum, delegit humanam carnem aſſumere, & ſimilis nobis per omnia, abſque peccato, homo fieri.* De quo imprimis tenendum eſt quod habet Paulus VII. ad Hebrẹos 14. Πρόδηλον ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν. In cujus rei gratiam, Prærogativam illa tribus in filijs Iſrael, primogenituræ adepta fuit, ut regnum in Iſrael ei deberetur. *Iuda te laudabunt fratres tui,* & quæ ſequuntur, jam morti proximus vaticinatur divinus Iacob. *Meritò ſe circa gratiam Iudæ effudit ſanctus Iacob: & ad Iudam dirigi videtur alloquium; ſed Iudas ille poſterior, id eſt Chriſtus, exprimitur, qui ex illa tribu naſcebatur;* ut obſervat Ambroſius, de Benedictionibus Patriarcharum. Obſervant Patres, Prẹſtitiſſe hanc tribum multitudine hominum. Et certè verum eſt, ut conſtat tum ex initis rationibus apud Davidem per Ioabum: & etiam per Moſen in deſerto: In typum multitudinis Catholicæ Eccleſiæ, quæ cum olim ſterilis haberetur, peperit filios, ultra fætantem Synagogam. Erat ipſe Iudas vir fortis: tribus ipſa fortitudine præcellebat. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti.* In bellis Canaan, Ioſuâ defuncto: & adverſus Benjamitas, tribui Iudæ dictum à Domino, *Aſcendat princeps.* Fabulam huc ſpectantem Hieronymus recitat, & quidem ut fabulam Iudæorum. *Tradunt,* inquit, *Hebræi hujuſcemodi fabulam, in exitu Iſrael ex Ægypto, quando ex alia parte mons, ex aliâ mare rubrum, & ex alia Pharaonis cingebat exercitus, & incluſus ille populus tenebatur, cæteris tribubus deſperantibus ſalutem, & reverti in Ægyptum cupientibus, ſolus Iudas ingreſſus eſt mare.* Hæc in Comment. ad Hoſeæ XI. Hieronymus, ſomnium referens Rabbinicum. Stultum eſt enim quod ſic narratur, illud quod ſequitur, tantum non Impium, *Vnde & regnum meruit accipere.* Regnum enim meruit propter Davidem, à quo Chriſtus. Propter quem, &

Hom. 8. in Nat.

hanc

hanc & alias adepta est illa tribus prærogativas. Sed ingressa est illa tribus mare princeps, si tamen princeps est ingressa, quia, quod certum est, ducebat primam aciem. Illam ducebat, propter Christum. Considerandum & illud est imprimis, in hanc tribum cæteras omnes tandem coaluisse. Et qui de Ruben, Ioseph, Levi, cæteris originem generis derivabant, nihilominus de Iudâ Iudæi dicebantur. A captivitate, Iosephus docet, hoc institutum ad Christum, ad hæc ipsa tempora durat, cum jam confusæ sint origines, nec distinctæ habeantur Genealogiæ in Israel. Τεκμήριον δ', fore ut confluerent ad Iesum Christum undecunque, tota illa mortalium universitas, & in novum illud nomen cooptarentur, quod impletum videmus per novissimos hosce dies, cum ubique de Christo dicantur Christiani. Postremò, & Hebræum nomen Iehudah quatuor omnes literas in se continet, quibus nomen illud Dei ἀνεκφώνητον, à numero literarum quaternario tetragrammaton dictum, scribebatur. Additâ insuper literâ Daleth, quæ janua vel porta est. *Quæ autem est hæc porta, nisi Maria? per quam Deus ille noster omnipotens, factus Emmanuel, nobiscum Deus intravit in hunc mundum.* De qua beatissimâ θεοτόκῳ, illud Ezechielis cap. XLIIII. interpretantur, *Porta hæc clausa, non aperietur: & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa. Ideo clausa*, ait Ambrosius, *quia virgo.* Hæc ad Orientem (in Ezechiele) respiciebat, quoniam verum lumen effudit, quæ generavit Orientem, peperitque nobis justitiæ solem. Orta est illa de tribu Iudæ, quam *florem de Iesse*, Spiritus Sanctus per Esaiam, quod testantur vetusti Patres, nominavit. *E radice Iesse ortus est Christus*, inquit Iustinus Martyr. *Editus etenim est ex virgine, oriundâ è semine Jacob, atque ita Iesse inter priscos proavos*, juxta *hoc oraculum habuit.* In 2. Apol. & post illum, Latinorum Patrum tamen antiquissimus, Tertullianus: *Et quoniam ex semine David, genus trahere debebat virgo, ex quâ nasci oportuit Christum, evidenter Esaias propheta in sequentibus edixit, Et nascetur virga de radice Iesse, quod est Maria: Et flos de radice ejus ascendet.* Contra Iudæos cap. 9. Ambrosius deinceps. *Radix Iesse Patriarchæ, Familia Iudæorum. Virga Maria. Flos Mariæ Christus, qui bonum odorem Fidei toto sparsurus orbe, virginali ex utero germinavit, sicut ipse dixit, Ego flos campi, & lilium convallium. In hoc igitur Spiritus Sanctus virgæ regalis flore requievit.* Lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. Nec dissimilia Hieronymus in Esaiæ XI. Leo in Serm. IIII. de Natali Domini. Beda, & qui supersunt plures. Quod pertinet ad Davidicam stirpem, ex eâ progenitam esse sanctissimam Dei genetricem apud omnes Catholicos in confesso est. Verissimè vir illustris in apparatu. Quo modo tamen illud fieri potuit, cum diversimodè rem deducant Evangelistæ, quæsitum est. Et res est certè non tam proclivis quàm est imber cum pluit, cum genealogistes ille sacer concludat, Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ τὸν ἄνδρα Μαρίας ἐξ ἧς ἐγεννήθη ὁ Ἰησοῦς, ὁ λεγόμενος Χριστός. Expectaret fortè quispiam ut diceretur, *De quo nata est Maria mater Iesu.* Nam quid Iosephus ad illius stirpem, cum de matre carnem Dei filius, & non de Patre, induerit homo factus? *Nobilissima hæc quæstio est & vetustissima*, inquit Exercitator. Rectè. Nam Metonis annus est, cum de ea inter doctos disceptatur. Reprehendit Annalistam Exercitationum author, quòd nimius cum soleat esse in rebus nihili, gravissimam quæstionem vix attingit. Ipse non minùs reprehendendus

dendus quod tantummodo, *Quædam de hac perstrinxerit:* quasi de totâ illâ quæstione alias accuratè acturus, si credere fas est. Cum Philologis hodiè nostris sit in more positum, comperendinare scriptiones, ubi hæret ipsis aqua: & velle videri libenter ea tractasse quæ non intelligunt, nisi quod vel tempore excludantur, vel in tempus aliud magis opportunum differrent. Prudenter tamen Cardinalis, & fortassis ex sententiâ Apostolicâ genealogicis quæstionibus occupari noluit, cum *meritum fidei eo magis augeatur, quo illa credit, quæ Scripturæ docent, licet modum non doceant quo esse illa ita vera, quo commemorantur, probetur.* Quid nobis cum Iosepho negotij fuit apud Evangelistas, qui Iesu Christi stirpem per Mariam matrem à Davide deduci desideramus? Respondet Hilarius, Can. 1. in Matth. *Quod Iosephi potius quam Mariæ nativitas recensetur, nihil refert.* Cur vero? *Eadem est enim utriusque tribus atque una cognatio.* Hoc quidem constat apertissimè. Sed quomodo per seriem illam genealogicam constabit tamen? de ὅτι, nulla est quæstio. De modo, lis vertitur, & controversia. Neque quicquam tamen addit hic Ambrosius. Ait enim, *Noli mirari quod Iosephi origo descripta sit, cum in Iosephi origine etiam Mariæ origo contineatur.* Plus lucis habemus, ab Emisseno qui dicitur Eusebio, Hom. in Nativit. Mariæ. *Manifestissimè comprobatur, & Ioseph, & beatam virginem Mariam de eâdem tribu fuisse.* Tum vero addit. *Sed ideò per Ioseph Evangelista generationem texere voluit, quoniam usus est ubique sanctarum Scripturarum, per viros semper, & nusquam per fœminas, generationis seriem ordinare.* Quam desumpsit ille, quisquis author erat, ab Hieronymo, cujus ista sunt in Matth. 1. *Cum Ioseph non sit pater salvatoris, quid pertinet ad Dominum generis ordo deductus, usque ad Ioseph? Cui respondemus primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur.* Quod illius responsum verissimum est. Addidisset, *Neque consuetudinis Iudæorum.* Citant enim è Rabbinis, *De hac vel illâ tribu propter matrem nemo dicitur, sed propter Patrem.* Et quod pluris est, è Iosepho, *Hierosolymam mittunt conscribentes à Patre nomen nuptæ & antiquorum progenitorum:* 1. contra Appionem. Nondum tamen λύσις. Restat enim: Quomodo constabit Mariam de Iuda genus derivasse, eò quod vir ejus Ioseph de Iuda fuit? Solvit Cardinalis, quam verè autem, quam minùs rectè dispiciemus, solvit tamen: Nimirum illud ideo factum, *Quod certum & exploratum habeatur, nec fœminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus fœminam, sibi matrimonio jungere, licuisse, id jubente divinâ Scripturâ & dicente: Num. ult. ver. 6. Nubant quibus volunt, &c.* Sed non demonstratur, ait Exercitator. Verè. Quod ut ita esse pateat; de Connubijs hic aliquid Israeliticis interserendum esset, si non illo labore jam defuncti, ubi de genere Macchabaïco agebatur, actum hic agere non deberemus, nec recoctam cramben reponere. Duos tamen parietes Cardinalis, unâ & eâdem fideliâ dealbat. Nam, & Iosephum ideo docet, & non Mariam, genealogica descriptum narratione ab Evangelistis, quòd cum necessariò deberent esse uxor & maritus contribules, posito Iosephum de Iudâ extitisse, & Mariam quoque eâdem tribu prognatam, sequatur. Et secundo loco, Elisabetham de tribu Levi, cognatam Mariæ, de Iuda diceretur, non

ob aliam cauſam, quam quod, de gratiâ ſpeciali, ſacerdotali tribui Dominus Deus indulſerat, ut contrahere poſſet matrimonia cum Regali: Planiſſimè ἀδέσποτος indulgentia: vaniſſimæ ſententiæ ſubnixa. Illud de Ioſepho verum eſt: de Mariâ verum: fuiſſe hunc & iſtam contribules. Teſtatur hoc abundè Scriptura ſacra: ſed non perſuadet ratio Baroniana. Fatendum eſt Ioſephum virum juſtum nullo modo Legi contrarium perpetraturum. *Nequaquam juſtus iſte pateretur*, Chryſoſtomus ait rectè, *uxorem ſibi aliundè quàm quod Lex patiebatur eligere.* Cui & Ambroſius item ſubſcribit, *Nec potuit juſtus facere contra id, quod Lege præceptum erat.* Verùm enim verò, *Hæc Lex*, ita mitigat Euſebius Emiſſenus, *etſi fortaſſis non ad plenum ab alijs obſervabatur, ab alijs tamen mulieribus cuſtodiri neceſſe erat, quæ, quando fratres non habebant, Parentibus ſuis ſuccedebant in hæreditatem.* Neceſſe eſt igitur, quò conſtet ſibi Legis ratio & obſervatio in connubio Ioſephi & Mariȩ, ut dicamus beatiſſimam Virginem in defectu maſculorum, paternam creviſſe hæreditatem: vel ſolam, vel cum ſorore unâ, aut etiam pluribus. Ut non abhorreat ſaltem a probabilitate, quod non nemo, è mediæ ȩtatis ſcriptoribus, memoriæ prodidit, beatã Virginem habuiſſe ſuæ poſſeſſionis ædes Galileanas, apud Nazareth, cum Ioſepho deſponſaretur. Certè audiendi minimè videntur, qui tantum non mendicos Mariam & Ioſephum commenti ſunt, atq; illo utuntur, inter cætera, argumento, quod cum eſſet Bethleemi cum marito deſcribenda, partui vicina, peperit filium ſuum primogenitum, & faſcijs involutum in prȩſepi reclinaſſet. Mirum non ſcripſiſſe, & faſcias illas ῥακώδη φορήματα, hinc indè mendicatas corraſiſſe, & victum oſtiatim collegiſſe. Inepti homines, qui Chriſti Deï exinanitionem, uſq; eo deprimunt, quo eum deſcendiſſe, nec Scriptura affirmat, nec Traditio. Certè quod ſequitur in beato Hiſtorico aliud docet, Non illis defuiſſe quo conducerent locũ in Diverſorio: Sed defuiſſe locũ, quem, cum tardius advenerant, conducere non poterant, utpotè jam præoccupatis omnibus. Atq; hoc, certò conſtitum eſſet Mariam adijſſe paternam hæreditatem, quod ego quidem verum eſſe, arbitror, omnino ſequeretur ἀποδεικτικῶς, non niſi viro de judã copulandam. Iuſſit hoc Lex, vir juſtus Ioſeph, ſanctiſſima fœminarum Maria, non habuiſſent inſuper divinã Legem, ſed per omnia eandem obſervaſſent. Cum ſit hoc incertum, utcunque probabile, non debuerat Baronius hoc unico contentus eſſe effugio, de Ioſephi, & non Mariȩ contextâ per Evangeliſtas genealogiâ. Nam & mulieres alienigenæ in hâc ipſa genealogiâ recenſentur, Rahab, Ruth, Bethſhaba: & poterat dici, ſatisfactum Legi, ſi Maria etiam hæres elocata fuiſſet viro de tribu Iudâ, utcunque de Davide non deſcendenti. Cum inter millia Iudæ, unica eſſet, & fortaſſe non populoſiſſima familia David per illas rerum viciſſitudines. Vidiſſet Baronius an non ipſi potius deſcendendum fuiſſet in ſententiam illam, quam ut omnium aliarum ſimpliciſſimam, viri eruditi olim amplexi ſunt, quæ ſtatuit, Mathȩum paternam Chriſti genealogiam & putatitiam, hoc eſt, Ioſephi contexuiſſe. Lucam verò maternam, quæ aſcendit altius, & in ipſo Deo terminatur per Adamum. Certè non excuſo doctiſſimum Cardinalem, qui vel penitus non omiſit hanc quæſtionem, vel ſatis habuit in incertis et trivialibus hærere.

SECT.

Sect. II.

De Parentibus beatæ Virginis, multa variè, ineptè, falsò traduntur. E Traditione. Ab Hæreticis. Ioachin & Anna. Hæc an è matre Sacerdotis filia, ut esset consobrina Elisabethæ. Manichæorum: Seleuci, commentum. Baronius refellit. Non solidè. Epiphanius princeps Annam & Ioachimum nominavit. Correctus ejus lapsus.

CUjus generatio, licet de æternâ dictum fuerit, inenarrabilis in illius origine temporali, non est mirum si multa involuta & inextricabilia; multa incognita permanserint nec revelata. Nam si verum sit, esse quædam ἀπόῤῥητα τῆς θείας γραφῆς, cum tamen omnis Scriptura data sit, ad instituendum, reprehendendũ, docendum & πρὸς τὸ καταρτίζεσθαι τὸν ἄνδρα τοῦ Θεοῦ: Quid mirum, esse quædam ejus generis, quæ sunt extra terminos Scripturarum? Sine salutis dispendio hic erratur. Negari possunt sine periculo animæ, quæ tamen sine temeritate in quæstionem vocari non possunt. Parentes sacratissimæ virginis, certum est & de fide, de Iudâ, de David fuisse oriundos. Negari non debet, licet sine salutis dispendio negetur, Ioachim & Annam nominatos. De quibus ipsis, plaustra quędam figmentorum, ineptiarum, impietatum, blasphemiarum impij homines & hæretici, homines εὐήθεις & simplices, licet Catholici & Orthodoxi, vani etiam & ματαιολόγοι, mundo obtruserunt. Dicebat olim impius ille sed oppidò eruditus apostata Iulianus, Mariam θεοτόκον, de tribu Iudâ & domo David non oriundam. Secutus in hoc blasphemo commento, Manichæorum imposturas, & impietates. Leucius quidam sive Seleucus Manicheus, libri cujusdam author extitit pseudepigraphi, qui apud Patres vetustiores, legebatur. Probare volebat sceleratissimus Hæreticus, illam fuisse Leviticâ tribu oriundam. Adhibebat inter alia illud telum imprimis, quod cognata dicatur Elisabethæ: quam, certum est, Scripturâ affirmante, fuisse de filiabus Aaron, & tribu prognatam Sacerdotali. Impiè quidem illi Ardeliones, Sathanæ emissarij, & Redemptionis per sanguinem Filij hominis fusum, adversarij. His se opponit in Apparatu Cardinalis, ex animi affectu, pietate in Deum; zelo etiam domus Dei, & Iesu Mariæ seruatoris, Lege insuper Historiæ hoc exigente; innititur autem quod nollem factum, nescio quibus, admodum incertis & apocryphis, genealogiarum lineis, & stemmatum descriptionibus, inauditis apud probatos authores. Videat igitur ne & ipse improviso, & inconsideratè in eundem illum lapidem impingat, quem positum ab Hæreticis profligatissimis execratur. Recitat nobis ex Hippolyto & Germano, Annam beatæ Virginis genetricem, filiam fuisse Matthan cujusdam Sacerdotis. Tres fuere sorores Bethleemiticæ, (inquit fabulosissimus scriptor, larvatus Hippolytus, apud

 Nicephorum,

Nicephorum, omnium fabularum promum condum) filiæ Matthan Sacerdotis, & Mariæ conjugis ſuæ, ſub Cleopatræ & Caſoparis Perſæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum. Primæ, Maria: ſecundæ Soba: tertiæ Anna nomen fuit. Nupſit prima in Bethlem Maria, & peperit Salomen obſtetricem. Nupſit ſecunda itidem in Bethlem Soba, & peperit Elizabeth. Nupſit poſtremò & tertia Anna, in terrâ Galilæâ, & peperit Mariam Dei genetricem, ex quâ Nobis natus eſt Chriſtus. Quod ſi Anna Sacerdote ſit orta genitore, Deipara virgo per matrem ſuam tribum Iuda non attingebat: & ſi partus dicantur rectè ſequi ventrem, videant, quibus iſta curæ debent eſſe, ne quid Fides & Eccleſia detrimenti capiant. Miror Cardinalem hanc narrationem non abominatum: Non tantùm quod impia ſit propter ſequelam, Dominum non fuiſſe de tribu Iuda, ſed quod repugnaret ἐκ διαμέτρου cum pſephiſmate Romano per Pontificem Sixtum V, promulgato: *Ego ſequor id*, Barradius inquit, ubi rejicit hoc commentũ, *quod ex præcepto Sixti quinti Pontificis Maximi, Eccleſia recitat in feſto D. Annæ: Anna virginis Dei genetricis mater, Gaziri filia ex tribu Iuda, in Bethlem oppido Iudeæ nata, Ioachimi fuit uxor: qui & ipſe ex eâdem tribu fuit Galilæus, ex Nazareth.* Neque opus eſt ut propter Eliſabethæ cognationem, ad hujuſcemodi portenta, Hæreticorum fabulas, & commenta confugiamus. Potuit enim Eliſabetha dici multis modis Mariæ cognata, utcunque neque pater, neque mater Mariæ genus ſuum tam immediatè ducerent de tribu Levi: quod rectè docuit ex Auguſtino, ad cap. 1. Matthæi, doctiſſimus Maldonatus. Quod ſi neceſſe erat comminiſci nuptias: Dixiſſent utique non Hæretici, matrem quæcunque fuit, Eliſabethæ, ſororem Annæ matris virginis, cum ipſa eſſet de tribu Iuda, elocatam Sacerdoti, quæ cum peperiſſet Eliſabetham, & ipſa Sacerdoti Zachariæ nubebat. Qui princeps parentum beatæ Virginis meminit, (quod & ipſum deſumpſit à Traditione, incertâ, & ἀδεσπότῳ) Epiphanius eſt. Nemo repugnat de nominibus, de cæteris apud illum, nemo magis repugnat quàm Baronius. Cætera deinceps forſan attingemus, prout occaſio ſe obtulerit: in præſenti corrigendum eſt ἁμάρτημα μνημονικὸν Epiphanij, niſi forſan aliundè irrepſit error, ab hac noſtrâ tractatione de parentibus B. Virginis non alienum. Is hæreſi 79. pag. 441. ubi de conjunctione tribuum iſtarum, Sacerdotalis ſcilicet, & Regiæ loquitur, hæc habet, Ἐν τῇ Ἐξόδῳ, Ναασσὼν ὁ ἀπὸ Ἰούδα φύλαρχος, λαμβάνει Ἠλισάβετ τὴν ἀρχαίαν, θυγατέρα Ἀαρών. *In Exodi libro*, vel fortè in Exodo Iſraelis, *Nahaſſon princeps tribus Iudæ, antiquam illam Eliſabetham in uxorem accepit, filiam Aaronis.* At nuſquam hoc in Exodo ſcribitur: nec in Exodo Iſraelis factum fuerat. Imò πάντα ἐνάλλα. Nam Exod. VI. IIII. contrario modo ſcriptum reperitur, Aaronem in uxorem ſibi ſumpſiſſe Eliſabetham ſororem illius Nahaſſon, principis de tribu Iuda, filiam verò Aminidabi. Poteſt fieri, ut hoc ab ipſo profectum ſit παρόραμα, cum illud ipſum quod ab eo eodem loco ſcriptum ſit, manifeſtiſſimè falſum fuerit. Αἱ δύο φυλαὶ συνήπτοντο μόναι πρὸς ἀλλήλας, ἥτε βασιλικὴ τῇ ἱερατικῇ: καὶ ἡ ἱερατικὴ τῇ βασιλικῇ. Solæ tribus iſtæ duæ inter ſe conjungebantur matrimonio: ſacerdotalis illa cum tribu regiâ, & regia tribus ſacerdotali: Quod omnino falſum eſt. Servatâ enim Lege de non miſcendis hæreditatibus,

ditatibus, non iſtæ duæ tribus ſolæ, ſed cæteræ omnes & inter ſe, & cum iſtis contrahebant matrimonia.

SECT. III.

Natales Mariæ virginis fortè miraculis Illuſtres. Non tamen ut quæ in ſingulos Sanctos ſingula, in eam univerſa ſint collata. Aquinatis de Virginis prærogativis egregiè dictum. Auguſtini item, & aliorum quorundam hyperbolicæ locutiones. Vndè Collyridiani profecti. Anna ſterilis. Protevangelion Iacobi: alia figmenta notantur.

ANnam fuiſſe diù ſterilem non eſt improbabile: nec illibenter credo. Non quod illi authores, nullius rei fidei, aut authoritatis illud prodant, ſed quod libenter amplecterer ſententiam illam Baronianam, miraculis quibuſdam, nedum miſericordiâ quadam ſpeciali divinâ, & gratijs quibuſdam non vulgaribus (licet nuſquam extet literis ita proditum) Virginis nativitatem fuiſſe illuſtratam: At modum exceſſiſſe videtur vir eruditus, dum non contentus, miracula & prævia quædam admiranda ſtatuiſſe, eo deſcendit τῆς ὑπερβολῆς ut ſcribat, *Abjectè nimis atque humiliter illum de Deo ſentire, qui Eum putet plura atque majora elargitum eſſe Servis quam matri, & amico ſponſi quam ſponſæ.* Nam quis unquam, illam *Dei ſponſam* appellavit eo ſenſu? Quis in illam congeſtas illas omnes gratias gratis datas ſomniavit, quæ huic illi Sancto collatæ ſunt? Nulli ſervorum elargitus eſt plura: Nulli majora. Imò Nullis olim, ne omnibus quibuſdam Sanctis, illud illuſtre, ut Mater Dei diceretur, privilegium concedebatur. Quid opus eſt ut de ſingulis ſolliciti ſimus, cum omnes omnium dignitates illa unica ſit complexa? Humanitas Chriſti, ex eo quòd ſit unita Deo: & beatitudo creata, ex hoc quòd eſt fruitio Dei: & beata virgo ex hoc quòd eſt mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod eſt Deus. Et ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius ejs, ſicut non poterit eſſe aliquid melius Deo. Hæc Thomas 1. parte, q. 25. art. 6. ad. 4. Ex hiſce colligere licet tria, ut rectè Barradas. Humanitatem Chriſti, Beatitudinem cœleſtem, & ſanctiſſimam Virginem, infinitam quandam habere dignitatem ex Deo: Humanitatem Chriſti, quia à Deo in unitatem ſuppoſiti aſſumpta eſt: Beatitudinem cœleſtem, quia conſiſtit in viſione Dei: virginem Deiparam, quia Dei genetrix eſt. Qui & iſta quoque recitat è Bonaventura. Majorem mundum Deus facere poſſet: majus cœlum Deus facere poſſet: majorem matrem quàm matrem Dei, Deus facere non poteſt. Et tamen laudantur illa Auguſtini, *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Fruſtrà iccircò Cardinalis laborat in aſſerendâ dignitate Beatæ Virginis, cum præjudicio quodam Beatæ Virginis. Illa enim illuſtrant ipſius dignitatem, quæ competere poſſunt ipſius ſtatui vel Gratiæ vel Naturæ. Quæ non conveniunt, vel collata non

ſunt,

ſunt, ad honorem Deiparæ non ſpectant. *Viderunt illam filiæ, & beatma prædicarunt.* Cant. 6. juxta quod de ſeipsâ vaticinabatur, *Ex hoc beatam me dicent Generationes omnes.* Sed quis ferat, non aliter quàm fidei articulos proponi? In ipſo inſtanti Conceptionis, actualem rationis uſum ipſi conceſſum. Quod tamen Aquinas melius cenſuit, ſpeciale Chriſti privilegium extitiſſe. In ipsâ Conceptione, gratiâ donatam Angelorum: hoc eſt, ut interpretantur ex Auguſtino, cum bonâ voluntate, & amore caſto quo adhærebat Deo. Simul in ea, & condens Naturam, & largiens gratiam: ita ut illa labes Originalis: ille fomes quo incentivo Peccati conflagratio exardeſcit, evanuerit, & nuſquam fuerit. Bonum factum addidiſſent, non indiguiſſe Deo Servatore ſuo. Per omnia paribus cum filio ſuo, gaviſam privilegijs. Miror non etiam addidiſſe, aſſumptam in unionem Deïtatis. Nimium certè prodigus Nicolaus à Cuſa, *Virgo ſola poſt Adam lapſum, non indiga, ſed plena juſtitia Originali ut Eva & multo magis creata fuit, ſic ut Chriſtus ſecundum humanitatis Naturam in omni plenitudine juſtitiæ multo magis quam Adam creatus eſt.* Iſta modum excedunt capacitatis humanæ. Satis eſt, profiteri, Benedictam ſupra mulieres: τὸ δ' ἐφεξῆς, ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστικοῦ καταλείψομεν. Hæretici certè Collyridiani, ſi, quod Baronius arbitratur, Beatam Virginem prędicabant prorſus humanæ Naturæ expertem, & participem divinæ, non aliundè quam ab hoc fonte profluxerunt ad impietatem ſuam, quod ὑπερβολῇ θαυμάσαντες τὴν ἁγίαν, εἰς τοῦτο ὑπέπεσον τῆς αἱρέσεως τὸ ληρολόγημα; ut contra ipſos obſervat Epiphanius. De ſterili matronâ prognatam crediderim: ſed εἰς κόρακας ληρώδεις illæ fabulæ, quas falſarius Hæreticus ſub Hieronymi titulo, mundo obtruſit ῥινὸς ἀγομένῳ. Precibus impetratam Ioachimi, quis negaverit? ſed faceſſant quæ narrantur in Evangelio Iacobi. Angelo internuntio quin credere poſſimus conceptam, nihil prorſus eſt quod impediat. Dictum eſſe poterat Ioachimo per Angelum vel Gabrielem, *Ecce Anna uxor tua concepit:* Nihil hic à pietate, fidei normâ, ſenſu communi, praxi diuinâ alienum. Nam & multæ olim ſteriles precibus à Deo prolem impetrarunt. *Eliſabetha, quod conſtat, per illa tempora ſterilis corpore ſed fœcunda virtutibus, tarda Soboli, ſed non tarda Deo, non genimini clauſa ſed tempori, non negata pignori ſed ſervata myſterio,* ut Chryſologus declamat. Homil. 91. David Templum Domini extruere voluit, ut arcam honorificentiſſimè collocaret: ideo, cum hoc ipſe perficere vetaretur, impenſis tamen maximis materiam præparavit. *Opus*, inquiens, *grande eſt, Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo,* Nihil video, cur non de virgineo corpore liceat iſta προῳδεῖν, cum in illius corpore ſanctum illud Domini conſecrandum & locandum foret. Magno apparatu opus eſt, nec ut una de multis in vitam propaganda. Hæc & his ſimilia, non video, quid in cauſsâ eſſe poſſit, cur non prębia dicuntur fuiſſe, vel interveniſſe Nativitati beatiſſimæ Matris Dei. Ferendæ non ſunt vel nugæ vel blaſphemiæ, quas non paucas ante aliquot retro ſæcula Hęretici aſtuti, Catholici minimè naſuti, vel invexerunt Hiſtoriæ Deiparæ virginis, vel invecta, εὐήθως propagarunt. Extat, edente G. Poſtello, dignum certè patellâ operculum, Iacobi Protevangelium: *Quod nunquam fuit ab Eccleſiâ receptum*, inquit longè doctiſſimus Cardinalis Bellarminus. Hinc multa

Lib. viij. Exercit.

multa ridicula, inepta, fabulosa, Damascenus vir alioquin eruditus, Germanus, Nicephorus, Cedrenus, Sergius Episcopus Hierapolitanus: Hippolytus falsarius, non Portuensis, Andreas, Pantaleon, Epiphanius alter, non ille Cyprius, in sua scripta Historias, homilias, panegyreis transtulerunt. Extat & aliud Hæreticum prorsus opus stultum & blasphemum (epistolæ titulo prostat Hieronymi nomine, ad Chromatium & Heliodorum) de Nativitate beatissimæ Mariæ. Melchior Canus magni Nominis & meriti Theologus, fabulam insulsam ac barbaram inscripsit: Sixtus Senensis immensi laboris scriptor, diligentiæ stupendæ, lectionis variæ, & eruditionis admirandæ, à Gnosticis confictam, & Valentini sectatoribus censuit. Quam Gelasius Romanus antiquus Episcopus censurâ notavit ut Hæreticam. Cardinalis Baronius, adeò fuisse stupidum authorem docet, ut non noverit aperta vitare mendacia. Et tamen ἐν Ἀρχαιδίῃ βδηματηφάγος ἀνὴρ Christophorus à Castro Iesuita, suo dignũ hunc stipitem patrocinio judicavit, etiam contra illos Heroas Catholico-Romanos: contra Erasmum, & quoscunque ἐξ ἐναντίας. Quod illi fœlix faustumque sit. Quem cum meritò Casaubonus ob id ipsum verberasset, successit Heribertus in Talione, & Castrium qua potuit ope operaque à Casaubono vindicare aggressus est. Cum illo nos paulisper exerceamus.

Sect. IV.

Artificia Diaboli ut eluderet Incarnationem. Imposturæ sub nominibus Apostolorum. De Erasmo: & ejus censuris. De Christophoro à Castro, & ejus scripto de Deipara. De falsario Hieronymo. Dissertatio cum Eriberto Rosweydo in Talione.

VEritatem divinitùs revelatam, de Promisso Patribus, & mundo jam præstito, per novissimos hosce dies, Dei atque hominum Mediatore, πολυμερῶς conatus est & πολυτρόπως, vel delere penitus, vel obliterare, Architectus mendaciorum ille Spiritus. Inter artes ipsius non est censenda cum postremis, quin palmam potiùs obtinet, & funem ducit inter omnes, perniciosissimus ille conatus, quo Christi humanam generationem, quia per impudentiam negare non poterat, per δόκησιν eludere & apparentiam, per aereum, æthereum, σωληνώδη nescio quod figmentum, per obliquas & clancularias molitiones subruere voluit, ut vel planè commentum esse videretur, vel non secundùm veritatem & Evangelium, consummata. Lusit ergo per suos emissarios variè. In Christi Domini genealogijs: in Mariæ θεοτόκου τῇ Χριστοῦ σάρκα prosapiâ & origine: & quod periculosius multò fuerat, lusit in nominibus, & sub titulis augustissimis Patrum vetustiorum, in Ecclesiâ διαλαμψάντων, & Sanctorum etiam Iesu Christi Apostolorum. In Apparatu ad Annales suos, sect. 39. doctissimus Baronius, insulsissimum commentum alicujus furciferi nebulonis, qui per plagium nomen magni viri Hieronymi, id quod jam dictũ

est

eſt, invaſit, ita perſtringit: *Ejuſdem quoque argumenti de Mariæ ortu à Seleuco Manichæo inſana, ac delira quædam eſſe commenta, incertus author, licet Hieronymus hactenus exiſtimatus fuerit, ejuſque nomine opus illud editum reperiatur, affirmat, ac jure quidem.* Hic jam Exercitator, *Recte autem Baronius,* inquit, *cum Hieronymi neget eſſe librum, oppidò inſulſum, de Nativitate ſanctæ Mariæ, quem ſuperiorum ſæculorum imperitia maximo illi viro* (Hieronymo) *attribuit. Sed diſſimulatum ab eo nollem ſummum virum Eraſmum, multò ante ipſum, de illo partu ſuppoſititio veram ſententiam protuliſſe.* Hic vero Eraſmi (ex occaſione nominati, viri tamen ſine controverſiâ eruditiſſimi) laudes meritas & commendationem quaſcunque vel minutiſſimam, patienter non ferunt plerique τῶν ἐξ ἐναντίας: Præcipuè Societatis Patres. Libenter hominem arrodunt, occaſionem nacti: vix nacti interdum vel leviſſimam occaſionem ſtudiosè nihilominus calumniantur. Eribertus, vir certè doctus, & alioqui non malus opinor, æſtu quodam abreptus gentilitio, non ſemel hac prurigine, ſive ſcabies eſt, ſe tentatum oſtendit. Nam cum Caſaubonus obiter, ut fit, illum *virum magnum* appellaſſet, eruditione, induſtriâ, ingenio, præſtantem, *Quod Eraſmum magnum aſſeras,* ait Taliator, *næ ille major fuiſſet, ſi minor eſſe voluiſſet.* At quid attinebat hic Exercitatori obſtrepere, de Eraſmi illius, magni an parvi, nihil intererat, præconio? Quid eodem in loco, de Ludovici Vivis Hiſpanorum omnium, olim eruditiſſimi laudibus nimiâ quadam malignitate detrahere? Magnum vocat Eraſmum Exercitator, more ſuo, & uſitato inter doctos, non veſtro; Tanquam vellet eſſe certum & de fide, magnum revera virum Eraſmum extitiſſe. Non eſt ergo locutus de illo Batavo, conterraneo tuo Eriberte, tanquam de tripode. Honeſto encomio pro ſuo candore, virum ſui ſæculi ſanè clariſsimum eruditiſsimumque exornabat. Si autem tanti fuiſſet Eraſmi laus, authoritas tanta, ut in eo verſaretur reipub. ſalus, aut periculum immane aliquod literarum, facillimè tibi probare poſſem, virum certè magnum, & meritò, Eraſmum tuum extitiſſe. Imo vero maximum virum, ut ille tuus author Cæſar Scaliger, eodem ipſo in loco, ubi *verè,* ſi Dijs tuis placet, edixit, id quod à te tuiſque approbatione dignum judicatur, in omni genere ſcientiarum penè, quicquid oblatrent illi moroſiores qui in illum ſunt iniquius animati. Quod ſi autem minor eſſe voluiſſet (Hoc eſt, ſi ingenium ſuum capaciſsimum, arctioribus terminis concluſiſſet) nunquam certè tam Magnus Eraſmus extitiſſet. Sed & ipſe hujus tui apophthegmatis author tibi & fundus Iulius Scaliger, magnus ſubtilitatum magiſter, argutè potiùs, quam, quod Tibi videtur, *verè,* cenſuit, ex æmulatione ſtudiorum, Eraſmo factus paullò iniquior. Eſt enim quædam, ut Cato ſentiebat in re diverſa, Ambitio è repub. Neque olim Eratoſthenis illius gloriæ, & in literis magnæ exiſtimationi detractum erat, quod in nullo genere: ſtudiorum Princeps familiam duceret: in omni autem ſecundas obtineret. (Alpha illi dicebant, in nulla eſſet, in omnibus autem Beta.) Seneca, ſcio, laudat diverſam ſtudiorum rationem. *Certis,* inquit, *ingenijs immorari oportet, & innutriri.* Et, *Lectio multorum authorum, & omnis generis voluminum, habet aliquid vagum & inſtabile.* Sed palatum illud Senecæ non habent omnes. Et fortaſſe non loquutus eſt, ex animi

ſui

ſui ſententiâ. Variam plerique affectant eruditionem: & librorum multiplicem lectionem. Capaciſſimum fuerat, magni illius Eraſmi, rumpantur utilia Codro, ingenium. Et ut ille Scaliger Eriberte tuus, neſcio quàm diu futurus tuus, in Epilogo poſt libros de Poeticâ abſolutos ad Sylvium filium, non autem libro VII. ut margini Talionis, ſed perperam, appingitur; *Fretus ingenij ſui magnitudine, multa tractare aggreſſus eſt.* Certè quidem, multa aggreſſus eſt tractare cùm in ſacris tum in profanis, ſucceſſu tanto, tam propitio Numine, ut niſi vir ille, viam ſequuturis muniviſſet, hærerent etiamnum in luto laſſi, luctantes Mariani muli; qui, quâ ſunt in omnes ingratitudine & procacitate, λὰξ ἐπεμβαίνουσι prelucenti facem. Nam de Eraſmi Scholijs, ſeu ut tu vis *Scorijs*, quæ in ſacras literas, & auctores Eccleſiaſticos concinnabat, exornant illi ſuam artem forenſem & popularem, qui vel domo nihil prorſus efferre, vel non niſi detrita ſolent depexa, & quæ jam ad tramam abiere. Eraſmi tamen meritas laudes dum aſſerimus, non debemus Illum pati alienis & non meritis accumulari. Eſt ergo tibi calamus, vir erudite, ſuffibulandus, qui modum excedit & menſuram omnem juſtam, in laudibus Eraſmi accumulandis. In quo debebas Romanas librorum Cenſuras expaveſcere, vel ſodali tuo quondam Poſſevino tantum deferre, ut tuis iſtis chartis non allineres Eraſmi nomen omnino, quod in Zazij operibus, ni male memini, ubique volebat deleri librorum ille carnifex, & omnium ſcriniorum, tacitis tamen nominibus, compilator. At tu, contra quam ſuadebat ille contribulis, non tantum ex permiſſu, ſed & juſſu inſuper Superiorum, ad Eraſmi etiam laudes profunderes, & illas non meritas nec debitas ullo pacto. Non eſt enim verum quod affirmas de Eraſmo, *Excitaſſe ſepultas illum Græcas literas*, quas multi Eraſmo anteriores, in Italiâ præſertim excitaverant: In qua gente, per Coſmum & Laurentium Mediceos: per Nicolaum quintum, Sixtum quartum, Leonem decimum Romanos Pontifices, Græcorum exules, eruditi viri, captâ Conſtantinopoli per Mahometem, deſolato Imperio Chriſtianorum Orientali, humaniter ſuſcepti & refocillati, Græcas literas jacentes & conclamatas excitaverant. Nec ignoras quis fuerat & qualis in Græcis literis Galliarum lumen Gulielmus Budæus. Quales noſtrates, Grocinus, Clemundus, Linacer, Richardus Crocus magni illius Camerarij præceptor. Quid illis debeant literæ Græcæ, quàm nihil Eraſmo debebant illi, redivivæ Græciæ reſtauratori. Sed nec primus omnium Eraſmus humanitatis, ut vocant, ſtudium, licet illam majorem in modum excoluerit, fugitivam retraxit in Europam. In quo quidem genere multi priores Eraſmo, apud Italos præſertim, ſummâ cum laude & etiamnum commendatione, deſudarant. Ita nimis ubique eſt vir eruditus, neque in laudando modum, nec menſuram agnovit in vituperando. Sed magnus ille Eraſmus, ſi reviviſceret: vel, εἴ τις αἴσθησις, utcum Nazianzeno loquar Ἰσοκρατικῶς, in illâ terrâ viventium, ſi perſentiſcat quid de laboribus ſuis ſtudioque poſito in ſacris authoribus emaculandis, ſentiant hodierni μῶμοι, παντοστρομάστιγες,

eo æquiùs ferret arrosam suam operam ab æmulis, invidis, literarum multis mangonibus, & pædantibus, cum Thomam Cajetanum Cardinalem, haud mitius intelligat tractatum ab Ambrosio Compsano. Est tamen ultra alios quod Erasmo infestos & infensos reddat Catholico-Romanos omnes, Patres præsertim Societatis: quod illum Bellarminus relatum voluerit inter Semi-Christianos: quod nomen expunctum Possevinus ex omnibus Scriptis Catholicorum: Non enim Lutherus ille Hæreticorum Princeps, Pontificis malleus, tam facilè, *Capitolij immobile saxum* subruïsset, nisi prius (ut Annibal aceto, saxa, rupes, cautes, scopulos) comminuisset, *illo penitus prohibito libro Colloquiorum*; ut indigitat Scriptum illud Possevinus. Verùm hactenùs ex occasione de Magno illo Erasmo. Accedat ad partes personatus nebulo, qui invasit in nomen Hieronymianum. Quasi scriberet ille eruditus pater ad Chromatium & Heliodorum informes & infames quisquilias illas, quibus Rosweydus septimam suam talionis Tabulam fœdavit. De Lucifugæ istius, quisquis ille fuerat, tenebrionis fœtu, hæc, ut paucis constringam, diffusiùs explicata doctissimo Exercitatori sunt. Imprimis Scriptum esse contendit pseudepigraphum, conficto nomine & titulo propagatum. Non esse Hieronymi genuinum fœtum, viri literatissimi, cujus nomen mentitur & inscriptionem in frontispicio. Nec solum esse pseudepigraphon opus, authoris obscuri, & falsarij, sed Hæretici insuper & insulsi & pestilentis. Atque ideò, pro captu Parentis, nugis esse & impietatibus refertissimum. Ideò meritissimè notis compunctum & factam stigmatiam, à viris eruditissimis, Cano, Sixto Senensi, & Baronio. Ante illos tamen omnes, quod non debuerat Baronius dissimulare, ab Erasmo, accuratissimo Patrum vetustiorum censore. Nuper tamen, à notis, censuris, & stigmatibus assertum istorum omnium, & quà potuit vindicatum, per Iesuïtam Hispanum Christophorum à Castro, in Historiâ Virginis Deiparæ. Hæ sunt partes Exercitationis Casaubonianæ quas suscepit exagitandas Heribertus. Qui tamen in ipso limine talionis, quasi statutum ei esset in caussâ prævaricari, laudat Casaubonum, & judicasse rectè ait, *cum Baronij viri judiciosi auctoritati accedat.* Notat hunc Ardelionem commentitium Hieronymum Annalista. Iudicium laudat Exercitator, vindicat hunc authorem à Censurâ Baronianâ, Castrius. Miratur hoc & damnat Exercitator. Castrij causam agit, Iesuitæ, Iesuita Taliator, & tamen, *Rectè tu quoque judicasti*, inquit, *cum Baronij, viri utique judiciosi auctoritati accedis.* Et tamen deinceps, *O tempora*, inquit, *ò mores. Audere aliquem in hâc luce literarum, & scripto illi injuriam, & Christophoro de Castro, calumniam irrogare?*

> *Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent:*
> *Sed faciunt mores Cæciliane tui.*

Calumniatores sicubi crescunt & propagantur, in Societate efflorescunt. Licet tibi, ut ille faciebat in Comædiâ, domum digitum dirigere, & *Me me, adsum qui feci,* Conscientiâ pungente, profiteri,

quoties

quoties de injuriarum isto genere, & calumniarum quocunque genere, agatur. De Casaubono sic accipe rotundè dictum. Nec Scriptori illi injuriam irrogat: nec, Christophoro à Castro calumniam aspergit. De Christophoro imprimis videamus: illud scriptum deinde quale si visuri. Statuit Casaubonus, illum ausum fuisse defendere & tueri authoritatem illius Scripti, qnod justissimis censuris suis Erasmus, Canus, Senensis, Baronius, & Romanus Pontifex Gelasius notavere. Hoc tu negas scilicet, aut prorsus ineptis. Nam hæc est accusatio Casauboniana. Et huic sic occurrit tuus ille Castrius; *Librum illum vindicare operæ pretium est, à quocunque tandem confectus sit, à morsibus illorum, qui illius authoritatem elevare contendunt.* Vindicare Librum, quid est aliud quàm tueri, & defendere? Imò plus est illud aliquanto, quàm quod scriptum à Casaubono est, *defendere*. Vindicare librum à morsibus quoruncunque qui ejus authoritatem elevare contendunt, cum sit ab iracundo advocato profectum, si mihi sapit Lusitanica Latinitas Castrij tui, est librum *defendere*, vel plus etiam quàm *defendere*. Propositum hoc erat illius Castrij. Reum habemus confitentem. Et quod erat propositum strenuè præstitit quantum quidem in ipso fuit, & effectum dedit. Arbitratur certè quidem se perfecisse. *Ecce enim*, inquit, *libellum, à multis hactenus despectum: ab omni injuriâ vindicatum, & suæ fidei restitutum, ut noveris illum esse, qui possit meritò afferri, ad ea quæ dicemus confirmanda.* Quæ cum ita sint posita à Christophoro Castrio, pag. 706, non debuit Heribertus de calumniâ irrogatâ molestus esse Casaubono, qui nihil de Castrio pronunciavit, quod non ipse prius se facturum receperat, & quantum potuit, ex ipsius opinione, strenuè præstitit, certè præstitisse se gloriatur. At fortasse censuras illorum, quos intelligi voluit & nominatim designat Casaubonus intellectos, non legit, non vidit, nec volebat Christophorus intelligi. Certè indefinitè primùm Castrius loquitur: nullum nominat. In Defensione, & reprehensione illâ suâ, nullum prorsus excipit. *Quicunque ille fuerit. A morsibus etenim illorum*, ait, *qui ejus authoritatem elevare contendunt.* Et certè illius nebulonis authoritatem rationibus suis elevarunt viri illi doctissimi omnes ab Exercitatore nominati. Et illos omnes ad oppositum existentes, in se suscepit Castrius refellendos. *Insurgit*, enim inquit, *Canus: Senensis commenta dicit esse Gnosticorum.* Baronium, fateor, de nomine non compellat: Illustrissimi viri famæ, & nominis celebritati, nec non amplissimæ credo dignitati tribuit, ne ut aliquem è multis, aggrederetur. A Baronio tamen adductas rationes speciatim refutavit. De Erasmo tantummodo altum est silentium apud adversarium: quem tamen & ipsum fortè circumscripsit cum tam laxè loqueretur, *Ab eorum morsibus.* Itaque nulla hic Casauboni calumnia, bone vir, in Christophorũ Castrium irrogata. Imò inquies, est. Nam scriptũ illud esse pseudepigraphon, authoris dubij vel certè incerti interpretis, nec ipse quidem Castrius diffitebitur. Illud ita ut sit, tamen non est ideò, quod tu sic ingeminas, calumniator Casaubonus. Imò verò si de fœce rabula, & non vir doctissimus Rosweydus hoc scriberet,

planiſsimè Sycophantam diceremus. Non ponit, nec affirmat Exercitator, Caſtrium agnoviſſe libellum illum pro γνησίῳ & genuïno Hieronymi ſcripto; negaſſe Inſcriptionem falsò illi impoſitam; hoc, inquam, ille non affirmat: ſed cujuſcunque tandem fuerat, eſſe librum apertè impium, à peſtilentiſsimo quodam Hæretico profectum: nugarum, impoſturarum, blaſphemiarum refertiſsimum; negaſſe, contra juſtiſsimas aliorum & quidem doctiſsimorum virorum cenſuras. In quâ tamen affirmatione ſuâ, ſi *Cenſuram illorum*, in ſuâ latitudine improbaverit, &, ut loquitur, *à morſibus eorum omnium vindicaverit*, tum certè, nec falſati putabat eſſe tituli, nec alterius alicujus authoris fœtum, quàm ipſiſſimi Hieronymi. Quod liquet illum exiſtimaſſe primò, quòd quoties illius utitur authoritate; ſemper titulum apponit Hieronymi: ſine ullo ſcrupulo, dubio, ambiguitatem, non *Authorem* illum *incertum*, *Anonymum*, ſed Hieronymum nominavit. Erat deindè id vel τὸ κεφάλαιον in cenſuris doctorum illorum virorum, Falsò & impiè ſcriptum illud Hieronymo authori attributum. Ait etiam ſe *Ab omni injuriâ vindicaſſe librum*. Si ab omni injuriâ vindicaſſet, tum imprimis ab inuſtâ falſi tituli inſcriptione. Eſt enim injuria vel præcipua, ut opus illud dicatur impoſtoris alicujus, plani, nebulonis, & Hæretici, qui nomen invaſerat Hieronimianum. Addit, *ſuæ Fidei reſtitutum librum*. Quod quid eſt aliud, quàm ut idem ejuſdem denuò habeatur & exiſtimetur liber, cujus olim fuiſſe dicebatur, ante Batavi editoris cenſuram, cum titulum & nomen in frontiſpicio mentiretur. Concludit, Anſelmum, Tritemium, alios eſſe hujus ſuæ Cenſuræ aſtipulatores & ſententiæ laudatores, qui tanquam Hieronymi ipſius illud opus citant. Hæc tu paſſim potueras Eriberte, obſervare, per ſcriptum illud Caſtrij de Virgine Deiparâ: quod majore magis Lectionis varietate, & laboris diligentiæque ſedulitate, quàm vel doctrinâ compoſuit vel judicio. Sed contrarium evincent proculdubio recitata à Roſweydo, ramenta quædam illa, & dubiæ Chriſtophori locutiones. *Scripſit enim Caſtrius hæſitabundus; A quocunque tandem confectus ſit.* Scripſit autem non ex animi ſui ſententiâ, quaſi de Hieronymo dubitaret authore, quod ſanctiſſimè affirmaret, ſed ſcripſit potiùs ludibundus & εἰρωνευόμενος, vel etiam è conceſſione: & quòd alij omnes vel plerique deſcenderant in opinionem illam, ipſi fatuam & falſam. Sed preterea ſcripſit illud, quòd prætermiſsâ de authore illius libri queſtione, ad alia majora feſtinabat, de fabulis Hæreticis & anilibus. Eo modo quo, qui ſe Catholicos appellant ab Adverſarijs aliquando Catholici, non ex animi ſententiâ, ſed tantùm κατὰ σαρκασμὸν & εἰρωνείαν nominantur: & quo contrariæ confeſſionis qui ſunt, Hæreticos ſe & Novatores ſolent nuncupare. Non aliter autem voluiſſe & intelligendum eſſe Caſtrium declarant, quæ ſunt ab illo poſita in ſequentibus. *Ut demus his*, ait, *librum iſtum à beato Hieronymo non fuiſſe profectum:* Ut demus: per Conceſsionem: quaſi non daret: aut daturus eſſet. Ita enim loqui amant, qui non concedunt. Atque hæc ita poſita ab illo apologiſtâ, evincunt illud potius quod nos tuemur, mentem fuiſſe Caſtrio illam & non aliam, Hieronymum, non alium τὸν τοῦ λόγου πατέρα recenſendum. Et tamen, ut hîc aliquid τοῖς ἐξ ἐναντίας

concedamus

concedamus, non tam apertè, non tam ſtrenuè, non conatu tanto, falſam Epigraphen tuetur Caſtrius & propugnat, quanto libri illius τὸ ἀπονιμώδιον, fabulas, inſulſas, aniles, impias, barbaras, blaſphemas; ut ita ſecundùm B. Chryſoſtomum poſſet δακτυλοδεικτεῖσθαι ἐπὶ τοῖς αἰσχίστοις. Sed eſto, ais, præſeferat Liber falſam Inſcriptionem, *Non tamen ideò liber aliquis rejiciendus eſt continuò, & impietatum arguendus nugarumque, quia falſam præſeferat præfationem.* Obſervatio acuta, & erudita: cujus aciem, & violentiam non ferant Novatores. Vos quotquot eſtis *Sophi Chryſippei*, tabulas explicate, expedite ſtylos. Neſciebant enim non moniti Novatores, non eſſe continuò librum aliquem abjiciendum, vel ut fabularum officinam & ineptiarum, aut etiam hæreſibus γέμοντα, amandandum, qui titulo mentito & emendicato vænum exponitur. Nemo enim ignorat multos, magnos, eruditos viros, aut nomen nullum titulis ſuis, aut titulum & nomen alienum præfixiſſe. Quos tamen non, ut literarum peſtes, aut honeſtatis ἀποκαθάρματα infœlici literâ conficiendos arbitramur, & impoſtores improbos reputamus. Vel enim periculum declinare volebant, & invidiam illam ſcriptis, ſi innoteſcerent, procurandam: vel auram popularem aſpernati, & vulgi commendationem, Conſcientiæ contenti erant teſtimonio: vel propter alias aliquas non leves, nec contemnendas occaſiones, illam inierunt ſcribendi rationem. Sed quid opus hîc acumine & eruditâ obſervatione? Non enim vel Cenſoribus illis graviſſimis, vel doctiſſimo Caſaubono veniebat in mentem, ut propterea quòd nullum minùs referret illa ſcriptio, quàm cujus nomen præſeferebat Hieronymum, ideo illam impiam, inſulſam, anilem fabulam & barbaram appellarent. Sed diſtincta flagitia authoris infamis duobus hiſce quaſi gradibus complectebantur, ut & nomen Hieronymi mentitum dicerent: & inſuper eſſe nugis & impietatibus refertiſſimum. Quæ utraque accuſatio eſt veriſſima, neque quicquam habet conjunctum cùm calumniâ. At Caſtrius ſaltem, omnimodo videtur excuſandus; & cum viri boni officio, tum ſcriptoris accurati & eruditi munere functus. *Illi enim contexenti Deiparæ virginis hiſtoriam, ſumma fuit cura veritatis, ut nimirum nihil falſi vellet dicere, nihil veri reticere.* Hoc tu ut probes rem planè improbabilem & impoſsibilem, benè longam infercis, è Caſtrij ad Lectorem præfatione, narrationem: In quâ, teſtis proculdubio, in ſuâ ipſius cauſâ, omni major exceptione profitetur, ſummam ſe diligentiam, & curam adhibuiſſe, ut ex optimis quibuſque & probatiſsimis authoribus, ea tantùm ſeligeret et non alia, quæ virginis Deiparæ veriſsimam hiſtoriam complecterentur, ab Illuſtri ipſius Ortu, uſque ad Obitum fœliciſsimum. *Nam ſi meritò cavendum eſt in eâ narratione quæ de cujusvis ſancti vitâ inſtituitur, in contexendo Deiparæ hiſtoriam, quantam nos curam adhibere æquum eſt, ne commentitijs narrationibus eius fidem & authoritatem imminuamus, ubi ſi vel leviterà veritate receſſerimus, graviter erraſſe convincamur.* Hæc & hujus generis alia qui profitetur Caſtrius, an non tu illum eſſe putares Lector, qui vel vultu lędere pietatem, aut tantâ tantam cogitatione, ſanctiſsimus ejus Interpres, formidaret? Næ ille improbiſsimus homo calumniatur, qui ſcriptum aliquod

quod palam impium & hæreticum, fabulis anilibus & insulsis refertum ab hoc Antistite veritatis, (parum est enim advocato vel asseclâ) pronunciat patrocinio & defensione assertum? Censore Rosweydo calumniatur. Atenim verò Frons, oculi, vultus, mentiuntur sæpè: Oratio verò sæpissimè. Ipse mendaciorum princeps & architectus, impostorum Patriarcha primus, docente Apostolo, in Angelum lucis se transformat, & solent mendacijs mancipati, eandem inire cum magistro viam. Vetus habet verbum:

A bove maiori discit arare minor.

A mendacissimo ab initio, hypocritę edocti, veritatem in ore, imposturas opere præseferunt & scriptione. Nam quicquid Christophorus ille gloriosius, & jactabundè satis ampullatur, de veritate sibi per omnes aditus & angiportus investigatâ, in farraginem tamen ille suam nihil aliud coacervavit, nisi, ut loquitur Chrysostomus alicubi, ὁρμαθὸν quendam τῶν ὀνείρων; è Scriptorum mendicabulis, nugis stultissimis, non rarò literarum & literatorum mangonibus & propudio, in quibus ille, si quis alius, ἐξακοντίζε) τὴν ἀλήθειαν. Classici huic rapsodo recitantur authores, Iacobi liturgia, & Clementis quædam Scripta, Abdias, Evodius, Egesippus, Rabbi Hakadosh, & Maccanas ben Nehumiæ, stramentitij plerique Scriptores: Cedrenus, Simeon Metaphrastes, Nicephorus, Germanus, Suidas, Andreas, alij, quisquiliæ quædam antiquitatis, maximam farraginis partem occupant: & certè totam, cum ijs quæ Athanasio, Nazianzeno, Epiphanio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, falsissimè inscribuntur, & per nefas ac flagitium imputantur commentationes. Hujus furfuris & farinæ sunt Castriana omnia; qui qualia sunt revera animalia, manifestò se produnt ab auriculis suis. Nec contentus hisce planis & agyrtis, veritatis ille propola, si Dijs placet, Castrius, inter ipsa narrationis suæ fundamenta, cœcam, obscuram, vix acceptam aut auditam, incertam, insulsam Traditionem refert. Atque hæ sunt partes illius veritatis, illius Fidei Castrianę. His authoribus innixæ, ut columnis quibusdam, certissimæ & verissimæ narrationes apud Castrium, de Ortu, Actis, obitu Deiparæ Virginis concinnantur. Sed varices alicujus è societate Patris sodali Patri videntur, ut ille olim nęvus in facie τῆς φιλουμένης, veluti *cotes* quædam pulchritudinis. Fides illa & integritas Castriana, non recedit ab illorum improbitate, qui Patrum antiquorum Scripta cum videri velint adorare, ultra verba tamen & apparentiam, venerationem illam non extendunt. Nam per summum scelus & sacrilegium, cum in vulgus edant, transponunt, mutant, delumbant, inferciunt, quæ quoties, quando ipsis visum. Abi ergo cum Castrij tui innocentiâ & sinceritate. Nihilo magis veritati Patrocinatur Castrius, quam sanctissimè coluisse vult videri, quàm qui grassator pecuniam à viatore mutuo acceptam, non abstulisse per vim, sed motu proprio commodatam pręsefert; atque ipsum coram judicis tribunali sanctè jurat ac tuetur. Illud autem quod sequitur in Castrij laudibus, exemplo nobis aliquo utinam confirmasses: Facilè enim affirmantur, si inveniant fidem, quę vel non omnino

nino vel difficultèr probari poſſunt. Neque par eſt Cethego adhibeatur fides, vel juranti, de Catilinâ. Ecquid enim præſtare illud poteris elogium? *Si quod authoris ſcriptum intercurrat dubium, non inſiſtit illi Caſtrius, niſi authoris minimè dubij ſuffragio roboretur.* Nam qui ſunt authores apud Caſtrium dubij? qui poſſunt eſſe? cui Evodius, Abdias, Hieronymus ad Chromatium, & Heliodorum, & ſimiles hiſce, γνήσιοι ſunt & αὐτόπται. Illa quæ derivat à Traditione illâ incertâ & inſulsâ, ut omittam alia, pag. 54. de genealogiâ Annæ Virginis Mariæ matre, cujus tandem authoris, minimè dubij ſuffragio roborantur? Nullum opinor nobis nominabis. Et tamen te πολυμαθῆ libentèr agnoſcimus, Eriberte. Multi ſunt in Catalogo Caſtriano authores κάπηλοι παγκάπηλοι, λῆρον ἀνελίττοντες καὶ φλυαρίαν, & tamen ex illis, ne unus affirmatur, ſolitariam hanc traditionem & μονήρη propugnaſſe; ut planiſſimè ſit illa φθινόβρωτος, quam pro authore obtrudit Caſtrius. Locum hunc de Caſtrij meritis ſemel abſolvam. Habe tibi tuam ipſius commendationem: Saltem λειπόμενα commendationis. Ad hiſtoriam Virginis Deiparæ texendam, ſtudium certè attulit & induſtriam. Sed quàm malè adhibuit collocavitque in fabulis congerendis conquirendiſque, cum poſſet illas horas non ſic perdere, homo malè feriatus. Ad oſtentationem aliquando, καὶ ὡς ἐν παρέργῳ δοκεῖ, recitat ſententias Sanctorum quorundam Patrum: ſed paucas, ſed nonnullorum Scriptorum mangonum & ἀποκρύφων lacinias ſi detrahas levidenſes & craſſo filo contextas, exigua certè portio de voluminoſo authore relinquetur. Et tamen horum omnium catalogum, quales quales fuerant, in fine ſcripti ſui non attexuit. Ubi enim in Catalogo Traditionis illius meminit? ubi iniecta mentio eſt Meccanæ ben Nehumiæ? ubi Sergij Hierapolitæ, qui pag. 22. nominatur: Alios liceret animadvertere authores in catalogo prætermiſſos proculdubio, ſi quis πλημμελέστατον illud ἀνάλωμα χεῖρος, malè vellet collocare. Ita parum tu dicebas è veritate vir docte, qui Caſtrium in catalogo meminiſſe dicebas illorum authorum, quos recitaverat in Hiſtoriâ. Atque iſta de calumniâ jactatâ in Chriſtophorũ à Caſtro per Caſaubonum. *Videamus nunc*, inquis, *duo reliqua, & ordine Caſaubonum differentem audiamus*. Ac primo de Authore Hæretico, viderimus vero: Et ecce Caſaubonianæ accuſationis θέσιν. *Ab Hæretico, eam ſcriptionem eſſe profectam cur dubitemus? Ipſe doli fabricator palàm hoc profitetur. Non enim libri author poſtulat haberi, ſed interpres duntaxat; Verus auctor Seleucus Manichæorum Apoſtolus, notiſſimus Hæreticus.* Habes his comprehenſam Cenſuram Exercitatoris. Hæreticum hominem fuiſſe libri authorem: Et quidem Hæreticum non infimæ notæ ſed peſtilentiſſimum Hæreticum, Seleucum Apoſtolum Manichæorum. Ait Pſeudo-Hieronymum non illud ſibi vindicare, ut πατὴρ τοῦ λόγου diceretur, ſed interpretem tantummodò videri voluiſſe. Hic verò Talionis author neſcio quam confidentiam Caſaubonianam, iniquitatem, impoſturas ſollennes deblaterat, quaſi fungis ſcriberet atque fatuis ea quæ vocata ad calculos examen non ferrent aut ſtateram. Nam quid te hic habet malè? Hæreticum hominem authorem adſcribi ſcripto vaniſſimo & improbiſſimo, ac libello perſonati nebulonis? Num Hæreticum peſtilen-

peſtilentiſſimum illum, Seleucum Apoſtolum Manichæorum? Utrumque ſcilicet. Nam magno tibi in pretio ſcriptum illud, æque atque Caſtrio tuo erat. Doces enim cum illo, Quòd nihil in illo ſcripto impium, nihil hæreticũ inveniatur. Ergo liber ille per omnia orthodoxus? ergo Pater libri orthodoxus? ergo omnia orthodoxa, & ſecundùm pietatem ab illo narrata? Ergo non alius quàm ipſemet Hieronymus author? Quid hîc hæres cum Caſtrio, à morſibus Cani, Senenſis, Baronij, Gelaſij, quorumcunque, pium, Orthodoxum, Veritatis de beatâ Mariâ illuſtriſſimum præconem, & nullâ hæreſeos notâ, *abſit, ô abſit,* vel ſuſpicione aſperſum, ipſiſſimum Hieronymum vindicare? audeto: Canus vocat fabulam inſulſam & barbaram. Ejuſmodi ſcriptioni quis potior parens inveniri poterat, quàm ex Hæreticorum fæce quiſpiam? Sixtus ait fuiſſe commentum Valentinianorum & Gnoſticorum, eaſdemque in illo ſcripto fabulas aniles reperiri, quæ reperiuntur, non omnes tamen, apud Epiphanium & Irenæum. Ita non eſt princeps & primus Exercitator, qui diſertis verbis pronunciavit, profectum ab Hæretico homine ſcriptum illud. Baronius apocryphum authorem appellat cum Gelaſio. Et certè non ab alijs vulgò quàm Hæreticis hominibus, titulis ementitis, perſonatæ ſcriptiones & obſcuræ authoritatis & apocryphæ olim emanarunt. Adeò imperitum fuiſſe hujus authorem dicit Illuſtriſſimus Cardinalis, ut aperta non noverit vitare mendacia. Quàm indignum Hieronymo hoc elogium, dignum rapſodo Hæretico. Iam verò, qui viri? Gelaſius, Baronius, Senenſis, Canus? Canus inter Patres Tridentinos cenſendus cum primis. Sixtus vir doctiſſimus, prodigioſæ lectionis & induſtriæ. Baronius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pater, totius antiquitatis μυροθήκειον. Gelaſius Pontifex, ὑπερφαίνω πάσης ὑπεροχῆς, & tantùm non è Cathedra, ubi non erratur, ἀποδεικτὴς. Hoſce tamen Semideos, & Semones, neſcio quis obſcurus terræ filius à Caſtro, provocare auſus eſt: & illud tenebricoſi, neſcio cujus nebulonis, in fornice nati, maſtigioſi verberonis ſcriptum inuſtulatum, ab illorum morſibus, quaſi rabiè caninâ fuiſſent debacchati, ita ille latrat, vindicaſſe ſe profitetur. Hîc non rectè exclamatur, ô tempora, ô mores? Hos ego non opinor, audebis, quadrigam & τετρακτὺν fortiſsimorum in cauſsâ Pontificiâ athletarum, de impoſturâ & dolo malo poſtulare. Caſaubonũ non potes caſtigare, quin ſimul horum aliquem, ne dicam omnes, idem prorſus, cum & ante Caſaubonum ſentientes, impetiveris. At Caſaubonus exiſtimat, ipſum pſeudo-hieronymum, interpretem, prodere, libelli ſui quem vertebat, Seleucum authorem. Et hoc eſt calumniari? Eſt certè. Si de te narratur. Tuum enim hoc figmentum eſt, non effatum Caſaubonianum. Affirmat Caſaubonus interpretem illum, (quem volebat ſe videri, ſive potiùs doli fabricatorem) profiteri, non eſſe ſe authorem illius ſcripti. Hoc ille quidem palam pofitetur. Nec tute vocas illud in Quæſtionem. Hinc infert deindè Exercitator. Agnoſcere illum, quiſquis erat, interpretem, profectum ab alio, non ſuam eſſe fæturam: id eſt, eſſe profectum ab Hæretico homine. Non hoc palam ille, vel αὐτολεξεὶ, tantummodo autem per conſequentiam, quandoquidem cenſentibus ità Sixto & Cano, aniles, inſulſæ, barbaræ fabulæ &

Hæreticorum commenta illi ſcripto ſint interſperſa. Quæ ſi quis profecta putet ab Orthodoxo aliquo, ille profectò eſt pluſquam ſtipes. Hoc igitur poſitum eſto, Hæreticorum fraudes hìc & impoſturas apparere, ex illorum ſententiâ, quos in cauſsâ citavit Exercitator. An verò, hic vel ille, certus aliquis Hæreticus an incognitus, mundo dici poſſit impoſuiſſe, videndum eſt. Seleucum authorem affirmari, ab hoc Interprete, ut videri voluit, non pronuntiat Exercitator. Hoc enim fingit author Talionis. Sed ex animi ſui ſententiâ hoc adjecit: verè ne an falsò deindè videamus. Seleucus quidam ſive Seleucius erat, Manichæus, vel etiam Leucius aut Lucius, aut Leontius, aut Lenticius, (tot enim nominibus verſutus & veterator Hæreticus, ut illum appellat Pontifex Gelaſius, deſignabatur) multa & varia ſcripſiſſe memoratur, blaſphemis referta narrationibus: multa ridicula & portentoſa de Actis, & paſſionibus Apoſtolorum, ſub nominibus, Matthæi, Iacobi, Petri, Iohannis & etiam Thomæ. Poſtquam illa ſuperius poſita doctiſſimus Caſaubonus commemoraverat, addit de eodem ex Auguſtino, eum eſſe qui ab illo, bis nominatur Leucius. Quod, etiam Baronius verè obſervaverat. Docet illum ab eodem Leontium appellatum (quanquam error eſt Scripturæ non Scriptoris) eundem ſcripſiſſe illum librum, cujus fecerat mentionem pſeudo-hieronymus, hiſce verbis, *Quidam Seleucus, qui paſſiones Apoſtolorum conſcripſit, hunc libellum compoſuit.* Hîc verò jam longos logos in Talione legimus, locos nimirum beati Auguſtini, quos indicaverat Exercitator, totos tranſlatos, nec præterea quicquam, ad implendas paginas, per eruditum virum. Alia adjecit è pſeudo-Hieronymo: alia quædam è confictо Melitone: & alia inſuper è Gelaſio: ut qui vir eſſet Seleucus, maledictus Hæreticus, &, niſi cum execratione, non nominandus, intelligeremus. Quæ tamen omnia, de penu mutuatus eſt, debitor malæ fidei, Baroniano. Quanquam illud aſcriptum Thomæ Evangelium, non à Seleuco profectum fuiſſe, ſed ex officinâ Thomæ cujuſdam prodijſſe, qui Manetis diſcipulus erat, referat in Hiſtoriâ ſuâ Petrus Siculus. Θῶμας ὁ τὸ κατ' αὐτὸν Μανιχαϊκὸν εὐαγγέλιον συντάξας, *Thomas qui compoſuit Evangelium Manichaicum quod de nomine ejus inſcribitur*; Et paullò poſt. Μηδεὶς ἀναγινωσκέτω τὸ κατὰ Θῶμαν εὐαγγέλιον. οὐ γάρ ἐστιν ἑνὸς τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ἀλλ' ἑνὸς τῶν δώδεκα κακῶν τοῦ Αντιχρίστου Μάνεντος μαθητῶν. *Nemo legat illud, quod ſecundum Thomam circumfertur Evangelium. Non enim ab ullo uno Duodecim Apoſtolorum profectum eſt, ſed ab uno è Duodecim illis Antichriſti Manetis diſcipulis.* Seleucum porrò illum Hæreticum hominem, & quia erat è Machæorum ſcholâ coryphæus, peſtilentiſſimum Hæreticum, quædam edidiſſe ſub Matthæi nomine, certum eſt. *Proponam*, inquit Taliator, *quæ mihi apud veteres authores occurrerunt.* Et tamen ſolius meminit Innocentij primi, in epiſt. ſcripta ad Exuperium, Baronij in illo ipſo plagiarius. Illa autem ita ſcripta, ab Orthodoxis omnibus repudianda, & ut improbiſſima commenta damnanda. Ille autem liber, (quem tuetur Caſtrius, non tantùm ut Orthodoxum, ſed germanum Hieronymi fœtum: quem videri voluit in Latinam linguam in gratiam Chromatij & Heliodori tranſtuliſſe) Matthęi nomen prefixũ habebat, ſub titulo &

nomine Matthæi circumferebatur; & eo nomine dicitur converſus in Latinam linguam. Perſonati enim nebulones ita ſcribunt, ad larvatum ſimiliter Hieronymum ſuum. *Dicunt ſanctitatem tuam beatiſſimi Matthæi Evangeliſtæ manuſcriptum volumen Hebraicum inveniſſe: in quo & virginis matris, & ſalvatoris infantia eſſet ſcripta.* Hoc volumen Latinum fieri ſibi poſtulant: & uti Epiſcopi, Hieronymo presbytero, quaſi ex vi Canonicæ obedientiæ, præſcribunt. Reſpondet impoſtor Hieronymus larvatus, *Arduum iſtud opus eſſe.* Secundò noluiſſe hoc beatum Evangeliſtam fieri: præcepiſſe autem ut per manus clam & occultè derivaretur. Nam ſi voluiſſet, ut in communem notitiam omnium hominum promanarent, illa quæ ibidem tradebantur ſecretiora, proculdubio fuiſſet adjecturus ea ipſa ad hiſtoriam quam ſcripſit Evangelicam. Porrò beatiſſimum Apoſtolum & Evangeliſtam; unicum, non plura, ſcripſiſſe αὐτόγραφον narratur, manu ſuâ propriâ exaratum, quod quidem exemplar literis Hebraïcis deſcriptum, ad diſcipulos ſuos, voluit, ut quaſi depoſitũ quoddam & κειμήλιον, derivaretur. Diſcipulos autem illos comminiſcitur Impoſtor, nunquam fuiſſe paſſos exemplar αὐτόγραφον deſcribi, vel aliquam indè ſententiam aut periodum Scripturæ mandari, ſed textum nunc uno modo, nunc alio rurſus, & demum tertio atque quarto ſolitos recitare & apud Auditores ſuos proferre; ne ſcilicet memoriæ beneficio per partes totum vel maxima pars propalaretur. Miror hominem naſutum & intelligentem, mores hic Hæreticos non ſubodorari: non impreſſa veſtigia deprehendere, & planiſſimas impoſturas Hæreticorum. Quis hic indignè ferat Caſaubonum exclamaſſe ô tempora, ô mores! Audere aliquem in hâc luce literarum ejuſmodi ſcriptum propugnare. Niſi cauſſa nonnullorum deſperatis indigeret; cùm patrocinijs tum Patronis, actum eſſet de ſcripto malè nato, & de tot indicijs deprehenſo impoſtore. Sed pergit agyrta circumforaneus. *Factum eſt autem*, inquit, *ut à Manichæi diſcipulo Seleuco hic liber editus, non ædificationi materiem, ſed deſtructioni exhibuerit.* Atque hanc fuiſſe cauſſam impoſtores volunt, cur impetraverint ab Hieronymo ut exemplar illud Hebraïcum, apud ipſos ſcilicet depoſitum, contra ipſius Evangeliſtæ voluntatem & expreſſiſſimum mandatum converteret, & omnibus communicaret. Et tamen in hac tanta luce impoſtor Caſaubonus, & quidem confidentiſſimus, Talioni. Quæritur an hoc ſit Seleuci commentum ſub Matthæi nomine obtruſum. Negat Caſtrius, negat taliator. Interpres, quem appellant, fatetur hoc ſcriptum Matthæi nomen prætuliſſe inſcriptum. Affirmat ſanctè fuiſſe opus Matthæi, αὐτόγραφον ipſum, ſtylo ipſius conſignatum: ad ſua tempora, per manus in manus ἀπόκρυφον, τοῖς ἐκ διαδοχῆς Evangeliſtæ ſolis, communicatum: undè ſolebant Doctores ἄλλως καὶ ἄλλως ſuis auditoribus recitare. Affirmat hoc ipſum eſſe & non aliud quod volebant illi Latinè reddi per Hieronymum: & quod tranſtulit Latinè Hieronymus. Ut nulla poſſit eſſe dubitatio, quin quod Caſaubonus arbitratur, hoc illud ſit Seleuci Manichæi peſtilentiſſimi Hæretici αὐτοπόνημα. At diſtinguit, ais, hic Interpres ſuum ſcriptum, ab altero Seleuci hæretico ſcripto. En cor Zenodoti: en jecor Cratetis. Impoſtor diſtinguit: & quid ni vero? aliter

aliter impoſtor non audiret ille. Latro negat homicidium, τοιχωρύχος furtum, agyrta diſſimulat, & præſefert innocentem ſimplicitatem. Ergo, te cenſente, non eſt verum, quod apertis indicijs deprehenditur, quod luce magis patet meridianâ, eo quod ſe negant perpetraſſe ſcelus ἐπ᾽ αὐτοφόρῳ deprehenſi, compoſiti & conſuti ex impoſturis, ad fallendum producti in ſcenam à Diabolo: Eſſet autem, Interpres at dubitaret; illi tamen, qui melius noſſent, οἱ ἐκ διαδοχῆς, è Matthæi ſchola, qui αὐτόγραφον hoc extitiſſe affirmant, non dubitabant. Hæret interpres: illi non. Dubitat iſte, ſciunt illi: Vacillet autem verſutus furcifer, eo magis venire debet in ſuſpitionem. Quod ait, refigit. Quod ſtatuerat iterum, hæſitabundus revellit. *Ipſe, ut hæc dubia eſſe pronuntio,* inquit, *ita liquidò falſa non affirmo.* Ita nuſquam conſiſtunt, à Veritate aberrones. Neſciunt quid velint, quid refugiant: Cui adhæreant, à quo declinent: loquuntur è lintre: inconſideratè ſtatuunt & inconſequenter: ordine toto diſcordant: nec cohærent apud illos prima cum ſecundis: paſſim verò, veluti ſorices, ſuo ſemet indicio produnt. Id facit planus hic Hæreticus, cui tu, vir docte, inſanientis perſonam, inſulſi hominis, & Hæretici imponere debueras cum tuo Caſtrio, qui illa fabulatur de ſanctiſſimi Evangeliſtæ ſcripto apocrypho, quæ modo recitabamus ab ipſo ſumpta: qui ea propaget & tueatur, quæ mox dicturi ſumus, de ſubjecto libelli, & materia. Tu videris cum Chriſtophoro Caſtrio tuo, an ſapiant illa ſcriptorem orthodoxum, an pietatem & doctrinam Hieronymianam. Rhetoricaris autem in illis, *Quanto certius Baronij veſtigijs inſtitiſſes?* Nam Baronij veſtigia premit Exercitator, dum Scriptorem mendacem in apertum producit, atque extractum è tenebris revelat. Nam, *non novit aperta vitare mendacia,* Baronius inquit, quæ elogia non diffitetur illo digna Exercitator. Mendacem verò notat Cardinalis, propterea quod illis temporibus quo hæc geſta ſunt, Iſachar quendam Pontificem ſtatuit, quo nomine nullus unquam Pontifex in Iſrael erat, ab ipſo principe, Aarone, ad cladem illam Flavianam urbi, templo, populo illatam & politiæ. Reſpondet ſcio Caſtrius: injuſtè cum authore hic actum eſſe, cum non dicat Iſachar *Pontificem ſummum* extitiſſe, ſed *Pontificem:* unum fortaſſis è primoribus, honore, loco, dignitate præſtantibus. Fortaſſe tum Præfectum templi: Inane prorſus ſubterfugium. Nam licet non dicatur ſummus vel maximus, ita tamen concepta eſt ſententia, ut notum ſit omnibus de ſummo loquutum eſſe Pontifice. *Ea verò tempeſtate,* inquit, *Iſachar erat ibi Pontifex.* Quæ quidem locutio, nulli, præterquam Sacerdoti ſummo, competere poteſt. Per quem tempora deſignabantur apud Iudæos, quemadmodum per Conſules apud Romanos. Neque enim rectè dici poterat, verbi gratiâ, cum factum eſſet verbum Dei ad Mariam, per Angelum internuntium: aut cum Eliſabeth conciperet, Erat eâ tempeſtate Zacharias Pontifex: quanquam verum ſit, Sacerdotem, Zachariam dictum, eâ vixiſſe tempeſtate: ſed, quemadmodum habetur in hiſtoriâ ſacrâ, *Erat quidam Sacerdos.* Sed de ſummis Pontificibus loquuntur eo modo, quo paullò poſt, *Pontificibus Annâ & Caiphâ.* Non enim temporis ἐπώνυμοι erant, niſi

 ſummo

ſummo præditi Pontificatu. Itaque rectè Caſtrius Iſacharo ſuo, ut illius ſcripti authoritatem tueretur, Pontificatum ſummum aſſeruiſſet, contra Ioſephi vel cujuſvis alterius tabulas. Quid enim? an non Matthæus Evangeliſta illius ſcripti indubitatus author, Sexcentis Ioſephis præponderabit? Rectius ſaltem ſi Iſacharum binominem nobis confinxiſſet: & alijs dictum, Simonem, Ieſum, Ananum, Eleaſarum, ab iſto authore appellatum, Iſacharum prodidiſſet. Sed non vident omnia mentientes. Itaque veſtigijs hic inſiſtit Baronianis Exercitator. Sed alia ſunt veſtigia Baroniana. Illa ſi ſectatus Exercitator fuerat, non illum ad Leucium vel Seleucum, velut hujus libelli auctorem, ſed ad incertum aliquem, Hieronymi tamen perſonâ larvatum, duxiſſet. Agnoſco veſtigia. Ita enim vir doctus de hoc mangone loquitur, ut de ignoto, & incerto. Mitius Cardinalis quam oportuit impoſtorem tractabat. Neque enim illi moris eſt, id genus quiſquilias proculcare niſi aperta poſtulante Veritate. Quid aliud facere potuit is, qui non nihil in illâ farragine, quod in alijs, notæ melioris Scriptoribus non poterat reperire, inventum, ſuis Annalibus, purpureo panno lacinias duxit aſſuendas. Hic Caſaubonus ſequutus veſtigia Cardinalis aliquandiù, poſtquam ilia ducentem vidit, aut hærentem ad metas deſeruit, ad Sixtum Senenſem procurrens & Melchiorem Canum, qui non tantùm mendacem ſed Hæreticum hominem huic ſcripto aſcribunt authorem. Opponitur Caſtrius Sixto, Cano πεζὸς παρὰ Λυδὸν ἅρμα, quaſi illorum rationibus ſatisfactum ab illo eſſet. Poſitis autem illis quæ probant Sixtus & Canus de ſubjectâ materiâ huic ῥαψῳδιῶν: additis inſuper quę narrantur apud Innocentium & alios de Seleuco, & quæ præſtigiator ipſe de Matthæi Evangelio ἀποκρύφῳ refert, ſi veſtigia hæc ulterius inſtitiſſet premens, ad Hæreticum authorem, peſtilentem Hæreticum, Seleucum ipſum fortaſsè Manichæum Baronius æquè atque Exercitator perveniret. Non enim, quandoquidem hæc ipſa ſcripta, inter acta per Seleucum conficta non referuntur apud Auguſtinum, ideò non ſunt illius cenſenda. Plura enim ſcripſit quam Andreæ acta: *Sub nomine Apoſtolorum*, ait Auguſtinus. Fortè, omnium: certè plurium. In confeſſo ſiquidem poſita habemus, Petri, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Matthęi. Quod ſi non ſit Seleucus libri author, vel cede nobis alium impoſtorem, vel ipſiſſimum Matthęi partum profitere. Quaſi autem veſtigia non ſufficerent Baroniana, proponitur huic ſecundo in loco imitanda modeſtia Hieronymiana. Et nemo eſt opinor, qui non interdum deſideret. Non enim neſcitur quanta vehementiâ vir ille, quâ verborum atrocitate, ſpiritus ardore, etiam quibus convitijs & maledictis, non ſolos Hæreticos: ſed & Orthodoxos perſtringat Stridonenſis pater. Nemo alius è Patribus excandeſcentiam ſuam ita exercuit in Hęreticos. Cujus vim & violentiam, ſi hoc in loco fuiſſet imitatus Exercitator, feciſſet, quod fortaſſe in hoc genere omitti non debuerat. Videamus tamen, quænam illa ſit, ad quam Caſaubonum refingis, modeſtia Hieronymiana. Nolebat acerbius ille, errorem taxare ſimpliciorum fratrum, licet fraude deceptos & impoſturis non ignoraret. Itane verò? Quid ullius modeſtiæ negotij eſſet, cum nugis, impoſturis, impijs figmentis iſtius nebulonis,

bulonis; ſive authoris, ſeu quod videri volebat Interpretis, ſive cùm authoris tum interpretis, quæ ſuſcepit Caſtrius propugnanda? Quæ ſimilitudo cum illorum cauſsâ, in quâ modeſtia tam emicuit Hieronymiana? Erant illi fratres: Iſti Hoſtes capitales, & omnium hoſtium Sceleſtiſſimi. Hæretici de furfure Manichaïco. Et ideò Hereticorum peſtilentiſſimi. Erant illi fratres ſimpliciores. Et pro ſuâ ſimplicitate creduli nimis, in fraudem inducti per credulitatem. Hoſtes iſti ut perditiſſimi, ita dolis & verſutijs inſtructiſſimi fuerant. Illi decepti erant in re Hiſtoricâ, in quâ erratur ſine periculo: iſti deceptores in re fidei, & quidem fundamentalis fidei. Illi ab agyrtis & impoſtoribus arrepti: iſti deceptores ipſi improbiſſimi. Officioſum mendacium non excuſant, non ferunt, viri ſancti, eruditi antiqui Patres. Et tamen, quod mireris, Caſtrius & Roſweydus ſtomachabundè indignantur, Hæreticum peſtilentiſſimum graſſantem ad perniciem animarum, ſaltem mendaciſſimum rapſodum, non modeſtè fuiſſe compellatum, & mellito ſermone delibutum. Caſtrium iſtum verberibus a te caſtigatum, & ſtylo compunctum, ſuperioribus oportebat tradi, Heriberte, qui linguæ & calamo luxuriantibus fibulam deinceps imponere diſcat: aut ſanctis Patribus Inquiſitionis Hæreticæ pravitatis exoſſandum. Niſi fortè, in Ordine ad Deum tolerari mens ſit, quę non ſunt aliter excuſanda. Addam adhuc unum de hoc Scripto. Videri inquinatiſſimum, ab illo peſtilentiſsimo Seleuco profectum eſſe, quod eadem per omnia habeat cum alterius ejuſdem farinæ Scripto, ejuſdem authoris Seleuci, cenſente Innocentio, quod ſub titulo *proteuangelij Iacobi* peruenit in manus hominum. Niſi fortè hoc illius ſit Epitome, quod interpreti Hieronymo, homines nequam & nefarij aſcripſerunt Chromatius, Heliodorus. At cujus demum cunque ſit authoris, quid eſt quod in illo jure reprehendere poſsis? inquiunt, aſſertor & patronus. *Nihil eſt in hoc Scripto,* ait Caſtrius, *vel à ratione alienum, vel quod ſanctiſſimorum & graviſſimorum Patrum authoritate non poſſit confirmari. Neque enim,* verba ſunt Heriberti, *Impietatis plenū opus eſt, quod te probare conantem* (Caſaubonum alloquitur) *mox perſequar.* Sed ad Græcas calendas. Nam Caſaubonum ſectatus aliquantiſper allatrando, & carptim, hic illic arrodendo, ſtatim declinat ad mapalia mera, Critica teretiſmata, de Libris Adriani Catacrianis, de quibus ferant ſententiam, qui Critico ſupercilio tument. Nos te ad penſum hic vocamus quaſi quidam importuni ἐργοδιῶκται, & illud urgemus, quod te recepiſti facturum ambitioſius, de nugis ut excuſes & impietate, nam in utroque dicam huic falſario inſcripſit Exercitator. Impietatis poſtulat, quod cum fateatur Seleucum de Doctrinâ Apoſtolorum multa eſſe mentitum, ea tamen defendat & propugnet, quæ ſunt ab eodem illo Hæretico Scripta, *de virtutibus illorum & miraculis,* quaſi eſſent ibi πάντα καλῶς καὶ εὖ, & cum veritate conjunctiſsima. Non hoc volebat ille eſſe impoſsibile, ut nequiſsimis aliquis mendaciorum artifex, & Hæreticus improbiſsimus veritatem dicat. Novit enim bene, impoſturarum omnium ἀρχιμάγειρον, mendaciorum Patriarcham, cujus Hæretici homines ſunt emiſſarij, ſub Angeli ſpecie comparere. Veritati interdum, illuſtre prębere teſtimonium, ſed in illum finem ut decipiat incautos, & quas machi-

machinatur perniciosas insidias, veritatis opinione præsumptâ securis præstruat. Voluit autem,,,Seleucum illum in Actis, quę composuit, Apostolorum, multa mentitum ad suam hæresim stabiliendam, plurifariam etiam, de vitis illorum & miraculis, quæ sunt manifestæ impietatis clarissima indicia: Hic jam qui è duobus falsis, impijs, unum amplectitur, refellit alterum, de impietate, etsi à tanto, in toto non potest excusari. Mentitur autem iste Impostor dum pronunciat Seleucum in vitis & miraculis Apostolorum enarrandis veritatem observasse. Portentosis enim fabulis, horrendis impietatibus & blasphemijs etiam illas fœdavit narrationes. Nolo aliundè probationem sumas quam ex ijs ipsis quæ in talione, ab Augustino desumuntur. Impium ergo hominem, non solum vanum esse oportet, tuo indignũ patrocinio. Sed fuerint vera, saltem plurima, de vitis narrata Apostolorum: in quem tamen finem narrabantur, attendendum. Hostis humani generis hoc interdum facit: ille tamen mendax est, & esse dicitur: tum cum dicit veritatem. Nam dicit ideo ut decipiat. Veritatem historiæ secutus est in multis saltem Hæreticus: ut securi suscipiant doctrinam blasphemam, δεινὸν γὰρ κλέπτειν εὔνοια τῇ ἀληθείᾳ. Nec ob aliam causam hic impostor veritatem in Seleuco historicam laudat, quam ut Circæum quoddam poculum, præsentissimum venenum Scripta illius Hæretici, commendaret. Furiosum ergo censuit Exercitator. Fatetur librum ab Hæretico scriptum. Multa authorem confinxisse: & tamen amplectitur & obtrudit. Obloquitur Patronus actioni, *Orestem Hippolyto supposuisti.* Et utinam non vanus vates extares, Hippolyto tuo virbio non frueremur. Sed ad rem. Duos libros fingebat hic de Ortu Mariæ à Mathæo scriptum; unum, ἐν ἀποκρύφοις: alterum a Seleuco, circumforaneum: sed vel transcriptum ex illo, & ità erat Hæreticus ἐκ διαδοχῆς: vel congestum è narrationibus ἀγράφων. Præter istos non memoratur alius. Cum dicitur ergo, *Ita & hic multa non vera de suo corde confinxit, fatetur,* inquit *Casaubonus, ab Hæretico scriptum; & tamen vertit hunc ipsum.* An non furiosus? At non fatetur illum quem vertebat, ita scriptum, hoc est αὐτόγραφον sed alterum. Fateor ita videri, & tamen alibi sic loquitur mendax oblitus sui, *Factum est ut a Manichæi discipulo Seleuco, hic liber editus &c.* Hic? Non alius quam qui descenderat à Mathæo. Nugacissimus impostor, hic Apostolorum gesta, falso sermone narrasse, quod prius negaverat, Seleucum docet. Ita nihil ei fixum, nihil certum. Sed esto, ut tu vis patrone, fuerit Orestes Hippolyto suppositus, tamen cum huncipsum libellum suum, qualem qualem, Manichæus Hæreticus ex illo altero derivaverit, quid est in quo excuses Impostorem? Confinxit de corde suo quædam Seleucus. *Proindè ut in Hebræo habetur, verbum ex verbo transferre curabo,* ait Pseudo-Hieronymus. Quæ in suâ tralatione depravarat alter, iste secundus pollicetur se correcturum. Ita vnus liber, at diversi interpretes, Hæreticus, ut tu vis, & Orthodoxus. Ergo se negotium ita habebat. Ejusdem libelli à Mathęo editi duæ tum habebantur editiones: Vna per Seleucum Manichæum adornata: (est ergo jam interpres, non author libri; ita nusquam sibi constant mendaciorum promi) altera per Hieronymum exaccurata. Quæritur, hic Liber an idem sit ejusdem authoris, qui editus à duobus ferebatur, licet interdum

terdum vel non rectè verſus, vel interpolatus ab horum aliquo: negat eſſe eundem advocatus Hæretici Ieſuita, eſſe affirmat Exercitator. Ioſephi hiſtoria à Ruffino olim verſa, num eadem eſt cum illa quam Gelenius tranſtulit? Antonij vitam Athanaſianam, neſcio quis olim licenter vertit, & non rarò interpolavit. Illam tu dixeris non eſſe Athanaſianam vel Græcam hiſtoriam nuper editam, ſed ab illâ diverſam: non eſſe genuinam, ſed prorſus pſeudepigrapham? Sacras olim literas cùm Græcè tum Latinè, plures diverſimodè tranſtulerunt: eadem tamen Scriptura ſacra. Non ex animo loquebatur, ſaltem non ſecundum rei veritatem, qui olim ita pronunciabat,

Quem recitas meus eſt ô Fidentine libellus:
Sed malè dum recitas, incipit eſſe tuus.

Tertia impietatis nota vel Interpretis illius vel authoris, illa eſt apud Caſaubonum, quod ſcribere non ſit verecundatus, *Neminem fidelium negaturum ſine animæ periculo illa credi poſſe quæcunque Deus poteſt facere. Impium*, inquit, *hominem & ſtulte delirum, Nam ſi valet hæc ratio, ut credi omnia poſſint, ſine animæ periculo aut ſalutis, quæcunque portentoſa ac blaſphema fanaticus hæreticus aliquis confinxerit, quia Deus illa facere queat, quid eſt cur deliria Rabbinorum, aut etiam Mahometis, reſpuamus?* Hæc, & veriſſimè, Exercitator. Quodſi ita reverà ſentiat ille, quiſquis eſt Hieronymus ψευδώνυμος, non eſt opus ut adhuc de impietate diſputemus. Abundè enim ſatis illam iſta comprobant, licet nihil aliud ab iſto ſcriptum *impietate plenum* deſignare poſſet eruditus vir. Ejus enim generis eſt hoc effatum, ut veluti quandam Epitomen illud omnium impietatum meritò poſſimus uſurpare. Concedatur alicui hæreſiarchæ, *credi debere vel etiam poſſe, ſine animæ diſpendio*, ſalutis detrimento, aut veritatis incommodo, quæcunq; Omnipotens poteſt facere; & quid erit tandem in Scripturis divinitùs revelatis, fidei regulâ, & pietate, ſartum tectum aut immotum? Omnia feciſſe, voluiſſe credetur Deus, quæcunque abſolutæ illius potentiæ & immenſitati illimitatæ ſubjacere putabuntur. Valentini Æonas, & horrendas Gnoſticorum impietates, hoc prætextu defendere facillimum eſt. Simonis, Mænandri, Saturnini, Baſilidis & reliquorum deliria Omnipotentiæ iſti innixa ſubſiſtent: de Neſtorij, Eutychetis, Ebionis delirijs, non eſt quod ultrà dubitemus. Sine animæ diſpendio credi poſſunt, quandoquidem à Deo fieri poſſent. Meminiſti apud Tertullianum legiſſe, Praxean illum, *Quem mendax à primordio ex Aſiâ Romanæ humo intulit*, Deum, qui Pater eſt, eundem & filium affirmare, *adverſus traditam formam rebus humanis*, uti loquitur Africanus ille Scriptor eruditus: cumque urgeretur per impoſſibile, ab Orthodoxis, contuliſſe ſe ad divinam Omnipotentiam illam, hæreticorum omnium κρησφύγετον? Huic an tu inſano patrocinabere? quidni enim? ſine animæ diſpendio iſta credere, (ut ne dicam teneri nos) poſſe tutò ſine ullo periculo affirmabis credo, propter Omnipotentiam Dei prætenſam. Audi enim tuum minimè hæreticũ ſed Orthodoxiſſimũ Scriptorem prædicantem, *Iccircò ab his qui Deum iſta facere poſſe credunt, ſine animæ ſuæ periculo & legi*

&

& credi posse. Satin secundum Theologiam? *Si tam abruptè in præsumptionibus nostris*, ut cum Tertulliano loquar, *hâc sententiâ utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit quod facere potuerit.* Apage autem, ut piè Casaubonus, à religione Christianâ adeò absurdam, adeò impiam sententiam. *Dei autem posse velle est, non posse nolle est:* id quod te docebit Tertullianus. Aut si Scholam audire mavelis assuetus Scholæ, ut videri vis, tuam audi Scholam rectè docentem. Ità Deus potens est, ut ea tantùm verè & per se possit, quæ perfectæ sunt potentiæ, non autem defectus aut infirmitatis. Quæ verò sint ejusmodi, in quatuor illa distincta genera, ita proponit illa tua Schola: ut *Materialia*, *Privativa*, *Inordinata*, & *Passiva*, Potentiæ divinæ quidem subijciantur, illius rationes non ingrediantur tamen, aut de illâ prædicentur. Hæc ille tuus Scriptor Orthodoxus nequaquam attenderat, Iesuita, dum quęcunque portentosa aut blasphema, illa credo inordinatissima, pestilens aliquis Hæreticus Orbi deliria obtruserit, salvâ fide, sine animæ periculo, credi posse asseveret, tantummodo quòd Deo nihi sit impossibile, ut ille quidem arbitratur. Scholam ille tuam non salutarat, ne à limine quidem primo, ut videtur. Sacratiori tuæ, & à Scholasticis excultæ Theologię, non magis quàm Casaubonus operam dederat, certè minùs quod videtur. Non tamen debebat Scripturas ignorare: aut illius oblitus esse quod scriptum legerat vel legisse poterat apud Lucam, Angelum nempè, illum internuntium ad Mariam, cujus vitã videri vult scribere ab ortu illustri ad gloriosum obitum, dixisse, *Non esse impossibile apud Deum* πᾶν ῥῆμα, *Omne verbum* scilicet. Non ait, Nil impossibile: Non omnia affirmat possibilia. Sunt enim quæ resipiunt impotentiam, cum tamen ad Potentiam spectare putentur. Sed ut pie Tertullianus, *Dei posse velle est, Non posse nolle est:* ait, πᾶν ῥῆμα *apud Deum esse possibile*. Prius enim oportet ut sit ῥῆμα, vel in Proposito vel in Propalatione, quàm sit in Possibilibus fieri. Nam impossibile est, quod non est ῥῆμα. Quod dici non debet, fieri nequit. Sed Dei Omnipotenti Potentiæ, ex antiquo Hæreticorum more delirijs suis ab isto veteratore Hæretico, et fanaticis Opinionibus prætensæ, non possumus expectare, ut se profiteatur adversarium Iesuita, qui medullitùs imbiberit & animitùs portentosam illam, & ab sæculis nonnullis invalescentem opinionem, de modo pręsentiæ in Eucharistiâ per Transubstantiationem, ut loquuntur, *adversus traditam formam rebus humanis*, quemadmodum loquebatur Tertullianus. Homo ergo cautus & pellacis ingenij Iesuita, illud totum declinavit in Casauboni caussâ contra hæreticum, falsarium Scriptorem, in quo rei Cardo vertebatur, & primùm ad Scriptoris materiam subjectam: deindè ad alia è Gersone declinat, quæ nihil prorsus vel ipsius confirmant caussam, vel Casauboni labefactant. Cum enim ille omnia illa concesserit quæ de Credibilium rerum differentijs, & veritatum ordine quadripartito, *doctor resolutissimus & Christianissimus*, (etiamne in caussâ Venetâ Iesuita?) *& clarum Galliæ suæ decus proposuit*, tamen statu eodem quo prius, non deteriori, consistent Exercitator, & ipsius assertio; *Impium esse hominem & stultè delirum, qui salvâ fide, sine animæ periculo*

riculo credi posse docet, quodcunque portentosum, blasphemum, horrendum dictu, ab ullo hæretico excogitatum fuerit, tantùm quia Deus illud potest facere; quæ est ipsa assertio impostoris : nec ab assertore Iesuitâ denegatur : μικρὰ ἔπος, dicebat ille, sed non impietatis exiguus cumulus : cùm hâc ratione Rabbinorum commenta, Alcorani deliria, ab homine Christiano credi debeant, saltem in aliquo gradu credibilitatis, quandoquidem Deum posse facere doceant, quod tamen ipsum est falsissimum. Quid ad hæc persananda è Gersone tuo profers ? Veritatum credendarum quadruplicem ordinem reperiri. Primum, earum quæ explicitè credi debent, esse à Deo revelatas. Secundum, earum quæ ex illis primis derivantur, ex consequentiâ necessariâ, vel lumine fidei intermedio, vel etiam lumine Naturali. Tertium genus earum quæ ex præmissis consequentiâ probabili deducuntur. Quartum genus earum quæ respiciunt Legendas, vel Sanctorum vitas, visiones personarum devotarum, quæ & leguntur, & proponuntur legenda ab Ecclesiâ ad affectus commovendos, devotionem inflammandam, & similitudinem exprimendam. Quid hic jam facies ? ad quod genus è quatuor illa referes, quæ impostor ille ad divinam potentiam spectare dicebat, imò quæ ab Hæretico impiè inventa, blasphemè proposita, in perniciem animarum defensitata, credi posse & debere asseverantur, eò quòd Deus ista, quod falsum tamen est, potest facere ? Ad quartum genus scio aggregabis, sub quo Legendas, & visiones, & opiniones doctorum comprehendisti : quæ non indubitatè, sed piè tamen credi possunt. At si rationem probes Casaubonianam, quâ contra hæreticorum κρησφύγετον utitur, divinam nimirum omnipotentiam, non sub quarto hoc genere concludi tantùm illa omnia debent quæ credenda proponuntur ab hæreticis, sed potiùs ad primum referri. Ejusmodi enim sunt Alcorani deliria : Praxeæ blasphemiæ : & portenta Gnosticorum : quæ tamen omnia confirmare queunt per illam impostoris rationem, & debent explicitè revelata credi. Secundò & illud animadvertere debebas, illa tua credenda, ut possibilia, non ita proponi credenda pijs, tanquam certitudinaliter essent vera, sed sufficere hìc illam credibilitatem, & illum gradum cognitionis, quo, in talibus, nihil de certitudine scitur esse falsum. Quid autem hæc distinctio adjuverit illa de quibus postulavit impostorem Exercitator ? illa enim in hoc gradu non consistunt, sed ulterius impudentèr promoventur ad ea, quę in lumine fidei, vel naturali, consequentiâ non probabili, sed necessariâ, sunt verissima : imò adhuc vel ad ea quæ à Deo immediatè revelantur. Ejusmodi enim ab hæreticis, etiam ab isto impostore Seleuco, plurima sunt conficta in historiâ de Sanctis, & beatâ Virgine : quæ cùm sint adversa divino verbo, Lumini fidei, & naturali ; ut certa narrantur ab hæretico pestilenti, ut credenda proponuntur, ad Dei potentiam referuntur. Parum ergo lucis ab illustri isto Galliæ sidere Gersone recepisti, minus in tuas tabulas intulisti, qui narrationem benè longam, de distinctis Veritatum gradibus instituisti, ἀπροσδιόνυσον & à re proposita alienam, cùm de nullo genere veritatum, sed præstigijs, insulsis, fatuis, deliris, hæreticis, portentosis fabulis & fallacijs ageretur,

Cc quales

quales ſolent à Diaboli emiſſarijs ad veritatem abolendam, & deſtruendam excogitari. Demonſtraſſes prius, illa de quibus quærebatur, illa quæ ſolent hæreticorum filij à divinâ ſuſpendere Omnipotentiâ, eſſe ejus generis ut referri poſſent ad unum, è quatuor Veritatum generibus, & ſub eodem commodè concludi: id tu non feciſti ſcilicet, id nequaquam præſtare poteras. In re igitur non controversâ operam luſiſti non neceſſariam; tanquam vel protervus Sophiſta vel Logicus fatuus, quod non oportuit te facere qualem te deprehendi par non fuerat virum & eruditum, & qui Caſaubonum in Logicis corripueras; à re propoſitâ & controversâ, in alia omnia declinantem aliorſum. At illud præſtiteras, quod exigimus, in præcedentibus: nam libri authorem ab omni hæreſi & impietate aſſerueras. Hoc ut ita eſſet, tamen in præſenti, ubi quærebatur ab Exercitatore de divinæ potentiæ efficaciâ ab hęreticis ad omnia portenta advocatâ, aliena erat de ſubjectâ materiâ ſcripti pſeudepigraphi tractatio. Sed ubiq; deſultor es & emanſor, extra oleas ſemper evagaris: & tamen ne ita quidem excuſaris: cum non præſtiteris de quo gloriaris, hìc multo minus, magis infœliciter, ubi totum amoliris à te ipſo in Caſaubonum negotium. *Inſpice*, inquis, *lege*, & ſi quid deprehenderis, *quod ſine animæ periculo, & credi & legi non poſſit*, tunc demum exclama, *Impium hominum & delirum*! Inſpexit, legit, deprehendit quædam & notavit. Tu ad illam Actionem refellendam præter voces inanes, & confidentiam, omnino nihil attuliſti. Hìc verò ſignanter impietatem involat & delirium: nimirum de divinâ Omnipotentiâ, ad omnes impietates, portenta, hæreſes defendendas, advocatâ, nimis importunè aſſertam poſitionem. Hanc non abſolvis, non explicas, & tamen confidentiâ ſingulari deprædicas, *Inſpice, lege*. Nihil hìc reſpondes & tamen triumphas. Habes quod requiris, & vociferaris tamen. En aliam tibi offam oblatrator. Et ut verbis Caſaubonianis loquar; *Accipe cumulum impudentiæ, furoris, ſceleris*. Nam exemplo Matthæi Evangeliſtæ impoſtor iſte factum tueri audet. *Imò accipe*, ais, *cumulum impudentiæ Caſaubonianæ, furoris Caſaubonianі, ſceleris Caſauboniani*. Magne Sacerdos, cur ita ſævis? Novator iſte non infimæ notæ obſcurus tenebrio, quid meruit quem ſic ſceleris, furoris, impudentiæ diluvio immergis involutum? Detraxit impoſtori perſonam: hæreticum fecit manifeſtarium. Hoc te malè habet? Imò illum impoſtorem & hæreticum nefarium detexit, quem Tuæ Societatis Pater Chriſtophorus à Caſtro, tantùm non ipſiſſimum juraret Hieronymum, túque etiam libenter, ſi auderes. Tetigit pupillam oculi tui. Qui lixas caloneſve è Societate laceſſit, ſentiet ultorem Ieſuitam, aliquem Patrem: nedum qui Patres reverendos, patronos affirmat hæreticorum. *Abſit, ô abſit ut Caſtrius noſter hæreticum hominem defendat*. Quid eſt ambitioſa cohors? an ἴσα πρεσβεῖα Romano veſtro Pontifici affectatis? Credo autem. Errare non poſſunt illi ſummi Patres: hæreſis ad illos non habet aditum. Errores tueri, hæreticum hominem propugnare, non poſſunt è Societate Patres. Si quis hæreticus patronum Loiolitam adipiſcatur, hæreticus ulterius non erit. *O abſit, abſit*, ut Caſtrius defendat hæreticum. Caſtrius

ſtrius è Societate Pater venerabilis, agyrtam Scriptorem, vaniſſimum, & nugis anilibus refertum neſcio quomodo laudavit: oportet tueri quod Patri cuivis, inconſultò licet, vel etiam execrandum, exciderit. *Vtinam ne in nemore Peliæ*; Sed cum jacta ſit alea ab illo Patre, lapis omnis, funiculus movendus omnis, ut Patri ſua conſtet authoritas: & perſona maſtigiæ ne detrahatur.

Quis cœlum terræ non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, Catilina Cethego?

Impoſtor hæreticus Ieſuitæ? Hinc eſt quod novus Pericles ἀστράπτεις, βροντᾷς, καὶ κυκᾷς τὴν Ἑλλάδα: *furorem, ſcelus, impudentiam* vociferans Caſaubonianam. At ſedatâ tandem hâc tempeſtate, *Phote*, quid eſt quod tantopere te commovit? Affirmat Matthæum Evangeliſtam, authorem conſtitui inſulſæ illius, & anilis fabulæ, de Mariæ Virginis nativitate. Affirmat certè, & quidni? Tunè aliter affirmas ô pudentiſſime & hæreticorum Cenſor modeſtiſſime? Certè aliter. At collatis impoſtorum verbis, Chromatij & Heliodori, ad Hieronymum, hujus iterum ad eoſdem, diſce quid voluerint affirmari, de Matthæo & hoc ſcripto. *Dicunt ſanctitatem tuam* (ita Hieronymum illi compellant, ſatis incongruè Epiſcopi presbyterum) *beatiſſimi Evangeliſtæ Matthæi manuſcriptum volumen Hebraicum inveniſſe, in quo & Virginis matris, & Salvatoris infantia eſſet ſcripta.* Reſpondet Hieronymus impoſtor: *Arduum opus injungitur, cum hoc fuerit mihi à veſtrâ beatitudine imperatum, quod nec ipſe ſanctus Matthæus Apoſtolus & Evangeliſta voluit in aperto conſcribi. Si enim hoc ſecretum non eſſet, Evangelio utique ſuo, quod edidit, addidiſſet. Sed fecit hunc libellum Hebraicis literis obſignatum, quem uſque adeò edidit, ut & manu ipſius liber ſcriptus habeatur à viris religioſiſſimis.* Intelligis Latinè recitata, Roſweyde? Certè intelligis. Quid igitur hæc auribus tuis tinniunt? an non Matthæum Evangeliſtam authorem eſſe illius libelli, quem habere Hieronymum illi audiverant? an non agnoſcit ſe habere? Matthæum Evangeliſtam feciſſe? Hebraïcis literis obſignaſſe, ut ſecretum remaneret? Scripſit ergo illud aliud Evangelium, non Hebraïcè ſed Græcè tantùm, nimirum ut vulgatum intelligeretur. Edidit hoc Hebraïcum volumen, ut manuſcriptum habeatur: quanquam nec loqui ſcivit congruè hæreticus iſte *portans ut aſinus myſteria.* An non hic eſt ille liber quem illi rogaverant, ut transferret Hieronymus? quem ille rogatus, Latinè vertit? an non hæc ſunt apud impoſtorem totidem verbis relata? Hiſce jam hìc, ſi audes, ὦ σοφὲ σύ: qui profeſſus te ſincerè hìc acturum, & collatis horum verbis oſtenſurum, Hieronymum falſarium non affirmare Matthæi eſſe illud Evangelium. Hæc omnia ſubdolè & fraudulenter reticuiſti, quod αὐτοπλεξεὶ te mendacem eſſe proderent, & alia nobis ſuggeſſiſti, in quibus poſſe te ſperabas nonnihil ſubterfugij reperire; cum vox illa *Siquidem*, non ineptè poſſit ſubdubitationem præſeferre nonnullam, uti tu fortaſſis arbitrabare: in quo tamen falleris apertiſſimè. Nam ſi ſenſum communem impoſtor ille habuit, eſt illa vox poſitiva, affirmantis. *Vt in Hebræo habetur,* (ita falſarius) *verbum ex verbo transferre conabor, ſiquidem*

dem sanctum Evangelistam Matthæum eundem libellum composuisse liquet: & in capite Evangelij sui Hebraicis literis obsignatum apposuisse. Iterum tibi dico, Latinè intelligis. At posteà subdubitat. Hoc ego non nego. Quin sibi contradicit, non rarò, mendax. Etiam in his ipsis postremò recitatis, est quod repugnat alibi relato. Ait hic, Evangelistam, hoc cocetum & mendaciorum tyrotarichon *Hebraicis literis obsignatum, in capite Evangelij apposuisse:* alibi tamen *non edidisse* affirmat: nolle verò edi, sed in Apocryphis de manibus in manus derivari. Sed hæc ego contradicentia hujus rabulæ, ad nugas, imposturas, mendacia refero, & vanitates. Interim, uti dixi, tuam fidem, Rosweyde, & candorem? Rhetoris fortassis non mali fuerit dissimulare in causâ & præterire quod obfuerit relatum: at viri probi, nedum Theologi, non est. Sed & audi paucis tibi ipsi dicta, & pro impostore hic prolata. Cum apud agyrtas istos tres, de duobus tantùm libris habeatur mentio, unius Hebraicè à Matthęo obsignati, alterius à Seleuco interpolati, cujus è duobus ille codex erit, qui penes Hieronymum, translatus dicitur, & à Castrio tuo propugnatur? Seleuci fœtum spurium, hæreticum, malè natum à Castrio Iesuita elongasti: *ô absit, absit, ut Castrius*, &c. Restat ergo ut fuerit Matthæo adscriptus, quem Hieronymus planus, planis hominibus transferebat. Hic te expedi vinctum. Est autem inter præcipuas impietates apud Christianos recensendum, in nomen & in titulum Apostoli Matthęi & Evangelistę sacrosancti & θεοφορουμένου, per flagitium & scelus ineluïbile involare, & Spiritui Sancto Veritatis doctori, si non blasphemas impietates, saltem nugas & fabulas insulsas affigere. Hactenus rectum insequutus loripes, ut potuit, deserit ante metas, & ut sua nobis evolvat adversaria Critica, ad Adriani libros *Catachrianos*, obscura diverticula, dilabitur. Mirus tamen transitus & stupendè rhetoricus. *Consultius omnino fecisses*, inquit, *si Ecclesiasticorum librorum censuram Romanæ Ecclesiæ reliquisses. Habes Catacrianos libros apud Augustæ historiæ scriptores*, &c, Habemus certè. Nunquid & illos Romanæ Ecclesiæ Censuræ vindicas? En submittimus. Convocet Concilium Tridenti denuò, aut saltem, *Fratres nostros, Principes mundi* in Conclave vocet. Iudicent illi qui errare nequeunt, & negotium nostrum Criticum magisterialiter expediant, utrum apud Spartianum in Adriano, legendum sit, κατ' Τραϊανοῦ: vel κατ' Ἀδριανοῦ: an verò *Catachlyanos:* an *Catacriticos*, κατ' Ἀκυλιανοῦ: an *Catachrianos*, sive *Catacaymos:* aut, quod tibi videtur, *Catacrianos.* At certè judicium de libris sacris vel Ecclesiasticis, nemo sanus, cui curæ est pietas & religio, Romanæ Ecclesiæ subjecturus est. Infallibilitatem judicij Pontificiam, ut meram Chimæram ridebit: Universalitatem juredictionis, ad pupas non ad homines, nedum sacros Scriptores, pertingere cognoscet: imprimis illos indices *Infernales* credo non *ex-Purgatorios*, hoc est, licentiam effrenem, impiam, intolerandam, in Scripta & Scriptores sacros grassandi, exhorrescet. Deleri jubebunt illi Indices, & Censura Romana vertitur in istis, quicquid minus Catholicè resipuerit. Non curabunt tolli nec deleri, absurda, ridicula, impia, blasphema, quæ sunt in Ordine ad primatum, aut Symbolum Tridentinum confirmandum; utcunque ædificent ad Gehennam: Testis illa congeries Castri-

ana & plurima Societatis Patrum ſcripta,religioſis auribus abominanda. Tace ergo de Cenſurâ Romanæ Eccleſiæ, niſi velis illam exerceri in libris Adriani Catacrianis: quos illi, uti dixi, non invidemus, cum ſalus reipub. aut animarum, in iſtis non vertatur nugis criticalibus. Hìc verò finis huic tabellæ fuerat imponendus, niſi quædam quaſi cumuli aut auctarij loco ad illa Caſauboniana, in tuam Roſweyde gratiam, adjicere placeret, quæ non minus quàm illa ſuperiora, fabulas olere naſuti affirmabunt, viri autem pietate conſpicui, etiam blaſphemias & impietatem. Angelus ergo ille ad Annam & Ioachimum Virginis Deiparæ parentes miſſus, ſteriles jam viginti totos annos, & de prole ſollicitos ſuſcipiendâ, de ſterilitate conſolatur *Saræ*, *Rachelis*, *Samſonis* & *Samuelis* matrum exemplis allegatis, quæ omnes cum fuiſſent diù ſteriles, tandem tamen proles peperere. Iſtas mulieres cum primis illuſtres, maledictas à Deo noluit non potuit Angelus pronunciare, imò contra præcipuè benedictas à Deo, uti erant reverà, contendit eſſe. At impoſtor ille idem (apud quem pronuntiat ille Angelus *Benedictas illas*, & iſtos item ſteriles) ſcriptum affirmat in lege Dei, *Maledictum eſſe omnem qui ſemen in Iſrael non excitaverit*. Ita ſunt ad oppoſitum, Lex Dei, & Angelus Dei: Deus ſibi ipſi contradicit, dum aliud per Os Prophetæ docet, aliud inſinuat per Angelum ſuum. Negat & affirmat idem de eodem ſtupidiſſimus agyrta, inſanus ardelio. Legem Dei vel blaſphemat qui ſcriptam affirmat tam atrocem ſententiam. Vel Angelum mentitur internuntium, qui contra legem ſcriptam ῥητῶς pronuntiat. Imò Legem certè mentitur ille maledictus furcifer, qui Scriptum affirmat quod nuſquam in Lege Scriptum extat. Iterum idem Angelus diſertis verbis docet, *ſterilitatem tibi non rectè obiectam*, nempe à Pontifice Iſacharo, *cum Peccati, non Naturæ, ſit ultor Deus*. Rectè quòd Deus Naturam in homine non ulciſcatur, ſed Peccatum tantùm. At quid ad rem præſentem, cum propter peccatum ſterilitatem immittat, & Naturam inhibeat in delinquentibus? adeo ut ſterilitas in Naturâ, pœna ſit, aut eſſe queat præcedentis peccati. Ita delirus blatero quid loquatur ignorat, tum cum recta loquatur ignorans ſe loqui tamen rectè. Ait apud Impoſtorem Utopianus Iſachar, qui nunquam in Hieruſalem Pontificatum geſſit, cùm templo Ioachimum prohiberet, Munera ipſius non videri Deo digna eſſe, aut futura accepta Deo, cum Deus, illa munera offerentem, prole indignum judicaverit. Injuſtiſſimus iſte Pontifex ipum Abrahamum ita compellaſſet; certè ſi fuiſſet in diebus Elkanæ, & loco Eli, Hannam de templo Dei deturbaſſet. *Peccatores*, ait ille, *ſcimus quod non exaudit Deus*: nec munera Peccatoris Deo placent: cum nihil prius Deo ſit εὐάρεστον, quàm perſona ſit accepta offerentis. At tu non ignoras Heriberte, utcunque Pontificem latebat illum, qui ſint dicendi *Peccatores*. Fictitium illum Iſacharum quis Angelus de Cœlo, quæve docuit revelatio, Annam & maritum ejus Ioachimum, deteriores extitiſſe, atrocioribus flagitijs inquinatos, quàm erant cęteri omnes & ſinguli ad feſtum illud aſcendentes, & munera coram Deo offerentes? Vel Deus injuſtus in ultione: vel illi graviſſimi erant Peccatores. Erant certè: vel, quod reliquum eſt, ſtupidiſſimus

impoſtor

impoſtor delirabat, nec cor habebat hominis,nec jecur eruditi, qui Magiſtrum illum in Iſrael introducit loquentem,aut ipſe potiùs loquitur ex animi ſui ſententiâ,de divinâ diſpenſatione tam inſulſè,quaſi ab iſtius vitæ bonis, malis, ſciri poſsit & certò conſtitui, hominem dignum favore vel pœnis verſari. Et iterum in ſe impingit nefarius ardelio, dum alia omnia Ioachimum ipſum internuntius cœleſtis continuò docet: Preces nimirum illius auditas, Eleemoſynas Deo acceptas. Non ergo deſpectus Deo Ioachimus. Non ergo Peccator quod deſpectus. Quid facies huic verberoni,maſtigiæ? Quid Patribus quibuſdam Societatis,quibus inſipida hæc & inſulſa ad guſtum faciunt? Sed pergit adhuc impudens impoſtor Pontifex Iſachar: Ab illis argumentis jam dictis profectus, Ioachimum in templo ſtantem inter æquales loco movet, ſtatione dejicit, ignominiâ notat vel graviſsimâ, ob ſolam illam ſuam infœcunditatem. Quorſum vero? Num tum primò ſterilem? Imo annus vigeſimus infœcundo huic homini vertebatur. An tum primò viſum ſic exagitat, tum primùm cognitum & obſervatum? An tum primùm Hieroſolymas, ad Templum aſcendentem? Cur non ante deſpexit? cur non prius offerentem & obtrudentem ſe loco movit? Cur illum tam duritèr ſolum accepit? An fortè ſolus erat in Iſrael ſterilis? ſolus carebat prole in populo Dei, Ioachimus? Quid ſi tum primùm Pontificatum ſuum Iſachar auſpicabatur; Cur ab illo nemo alius Pontifex ſterilem jam pridem ignominiâ notaverat? viginti etenim prius annos, κοκκύζει ipſe cuculus, caruerat prole,& quotannis ad feſtum aſcendebat. Illi an pecuniâ corrupti tacuerant? an ſoli Iſacharo revelaverat iſtud Deus? Fortaſſe Caſtrius ἐν ἀποκρύφοις latentem aliquam habuit Cabalam, fide dignam habuit traditionem, apud Rabba Iudam Hakadoſh, aut Maccanam ben Nehumiæ, qua docebatur, Non ante annum vigeſimum completum, maledictioni Legali ſubjacere ſteriles, aut notandos eſſe à Pontifice. Certè non poterant ignorari Ioachimus & Anna,qui tertiam bonorum ſuorum partem, (Author eſt mihi ipſemet Pſeudo-hieronymus) Templó, ſacris, ſacerdotibus addixerant? adeò ut ingratiſſimus bipedum ille Iſachar extiterit,qui tantopere deſævit in benè meritos. Sed nequaquam adhuc tamen inſanire deſinit.Fabulam blaſphemam,quæ vel Manichæos olet vel Valentinum,apponit,quo loco tractat de marito, vel cuſtode potiùs virginitatis appoſito & deſtinato Ioſepho beatæ Virgini, Deo ſervienti in Templo, in ſancto ſanctorum educato. Narrat enim celibes de domo David, & minimè conjugatos, virgas ſuas,jubente Deo ſingulos ſingulas in Templum allatas,ſuper altare depoſuiſſe;illum verò fuiſſe virgini maritum deſtinatum, cujus virga, ut olim Aaronis, florem germinaſſet: & cujus virgæ ſummitati,Spiritus ſanctus (hoc ultra exemplum Aaronis)in viſibili columbæ forma inſediſſet.Quod figmentum tam vecors & inſulſum,non contentus è penu ſuo protuliſſe ſceleſtiſſimus nebulo, Deum ipſum, proh pudor et pietas,authorem figmento & principium aſcribit, Et quod πᾶσαν ὑπερβολὴν ἀσεβείας tranſcendit, ideò hoc voluiſſe, iuſſiſſe Deum mentitur, ut impleretur quod ſcriptum eſt apud Eſaiam, *Egredietur virga de Ieſſe*.Pietatis propudia, ſceleſtiſſima capita, quo ore, quâ fronte teter-

ţeterrimi hujus hæretici Alaſtoris, maculatiſſimi nebulonis partus portentoſos, oculis & auribus Chriſtianorum intolerandos, antiquiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Proceribus; aut Catholicis authoribus audetis pręſcribere? Peſſum eat profligata cauſsa & conclamata, hujuſcemodi tibicinibus ſufflaminanda. Poſſem hanc Camerinam ulterius adhuc commovere: ſed in cœno hæretico & βορϐόρῳ nimium diù volutati, tandem aliquando eluctemur, & ad mitiora deſcendamus.

EXER-

EXECITATIO VI.

Sect. I.

De Pontificibus Iudaicis, ab Aarone ad captivitatem. Eorum munus ex Historiâ sacrâ. Argumentatio Serarij ἀλόγιστος pro Pontificiâ authoritate. Chronicon Græcum notatur. Variatio tabularum Sacerdotalium post Zadocum. Iosephus semel atque iterum correctus.

DE Iudæorum vetustis Sacerdotibus sæpenumero occurrit apud Cardinalem, cùm in Apparatu, tùm in Annalibus,varias propter occasiones, facta mentio. Iehojadam ille, quod jam ante vidimus, cum de tribuum connubijs ageretur, summum ordinavit Pontificem, ordinarium, rectâ lineâ ab Aarone, descendentem. Nos ut incertum & ἀδιάγνωστον hoc tetigimus: quin contrariam potiùs huic sententiam esse conjunctam docuimus cum veritate. Quam ut adhuc reddamus confirmatiorem, in medium censuimus adducendum esse catalogum, de summis olim Sacerdotibus in Populo Israele, diversis temporibus existentibus; & tabulas successionum quàm fieri potest accuratè, a Pontifice primo Aarone instaurandas. Nec injuriâ. Multiplex enim indè Lux & claritudo affulget diversis per Annales istos locis & Apparatum,quos nõ ita promptè poterimus & expeditè aliàs enucleare. Nam præterquam quòd ipsemet Cardinalis, vir doctissimus,Iehojadam ascripsit illi albo Pontificum, sect.xliiij, in Apparatu, fit mentio in eodem Apparatu alterius summi pontificis, quem tamen extra album nec injuriâ Pontificum, ipsemet seposuit vir eruditus. Isachar ille est, de quo modò dicebamus : quem nequissimus impostor, qui in nomen invasit Hieronymianum,inter summos Sacerdotes annumeravit, & in tempora conjecit Herodiana, cum nusquam ille adhuc in rerum Naturâ impostor extiterit. Primus itaque Pontifex summus in populo Dei, erat,quod norunt Pueri, Aaron filius Amram, Mosis frater natu major, de tribu Levi, extra sortem a Deo, vivâ voce nominatus ad munus illud magnum & eximium. Quem in locum primigenitorum olim omnium per familias singulas Sacerdotio fungentium, Deus,

Deus electum, nominatum, declaratum, contra Levitas ſchiſmaticos aſſertum conſtituerat, & in poſteris ipſius omnibus per ſucceſſuras ætates omnes, quouſque ſtaret Moſaïca politia, commendaverat. Hujus ſummi Sacerdotis officium, ſanè perilluſtre, in hæc verba περιφράζει magnus Moſes apud Ioſephum, Antiquit. III. cap. IX. Οὗτος ἐνδύσεται στολὴν τῷ Θεῷ καθωσιωμένην, καὶ βωμῶν ἐπιμέλειαν ἕξει, καὶ προνοίαν ἱερείων· καὶ τὰς ὑπὲρ ὑμῶν εὐχὰς ποιήσεται πρὸς τὸν Θεὸν ἡδέως ἀκουσόμενον, ὅτι κήδεται γένους τοῦ ἡμετέρου, καὶ παρὰ ἀνδρὸς ὃν αὐτὸς (ſic enim legendum eſt non αὐτὸν) ἐπελέξατο, γινομένας προσδέξεται ταύτας. *Hic ſtolam Deo ſacram induet: altarium curam ſuſcipiet: de ſacrificijs providebit: preces pro vobis & ſupplicationes fundet, apud Dominum noſtrum Deum, promptè & libenter exauditurum, propterea quòd generis noſtri curam gerit: atque ideò oblatas ſibi preces per virum quem ſelegit ipſe, ſuſcipiet non invitus.* Nec Ioſephus tantùm, ſed & Spiritus ipſe ſanctus apud Ioſuam ait, *Et ante faciem Eleaſari Sacerdotis ſtabit Ioſue, & interrogabit illum in judicio Vrim. Ad verbum ejus ingredietur & egredietur, ipſe, & omnes Filij Iſrael cum eo & tota Congregatio.* Miror homines ridiculos, & omnium ſyllabarum captatores, pro ſummâ Romani Pontificis Monarchiâ, hoc in loco ſibi confinxiſſe meras φαντασίας, etiam contra illam vulgati veteris Interpretis authenticam, quam videre volunt, authoritatem. Volunt etenim Politicum, ut loquuntur, Principem, ingreſſurum Principatum ad quem Deus illum quoquo modo inunctum vocaverit, ante faciem ſummi Sacerdotis Chriſtiani conſiſtere: hoc eſt, debere à ſummo Chriſtianæ pietatis Antiſtite, Romano Pontifice, comprobari. Itá, cenſente Serario in Sacerdotibus Ioſuanis, Ioſua Ducatum & principatum populi nec ſuſcepiſſet, nec debebat ſuſcipere, niſi prius in electionem ejus Pontifex Eleaſar aſſentiretur; utcunque fuerat per Dominum Deum ipſum deſignatus, ſeparatus, Moſis miniſterio in rem præſentem introductus. Noluit ille diſſentire. Fateor, noluiſſe Deo repugnare: ſed ſi vellet, abdicandus erat Ioſua. Nam noluit Paulus quartus, omnium maximus hypocrita, in D. Eliſabetham prædicandæ virtutis fœminam, noluit Pius quintus, Pontifices maximi, conſentire, atque ideò erat illa amovenda. Salomonem certè Regem in Iſrael, hâc lege obtinente, non habuiſſent. Nam Pontifex Abiathar diſſentiebat, & cum Ioabo ſtabat pro Adoniah. Conſulendus erat Pontifex in rebus arduis, & difficillimis reipub. temporibus, quaſi Dei Interpres. Et ſecundùm reſponſum à Deo per Pontificem receptum, ingredi aut egredi debebat Ioſua, ceſſare, vel pergere porrò in negotijs: quod legimus à Davide factitatum. Cœlum terram miſcebunt iſti emiſſarij, intolerandæ poteſtatis procuratores: nihil erit illis ſartum tectum, ſanctum, ſecurum, modò ſummum Antiſtitem pari paſſu ambulantem cum ipſo Lucifero introducant. Sed iſta aliàs. Aaroni, cùm Pontifex inungeretur, quatuor, ex Eliſabethâ Aminadabi filiâ, ſuſcepti erant maſculi, Nadab, Abihu, Eleaſar, Ithamar: omnes quoque oleo ſacræ conſecrationis delibuti, & divino miniſterio deſtinati. Quis primogenitorum duorum Nadab & Abihu fuerat exitus, nemo non novit,

Dd qui

qui Levit. x. legerit. Succeſſit Parenti, quod è Scripturâ conſtat, primus, ſuperſtes defunctis illis duobus, Eleaſar, populo adhuc per deſertum peregrinante: atque ille idem ſub Ducatu Ioſue eidem præfuit Sacerdotio in terrâ Chanaan. Hunc filius Phinehas ſuſcepit, cujus Pontificatus fuiſſe putatur diuturnior. Quartus eſt Abiſhua apud Ioſephum Antiq. IIII. cap. ultimo, quintus Bukki, ſextus Oze. Poſt iſtum Pontificem, fuerat interciſa, ad tempus aliquod, linea Eleaſari majoris natu Aaronidæ, & tranſlatum Sacerdotium ad familiam Ithamaris. Cauſa tranſlationis, modus transferendi, tempus, occaſio, omnia ſunt incerta, in obſcuro poſita, nuſquam relata inveniuntur, quod ſciam, apud ſacros authores vel profanos: ut nec quot illi priores annos præfuerint. Præter illos autem duos adhuc Catalogo Pontificum inſeruit Abulenſis, Zeraiam nimirum & Merajohum. Et erat profectò Zeraias filius Oze Pontificis: Merajoh etiam Zeraiâ genitus. Sed nuſquam reperitur apud idoneos authores, illos fuiſſe aliquando cum Pontificatu: neque certè ullum Abulenſis authorem, aut ſententiæ ſuæ citat aſtipulatorem. Quorcircà Ioſephum & illos non deſerimus, qui tabulas viderant genealogicas, quarum meminit Baronius, Sect. XXXIIII. in Apparatu. Oze autem poſt annos ſex defuncto, ait Chronicon illud quod Scaliger appellat Caſaubonianum, Οἱ ἐκ τοῦ οἴκου Ἰθαμὰρ διεδέξαντο τὴν ἀρχιερωσύνην, πρῶτος παραλαβόντος αὐτὴν Ἡλεὶ κρίτου. *Poſtquam Oze diem ſuum clauſerat extremum, qui de domo deſcenderant Ithamarianâ ſucceſſivè ſuſceperunt Pontificatum. Quorum princeps & primus erat Eli judex.* Et fortaſſe Sacerdotium propter poteſtatem judiciariam Civilem adeptus erat. Cujus ætate cum ſuperſtitem ſomniant Phinehazum Rabbini Iudæorum, docent abundè, quàm ſolent illi omnes ſuaviter delirare, qui ſunt à Deo deſtituti & derelicti. Eli defuncto, non ſuâ morte, ſed, ut habent ſacræ literæ per collifragium, ſucceſſit octavus ab Aarone Ahitob, filius illius Phinehaſi τοῦ Ἡλεὶ, qui cum fratre ſuo germano Hophni in prælio contra Philiſtæos occubuerat. Chronicon illud, cujus modò memineram, prætermiſſo iſto Ahitobo, τοῦ Ἡλεὶ ſtatim ſubjicit Abimilechum, quem per ſummam tyrannidem & crudelitatem interfici juſſerat Saul, eò quòd, Doëgo accuſante, Davidi diceretur affuiſſe ſubſidio & conſilio contra Saulem. Cui cum Samuëlem det ſucceſſorem, inſcitiam ſuam prodit & ridendam fatuïtatem, Chronici illius author, quiſquis erat. Stragem illam & calamitatem Sacerdotum, à Doëgo patratam Abiathar Abimelechi filius, fugâ elapſus, declinavit: & decimus demùm fuit Iſraelis Pontifex, ultimus è familiâ Ithamari. Hunc Nicephorus Conſtantinopolitanus, contrà quàm fecerat Chronicon Siculum, prætermiſſo Abimilecho, ſtatim & immediatè Ahitobo ſubjecit. Uterque malè. Succeſſio hæc eſt: Eli, Ahitob, Abimelech, Abiathar: qui Davide regnum obtinente Pontificatum tenuit XL. annos: & eidem priùs fidus adhæſerat peregrinationum omnium & exilij comes. Quo, propter partes Adoniæ fotas, per Salomonem abdicato, promovetur Sadoc, qui poſtliminio Pontificatum reduxit in familiam Eleaſari. Hunc Baruſham appellat Chronicon illud apud Scaligerum.

Erat

Erat Zadoc filius Ahitobi, nepos Amariæ, pronepos Merajohi, abnepos Zeraiæ, adnepos Oze, qui postremus ante istum de domo Eleasari summo functus erat Sacerdotio. Fuit autem undecimus ab Aarone; primus in templo Salomonis. Ab illo variant tabulæ successionum: neque numero conveniunt, nec nominibus, neque personis, ad captivitatem Babylonicam. Nicephori catalogus ita se habet. Ahimaas, Azarias, Urias, Sobna, Eliacim, Helcias, Sareias. Ineptè, & imperfectè. Quasi duorum hominum ætates Ahimasi, & Azariæ, suffecerint ad Ahasi tempora, cum fungeretur Urias Sacerdotio. Chronicon Siculum sic proponit. Ahimelech, Iohanam, Azariam, Ahitob, Zadoc, Iehoiadam, Uriam, Sobnam, Eliacim, Sellum, Azariam, Saraiam. Quos isti duo Græculi sequuntur ignoro: perperam uterque: à se dissentiunt: à Veritate. Sobnam recensent inter Pontifices, qui fuerat, quod testantur sacræ literæ, Scriba Regius. Apud Iosephum hoc ordine recensentur; Antiquit. x. ult. Αχιμαζ, Αζαρίας, Ιώραμος, Φειδέας, Σουδαίας, Ιέλος, Ιωθάμος, Οὐρίας, Νηρίας, Ωδαίας, Σαλλοῦμος, Ιλκίας, Σαραίας, Ιωσαδόχος. Qui patre Sareiâ occiso per Chaldæos, captivus abducitur Babylonem. Sed illud non est reticendum, apud hunc Historicum, post Ioramum recenseri duos alios, Ισον nimirum & Αξιώραμον. Quos Pontifices in Utopia genitos, retinuit nihilominus vir diligens & eruditus Carolus Sigonius in Catalogo Pontificum à se contexto, libro v. de repub. Hebræorum. Sed vir doctissimus hallucinabatur. Locus enim ille Iosephi depravatus circumfertur. Erat autem, opinor, in manu-exarato quodam codice scriptum Αξιώραμος, pro Ιώραμος. Emendaverat Scripturam hanc vitiosam ad oram sui codicis studiosus quispiam vir eruditus, ut fit, hoc modo, ἴσως Ιώραμος: id est, fortè legendum Ioramus. Cum Librarius, qui codicem illum describendum susceperat; non intelligeret, (nam id genus hominum, cum epitomatoribus, ut hodiè Typographi & Bibliopolæ, ad pestem reipub. literariæ nati, qui literas pingebant per imitationem: non autem scribebant, è peritiâ vel scientiâ) quasi nomina deessent Catalogo Pontificum duo, in seriem contextus Iosephiani omnia illa retulisse existimatur. Atque ita per incuriam & imperitiam, tres hìc habemus in Iosepho Pontifices Iudæorum, quorum duo nunquam gesserant Pontificatum, Entia tantùm rationis & conceptus humani, Isus nimirum, & Axioramus: alter autem verus, ut videtur, Pontifex Ioramus. Miror hoc Sigonium, virum eruditum, & in istis versatum, non animadvertisse. Nam Sebastianus Barradas facit more suo, suorumque solenni & usitato; exscribit undecunque corrasa & congesta, sine delectu aut judicio ullo, è Lyrano, Abulensi, Carthusiano, Iosepho, Hebræorum Chronologiâ, & Scripturâ sacrâ. Et è Iosepho, recenset Isum & Axioramum. Iudæi, quos sequitur ubique Rabbinista maledicentissimus omnium Genebrardus, dissentiunt ab alijs, & à Iosepho, in serie istâ Pontificum ab Aarone deducendâ. Numerantur autem illi apud Rabbinistam hunc, hoc modo: Ahimaas, Azarias, Ioas, Iojarib, Iosaphat, Iojada, Sedechias, Ioel, Ioathan, Urias, Nerias, Ozias, Sellum, Hilcias, Azarias, Seraias, Iosedec. Sed & hosce singulos sub Regibus describunt vixisse, Roboamo, Abia, Iosaphato, Ioramo, Ochosia, Ioas. Et

ſic deinceps, ad Sedechiam. Sed apud Barradum poſt Iojadam, Pedaias interſeritur, qui & ipſe ſub eodem Ioas vixit. Non itaque nominibus, cum ſuperiùs poſitis & numeratis conveniunt: neque numero aut ordine eodem collocantur. Hebræorum magiſtri cùm Genebrardo recenſent xvij. Ioſephus, ablegatis & remotis duobus illis Pontificibus inſititijs & ſpurijs, Iſo, & Axioramo, non progreditur ultra xiv. Nicephori calculus vix pertingit ad numerum dimidiatum. Chronici Caſauboniani numeratio, duodecim Pontificibus terminatur; qui eſt numerus ſacer, in divinis literis fixus & firmatus. Nam in 1. Paralipom. cap. vj. linea Zadoci genealogica, ad hunc modum deducitur ab Aarone. Eleaſar, Phinehas, Abiſhia, Bukki, Uzzi, Zerahiah, Merajoh, Amariah, Abitob, tum Zadoc, Ahimas, Azarias, Iohanan, Azarias, Ananias, Ahitob, Zadoc, Sellum, Helcias, Azarias, Serajas, Ioſedec. Excluſivè igitur, à Zadoco, ad Ioſedecum incluſivè, qui deportatus eſt, interfecto patre, in die μετοικεσίας, duodecim ſummi Pontifices recenſentur & non plures. Quis autem, cui non eſt inſanum ſinciput, Ioſepho Hiſtorico, ſi quis alius φιλαληθεστάτῳ non adhibebit fidem poſt Scripturas, potiùs quàm deliramentis Rabbinorum? quos tamen tanti facit ſemper, furioſus Theologus Genebrardus; quem non opus eſt ut multum moremur furioſè, ut ſit, inſanientem. Et tamen non debemus diffiteri, non conſtare nobis, ſed nec poſſe liquidiſſimè, utrum illo in loco, apud divinum Hiſtoricum propoſitum Spiritui ſancto fuerat, per exactiſſimam quandam ſeriem ſucceſſionum, Pontifices omnes & ſingulos ſeparatìm commemorare, nullo penitùs omiſſo, vel inſuper habito, qui olim eo munere ab Aarone in Iſrael fungebatur: An potiùs voluit genealogiam quandam in lineâ & proſapiâ Aaronicâ contexere, licet non ad omnes numeros amuſſitatam. Nam imprimis in ſuo Chronico, quod & Barradius animadvertit, doctiſſimus Euſebius meminit cujuſdam Pontificis Achimelechi, qui cùm rerum rex Aſa potiretur, altaribus aſtitiſſe, & ſacris præfuiſſe ceremonijs dicitur. Quem eundem, ut veriſimile eſt, certè eidem cognominem, utcunque diverſo ordine poſitum, Nicephorus in ſuo catalogo recenſet. Deindè, certiſſimum eſt, prætermiſſum eſſe, in illo loco Paralipomenon, per divinum Hiſtoricum, Pontificem maximum unum Uriam ſcilicet, quem ſcimus expreſſiſsimè è divinis literis, ſummum geſsiſſe Pontificatum, ſub impijſsimo rege Ahas. Sed poteſt probabiliter, de illo Pontifice reſponderi: primùm, non ita ſtrictè vocandos eſſe ad calculos Scriptores ſacros de prætermiſsis quibuſdam in lineis genealogicis per ſe contextis, cùm certum ſit beatiſsimum Matthæum Evangeliſtam, in regum catalogo, unum aut alterum prætermiſiſſe. Secundò, indignum illum Pontificem viſum divino Spiritui, cujus nomen impurum ſacram illam & ſacratam genealogiam conſpurcaret, propterea quòd cum pro ratione muneris ſui Regi in os reſtitiſſe deberet, etiam cum periculo vitæ ſuæ, ad Idololatriam propendenti, libens tamen, & tantùm non motu proprio conſenſit, dum altare holocauſti, in templo Domini Dei Iſrael, ad exemplar altaris Idololatrici Damaſceni conſtituendum curaret, ad mandatum ſceleſtiſſimi Regis Achaſi, contra expreſſam divinam voluntatem. Certè de ejuſmodi dictum eſt, non ſolùm, *Deleatur eorum nomen*

men de libro vitæ: ſed etiam, *In ſcripturâ domus Iſrael ne ſcribantur:* quia, Deleturus eſt Dominus eorum memoriam ſuper terram. Hanc ob cauſſam Matthæus, uti retur Hieronymus, tres Reges omiſit in lineâ Chriſti, Ochoſiam, Ioaſum & Amaſiam, non ſolùm quòd impij erant, ſed quòd de domo Achabi extracti per Athaliam filiam Ieſabelis, ut oſtenderet odium ſuum ſanctum in profanam & ſceleratiſſimam illam domum: ut ad tertiam generationem, perditiſſimæ fœminæ memoria tolleretur. Sed Scriptura non tantùm impios omittit aliquando, verùm etiam pios, atque probos; & ſceleratiſſimos interponit. Quemadmodum in illâ Genealogiâ numeratur Ahas, omnium Iudaïcorum regum ſceleſtiſſimus. Itaque certi quid non poteſt liquidò ſtatui ex illâ lineâ genealogicâ apud Paralipom. authorem, utrum prætermiſſus ſit alius ab Uriâ. E numerorum diverſitate apud Hebræos, & præcipuè è Ioſepho, videtur valdè probabiliter colligi, plures eſſe in illâ lineâ prætermiſſos. Nam duo videntur, ſi non tres, fuiſſe Pontifices dicti Azariæ: priorē Ahimaſi faciunt vel filiū, vel fratrem. Secundū qui reſtitit Oziæ regi volenti incenſum adolere. Et tertium qui ſub Ezechiâ fuit. Poteſt autem fieri ut in illâ ſucceſſione à Zadoco ad captivitatem, nonnulli intervenerint, qui tanquam ἐπίτροποι & Curatores Pontificatum adminiſtrarent, pro fratrum filijs, Pontificibus ἐκ διαδοχῆς, parvulis relictis: hoſce autem Ioſephus in Catalogum retulerit, tanquam actu Pontifices, Scriptura omiſerit, tanquam non de jure numerandos. Hoc factum ſcimus poſt captivitatem, cum Eleaſar primùm, tum Manaſſes, ſucceſſivè Pontificatum adminiſtrarent, Oniâ relicto infante, & ſacro muneri, obeundo inhabili. Numerant omnes penè in hoc albo, Iojadam illum qui res agente & ferente Athaliâ vixit, & ejuſdem filium Zachariam, quem Rex Ioas, ingratiſſimus Princeps, inter templum occidit & altare. Sed non perſuadent. Neque enim Pontifex maximus, ſed magnus dicitur: & erat præditus pręcipuâ quâdam dignitate, non tamen Princeps ἐκ διαδοχῆς in linea illa Aaronis. In hiſtoriâ autem Pontificum Iudaïcorum deſcribendâ codices Ioſephi vitiatos eſſe attendi debet. Nam qui apud illum Ἰȣλος eſt, eſſet Ἰωηλος. Utcunque enim voces Hebraïcas ſtridulas illas & duriores ad Græcam analogiam emollivit, non tamen receſſit à Scripturâ uſitatâ. Ἰωὴλ, Ἰωηλος rectè dicitur. Ἰȣλος nihil habet commune. Neque Iulius aliquis, ne Romanis temporibus aliquis, in Pontificum ſerie inveniebatur. Ὠσίας etiam reſcribendum pro Ὠδίας. Et qui Σαλλȣδȣμος eſt, eſſet Σελλȣμος, Sellem, modicâ quadam inflectione. Hi ſunt ergo Pontifices apud populum Dei, ab Aarone Principe divinitùs inſtituto & conſecrato, in terra Canaan, ante & poſt Templum conditum ad μετοικεσίαν uſque Babylonicam. Tum ceſſavit aliquandiù juge ſacrificium, & deletis templo ac altari, Pontifices à munere feriabantur. Neque enim Ioſedec qui deportatus eſt, munere functus eſt Sacerdotali: nec Ieſus ejus filius per captivitatem. De illo teſtatur Scriptura ſacra, *Porrò Ioſedec egreſſus eſt, quando tranſtulit Dominus Iudam & Ieruſalem per manus Nabuchodonoſori in Babylonem.* Patre illius Saraia in urbis clade & direptione interfecto, ſucceſſit tum primum de jure Ioſedecus, major natu in paternum Sacerdotium, more vetuſto, & divino inſtituto. Hunc

Nicephorus

Nicephorus Chronorapsodus in suâ Chronologiâ affirmat, Zadocum ab Ezechiele Prophetâ nominatum. Malè fortè deceptus quòd Iosadeck scriberetur Græcè Ἰωσεδεκὸς, quasi vox esset composita: aut υἱὸς & Σαδὼκ, quasi filius Sadoci. Sed locos inspicienti, Ezech. 40.46. & 43.19. & 44.15. & 48.11. facilè apparebit illum Zadocum designari, qui temporibus Salomonis princeps in familiâ Aaronicâ florebat, & sacris præsidebat. Hieronymus appellativè interpretatur, *filios justorum*, qui à vijs Domini non recesserunt: sed secundo sensu. Nam ad literam Sadoc non est alius quàm Princeps Sacerdotum, & Patriarcha in domo Dauidi extructo templo Hierosolymitano, typus & figura majoris cujusdam & augustioris Pontificis deinceps suscitandi in Israele Dei secundùm Spiritum, qui κρείττονα θυσίαν Deo Patri, scilicet semetipsum, esset in arâ Crucis olim oblaturus.

Sect. II.

Catalogus Pontificum Iudaicorum, a Captivitate, ad tempora Macchabaica. Siculum Chronicon explicatur, & in quibusdam locis notatur. Esdras non fuit summus Pontifex. Prima seditio de Pontificatu. Manasses primus in schismate Pontifex in monte Gerizim. Notati Maldonatus & Torniellus. Eusebius item. Chronicon Siculum, & Genebrardus. Iosephus correctus. Oniæ plures cum Pontificatu. Macchabaica historia explicatur. Eusebius defensus contra Animadversorem. Siculi chronici αἰσχρομυθία. Genebrardus dissentit ab Historiâ suâ sacrâ Macchabaica, quæ bis notatur. Oniæ fuga in Aegyptum: Templi ædificatio in νόμῳ Heliopolitana.

POst captivitatem Babylonicam finitam, & reditum Israelis in terram suam atque avitas possessiones, ad secundi usque Templi desolationem & cladem illam Flavianam, nusquam legitur apud Iosephum in Historijs, simul positus, & ὑφ' ἕν, catalogus Pontificum Iudaicorum. At σποράδην κείμενοι, hìc, ibi dispersi reperiuntur apud illum, qui sunt a nobis colligendi, & in unum quasi corpus & μίαν σύνοψιν conjiciendi. In quo tamen ipso Scriptura sacra nos in parte levabit opere & labore, cum dìvinus Nehemias id præstiterit cap. XII. ver. v. & XI. *Iosue enim*, inquit, *qui & Iesus, filius Iosedeci, genuit Ioacin. Ioacin genuit Eliasib. Eliazib genuit Ioada. Ioada genuit Ionathan. Ionathan genuit Iedua.* Est autem Iedua Græcis dictus Iaddus, qui Pontificatu fungebatur sub extremis Imperij Persici temporibus: qui Macedonì occurebat Alexandro tum, cùm infesto exercitu & infenso animo Ierusalem contenderet demoliturus urbem, & gentem excisurus Iudæorum. Et Iesum quidem fuisse Iosedeci filium, ponitur apud omnes in confesso. Nec de numero Pontificum illi succe-

ſuccedentium, uſque ad Ieduam vel Iaddum, lis ulla movetur aut controverſia. Tantummodo qui Nehemiæ eſt Eliazib, Ioſepho memoratur Eliaſim : & Nicephoro Eliaſun. Sed error eſt manifeſtus librariorum, ob ſimilitudinem literarum, β & μ in antiquis exemplaribus. Ioada qui legitur apud Nehemiam, is Iudas dicitur in Ioſepho. Sed & illud etiam vitium eſt à ταχυγράφοις. Nam Ioddas, pro Iudas, eſt reſcribendum. Sed hæc ſunt leviſſima : illud majoris aliquantum momenti, quod in Siculo Chronico reperitur, Ἐσδρας ἀρχιερεὺς παρὰ Ἰουδαίοις ἐγνωρίζετο. *Eſdras apud Iudæos ſummus Pontifex agnoſcitur.* Quod quidem per ſe falſum eſt. Non erat quippe Eſdras is ſummus Pontifex. Et etiam ex ſententiâ & aſſenſu illius Chronici. Nam ſecundùm illum ipſum Chronorapſodum, eo ipſo tempore Pontificatu ſummo fungebatur, non Eſdras, ſed Ioacimus filius Ieſu τοῦ Ioſedeci ; vel potiùs Eliaſib genitus Ioacimo : quod idem Chronorapſodus deinceps prodit, & conſtat etiam ex hiſtoriâ ſacrâ. Non eſt opus excuſemus hoc erratum, quod incuriâ forſitan vel ſupinâ negligentiâ, aut etiam ex ignorantiâ contingebat. Quis enim quantuſve illius Chronici compilator? Poteſt tamen aliquatenus excuſari : Et Eſdras ἀρχιερεὺς ab illo nominari : Primò, quòd Seraiâ ſummo Pontifice genitus, maximâ præditus erat authoritate : atque poteſtate quâdam frueretur ſupremâ, licet extraordinariâ & delegatâ. Secundò, quòd in eâdem domo Pontificiâ, ætate ſuper omnes maximè venerandus & miraculoſâ uteretur. Erat enim, ut dictum eſt, Seraiæ filius, qui cum ſummus eſſet Pontifex, in clade per Babylonios Hieroſolymitanâ interierat, tum tum Zedekias μετῳκίσθη in Babylonem : frater ætate minor Ioſedeci, qui pater erat Ieſu, avus Ioacim, proavus Eliaſibi tum Pontificis, cui propatruus erat Eſdras. Ita ſolus ex omni captivitate vixerat apud Sæculum prius, & in templo adhuc ſtante Salomonis. Vndè factum fortaſſis, ut cum non eſſet ſummus Pontifex, nihilominus ἀρχιερεὺς diceretur : quod priùs in Iehojadâ, illuſtriſſimo dignitatis regiæ vindice, obſervabamus. Neque enim opus eſt ut confugiamus ad Vicariatum quendam perpetuum : quaſi, quod finxerunt imperitiores, illius operâ vicariâ perpetuâ, Pontifex Eliaſib, uteretur. Ionathan vel Ioathan Eliaſibo genitus fratrem habuit Ieſum nominatum, cui Bagoas Eunuchus, præfectus illarum regionum τοῦ Λαοῦ Ἀρταξέρξου, vel potiùs, ut correxit Ioſephus Scaliger Ἀρταξέρξου τοῦ Ὤχου, promiſerat ſe procuraturum ut Pontifex renunciaretur. Qua ſpe fretus ille Ieſus, & de Bagoâ ſecurus, illiuſque operæ & præſidijs confiſus, in certamen deſcendit cum fratre ſuo Iohanane de Pontificatu ſummo : in quo tumultu occiſus interijt. Fuit hoc primum Schiſma, cujus quidem extat memoria, & contentio apud Iudæos de ſummo Pontificatu, ſi unam exceperimus contradictionem Chore, contra nuper ordinatum Aaronem. De Iaddo, mediato iſtius Ionathanis ſucceſſore, memorabile eſt quod magnus ille Perſici Imperij triumphator, illum ſtolâ indutum Pontificiâ, vel potiùs in illo ſacrorum Antiſtite & miniſtro, Deum Iſraelis adorabat. Ita enim rectè obſervat Euſebius. Κατὰ τοῦτον τὸν Ἰαδδοῦν ὁ Μακεδὼν Ἀλέξανδρος Ἀλεξάνδρειαν κτίζει, ὡς Ἰώσηππος ἱστορεῖ. ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἱεροσόλυμα τῷ Θεῷ προσκυνεῖ. Habuit autem Iaddus iſte ſummus Pontifex fratrem Manaſſem appellatum. Duxerat ille in uxorem, contra Legis Moſaicæ præ- *Lib. vij. ἀποδ. pa. 244*

ſcriptum,

ſcriptum, alienam à ſanguine Iſraelis Nicaſonem, filiam Sanballatis Horonitæ. Quam cùm admonitus à Nehemiâ dimittere penitus recuſaret, pulſus, quo fungebatur, ſacerdotio ſuo, ad Socerum Sanballaten ſe contulit, & ab illo ſuſceptus eſt perhumaniter. Ne verò tandem, exilij tædio, & dignitatis illius, quâ quondam in patriâ fruebatur, amiſſione fractus, uxori ſuæ repudium daret, Sanballates ſocer qui id verebatur, cùm non poſſet à Dario obtinere, facilè evicit apud Alexandrum, cujus fortunas ſequutus fuerat, ut in monte Garizim templum ſuo genero ædificaret, æmulum illius Hieroſolymitani, in quo Manaſſes, Pontifex in Schiſmate, ſacerdotio cum poſteris fungebatur. Huic homini Apoſtatæ à religione patriâ adiunxerunt ſe imprimis Samaritani: utpote extranei & ἀλλοφυεῖς, a Iudęis excluſi & faſtiditi. Samaritanis acceſſerunt Schiſmatici Iudæi: ut Doſitheus inter cæteros, Sadducæorum Patriarcha: ut qui vel metu ob patrata facinora, vel ſpe illecti de Iudæâ profugerant.
Cap. 13:28. Hujus rei mentio, ſed obſcurior, habetur apud Nehemiam. Quanquam *filius* eo loco habeatur pro nepote, more ſacris in Scripturis uſitato. Hujus etiam mentio habetur, tacito tamen Montis nomine apud
Cap. 4: v. 20 ſanctum Iohannem in Euangelio. Quem ad locum dum obſervat Ieſuita Maldonatus, montem Garizim vicinum Samaritanorum urbi extitiſſe, idque eſſe in confeſſo apud omnes, non videtur legiſſe Epiphaniam, ſaltem non meminiſſe verborum ejus, pag. XVII. edit. Græcæ, ubi ait, Montem illum vicinum Samariæ, in quo nationum illarum Idola recondebantur, è quibus in Palæſtinam olim tranſlatis, gens Samaritana fuit conflata, σεσυκοφαντημένως κεκλῆσθαι, falſo nomine & mentito ſic appellatum. Rationem reddit. Τῷ γὰρ βουλομένῳ ἀκριβῶς περὶ τοῦ ὄρους Γαριζεὶμ ἐξερευνᾶσθαι, ἰστέον ὅτι πρὸς τῇ Ἱεριχῷ κεῖνται δύο ὄρη· τό τε τοῦ Γαριζεὶμ, καὶ τὸ τοῦ Γέβαλ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου πρὸς τῇ ἀνατολῇ τῆς Ἱεριχῶ, ὡς ἔχει τὸ Δευτερονόμιον καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἡ βίβλος. *Nam quiſquis de monte illo Garizim diligentem inſtituere velit diſquiſitionem, ſciat is oportet quòd vicini quidem urbi Ierichuntinæ duo montes adjaceant trans Iordanem ob Oriente: quorum unus Garizim appellatur, alteri verò nomen* Gebal *eſt: quemadmodum habetur Scriptum in Deuteronomio, & Libro Ioſuæ filij Nave.* Nec diſſentit Hieronymus apud Scaligerum, *Gebal*, inquiens, *mons in terrâ promiſſionis, ubi ad imperium Moiſis altare extructum eſt. Sunt autem iuxta Hierichuntem montes vicini duo, contra ſe invicem reſpicientes: quorum unus Garizim, alter Gebal appellatur. Porrò Samaritani arbitrantur hos duos montes iuxta Neapolin eſſe: Sed vehementer errant. Plurimum enim inter ſe diſtant: nec poſſunt invicem benedicentium ſive maledicentium audiri voces.* Non ergo conſentiunt in hanc rem omnes, montem illum Garizim vicinum eſſe urbi Samaritanæ; quod perperàm proditur eo loco per Ieſuitam Maldonatum. Neque veriùs aſſeritur a Torniello, alterum, & non iſtum Manaſſis ſocerum Sanballaten extitiſſe, qui tot moleſtias Iudæis & Nehemiæ creabat: quod ab illo ponitur in Annalibus ad annum Mundi 3721. Erat enim idem ipſe Alexandro σύγχρονος, qui defecit à Dario ad Alexandrum poſt cladem acceptam ad Arbelam: cui cum in expugnatione Tyri, operam impenderat non contemnendam, paulò poſt, in decrepitâ ætate, obijt, Alexandro urbem Gazam oppugnante. In hac porrò hiſtoriâ de nuptijs Manaſſis cum filia Sanballatis Horonitæ, corrigendus

dus eſt Ioſephus in hiſtoriâ. Non enim legendum eſt, ut in libris editis habetur, τοῦ δὲ ἀρχιερέως ἀγανακτοῦντος τῷ λαῷ, quaſi Iaddus Pontifex iraſceretur populo, ob illum fratrem ſuum pulſum patriâ & Sacerdotio; ac ſi partes fratris ſui ſequeretur, vel illius ſuſciperet patrocinium: Sed perindè atque populus iraſcebatur Pontifex, & malè illum habebat, quòd Sacerdos oleo ſacro delibutus, in legem Dei tam enormiter peccaret. συνηγανάκτησεν autem Iaddus: æquè ferebat hoc moleſtè atque populus. Legi igitur oportet apud Ioſephum συναγανακτοῦντος τῷ λαῷ τοῦ ἀρχιερέως. Pontifice non minùs, quàm populo, indignante. Docet hoc Ioſephus quàm manifeſtiſſimè: apud quem ſequitur in hæc verba, Καὶ εἴργοντος τὸν ἀδελφὸν τοῦ βωμοῦ, *fratrem ab altari, ſuum abigente.* Nam qui fratrem ſuum ideò ab altari ſemovit, certè non minus ægrè, quàm populus factum tulit. Ita facilè conſultum eſt Ioſephi famæ & exiſtimationi, quam pro more ſolenni ſuo Cardinalis fuiſſet depeculatus, ſi in locum incidiſſet Græcè ſcriptum: nam Interpres mendum diſſimulavit. Iaddo defuncto, ſuccedit Onias, filius patri. Quod teſtatur Ioſephus; Antiquit. Libro XI. extremo. Quo tempore Seleucus Nicator è ducibus Alexandri, captâ Babylone, τὸ τῆς Ἀσίας περιτίθεται διάδημα, ut Euſebius habet. Ab hac epoche Græcorum illud regnum auſpicantur, cujus frequens adeò mentio eſt in hiſtorijs Macchabaïcis. In Chronico illo Siculo apud Scaligerum, extat prochroniſmus annorum aliquot. Nam ante regnum Darij Codomanni, Perſarum regis ultimi, Onias, contra fidem hiſtoricorum omnium, Iaddo parenti ſucceſſor datur. Ita erratur in illo Chronico. Genebrardus autem, pecus illud maledicentiſſimum, neſcio quem ſequutus mendacem Rabbinum, Iaddo ſtatim ſubjicit Simonem priſcum. Sed authoritas Ioſephi, diligentiſſimi rerum patriæ ſuæ Scriptoris, ſexcentis Rabbinis, omnium bipedum ignorantiſsimis, apud æquos rerum æſtimatores antiſtabit. Oniam Iaddo genitum ſucceſſor excipit Simon dictus juſtus vel θεοφιλής, (ita Nicephorus in Chronico) Oniæ filius, nepos Iaddi. Hujuſce Simonis præclarum elogium extat apud Syracidem. Fallitur Euſebius, qui præterito Simone, tanti nominis & famæ Pontifice, Eleaſarum ſtatim ſubjicit Oniæ: quem errorem quoque erravit ex Euſebio, Siculi Chronici, quiſquis erat, author. *In viij. ἀποδ. pag. 244.* Μετὰ δὲ τὸν Ονίαν ἡγεῖται τῶν Ιουδαίων ἀρχιερεὺς Ελεάζαρος, καθ᾽ ὃν οἱ ἑβδομήκοντα τὰς θείας ἑρμηνεύσαντες γραφὰς, ταῖς κατ᾽ Ἀλεξάνδρειαν βιβλιοθήκαις ἀνατεθείκασι. Non ſuccesſit enim Eleaſar patri ſuo Oniæ in Pontificatu ſummo, ſed fratri germano Simoni juſto. Neque ut hæres fratri ſuo, ſed veluti ἐπίτροπος & tutor conſtitutus fratris filio: qui parvulus adhuc fuerat à parente, patruo Eleaſaro commendatus: ſed Chronici illius, quiſquis erat, ὁ συῤῥάπτης, cum dediſſet Eleaſarum Oniæ ſucceſſorem; & ad annum tertium Olympiadis CXXIII, decimum numero Pontificem à reditu è captivitate Oniam Simonis filium Eleaſaro ſubſtituiſſet; eodemque anno Ptolemæum ſecundum regnare cæpiſſe in Ægypto docuiſſet: tamen mirandâ quâdam ἀἱστορησία & incogitantiâ pronunciat, Ptolemæum Philadelphum (is ſecundus in ſerie Ptolemæorum fuerat) ἀναθέματα βασιλικὰ ἐν Ιεροσολύμοις, Ονίᾳ, Σίμωνι τῷ ἀρχιερεῖ ἀδελφῷ Ελεαζάρου miſiſſe: regia quædam dona Hieroſolymas, ad Oniam Simonem Pontificem

 maximum

maximum, fratrem Eleaſari: atque ab eo διαζόντων Scripturarum interpretationem Septuaginta ſeniorum impetraſſe. Adeò futilis homo Græculus ſecurè loquitur inter ſe pugnantia, & ab omni hiſtoriâ aliena. Eleaſaro ἐπιτρόπῳ collecto ad patres, ſuccedit Manaſſes, item tutor eidem ejuſdem Simonis juſti filio Oniæ, non autem Pontifex ordinarius ἐκ διαδοχῆς. Qui poſtquam adoleverat Onias, Pontificatu per ſe, ipſe defungebatur, mortuo Manaſſe patruo. Hic verò, tam diù ſub tutoribus Onias, non eſt ille, quod nonnulli exiſtimarunt falſò, cujus meminit hiſtoria Macchabaïca, tanquam optimi Pontificis, præſtantiſsimi civis, patriæ ſuæ amantiſsimi, & divini quoque cultus obſerſervantiſsimi. Nam Ioſephus hunc Oniam, juſti Simonis filium μικρόλογον μικώνιον, parciſsimè tenacem, & ſordidiſsimè parcum extitiſſe docet: nullius rei hominem, nullius pretij. Oniam hunc μικρόλογον διαδέχεται ipſius filius Simon. Sub cujus Pontificatu floruiſſe Syracidem, & librum ſuum, quem πανάρετον vocabant veteres, ediðiſſe, Euſebius in VIII. ἀποδείξεως & in Chronico ſuo memoriæ mandavit. Ad quem locum doctiſsimi & diligentiſsimi Chronologi, quoties legerim, viri profectò eruditiſsimi, ſed nimis interdum ἀλαζονεύοντος, annotationem, non poſſum ſatis admirari perpetuum illud ſtudium, & penitùs inſitum τὸ κακοηθὲς, quo deſcendit ad Euſebio obtrectandum. Non enim, quod fingebat Animadverſor, hunc Simonem ſecundum, illum rebatur Euſebius eſſe, qui dicebatur juſtus: aut Syracidem vixiſſe ſub illo juſto: ſed ſub Pontificatu Simonis, Oniæ τοῦ μικρολόγου filij, & illo Pontifice, librum ſuum πανάρετον compoſuiſſe. Affirmat hunc Simonem, id quod verum eſt, Oniæ filium extitiſſe: ſed non Oniæ illius prioris Iaddo Pontifice geniti, verùm ſecundi Oniæ τοῦ μικρολόγου. Illud autem quod accuſat & flagellat in Euſebio vir eruditus, de Græco fragmento deſumptum eſt, Πανάρετον σοφίαν συντάξας. *Syracides Ieſus*, inquit, *illud fragmentũ, ſapientiam Panareton ubi compoſuerat*, αὐτοῦ τοῦ Σίμωνος ἐμνημόνευσε: ipſius Simonis facit mentionem. Certè iſta, ſi hoc ſenſu Euſebius ſcripſit, non immeritò vapulat Animadverſori. Neque enim meminit iſtius Syracides, ſed alterius Simonis, ſub quo, ſuum librum non compoſuit, cum nondum Ptolemæus Euergetes, illo Simone vivo regnaret in Ægypto. Legendum eſt autem non αὐτοῦ, ſed πρώτου. Niſi forſan dixit αὐτοῦ, pro αὐτόθι, ἐκεῖ. Quo ſenſu docet interdum ſumi, Heſychius doctiſsimus Grammaticorum. Fragmentum porrò illud, cujus tandem vel quantæ eſt authoritatis? undè illud eruerit Animadverſor, dicat. probet profectum ab Euſebio. Neq; enim in VIII. ἀποδ. legitur, quo in loco repetita ſunt, de Panareto. Et utcunq; ſcripſiſſet iſta ὁ τοῦ Παμφίλου, nihilominus cum eo mitiùs agendum fuerat. Leve ſiquidem crimen eſt præ illo, quod ſicco pede tranſijt in Chronico Siculo Caſauboniano. Nam de hoc ipſo Simone ad hunc modum loquitur, ille rapſodus. Σίμων τις προστάτης τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱεροῦ ἀντιπολιτευσάμενος τῷ Ονίᾳ ἀρχιερεῖ, καὶ παντὶ τρόπῳ διαβάλλων τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος Σελεύκῳ τῷ Νικάτορι, καὶ οὐκ ἰσχύσας αὐτὸν κακῶσαι, φυγὰς γενόμενος τὴν πατρίδα αὐτοῦ παραδοῦναι ἐβουλεύσατο. Καὶ ἐλθὼν πρὸς Ἀπολλώνιον τὸν τῆς Συρίας καὶ Φοινίκης, καὶ Κιλικίας στρατηγὸν ὑπισχνεῖται χρήματα. *Simon quidam, templi præfectus Hieroſolymitani, factionis adverſæ Oniæ Pontifici, omni modo gentem Iudæorum apud*

Seleucum

Seleucum Nicatora accuſabat. Cum verò Simonem lædere non poſſet, fugam capeſſit, & patriæ ſuæ proditor factus, Apollonium adit, qui tum præfectus Syriam, Phœniciam, & Ciliciam adminiſtrabat; cui pecunias ſe repræſentaturum promiſit. Hactenus Chronicon illud Siculum, hiſtoriam alludens, quæ Lib. II. Macchabæorum, & cap. III. commemoratur. At Simon ille ὁ προστάτης, ſub iſtius Simonis filio Oniâ vixit, & muneris neſcio quid in templo gerebat. προστάτης non erat τοῦ ἱεροῦ. Gentem ſuam apud Regem proditor nefarius accuſabat. Rex ille Seleucus dicebatur. At non Nicator tamen; ut vigilans ſomniavit nugator ille, qui ante ſæculum in vivis deſierat eſſe: ſed Seleucus Philopator vocabatur, quemadmodum nos Euſebius docuit, qui eandem hiſtoriam, ordine ſuo, & circumſtantijs debitis deſcripſit. Licet idem intelligere ex hiſtoriâ Macchabaïcâ: in quâ ſucceſſor iſtius Seleuci Epiphanes Antiochus nominatur. Simonem igitur excepit Onias tertius: ille, cui Simon, templi ὁ προστάτης, moleſtias creabat, & turbas concitabat apud regem Seleucum Philopatora: at majores deinceps alij apud Antiochum Epiphanem. Vivebat enim adhuc Onias tertius, quum frater ipſius Ieſus, quem hiſtoria Macchabaica Iaſonem vocat, ab Antiocho Epimane (ſic Polybio dicitur vaniſſimus homo, ob furores) ingenti pretio redimit, amoto germano, Pontificatum. Quem ex lege poſtulatum talionis, Menelaus (erat ille fratrum natu minimus) datâ majore pecuniâ, dignitate amotum exturbavit. Qui & ipſe tandem pulſus & ſacerdotio & patriâ, Lacedæmone moritur in exilio. Hoc modo εἰς τοὺς τρεῖς περιῆλθεν ἡ ἱερωσύνη, *Ad treis hoſce fratres, in orbem veluti circumactum pervenit Sacerdotium:* ut Ioſephus ait. Nam ἀλλήλοις ἀντιπαρατασσόμενοι, δι' ἀλλήλων διώλοντο, *Cum invicem ſibi opponerentur, invicem ſemetipſos perdiderunt*; ait Nicephorus. Quorum tamen, quòd erant intruſi, nec legitimè ſuffecti Pontifices, non meminit Euſebius in ἀποδείξει. Ad hunc modum facto venali Sacerdotio, Onias iſte tertius, ſurrogatis alijs, omnium primus ab Aarone, ante obitum ſuum, caruit Pontificatu. Author libri ſecundi hiſtoriæ Macchabaïcæ, Menelaum, de quo dictum eſt, non Oniæ fratrem & Iaſonis fuiſſe vult, ſed Simonis prædicti τοῦ προστάτου germanum extitiſſe. Μετὰ δὲ τὸν τριετῆ χρόνον, ἀπέστειλεν Ἰάσων Μενέλαον τὸν τοῦ προσημαινομένου τοῦ Σίμωνος ἀδελφὸν, παρακομίζοντα τὰ χρήματα τῷ βασιλεῖ. *Triennio demum elapſo, Iaſon miſit Menelaum, prædicti illius Simonis germanum, qui pactam Regi pecuniam tranſportaret.* Qui per aulicos miniſtros Regi commendatus, cum majorem pecuniæ ſummam pollicitus eſſet, εἰς ἑαυτὸν κατήντησε τὴν ἀρχιερωσύνην: *ad ſeſum tranſtulit*, à Iaſone nimirum, *Pontificatum*. Miror hic furioſum Scriptorem Genebrardum, auſum diſſentire ab hâc hiſtoriâ Macchabaïcâ, ſacrâ ſuâ & canonicâ Scripturâ: vel potius mentiri illam auſum, quaſi apud authorem illum Menelaus Iaſoni germanus fuiſſe frater diceretur. Præſertim cum dicatur in eodem illo Scriptore, minimè certè ἀσπονδέως, ortum duxiſſe & originem generis ἐκ τῆς φυλῆς Βενιαμὶν, de tribu Benjamin, & non de Levi. Vide autem quam fidem mereatur Scriptor ille, quod magiſtris noſtris placet, ſacer. Quaſi ullus unquam Pontifex altaribus aſtitiſſet, qui non deſcenderat ab Aarone. Neque hoc ſolum peccat Iaſonis Cyrenæi abbreviator, ſed ulterius Lyſimachum, Menelai illius

illius fratrem, τῆς ἀρχιερωσύνης διάδοχον comminiſcitur. Quem nuſquam, præterquam in hiſce libris,& ex illius libri authoritate, apud Torniellū, & ſimiles partibus addictos, fuiſſe cum ſummo Sacerdotio reperimus. Puduit fortaſſis Genebrardum iſtius ultimi abbreviatoris commenti; ideoque auſus eſt ſecundâ vice, per ſilentium tamen, ſcriptorem ſuum ſacrum deſerere. Prudentèr quidem, ſed non è lege veritatis hiſtoricæ. Menelao ad hunc modum quem diximus Semoto, à patrono ſuo Rege Antiocho, Alcimus à Regis Satrapâ Lyſiâ per vim, contra fas & jus, fit Pontifex maximus. Neque enim erat γένους ἀρχιερατικοῦ, licet tribu ortus & familiâ Sacerdotali: vel Leviticâ ſaltem, ſi Euſebio ſtemus. Quem virum doctiſſimum, dum hoc narrat, pro more ſuo morboque ſolenni ſugillat ſine omni ratione, vir eruditiſſimus Animadverſor. Iſta dum rapiunt feruntque in hunc modum Seleucidæ, δυναστεύοντες τῆς Ἀσίας, & eorum per Syriam, & Phœnicem δημοβόροι, χρηματολαίλαπες Satrapæ, verus Pontifex maximus, ἐκ διαδοχῆς, Onias, ſuperioris Oniæ per Iaſonem ejecti filius(quem deinceps pulſum & loco motū Andronicus per fraudē interemit) exulatum ſuâ ſponte in Ægyptum abijt, conclamatis, ut rebatur, ſuæ patriæ rebus. Antiochus enim, ad hæc ſuperiora Τὰς Ἰουδαίους πολιορκήσας ἑλληνίζειν κατηνάγκαζε, ut Euſebius loquitur. Regnabat in Ægypto tunc Philometor Ptolomæus, quo permittente & perſuaſo, ſibi ſuiſque ſecum convenis & exulibus, templum ſacris peragendis exædificat, in νόμῳ, ut vocabant, Heliopolitano, prorſus ad ſimilitudinem templi illius Hieroſolymitani. Nolebat aliquandiù Rex Philometor conſenſum ſuum & aſſenſum adhibere, propter neſcio quam δεισιδαιμονίαν, donec allato ab Oniâ ex Eſaiâ vaticinio quodam de Altari erigendo in Ægypto, Eſaiæ XIX. XIX. perſuaſus ceſſit petitioni. Conſulendus eſt Ioſephus de cæteris ad hiſtoriam iſtam pertinentibus, Antiquit. XII. XVI. & de bello. VII. XXXVII.

Sect. III.

Catalogus Pontificum à Macchabæis, ad cladem Flavianam. Iudas Macchabæus fit Pontifex & Dux populi. De Aſſamonæis Genebrardi & fortaßis Baronij falſa ſententiâ. Nicephorus notatur. Euſebij inſignis hallucinatio, ab Animadverſore non animadverſa. Sigonij: Ioſephi lapſus. Locus ex Actibus Apoſtolicis explicatus. De ſtolâ Pontificiâ. Baronij error. Locus Hieronymi de eâdem illâ ſtolâ. Ioſephi lapſus de Vitellio Syriæ Præſide: niſi forte alicujus Scholiaſtæ.

ALcimo interfecto, qui per Lyſiam Satrapam intruſus, Pontificatum obtinebat: & Oniâ Pontifice ἐκ διαδοχῆς, ſponte ſuâ exulante in Ægypto, nec de reditu in patriam, vel avitâ dignitate repetendâ

petendâ cogitante: Iudæi Pontificatum unanimi consensu in Iudam tranferunt, Macchabæum cognominatum, Sacerdote genitum Mattathiâ. Non erat autem Mattathias in domo genitus Pontificiâ, erat autem Aronicâ, & Sacerdotali, de vice Ioiaribi oriundus scilicet. Quæ quidem inter classes illas XXIIII, in quas sorte olim David Sacerdotes omnes distribuerat, primum locum & principem obtinebat. Diximus antè in præcedentibus quàm audactèr & temerè Genebrardus, ex aliquo fortassis mendacissimo Rabbino mutuatus, scripsit, non de Levi ortos, sed de Iudâ fuisse Macchabæos. A quâ quidem falsâ, & quia beatissimo Apostolo contradicit, impiâ & blasphemâ sententiâ, ipse Cardinalis Annalista non longè admodum recessisse videtur Augustino Torniello in Annalibus. Iudâ per Bacchidem interfecto, Ionathas primò, tum Simon, fratres occisi, Pontificatum cum Ducatu susceperunt. Simoni succedit Iohannes filius cognomento Hyrcanus. Qui Pontificatu & Ducatu simul per annos XXXI. fruebatur. Vir cum paucis Iudæorum censendus. Bellator acerrimus, qui & Syriæ reges non semel fractos, & eorum Satrapas profligatos pacem cum populo suo colere coëgit: & sub jugum missos Idumæos, optione datâ aggreditur, ut ad sacra ritusq; religionis Iudaïcæ transeant, circumcisione susceptâ, aut sedibus avitis pellantur in perpetuum, nisi velint internecione deleri. Hyrcanum gloriosissimè functum fato suo, excipit filius Aristobulus, qui primus omnium post captivitatem Babylonicam, regnum in Iudæâ, diademate imposito, capessivit. Quod ab illo principe factitatum, nonnulli falsissimè in Alexandrum transtulerunt, Aristobuli istius fratrem & successorem; qui fratrem post anni unius spatium defunctum excepit, & regnum per annos XXVII, crudelissimè grassatus in suos cives, administravit. Prætermisit Nicephorus in Chronico Aristobulum: & in rebus Alexandri enarrandis admodum confusus est, & incertus. Reliquit Alexander filios duos: Hyrcanum natu majorem, quietioris & tardioris ingenij: & minorem Aristobulum. Sed mater eorum Alexandra, virilis animi fœmina, nondum adultis liberis, regnum strenuè per novennium ferè administravit, Pharisæorum factioni & sectæ addictissima. Quorum obsecuta consilijs, plures olim ministros Alexandri regis mariti sui defuncti, interficit. Memores enim illi injuriarum, quibus erant ab Alexandro affecti, in ultionem hanc fœminam instigarunt. Alexandræ defunctæ succedit Hyrcanus natu major, quem mater prius Pontificem declaraverat. Hyrcanum hunc, secundum Iohannem vel Iannæum Nicephorus appellat, & per imperitiam aut incuriam, neglectis Aristobulo & Alexandro, superiori Hyrcano successorem suggerit immediatum. Post matris obitum, (cujus novennium Eusebius in ἀποδείξει ἀναρχίαν non immeritò censuit appellandum) Hyrcanus vix tres menses cum Imperio fuerat, cum pellitur à minori fratre Aristobulo. Qui illo pulso, succedit. Sed ejicitur ipse per Romanos. Στασιασάντων γὰρ πρὸς ἀλλήλους τῶν ἀδελφῶν, ἐπιστὰς τοῖς Ἱεροσολύμοις Πομπήϊος Ῥωμαίων στρατηγὸς ὤν, αἱρεῖ μὲν πολιορκίᾳ τὴν πόλιν, μιαίνει τε τὰ ἅγια, μέχρι τῶν ἀδύτων τοῦ ἱεροῦ προελθών. *Decertantibus ad hunc modum inter se fratribus, advenit Hierosolymas, Dux Romani exercitus Pompeius, qui tunc, victo Mithridate, Romana arma per Orientem circumferebat. Is ubi urbem*

Hierosolymitanam cinctam obsidione cepisset, sacra Iudaica profanavit, usque ad sancta Sanctorum progressus. Qui τὸν προειρημένον Ἀριστόβουλον ἐκ πέμψας δέσμιον ἐπὶ Ῥώμης, τῷ τότε ἀδελφῷ Ὑρκανῷ τὴν ἀρχιερωσύνην παραδίδωσι, τό, τε τοῦ ἔθνος ἐξ ἐκείνου ὑποτελὲς Ῥωμαίοις κατεστήσατο. Ad hunc modum Hyrcanus in regnum restituitur per Romanos. Sed pellitur secundò ab Antigono Aristobuli filio, Parthorum regis auxilio & copijs subnixo. Atenim Romanis Hyrcani partes tuentibus, Antigonus victus & profligatus ab Herode & C. Sosio M. Antonij, per Iudæam & Syriam legato, & captus, ad Antonium mittitur, per quem, crudelem in modum occiditur. Hyrcanum autem Parthi, dùm tuentur & propugnant res Antigoni, captum, & membris quibusdam, ex adversarij consilio mutilatum, ineptum Pontificatûi administrando, propter Legem prohibentem mutilum delumbatumve altaribus admoveri, sic dimittunt. Atque ita mutilo & inepto Hyrcano reddito: Antigono per mortem immaturam & crudelem sublato: Ananelum quendam, non adeò nobilem, (quem ineptè cum Annâ de quo meminit Scriptura, Beccesseleni quidam confundunt,) Babylone accitum, Herodes subvexit ad Pontificatum. Erat ille, non à sacris alienus: non è tribu alienâ, ut existimant, nedum è proselytis, ut impostor magnus Philo ex Annij Viterbiensis officinâ docet, sed stirpis Aaronicæ & Sacerdotalis, licet nequaquam Pontificiæ, nec Assamoneæ. Verùm enimvero, Hyrcani Pontificis filia, virilis animi fœmina, Alexandra, cum non pateretur hanc indignitatem, in gentis suæ, & patris contumeliam irrogatam, ita per Cleopatram apud M. Antonium egit, ut Herodes, semoto demum veteri suo amico Ananelo, Pontificem designare coactus fuerit Aristobulum, ipsius Alexandræ filium, fratrem germanum Mariamnes, quam duxerat jampridem in uxorem Herodes. Quem sic juvenem, utpote XVIII. annos, nec plures, natum, Pontificem designatum, non multo post curavit, nequissimus homicida, suffocandum in piscinis Hierichuntinis, cum per annum integrum, non ulterius, Pontificatu summo fungeretur. Eo sic crudelissimè extincto, Ananelus denuò restituitur, Hyrcano etiamnum, misero illo sene, in vivis agente: quem & ipsum, non ita multo post, superato ad Actium promontorium Antonio, cujus partes, tanquam Cliens patroni sui, juverat enixissimè, dum eventu dubio, & fluctuante spe, ad Cæsarem victorem properaret, ἀναγκαίως potiùs, quod observat Iosephus, quàm ex animi sui voluntatisque sententiâ, curavit interimendum. In Chronico autem Siculo, illum Aristobulum, Hierichunte interfectum ab Herode, υἱὸν Ὑρκανοῦ *Hyrcani filium*, appellatum legimus. Falsò. Nisi librariorum incuriâ & negligentiâ factum: cum υἱωνὸν scribere deberent. Erat enim Aristobulus, non Hyrcani filius, sed è filiâ suâ nepos. Et tamen error idem in Nicephoro resedit. Sed uterque Chronorapsodus excusandi præ Eusebio, apud quem hæc leguntur inconsideratè posita, & inconsulto consilio. *Herodes Hyrcanum, qui olim Sacerdos Iudæorum fuerat, de captivitate Parthicâ regressum, & filium ejus, qui successerat in Sacerdotio Patris, interficit. Sororem quoque ejus, uxorem suam, cum duobus proprijs filijs, jam adolescentibus necat crudelissimè.* λῆρος ἐπὶ λήρῳ. Non enim Mariamne, illa uxor Herodis, quam intelligit Chronicon, Hyrcani filia sed neptis fuerat.

Neque

Neque Ariſtobulus Hyrcano genitus erat, ſed Hyrcani filiâ, Alexandrâ. Neque ſtatim interemit è captivitate Babylonicâ regreſſum. Miror equidem hunc errorem, tam ſupinum & palmarem, acutiſſimum & oculatiſſimum Animadverſorem non attendiſſe; quin ipſum, cum Euſebio erraſſe. Non enim poterat aliquid in hiſtoriâ, magis alienum à Veritate excogitari. Ananelo tandem, ut opinor, defuncto, ſufficitur Ieſus Fabeli filius. Illi autem Simon Boethi, Herodis ſocer. Simonem excipit Matthias Theophili. Hoc Pontificatum adminiſtrante, contigit ut per unum diem alius Pontificis munus obiret: Ioſephus Ellemi filius. Matthias etenim propter nocturnas pollutiones ſacra tractare, ſed nec ijs intereſſe, poterat. Errat hic Sigonius, qui Ioſephum hunc Ellemidem, perpetuum Matthiæ depoſito ſucceſſorem ſurrogatum ſcribit. Non enim Ioſephus, ſed Ioazarus, Simone Boëthi genitus, Matthiæ ſucceſſit. Sub cujus Ioazari Pontificatu, myſterium illud magnum Patribus promiſſum Mundo innotuit revelatum: æterni nempè Patris verbum æternum, factus homo. Succeſsit Ioazaro, Eleaſar. Sed nullo modo debet præteriri, quo in Pontificum iſtorum hiſtorijs recenſendis, accuratiorem Ioſephi diligentiam cogor deſiderare. Ait enim Ioazarum ab Archelao depoſitum, & ſurrogatum depoſito Eleaſarum. Et nihilominus poſt hæc tempora, in Sulpitij Quirinij ſecundâ ἀπογραφῇ, tumultuantem multitudinem ſeditioſiùs, compeſcit ille Pontifex; & tandem coactus ab ingrato homine Quirinio in ordinem, ſucceſſorem accipit Ananum filium ſuum, eum ipſum qui hiſtoriæ ſacræ Scriptoribus Annas nuncupatur. Hæc ſunt ἀσύστατα, niſi forſan, quod fiebat interdum per illa tempora, ubi confuſiſſimâ rerum & magiſtratuum ratione omnia ſuſque déque agebantur, poſt alios atque alios in ordinem redactos, iterum ſit adeptus Pontificatum. In quo tamen ipſo Ioſephus non excuſatur. Quippè pati non debuerat nos hoc ignorare. Eſt certè veroſimile ita factum: præcipuè cùm hoc ordine à Nicephoro recenſeantur: Eleaſar, Oze, Ieſus, Ioazar, Annas; quem Gratus Romanorum in Iudæâ præſes coëgit abdicare, Iſmaële ſubſtituto Fabi filio: cui datus ſucceſſor Eleaſar Annæ ſuperioris filius, uti Eleaſaro Simon Carmithi: & tum Ioſephus Caiphas Annæ gener, qui diutiùs tenuit Pontificatum. A Caiphâ numerantur iſti, Ionathan, Theophilus, Simon Canthuri, Matthias. Quem ſequitur Ionathan, apud Nicephorum, denuò reſtitutus. A quo deinceps enumerantur iſti: Ælioneus Canthuri filius: Ioſephus Cami, vel ut alibi legitur, Carmidæ, nempè apud Ioſephum in hiſtorijs. Eſt autem prætermiſſus à Nicephoro. Sequitur iſtum Ananias: idem ille qui Sanctum Paulum cum juberet percuti, *paries* ab eo dicitur *dealbatus*. Mirum verò non eſt, beatum Apoſtolum, id quod ipſe affirmat, neſcijſſe quòd eſſet Pontifex, cum per ſingulos penè annos mutarent illi per ea tempora, Pontificatum. Herodes etenim Chalcidis toparcha, illud juris & privilegij obtinuerat ab Imperatore Claudio, ut promoveret, amoveret, extruderet, ſubrogaret quoſcunque tandem & quotieſcunque ipſi placeret. Ananiæ ſucceſsit Iſmael, cui Ioſephus Cabus: illi Ananus. Quorum nullus

nullus legitur in Nicephori Chronico. Proximus venit Iesus Damnei: & tùm Iesus Gamalielis: quem excepit Mathias Theophili, ἐφ' οὗ ὁ πρὸς Ρωμαίων πόλεμος ἤρχθη, quo Pontificatum administrante, bellum cum Romanis conflatum est. Matthiæ Phinees successit ultimus ab Aarone Pontifex, cùm urbs & templum desolaretur. Divinâ prorsus admirandâ providentiâ factum creditur, ut in fine & periodo politiæ Iudaïcæ, Pontifex ὁμώνυμος agmen clauderet illi, qui in Israel omnium primus, principatum in sacris obtineret, cum secundùm patribus pactum fœdus, in terram promissionis introducti, inter gentes censerentur. Quod & ipsum licuit in imperio Romano, de Augusto & Augustulo: in Constantinopolitano, de Constantino & Constantino, notare. Certè post Phinees hunc de quo diximus, nec juge Scrificium in perpetuum: nec Sacerdotium fuit deinceps in Israel. In Iudâ igitur Macchabæo si Alcimum exceperis & Menelaum, qui vix salutato Pontificatu disparuerunt, Sacerdotium illud summum a gente translatum ἀρχιερατικῇ in aliam, consedit, cùm, quod non incongruè potest statui, non extarent in Iudæâ hæredes alij post Oniam profugum in Ægyptum. Violata est iterum successio in Ananelo. Et tùm deinceps susque deque habita per Romanos. At illi tamen omnes per hæc ipsa tempora συρφετώδη, & rerum scenam confusissimam, nullum sacris altaribus admoverunt nisi γένους ὄντα ἱερατικοῦ. Legem Sacerdotij de termino vitæ primus omnium Antiochus Epimanes irritam fecit, ἀφαιρεθεὶς Ἰησοῦ, is Iason erat, καταστῆσαι δὲ βουλόμενος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Secundus violavit Aristobulus, qui germanum suum pepulit Hyrcanum. Tertius ille omnium scelerum colluvies Herodes. Promiscuè deinceps Reges, & Romanorum præsides stolam donabant & auferebant Pontificiam. Erat autem illa stola, velut insigne quoddam Sacerdotij summi, non regni hæreditaria, quod perperam scripsit Cardinalis. Quam redactam in suam potestatem sacrorum illi turbines, cui volebant induentes, divina & humana jura omnia in sacris permiscebant, regni interim separatâ possessione. Erat autem hæc stola, ipsis *mehil* dicta, (quod docet Iosephus, quam vocem Pagninus vertit, pallium) vestimentum talare, hyacinthino colore, quod Hieronymus ad Fabiolam sic describit. *Mehil, est tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, & in superiore parte, quâ collo induitur, aperta, oris firmissimis ex se contextis, ne facilè rumpatur. In extremâ parte, id est, ad pedes,* LXXII *sunt tintinnabula, & totidem mala punica eisdem contexta coloribus, ut cingulum. Inter duo tintinnabula vnum malum est: Inter duo mala unum tintinnabulum, ut alterutra sibi media sint.* Sed Iosephus, cui potius, ut Iudæo, & Sacerdoti, & αὐτόπτῃ assentimur, manicis hanc stolam caruisse docet. Erat olim ὑπὸ σφραγῖδι τοῦ ἀρχιερέως, καὶ τῶν γαζοφυλάκων: deinceps in Bari, illâ turri reponebatur, oppressâ Iudæorum repub. per Herodem. Quam turrim, templo vicinam, Hassamonæi construxerant, Iosepho teste: Herodes verò amplificatam, *Antonij turrim*, de nomine amici sui nuncuparat. Hìc erat reposita illa stola sub custodiâ τοῦ φρουράρχου. Ea autem semper, πρὸ μίας ἡμέρας τῆς ἑορτῆς ἐπὶ τὸν Ρωμαίων φρούραρχον ἀναβαίνοντες οἱ γαζοφύλακες, καὶ καταμανθάνοντες τὴν ἑαυτῶν σφραγῖδα, τὴν στολὴν ἐλάμβανον; Ita Iosephus in Antiquit. Qui tamen scripsit alibi, septem dies ante festum, tradi solitam hanc

hanc ſtolam Pontificibus. Quod cum è Ioſepho referret in Annales, vir illuſtriſsimus, miror non animadvertiſſe Ioſephi lapſum & hallucinationem, cum plerunque fruſtra & ubi non eſt opus, nodum in ſcirpo apud illum quærat. Conſummato Feſto, eandem ſtolam, in eundem locum obſignatum, referebant, & præſidi Romano ſigilla ſua oſtendebant. Fiebat hoc quotannis ter, τοῦτο ἐπράττετο τρισὶν ἑορταῖς τοῦ ἐνιαυτοῦ: ait idem in XVIII. Antiquit. An igitur ter in anno, neque pluries hanc ſtolam Pontifex induebatur? An ter tantummodo rem divinam faciebat? Videtur; nam ἐν τρισὶν ἑορταῖς, majoribus illis & legalibus, Ioſephus ait. Et ὅταν δέῃ θύειν. Ex officio, ſcilicet, & de more. Stolam hanc à cuſtodibus, γαζοφυλάκες erant, conſuetis, omnium primus Herodes ad ſe tranſtulit. Illo autem defuncto, & in ordinem coacto Archelao, erat penes Romanorum præſides & præfectos, uſque ad Vitellium. Is quòd erat à Iudæis perquam honorificè ſuſceptus in provinciam, θέλων αὐτοὺς τῆς εὐποιΐας ἀμείψασθαι, γράψας περὶ τούτων Τιβερίῳ, conceſſit ut hanc ſtolam ſub ſuâ ipſorum cuſtodiâ haberent. Manſit ad hunc modum in cuſtodiâ τῶν γαζοφυλάκων Iudaicorum, uſque ad exceſſum prioris Agrippæ, cùm Longinus Caſſius Syriæ præſes, & Iudeæ procurator Cuſpius Fadus, in turrim Antoniam curarint denuò deportandam. Ῥωμαίους γὰρ αὐτῆς εἶναι δεῖν κυρίους, καθὼς καὶ πρότερον. Mittunt Legatos Romam de hâc injuriâ queſturos Iudæi. Agrippa junior, qui per illa tempora, Romæ verſabatur, hoc ab Imperatore impetravit, ἐντειλαμένου τῷ Οὐιτελλίῳ τῷ τῆς Συρίας ἐπὶ στρατηγῷ. *Qui Vitellio Syriæ præſidi illud dedit in mandatis procurandum.* Ergone Vitellius Syriæ bis præpoſitus? Ergo, quod ipſe ſuâ ſponte impetraverat à Tiberio, opus erat ut juberetur Iudæis concedere? Omnino falſum. L. Vitellius Syriæ ſub Tiberio præfuit: Non ſub Claudio, quando Iudæam procurabat Cuſpius Fadus. *Ingreſſus eſt hanc præfecturam*, Suetonius ait, *ſtatim à Conſulatu ſuo.* Conſentit Tacit. An. VI. ponit enim Conſulem cum Paulo Fabio, ad annum V. C. 787. & in rebus geſtis ſequentis anni, ait, *Cunctis quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit.* Biennio ante Tiberij exceſſum ſub Caio agebat in Oriente, & Parthorum regem ad veneranda ſigna Romanorum miris artibus induxit. De illo Suetonius. *Artabanus Parthorum rex odium ſemper contemptumque Tiberij* *In Caio cap. 14.* *præ ſe ferens, amicitiam Caij ultro petijt: venitque ad Legati Conſularis colloquium, & tranſgreſſus Euphraten, aquilas & ſigna Romanorum, Cæſarumq; imagines adoravit.* Sub exceſſum Caij, de ſalute ſuâ anxius, propter indulgentiam in Iudęos, de non recipiendis nedum adorandis ipſius imaginibus, per interitum tyranni periculo exemptus eſt. Quanquam alij Petronio hoc & veriùs adſcribunt. Reverſus è provinciâ, mox cum Claudio, authore Suetonio, duos ordinarios Conſulatus & Cenſuram geſſit. Neque legimus illum deinceps, ſecundâ vice, ad Syriam ordinandam profectum fuiſſe. Error ideò non levis in Ioſepho reſedit: niſi fortè, quod opinor, locus ſit depravatus, & alterius alicujus nomen pro Vitellio ſit reponendum. Atque hæc à nobis eſto, de Pontificibus Iudaicis declarata. In quorum catalogo nullus Iſachar reperitur: neque pater Baptiſtæ Zacharias. Quem non pauci tamen inter veteres Patres inter ſummos Pontifices recenſuere, & cum primis Chryſoſtomus ὁ πάνυ.

Demonſtr. lib. viij. pag. 247.

Concludit Euſebius, accommodatè. Οὐ μόνος δ' ἄρα Ὑρκανὸς, Χριστὸς ὢν, καὶ τῶν πάλαι ἀρχιερέων ὕστατος, ἐξεκόπη· ἀλλὰ καὶ ἡ ἐκ προγόνων ἄνωθεν, ἐκ τῶν πρόπαλαι ἀρχιερέων κατιοῦσα διαδοχὴ, αὐτό τε τὸ κατὰ νόμους χρίσμα οὐκ ἔτι κατὰ κρίσιν γινόμενον, ἀτάκτως, δὲ καὶ συγκεχυμένως, οὐ κατὰ τὰ παρὰ Μωσεῖ νενομοθετημένα, συνέτρεχε δὲ ὁμοῦ πάντα ἀκολούθως τῇ προφητείᾳ φησάσῃ, ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. Nihil igitur reſtabat aliud, quàm ut fidelis ille Pontifex inungeretur : Qui meliora ſacrificia inſtauraret, ſecundùm ordinem Melchiſedeci, manſurus Pontifex in æternum, Ieſus Chriſtus æterni Patris, filius coæternus & coæqualis.

Sect. IV.

De Annâ & Caiphâ Pontificibus Iudæorum apud Evangeliſtam, diſſertatio Baronij vaga, & incerta. Difficultates facit, non invenit in illâ hiſtoriâ Multa incommodè per illum ſtatuta. De vicario Pontificis, hallucinatio. De Vicario Epiſcopi. Sententia multipliciter diſcutitur. Euſebius contra Cardinalem defenſus.

VIcina huic præcedenti diſquiſitioni de Iudæorum Pontificibus ab Aarone, ad Templi deſolationem, & jugis ſacrificij ceſſationem, Sacerdotijque abolitionem in æternum, eſt illa altera quæ in particulari extat apud doctiſſimum Cardinalem, de Annâ & Caiphâ Sacerdotibus ſummis. Horum extat aliquoties cùm ſeparatim tum conjunctim mentio apud Scriptores noſtros ſacros. In Actibus Apoſtolicis, & Evangelio. Act. IV. VI. Annas ἀρχιερεὺς commemoratur, & Caiphas recenſentur inter Sacerdotes. In hiſtoriâ paſſionis Mar. XIV. LIII. ducitur Ieſus ad Pontificem. Is Pontifex Matth. XXVI. LVII. dicitur fuiſſe Caiphas. Et quidem reſtrictiùs Ioh. XI. XLIX. *Pontifex illius anni :* ubi dat conſilium, *Expedire ut unus pro populo moreretur.* In baptiſmi hiſtoriâ ſignatur tempus hoc charactere : *Annâ & Caiphâ Pontificibus.* Cur verò Princeps Sacerdotum dicatur Annas : Annas & Caiphas ſummi Sacerdotes ſcur appellentur : Caiphas Pontifex illius anni : multa ſunt à multis, & quidem diſſentaneè, diſputata. Illuſtriſsimus Baronius ad annum Chriſti XXXIV, ſectione CCLXV, nos remittit ad ea quæ ſuperiùs fuerant ab ipſo, de his quæſtionibus diſputata. Intelligit autem, opinor, ad annum Chriſti XXXI, ſect. VIII. & ſequentibus. Ad quem locum remiſſi, ut hoc admoneamus, multa incommodè diſputantem virũ doctiſſimũ animadvertant. Quò primũ appulſi, terriculamento neſcio quo de ſummâ difficultate, objecto, pallere & horreſcere incipiant neceſſe eſt, eò quòd tam nobilis ipſe athleta, & multorũ in hiſtoriâ ſacrâ monſtrorũ domitor, *Rem eſſe miris involutã difficultatibus* pronuntiet. Sed cum ſæpiùs per Annales hujuſmodi difficultates prætendantur, ijs tanquam μορμολυκείοις territandis pueris, vel inanibus quibuſdam crepitaculis aſſueti, pedem porrò promouemus, futurũ potiùs autumantes, ut tanquã umbrarum olim φαντασίαι, majores vero compareant imagines ; & tenebræ ab

ab ipſo potiùs Annaliſtâ offuſæ, & clariſsimæ veritatis luci obductæ videantur, quàm quoquo modo reſultantes ab hiſtoriâ, aut è rei ſubjectæ materiâ & naturâ exortæ judicentur. Imprimis quidem illud in fronte militat, & tanquam primam aciem inter omnia ducit, quod tanquam quoddam effatum ex oraculo, Baroniana nobis commendat authoritas, ſi non αὐτὸς ἔφα: Nimirum, unum tantummodò & non duos ſimul ſummos Sacerdotes, & ante & poſt hæc tempora in Iſrael, ab Aarone primo & principe, ad cladem uſque Veſpaſianam, rebus ſacris apud Iudæos, præfuiſſe. Quod cùm neceſſariò, omni tempore obtinuerit, pari quoque poteſtate præditi poſſunt eſſe Annas & Ioſephus Caiphas, & unà ſimul ſummo fungi Sacerdotio. Accedit ulteriùs, adeò in anguſtias, & duras quaſdam Neceſsitatis conditiones, concluſam & contruſam eſſe iſtius Pontificalis dignitatis λειτουργίαν, ut ſummus ille Pontifex, ex omnibus ſolus, ab omni retro antiquitate ſolus, nequeat, vicarium aliquem, vel agentem in rebus & miniſtrum conſtituere, niſi admodum rariſsimè, idque extremâ quidem urgente, & ineluctabili neceſsitate; qui muneris ſui partes & rationes obeat. Ideò nullo modo dici vel tolerari poſſe aut debere, Annam tanquam ſuppoſitum Caiphæ & ſubordinatum fuiſſe, quoties in rem præſentem adeſſe ipſi vel non liberet aut non liceret. Certum autem eſſe ex hiſtoriæ ſacræ teſtimonio, conſpirante etiamnum Ioſepho, Caipham revera geſsiſſe maximum Pontificatum, & Annam hujus generum extitiſſe. Hoc effatum Cardinalitij oraculi ſi paſsim & ubique ſine ullâ prorſus diſpenſatione obtineret, vel indulto cuicunque privilegio, certè vetus illud verbum jure meritoque quid ni obtineat, *Væ Soli?* Væ noſtro huic Pontifici, quia Soli. Quia ſolus eſſe, ſine ullo conſorte, ſolus de neceſsitate indiſpenſabili tenebatur. Maximis profectò difficultatibus, præ cunctis mortalibus obſeſſus tenebatur Iudæorum Pontifex, & ſacrorum præfectus, qui ſui Sacerdotij partes omnes & ſingulas, ſuæ λειτουργίας munera, in perſonâ propriâ, ſine ullo legitimè deputato vel locum tenente, omni tempore obire tenebatur. Fugerent hoc officium adeò moleſtum, non autem ambirent, opinor, qui vitâ vitali carere nollent, neque carceri perpetuo mandari. Benè autem habet omnino, quòd poſtremis Iudaicæ politiæ temporibus, cum ſtolam illam Pontificiam, ſub cuſtodiâ tam arctâ conſignarent, ter in anno quolibet, neque pluries, ſummus ille Sacerdos ſacris adeſſe debebat neceſſariò: aliàs forſan genio, indulgere & ingenio: voluptatibus, officijs negotijs, otio ſuo, ſuorumque vacare: quâ licentiâ μεταγενεστέρων, & libertate, illi non nimis remoti ab Aarone, vel Zadoco principe in templo Salamoniaco Pontifices carebant. Non enim aliter, opinor, fieri, quàm modo quo diximus, poterat, cum nec duo ſimul eſſe poſſent, cenſente Baronio; nec uni illi ſacrorum præfecto, μονήρει, ſolivago & ſolitario, adjungi ſocius, ſubſtitui vicarius deberet, ullo modo: *Niſi fortè,* (benè autem habet, quòd tandem, *niſi fortè) vehementi urgente neceſſitate.* Huic autem gratiæ quam ampliſſimæ neceſſitati, quâ urgente, vicarius ſubſtitui poterat. Præ quâ ſi non eſſet, ἄβιοτος ille βίος Pontificum Iudæorum cenſeretur. Certè, δεινὴ alioquin Θεὸς ἀνάγκη, hoc

in loco, hac urgente rerum scenâ, περίγειος affulgebat. Nam per fortuitam pollutionem nocturnam contaminato Pontifici, tum cùm sacra facere deberet, vicaria conceditur administratio; quoniam rem ita olim gestam, in confesso erat positum apud Iosephum. Sed an casus ille solitarius, vir doctissime? mallem hic mentitum Iosephum diceres, & turpissime lapsum in narratione, id quod sæpiùs ingeritur in Annalibus, ab illustri Historico admissum. Quid si autem gravissimo conflictaretur morbo? Quid si leprâ laboraret vel diuturna vel incurabili? Quid si captivus ab hostibus abduceretur? Si in cunis ab excessu parentis sui, cum Pontificatus apud eos esset ἐκ διαδοχῆς, vagiret infans? Quid si casus hisce similes indispensabiles, ineluctabiles, qui multi certè possunt commemorari, occurrissent? debatne sacris justitium indici? claudi Templum? cessare sacrificium? Sanctuarium minimè intereà reserari? munus Pontificale illud penitùs intereà interquiescere? haùd credo pronuntias, *Ita est*, vir illustris, ἀλλ' ἔτω πεύφασιν, ut affirmes. Aufer ergo interdictum de potestate vicariâ. In crucem vel morbonium, importunè effatum, *Ad modicum temporis spatium.* Non enim adeò sunt coacta, ut penitus dicatur non licere, quod interdum licet. Et quod licet in aliquibus ad modicum temporis spatium, cur non etiam diutiùs; durante eâdem necessitate, non liceat? Recitat insignem casus necessitatis ineluctabilis, Cardinalis è Iosephi Antiquitatibus, & nos eandem in præcedentibus semel attigimus, atque iterum; de Matthiâ Pontifice humanitùs quiddam passo. Addere poterat & alium ex eodem Iosepho, in diversâ quâdam, non minori necessitate. Eleasar enim ille, quem Pontificatu fungentem Hierosolymis, Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti ὁ φιλόβιβλος, per literas convenit, & legatos, de Scripturis in linguam Græcam transferendis, ἐπίτροπος erat; Curator scilicet, ideoque Vicarius credo, sui fratris filio Oniæ pupillo & parvulo derelicto constitutus: ut & patruus item alter Manasses, Eleasaro majore natu jam defuncto; donec ipse pupillus adultior factus, munus ipsum obiret Pontificale. His positis, quæ sunt in historijs testatissima, supponamus, vir erudite, id quod nequaquam est τῶν ἀδυνάτων, Annam Pontificem, vel morbo gravissimo implicitum & diuturniore, vel ineluctabili quâvis aliâ necessitate impeditum, generum suum Caïpham sibi substituisse. Hic jam, quidni dicere poterat beatus Evangelista, *Annâ & Caiphâ Pontificibus?* Aufer illud ergò tuum, nam falsissimum est, ἀπόφθεγμα, *Scimus vicariam ejusdem Sacerdotij præfecturam, nemini solere concedi.* Contrarium etenim scimus, & sciunt omnes, qui de Iudæis Pontificibus scribunt aliquid. Scimus Vicarium substitui & posse, & solere. Sed an ordinariò & de jure? in quocunque demum casu? cum liberet ipsis non adesse? vel cum essent aliter impediti? hoc, nescimus utique. Ἀρχιερεὺς δεύτερος aliquando dicitur: ut, verbi gratiâ, Zephanias, II. Reg. XXV. XVIII. Sed probandum liquidissimò restat, Dictum eo loco *Secundum Pontificem*, quòd Vicarius Pontifici, & quasi adjutor quidam esset ordinarius. Viri maximi nominis in his literis ita sentiunt. Mallem potiùs, egissent quod res postulat, & hoc docuissent argumentis, quàm nudâ, quod solent, asseveratione. Secundus enim dicitur aliquis multis modis. Tempore,

ætate,

ætate, dignitate, ortu, & officio. Non ſtatim vicarius eſt alicujus prioris, qui ſecundus ab illo numeratur. Nam quòd Abihuum vicarium extare debuiſſe Nadabo contendunt: & Ithamarum Eleaſaro ſuo fratri, novum eſt commentum, gratis dictum, excogitatum gratis, Scripturæ ſacræ deſtitutum authoritate, & in Eccleſiæ interpretatione atque praxi inauditum. Coadjutores Pontifici dari potuiſſe non abnuerim, exigente quâdam neceſsitate, neque probat contrarium Cardinalis: ſed datum Pontifici perpetuum vicarium, è contra, non probabunt viri eruditi. *Conjunxit Evangeliſta*, inquit Euthymius, *Caipham tanquam adjutorem. Erat enim gener Annæ, & communem inter ſe gubernationem habebant. Siquidem poſtmodum etiam Annas opitulabatur Caiphæ in Pontificatu illius.* Epiſcopatum apud Chriſtianos, Pacianus appellat *Ius & fas Sacerdotij ſingularis*. Erat enim prohibitum in Concilio Nicæno, ut plures uno Epiſcopi, uni Eccleſiæ præſiderent. μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν. Quæ ſanctio licet per factionem interdum, & ambitionem in aliquibus locis antiquaretur, ut cum Paulinus & Meletius ſedem obtinerent Antiochenam, tamen religioſiſsimè à Catholicis & Orthodoxis obſervabatur. Violari deinceps viſa eſt in Eccleſiâ Græcâ, cùm ſequentibus ſæculis Syncellos ſibi Epiſcopi deſignarent. Et in Latinâ, cum Suffraganei, & Coadjutores uſurparentur. Quod indoluit in ſe tentatum beatus Auguſtinus, cum datus Valerio Hipponenſi Epiſcopo *coadjutor*, contra Canones Nicenos hoc fuiſſe tentatum, ſe profitetur ignoraſſe. Sed diverſa ratio Synagogæ, & Eccleſiæ. Non eadem veteris teſtamenti & novi politia. Sunt autem qui contendunt receptum apud Iſraelitas vetuſtâ conſuetudine fuiſſe, ut duo ſummi Sacerdotes in Dei populo ſemper perpetuis temporibus proderentur, qui vicibus alternis deberent ſummo fungi Pontificatu. Atque ita intelligendum volunt Annam ſimul cum genero ſuo Caiphâ, Pontificatum adminiſtraſſe. Mirum tamen cùm toties in Scripturis mentio illorum habeatur, qui diverſis temporibus in Iſraele Pontifices recenſentur, nuſquam duorum, ut hoc in loco, ſed unius tantùm meminiſſe Spiritum Sanctum. Addunt per nullam à Deo latam Legem hoc prohibitum. Huc etiam referunt, & hinc exponunt, certè multò rectiùs quàm viri aliàs eruditi, de vicarijs ſuis, id quod ſcriptum eſt primo Paralip. cap. XXIIII. II. *Sacerdotio functus eſt Eleaſar & Ithamar.* Huc, & hinc, quod temporibus Davidis certo certius conſtat fuiſſe uſurpatum, cum duo eſſent è diverſis lineis ab Aarone Sacerdotum principes, Zadoc & Abiathar, qui coram Domino, cincti Ephod, miniſtrabant. Et profectò hoc adeò clarum eſt de duobus ſimul ſummis Sacerdotibus in Iſrael ſub imperio Davidico, ut nullis gloſſematum vel ſtropharum technis eludi queat, vel detorqueri. Sed cum factum eſſe conſtet, conſtat etiam nequaquam contra Dei legem fuiſſe factum. Non enim David παρανόμημα tam enormia toleraſſet. Nedum author illius facti, vir religionis patriæ tenaciſsimus, populo ſuo extitiſſet. Factum ne fuerit ex ſpeciali quâdam diſpenſatione, an de Lege communi non prohibente, controvertitur inter quoſdam eruditos. Videtur potius diſpenſatio & οἰκονομία. Cum Zadocus modo quodam particulari, typum geſſerit illius Pontificis τοῦ παιδὸς, in quem Abiatharis, hoc eſt,

Moſaïcum

Can. viij.

Epiſt. 110.

Moſaïcum Sacerdotium omne, transferebatur, qui perpetuo fungi debuit, futuris temporibus, Pontificatu. Subiungit Cardinalis, non poſſe conſtare, ut per vices fungerentur Sacerdotio,& quaſi alternatim ſacris præeſſent. Quæ ſententia, in duobus ſimul Pontificibus omnino videtur explodenda. Et prætereà doctiſſimi illius Auguſtini judicio ſubnixa, non tam facilè debuerat faſtidiri. *Iſti ambo Pontifices,* ait vir ille longè doctiſſimus, Tractatu in Iohannem CXIII, *viciſſim ſuos annos agebant: & erat tunc annus Caiphæ, quando paſſus eſt Chriſtus. Ideò ſecundùm Matthæum cum eſſet comprehenſus, ad eum ductus eſt.* Et alibi, Tractatu nimirum XLIX, *Per ambitiones & contentiones inter Iudæos poſteà factum eſt, ut plures eſſent Summi Sacerdotes; & per annos ſingulos vicibus ſuis miniſtrarent.* Hanc doctiſſimi Patris opinionem ſequuntur qui familiam ducunt inter commentatores, Ianſenius & Maldonatus. Sed neque Barradius ab illâ abhorret. Nimirum duos, dignitate præcipuos, πρῶτον καὶ δεύτερον ἀρχιερέα, è primoribus Sacerdotum, per vices alternatim Sacerdotio ſummo functos. Non ut unus vicariam navaret operam alteri, ſed ut pari poteſtate præditi utrique. Quæ non eſt diverſa, quoad eventum, opinio, ab illâ quam viri eruditi ſtatuere, duos ſimul eſſe potuiſſe, ſed & revera extitiſſe, Sacerdotes ſummos, Eleaſarum & Ithamarum: Abiatharum & Zadocum: Annam atque Caïpham. Non eſt, inquam, alia, in actu ipſo, utcunque multum differat in præmiſſis. Auguſtinus etenim qui tuetur iſtam, opinatur, Deum unum & unicum ſtatuiſſe Sacerdotem ſummum: cui vnico vitâ functo, per unum deinceps ſuccederetur. Illam autem, ut ipſe rebatur, in ſacris ἀταξίαν, aſcriberet ambitioſis hominum contentionibus. Differt etiam, quòd per vices, ſuos ſinguli ſingulos obirent annos. Hic vero in tantâ verſabantur rerum confuſione & tumultu, ut plures ſuas vices obirent Pontifices, bini per annum unum, qui proximè ſequenti anno locum ſuum erant alijs tradituri, ſucceſſuris itidem per ſuas vices. *Fortè,* inquit, *unum annum plures ſummi Sacerdotes adminiſtrabant: quibus alij alio anno ſuccedebant.* Non eſt opus, igitur, ut alternis annis Annas & Caïphas Sacerdotes eſſent ſummi: ſed ut alternatim eſſent eodem anno. Atque ita cum Baptiſta ſuum munus ordiretur eo anno quo per vices ad hunc modum Annas & Caïphas fungerentur Pontificatu; beatus Evangeliſta merito dixerit *Annâ & Caipha Pontificibus.* Sed hoc commentum, valdè ſpecioſum licet ἀνιστόρητον, ſi nihil aliud, illud abundè refelleret quod habetur Scriptum Ioh. XI. XLIX, *Erat Caiphas Pontifex illius anni.* Cum tamen, quod certum eſt, ex eodem Evangeliſtâ, etiamnum inter vivos eſſet Annas, qui debebat per vices illo anno Pontificatu fungi cum Caiphâ genero ſuo. Certè non ad eum modum dictaſſet beato Evangeliſtæ Spiritus ſanctus, ſi vel menſurnas, aut hebdomadarias vices obirent, & non annuas. Hoc tamen cum omiſerit vir diligentiſſimus alioquin, minùs exactam adhibuiſſe curam videbitur, cum non diſtingueret, quæ tantopere erant diſparata. Sed inſtemus allatæ per Cardinalem illuſtrem, de vicibus annarijs alternatis, opinioni. Non refellit hanc incommodam ſententiam, & minimè conjunctam cum veritate, illo argumento quo uſus eſt Sect. VIII, *Non niſi alterius horum*

tempore

tempore potuit Iohannnes prædicationem ſuam exordiri, cùm quo tempore alter erat ſummus Pontifex, alterum ceſſaſſe dicere neceſſe ſit. Nam non eſt prorſus impoſſibile, ut eâdem die, eâdem horâ miniſterium ſuum publicum capeſſeret Baptiſta, quo in orbem circumacto & decurſo termino Pontificatus ſui, Annas locum concederet ſucceſſori. Non affirmo factum: quin factum non fuiſſe ſcio. Potuiſſe tamen fieri certum eſt. Quòd ſi temporis rationem vellet exactiſſimam explicare & obſervare Hiſtoricus, utriuſque Pontificis omnino debebat facere mentionem. Secundò, in orbem verſo & circumacto Pontificatu illius Annæ, occaſiones quædam & caſus extraordinarij inevitabiles poterant intervenire, quo minus illi ſtatim à Caiphâ ſuccederetur, deſignato in ſequentem annum ſummo ſacerdote: atque ita cum neuter eſſet actu Pontifex, temporis autem ratio conſignanda eſſet beato Lucæ, utrumque voluit, & merito includere, ut exactiſſimæ Chronologiæ ſatisfaceret, nec omiſſi temporis, vel non benè conſignati coargueretur, à ſoricibus ſyllabarum, & in procinctu poſitis ad calumniandum. Hæc ſunt, inquies, vir illuſtris, nec ego negaverim, λεπτολογήματα. Nec à me in eum finem afferuntur, tanquam ita eſſe certiſſimè perſuaſum haberem: ſed ut inde conſtare poſſet, quàm nihil ſolidum attulerit vir doctiſſimus: quantas nugas meras egerit, qui ſuas haſce nobis κυρίας δόξας & effata, hiſce titivillitijs expoſuit illudendas. Quod ſubiungit deinceps in refutationem Euſebij, eſt ejus certè generis, ut pati debeat diſquiſionem. Euſebium ita recitat in Annalibus, acſi illud & non aliud tueretur, eo tempore, quo poſt deportatum Archelaum in exilium, Iudæam regebant a Romanis dati præſides, vel procuratores, omnes per ordinem ſuccedentes ſibi invicem Pontifices, annuum habuiſſent, & non diuturniorem, Pontificatum, nempè à Romanis procuratoribus circumſcriptum: cùm conſtet è Ioſepho & hiſtoriâ Sacrâ, Ioſephum Caipham per annos XVII, & quod excurrit, fuiſſe cum Pontificatu. Sed ſciens vel imprudens Euſebium malè recitat vir eruditus. Is enim hoc imprimis ſtatuit, φησὶ δὲ αὐτὸν ἡ θεία γραφή. *Sacra Scriptura aſſerit illum omne tempus ſuæ prædicationis*, ſub Annâ & Caiphâ, Sacerdotum principibus, confeciſſe. Quo argumento oſtendere vult, quòd, ἐν τοῖς μεταξὺ τούτων ἔτεσι λειτουργίας, ὁ πᾶς τῆς διδασκαλίας αὐτῷ συνεπεράνθη χρόνος, *Per annos inter horum Sacerdotium interiectos omne tempus illius prædicationis complebatur.* Hoc eſt, Ieſum Chriſtum prædicationem ſuam exorſum fuiſſe, à baptiſmo in Iordane, ſub Pontificatu Annæ. Prædicationi verò terminum impoſuiſſe vix dùm finito quadriennio, cùm pateretur ſub Pontificatu Caiphæ. Atque ita Bedas commentarijs ſuis in Lucam; *Incipiente*, inquiens, *prædicatione, Annas & Caiphas principes fuere Sacerdotum. Sed Annas illum ipſum annum, Caiphas verò eum quo Dominus crucem aſcendit, adminiſtrabat. Et quidem tribus alijs in medio perfunctis Sacerdotio: ijs maximè per Evangeliſtam commemoratis, qui ad Domini paſſionem pertinebant.* Planiſſimè è ſententiâ & mente Euſebij, Bedas. Ἀρξαμένου μὲν κατὰ τὴν τοῦ Ἄννα ἀρχιερωσύνην, μέχρι δὲ τῆς ἀρχῆς τοῦ Καΐφα διαμείναντος, οὐδὲ ὅλος ὁ μεταξὺ τετραέτης παρίσταται χρόνος. *Cùm hoc ipſum prædicandi munus exordiretur, Annâ fungente Sacerdotio ſummo, & uſque ad Caiphæ Pontificatum*

permaneret

permaneret, vix integri quadriennij explebatur terminus. Ita ultra quadriennium non progreditur Eusebius. Quòd si ista non persuadeant, è Iosepho Iudæo illos ipsos commemorat Sacerdotes summos quos volebat intelligi, & non alios in processu, de exortâ & auspicatâ prædicatione Servatoris. *Narrat porrò Iosephus*, inquit, *quatuor summos Sacerdotes, ordine alterum alteri succedentes, inter Annam & Caipham interfuisse. Sic enim refert. Valerius Gratus, Annæ summi Sacerdotij munere adempto, Ismaelem filium Baphi (scribe Boethi) summum Sacerdotem designat. Ac non longo tempore post, illo ipso de hoc dignitatis gradu dejecto, Eleasarum filium Annæ, qui princeps Sacerdotum anteà fuerat, summum Sacerdotem declarat. Anno item interjecto cum istum eo abdicasset officio, Simonem filium Camithi illo summi Sacerdotij honore donavit. Atque non amplius unius anni spatio huic illud amplitudinis munus exequenti, Iosephus, qui etiam Caiphas nominatus est, successor extitit.* οὐκοῦν ὁσύμπας οὐδ᾽ ὅλως τετραέτης ἀποδείκνυται τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν διδασκαλίας χρόνος, τεσσάρων ἐπὶ τέσσαρσιν ἔτεσιν ἀρχιερέων ἀπὸ τοῦ Ἀννᾶ, καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ Καΐφα ἀποκατάστασιν ἐνιαύσιον λειτουργίαν διατετελεκότων. Hi sunt termini Eusebiani. Hæc ratio terminorum Eusebianorum. Ita longè diversa est mens doctissimi illius Scriptoris: nec, quemadmodum illi affingit Baronius, de annuis Pontificibus in Iudæâ, ultra illos terminos quicquam statuebat ὁ τοῦ Παμφίλου: Hos terminos Eusebianos, agnoscit libentissimè & figit ipsemet Cardinalis. Quocirca deleantur, opus est, & in spongiam incumbant, quæ sect. VIII. in Eusebij præjudicium ab illustrissimo Annalium conditore, afferuntur. Non affirmat promiscuè & indistinctim à præsidibus Romanis delectos omnes summos & intrusos Sacerdotes. Non eorum singulos & unumquemque unico tantùm anno perfunctum illo summo Sacerdotio. Constringit hanc laxitatem loquendi, & in Valerio Grato præside: in Annâ, Ismaele, Eleasaro, Simone, Caiphâ, Pontificibus subsistit. Atque in hoc subscriptorem habet ipsum Illustrem Cardinalem. Affirmat, Legis instituta, quod verum est, quodammodo deleta: & deletam fuisse unà Sacerdotum successionem, qui propter majorum genus atque stirpem, in illud summi Sacerdotij munus succedere, & totum vitæ suæ cursum in eo terere consueverant: sed hæc ab illo sic pronunciata & statuta, caussam non juverint Cardinalitiam. Non deinceps vult Caiphan, sicut cæteros, post annuum Pontificatum in ordinem redactum: hoc memoriâ lapsus dùm multis occupatur, vel certè mentitus ei affingit vir doctissimus. Hoc statuit, nec prætereà quicquam. Τὸν γέ τοι Καΐφαν εἰκότως τοῦ ἐνιαυτοῦ, καθ᾽ ὃν, τὰ τοῦ σωτηρίου πάθους ἐπετελεῖτο, ἡ τοῦ Εὐαγγελίου παρεσημειώσατο γραφή. *Caiphan, porrò anni illius, quo Servator noster, pro salute universi generis humani mortem in Cruce perpessus sit, summum reverà Sacerdotem fuisse, sacra & divina Evangelij eloquia docent.* Errat equidem Eusebius, haud inficior, in explicatione textus Evangelici: sed hoc errore omisso, vir Illustris Baronius, involat in sententiam prorsus innocentem, vel potiùs nullam Eusebianam: cùm nusquam extet vel proposita, nunquam arriserit ut vera, fortè ne quidem per insomnium irrepserit, in mentem τοῦ Παμφίλου. Errat errorem gravem doctissimus Eusebius, qui in primum annum τῆς λειτουργίας Iesu Christi, conjecerit

Lib.1.c.10.

Annæ

Annæ Pontificatus annum ultimum; cum Annas ille, ante multos retro annos, totos nimirum XIV. per Valerium Gratum procuratorem, ad ſecundum annum Imperij Tiberiani fuerit extruſus & ſemotus Sacerdotio, eique ſuffectus Iſmael Fabi filius. Quo modo ſecundùm exactam temporis rationem, & hiſtoricam veritatem, nihil quicquam habebat Pontificatus Annæ commune cum Servatoris baptiſmo, Baptiſtæ miniſterio, aut Caiphæ Sacerdotij illâ parte, quæ ad XV. annum Tiberianum pertingebat. Valerius ipſe Gratus provinciâ abierat: & Pontium Pilatum ſucceſſorem acceperat, qui de Pontificatu nihil novi ſtatuit ad modum ſui deceſſoris Grati. Sunt & alia apud Euſebium, caduca fortaſsis, & malè ſarta, ſed ad noſtrum non attinet inſtitutum illa pertractare, qui in Evangeliſtam Lucam non congerimus commentarios. Satis eſt iniquitatem doctiſsimi Annaliſtæ indicaſſe, quem deinceps ſequimur, ad ipſius propriam opinionem.

SECT. V.

Cardinalis Baronij ſententia de Annâ & Caiphâ Pontificibus. In quâ οὐδὲν ὑγιὲς. *Vera ſententia ad extremum explicatur. De* XXIV. *vicibus Sacerdotum. Principes Sacerdotum: Synedrij. Baronius vacillat. Petit principium aliquoties. Princeps Concilij num fuerit ſicut Moſes & Aaron. Synedrij authoritas & cognitio. Non judicabant de Rege. An de Prophetâ. An de lege. Error Baronij de Herode, capitis poſtulato per Synedriū. Ioſephus notatur. Annas, non eſt Ananelus ab Herode ſuffectus Hyrcano Pontifici.*

REfutatis aliorum, ſed quorundam non omnium, de Annæ & Caiphæ Pontificatu ſententijs, ſuam demum ipſius, quâ poteſt, Annalium author κατασκευάζει, tribus ferè capitibus comprehenſam. *Primum*, inquit, *illud dicimus, quòd etſi unus idemque ſummus Pontifex apud Iudæos eſſet,* ſcilicet ex inſtitutione divinâ, ſine ullo vicario ordinario, vel extra ordinem, niſi ſummâ urgente neceſsitate, *tamen complures alios Sacerdotalis ordinis, dictos eſſe Principes Sacerdotum, quorum frequens habetur mentio in divinis Scripturis, certum eſt.* Secundo in loco, æquè certum eſt, & ex his quæ leguntur in libris Paralipomenon intelligitur, *Principes iſtos Sacerdotum numero fuiſſe* XXIIII, quot nimirum erant vices Sacerdotales, & claſſes in quas David olim diſtribuerat omnes familias ab Aarone, cum pro Regiâ qua præditus erat in Iſrael authoritate, res ſacras ſuſciperet ordinandas ornandaſque. Tertium caput ὑποθέσεως Baronianæ eſt, ideò Principem Sacerdotum dictum fuiſſe Annam

ſive Ananum, quòd magni illius Concilij Sanhedrim princeps & primus eſſet: quod quidem Concilium è LXXII. ſenioribus conſtabat. De quo Concilio, multis agit in ſequentibus Annaliſta. Ita unus erat & unicus in Dei populo ſummus Pontifex Caiphas. Permultos enim annos, Grato, & Pilato procuratoribus, homo perditus & profligatæ honeſtatis, quales erant ferè omnes per illa tempora Pontifices, fuit cum ſummo illo Sacerdotio. Certiſſimum etiam eſt, quia teſtatiſſimum ex hiſtoriâ ſacrâ, Sacerdotes omnes, cujuſcunque ordinis, meriti, aut ætatis, ab Aarone oriundos, in viginti quatuor claſſes per Davidem regem, olim fuiſſe diſtributos. Oriundos ſcilicet ab Eleaſaro in claſſes XVI. ortos ab Ithamaro in claſſes VIII. Ita enim legimus 1 Paral. 24. *Diviſit autem David filijs Eleaſar principes per familias XVI. & filijs Ithamar, per familias & domos ſuas, octo.* Addit autem de claſſium principibus ſorte diſtributis, iſta. *Exivit autem ſors prima Iojarib: ſecunda Iedaiah: tertia Harim: quarta Seorim*; & deinceps reliquæ familiarum ſortes uſque ad poſtremam Maaſiæ. Cum enim maximus eſſet Sacerdotum numerus, neque poſſent ſimul omnes omnibus diebus intereſſe ſacris ſine ſummâ confuſione: per vices, ſorte ductas & diſtributas, miniſtrabant. Et ideò vices dicebantur ſortes. Ita ut per unam ſeptimanam una Sors vel cognatio, puta Iojaribi vel Abiæ, miniſtraret: & ſequenti ſeptimanâ altera ſors, donec ita in orbem per ſeptimanas XXIV. univerſæ ſortes ſuam obirent functionem. Sacerdotes autem ſortis miniſtrantis ſacras omnes functiones per illam ſeptimanam ſortiebantur inter ſe, ita ut, vni alicui Sacerdoti Lucernarum compoſitio per unum diem: alteri oblatio Thymiamatis: tertio aliud quoddam genus λειτουργίας ſortitò ductum, obveniret. Id quod patet apud beatum Lucam de miniſterio Zachariæ. *Factum eſt cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ, ſecundùm conſuetudinem Sacerdotij, ſorte exijt ut incenſum poneret.* Harum XXIV. claſſium principes, non abnuimus, dicti olim erant, *Sacerdotum principes*; cum, utcunque non erant, ſed nec eſſe poterant omnium Sacerdotum principes, ſuæ tamen familiæ eſſent, atque claſſis primi, & præcederent plurimis ejuſdem familiæ Sacerdotibus. Ita enim legitur in hiſtoriâ illius diſtributionis ordinatæ per Davidem. *Erant enim*, ait textus ſacer, *Principes Sanctuarij, & Principes Dei, tam de filijs Eleaſar, quàm de Ithamar.* Sed num Annas erat Princeps alicujus harum claſſium Sacerdotalium? Credendum eſt eruditiſſimi viri τῷ, Αὐτὸς ἔφα: quod non facient qui momentis rationum, & nullius authoritate ducuntur: nedum qui contrariam ſequuntur opinionem. Concedendum eſt omnino harum claſſium primos, principes Sacerdotum dictos. Hoc non verſatur in quæſtione. Annam fuiſſe alicujus claſſis & ordinis primum atq; principem: id autem, licet non improbabile, non eſt concedendum gratis, niſi probanti Cardinali. Nam quæ fuit Annæ illa claſſis? Num Pontificia? At illa olim erat extra viginti quatuor cæteras, quaſi tranſcendens & ſupernumeraria. Sed evanuerat claſſis, ſi modò claſsis, Pontificia, poſt fugam Oniæ in Ægyptum.

Pontificatus

Pontificatus transierat, per electionem ad Assamonæos de vice & classe Iojaribi, in Iudâ Macchabæo, à quo tempore facta erat Pontificia familia illa classis: & remanserant XXIII. vel saltem si plures essent familiæ, & illa Assamonæa princeps, transierat secunda in locum primum, hâc priore promotâ ad Pontificatum. Sed & illa defecerat in Aristobulo & Hyrcano, interemptis per nequissimum hominem Herodem. Deponebant deinceps, transferebant, sursum & deorsum agebant Pontifices, Sacerdotes, sacra omnia & humana Herodes, Archelaus, Præsides, Agrippa, & Herodes alter Chalcidis rex. Legem refixerant, de successione, de tempore vitæ. Neminem tamen intereà ad dignitatem illam sacram & sublimen evehebant, nisi ortam è stemmate Sacerdotali. Sed & illud quæri non immeritò potest, annon isti omnes domo exierint Pontificiâ: id est, classe orti fuerint, per alias familias, quàm Macchabaïcam, de vice Iojaribi, uno excepto Ananelo, quem ob eam fortè caussam Iosephus dixit obscuro loco editum: hoc est non è domo tunc Pontificiâ. Erat enim è familiâ Sacerdotali. Hæc cum sint adeò in obscuro posita, majus certè negotium quàm opinaretur facessere possumus Annalistæ. Quod si verò alicujus alterius classis & non Iojaribinæ princeps extabat ille Annas, rationem mihi reddat cur magis dicatur ille princeps Annas, quàm cæteri illi σύγχρονοι Sacerdotes suarum classium principes? quàm tres inter illum & Caipham intermedij, cujus cujus demùm classis & familiæ fuerant? Quod si verò princeps erat vicis Iojaribi, quod nec apparet nec est verosimile: tum certè satis constat cur dicatur Princeps Sacerdotum: Nimirùm quod ad illum Principem de jure familiæ Sacerdotalis principantis, spectaret principatus. Et certè cujuscunque tandem classis fuerat Princeps, erat ille Sacerdotum omnium & singulorum princeps de jure, licet non de facto, utpote per vim ejectus & exturbatus. Huc verò ne se inclinaret Cardinalis, non secus quam qui incumberet in parietem ruinosum, resilit: *Non dicimus*, inquiens, *Annam hâc tantùm ratione esse dictum principem Sacerdotum, quia scilicet erat alicujus classis princeps, sed aliâ etiam prorsus diversâ ratione.* Non solum, verum etiam; ita σῷ τε δὴ ἐρχομένῳ, omni modo ἔσεται ἀμείνω negotium hoc Pontificium. Circumspectis tamen omnibus rationibus alijs, nec inventâ ubi pedem suum ponat ἀσφάλτως, in magno illo tandem Concilio, seu Consistorio in Gazith, acquiescit. Hujus etenim collegij Sacerdotum, quandoquidem erat noster Annas, ut quidem erat, Princeps, meritò vocatur Sacerdotum princeps, non minus quam Caiphas erat, licet functio utriusque distincta esset. Impingit autem hic primùm Cardinalis, quòd tempora consignata ad hunc modum, per principatum principis Concilij magni, quasi more apud Iudæos usitato, statuat, cum nusquam extet hujus moris, ne quidem ulla fugitiva, quam retrahere posset, memoria. Secundò quod cum probare deberet illius summi concilij Annam principem & primum Sacerdotem extitisse, hoc ipsum, præcipuè exagitandum quæstione, tanquam concessum sumit, aut turpitèr emendicatum relinquit in medio. Quemadmodum & aliud quod ipsi tertio in loco probandũ fuerat, illius nempè

Concilij primum præsidem, etiam Principem Sacerdotum nominari. Affirmat hoc, scio, posterius, confidenter, ut est semper ferè, in dubijs & ambiguæ disceptationis quæstionibus, incredibilis cujusdam pro authoritate summâ historicâ, confidentiæ. Postquam ita esse nudè affirmaverat, velut satis abundè testatum deserit, & in rebus planè παρέργοις, operam ponit, minimè quidem aliàs contemnendam, non tamen hìc adeò necessariam, aut πρὸς ἔπος, de Concilio illo Sanedrin, *vel ut diversa habet lectio*, inquit, *Synedrin*, de quo omnia sibi lecta, notata, animadversa docet: Numerum, originem, jurisdictionem. Alia jejunè tenuiterque: falsa, multa per inscitiam cùm in rebus Iudaicis vel ex auditu pleraque & oculis alienis usurpata, vel per interpretes cognita proponat. Sed qualia demum cunque, opus est ut in eorum cognitione nos exerceamus. Erat illud Concilium conflatum è Iudæorum magistris & senioribus. Erat certè. Idque ab antiquissimis temporibus, & primâ institutione suâ. Erat autem Concilium seu Consistorium duplex: magnum & parvum. Magnum constabat è LXXII viris. Ita verò. Non tamen secundùm omnes, authore nobis Nicolao Serario. Est enim res in controverso posita, utrum constaret hoc Concilium è septuaginta, an verò duobus & septuaginta viris. An, ut quidam existimant, è LXXI. Genebrardus, si quis alius, Rabbinico afflatus enthusiasmate, commemorat LXXII ab Herode occisos. Et tamen posteà, per summam vecordiam sui oblitus, maledicentissimum animal, non ultra LXX extendit numerum. Enimvero ad LXXIIII ascendere debuit: nisi Mosen hinc excludat & Aaronem. Doctissimus Baronius synedrij originem quærendam nobis indicat ad cap. XI. Num. At eo loco præter LXX seniores populi, quibus Moses & Aaron non accensentur, Eldad & Medad ejusdem spiritus & afflatus participes, in eâdem classe cum cæteris numerantur. De Concilio illo parvo XXIIII virûm, silentium est in Annalibus: neque nos movemus aliquid, sed de magno. Quod tribus in locis constitutum & stabilitum legitur, ab ingressu Israelis in terram Canaam; usque ad cladem Flavianam. Bethleemi imprimis, tum Hierosolymis: annis prius XL quàm desolaretur urbs, emigrasse volunt mendaces Rabbini, & nescio ubi locorum consedisse. Hierosolymis quamdiu agebant, in loco Gazith dicto considebant, ubi causæ majores agebantur. *Hujus Concilij*, ais, *princeps, Sacerdotum princeps vocabatur*. Non erat ideò Sacerdotum princeps, vel summus Pontifex, istius Concilij semper princeps. Sed cur princeps ille dictus Sacerdotum? Anne quòd omnes ἐν συνεδρίῳ numerati & censiti Sacerdotes erant, & descendebant è familiâ Aaronicâ? At hoc falsissimum esse sciunt illi omnes, qui *seniores populi*, in historiâ Mosaicâ appellatos ex omni Israel, non illâ familiâ vel tribu Sacerdotali meminere separatos. Fortassè sequutis temporibus demum, prælati cæteris Levitæ & Lacerdotes: quò respexisse videbitur Maimonides, ubi docet, *Si non invenirentur Levitæ & Sacerdotes digni, tum ex omni Israele admittebantur*. Sed hic magnus magister ben Maimon quicquid nugatus fuerit, ab initio non fuit sic: sed ex omni Israele selegebantur

gebantur, juxta quod ſuaſerat Moyſi Iethro, ad hoc officium idonei maximè & habiles. Quòd ſi tribui alicui ante cæteras, domus hæc judicij peculiari modo, quaſi per appoſitionem attribuebatur, tribum ego dicerem multo magis regnatricem quàm Sacerdotalem, Iudam, & Davidicam imprimis familiam juridico huic conſeſſui miniſtraſſe aſſeſſores. Hoc te tuus author, hybrida prorſus, & aliâs νοθοδόμητος, licet hic non prorſus contemnendus, Philo Annianus potuerat admonere, qui Herodem deleviſſe Synedrium illud docet è domo David, & non è domo Levi, vel Aaronis. An princeps aliquis aliquorum è domo David, princeps unquam dictus eſt è domo Sacerdotali, aut Sacerdotum princeps? Si beatum Apoſtolum ſequaris authorem, nullus unquam de Iudâ miniſtravit altari, nec per Te, ſacris eſt admovendus. An verò ob eam cauſam Princeps Sacerdotum audijt, quòd ipſe eſſet præditus Pontificatu? atque ita ſuo jure peculiari quodam, Pontifex maximus apud Iudæos, ſemper erat princeps Concilij in *Gazith*, *Naſi*, aut *Ab beth din*, vel *Roſh ſanedrim?* Hoc præterquam quod neceſſe eſt ut affirmes, vir illuſtris, eſt etiam è re tuâ vehementer, ut ſacrorum & ſacratorum hominum jus & prærogativam in omnes omnium ordinum homines hinc confirmes & ſtabilias. Sed tum induas te oportet in difficultates ineluctabiles. Nam ita non diceret Evangeliſta, *Annâ & Caiphâ*: Sed *Caiphâ & Annâ, Sacerdotibus.* Non enim erat Annas, & hoc fateris ultro, ſed Caiphas Pontifex illo anno. Ita quoque non omnino erit Annas Sacerdos ſummus. Aut adhuc neſcimus, neque docuiſti, cur ſummus Sacerdos diceretur. Loqueris deinceps, ut mihi videtur, inconſideratiùs, cum ſummum Sacerdotem, & Principem Synedrij, quiſquis ille fuit, exprimere affirmas ſimilitudinem Moſaïcæ præfecturæ, & Aaronicæ prælationis. Nam, quod priùs obſervabam, hoc modo conſtabit concilium illud magnum Hieroſolymitanum, non capitibus tantummodo LXXII, ſed LXXIV. Nam præter Moſen & Aaronem Concilium illud ſeniorum à Deo vel inſtitutum vel approbatum, viris implebatur LXXII, quos ſuaſerat Iethro ob eam cauſam inſtituendos, ut adeſſent Moſi in rebus agendis & tractandis adjutores; non ut Aaroni aſſeſſores in rebus ſacris. Nam nihil hoc Concilium ad Aaronem. Sed in hâc ſimilitudine & illud eſt incommodi, quòd vel Moſes, magiſtratus, ut vocant, temporalis, Aaroni præponetur Sacerdoti ſummo: vel, quod adhuc pejus eſt, Aaroni nuſquam locus datur in conſiſtorio, nec ſummo Sacerdoti in Synedrio. Quæ novitas in rem Eccleſiaſticam introducta, vereor ne quid apportet mali, & præjudicet juriſdictioni vaſtiſſimæ Temporalium, quam ſibi vindicarunt infulati Patres, in paludatos Imperatores. Sequitur autem de authoritate Conſiſtorali: *Erat horum ſumma authoritas*, inquis, *nam de Lege cognoſcebant: de Prophetis inſuper & de Regibus judicabant.* Narras profectò ſummam & ſacratiſſimam poteſtatem: vicarios ſine dubio, & à latere legatos cum plenitudine omnimodæ poteſtatis, illius τῦ παντοκράτορος, qui in Filios dominatur Dei: vel planè, ut amant loqui nuperi μεγάτολμοι, inſinuas *Vicedeos*. Sed vir eſt tandem Cardinalis: & quod pronuntiat confidentèr, tabulis agit ut confirmet

confirmet obſignatis, licet ὕστερον πρότερον, ut dici ſolet, ὁμηρικῶς. Probat de Rege judicaſſe, hoc eſt de Moſe ipſo, ſiquidem ille radix erat, & origo, princeps & primicerius in συνεδρίῳ. *Horum, judicio Herodes Rex poſtulatus eſt.* Profectò laborabat hìc penuriâ, opulentum illud & dives penu Baronianum; aut certè non mutiſſet de Herode. Sed ut tibi in genere reſpondeam imprimis, vir erudite, narro tibi, hoc ἀξίωμα ceſſurum malè, qui in ſcholâ coalueris Hildebrandinâ. Ecquem noveris dic, legendo, ò multiſcie tu, inter omnes Reges Iſrael aut Iuda, à Saule & Davide, Ieroboamo vel Rehoboamo ad uſque Zedechiam, in judicium illud Synedrij vocatum, poſtulatum, accuſatum, damnatum? Non pauci tamen erant inter Reges è Iudâ: inter Iſraeliticos prorſus omnes qui Legem ſine fronte, pudore violabant: à Deo, ſacris, religione Patrum nequiſſimi apoſtatæ deſciſcebant: Ieruſalem ſanguine, templum Idolis, judicia rapinis, omnia ſceleribus contaminabant. Magos, ariolos, incantores, engaſtrimythos, ipſi Dæmonum mancipia, adibant, conſulebant, venerabantur. Aman, Manaſſes, Ahas, alij, ad omnia flagitia, & impietatem projectiſſimi, tamen nunquam leguntur judicio illo magno poſtulati. Quod ſi Regum imperia erant formidabiliora. Si poteſtas in omnes omnium ordinum magis tremenda; age judices percurre, ante regnum in Iſrael: Duces populi poſt captivitatem, & ſi unum nominaveris poſtulatum, damnatum per Seniores hoſce Synedraticos, tecum erimus à partibus Hildebrandinis, etſi non Regicidæ, at Regi maſtiges. Rex Herodes poſtulatus eſt. Quid audio? an Herodes Rex? quando? ubi? à quo? è quo gurguſtio prodijt homo cunctis ſæculis inauditus, qui te iſta docuit? Ioſephum laudas authorem, & appellas teſtem. Itanè Ioſephum, Antiquit. XIIII. XVII? de Herode, non negatur, hoc affirmat. Sed an de Rege? Duo ſiquidem dividuntur: Herodes, & Herodes Rex. Poſtulatum Herodem damus. Sed non Regem Herodem. Eum, qui deinceps erat Herodes Rex. Sed non tum tamen Rex Herodes. In privatâ adhuc fortunâ conſtitutus, patre Antipatro, qui nunquam tamen ſalutatus erat Rex, vivo & valente Hyrcano, Pontifice, atque Rege, Romanorum armis reſtituto, annuente, & pro ſui officij ratione, cùm regiâ tum Sacerdotali, præſente, & conſeſſus illius ſententiam moderante, poſtulatus eſt. Redi cum Ioſepho in gratiam, Baroni, ut vel ab illo ſaltem diſcas, non Regem Herodem ſynedrio ſubjectum & poſtulatum, ſed privatum. Regem autem Hyrcanum, qui & Pontificatum adminiſtrabat, tanquam caput illius Concilij magni, de Herode privato ſtatuiſſe, & tuliſſe ſententiam. *Regem*, inquit Ioſephus, hoc eſt Hyrcanum, *matres interfectorum in templo quotidiè, dum ſacra ſcilicet perageret, inclamabant*, ἵνα δίκην Ἡρώδης ἐν τῷ συνεδρίῳ τῶν πεπραγμένων ὑπόσχῃ· addit autem Hiſtoricus: κινηθεὶς ὑπὸ τούτων, Ἡρώδην Ὑρκανὸς ἐκάλει δικασόμενον ὑπὲρ ὧν διεβάλλετο. *His commotus Hyrcanus, Herodem in jus ambulare juſsit, redditurum rationem de rebus propter quas accuſabatur.* Quid hìc non planè ad oppoſitum ſententiæ tuæ, vir illuſtris? Volebas opinor, dicere, Regem deinceps in Iudeâ conſtitutum Herodem, de ſynedrio capitalem ſententiam tuliſſe, & in actum produxiſſe, cùm præter unum Sameam, omnes ſynedraticos

ſeniores

ſeniores de medio ſuſtulit. Id ſcilicet, Ioſephus διαῤῥήδην tibi narrat. Ὁ γὰρ Ἡρώδης, ait, τὴν βασιλείαν παραλαβὼν, πάντας ἀπέκτεινε τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ, καὶ Ὑρκανὸν αὐτὸν, χωρὶς τοῦ Σαμέου, Ille enim cum vir eſſet juſtus, atque ideò mortem non formidaret, cæteris omnibus metu perculſis, quòd Herodes ſe judicio ſtitiſſet armatus & cum ſatellitio, & τὴν πορφύραν περικείμενος, non tanquam reus eſſet aut dicturus cauſam, ſolus morte mulctandum cenſuit. Propter quam, in ſe ſententiam rigidiorem, ſed cum juſtitiâ conjunctam, cum ſynedrij ſenatores occideret, huic ſoli pepercit Herodes, & dimiſit incolumem. Non eſt hìc fortaſſe prætermittendum, videri Cardinalem de Rege Herode poſtulato errorem erraſſe, propterea quòd dicitur πορφύραν περικείμενον comparuiſſe: quaſi præter Reges, nulli eſſent olim περιπόρφυροι. Secundò videri Ioſephum memoriâ lapſum, à ſeipſo aliquantulum diſcrepare. Nam cum in XIIII. Antiq. de Sameâ narraſſet, adverſante Herodi ἐν συνεδρίῳ: ad XV. cap. ejuſdem Libri Antiquitatum cap. 1. ea omnia transfert ad iſtius Sameæ præceptorem Phariſæum Pollionem. Ὁ δὲ Πολλίων οὗτος, καὶ κρινομένου ποτὲ Ἡρώδου, τὴν ἐπὶ θανάτῳ, προεῖπεν ὀνειδίζων Ὑρκανῷ καὶ τοῖς δικάζουσιν, ὡς περισωθεὶς Ἡρώδης ἅπαντας αὐτοὺς ἐπελεύσεται. *Cum de capite ſuo cauſſam Herodes aliquando diceret, iſte Pollio exprobando in os Hyrcano, cæteriſque qui ſimul aderant in conſeſſu prædixit, futurum ut abſolutus ille omnes olim interficeret.* Sed leviuſculum eſt iſtud πάρεργμα præ Baronianâ hallucinatione, qui ſcripſit, Herodem Regem judicio poſtulatum capitali, non in alium finem quàm ut terrarum Dominos, Chriſtos Dei, etiam olim apud populum Iſraelis inſinuaret Cenſuris non tantùm Eccleſiaſticis, ſed perſonis itidem ſubjacere; de fortunis, famâ, vitâ, principatu, agendos ferendoſque ad illius libitum, cui ſomniant homines ſuaviludij datam omnem poteſtatem in cœlis ac in terrâ. Ita falſum eſt, quod primo loco ponitur de Regibus judicio Sanhedrino ſubjacentibus. An verò de Prophetâ, judicaverint, Baronius viderit. Ab origine videtur non fuiſſe ſic. Inſtituti ſunt enim ſeniores illi, ut litibus præeſſent iudicandis *in cauſâ ſanguinis, & hæreditatis hirciſcundæ:* in cauſis juris controverſi inter fratrem & fratrem, hominem & vicinum ſuum. At certum eſt non ita obtinuiſſe in præſenti hiſtoriâ de Servatore. Cum enim Chriſti cauſſa ageretur, non erat quæſtio de Prophetâ vero, neque illud judicio ventilatum; ſed de Rege vero. Interrogat, an Rex eſſet Iudæorum? De regno ambito contra Cæſarem accuſant. Et titulus in cruce affixus, non prophetam ſed Regem Iudæorum denotabat. Multò quidem melius, id quod prius tentatum eſt infœliciter in Herode, hinc aſtruere potuiſſes Regem cenſurâ notatum Eccleſiaſticâ, & ſubiectum judicibus Sanhedrinis. Iohan. 1. Iudæi agentes Hieroſolymis, mittunt ad Iohannem in deſerto, quæſitum, quisnam eſſet. Cur tu Iudæos non interpretaris Sanhedrin? cur non quæſtionem ad propoſitum convertis? quòd ad eos pertineret de Prophetâ judicare. Certè mihi videtur omnino mirum, cùm tot Prophetarum ſcripta extent, nomina verò plurium, & memoriæ illorum, quorum iam ſcripta penitus interciderunt: quibuſcum cum Iudæis Hieroſolymitanis negotium interceſſit, nuſquam de quoquam mentionem fieri meminiſſe queo, qui coram

hoc

hoc conceſſu Sanhedrino comparuerit, ne tum cum plebs, magnates, Reges in eorum perniciem conſpirarent. Inanis eſt, non neſcis, illa omnis poteſtas, quæ nunquam in actum deducitur. Sed probas de Prophetis judicaſſe Sanhedrin, argumento imprimis ἀποδεικτικωτάτῳ. Chriſtus ductus eſt primùm ad Annam, & tunc ad Caipham Sacerdotem ſummum. Supponitur ergo Annas hujus Concilij caput & Naſi extitiſſe. Et hoc ſuppoſito, mirabile ſupponitur conſectarium, Iudicabant ergo Sanhedrini ſeniores de Prophetâ. Scopæ diſſolutæ ſunt non colligatæ. Incertum probatur per incertius, obſcurum per obſcurius, vel planè potiùs falſum, & quod ipſum erat ante alia confirmandum. Niſi enim nulla alia ratio excogitari poterat præter vnam iſtam, cur ad Annam prius quàm ad Caipham, Chriſtus, quem Prophetam habebant omnes, deduceretur, quæ te incogitantia, vir eximie, impellebat, ut aſſumeres tibi velut in confeſſo poſitum, aut ſatis confirmatum πόρισμα, *Concilium illud magnum de Prophetâ judicabat & cognoſcebat*, eo quod Chriſtus Propheta(ſed an è ſententiâ Sacerdotum?) ad Annam prius, (qui princeps ſumitur fuiſſe, non probatur, τοῦ συνεδρίου,) quàm ad Caipham ſummum Sacerdotem, deducebatur. Mirabilis profectò διαλεκτική. Vbi τὸ κρινόμενον fit medius argumenti terminus. Nec feliciùs ſuccedit de Lege negotium, ex Actibus Apoſtolicis ca. IIII. Annam ideo dictum Principem Sacerdotum hìc docemur, quòd res in Concilio tractaretur. Quaſi ſolis Sacerdotibus conſtaret Sanhedrin. Quaſi princeps ſynedrij Sacerdos eſſet. Quaſi ſine dubio ille princeps fuiſſet Annas. Quaſi dictus aliquoties Sacerdotum princeps, eò quòd Synedrij eſſet princeps. Quaſi & Rex & ſummus Pontifex per illa tempora habuiſſet ſuperiorem, velut ὑποκοπτόντα, in Iudaïcâ politia. Quæ cum omnia ſint juris controverſi,poſtulata ſunt in hac quæſtione ſingula, & tanquam teſtatiſſimè poſita, advocantur in ſubſidium ſibi mutuum.Sed præter hæc dicta inconcinniùs, enarra quæſumus, vir illuſtris, quid & illa ſibi volunt, *Sine cujus aſſenſu*, de Caiphâ tractatur, *Sententia ferenda non fuerat.* Princeps erat Caiphas, quod videtur, & non adhuc Annas conſiſtorij. Ita enim plerunque fieri ſolet, ut in conſeſſu judicum, vel omnino Nullus, vocem, ut vocant, habeat negativam, vel confirmantem, ſed per ſuffragia res conficiatur: vel ſi quis tantâ & tali poteſtate gaudeat, ſit is Princeps, caput, primas conſeſſus & conſiſtorij. Quanto tu conjunctiùs cum ratione, non alium principem ſynedrio ſtatuiſſes, quàm qui princeps erat inter Sacerdotes? Certè id eo modo obtinuiſſe colligitur, è Ioſepho. Cui viro, licet non admodum gratioſo apud Annaliſtas noſtras, Rabbinos mendaciorum omnium gerulos figulos nemo prudens contenderit ex adverſo. Hyrcanus enim Pontifex, & adhuc Rex, Herodem, nondum cum imperio, ἐκάλει δικασόμενον. Is cum videret τοὺς ἐν συνεδρίῳ in Herodis necem velut factâ quadam conſpiratione pedibus ituros, τὴν δίκην εἰς ἄλλην ἡμέραν ἀνεβάλλετο. *Iudicium illud capitale comperendinavit.* Rem illi ægerrimè tulere quidem: non poterant tamen, Rege invito, deſcendere ad ferendam ſententiam Senatores, nedum Rege dicam dicere, aut mulctâ inflictâ minuere dignitatem: ne tum cum ipſos non lateret, hominem, in ipſorum interitum,

interitum, natum & deſtinatum, morti ſubtractum ab Hyrcano. Ἠγαπήκτοιω εἰ ἐν τῷ συνεδρίῳ, Ioſephus ait: ſed ulterius non ſunt progreſſi tamen, quàm quòd Hyrcanum διδάσκειν ἐπειρῶντο, ὅτι ταῦτα πάντα εἴη κατ' αὐτοῦ. *Hæc omnia in ipſius caput & vitam eſſe perpetrata.* Hactenus ergò hæremus dubij, cur ſummus Sacerdotum diceretur Annas, cum certiſſimè conſtet eodem tempore Caiphan & non Annam eo functum Sacerdotio: Scripturæ ſacræ αὐτοπτῶν teſtimonium ſuum, & aſſenſum Ioſepho Iudæo perhibente. Verùm res ſe ita habuit: amoto qui de jure fuit Pontifex Anano ſive Annâ Pontificis Ioazari filio, cui ſecundùm præſcriptum legis Moſaïcæ ad terminum vitæ gerendus erat Pontificatus, Ioſephus Caiphas per procuratorem Gratum ſuffectus legitur, quod factum contra jus & fas: neque Pontifex erat Caiphas ordinarius & legitimus, ſed Annas: de facto autem fuit, Annâ amoto per Valerium Gratum. Beatus igitur Evangeliſta, συλλογιστατος, cum vellet exactiſſimam inire Chronologicam rationem, utrunque Pontificem nominavit: cùm illum qui de facto fruebatur Pontificatu, tum illum qui de jure erat Pontifex. Annæ rationem habuit, quòd ſecundùm veritatem texebat Hiſtoriam. Caiphan nominat, quòd ſe vulgi quoque auribus accommodaret, & rei geſtæ tenebatur inſervire. Utrunque ita nominat cum Pontificatu, ut occurreret ex omni parte calumniaturis. Si qui enim contenderent, Annâ nominato, Caiphan non Annam Pontificem fuiſſe, quia de facto erat Pontifex: Caiphan Hiſtoricus nominavit. Si qui potiùs ad Annam provocarent, proptereà quòd de jure fuit Pontifex: diligens & prudens Scriptor illum non omiſit. *Annâ & Caiphâ* factum eſt *Pontificibus*. Non hoc vel illo ſeparatim, ſed utroque conjunctim. Verùm enim verò, poterit occurri non injuriâ, Cur Annam potiùs memorat beatus Lucas, quàm Iſmaelem, Eleaſarum, aut Simonem Carmithi, interjectos inter Annam & Caiphan, ſed depoſitos, & redactos in ordinem? Certè Annam compellat beatus Lucas, non item illos intervenientes, quòd exiguo admodum tempore fuiſſent Pontifices: Quòd per vim intruſi in Pontificatum Annæ: Qui vetuſtiſſimus tum in vivis agebat, & fortè ſolus eorum qui geſſerant illud Sacerdotium. Et à Patre ſuſceperat ad ſe derivatum. Non erat autem idem Annas cum Ananelo, quem ſuffecerat Herodes ante annos plures, LX præter propter, Ariſtobulo Aſſamonęo in piſcinis Hierichuntinis ſubmerſo. Quod impoſtor Philo fortaſſis perſuadebat non nemini. Nam Ananelus erat ἱερεὺς τῶν ἀσημοτέρων, Babylone accitus ab Herode, in ipſo initio principatus ſui, ſtatim poſt captas per C. Soſium Hieroſolymas. Annas erat genitus patre & avo ſuo Pontificibus: ſed depoſitis & amotis per Cyrenium ἡγεμονεύοντα τῆς Συρίας, illum Iudęæ nobilem ἀπογραφέα. Ananelus ille in ordinem ſtatim cogitur per Herodem, jubente Antonio, agente Alexandrâ per Cleopatram: coacto ſubſtituitur, non Iſmael, non alius, ſed Ariſtobulus Aſſamonæus. Neque geſtum hoc, quod delirat agyrta Philo, ad annum XXX. imperij Herodiani; ſed ſub ipſo initio Principatus: ante Auguſti Actiacam victoriam, vivâ & valente Cleopatrâ. Sed & illud falſiſſimè quoque proditur, quod videtur tamen amplexatus Cardinalis: Interemptos fuiſſe Seniores illos Synedraticos ab Herode, ad annum XXX. ipſius

regni; τὴν γὰρ βασιλείαν παραλαβὼν, immane parricidium iſthoc perpetravit, ut Ioſephus docet, cùm ſoli parceret Sameæ ſive Pollioni. An verò poſt hanc ſtragem perpetratam, è proſelytis in Lege eruditis τὸ συνέδριον demùm ſuppleverit, viderint illi, qui de Rabbinorum commentarijs παραληρήμασι, malint βαλανηφαγεῖν, quàm frugibus veſci melioribus. Atque hactenus de Sacerdotibus Iudæorum. In quorum hiſtoriâ peccant Annales & multipliciter, & enormiter. De Annâ & Caiphâ per prolepſin hæc dicuntur, ſed ratione ordinis, & non temporis, in hiſtoriâ.

EXERCI-

EXERCITATIO. VII.

SECT. I.

Multa vana, ridicula, impia, de beatißimâ virgine θεοτόκου conficta & credita. Suidæ, fabula ejus furfuris imposuit. Baronius notatur. Epiphanium temerè sequitur, & temerè improbat.

DE beatissima Dei Genetrice Mariâ, multi multa, & quidem diversissima, cùm olim apud majores nostros, tum sequentibus sæculis apud μεταγενεστέροις prodidere: vana quædam, ridicula, incerta, fabulosa. Quædam impia manifestè, & ab omni pietate aliena. Quæ imprimis divulgata ἀκρίτως, apud homines quidem pios, sed nimis credulos, nimis simplices & εὐήθεις, parum catos & prudentes fuerant admissa ἀβασανίστως, & fidem invenerant. Funem ducit inter cætera in hoc genere παραληρήματα, Theodosij cujusdam Iudæi fabula, qui sub Iustiniani florebat principatu. Quam à Suidâ commemoratam, &, quod videtur, creditam nimis temere, atque σεμνῶς, censuit Cardinalis Illustrissimus, & quidem rectè, sect. 36. in Apparatu. Erat autem Suidas non admodum vetustissimus Grammaticus, nullius judicij, doctrinæ autem mediocris. Illum scimus, undecunque collatis & corrasis lacinijs, purpuræ interdum, non rarò tamen panni levidensis, crasso filo, & depexi, farraginem illam suam coagmentasse. Qui tamen contumelijs non est accipiendus, non indignis tamen modis tractandus, cum prorsus non inutilem posuerit operam, melioribus olim usus libris, quos Nos nunc frustrà, deperditos desideramus. Suidam verò Cardinalis non tractavit optimè. Cum enim refellere vellet illam fabulam à Theodosio inventam & protrusam, illo imprimis argumento refellit, quòd non solū XXII. Sacerdotes, ut ille narrabat in Templo ministrarent, sed aliquot Centuriæ vel potiùs Chiliades in XXIV. Classes conjectæ. Fabula autem ita se habet; Cum Theodosius Iudæus, ad Christianismi professionem per Philippum quendam amicum vehementiùs urgeretur, ingenuè fassus est Theodosius, se quidem πεπληροφορημένον Iesum Christum agnoscere & recipere Messiam, in Prophetis prędictum & in Lege. Non tamen palam profiteri ausum, ne honore, authoritate, muneribus careret

 conversus,

conversus, quibus affatim Iudæus abundabat. Neque se tantùm, sed & alios eruditione præstantes Iudæos hoc fateri, cùm de Traditione testatissimum acceperint id literis fide dignis consignatum. Moris etenim fuisse olim, stante etiamnum templo Hierosolymitano, ut XXII Sacerdotes in illo ministrarent: Quòd si unus horum aliquis moreretur, in illius locum cæteri, communibus suffragijs alium cooptarent. Moriebatur unus: nominati sunt multi: displicuere singuli: tandem è consessu quidam Iesum filium Iosephi nominavit. Interposita est exceptio, de genere non Sacerdotali: Dicebatur quippè ortus de tribu Iuda. Respondit alter, verum esse quidem quod ad patrem attinet, sed μικτὸν εἶναι τὸ γένος αὐτοῦ. Nam olim quidem apud sæculũ prius, ἐπιμιξία τις γέγονε τῶν δύο φυλῶν: undè genus suum Ioseph derivabat. Hoc audito, de genere satisfactum est objectioni. Electus in Sacerdotium Iesus Christus. Sed priusquam veniret in præsentem rei possessionem, secundùm receptam consuetudinem, de Parentibus erat anquirendum, ut illorum quoque nomina referrentur, in πρωτοκόλλον. Responsum est obijsse diem suum Iosephum. Placuit ergo matrem vocatam interrogari. Illa autem dixit se quidem peperisse Iesum, non esse illi Patrem tamen terrenum, sed Deum cœli. Quam beatæ virginis confessionem in codicem protocolli retulere. Hanc ineptissimam blasphemantium Hæreticorum imposturam argumento non alio refellit Cardinalis, quàm quòd non tantùm XXII Sacerdotes ministrarent in templo, sed millia quidem multa de classibus illis XXIIII in quas David olim congesserat omnes ab Aarone. Sed profectò non hoc vult Suidas, XXII tantùm in templo ministrasse Sacerdotes: ait enim συνήθεια ἦν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἰσαρίθμους τῶν παρ' ἡμῖν γραμμάτων (loquitur Iudęus Theodosius) εἴκοσι δύο τυγχανόντων ἱερεῖς ἐν τῷ ναῷ καθίστασθαι. Hoc est, veluti quosdam æditnos aut præfectos, officio suo & muneri quotidiano, non interpolatis vicibus alternato, incumbentes, potiùs quàm sacrificia offerentes. Sed nec ista dicuntur exclusivè, quasi nulli prætereà Sacerdotes ministeria ullatenus in templo obirent, hisce exceptis XXII. Non probat, non constringit hæc argumentatio. Illud magis ad imposturam detegendam facit, quòd illum, quem fatetur ipse ματαιολόγος, de tribu Iudâ oriundum, Sacerdotem allectum comminiscitur, & in communionem Levitici ministerij, contra jus divinum & mores patrios, devenisse. Impia & propudiosa impostura non aliunde in populi sermonem & Suidæ farraginem profluxit, quàm ex officinis Manicheorum: qui totum hoc negotium, de Leviticâ prosapiâ Servatoris in scenam produxerunt, & infinita quædam alia commenta confinxerunt, ut humanam Iesu Christi generationem, si non penitùs elidere, saltem aliquâ ex parte eludere possent, & conquassare. Quæ speciosiùs exculta, non intellecta nec animadversa, mirificè quibusdam simplicioribus arridebant. Quasi Christus, Pontificio suo munere non posset fungi, nisi genus attingeret Aaronis. Cum testatissimum habeatur in oraculis divinis, illum non secundùm ordinem Aaronis, sed Melchisedeci constitutum Sacerdotem. Ogganniebant canes illi Diabolici, Celsus, Porphyrius, Iulianus, Mariam Dei matrem non de Iudâ, sed de Levi oriundam, quòd cognata diceretur Elisabethæ. Miror quomodo tantùm non in horum castra

confugerint

confugerint nonnulli, qui Leviticam proſapiam comminiſcuntur. Commiſcebantur fateor illæ duæ tribus. Non minus & aliæ, cùm inter ſe, tum etiam cum iſtis ubi Legi ratio non intercedebat, commiſcebantur. Si de Levi ob hanc μίξιν dicatur ſanctiſſima θεοτόκος, quidni de Benjamin vel Simeon dici debeat? Nam quod contra Caſaubonum blatit Bulingerus de falſi crimine Hilario, Auguſtino, Nazianzeno, qui tamen Nazianzenus non eſt, inſcripto, remittimus hominem malè feriatum, ad Chriſtophorum à Caſtro, caſtigandum, qui rectè ſapiebat in hac re. *Quî fieri potuit*, ait ille, *ut tam certò prædicti Patres* (Bedam intelligit, Iulianum Toletanum, Eucherium, Auguſtinum, Ambroſium, Nazianzenum, Hilarium) *affirmaverint Chriſtum aut ejus matrem, ex tribu Sacerdotali prodijſſe. Enimverò, quam rationem ſequuti fuerint hi Patres in aſſerendo Lucam Sacerdotalem Chriſti proſapiam ſubputaſſe, nullam intueor.* Nec, opinor, alius, τῶν ἐντυγχανόντων.

Sect. II.

Maria de ſterili nata. Piè creditur, non impiè negatur. a Traditione opinio, vel ab Apocryphis. Quaſdam retinet, alias rejicit, ſine ratione Baronius. De viduitate Ioſephi, Epiphanij ſententia. De parentibus beatæ virginis narratio, deſumpta videtur è Protevangelio Jacobi: Apocrypho ſcripto.

FAbularum ſunt pleraque ἀποσπασμάτια, quæ de parentibus, & ortu Beatiſſimæ virginis matris apud ſequiores Panegyriſtas commemorantur: a figmentis deſumpta, ſi non Hæreticorum, certè & otio & literis, & populo Chriſtiano abutentium. Quod narratur quomodo illam Anna mater, cum ſterilis diu perſtitiſſet à Deo precibus impetraverit, ut pie quidem credi poteſt à fidelibus: cùm in alterâ illa Annâ Samuelis matre, eadem ipſâ οἰκονομίας ratione Deum uſum fuiſſe, Scripturâ teſtante intelligamus: ita poteſt ſine ullo ſalutis diſpendio, fidei naufragio, pietatis ſcandalo, licet non fortaſſis ſine temeritate, pernegari, cùm nuſquam legatur traditum ab authoritate αὐτοπίστῳ. Debet autem ortum ſuum & originem primam hæc opinio Traditionibus quibuſdam dubijs & incertæ fidei, & ἀδεσπότοις. Si non ſcriptis ἀποκρύφοις, ſubleſtæ fidei, & ambiguæ authoritatis. Nullus vetuſtiorum Patrum & ſæculis Apoſtolicis proximorum, aliquam vel leviſſimamquidem harum narrationum mentionem fecerunt. Aſſuta eſt Gregorio Nyſſeno lacinia. Hieronymus ille ſtigmatias habetur. Germanus, & Andreas nuper nati, qui non paucis, interdum vaniſſimis figmentis, ſcripta ſua, & panegyres aſperſerunt. Quocirca ſiquis contra Baronium, Chriſtophorum à Caſtro, & alios cenſuerit de iſtis ampliandum, longè aberit ab Hæreticâ pravitate, licet aliter videatur Thelogis quibuſdam furioſis. De beatâ virgine doctiſſimus Epiphanius recitat quaſdam παραδόσεις, quæ de conceptione

ceptione ejuſdem virginis θεοτόκου ferebantur. Has, quia faciebant ad ſalivam, obvijs ulnis amplectitur Cardinalis. Is tamen alteram Epiphanij ejuſdem Traditionem improbat & aſpernatur de conjugio Ioſephi mariti beatæ virginis: quam tamen ille Cyprius Pater videri certè volebat & certiſſimam, & teſtatiſſimam, eamque propugnat vehementèr. Ioſephum nimirum virginis ſponſum, & viduum fuiſſe, cùm Maria in uxorem ipſi traderetur, & nonnullorum ex ſuperiori illo matrimonio liberorum patrem. Eorum ſcilicet, qui apud ſacros Evangeliſtas, fratres Domini, & ſorores nominantur. Hæc utraque olim Traditio per manus deſcenderat diſſeminata, recepta, credita. Neutra tamen certa, neutra ſcriptis conſignata. Utraque habetur apud Epiphanium. Utranque propugnat ille & tuetur. Utraque debet ortum ſuum vel Catholicis εὐηθείᾳ: vel Hæreticorum filijs πανουργίαις. Quodſi aliquid interſit inter utranque, potiùs illa de parentibus B. Virginis, quàm altera de Ioſephi matrimonijs, videtur profecta ab Hæreticis. Cùm ab iſtâ periculum fidei ſacratiſſimę non creetur: illa altera humanam Chriſti nativitatem de Iudâ, tantum non oppugnet ex adverſo. Nam Protevangelion, quod appellant Iacobi, (Inſigne cujuſdam impij impoſtoris opus, & Hæretici hominis μυθολόγημα: dignum Poſtello & inventore, & interprete) huic fabulæ de Parentibus Mariæ θεοτόκου præluxit facem, ſi non ipſam totam cum ſingulis ſuis circumſtantijs adinvenit. In eo legitur Evangelio, Ioachimum patrem beatę virginis Deum in Eremo veneratum fuiſſe, poſtquam XL. dies & totidem noctes, en miraculum, jejunaſſet: Annam verò in hortis ſuis, ſub lauru conſtitutam, exoraſſe. Quæ verò, vel alius vel pſeudepigraphus Epiphanius (non enim in Cyprium illum patrem, tanta cadere potuiſſet ſtultitia) ſcripſit in homiliâ de Laudibus beatæ virginis, ea ille omnia transferebat de Iacobi Protevangelio. Pari modo quę ſequuntur apud verum Epiphan. ea etiam vel hoc idem ſcriptum ſapiunt, vel non diſſimiles Traditiones. Ait enim ambiguè, Ἡ τῆς Μαρίας ἱστορία καὶ παραδόσεις ἔχουσι, ὅτι τῷ πατρὶ αὐτῆς ἐῤῥήθη ἐν τῇ ἐρήμῳ, ὅτι ἡ γυνή σου συνειληφυῖα. Ipſiſſima Protevangelij verba. *Et ecce Angeli duo venerunt dicentes ipſi, Ioachim vir tuus venit cum gregibus ſuis. Angelus enim Domini deſcendit ad ipſum dicens; Ioachim, Ioachim, exaudivit Deus orationem tuam. Deſcende hinc, Ecce Anna uxor tua concepit in utero.* Ita enim ſcripſerat impoſtor ille, quemadmodum apparet ex Epiphanio, non autem *Concipiet*, ut in Poſtelli verſione. Hæretici enim illi homines exiſtimabant, Mariam divino, & non humano more conceptam. Non ex Annæ concubitu & Ioachimi, ſed corpus ſuum cœleſte de Cœlo detuliſſe adorandum: non de matre formatum & Ioachimo: Ecce igitur, *Concepit*, abſente marito Ioachimo.

SECT.

Sect. III.

Cardinalis impudentèr ſubnixus teſtimonio falſarij Evodij, quem ſuſpectum reddiderat ipſe. De beatâ virgine fabulæ multiplices circumferebantur. Educata ab Angelis. In Sancto Sanctorum. Privilegia ipſius, quæ, & qualia, Nyſſeni impoſtoris fraus. Baronius aliquoties notatus.

A Conceptionis modo Cardinalis, poſtquam in rem minimè neceſſariam operam impenderat inutilem, pergit ad natalem annum θεοτόκου, & recitat ex Evodio Antiocheno Epiſcopo, Petri Apoſtoli, ut volunt, ſucceſſore immediato, teſtimonium quod Nicephori authoritate commendatur. In quo teſtimonio recitando, hominem doctiſſimum extra ſe poſitum & ἐμβεβρόντητον opinari licebit, qui teſtem illum ſuum, cui inniti debuit, & quidem, ut videtur ſoli & ſolitario, Evodium, non tantùm ſuſpectæ priùs fidei Scriptorem facit, ſed agnoſcit planiſſimè commentitium. Ait enim ſe hoc Evodij teſtimonium nuſquam repeiſſe apud antiquiores: neque vetuſtioribus innotuiſſe olim aliquod ſcriptum ab Evodio hoc profectum Antiocheno. Quæ ne remur excidiſſe per incogitantiã homini variè diſtracto, uti fieri ſolet, in tam longo opere, iterùm illa repetit in ſequentibus ad annum nempè Chriſti LXXI. ſect. XIV. Quòd ſi verò nulli antiquiorum innotuit, è quo gurguſtio poſt tot ſæcula, in Nicephori migravit rapſodias? Quòd ſi planè ſit falſarius Evodius iſte Nicephorianus, & φῶς (ita ſcriptum ſuum voluit Tenebrio appellari) tam diù in obſcuro delituit, nulli notum aut ſuſpectum vetuſtiori; quorſum quæſo Cardinalis illius ſententiam (nam de Caſtrij fronte, & fide jamdudum conclamatum eſt) & quidem ſolius illius ſententiæ authoritatem, ſequitur? Nam quòd alios habere ſe & *advocatos* gloriatur, & *aſſertores*, verba ſunt & ampullæ meræ. Nullos appellat: ne unum quidem citat: non hoc facturus unquam, opinor, & juxtà mecum ſentient cordati omnes, ſi teſtium numero abundaret. Evodij verba in Nicephori collectaneis iſta ſunt. *Trimula cum eſſet, in Templo præſentata eſt. Ibi in Sanctis Sanctorum traduxit* XI *annos. Deindè verò manibus Sacerdotum Ioſepho traditur ad cuſtodiam: apud quem cum menſes pereriſſet quatuor, ab Angelo lætum illud accepit nuntium. Peperit autem hujus Mundi lucem, annum agens ætatis* XV, *viceſimâ quintâ die menſis Decembris.* Quæ deſumpta ſunt, quod ad annum Virginis præſentatæ ſpectat, ab illo pſeudevangelio ſuperiùs commemorato. Nam pag. XXXII ejuſdem fabellæ, narrat author plagiarius impoſtor ille, quemadmodum Maria cum triennis eſſet, ſolenniter in Templum deduceretur, &c. undè Germanus, & ejuſdem furfuris authores cæteri, quos magnâ pompâ Cardinalis cum Caſtrio repræſentant, lutulentas ſuas narrationes deduxerunt: De quibus altum eſt ſilentium apud vetuſtiores, præcipuè heroicis Apoſtolorum temporibus proximos. Nam quòd proferre Nyſſenum ſolent: Tempus ille & ætatis annum non determinat, ut eſſet Nyſſenus genuinus,

Sect. 47. in Apparatu.

nus; tantùm ait, *Cum puella illa grandiuscula esset, ut mamma admoveri non opus esset amplius, non cunctata est Anna ad Templum illam deducere.* Fortassis infra biennium ablactata, in Templo Domini, Deo illam voluit dedicatam. Fortassis promissum exolvit mater, cum quadriennium ageret ætatis suæ. Pseudevangelium designat annum tertium, secuti sunt hanc fabulam sequiores. Nam ante hoc tempus, ait ille λογολέσχης, tardabat Anna votum suum adimplere, muliebri affectu detenta, cum Ioachimus adurgeret adimpletionē, Sed de consecratione & dedicatione beatæ Virginis, esto ut volunt Castrius & Cardinalis: illud oportet sit crudum commentum & insipidum eruditis palatis quibuscunque, quo nugantur ridiculè nugivenduli, in Sanctuario illam interim adolevisse, & totos ibidem XI annos exegisse. Miror autē potuisse sine nauseâ Baroniū concoquere, vel etiam prælibare. Germanus Patriarcha Constantinopol. ut verissimum propugnavit: ita quoque Metaphrastes, Nicephorus, & Nicephori Euodius, cum Georgio Nicomediensi, & Cretensium antistite Andreâ. Sed hominum umbræ sunt, si cum vetustis patribus componantur: & interim parum sunt solliciti, de locis virginibus in Templo monialibus, destinatis: de virgine præsentatâ Zachariæ: observata Elisabethæ: Phanuelis Annæ procuratâ: quibus nihil cum adytis commune fuerat; de quibus tamen Castrius, ex hujusmodi vel his ipsis Scriptorum mendicabulis, nugatur. Germani verba sunt: *Vbi non sæpè, semel tantùm in anno Sacerdos ingrediens peragebat cultus sacros, illuc virgo, ut ibidem perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus: ut esset in sacris Gratiæ adytis. Quis vidit fœminam, vel audivit, quæ adduceretur in intima Sancta Sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, ut in ijs habitet & virgo?* Sed Germano non erat opus isto *vix*. Nam absque illo *vix* (nisi forsan recurrebat animo nugaturientis illa de Iacobo justo fabella) excepto *uno*, & *unico*, & *unâ vice* in anno, Nemo prorsus, nedum vix, illa adyta & loca inaccessa penetrabat. Sed pluribus hoc ipsum ubi de Iacobo inciderit mentio. Interim quid facies huic homini μελαγχολῶντι? quid cæteris illius farinæ Scriptoribus? Torniello? Camsio? Castrio? Baronio? Nimirum, *piè credi potest*, huic uni Deiparæ scilicet Virgini, privilegium hoc indultum speciale. Non ergo Iacobo, si huic uni. Sed nec, *huic uni, piè credi potest.* Imò nisi impiè credi non potest. Si modò Paulus verum ad Hebæos scripsit, *In secundum Tabernaculum, semel in anno summus Sacerdos ingreditur.* At quorsum aliquid alicui concedetur honorificum, ita enim solent argutari, quod beatæ virgini non concederetur? Matri enim suæ Deus proculdubio majorem habiturus est honorem, quàm servo demùm cuicunque. Ita enim sunt qui ratiocinantur: in quorum albo reponendus est & Cardinalis. Nam sect. XL in hæc verba scribit: *Nequis abjectè nimis & adeò humiliter de Deo sentiens, eum plura & majora elargitum esse servis quàm Matri, & amico sponsi quàm sponsæ, mente captus diceret.* Ita desipit ille & mente captus est, apud Cardinalem, qui majora elargitum Deum dixerit, Apostolis, Prophetis, quàm beatæ Virgini. Majora scilicet, eo sensu: ut quicquid ulli Sanctorū concessum fuerit illustre, illud ipsum in Mariâ adimpleretur. Nam nisi hoc dixerit, nihil dixerit, quo fuliginosum ἐφεύρημα dealbare possit. Majus illi quiddam quàm creaturæ cuicunque

cunque collatũ fatemur libentiſſime. Unde benedicta quidem ſupra mulieres audit. *Virgo eſt mater*, ait Bonaventura in ſpeculo, *quâ majorẽ Deus facere non poſſet. Majorem mundũ Deus facere poſſet: majus cœlũ Deus poſſet facere: majorem matrem, quam matrem Dei non poſſet facere Deus*. Et rectè Thomas, beatam virginẽ ait; ex hoc quòd ſit mater Dei, habere quandam dignitatem infinitã, ex bono infinito, quod eſt Deus, pronuntiavit. Non tamen, ut quicquid ſit in ullo donorũ genere divinorum præſtantiſſimũ, illa ſtatim eodẽ decorata fuerit. Eidem erunt cum Petro concreditæ Cœlorũ claves. Miſſa fuerit cum Apoſtolis ad prædicandum: & cum ijs, ante eos proculdubio, cum Epiſcopatu Eccleſiæ præfuerit. Ita nullus erit Petrus, ſed Maria Apoſtolorum princeps. Quæ ſi ſint, ut ſunt revera petridicula, quid attuleris Baroni, quo excuſes illud ἀπόφθεγμα, *Abjectè nimis de Deo illum* exiſtimare, *qui majora illum ſervis, quàm matri crediderit indulſiſſe*. Moſes olim per dies XL, in monte cum Deo jejunus verſabatur: Iſrael mare rubrum ſicco pede, & diviſum Iordanem (quemadmodum Elias & Eliſæus ſequutis temporibus) tranſivit. Ioſua Soli imperavit, & tardavit curſum: dixit Lunæ verbum, & cum machinâ illâ cœleſti immota ſtetit: Elias curru flammeo in Cœlum aſcendit. Longum eſſet percenſere, quæ Dauid & cæteri perfecerunt, quæ omnia & ſingula perfeciſſit θεοτόκος, ſi Baronium præeuntem audiamus, *majora ſponſæ quàm amicis ſponſi*, Deum proculdubio elargitum. Ita ratio nulla erit quin ſi potuerint Aaron, Eleaſar, Zadoc, Ieſus filius Ioſedeci, Sanctum illud Sanctorum ingredi, imò Caiphas, Annas, Ananus, cæteri, Dei hoſtes omnibus ſceleribus cooperti, multo magis potuerit beata virgo, etiam inter illa ſepta, ἄβατα, ἄδυτα enutriri. Stupenda prorſus argumentandi ratio. Sed attende τι πρὸς. Sanctum illud Sanctorum, non erat ſatis ſacer aut ſanctus locus, aut pro dignitate infantulæ illius educandę? Audi Lector Georgium Nicomedienſem adhuc quid audacius blaterantem. *Oportebat virginem non in Sanctis Sanctorum, ſed in Cœlo Cœlorum in primâ ætate enutriri*. Ita vir es Georgi, præ conſortibus tuis. Illi χαμαιπετεῖς, nil magnum tinniunt. In γυναικωνῖτιν Dei thronum glorioſi, omnipotentis ἐνδιαιτήμα, qui habitat lucem inacceſſam, mirandâ audaciâ tranſformaſti. Parum eſt quod de Chriſto ſp. ſanctus, *Poſuit in ſole tabernaculũ ſuum*, beata virgo adolevit ubi faſces depoſuerat, in cœlo ſũmo & glorioſo. Homines ridiculè ſtulti! quã imperitè, ineptè, ne dicam blaſphemè garriunt? quorũ fatuitatẽ vel recitaſſe, abundè ſatis refutaſſe eſt. Conceſſa privilegia & concedenda, ſunt, quod ſciunt omnes, ἐν τοῖς πρός τι. Non abſolutè quævis cuivis competunt, ſed pro diverſis rationibus diverſimodè conferuntur. Quidni ſupremæ cœnæ interfuerat Maria? Quidni filio ſuo affuit transfigurato? aut in horto ἀδημονοῦντι? Quid reſtat, quàm ut Pontifex ille tuus renuntiet Petro coryphæo Apoſtolorum, & deinceps Mariæ adhæreſcat? Illa enim erat proculdubio vicaria in terris Filij, prima in ſede Romana Pontifex, ne deinceps de Iohanna litigemus: *Ne quis abjectè nimis*, recognoſce tua dicta, *& humiliter de Deo ſentiens, eũ plura & majora elargitũ eſſe ſervis quàm matri, & amico ſponſi quam ſponſæ mente captus diceret*. Sed nec videtur hoc ipſũ perſonale privilegiũ, ut hìc etiã hæreat aqua Cardinali, quod de ingreſſu τῶν ἀδύτων garriunt iſti ardeliones. Perſonale privilegiũ cũ perſonâ

extinguitur, & indultum actioni cum actione transit. Ante Virginem Deiparam, alijs legitur concessum. Post eam, vel cum eâ potiùs eodem tempore, alijs indultum. Iacobus enim justus in ijsdem vixit: & fortassis viri & fœminæ honestiores omnes. Nam de duabus Annis, Samuelis illâ, matre: hâc, Mariæ, ita refert, magnus author, Baronio & Castrio πολὺς in hâc historiâ, Nyssenus. *Imitatur igitur hæc quoque*, ait ille, *ea quæ narrantur de matre Samuelis, & Sancta Sanctorum ingressa supplicat Deo ne Legum privetur beneficio, quæ in Legem nihil peccasset.* Hæc ille quisquis erat Nysseni simia, novitius Theologus, mango literarum secretiorum. Nunquam enim Nyssenus ὁ τῶν πατέρων πατὴρ, quo titulo in secundâ Nicenâ Synodo insignitur, tantus in Theologiâ magister, ista effutiret tam inconsideratè & imprudentèr. Humiliare se certè & suam abnegare perfectionem, meritis suis renuntiare solebant Sancti in orationibus, non coram, de Lege adimpletâ, de suâ innocentiâ, gloriari, quemadmodum ista Anna apud hunc Nyssenum: cum apud suum filium, in historiâ sacrâ, altera illa Anna nihil tale glorietur. Neque locum illum ἄβατον Oratura vel ingressa est, vel ingredi audebat illa Anna Samuelis; quam tamen nugator iste, quisquis est, exemplo suo ait præïvisse Annæ matri Deiparæ ad ingressum. Orabat illa Anna Samuelis, *cum sederet Eli ante pedes domus Domini*, uti scriptum 1 Sam. 1. qui ingressuram illam τὰ ἄβατα pro functionis suæ munere prohibuisset, ut postea Pontifex alter Azarias Uziæ regi restitit sacrificaturienti. Neque debuit hic sciolus ignorare, nullo modo fœminas potuisse olim apud Iudæos, Sanctuario Domini appropinquare: non magis quàm apud Christianos olim, dum vigeret disciplina domus Dei, οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες, aut Audientes vel Catechumeni, *aris Dei adgeniculari*, aut intra septa sacra se intrudere. Idque ipsum verè & secundùm Scripturas sanctas agnoscit Nyssenus γνήσιος, contra quàm plagiarius iste ψευδεπίγραφος. Orat. VII. de Beatitudinis ait: *Sacri testimonij tabernaculi, quod Legislator juxta demonstratã sibi in monte à Deo formam Israelitis fabricatus est, omnia quidem & sancta & sacra sigillatim erant, quæcunque septis intrinsecus continebantur. Ad intimam autem in his, partem accedere & penetrare, fas non est: eaque Sancta Sanctorum dicebantur.* Videt autem alterius dicti absurditatem Fronto, & pro suâ ingenuitate, fatetur, se non perspicere quomodo illud consistat cum loco Scripturæ apud beatum Paulum Heb. IX. VII. vidit alter Iesuita Sebastianus Barradas, & candidè confessus est falsitatem. Tantummodo, quod relictum illi erat unicum, Hominem conatur excusare: Lato nimirum fortassis sensu, illum *Sancta Sanctorum* pro templo usurpasse. At tum, nimis imperitè, obscurè nimis, impropriè & insulsè loqueretur. *Sanctum* pro templo usurpasse satis fuerat. Locum enim sanctum scimus appellatum: nec non *Sanctum* indefinitè nusquam, nunquam, à nullo, templum, *Sanctum Sanctorum* dicebatur; dicive debet aut potest. Sed nec hanc admittunt benigniorem interpretationem illi qui profanam illam sententiã invexerunt. De Sanctis enim adytis illi loquebantur exertim; illo nimirum loco, qui post secundum velum occultabatur. Ideóque eò provecti sunt, ut dixerint, non fuisse Cœlum cœlorum satis illi è dignitate habitationem. Si quid sit omnino quod atrocitatem narrationis vel aliquatenus

aliquatenus mitigaverit, illud eſt unicum non aliud autem, quò vecors ille author confitetur, ſe narratiunculam hanc prodigioſam, ex apocryphis quibuſdam Scripturis deſumptam, in ſuas tranſtuliſſe orationes. ἤκουσα ἀποκρύφου τινὸς ἱστορίας τοιαῦτα παρατιθεμένης. Hoc malè reddidit interpres ille, quem ſequitur, qui ſemper interpretes ſequitur, Cardinalis, *occultam & arcanam hiſtoriam accepi, quæ hujuſmodi contineret narrationes.* At multa ſunt arcana, multa occultabantur, quæ tamen non reponebantur inter apocrypha: de quibus præclara admonito beati Hieronymi à Frontone Ducæo allegatur. *Caveant apocrypha omnia: & ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerint, ſciant non eorum eſſe quorum titulis prænotantur.* Certè non ſunt eorum: ſed proſtibula pudoris, & literarum plerunque mendicabula. Glorioſis titulis & nominibus Patrum διαβοήτων, inepti olim, cuculi, monachi ſemidocti cucullati, retrimenta quædam eruditionis, & Theologiæ ſpumas, ſolebant, ut faciliùs in vulgus emanarent, palliare. In ré præſenti Gregorium Nyſſenum ſciunt omnes antiquitati μεμυημένοι, inter Græciæ eruditæ cenſitum cum primis, anteſignanos: dignum Baſilio τῷ πάνυ, fratrem; dignum ſodalem Nazianzeno. Ei tam ridicula & inſipida veniſſe unquam in mentem, *credat Iudæus apella, Non ego autem.* Et ſunt illa omnia, quibus veluti lemniſcis è Nyſſeno ſectiones ſuas in apparatu Baronius exornandas cenſuit, ejus generis, ut planè inſititia videantur; quod miror doctiſſimum Exercitatorem nequaquam animadvertiſſe. Nam poſtquam pag. DC. LXXXVII, editionis Par: dixiſſet Gregorius, *His auditis in Bethleem proficiſcamur, novum ſpectaculum contemplemur:* pag. DC. LXXXIX, ſequitur, *Quidnam eſt hoc? puer pannis involutus,* &c. Quæ rectè omnino illa conſequuntur, & cùm ordine, tum ſenſu & ſententiâ ſunt, ſi quæ alia, convenientiſſima. At ſuas rapſodias impoſtor ardelio neſcio quis, inter iſta adjecit, & narrationem de Virgine beatâ ſatis longam, ſatis alienam interponit & importunam. Ita tamen, quæ fatalis eſt falſariorum infœlicitas, ut non difficultèr aut magno negotio agnoſci queant, quæ ſunt ab illo nebulone adjectitia. Poſt contemplemur addit ille, *Quomodo partu ſuo Virgo lætetur? quomodo lactet infantulum? Sed priùs auſcultemus quid de ipſa memoriæ proditum ſit. Virginis pater, ut ex hiſtoriâ,* &c. Quorſum nugator iſta tua non priùs auſcultavimus? niſi forſan, quia comes jucundus vehiculum in viâ, interim dum pergebatur in Bethleem, fabellis fictis & conſutis, auditorem tuum cenſebas recreandum. Sed τὸ μὴ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν, Quod eſt intempeſtivum, ubiq; eſt moleſtum. Importuna eſt hæc narratio hoc in loco: ſuſpendit curſum orationis optimè fluentis: res adducit ſatis frigidè minùs neceſſaris: quibus demptis perfecta ſunt, & cohærent omnia, per haſce adjectitias lacinias, divulſa. *Novum ſpectaculum contemplemur.* Quidnam hoc eſt? reſpondet alter. *Puer pannis involutus:* Si novum ſpectaculum & peregrinum. Aufer moras. Expedi actutum ut novitate iſtâ perfruamur. Illa de Virgine matre importuna narratio, *quomodo partu lætetur: quomodo lactet infantem. Quid de ipsâ memoriæ prodita ſunt,* prurientem auditoris animum, & novitatum cupidiſſimum compungunt, affligunt, nimis diù detinent, & à ſpectaculi diſtinent novitate.

Sed & ubi nam apparent illæ in ſequentibus? Mendacem certè oportet eſſe memorem: ita olim, nec injuriâ, uſurpatum. Sed & tranſitio illa tua, mi homo, poſt conſummatam fabulæ narrationem, grammaticam non ſapit, nedum Theologiam. *Quæ in antro ſunt myſteria contemplemur. Quidnam eſt hoc?* diceres autem, *Quæ nam ſunt hæc.* Sed fungus iſte reliquit intacta Gregorij verba, *Quidnam eſt hoc,* quæ non ad illa myſteria, aut narrationes ſpectabant, ſed ad illa quæ præceſſerant, *novum ſpectaculum contemplemur*; & ita tanquam ſorex ſuo ſe indicio prodit, interpolaſſe locum & narrationem Gregorianam. Poſtremò, res eſt notatu digna, quàm bellè conſentiant inter ſeſe, nugatores iſti apocrypharij. Pugnat enim iſte Gregorianus tenebrio, cum alio apud Margarinum ardelione. Epiphanius is dicitur fuiſſe. Sed ne erres lector, non ille pater Cyprius erat Epiphanius. Ut non ſit mirum Novatores noſtros homines, licet ſimplices, tamen ſuſpicaces & veritatis apertæ, ſi qui ſunt alij, ἐχόμενοι, non eſſe auſos temerè adhibere illis fidem, qui non optimè inter ſe conſentiebant, & apertiſſimè pugnarent cum ſacris literis, authoritate ſummâ & veneratione dignis, dum vel nugas malè conſuunt, vel blaſphemias.

SECT. IV.

Nutrita per Angelos in Sanctuario Maria: Cibo Angelorum. Prodigioſa mendacia Græculorum, & ab omni veri ſimilitudine abhorrentia. Argum: Baronij diluuntur quibus probare vult B: Virginem in templo vixiſſe. De Ioaſho occultato Rabbi Salomo, niſi falſificatus per Abulenſem, delirat. Pontificis ingreſſus. Auguſtinus notatus. Cryptæ in templo ſubterraneæ. Hanna quomodo non receſſit à Templo. Virgines recluſæ apud Macchabæos.

QUòd ſi beata virgo in templo vixerat (nam eſt illud non adeò veriſimile) in ædiculis illiſce ſiue Cameris degebat, quæ Templo à lateribus utrinque conſurgebant: in Sanctū Sanctorum non admittebatur, nedum ita admittebatur, ut ab Angelorū miniſterio cibum acciperet, & eorum contubernio uteretur. Germanus & Andreas, quod non omiſit Barradas in Collectaneis, audaciſſimi omnium mendaciorum promi condi, verſantem in adytis nutritā volunt non communi noſtro & humano cibo, ſed divino, immortali, (ambroſiâ, puta poetarum) Angelorum advecto miniſterio. Diſſentit alter rapſodus Epiphanius; alebatur ex templo, donec propter ætatem non deceret illam verſari virginem inter Sacerdotes. Cui ſubſcribit potiùs Caſtrius, projectiſſimus alioquin fabularum omnium advocatus. Iſta enim tam inſolita, & ultra omnem ſtuporem penè admiranda, ignota eſſe non poterant Sacerdotibus, & in templi miniſterijs verſantibus, etiam cunctis habitantibus Hieroſolymis, cùm per annos illa XI integros ad minimum ibidem recluſa vixerit; qui erecti deinceps

inceps in expectationem, dixissent ut postea de Baptistâ, *Qualisnam hac futura est puella?* Neque ullo modo poterat Diabolum latere illius conversatio, quin ad partum, si quandoque nuptui elocata pareret, attenderet: quem tamen, ut partus celaretur virginis, boni isti authores, sed & illis longè meliores volunt, Deum studiosè præcavisse. Angelorum quandóque societate usam, non est à veritate alienum. Scimus enim id sæpius in multis factitatum: & vel unius Ambrosij asseverationi largiremur: sed in illis portentosis otiosorum hominum figmentis, nec vola est, nec vestigium comparet veritatis. Verùm ista mittamus plusquam prodigiosa: quomodo probaturus est Cardinalis, non dicam in Sanctuario, sed vel in templo habitasse beatam virginem XI totos annos? Rem ipsam non vocamus in quæstionem, sed rationes quasdam Cardinalitias. Adducit in exemplum, sect. LIII, factum Iosabæ τῆς ἁγίας uxoris Iohojadę Sacerdotis. Quę, cum impotens illa fœmina Athalia in domum Davidis & sanguinem regium grassaretur, Ioashum puerum subductum illius crudelitati, annos sex integros in templo Domini dicitur occultasse. At quid habet subductio illa Ioashi, & occultatio subducti commune cum habitatione in templo fœminarum? Occultatus est Ioash sex annos in templo, habitabat ergo Maria XI annos ibidem. Ille in occulto & clam habitabat, ergò illa palam & in conspectu omnium: Fœminæ, quia viri: Vir, extra ordinem: Ordinariè itaque fœminæ. Aut quia Sacerdotes, suas cameras habebant & diversoria, contiguas templo & contignatas, in quibus ministrantes per Ephemerias suas diversabantur: Itaque fœminæ suas domunculas in quibus perpetuò versarentur. *Non vidi magis*, aiebat ille. David semel comedit de panibus propositionis, in summâ necessitate constitutus: ergo milites omnes, aut regij ministri ex ijsdem quotidiè vescebantur. Ride Lector aut ringere: miserrima est etenim hæc consequentia; Ioashi nutrix delituit cum puello in templo, erant ergo in templo gynæcia quędam. Cur non æque infantibus occultandis repositoria? Ioas enim cum nutrice occultabatur, & quidni in repositorijs puellarũ? Imò verò prudenter parum fecisset Sacerdos Iehojada, aut uxor ejus, si infantem cędi ereptum, ad cædem verò requisitum, inter mulieres reposuisset, illâ animi levitate, illâ linguę, creaturas. Plenæ sunt rimarum & undique effluunt: maximè si secreto opus sit. Nisi forsan in templo Hierosolymitano, quod de ranis quibusdam memoriæ proditum est, in nescio quâ palude, non coaxantibus, immutatæ, reddebantur ἐχέμυθοι. Athalia autem illa quæ ad tyrannidem ferebatur, fuissetne tam rudis & rerum omnium ignara, ut cellas mulierum non excuteret, & omnes vel arculas perscrutaretur? non ita illa credenda est desipuisse. Alibi in templo occultabatur Ioas, non inter mulierum stationes. Nam quod quidam de Iosabæ ipsius ædibus, & Sacerdotum uxoribus destinatis quibusdam cameris hariolantur, frigidum est, & cum à veritate tum à mente doctissimi Cardinalis alienum. Iehojada maritus illius Iosabæ Sacerdotio fungebatur in templo. Illius meatus, latebras, angiportus, mæandros, cryptas, foramina noverat & diverticula, ad quæ templi meatuum & regionum ignarus non poterat accedere. Certè de latebris Ioasi & nutricis ipsius Rabbi Salomo apud Abulensem ita censet: delituisse illos in San-

ctis

ctis Sanctorum, ne soli hîc insaniant Christiani; atque ideò Ioasum post excessum Iehojadæ passum se ab salutari & adorari, quòd coram Domino absconditus infans fuerat. Ratio ridicula, res ipsa vana, & digna Rabbino insensato & à Deo derelicto. Nam cur magis Ioasum adorant adituriéntes, quàm Pontificem, qui quotannis ingrediebatur? præsertim cum, ut rectè Iosephus atq; Philo docent, locus ille esset ἄβατος uniuersis? Nec audiendus est in istis Augustinus, qui in Exod. quæst. 331, ita distinguit de ingressu Pontificio in Sanctuarium: semel eum in anno cum sanguine ingredi solitum: sed sæpius in anno sine sangune. Sed verba Apostoli Heb. IX. VII, hoc commento non eluduntur: ἅπαξ ἐνιαυτοῦ, οὐ χωρὶς αἵματος. *Semel in anno, neque tum sine sanguine.* Nihil enim erat cur Pontifex ille toties ingrederetur Sanctuarium. Et ratio Apostoli illud commentum planè jugulat. Nam ut ille in Sancta Sanctorum, ita Christus in cœlos ingrediebatur: Christus semel non sæpe, idque non ἀναιμακτὶ, atque ideo ita Pontifex in Sanctuarium. Quocirca sunt magis audiendi rerũ Iudaicarum callentissimi, Philo & Iosephus, qui disertim affirmant; Nemini prorsus Iudæo, nisi Pontifici maximo, eíque in anno semel, licuisse introire in Sanctuarium, decimo nempe die mensis septimi, & illo quoque die, non bis aut ter, sed semel duntaxat sub pœna capitis. Quocircà commentũ est valdè absurdũ, quod ab illo Rabbino mutuatur Tostatus, Ioashũ occultatũ fuisse in Sanctuario: nisi forsan de Rabbino commentus sit Tostatus: nam apud Lyranũ aliter pronuntiat Rabbi Salomo, nimirũ quòd fuerint custoditi in Solario templi Dominici, quò nullus audebat accedere præter Levitas & Sacerdotes, quorum custodiæ atque curæ concredita erant templi vasa ibi deposita: à quâ sententiâ non abhorret quidem ipse Tostatus. Puto tamen potiùs occultatos fuisse in aliquo loco templi subterraneo, quales erant in Dei templo ad usus diuersos & multiplices, varij comparati & dispositi: in quibus quidem latebris qui occultabantur, omnem fugiebant inquirentium diligentiam: neque erant illorum aditus, non recessus aut diuerticula, nisi admodum paucissimis, noti. Ideò cum sub Tito conflagraret templum, multi in illis cryptis & meatibus subterraneis, Romanorum furorem & flammarũ incendijque vim effugiebant. Sed ubicunque tandem occultabantur puellus & nutrix ipsius, prorsus nihil illud facit, ad certas & constitutas fœminarum in templis habitationes. Neque multo fœlicior argumentatio ab Annâ illa Phanuelis derivata, quæ nunquam à templo recedebat, Luc. II. XXXVII. οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ: νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. Ergo, inquiet, in templo habitabat. Ubi autem, nisi ἐν μοναῖς consecratarum? Quidni autem in atrijs? aut ad columnam, quasi quædam στυλίτης erat enim ἀσκήτεια, ut non sit necesse in illis μοναῖς? Sed comparativè dicitur, non recessisse: non autem simpliciter & ἁπλῶς. Respectu reliquarum non recedebat, quæ rebus implicitæ secularibus, non intererant sacris, aut interesse poterant, ut illa intererat quotidiè. Atque ita jubemur, *jugiter orare.* Ita apud Davidem pari modo dicitur, *Vt habitem in domo Dei mei, & visitem illam cunctis diebus vitæ meæ.* Neque aliud quicquam denotabat, qui excubias ad ostium memorat Tabernaculi. Virgines autem illas in 2 Macchab. 2. quis docuit Cardinalem reclusas extitisse? quis Ambrosium ad

illas

illas reſpexiſſe? Is in primo de Virginibus ita ſcribit, *Etiam in templo Hieroſolymitano fuiſſe legimus virgines deputatas*. Certum eſt hinc non poſſe colligi, conſecratas, & virginitatem profeſſas, in templo illo olim habitaſſe. Aliud eſt enim deputari, & quibuſdam miniſterijs adhiberi: aliud profeſſas dare nomina, & cenſeri inter moniales. Nec à quoquam hoc collectum eſt ex Ambroſio, qui poſt Ambroſium illum locum tractavere. Ait quidem Lyranus in illum locum Macchabęorum, aliquos expoſuiſſe dicentes, *Quòd aliquæ virginis nobiles propè templum cuſtodiebantur, incluſæ uſque quo nuptui traderentur*. Hoc non ut certiſſimum, nec ut communiter receptum docet, ſed traditum à quibuſdam, quos non nominat. Simul duo proponit, quorum utrumque pugnat contra Baronij ſententiam. Ait virgines nobiles ibidem cuſtodiri ſolitas, & non plebeias. At beata Maria virgo, plebeia erat. Secundò affirmat cuſtoditas, & nuptui tandem traditas. Non erant ideò cuſtoditæ, ut recluſæ voverent virginitatem. Hanc tamen ne ſic mitigatam & modificatam ſententiam admittit poſtillator: ſed aliam producit probabiliorem. Concluſas diu, quæ parentum ędibus non exibant propter virginalem verecundiam, & pudicitiæ cuſtodiam. Cui opinioni accedit Hugo Cardinalis: & profert ad eandem confirmandam locũ è Siracidæ XV.VI. *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam.* Erant enim olim parentes in hac re quàm ſolliciti, & virgines ipſæ ad miraculum uſque modeſtiæ & pudoris ſtudioſæ. Itaque apud authorem hiſtoriæ Maccabaicæ αἱ παρθένοι κατάκλειστοι, ſunt παρθένοι κατακεκλεισμέναι, *domi concluſæ*, in parentum ædibus: aut, ut cum Hieronymo loquar, *Incluſæ virgines*; non voto obnoxiæ vel obſtrictæ, ut illi falſo imaginantur. Sed de voto θεοτόκου virginitatis in ſequenti ſectione; quam ſententiam vel ipſe textus contra omnium machinas propugnabit: Ita enim legitur in hiſtoriâ Macchabaicâ. Αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων, αἱ μὲν συνέτρεχον ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰ τείχη, τινὲς δὲ διὰ τῶν θυρίδων διέκυπτον, cum Heliodorus ab Antiocho legatus, ad diripiendas templi Theſauros per urbem veheretur. Ecquis hęc ad virginum cellas in templo diſpoſitas referret? Frequens erat hic mos, & olim uſurpabatur ubique gentiũ; unde præceptũ Phocyllidis non abludens ab illo Syracidæ. Παρθενικὴν δὲ φυλάσσειν πολυκλείστοις θαλάμοισι. Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς. Tales autem εἰρκταῖς incluſæ, μένανδροι vocabantur.

Sect. V.

Votum virginitatis B. Mariæ: quando conceptũ non conſtat. Baronij pronunciatum flagitioſum de Hæreticis, quos vocat. Illi virginitatem credunt. Baronius ſe refellit ipſum. A D. Thomâ non recedunt Novatores. Non voverat ante ſponſalia. In Deum & Ioſephum peccaſſet. Melius non pacta cuſtodiſſet.

De ſanctiſſimâ beatiſſimaque Dei genetrice, virgine illibatâ Maria, duo iſta poſſunt, niſi vehementer fallor, ſine fidei diſpendio aut veritatis ullo, nedum, quod rentur, naufragio, in quæſtionem vocari.

Prius

Prius eſt, an voverit virginitatē conceptis verbis, ante contracta ſponſalia cum Ioſepho. Secundum eſt, an hoc votum ſic conceptū & nuncupatum beatus Lucas intellexerit eo loco ubi virgo ſanctiſſima Gabrielem Archangelum ſic affatur. *Quomodo erit mihi iſtud,* ἐπειδὴ τὸν ἄνδρα οὐ γινώσκω, *quandoquidem virum non cognoſco.* De utroque ita ſunt ſolliciti οἱ ἐκ τῆς ἐναντίας, tantâ contendunt atrocitate, acſi de ſummâ rei Chriſtianæ ageretur, aut Annibal, ut habet vetus verbum, ad portas eſſet. Ita enim volunt ſi Deo placet: Per voti iſtius à virgine facti ante ſua cum Ioſepho ſponſalia, abnegationem, Hęreticorum acies, in ipſam religionis arcem cuniculos agunt. Cardinalis Baronius cui intima vetuſtatis penetralia tam ſunt cognita, quàm eſt mihi domus mea, ſect. LVII, in apparatu, *Neminem novit diſſentientem,* vel ab illâ ſententiâ de voto virginitatis abhorrentem *præter ſtolidiſſimorum Hæreticorum factionem, & ſatellitium.* Imò neminem diſſentientem quidem. *Illi enim præclaram ſathanæ navant operam, ad impugnanda vota virginitatis.* Attu, *ne ſævi magne Sacerdos.* Hæretici, quos tu appellas ſcilicet (nam de verè Hæreticis tecum juxta ſentimus) veritati & Deo navant operam. Sathanæ, tu ſimileſque tui: qui Crucem figitis, & βρόχον apparatis, hominibus εὐήθως in fraudem præcipitatis. Sanctiſſimam Dei genetricem Mariam, non minùs veriſſimè quàm aptiſſimè à Græcis appellatam ἀειπαρθένον ita ſanctè credimus & profitemur, illibatum virginitatis ſuæ florem religioſiſſimè omnium, quæ unquam fuerunt, cuſtodiſſe. Ideoque Helvidij, ſeu cujuſcunque alius mancipij Belzebubi, animitùs execramur & abominamur impietatem, qui aliter aliquando docuerunt: & ſanctiſſimæ virginis dignitati, Chriſtique incarnati honori & gloriæ detraxerunt. Quam igitur Baſilius ille Seleucienſis eleganter appellavit ἀεὶ παῖδα, profitemur ex animo, Hęretici tui, Baroni, virginem fuiſſe ante partum, virginem manſiſſe poſt partum, addimus etiam ex ſententiâ vetuſtatis, In partu virginem: ut *ſemper virgo,* verè pronuncietur.
Orat. 42. Ἔδει γὰρ τὴν γένεσιν τιμηθῆναι, καὶ τὴν παρθενίαν προτιμηθῆναι, *Generationem honore affici, &*
Orat. 34. *virginitatem honore præferri oportebat,* ait Nazianzenus: ut ita verè interrogari poſſit, quod habet idem alio loco τίς γὰρ ἐν τοῖς σοῖς ἔγνως θεοτόκον παρθένον. *An è tuis,* hoc eſt mortalium genere, *aliam mihi nominaveris Deiparam virginem?* Ecquis autem è vobis Catholiciſſimis, Baroni, ἀειπαρθένῳ Mariæ plus unquam attribuit, plus requiret? Sed votum non admittimus virginitatis? Quid refert, dum tueamur, & quidem mordicus, virginitatem? Tuemur autem illam conſtantiſſimè. Votum verò narras. Cujus? quorum? anne parentum? Non illi votum nuncupaverant virginitatis: certè non affirmantur nuncupaſſe: quemadmodum de Annâ Samuelis legitur. Quæ filium Deo vovit, ſed non aſtrinxit voto virginitatis. Et ut fidei acquieſcamus τῶν ἀποκρύφων, eſto, voverint illam Deo parentes ſui, virginem: voverunt ne ſtatim virginitatem? Temporale votum illud, hoc perpetuum: illud non impediebat matrimonium: hoc ad virginitatem obligabat illibatam ſemper cuſtodiendam. Tute id affirmas, vir erudite, ne de lacubus hauriamus Hereticorum. *Qui enim,* ais ſect. LIV, *Deo erant homines devoti, nubebant illi ſtatuto tempore: ut Samueli, & ipſi in templo oblato novimus contigiſſe.* Ita te ex ore tuo judicabimus: & ſacrarum literarum teſtimonio, non ſufficere ad votum virginitatis, votum dedicationis miniſterio

nisterio divino, vel ipsam ex voto dedicationem. Nec opinor, afferri illa poterit responsio, duriorem fuisse fœminarum olim conditionem, quàm virorum fuit, & districtiorem. Sed propiùs accedamus ad calumnias. Votum virginis personale, (nam de parentum proposita non laboratur) & quidem ante Angeli salutationem, vos num admittitis universi? videtur verò ita, *Cum enim illa,* inquis, *de futurâ prole concipiendâ accepto nuntio, excipiat, de sui corporis integritate dicens, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? ne præter sententiam illam fuisse responsionem, & elusionem potiùs quàm justam exceptionem, quod omnino absit, dicere cogamur, eam de virginitate servandâ votum emisisse fateri necesse est.* Imò certum est ita. Neminem enim nosti dissentientem, *præter stolidissimorum Hæreticorum factionem.* Cum ista tibi calamo in chartas exciderent, vir erudite, non eras, opinor, jejuno stomacho: torpebat illa vivida vegetaque Baronij πολυμαθεστάτου memoria. Aut fortassis revera Neminem noveras. Posteà tamen subitò ἀπὸ μηχανῆς in rem præsentem occurrit dissentiens D. Thomas. Atqui vir, Baroni, D. Thomas? Scholarum Dictator: Papismi ἀπάνθισμα: secretioris Theologiæ flos delibatus. Propter hunc virum tantum, ne factum undè fortassis nesciatis, Cardinalis, qui nuper in Hæreticos Tragico cothurno intumuerat, velut alter derepente factus, sedatè & tranquillè sic concludit, sect. LX. *Fuit tamen de Mariæ voto aliorum sententia:* Virginem nimirum beatissimam, postquam fuerat desponsata, votum Virginitatis, quod animo diù conceperat, sponso consentiente expressisse. Ita nimirum D. Thomas III. p. qu. XXVIII. artic. IV. in conclusione: à qua quidem opinione neminem credo Hæreticæ factionis dissentire. Ita omnia pacata inter partes, ut videtur: & dextræ conjunctæ fœderatorum. Verba D. Thomæ ista sunt: *Ante desponsationem, mater Dei non simpliciter vovit Virginitatem.* Et adhuc explicatiùs in Responsione: *Quia tempore legis oportebat generationi dare operam tam mulieres quàm viros, mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Iosepho, absolutè vovisse virginitatem, sed licet eam habuerit in desiderio, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio.* Quocircà Baroni, bona, quæso te, verba, & cum istâ factione hæreticorum hominum mitiùs age vel propter D. tuum Thomam quem in hâc parte rectè præcedentem non sunt illi deserturi. Absurdum foret autem voti ream & cum firmo proposito, etiam προηρημένως, matrimonij nunquam contrahendi constitutam, sponsalia peragere velle cum viro. Sunt enim sponsalia, nec ignorat Cardinalis ita esse, μνήμη καὶ ἐπαγγελία τῶν μελλόντων γάμων, quemadmodum respondent jureconsulti: futurarum nuptiarum promissio, ut affirmat Thomas. Virginem autem sanctissimam id egisse, in illud voluisse consentire, ut in fraudem induceret virum justum ac innocentem, qui spe liberorum procreandorum, præcipuè ἄπαις, si, ut volunt, fuerat, cum juvenculâ conjugium erat initurus, cum illa votum priùs nuncupasset, quo obstricta non posset dare liberis operam: ut illa, inquam, hoc se flagitio contaminaret, cum de ejus voluntate non foret certe, neq; esse poterat, nisi velint, ad divinam confugere revelationem: hæc ut ego inquam credam, adduci nequeo. Magis ego, & mecum Novatores, honorificè sentimus de beatâ Virgine, eoq; magis quod Baronius ipse statuerit, Iosephum cum ad illum usq; diem cælebs Sect. 56.

vixiſſet & ſine prole, juvenculæ Mariæ conjugium ambire, ut ex illa fieret liberorum pater, videretur. Quia, ait D. tuus Thomas, *Tempore Legis oportebat generationi inſiſtere, tam mulieres quam viros.* Qui, videtur, Non nemini è Scholæ primicerijs, etiam concedere, vetitam ſub Lege fuiſſe virginitatem. Id quod etiam ſenſiſſe videtur Auguſtinus Libro de bono conjugali, cap. IX. ubi poſtquam dixit, ait Gabriel Vaſques, jam melius eſſe non Nubere, & matrem familias eſſe, eo quod non deſit prolis numeroſitas, ſubjungit. *Ex quo colligitur primis temporibus generis humani, maximè propter Dei populum propagandum, per quem & prophetaretur & naſceretur Princeps & Servator omnium populorum, uti debuiſſe Sanctos iſtos, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario bono nuptiarum.* Hactenus apud Vaſquem Auguſtinus. Adde; quod ſi propoſitum habuiſſet firmum, aut votum Maria Virginitatis, ſoluta multo melius, & non pacta, vel condicta viro, liberiuſque propoſiti ſui & voti compos fieri poterat: neque licet apud Sacerdotes cuſtodita foret, toties tot occurreret peccandi illecebris aut occaſionibus, quam deſponſata, & ex pacto in manus tradita. Taceo quòd illa fabula de Mariâ Ioſepho, non ut viro traditâ; ſed ut tutori concreditâ; ex illâ mendaciorum officinâ profluxerit, quam Hæretici olim homines, appoſito titulo Protevangelio aſſeruere. Quâ fabulâ non eſt alia in totâ antiquitate, ſenſui, rationi, Scripturæ, pietati, magis diſſona: quam ſaniores ſcholaſticis, nedum Hæretici, exploſerunt. Quocircà, cum de Fide non cenſeatur, ne quidem apud illos ſcholæ magiſtros, Virginitatis, votis, Virgini Mariæ addictiores, votum illud aſſerere Virginitatis; ab illo ad ſecundum priùs propoſitum tranſeamus, loci apud ſanctum Lucam expoſitionem, *Quoniam virum non cognoſco.*

Sect. VI.

De ſenſu illorum Lucæ verborum, Quomodo fiet iſtud, receſſum à Nyſſeno & Auguſtino. Modeſtia, Conſtantia, Fides, in Baronio deſiderantur. Voti tempus poſt Annuntiationem multi à Scholaſticis ponunt. Origenes, Athanaſius, Titus Boſtrenſis, Chryſoſtomus, Procopius, Theophylactus, Heſychius, Chryſippus, Andreas, Beda, Lyra. Thomas, à Cardinali diſſentiunt. Bedæ locum falſificant. Ioſephus quomodo cuſtos Mariæ.

LOci illius ſenſus non poteſt ille eſſe quem obtrudunt, de neceſſitate voti nuncupati. Capiunt illum eo ſenſu, non equidem ab uno, è Patribus antiquis nonnulli. Sed cur ſolis prohibitum eſt Novatoribus, ut vocant, quod cæteris ſemper cum libuerit licet, à patrum nonnnullorum opinionibus, non torrente Doctorum, recedere? Reſpondeat D. veſter Thomas, vir illuſtris, *Non creditur voviſſe virginitatem.* Audaciùs fortaſſis: legerat enim ille proculdubio Auguſtinum: forſitan & Nyſſenum legerat, & tamen non credit, id quod

quod illi affirmant, voviſſe Mariam virginitatem. Da veniam, Baroni, cum D. Thomâ itidem rotundè reſpondere, Non credimus voviſſe virginitatem, qui fuiſſe ipſam virginem, conſtantiſſimè credimus & profitemur. Secundò reſpondemus, loqui poſſe illos Patres, de cordis deſiderio ante ſponſalia. *Non cognoſco:* id eſt, vellem & optarem non cognoſcere. Nam deſiderium illud ineſſe illi poterat, præcipuè inclinante illius animum divinâ diſpenſatione, quâ illud ab æterno decretum erat in illâ peragendum, quod ipſa eò uſque ignorabat. Deſiderium hoc ipſum (ſed illud nihil ad Lucæ locum) conſentiente viro, adimpleſſe eam opere conteſtamur, & firmo propoſito, adde, voto, ſi velint, conſummaſſe, poſtquam illud ab Angelo acceperat Evangelium. Inter Scholaſticos de tempore controverſia eſt voti per Virginem nuncupati, qui de voto emiſſo non digladiantur. Eadem nobis lis agitur cum adverſarijs. Liceat nobis, Baroni, Hæreticorum factioni, quod Thomæ, Capreolo, *Apud Vaſq.* Cajetano, Durando, Alberto, Soto, Lyrano licuit, voti nuncupationem, vel propoſiti obfirmati enunciationem, ad tempus poſt Salutationem referre, & ulterius de virginitate non contendimus: Neque ullam ulterius Hæreticæ pravitatis calumniam ſuſtinebimus, propter diſſentientes, non veteres Patres, aut Eccleſiæ praxin illius antiquiſſimæ, ſed Recentiores tantùm pleroſque Sholaſticos, ut ingenuè Vaſqueſius agnoſcebat. Sed tum, quid hoc ad rhombum? Lucæ illius loci expoſitionem? in quo non eſt audiendus B. Auguſtinus, liceat mihi bonâ cum veniâ dicere, qui nullam aliam cauſam excogitari potuiſſe putavit, cur ab illâ ad Angelum diceretur, *Quoniam virum non cognoſco*, præter hanc, quod Virginem ſe Deo deſtinaverat. Aliam potuit Origenes, aut non ſcriberet, *Qui licentiâ maritali licet eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat.* Putabatur futura Ioſepho uxoris loco, non quaſi cuſtos illam acciperet à Sacerdotibus ſibi traditam. Non illam contingebat ut maritus. Certè quidem non contingebat. At habuit licentiam tamen maritalem illam contingendi, non obſtante ut videtur, illo voto quod nullum erat, nec conceptum: Ioſephus enim qui futuræ ſuæ conjugis omnia norat aut noviſſe poterat vel etiam debuerat, votum illud Virginitatis ignorabat. Habuit licentiam maritalem, opinante Origene: ergo nullum erat votum Origenis judicio. Nam aut voto nuncupato Ioſephus conſenſum ſuum non adhibuit, aut adhibuit ſaltem. Ioſepho conſenſum ſuum tribuente, non erat adhuc licentia maritalis. Aut ipſo ignorante nuncupato voto, votum illud planè nullum erat. Ejuſmodi autem votum ut voveret nunquam in animum induxiſſet beata Virgo. Aliam potuit invenire cauſam Athanaſius, aut quiſquis illam ſcripſit Orationem in Deiparam Virginem. Dixit illa, *Pag. 815.* Quomodo fiet iſtud: ὡς περὶ τὴν φύσιν ἀποβλέπουσα, dixit. Cur autem ſic, *Tom. I. edit.* declarat ſtatim. Dixiſti tu mihi Angele, inquit, quòd concipiam. *Commelini.* ὡς κατὰ χρόνον ἐνεστῶτα: de tempore loquutus es præſenti. *Ecce concipies in utero.* Quaſi juxta præſens tempus intelligi deberent. Dum tecum colloquor concipiam. At iſtud, quomodo fieri poſſit, non video, quandoquidem virum meum non cognoſco. Hęc ille, veluti de factione Hæreticorum anteſignanus: nec de voto vel emiſſo, vel concepto verbum mitit.

 Aliam

Aliam cauſſam agnovit Titus Boſtrenſis. *Quomodo fiet iſtud?* nempè ut Virgo generaret filium. Intellexit ergo beata Virgo, illam mentem fuiſſe illius Angeli, ut illo modo generaret filium (*Ecce Tu concipies.* Tu, ſtatu quo nunc poſita, virginali) quo, neque antè aliqua generaverat ab ortu rerum primo, nec in poſterum alia erat filium generatura. Atque hanc ob cauſſam putat beatum Gabrielem quæſtionem illam *Quomodo erit iſtud*, in partem meliorem accepiſſe, cum tam ſeverè in Zachariâ ſimilem omnino vindicaverit. Modum autem in ſequentibus appoſitiſſimè demonſtrat. Quomodo illud, παράδοξον tam inuſitatum fieri & admitti & adimpleri poſſet: *Virtus Altiſſimi adumbrabit &c.* In hanc ſententiam inclinant Epiphanius, Heſychius, & Chryſippus presbyteri Hieroſolymitani, quos è regiâ Gallorum bibliotheca Ioannes Picus in Latinum tranſtulit Sermonem, quoſque ipſe Græcos aliquando legi, è præſtantiſſimi Savilij, τοῦ μακαρίτου, bibliothecâ. *Quo tu pacto auſus es* (προσωποποιεῖται Virgo beatiſſima apud Heſychium) *temerè ad Virginem accedere non deſponſatam* (ſed legendum opinor erat *Iam deſponſatam*, ita enim prodidit divina Scriptura deſponſatam jam tum Ioſepho fuiſſe) *ac incredibilia verba prædicare? Ais enim me parituram filium. Sine ſemine virili concepturum dixiſti, ſine nuptijs intervenientibus.* Hæc non eſt illa ratio quam ſolam agnovere & ſolitariam Nyſſenus & Auguſtinus apud Cardinalem. Quanquam illa, ut probabamus, Nyſſenum neutiquam reſipiunt. Andreas præterea Hieroſolymitanus non facit in hac cauſâ cum Baronio. *Virum non cognoſco. Quaſi dicere vellet*, inquit ille, *Num ego ſola inter mulieres novum modum naturæ introducam? Mène ſolam poſſibile eſt fœtam in utero geſtare poſſe cum nullo congreſſam viro?* & iterum in ſequentibus. *Nuptias ego nullas experta ſum* (non loquitur in futuro expertura ſum, ut nec modo congreſſuram) *deſponſata enim at non nupta ſum. Nondum fui cum viro, ſponſum ego ſolum, ac unicum Ioſephum nondum cognoſco*, ait, *Nondum cognoſco.* De præſenti loquitur: quaſi poſſet in poſterum cognoſcere, nullius ſibi voti conſcia, nullius propoſiti de ſervandâ æternùm virginitate ſunt iſti è Græcis recentioribus, ſed Baronio τὰ παιδικὰ & in delitijs: quos ſolos ſequebatur non ita pridem, in multis ad beatam Virginem ſpectantibus. Hi Nyſſenum non ſequuntur, & quod nequibat Auguſtinus, alias illius dicti adinvenerunt cauſſas, *Quoniam virum non cognoſco*; nec eſt apud iſtos apex ullus quo virginitatis propoſitum illud ex Antecedenti ſtabilitur. Nam de conſequenti propoſito & complemento neutiquam Chriſtiani dubitamus. Sed nec apud Chryſoſt. Hom. V. in Matth. vel Procopium in Eſaiæ I. pag. C. XVII. Non apud Theophylactum. Οὐχ ὡς ἀπιστήσασα εἶπεν ἡ παρθένος τό, πῶς, ἀλλ' ὡς σοφὴ καὶ συνετὸς ἐπιζητοῦσα μαθεῖν τὸν τρόπον τοῦ πράγματος. Οὐδὲ γάρ γέγονέ τι τοιοῦτον πρότερον, οὐδὲ μετὰ ταῦτα γενήσεται). *Non dixit Quomodo, tanquam incredula foret Virgo. Verùm ut prudens & intellectu prædita, rei modum & conditionem ediſcere volebat, neque enim quid ejuſmodi prius unquam contigerat, nec deinceps futurum erat huic ſimile.* Nicolaus etiam Lyra, utcunque fateatur hoc in loco Doctores Catholicos, puta qui in ſcholis dominabantur, votũ introducere Virginitatis, tamen in ſuis Additionibus non veretur dicere: *Verè licet Doctores hoc aſſerant, verba tamen beatæ Virginis non videntur hoc aſſerere: neq; ex iiſdem verbis hoc videtur ſequi.* Non videturſe qui: hoc longè diſtat

distat ab illo, Nihil huic aliud consequi potest. Non videbatur sequi nostrati Bedæ, cujus ista sunt inter alia, quæ reticuere honesti viri, virginitatis votæ advocati. *Legerat Maria parituram virginem:* (apud Esaiam scilicet) *non dubitabat* (de eventu scilicet) *Sciebat enim quia impleri oportebat, quod ab Angelo nunciabatur. Sed quia, Quomodo illud fieret non legerat, nec ab Angelo audierat quomodo & quo ordine impleri deberet, requirit: quia hoc mysteriũ, a sæculis absconditũ, à Prophetis non prædictũ, ab Angelo est reseratum.* Præter enumeratas istorum tot sententias, authoritate Augustini non deterritorum, poteramus & alias insuper rationes è Scriptoribus adjicere vetustioribus, quare dictum sit a beatâ virgine, *quoniam virum non cognosco*, quomodo fiet istud: ut jam non, Soli Novatores: aut, *stultissimorum factio hæreticorum*, à sententiâ recesserint Augustini, & Nysseni, si Nysseni, sed & ex antiquis Scriptoribus, ante ortos Novatorum tritavos nonnemo. Illa vero actio qua beata virgo in manus Iosepho tradita & transmissa dicitur, οὐχ ἕνεκα τοῦ ζεύχθῆναι αὐτῷ, nimirum in proposito & voluntate Dei, ita divinitus mirabiliter præter ipsorum expectationem & propositum ordinabatur, ὅπως διαφυλαχθείη, ita loquitur ipsemet Epiphanius, εἰς μαρτύριον τῶν ἐρχομένων, ὅτι οὐ νόθη ἡ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας οἰκονομία, ἢ ἐπιδήμησεν, ἀλλὰ μεμαρτυρημένη ἐν ἀληθείᾳ, ἐκτὸς τοῦ σπέρματος ἀνδρὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ οἰκονομηθεῖσα ἐν ἀληθείᾳ. *Vt custodiretur in testimonium futurorum, quòd non accesserit spuria dispensatio adventus in carne, sed testificata in veritate, quòd sine semine virili in Spiritu sancto dispensata fuerit.* Atque hoc ideò, ne, ut loquitur Chrysostomus, Iudæi illi infideles, qui per contumeliam dixerant, *Nonne est hic fabri filius, dicerent*, Nonne est hic meretricis filius. Quam causam, utroque prior, Ephiphanio, viz. & Chrysostomo, Basilius attulerat homilia εἰς τὴν ἁγίαν pag. CC. XXXII. Ἵνα καὶ μάρτυς οἰκεῖος ᾖ τῆς καθαρότητος Μαρίας ὁ Ἰωσήφ, καὶ μὴ ἔκδοτος ᾖ τοῖς συκοφάνταις, ὡς τὴν παρθενίαν βεβηλώσασα, μνηστῆρα εἶχε τοῦ βίου φύλακα. *Vt domesticus esset testis puritatis virgineæ Iosephus, atque ut ne Sycophantis exponeretur, quasi quæ violaverat virginitatem traducenda, ideò vitæ custodem suæ sponsum suum habuit.* Atque hæc de voto virginitatis Mariæ. In quâ quæstione examinandâ, cum fidem doctissimi Cardinalis tum etiam constantiam, & modestiam cogor desiderare. Modestiæ enim limites transgressus videtur sect. LVII. ubi in Hæreticos, quos vocat, plaustra quædam evomit convitiorum. *Factiosos, Hæreticos, Stolidissimos*, emblemata quædam styli Baroniani legimus. *Diabolo operam navare*, vir iratus, convitiatur, quum continentiæ & Sanctitati necnon virginitati illi veterum, οἱ κατωπτευόμενοι multo magis deferant & non ψευδωνύμῳ, quam quibus Patrum rubro galeritarum, qui vitiis suis omni fœditate conspurcatis, Trimalcionem illum superant Petronianum. Constantia videtur hæsisse ad metas, cum qui nullum planè noverat dissentientem, Præter &c. sect. tamen LX, aliorum sententiam diversam agnoscit, & illorum authorem D. Thomam. Fidei minus habuisse rationem est putandus, cum in Sancto Augustino sic triumphet apud Latinos, & Nysseno apud Græcos, tanquam hosce sequerentur cæteri omnes, cum tamen tot à nobis recitentur diversarum authores fautoresque opinionum. Sed ita est, in hac quæstione sine ullo præjudicio vel fidei dispendio, cur nobis non æque liceat ab Augustino recedere, atque licuit Baronio ab origine, Nysseno, Chrysostomo, Beda atque alijs

ſect. LXIX, diſſentire, de Summo Sacerdotio Zachariæ. Nam ut rectè ibi ſcriptum à Cardinali, *Pro veritate elucidandâ obniti contra quoſvis, cum oporteat, neceſſitate quâdam invenimur aſtricti.* Scimus autem, & in hac re, te ſequimur, *ô Graiæ gentis decus. Amicus Plato, Socrates amicus, magis autem amica veritas.*

SECT. VII.

Ioſephus, an viduus duxerit B. virginem. Hieronymus ſolus cæteris contrarius. Eum ſequitur Cardinalis. Traditiones oppoſitæ. Non duxit eam ſenex decrepitus. Ridicula argumentatio è parietum picturis. Maria cur tradita Ioſepho. Civitas ſita in montanis, quæ. Diſſertatio pro Caſaubono de voto virginitatis, & virginibus votivis apud Judæos.

IOſephum, Deiparæ virginis ſponſum, vetuſtiſſimi Scriptores eruditiſſimique, viduum acceſſiſſe docent ad illius conjugium, mortuâ, quam priorem duxerat, & undè liberos genuerat, uxore. Habemus, non ut de votâ virginitate, ſolum & ſolitarium teſtem Auguſtinum, aut tenebrionem illum Gregorij Nyſſeni nomen falſantem, ſed nubem teſtium apud Cardinalem, ſect. LXI, in Apparatu, & Chriſtophorum à Caſtro in Hiſtoriâ. Citat iſte graviſſimum & antiquiſſimum authorem, ita ſcilicet videtur Bulingero, Hippolytum Epiſcopum Portuenſem, apud Nicephorum libro 2. cap. 3. Origenem in XIII. Mathæi. Hilarium Can. I. in Mathæum. Ambroſium in I. ad Galatas. G. Nyſſenum, orat. 2. de Reſurrectione. Chryſoſtomum orat. de Annunciatione. Epiphanium, ſæpius, multis locis. Hæres 2. 29. 51. 78, & in Ancorato. Citat Auguſtinum, Theophylactum, Nicephorum, Euthymium, Oecumenium, & ante omnes Euſebium. Quos tamen omnes tot, tales, facilè tranſmittit, ne dicam, contemnit Cardinalis præ Hieronymo, & quibuſdam inferioris notæ Scriptoribus, qui virginem potiùs contendunt extitiſſe Ioſephum, ante ſua ſponſalia cum Mariâ. Eſt tamen Hieronymus, ut ubique vehemens, ita in Eriſtico illo genere parùm nonnunquam attendendus. *Tu dicis* (impurum Helvidium alloquitur) *Mariam virginem non permanſiſſe: Ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam: ut ex virginali conjugio virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuiſſe non ſcribitur, Mariæ autem quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potiùs fuit, quàm maritus, relinquitur virginem eum manſiſſe cum Mariâ qui pater Domini meruit appellari.* Contra tamen Epiphanius, Ἔσχε μὲν οὗτος Ἰωσὴφ τὴν μὲν πρώτην γυναῖκα ἐκ φυλῆς Ἰούδα. καὶ κυΐσκει αὐτῷ παῖδας αὕτη, ἀριθμῷ μὲν ἕξ, τέσσαρας ἄῤῥενας, θηλείας δὲ δύο: *Habuit quidem Ioſephus iſte, & ſuam uxorem priorem de tribu Iudâ, nimirum iuxtà Legem contribulem: peperit autem illi, ea liberos ſex numero, maſculos quatuor, femellas autem binas.* Eundem porro natum vult XL annos, cum Iacobus ipſius liberorum natu maximus in lucem

cem ederetur: & cum virginem Deiparam uxorem duceret, περί τε ὀγδοήκοντα ἐτῶν, ἢ πλειόνων, octoginta, vel etiam plurium annorum putat extitiſſe. Sed quicquid ſit de viduitate Ioſephi, quæ an rejicienda ſit ſententia nondum diſputamus, illa de decrepitâ Ioſephi ſenectute, eſt, ut ne quid gravius pronuntiem, improbabilis. Nam data eſt Maria in matrimonium Ioſepho, per divinam diſpenſationem ſapientiſſimam, ne malevoli, & malitioſi Iudæi, qui Chriſtum erant adeò exoſuri, dicerent, Meretricis fuiſſe Filium. Quòd ſi ſenem tam decrepitum & effætum duxiſſet, qui liberorum generationi non poterat videri ſuffecturus, nequaquam hæc ſuſpicio præciſa fuiſſet, aut convitiandi anſa ijs ablata, ſed è contra contumelijs & blaſphemijs, cauſa vel cum primis fuiſſe præbita. Secundò, non parum hinc decederet de laudibus continentiæ Ioſephianæ, atque efficaciâ divinæ gratiæ, quæ ſi flammas reprimeret concupiſcentiæ, in robuſto viro, & ætatis jam confirmatæ, ut cum conjuge juvenculâ, & proculdubio venuſtâ, virgo nihilominus permaneret, multum omnino effeciſſet, cum ab ipſâ naturâ ille ardor ætatis, in ſene penè jam Acheruntio & mero ſilicernio ſoleat defervere, & evaneſcire. Tertiò, ille receſſus in Ægyptum & peregrinatio tam longinqua, tot obſeſſa viarum difficultatibus, à viro tam grandævo, neque ſuſcipi poterat ſatis commodè, neque debebat imperari. Ipſe enim quem volebant datum virgini tutorem & curatorem, tutelâ potiùs indigeret & curatione. Addendum fortaſſe, non videri cum hiſtoriâ Evangelij ſatis conjunctum, ut tam grandævus duceret beatam virginem. Nam ſupervixit ad annum Ieſu Chriſti duodecimum, nec ſenex penè tum centenarius, quotannis ter, Hieroſolymas videtur potuiſſe commeare. Quòd ſi ſupervixit, ut nonnulli volunt, ad annum Servatoris xxx, & quod adhuc excurrit, ad prodigioſam ætatem, per illa tempora, deſcendemus. Et certe non abludit à veritate in vivis tum Ioſephum ſubſtitiſſe. Aiunt enim, tanquam viventem deſignare vellent, *Nonne hic eſt filius Ioſephi?* & adhuc clarius, Ioh. *6. 42. Nonne hic eſt filius Ioſephi, cujus novimus patrem & matrem?* quæ non poſſunt in defunctum, niſi perverſè competere, & jam caſſum lumine, ut opinor. Quocirca Torniellus, ille æmulus induſtriæ Baronianæ, in concinnandâ hiſtoriâ ſuâ ſacrâ, ſecutus Toletum Cardinalem, virum exactè eruditum, prudenter deſcendit in alia omnia de ætate Ioſephi. Dant verò nonnulli ſatis amplam & opportunam ridendi occaſionem, dum decrepitam hujus viri ætatem probaturi, parietum picturas & feneſtrarum in Eccleſijs producunt & in Monaſterijs. Quod genus argumenti ſi quid roboris haberet, probari quoque poſſet ad eundem modum, Diabolum illum tentatorem, Monachi cucullati indutum veſtitum, & aſſumpto habitu eremitæ, Chriſtum acceſſiſſe, cum ad illum modum ſoleat, in parietibus deformari. Imò verò ſequetur ab hoc argumento, juvenem extitiſſe cum duceret Mariam, quia paſſim in Germaniâ, quod teſtatur Gerſon, formâ & figurâ juvenilibus depingeretur. Data eſt autem, & in manus tradita Ioſepho, ut fieret conjunx, non ut cuſtos & ἐπίτροπος huic aſſideret: loquor de humanâ

manâ intentione, non Dei speciali dispensatione, & in rebus humanis οἰκονομίᾳ. Data autem, vel per parentes tum adhuc in vivis existentes: aut per tutores & ἐπιτρόπους, quos penes jus in illam & imperium fuit. Longè enim erat probabilius, quàm ut per Sacerdotes desponsaretur: Quæ & ipsa ex eodem fonte fluxit opinio, undè cęteræ portentosæ, ineptæ, ridiculæ, impię, propagabantur, Leucij vel Seleucij pseudevangelio. Tradita autem, non seni vieto & emarcido, sed vegeto homini & robusto. Et data secundùm Hebræorum consuetudinem, ut sponsalibus factis in domum conjugis desponsati deduceretur: qui non Bethleemi quod somniant nonnulli, sed Nazaretæ in Galilæâ habitabat. In illis ædibus, illud Evangelion, cœleste ab Angelo nuncicium accepit. Indè exurgens post conceptionem, ad visitandam cognatam suam Elisabetham, In Iudææ montana properabat. De cujus itineris termino, ad quem, imperitè nimis loquitur Cardinalis, *Quòd nulla possit oriri ambiguitas, quamnam civitatem in montanis sitam, ἐν τῇ ὀρεινῇ, beatus Lucas intelligebat.* Orta est enim ambiguitas, & discessum in contrarias, de illâ civitate, opiniones. Apud Barradium in commentarijs, Clicthoveus, Eckius, Hugo Cardinalis, Beda volunt civitatem illam non aliam esse, sed eam ipsam quam novimus sitam inter montes; Ierusalem nempè, de quâ Psalmistes: Montes in circuitu. Et alio loco: Fundamenta ejus in montibus sanctis. Quam diversitatem, nedum ambiguitatem, mox ipsemet agnoscit Cardinalis. Falsi quidem illud isti Interpretes. Non enim Ierusalem erat urbs Sacerdotum. Non urbs in montanis Iudæ sita, sed in sorte tribus Benjamin constituta, in montibus sita, non in montanis, hoc est in deserto Iudæ. Quocircà non optimè Cardinalis dicebat, Nullam potuisse oriri difficultatem, cum multiplices indè extrudantur. Sed de votivis in Iudæâ virginibus, ἀνθυφαίνοντες τὸν λόγον adjicere ulterius nonnulla debemus propter obtrectatores Casaubonianos. Virgines olim apud Iudæos in veteri Synagogâ, voto fuisse constrictas & obligatas, ad serviendum Deo in Templo Hierosolymitano, nusquam in Scripturis sanctis extare, sed ne quidem significari, dixerat Exercitator. Respondent: multa fuisse in moribus Iudæorum usurpata, quæ non sunt mandata sacris literis. Quis verò nescit? Neque enim hoc versatur in quæstione. Sed an in moribus illud positum fuerit Iudęorum: tum an ita positum, sicuti contendit Cardinalis, uspiam in sacris literis significetur. Non ergo respondent, τὸ ζητούμενον. Respondebunt autem. Nam docent & demonstrant è sacris literis, contrariam Casaubonianæ assertionem. De virginibus votivis istis, aliquid videtur significari Levit. XII his verbis, *Cum expletæ fuerint dies purificationis suæ, pro filio sive pro filiâ, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, sive turturem pro peccato.* Laudo Bulingeri defensionem. Votivæ enim virgines in Monasterijs olim, non erant aliæ quàm sunt de quibus loquitur Lex Mosaïca, hoc est, puerperæ & τικτόμεναι. Verùm insuper mirificus est in hoc ipso artifex. Agitur enim de Holocausto. Holocaustũ non erat redemptionis pretium. Hinc tamen pulcherrimè hoc deducit, fœminas æquè redimi, atque viros potuisse.

potuiſſe. Quòd ſi nollent parentes has redimere (& tamen vili redimebantur, pro duobus pullis columbinis, aut pro turture, ait Lex) miniſterio divino addicebantur. Si nollent, ait: Nam non incumbebat cuiquam neceſſitas redimendi prolem. Sed inſignitèr erratum eſt in Scripturæ ſacræ teſtimonio. Neque enim eo loco agebatur, de redemptione, vel maſculi vel fœminæ; ſed agitur de oblatione puerperæ purificandæ poſt partum vel maſculi vel femellæ. Adiſis tuos interpretes, mi homo; aurem ſomniculoſo vellicabunt, & in viam reducent deviantem. Quod de fœminis redimendis magno ſtrepitu docetur, ecquis adeò imprudens aliquando extitit, qui tibi prælucebat imperitiæ facem? Redimebantur, lutro ſoluto, maſculi: & ſic parentum ædibus reddebantur. Femellæ redemptio nulla fuit. Quippè nulla cur redimeretur cauſſa. Vide Oleaſtrum, Abulenſem, alios in locum. Imò vide textum ſacrum, ubi redemptio priùs inſtituebatur: Exod. 13. 13. *Quicquid habueris maſculini ſexus, Domino conſecrabis.* Ubi tuæ jam femellæ conſecratæ? Sed premis, & inſtas ex arte tuâ Grammaticali: Exod. 13. legitur, inquis, *Omne primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes.* Hominis autem voce, cùm mares, tum femellæ comprehenduntur. Parate verò ſtylum: explicate tabulas Novatores. Diſcetis tandem quod ignorabatis, ſcilicet, Hominem pro mari & femellâ poni. Tradite vos, ſi ſapitis, huic σοφῷ, in diſciplinam. Quanquam quid nobis proderit, de Hominis ſignificatione doceri? Non de Homine primogenitâ, ſed primogenito Hominis hìc ſtatuitur. Homo ſignificat, marem, fœminamve. Eugè. Atque ideò peperere olim mares atque fœminæ. Non enim hìc de partu, Homine: ſed Hominis partu, Lex ſciſcit. Partum verò adeò reſtringit, ut niſi *filiabus* cum *filijs* legeretur, apud Moſen, conſtringi neceſſe ſit, illam laxitatem. Quòd ſi verò oculos pauliſper ulterius adhuc promoviſſes, Hominem, ambiguæ ſignificationis vocem, maribus addictam & aſtrictam potuiſſes animadvertiſſe. Ait enim textus, *Maſculini ſexus.* Ubi gloſſa interlinearis verè, *Non fœminini.* Reliqua de votis vel redemptis, è falsâ hypotheſi, vera in ſe, differuntur. Sed ſunt ut multa paſſim in Diatribis eſſe amant, ἀπροσδιόνυσα. De femellis redimendis habes domi quibuſcum contendas. Litiga igitur cum tuis Bulingere; Habes qui palàm refragantur, & in os reſiſtent. Nos intereà ſecuri erimus de Scripturis, redemptas vel redimendas femellas ſignificantibus, propter redemptos vel primogenitos, vel etiam homines. In quo tamen ipſo ſuavitèr deſipuiſti. Nec in votis ſe conſtringunt adeò Theologi aut in ijs verſantur tam coactè, ut præter votam Deo perſonam, nihil aliud intelligant eidem poſſe addici & conſecrari. Levit. 27. de votâ Deo filiâ Legiſlator cavit: non illâ primogenitâ, ne erres, propterea quòd ſtatim annectit, de voto redimendo, numeratis quibuſdam argenti ſiclis. Unde tamen non infertur, Virgines Deo votas perpetuam juraſſe

castitatem, aut virginitatem perpetuam intactam debuisse custodire, si non redimerentur obligatæ. Non magis illæ tenebantur, quàm Samuel, Deo consecratus à pueritiâ; virgo vixit & mortuus est, quem scimus operam liberis gignendis impendisse; redemisse verò votum suum, non legimus. Votum legitimè conceptum, multa quoque alia Deo consecrabat præter virginitatem. Devotio tamen non eodem modo obligabat. Nec illa erat *Consecratio*, vel *Devotio* ulla primogeniti, quæ Leuit. 27. 28. habetur. Nec erat redemptio istorum alicujus. Sed erat Captivorum Deo devotorum capitum mactatio. Et miror adeò oblivionem obrepere in his versanti: Vt qui de redimendis pretio & asserendis Deo devotis personis egerat, proximâ statim lineâ contrarium statueret: *Non vendetur, neque redimi poterit.* Disputatio instituitur de redemptis & redimendis votis. Multo molimine, conatu magno agebatur, ut probata redemptio statueretur. Vertit autem omnia hoc epiphonema, *Non vendetur, nec redimi poterit.* Modò aliquid dixeris, & chartis alleveris, parum refert, quo fine, quàm verè, quàm congruenter Scripturis, quàm tuis ψηφίσμασι consentaneè dixeris. Quid enim illa sonant? Quid sibi volunt? Exodi 13. *Quicquid habueris masculini sexus, Domino consecrabis. Fæminas excipit.* Hoc fateris. *Quas tamen voveri & redimi posse, ostendi* ais: scilicet tu, contra expressum Scripturæ testimonium; & affirmationem in contrarium. Ita vir jam es, qui contrarium ostendisti fieri potuisse illi, quod expressè prohibetur in sacris literis. An non hic furor est, hominis loquentis obloquia in Excelsum? An stupor potius, hominis à se, & à sua mente peregrinantis. Ostendisti autem. Sed quàm euidenter? quo teste probatum? Testimonio scilicet Nysseni confirmatum. Benè habet: nescio quis obscurus ardelio, personatus Nysseni nomine fidem derogavit, censente Bulingero, diserto Scripturarum testimonio. Dixi à mente peregrinantis: Ideò à rectâ ratione, & rationis organo, Dialecticâ. Nam quia non est par credere Virginem sanctissimam in Templo educatam, contra omnem Iudæorum consuetudinem, & Legem Patriam, necessarium est, ut virginibus devotis vulgò fuerint cellæ & dormitoria quędam constructa & destinata, in quibus habitarent. In quâ mirabili dissertatione, id tanquam extra omnem controuersiam positum assumitur, quod imprimis judicatur controuersi status; Nimirum, an beatissima virgo, tanquam vota Deo & consecrata, in Templo adoleverit. Quod nemo concessurus est, Baronio nequidem affirmanti. De cellis autem nonaginta non minus infeliciter succedit ratio. Probantur fuisse annexæ & adjunctæ Templo. Quis hoc autem negat? Sed num virginibus votis recipiendis destinatæ, hoc non asseritur à Iosepho. Ὅτι, perspicuum est apud illum. τὸ δι' ὅτι ineptè astruitur, quum non asseritur. Illud à Casaubono non negatur. Hoc non probat Bulingerus. Casaubonus qui

Lib. 5. de bello cap. 14

agnovit

agnovit cellas, in alios usus destinavit. Non diffiteris. Ulterius doces ab ipsarum appellatione usitata. Vocabantur enim exedræ, gazophylacia, ταμιεῖα, vestiaria. Sed an satis ista sanus? Deprecaris igitur in postremis, & pauculas è multis, quasi precariò, emendicas. Quòd si nusquam in templo κατακλείστοις hisce locus, erit tamen in proximo, ne discedant longiùs, domo nimirum Pontificiâ: ubi cum Samuele disponentur, & Ioaso: quòd alicubi necesse est ut disponantur: ubi autem, nescitur, nec definis: ut frusta quærat & operam ludat, qui votivas istas virgines in templo quærit, non minùs quàm lusit olim Atalia, Ioasum cum nutrice, indagando. Vellem autem ex Ambrosio nobis indicasses. Ubi *lectum* recognoscere posimus, in templo Hierosolymitano fuisse virgines κατακλείστους. Locum Apostoli 1 Cor. x. xi. an narrabis quorsum huc advocaveris? quasi de Parthenonibus, & Pastophorijs in templo Hierosolymitano, apud illum tractaretur. Tu quæ tua est ἀρεσιλογία, cellas in Templo Salomoniaco constructas, typos pronuntias cellarum fuisse, quas in suo templo Herodes construxerat, & de typis istis ac figuris loquutum ad Corinthios beatum Paulum, *Omnia illis contingebant in figuris.* Quod si erat in illis cellis Salomoniacis figuratum, illud tibi alibi quærendum fuerat, quàm in cellis Herodianis. Nisi forsan & templum ab Herode conditum in illo Salomonis figuratum asseveres. Assentiris Iosabeam fuisse uxorem Ioadi Sacerdotis. Et quis te crederet assentiri? Quid opus assensum profiteri, cum nemo unquam, cui lecta sit Historia sacra, dissentiat? Quorsum autem, si assentiaris, non assentiris Exercitatori in eo quod ἡμᾶς ἔγραψεν ἐκ τύχης Cardinalis, qui eandem virginem Deo dicatam, pronuntiat in templo permansisse? Quorsum verò prætermisso hoc ipso παρεγγράφεις, *Vnde discas fuisse matrimonium Pontificibus cum tribu Iuda, quod negasti.* Ubi autem hoc? an memoriâ tenes? Certè non negavit Catholicè. *Pontifex summus & maximus*, hoc est quod affirmat, (tu proba Ioadum qui duxit de Iudâ Iosabeam, fuisse summum) *ducere tenebatur Sacerdotis filiam.* Ita Philo: & Legislator Moses. *Alij Pontifices & Sacerdotes*(& erat Ioadas inter Sacerdotes alios)*de tribu Iuda, vel alia* quâcunque tribu sibi poterant uxores despondere, modò illæ quas ducturi erant, ἐπίκληροι non essent in domo patris. Ratio legis enim fuerat illa sola, *Ne permiscerentur Hæreditates.* Modò legi fuerat satisfactum, vetitum non erat permiscere quidem cæteras tribus, vel in Sacerdotalem illam comeare. Rectè porrò veritatem in sequentibus agnoscis, quam nequaquam agnovit Cardinalis. Canisij enim insomnia malebat sequi, quàm rectam rationem præeuntem. Temerè ob hoc ipsum & ridiculè de Annâ Phanuelis apud beatum Lucam pronuntiavit: & de Mulieribus illis Exod. 28. ad ostium Tabernaculi excubantibus. De reclusis in Historiâ Macchabaïcâ, laudo sententiam &, ô, sit sic semper in Diatribis esset erratum? At quid caussæ fuerat, ut cùm pedibus ieras in sententiam Casaubonianam, nescio quid hìc ulterius ampullarere, de virginibus, etiam apud Ethnicos κατακλείστοις; cùm vir doctissimus, & si quis alius his arcanis μεμυημένος, abundè nos è suo penu

 instruxerat,

instruxerat, de antiquâ illâ consuetudine. Certè ut nobis innotesceret, etiam te ipsum, pro tuâ πολυαναγνωσίᾳ, quædam apud authores observasse, ultra lectiones Casaubonianas. Fieri potest, & fortasse non. Neque enim omnia sibi lecta, visa, observata, viri eruditi solent in unum fascem conjicere vel farraginem. Illud ultra Exercitatorem: Ἄρκτους & ἀρκτευομένας apud Harpocrationem, inter Atticas Virgines, fuisse κατακλείστους. Erant illæ dedicatæ: Sed non voto virginitatis obligatæ vel obstrictæ. Nubebant enim: non tamen priùs quàm erant ἀρκτευόμεναι. Ratio nominis apud Grammaticos, diversam valdè indicat rei rationem. Non animadverterat Exercitator, reclusas specialiter μοναύδρους nominatas. Poeta nescio quis epigrammatarius, (locum enim à me quondam in meis etiam adversarijs notatum, non poteram reperire, cum sub manu essent tuæ κατάκλειστοι) μοναύδρους appellat si non erraverim, nequaquam conclusas, sed elocatas potiùs, certè elocandas, & jam jam à maritis delibandas. Sed non contendo. Sint ut voles. Lycophronis Cassandræ mentem cepisti minùs rectè. Benè enim doctissimus Canterus observat, parthenonem istam, fuisse ipsi vati extra ordinem domum destinatam: Lapideam domum, in quâ carceri mancipata secum sola vaticinaretur. Non apud matrem inclusa vel sorores, sed ab hominum consuetudine, quibus per vaticinia molesta fuerat, penitus remota: ut in sequentibus docet poeta. Licet & parthenones essent quodammodo εἱρκταί. Erant enim domi apud matres suas virgines conclusæ & educatæ sub disciplinâ. Hinc Tragicus ait; *Quo more cœtus publicos virgo petes?* In atrijs scilicet, ubi olim matres familiæ. *Matres familias vestræ in atrijs domorum operantur,* ait Arnobius. Et hinc est quod in Historiâ Macchabaïcâ illæ, apud matres virgines κατάκλειστοι, ut author loquitur, διὰ τῶν θυρίδων διέκοπτον. Hinc de beatâ Teclâ Basilius Seleuciensis, Ἤδη παρθένος ἔμελλε μὲν ἐπὶ τῆς οἰκίας ἔτι, καὶ τῆς φιλτάτης εἴχετο θυγατρός. Ἡ γὰρ αἰδὼ τῆς ἡλικίας, καὶ τὸ νόμον εἶναι ταῖς ἔτι παρθένοις μὴ θυραυλεῖν (de Græcis loquitur, nam apud Romanos aliter) ἀλλ᾽ ἔνδον ἠρεμεῖν, μένειν ἐποίει ἔνδον. Videndus etiam Nazianzenus Tom. 2. pag. 57. & 61. Quæ sequuntur, recocta & repetita toties, & inter se committuntur, & cum alijs. Patres qui de virginibus requisiti debebant respondere, tacent. Poeta non bonus Viterbiensis, quia solus, ut videtur, ad manum fuerat, optio successit illis primipilis. Sed Personæ habemus exceptionem. Nec ipse ignorabas.

SECT.

Sect. VIII.

Baronij Grammaticam sugillat Casaub. Bulingerus non inficiatur. Mirificè excusat. De momento conceptionis Christi, omissa disputatio apud Cardinalem. Rosweydi cavilli. Calumniæ de illo momento tertia ex sententiâ. Thophylacti moderatio. Dominus tecum. Gratiâ plena. Gratiæ prærogativa. Plenitudo in beatâ virg. Ambrosij, Hieronymi loci. Nimius rigor, in rebus non de fide primò. Baronij unicè vera sententia, eadem cum Casauboniana quam calumniatur Rosweydus. De odio Casauboni in beatam virginem; improbitas ejusdem.

PAtere autem Casaubonum, doctissime vir, Eriberte Rosweyde, Baronij Cardinalis grammaticam, in tanto opere cespitantis, ut fieri solet, modestè præsertim & paucis annotare. Tu enim ipse in paucissimis tuis, neque magnæ molis tabellis, quoties ad has delicias deflecteris? quàm libentèr huc divertis? quo apparatu, conatu has amplecteris? quàm invitus & reluctans hinc divelleris? quàm non statim in viam soles repedare? Quin Grammaticorum scamnis Exercitatorem nostrum, ille magnus regicidarum patronus, tergicidarum dictator, nugipolyloquidarum hoc lustro senatus princeps, Andreas Cretensis Cacodæmon addixit. Nec tu, pedaneus in his artibus præ illo Senator, rescindere aut potes, aut debes, quod ille jussit voluit pro imperio. Imò ne vel obloqui, aut obnunciare. Facillimè judicat artifex in artificio suo. Nuperum Theologum, ipse non magnus in Theologiâ magister, & novitium, qui irridet Bulingerus, magnum in grammaticis non, opinor, negabit. Sed adeò infœlix est quisquis Romanam fidem non spirat, & illam Hildebrandinam, sæculis olim inauditam, insolentiam, ut à sensu communi & humanitate statim, nescio quo pacto, abhorreat, postquam publicè testatus fuerit sibi non placere μεγατόλμους illos, qui nihil non arrogant successoribus Hildebrandi. Ita Casaubonus alioquin vir eruditus, & has literas cum primis callens, tractat infœliciter grammaticalia & imperitè. Itanè verò ais, adeò imperitè. Vide ergò quam stultè & ridiculè Andreas ille Cacodæmon, more suo, jussit grammaticum citari, quasi in eâ facultate dominaretur cum paucis. Vide etiam, & tute ipse quantâ cum animi leuitate, eidem subscripsisti ardelioni. Sed quænam est illa tandem infœlicitas? nempè malè *accepta, concepta Baronij sententia.* Certè non admodum dextrè, aut rectè; fateor, Baronij sententia accepta vel arrepta est ab Exercitatore: cujus tamen malè acceptionis caussa, vel penes ipsum Baronium residere debet, vel transferri in librarios & amanuenses. Distinctius enim loqui, & dearticulatius & poterat & debe-

bat ipſe ὁ τοῦ λόγου πατήρ. Dilucidius & plenius deſcripſiſſe quoque illos oportebat, ſeu καλλιγράφους ſive etiam ταχυγραφοῦντας. *Non injuria*, ait Exercitator, *aliquis hic quæſierit, an hæc Latina ſit oratio, Magiſtratum inire per quatuor menſes.* Vidit non eſſe Latinam Bulingerus, ipſe grammaticus & literator. Tacet igitur, de Priſciano vapulante: mirificè excuſat Latinitatem. *Admoneo*, inquit, *in rebus Theologicis, ſatis eum Latinè loqui, qui benè ſentit.* Fortè ſatis Theologicè, non tamen Latinè ſatis. Nam & oratoris linguam in Theologo, & profundam etiam mentem requiremus. Certè Bulingerus in re Theologicâ, vox eſt, præterea nihil. Bene tamen. Nam ſecundùm dictata novi noſtri magiſtri, ſatis magiſterialiter loquitur, *admoneo*, inquit, *ita eſſe.* Sed oblitus erat nos in Hiſtoriâ, Baronij regno, verſari, non in Theologiâ Scotiſtarum & Thomiſtarum Dominio. Et tamen vel in illis Dorbelliſſimis, Dunſiſſimis, præter benè ſentire, requiret aliquid Bulingerus, ſi non ornatè & ſplendidè, aptè tamen & concinnè loqui: quod non præſtitit in hoc effato ſuo Cardinalis. Sed non ſunt hæc tanti, ut nos tecum, Roſwyde, ea propter exerceamus. Sequitur ideò apud Caſaubonum. *De momento conceptionis Ieſu Chriſti, quæſtionem, penitus omiſſam a Baronio fuiſſe, in tantâ diligentiâ, non nihil miror.* Hic tu tuo modo moreque modeſtiſſimè. *Vide quæſo*, inquis, *calumniatoris ineptias.* Imò animi tui morbum, & perpetuam κακοήθειαν, videant quibus libet licetque. Quæſtionem enim illam de articulo & momento conceptionis Chriſti Domini in virgineo utero, quod intactam reliquerit ut Hiſtoricus, Cardinalis hoc non incuſaret, ne cavilleris Cardinalem Caſaubonus; Non reprehendit negligentiam, aut ſupinitatem Hiſtorici. Spectat enim ad partes, & rationem potius, Interpretis Scripturarum, quàm ad Hiſtorici munus. Deindè non queritur Caſaubonus ſimpliciter, & indefinitè hoc ab illo prætermiſſum, ſed, *in tantâ* alioquin hominis *diligentiâ prætermiſſum* non nihil *admiratur.* Curioſitate nimiâ laborare, & omnia quæ poſſunt ullo modo undique coacervari, vel mitutiſſima & leuiſſima, ſtylo & dicendi facultate perſequi velle, φλυαρεῖν eſt, & in re graviſſimâ nugas agere eruditas; atque ita γέλωτα ὀφλισκάνειν. Hic cum modum ſæpenumero & menſuram Baronius Illuſtriſſimus non tenuerit, neque calamo ſuo, ut tute loqueris Eriberte, fibulam fixerit, quo minus ſe interdum ad aniles pluſquam fabulas, & tricas demiſerit Atellanas; toleranda eſt, ex hypotheſi, Cenſura Exercitatoris, qui rem ſatis curioſam, opinionum varietate, & ſententiarum differentiâ multiplici diſtractam inter Interpretes, licet aliàs non detritam, aut pervagatam, ab Annalium conditore miratur prætermiſſam. An apud Patres in Societate idem ſonat aliquem negligentiæ & incuriæ redarguere, atque mirari aliquid ab eo prætermiſſum? Illud in aliquo reprehenditur, quod ab eo debuit ex officio procurari, non omitti. Illud ſolemus admirari, quod cum ſit inuſitatum & inauditum, nullo modo potuit expectari, nec ſpectare ad officij ſui rationem. Iam verò quod penes Caſaubonum in Baronij cauſsâ reſidet, illud eſt, quod in ijs anxiè, & curioſâ diligentiâ verſatur, quæ poſſunt, fortè & quæ deberent, ſilentio involvi, certè prætermitti: quòdque eorum potior & major pars, & quæ minus debuit præteriri ſit omiſſa, cum minùs multò neceſſaria uſque

ad

ad faſtidium ingerantur. Hæc eſt illa accuſatio, non calumnia, Caſauboniana. Et cerè hìc mirari non uno in loco licebit, etſi non negligentiam aut incuriam, vix enim eſt ut in φιλοπονίαν tantam incidere illa poſſit, ſilentium tamen, ἐχεμυθίαν, & minus attentam νωχελίαν. Iam verò quæ aduerſus hæc conjiciuntur de ſummo Zachariæ ſacerdotio, non habent eandem ſed diſparem omnino conditionem & proportionem cum hac quæſtione de momento Conceptionis Servatoris. Illam de Pontificatu Zachariæ, Baptiſtæ genitoris, ſententiam, non ſuſcepit Cardinalis diſcutiendam. Non erat enim opus, non operæ prætiũ. Licet enim Chryſoſtomo τῷ πάνυ, & alijs etiam illuſtribus & primarum claſſium Interpretibus, vehementer aliquando arridebat; exploſa tamen jam pridem eſt, & unanimi quâdam conſenſione ab omnium libris & literis exulat, nec eſt hodie opinor aliquis, qui vel diſquiſitione dignam, aut quæſtione arbitretur. Eſt enim teſtatiſſimũ, Zachariam fuiſſe Sacerdotem de vice Abia; quæ octavum obtinuerat locũ in cenſu illo & diſpoſitione, quâ Sacerdotum omnium claſſes minores deſcripſit Dauid: extra quas familia Pontificia ſeponebatur. Affirmat illud ῥήτως, & diſertis quidem verbis beatus Lucas de Abię ephemeriâ. Chriſtianũ porro, nefas eſt ſubdubitare, verũ an illud ſit, ne dum vocare in quæſtionem, quod ſacrarum Scripturarum evidenti, & expreſſo confirmatur teſtimonio. Illud verò ζήτημα. De momento Conceptionis Ieſu Chriſti; non eſt iſtius generis, nuſquã ponitur in Scripturis. Nunquam ad Eccleſiæ fidem anhelauit: nuſquam conſenſu aliquo interpretum confirmatum, ſed tribus minimùm diverſis opinionibus diſtinctum & diſtractum fuit, ut obſervat & docet Exercitator. Non dubitat Bulingerus (ſed nec ego quoque dubito, nec Caſaubonus arbitror diſſentiebat) eo ipſo puncto & articulo temporis Chriſtum conceptum, quo beata Chriſti mater, Dei internuntio aſſenſum ſuum adhibebat. ἀπῆλθε γάρ, prius, ἀπ' αὐτῆς ὁ ἄγγελος, ἵνα μὴ καταλείψῃ ἀφορμὴν τοῖς ἐθέλουσι λέγειν, ὅτι αὐτὸς ὁ ἄγγελος ἐνοικήσας ἐν τῇ παρθένῳ ἐσαρκώθη. Erant tamen qui plurimum ſubdubitabant: illíque magnæ cujuſdam authoritatis atque nominis viri. Ita licuit Caſaubono, ad illam ubique ſe exerentem Cardinalis Annaliſtæ περιεργίαν inferre, *Hominem occiſum, occidit Baronius.* Et illud παροιμιῶδες è Poetâ, *Cui non dictus Hylas.* Ubi tamen, cum omiſſa ſit prorſus ab Illuſtriſſimo Cardinali, nobilis illa quæſtio de momento, & τῷ πῶς, Conceptionis in utero virginis beatæ matris ſuæ Ieſu Chriſti, & prætermiſſam admiretur Exercitator, tamen non incuriæ illum, quod jam dixi, coarguit & negligentiæ, uti tibi videtur, quanquam & incuriæ ab Exercitatore poſſet argui; ſed mirari ſe tantùm profitetur, quid in cauſſâ eſſet, ut homo alioqui tam exactè diligens, hanc penitus omiſerit quæſtionem. Quodſi autem illæ tres, in quas iſta opinio diſtrahebatur, ſententiæ de conceptu Servatoris, erant omnes in univerſum alienæ à veritate, tùm certè Cardinali major quædam neceſſitas incumbebat, pro ſuorum Annalium inſtitutâ ratione, res nimirum dubias explicandi, falſas ſententias diſtrahendi, veritatem laborantem confirmandi, hanc dubiam, intricatam, non injucundam, addo nec ἀνιστόρητον, enodandi. Neque tua illa ſufficit, aut ſatisfacit excuſatio, *Noluit falſis opinionibus Annales ſuos onerare potiùs quàm ornare.* Eſt enim primò accuſatio potiùs iſta quam excuſatio. Nam falſitatis inſimulas & mendaciorum,

daciorum, Eriberte, viros, ut Caſaubonus exiſtimat, *magnos:* ut tute ipſe, ſcio, confiteberis, omnes (niſi fortè de Nicephoro, futiliſſimo authore ampliandum ſit) non contemnendos. Niſi velis Ambroſium, Hieronimum, Neocæſarienſem Gregorium thaumaturgum, in nullo vel numero vel pretio habere. *Producit*, ais, *Caſaubonus treis ubique obvias opiniones.* Itanè autem ubique? in Scriptis omnium Scholaſticorum, poſtillatorum, interpretum, obvias? Non habentur apud veſtros doctiſſimos, diligentiſſimos expoſitores, Ianſenium & Maldonatum. Ne quidem, quod mirum eſt, (noli me quæſo calumniatorem arceſſere bone vir, ob admirationem iſtam) in illâ rapſodiâ Caſtrianâ: qui tamen vult videri coacervaſſe omnia undequaque ad virginem matrem quocunque modo, ſpectantia. Tace ergò *de tribus, ubique obvijs*, in omnibus vicis, angiportis, porticibus, *ſententijs*. Sed niſi hoc ſcripſiſſes loquteleius, neque talioni uſpiam foret locus: neque Mercurio ψυχοπόμπῳ, animarum metatori, è Luciano, aut poetarum λόγοις & fabulamentis occaſio foret. Deindè, quid ubique nobis obvias deducis opiniones, quæ, ſine contumeliâ ſummorum virorum, ubique nobis nequeunt occurſare? Patres antiquòs an *magnos* opinaris? credo equidem magnos & illuſtres. Ieſuitas tuos ſodales, an & magnos? ſcio μεγάλους, μεγαλοφυεῖς, μεγάνορας, certè ſemper, licet non raró per ſcelera, & cum dedecore μεγατόλμους & μεγαλεπιβόλους. At caveſis occurrant, aut occurſare queant apud eos *Magnos*, iſtæ tres de momento conceptionis Chriſti, ſententiæ. Quid enim? Non enim apud iſtos *magnos*, niſi Ieſuitas, ubique proveniunt falſitates. Falſas enim tu pro imperio pronuncias, omnes & ſingulas ſententias illas treis à Caſaubono recitatas. *Noluit Baronius*, inquis laxiſſime, *falſis opinionibus Annales ſuos onerare potius quàm ornare.* Tam tu ſentis honorificè de viris Magnis, Eccleſiæ luminibus, qui falſitatum nobis onera congeſſerunt, Tam ridiculè & indignè de ijſdem pronuntias, ſi modò ὁρμαθοὶ ſint falſitatum, *Vivent, vivent illæ ſententiæ*, onera Annalium ſcilicet, falſitates nec lectę Baronio, *in authorum ſuorum libris?* Imò verò in malam crucem falſitates: ad indices veſtros expurgatorios. παραχαράγματα non νομίσματα in aurifodinis, aut aur-officinis Catholicæ Eccleſiæ. Sed loquitur de proprijs qui veritatem παραχαράσσει. Animi ſui affectum, *vivent, vivent*, ἐπαγαλλόμενος quàm libentèr expreſſit: Loquitur aliunde, ut falſi olim vates, ubi contra falſitates, & *onera* pronunciat θεοφορούμενος. Imò cum laxè & diſſolutè loquatur, ſimul & contradictoriè pronunciat incautus. Illa enim ipſa Baronij veriſſima ſententia, quæ ad Evangeliſtę mentē, & Patrū conſenſū, magis faceret, quàm ſolam propoſuit prę teritis cæteris, eſt ne planè diſtincta bone vir, te enim appello, ab illis tribus & toto cœlo ac ſolo diſparata, an non? an potiùs eſt aliqua ex illis tribus falſis, quibus voluit ſuas exercitationes onerare Caſaubonus potiùs quàm ornare, & præ Baronio videri diligens? Velit nolit Ieſuita, ſub trium illarum unâ aliquâ comprehendetur. Nam ſi mox ut aſſenſum ſuum adhibuit beata virgo, in uterum ipſius Verbum delabebatur, tu ne is es qui inficiabere, illâ horâ factam conceptionem quâ illi dictum eſt ab Angelo, Eccè concipies? Ecquid *tuo* jam *calamo ſuppuratur*, Eriberte? ſed de hâc re controverſâ ſigillatim. Salutationem illam ab Angelo Gabriele χαῖρε κεχαριτωμένη, *Ave gratiâ plenâ*, diverſimode redditam ab interpretibus, non uno modo ſolent explicare:

ſunt

ſunt enim, quod veriſſimè obſervat Caſaubonus, qui nec *gratiam* hic intelligunt *facientem gratam*: nec illam alteram, *gratis datam*, ſed *gratiam* potius *cauſalem* & originalem, Chriſtum nimirum inhabitantem, in quo ſunt theſauri Dei omnes abſconditi: in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter: à quo capite, ſeu jugi puteo, in Eccleſiæ membra & Iſraelem Dei, affatim ſcaturit omnis gratia, & gratię plenitudo. Ut hic, *Gratiâ plena*, nihil aliud ſonet, quàm Chriſto plena, qui etiam tum in uteri Virginalis thalamo erat, humanæ noſtræ naturæ arctiſſimo unionis vinculo, ut ita dicam, maritatus. D. Ambroſius hoc modo interpretatur, gratiâ plenam Virginem quia Chriſtum conceperat, *Benè*, inquiens, *ſola gratiâ plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, ut gratiæ authore repleretur*: quæ totidem pænè verbis in ſuam farraginem tranſcripſit Beda. Et Bernard. ſerm. 111. ſuper Miſſus: *Legimus in Actis Apoſtolorum & Stephanum plenum gratiâ & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu Sancto, ſed longè diſſimiliter à Mariâ. Alioqui nec in Stephano habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Mariâ, nec Apoſtoli conceperunt de Spiritu Sancto, quomodo Maria.* Ad hunc modũ exponit Petrus etiam Chryſologus *gratiâ plena*, & præterea alij. Certè quidem vera, ſed aliena tamen ſententia, nec authoribus ſuis viris magnæ in Eccleſia authoritatis, dogmaticè credo, vel propoſita vel defenſitata. Nam rectè ab interpretibus illis, quos ſequutus eſt Caſaubonus, annotatur, poſt Angelicam prolatam ſalutationem, de conceptione Ieſu Chriſti, in utero virgineo, ut de re futurâ Archangelum Gabrielem pronuntiaſſe, *Ecce concipies in utero tuo*. Diceret autem, ex illorum ſententiâ, ecce in utero tuo concepiſti: agnoſco autem verba Hieronymi, ad Principiam ſcribentis, *Quia conceperat illũ in quo omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter, plena gratiâ ſalutatur*: Et ſimilia ex Ambroſio & alijs recitavimus. Sed fortaſſe doctiſſimi illi Patres, nihil aliud hâc locutione voluerunt, quàm, quia *mater* erat illius: id eſt, deſtinata in conſilio Dei & in divino propoſito *mater*: quàm, quia ſelecta fuerat ex omnibus mulieribus, & deſponſata Deo ſuo, Domino exercituum modo quodam peculiari, in eum finem, ut Deitas, illâ mediante, indiſſolubili quodam vinculo, & nexu ineffabili, modo etiam inexplicabili & incomprehenſibili, humanitatem ſibi copularet. Scholaſtici nonnulli tractatores in eundem lapidem cum Hieronymo atque alijs impingunt, & eidem opinioni adhærent, niſi ſimili benigniori quâdam interpretatione expediantur. Illa enim, *Dominus tecum*, in hunc modum explicant. Pater tecum, quia ſponſam Te, ſibi deſtinavit. Filius tecum, qui ex Te gignitur. Spiritus tecum, qui Te gratiâ replet. Imò verò ipſa divinæ Scripturæ ratio, in eandem videtur opinionem reclinare, ſi verba in equuleum & carnificinam conjiciamus. Illa enim, *Quod ex te naſcetur, ſanctum*; quemadmodum Latinus interpres vertit, Græcè leguntur in præſenti tempore, τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ, *id quod ex te iam generatur*. Non, quod jam generatum eſſet, ſed quod paulò poſt erat generandum. Ut cùm apud Patres & ſacros ſcriptores uſurpantur temporum ἐναλλαγαὶ & ἀνωμαλίαι. Sin non tibi placeat Hieronymum in hunc modum commodè à nobis explicari, (in quo non potes diffiteri, Novatorum, quos vos nominare ſoletis filios, Patrum ſcilicet maſtigas, venerandæ illorum canitiei conculcatores, magis majorem habere rationem illorum honoris & dignitatis, quàm vos interdum habere ſoletis, Patres Societatis, veteris Eccleſiæ, & antiquorum Patrum amaſij ſine rivalibus:) ſin, ut eram dicturus, iſta tibi non arriſerit explicatio

interpretatioque, tuere, si poteris, illud tibi temerè jactatum ἔπος, *Fuit hæc quidem paucorum sententia, sed non diu obtinuit, aliorsum pendente catervâ Patrum.* Falsò utrunque pronuntiatum. Neque enim paucorum fuit hæc sententia. Et obtinuit diutissimè. Tute ipse das comites Hieronymo Gregorium Thaumaturgum & Ambrosium: Maldonatus Bernardum quarto loco numerat. Quod verò ab ætate Gregorij illius Neocæsareensis ad Bernardum usque obtinebat, diu profectò vixit, non parvo tempore. Floruit enim beatus Bernardus Clarevallensis anno Christi M. C. XL. calculatore Iesuitâ Costero: diem obijt Gregorius Thaumaturgus ad annum CCXLVI: itaque diu satis, per annos nimirum præter propter nongintos obtinebat. Sed deducam te inferius (per Bedam, Chrysologum, & alios intermedios) adhuc Eriberte. D. Thomas, ille scholarum Dictator vel Monarcha, & Triariorum in acie Pontificiâ primipilus, ad annum Christi adhuc M. CC. XL. florebat in Italiâ. At ecce sententiam D. Thomæ, *Expressit conceptum in hoc quod dixit, Dominus tecum.* Sed nec paucorum sententia fuit. Hieronymum, Ambrosium, Thaumaturgum largiris: Maldonatus Bernardum suppeditavit: nominavi tibi Thomam in postremis: recitat Castrius Petrum Alexandrinum in Concilio Ephesino: Petrum Chrysologum, quem & tibi nominavi, serm. 1. de Annuntiatione: Petrum Damiani, serm. 1. de Nativitate: Chrysostomum in Liturgiâ, Athanasium serm. de Virginitate, & Andream Cretensem. Addam Chrysippum Presbyterum Hierosolymitanum, serm. 2. de Laudibus beatæ Virginis apud Bignium Tomo 11. in Bibliothecâ S. Patrum. *Tuum est,* inquit ille Deiparam alloquens, *verissimè audire istud Gratiâ plena: quia tecum est universus lætitiæ thesaurus: totius lætitiæ & gratiæ Rex cum ancillâ suâ. Tecum est conditor omnium: Tecum inquam, ut ex te gignatur: tecum conceptione, ut ex tuo partu generetur: Tecum velut Deus, ut ex te & Homo & Deus fiat.* Adjungo huic Presbytero Epiphanium comitem, proculdubio, an non Eriberte, Cyprium illum Episcopum Hieronymi æqualem, qui in serm. de laudibus beatæ Mariæ, *Ave,* inquit, *gratiâ plena: in lampade gestas lucem inextinguibilem sole splendidiorem. Ave, hami esca spiritualis: in te siquidem hamus divinitatis. Ave quæ es urna aurea continens manna cæleste. Ave mare spiritale, habens gemmam cœlestem Christum. Ave quæ in cœlis incomprehensum contines Deum; quæ cœli circulum habes & Deum incomprehensum angusto potissimum loco in teipso contines.* Hæc, & alia hujus generis Epiphanius. Possem & alios adhuc citare testes: sed abundè satis dedimus testium, qui utramque partem tuæ assertionis, falsitatis convincant. Neque enim paucorum sententia fuit contra plures: Neque statim, ut tu reris, obmutuit, *aliorsum pendente catervâ Patrum.* Bonum autem factum, vir erudite, ut vel D. tui Thomæ gratiâ illius scholasticorum omnium *Senioris sacri,* hanc *sententiam nonnullorum* mitius tractare velis. A Thomâ cùm recesseris, Hieronymi partes tueare oportet. Remitto enim tibi curam de Ambrosio & Gregorio Thaumaturgo, quos nisi admodum reluctantes, in hanc sententiam paucorum non pertraxeris. Et Ambrosium jam olim Maldonatus exemerat isti numero: nec injuriâ. Verba enim Ambrosij ista sunt: *Benè, sola gratiâ plena dicitur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ authore repleretur.* Cedo mihi hic syllabam vel apicem unum, undè appareat apud Ambrosium, Virginis conceptum vel prævenisse, vel concomitatum esse Angelicam illam salutationem. *Beata* dicitur, & *gratiæ plena,* quæ

gratiæ

gratiæ authore replenda fuerat: *Vt gratiæ*, inquit, *authore repleretur.* Neque hinc elicies tum fuisse repletam gratiâ, aut ob eam caussam repletam gratiâ, quando audiebat, vel quoniam audiebat *Gratiâ plena. Vt gratiæ authore repleretur.* Rem, adhuc futuram, non præteritam designat. Hæc est Ambrosij mens: hæc loquela Ambrosiana: ut meritò hunc Patrem Maldonatus exemerit: ut tute parum prudenter cum Maldonato committas, dum illius calculo abjudicatam Ambrosio sententiam, temerè & inconsideratè ascripsisti. Gregorij Thaumaturgi locum expectabam à te producendum: & multo quidem rectiùs si ageretur de conceptione Virginis, aut de vitâ quæreretur immaculatâ: hâc, omni peccato actuali: illâ etiam originali, vacuâ. Non enim loquitur de gratiâ causali, Iesu Christo, qui est origo gratię: sed de gratiâ potiùs gratum faciente: *Ex omnibus*, inquiens, *generationibus hæc sola Virgo sancta fuit, corpore & animo.* Quanquam nihil hujusmodi reperitur in illo manuscripto exemplari Græco, quod penes me erat olim antiquissimum in membranis. *Gratiâ* ergò *plena*, quia cum hâc totius thesaurus gratiæ repositus erat. Plenitudinem autem gratiæ, intelligit illas prærogativas quibus super omnes mulieres ornata Maria, & à Deo cohonestata fuit. Quarum quidem prærogativarum, ut illa detur esse princeps, quòd Verbum incarnatum generavit, nihil tamen huc spectat illa disputatio de tempore aut momento, conceptionis Christi: nec in gratiæ plenitudine, aut thesauro gratiæ, per Gregorium tuum (pseudepigraphum non disquiro, an genuinum & γνήσιον) stabilitur. Tu autem ubi legeras apud Maldonatum, sive quem alium, Gregorij verba in hanc rem recitata, tabulis tuis censuisti inserenda: rectenè an secus, parum omnino sollicitus. Sed Schola te tua docere poterat, *Plenitudinem gratiæ* ut in subjecto apto facto, diversam esse non autem simplicem, modo distinctam & mensurâ. Esse enim *Plenitudinem superabundantiæ*, quæ ex omnibus Christo homini soli competit, cui sine mensurâ collata sunt omnia: de *cuius* plenitudine acceperunt sancti omnes; ab illo & per illum *plenitudine* præditi *sufficientiæ*: tum Deipara mater ipsa, *plenitudine* ornata *prærogativæ* vel excellentiæ. Sola tulit eum qui verbo solus suo portat omnia: *sola sancta fuit animâ & corpore*, inquit ille tuus Thaumaturgus. Atque ita gratiâ plena fuit beatissima Virgo, quia apud eam universus ille gratiæ thesaurus repositus fuerat. Illius nimirum gratiæ, cum alijs sanctis communicatæ: & illius propriæ atque peculiaris, cujus nulla unquam mulier facta particeps ab rerum ortu primo, nec cum illâ in societatem ventura est olim aliqua: quippe *benedictâ inter mulieres.* Atque ita de tribus Patribus licet duos demas, Ambrosium, suffragante Maldonato: & vel repugnante & invito Maldonato, Gregorium; fortassis & cæteros ab alijs in partes advocatos; Aquinatem si solum aut alterum exceperis, neque enim in his rebus debemus esse syllabarum captatores, aut tortores potiùs & carnifices, sed ex æquo & bono æstimatores earum. Atque ita hæc sufficiant quæ de primâ sententiâ in præsenti dicantur: *Alij*, inquit deinceps Exercitator, *conceptum Servatoris in virgineo utero ad illa verba Gabrielis referunt, Ecce concipies.* Dictum enim factum in divinis: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Ita simul atque dixerat Angelus, *Ecce concipies*, συλλήψῃ: statim & è vestigio συλλαμβάνει. Inquit enim ἰδοὺ, *ecce*; quasi diceret, Intuere temetipsam & rem vide eventu comprobatam. Ita enim videtur interpretari Athanasius de Deiparâ, Σὺ δὲ διὰ τοῦ ἰδοὺ (verba sunt beatæ Virginis ad Angelum) δεικτικοῦ προσρήματος, λέγεις, ἰδοὺ συλλήψῃ·

ὡς κατὰ χρόνον ἐνεστῶτα: Non hic præſto ſententiam Exercitatoris. Neque enim Nicephorus, quem ſolum appellat, inter magnos authores cenſeri debet. Rectius idem alibi de eodem judicavit Caſaubonus, ſcriptorem illum eſſe fabuloſiſſimum, & judicij in literis planè nullius. Et ille ipſe Nicephorus, ut inter magnos authores admittatur: aut qualis demum cunque ſcriptor exiſtat, inter ſententiæ prioris authores potiùs referri debere videtur, quàm inter ſecundæ claſſis ſcriptores illos, quotquot poſſunt nominari abs otioſè & curioſè inquirentibus. Nam præter illum Græcum anonymũ ſcriptorem D. Thomæ in catenâ commemoratum, & illum qui ſub nomine Athanaſij procedit, non memini me legiſſe alium qui conceptionis momentum ad illa retulerit, *Ecce concipies in utero tuo.* Nam, ut dixi, Nicephoriana, ad prioris ſententię cumulum accedere poſſunt: ſimul cum eâ ipsâ Gabrielis voce (χαῖρε nimirum κεχαριτωμένη) intranſibiliter æternum & anteſæculare Dei Verbum deſcendit, & conditionem naturamque noſtram ſubijt. Reor autem Angelum Gabrielem dum beatam Virginem ita alloquitur, *Ecce concipies*, illius animum ad illud Eſaiæ vaticinium retuliſſe, *Ecce virgo concipiet in utero ſuo, & pariet filium.* Erat enim beata Virgo proculdubiò in ſacris Scripturis exercitatiſſima: neque enim, quo modo, veſtri, Baroni, ſolent ſacerdotes, Laicos à Scripturis deterrebant Iudęi: & ut more nonnullorum ratiocinari liceat, picturæ parietum & feneſtrarum, Virginem nobis legentem repræſentant, tum cùm ab Angelo compellaretur, *Ave gratiâ plena.* Simul autem & illam commonefacere volebat, implendam jam in ipsâ, & non aliâ eſſe, hoc tempore & non alio, illam prædictionem & promiſſionem divinam per Eſaiam: fuiſſe tamen nonnullos in hâc ſententiâ, Theophylacti teſtimonio ſatis patet. Si enim non ita eſſet, quid cauſſæ erat cur Bulgarus ille Interpres ad hæc verba ita notaret? Σημείωσαι, ὅτι οὐχ ἅμα τῷ εἰπεῖν τὸν Ἄγγελον, ἰδοὺ συλλήψῃ υἱόν, συνελήφθη ὁ Κύριος: *Obſerva, quod non ſtatim ut dixit Angelus concipies filium, conceptus ſit Dominus.* Non enim hæc finxit, aut de ſuo penu ſuppeditavit Theophylactus, ſed alicubi ſibi lectum refutavit. Ubicunque autem legerit, jure optimo rejecit, ſententiam nimis curioſam & inutilem, falſam quinetiam nec tolerandam. Duplici autem telo, è ſacrarum Scripturarum armamentario, hæc fictio inſipida conficitur, deprompto. Prius eſt, quod dulce & mellitum illud nomen *Ieſu* puero impoſitum fuiſſe legitur, *Priuſquam in utero conciperetur:* id enim diſertis verbis teſtatur contextus ſacer. At, *ecce concipies* jam pronuntiaverat Angelus, cùm nondum aliquid de nomine imponendo indicaſſet. Non ergo, concipiebat, prolato per Angelum, τῷ, *concipies.* Secundò, non dixit illi, *Concipis*, quomodo rem præſentem, & tum factã vel perficiendam, & τὸν χρόνου στιγμὴν, deſignare oportebat, ſed *concipies*; deinceps nimirum conceptura es: nondum etenim, dum hæc proferuntur, concepiſti. Ita certè Theophylactus è verbis Euangeliſtæ, & textu ſacro, eorum refellit opinionem, qui Chriſti Dōmini, in utero virgineo, conceptionem, ad illa verba prolata referebant, *Ecce concipies.* Eſt autem veritas ſui index & obliqui. Dum deſtruit illam aliorum, ſuam confirmat ſententiam Theophylactus. Caninum commemorant ſyllogiſmum Eriberte; *vel hac, vel illac*, dum ῥινηλατεῖ: non autem hâc, illac ergo abijt ὁ δασυπὸς: rationis Theophylacteæ hæc eſt imago & ſimilitudo. Aut illâ horâ conceptus eſt in utero Jeſus Chriſtus, aut illo momento, ut iſti volunt. Nequaquam verò momento iſto & puncto temporis: quandoquidem Scriptura refragatur apertè: remanet ergo ut conceptus ſit illâ horâ. Illas ergo

cauſſas,

caussas, nimirum geminam rationem per Theophylactum allatam, in illum finem primarium & principalem fuisse, non hoc voluit, aut intelligebat, quod tu reris Exercitator, sed tantùm secundariò & per consequentiam. Verba Theophylacti habe: Καὶ ἀπ' αὐτῆς δὲ τῆς λέξεως δείκνυται τοῦτο. Οὐ γὰρ εἶπεν, ἰδοὺ συλλαμβάνεις, ἀλλ' ἰδοὺ συλλήψῃ· ὥστε ἐκ τούτων ἔστι συλλογίσασθαι, ὅτι τῇ ὥρᾳ μὲν ἐκείνῃ συνειλήφθη ὁ Κύριος, οὐ μὴν αὐτῇ τῇ στιγμῇ, καθ' ἣν ὁ Ἄγγελος ἔλεγεν, ἀλλὰ τυχὸν, ὅτε συνετέλεσε τοὺς λόγους. *Ostenditur autem hoc ipsum*, (à voce, quâ utitur nimirum Euangelista) *perspicuè quod diximus. Non enim dixit, Ecce concipis, sed Ecce concipies. Atque ex his animadvertere licet, quod horâ quidem illâ conceptus fuerat Dominus, non autem illo ipso momento & puncto temporis, quo Angelus illam alloquebatur, sed fortasse postquam illos sermones consummaverat*. Ita rationes illæ Theophylacteæ spectant quidem ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω. Illud docent & demonstrant falsum esse quod oppugnant; illud esse verum quod tuentur, & defendunt; nempe tertiam illam sententiam virorum magnorum quam se invenisse dicit Exercitator, quæ ipsa quidem est Theophylacti & aliorum Interpretum, quos secutus ille est, & Patrum se antiquiorum; Hanc inquam unicè verissimam esse, & cum summâ tum judicij moderatione, tum etiam suspensâ humilitate propositam. Tria enim complectitur in se hæc opinio. Tria inquam distincta: Tempus indicatum; *illâ horâ*. Momentum temporis: incertum prorsus, & divinæ dispensationi atque οἰκονομίᾳ relictum, ὅτε ἠθέλησε: quandocunque libitum illi esset, qui temporibus suis omnia accommodatissimè disponit. Nihil tamen assertum definitivè. Ita enim rem totam expeditam relinquit, ut affirmet disertis verbis, ταῦτα λέγομεν, οὐ δογματικῶς: *Ista dicimus, sed non assertivè*, quæ veluti dogmata quædam fidei sint amplectenda. Eruditissimè profectò, & cum pietate conjunctissimè. Nam quemadmodum loquitur Augustinus, *Dum incautiùs secreta temerantur, in culpam deflectit innocuus error*. Quid autem opus, aut cui bono, de hujusmodi incertis digladiari? *Nescire velle quæ magister maximus docere non vult, erudita est inscitia*. Credimus omnia per Gabrielem annuntiata adimpleta fuisse, & suo singula tempore eventum sortita. Satis nobis est, & sufficit scire, Verbum Dei Patris æternum, ὀπτωθῆ ἐν μορφῇ δούλου visum & habitasse nobiscum, natum de Mariâ virgine, conceptum ἀληθῶς de Spiritu Sancto, non autem δοξαστικῶς, aut, ut blasphemabant olim, per phantasiam. *Credimus per Altissimi virtutem obumbrantem, incommutabile Dei Verbum*, ait beatus Leo, *de incontaminato corpore habitum sibi sumpsisse humanæ carnis; quæ & nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, & nihil eorum quæ ad animi corporisque naturam pertinent, non haberet*: serm. I V. de Nativitate Domini. Hæc si firmo assensu teneamus, frustrà tum litigamus de momento, & ipso τῷ νῦν conceptionis: impiè & crudeliter inter ejusdem Ecclesiæ membra, ejusdem Patris filios, ejusdem patriæ & civitatis concives, odijs, calumnijs, convitijs, maledictis, ferro, flammis, inauditoque omni crudelitatis genere sævitur, in rebus non tam fidei quàm curiositatis: & tamen hæc est illa Helena quæ nomen jam diu Christianum partibus & factionum divisionibus districtum, in mutuas quidem cædes concitavit. *Scimus*, inquit beatissimus Martyr Cyprianus, *quosdam id quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare: sed salvo pacis & concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud se semel usurpata sunt, retinere*. Benè quidem, illi principis illius *Pacis* subjecti, *Pacis* vinculum non imminuebant, utcunque suis certis quibusdam opinionibus mordicus adhærerent;

Ad Volus. II. Epist.

nec ab ijs facilè dimoverentur. At alia nunc ſunt tempora, diverſi mores. Quicquid enim cerebroſo cuivis ſub manu natum arriſerit, utcunque, velut illæ ad Hypanim beſtiolæ, in diem duraverit, id tamen, velut ipſa Dei omnipotentis conſulta, ſub pœnâ capitali ſervandum tenendumque obtruditur. Aurea igitur illa Theophylacti, ut tandem in viam denuò revertamur, moderatio animi modeſtiaque, quâ, de re incertâ & quæſtionis dubiæ, ſine fidei aut ſalutis diſpendio, ignoratâ, tam laxè pronuntiat & remiſsè ſententiam, ne illam referrent inter Credibilia, aut Pietatis noſtræ δόξας κυρίας. Cujus moderationem ſi Baronius imitatus,*nobilem*,ut quidem loquuntur,quæſtionem, ut ego reor, *nullam*, vel nullius momenti, niſi ad modum nugacem agitare ſuperſedebat, rectè quidem ille & prudenter : ſed cùm paſſim, ad incerta, dubia, ſtulta interdum ; ad nænias, nugas, τερετίσματα, fabulas aniles divertere ſoleat, dubitari hîc, nec immeritò poterit, utrum judicij accuratione uſus, an caſu potiùs & indiligentiâ prætererierit : atque ita, nec injuriâ, mirari Caſaubonus potuit. Sed non præterijt diligentia Baroniana, inquis, illam *nobilem* quæſtionem, ex omni parte, de momento conceptionis Servatoris : ſtudio enim vel moderationis vel brevitatis, tres illas diverſorum opiniones omiſit, *nolens falſis opinionibus Annales ſuos onerare potiùs quàm ornare, unicam eamq́; veriſſimam contentus poſuiſſe ſententiam.* Quid autem non præterijt, & quid tandem prætermiſit Cardinalis ? An legiſſe te memineris, rogo, apud Caſaubonum, querimoniam de omiſſa omni mentione ? & hoc modo neglectum momentum & tempus conceptionis ? Quæſtionem queritur omiſſam Exercitator, hoc eſt, dubij enodationem ; non autem, omnem omnino mentionem omiſſam. Meminit certè Cardinalis conceptionis Chriſti ; neque illud Caſaubonus inficiatur : at temporis & momenti in quæſtione verſantis & controverſi, memorioſe Ieſuita, dic ubi meminerit Annaliſta ? Rem veluti deciſam undequaque, à nullâ parte vocatam in controverſiam, veluti de tribunali Cardinalis pronunciat omni carere controverſiâ. Hanc contrà, Caſaubonus, involutam eſſe docet, & multis intricatam, per diſſentientes opiniones quæſtionibus ; tribus nempè ſententijs diſtractam. Tres illas à Caſaubono memoratas ſententias, omnes poſtulaſti falſitatis & impoſturæ ; atque eam ob cauſſam extorres, à limitibus Annalium amandaſti : *(Noluit* enim *falſitatibus Annales onerare potiùs quàm ornare* Baronius) unicam veriſſimam poſuiſſe contentus. Baronij ſententiam, quæcunque ea tandem fuerit,ab iſtis tribus falſiſſimis, diſterminatam & diſtinctam, veritatis exornaſti privilegio, & dignam, tuo ſaltem judicio,quæ in tabulas tuas, è Baronio, intexatur : quia vel malignè, odio Virginis ſuppreſſa, vel otioſè nimis ſupinéque neglecta & præterita ſit ab Exercitatore. At tu ſatin' ſanus, Ieſuita, qui pronuntias hanc inſuper habitam à Caſaubono, atque in odium beatæ Virginis malitioſè præteritam ? Calumniator egregie, Dominus te increpet,loqueris è proprijs, qui Deiparæ Caſaubono odium objectaſti, quam, ut hominem decuit Chriſtianum, omni reverentiâ & veneratione, quæ in creaturam competere poterat, proſequebatur, & unicè *Benedictam* inter omnes mulieres prædicabat. Agnoſcimus quâ domo ortus ſis, Roſweyde ; & familiæ tuæ Loiolitanæ, γνώρισμα. Sed reprimo me. *Gabriel* (inquit Baronius) *in illa unicè vera opinione ſuâ, cùm omnia non humanitùs ſed divinitùs eſſe perficienda ſanctiſſimam virginem admonuiſſet, ac cognatæ ſterilis Elizabethæ exemplo, eandem certiorem reddidiſſet ac firmaſſet : illa haud cunctata, mirâ animi ſubmiſſione præbens ſuæ*

voluntatis

voluntatis assensum, hæc ait, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: moxq́ sic delapsum est Verbũ in utero Virginis, ut ex eâ carnem assumens, quod semper fuerat esse tamen non desineret. Hæc est illa unicè vera sententia in Apparatu, quæ non est distincta & diversa, à tribus illis superius per Casaubonum recitatis. Specillis autem adhibitis, animadverte & contuere, an non illa Theophylactea sententia, coincidat cum Baronij tui illâ verissimâ. Eâdem horâ putat ille beatam Virginem concepisse, momentũ scrupulosius non sollicitans. An Baronius horæ terminos excessit? *moxq́ sic delapsum est Verbum*, ait ille: hoc est opinor, post menses aliquot, aut saltem dies. Virgo, opinor, beatissima, audito Angeli nuntio, negotium illud comperendinavit, & re diligentius examinatâ, nec non cum amicis & parentibus, siquidem in vivis tum supererant, saltem cum sacerdotibus communicatâ, ita demum assensum suum præbuit, & nuptias futuras stipulabatur; *Fiat mihi*, inquiens, *secundùm verbum tuum.* Post sermones finitos, concepisse *mox* retur. At sermones finiti sunt tum cùm illa diceret, *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* ita demum recessit ab illâ Gabriel. *Illa, haud cunctata*, ait Cardinalis, *mirâ animi propensione & submissione præbens suæ voluntatis assensum, hæc ait, Ecce Ancilla* &c. *Moxq́, sic delapsum est Verbũ in uterum Virginis, ut ex eâ carnem assumens, quod semper tamen fuerat, permaneret.* Disiunge hæc, *haud cunctata*, &, *Moxq́ sic delapsum est Verbum*, ab illâ sententiâ Theophylacti, si potes, *in eadem horâ.* Nisi ergo tu insigniter λογλεσχεῖν, & nugacissime syllabarum apices captare volueris, Baronij sententiam, *unicè verissimam*, à Bulgari interpretis opinione non disiunxeris. Illius, ut verissimam, contra istius minus veram, *Patrum antiquorum agmine munitam*, propugnato. Non litigamus de sententijs Patrum: de veritate per Patres illos assertâ, en ultro tibi manus damus liberte, daret Exercitator quoque manus, modò viveret: nec Baronij judicium requisivit in veritate discernendâ, tantùm diligentiam requisivit, si vel requisivit diligentiam, qui *miratur* rem ab illo prætermissam non incuriosam, cùm tam libenter & effuse ad hujusmodi soleat expatiari. Quocirca Patrũ illud agmen, ad ornatum tuæ tabulæ cur advocasti? ut loquuntur tuas assertiones illi? ut Baronij propugnent verissimã sententiam? Nostri sunt Patres illi omnes. Verissima illa Baronij sententia, communis est omnium Novatorum. Cur tu autem, benè cohærentes volebas discordari? Cur fratrũ gratiam deferruminare? Toto cœlo erras in quæstione. Casaubonum aut ex animi malitiosâ perversitate: aut per indiligentiam & tarditatem non cepisti in rem minimè controversam, antiquum illud tuum ut obtineas, chartas tuas & notas effundendi, operam impendis non necessariam. Nos enim dabimus dextras societatis in hoc ipso, etiam Societati. Illud vero tuum, quod odiose inculcas, de Casauboni odio in beatam Virginem, sicco pede non debemus transilire. Calumnia est πᾶσαν ὑπερβολὴν πικρολογίας ὑπερβαίνουσα: & maledictũ planè Iesuiticũ, sine fronte, sine fide, pudore, conscientiâ. Ex animi tui sententiâ, mihi narra Rosweyde, atheos planè reris Casaubonum, & Novatores? sine Deo, sine sacris, religione, Templis? nullo sensu, nullâ scientiâ pietatis imbutos? Pecora bruta arbitraris, Cercopithecos, Inferni ipsius ἀποσκυθάρματα? Execrantur putas Iesum Christum, Deum, Dei filium, hominem factum, de Virgine incarnatum? & fabulam illam, de Mariæ filio, magno illo, si Sathanæ, Sathanæque ministris inferni titionibus placet, mundi istius, horresco referens, cum Mose & Mahomete, impostore? An matrem Dei Mariam ἀεὶ παρθένον veluti Hercu-

lem

lem ἀπόμυιον, aut Apollinem Smynthea, vel Deum Accaronis Belzebubum deridiculo habent, & ſubſannant? Ita autem ex Italiâ, gente Catholiciſſimâ, famoſiſſimus nebulo, Atheorum coryphæus ſubſannabat monesis. Ab illâ execrandiſſimâ blaſphemiâ, ſanctiſſimi veſtri Patres nonnulli Simonis Petri proculdubio ſucceſſores, an Simonis Magi potius, vix aut ne vix abhorruere. At de Caſaubono & Novatoribus, ſacrum mendaciorum Patri caput, mentiris nequiter. ἐπιτιμήσαι σοι κύριος. Virginem matrem cum antiquis Eccleſiæ Primitivæ Patribus, omnibus laudum præconijs, quâ fas creaturam, celebramus: & cum cæteris ſanctis ex abundantiſſimo Chriſti capitis ταμιείῳ *Gratiæ* concedamus *ſufficientiam*, huic matri Dei, cum ſcholâ tuâ, quemadmodum ſuperius dixeram, *Gratiam* aſſerimus *prærogativæ*. Beatiſſimam memoriam beatæ ſuper omnes mulieres fœminæ, ſanctè & ſolenniter recolimus, ἡμεῖς, inquam, ut loquar verbis Nazianzeni de Cypriano, tranſlatis, οἱ τὴν γυναῖκα, ἀεὶ παρθένον, θαυμάζοντες, καὶ τὴν δι' ἔτους τιμῶντες. αὐτὴν τιμαῖς καὶ πανηγύρεσι. *Qui mulierem ſemper virginem admiramur, & illam honoribus & panegyribus quotannis celebramus.* Quoniam fecit ei magna qui potens eſt. *Humanitas Chriſti*, inquit D. Thomas, & jam recitavi prius, *ex hoc quod eſt unita Deo: Beatitudo creata, ex hoc quod eſt fruitio Dei: & beata Virgo ex hoc quod eſt mater Dei; habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod eſt Deus. Nam unicuique*, ait idem, *datur gratia à Deo, ſecundùm hoc ad quod eligitur. Electa eſt autem Virgo beatiſſima in matrem Dei.* Qui quidem titulus planè ſingularis & admirabilis, admirabiles poſtulat & infinitas quodam modo gratiarum divitias. Ita nobilitatem à Filio derivat, contra quam vulgò fieri ſolet, Cùm, *fortes creentur fortibus & bonis.* In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum ſuorum titulis & imaginibus inſignitur: beata autem Maria, licet procreata extiterat clarâ majorum familiâ, & ſtirpe à Regum ſanguine derivatâ, *Ab illo tamen trahit*, ait Petrus Damiani, *excellentiſſimæ nobilitatis genus, qui de illâ eſt, novo prorſus naſcendi genere genitus*, & ita per clariſſimam ſobolem, omnem humani ſtemmatis nobilitatem excedit: ſed λάλημα illud κοινὸν βίου, ut loquar verbis Nazianzeni, ſatis pro dignitate laudibus evehere non poſſum. Εἴ τις οὐ θεοτόκον, ait idem Theologus, τὴν Μαρίαν ὑπολαμβάνει, χωρίς ἐστι τῆς θεότητος. εἴ τις, ὡς διὰ σωλῆνος, τῇ παρθένῳ δραμεῖν, ἀλλὰ μὴ ἐν αὐτῇ διαπεπλάσθαι λέγοι θεϊκῶς, ἅμα καὶ ἀνθρωπικῶς. θεϊκῶς μὲν, ὅτι χωρὶς ἀνδρὸς· ἀνθρωπικῶς δὲ, ὅτι νόμῳ κυήσεως, ὁμοίως ἄθεος. Sed laudationi illius impar, conticeſco. Tu Deum dehinc teſtem reverere: neque accuſante te intus conſcientiâ tuâ, tam nequiter & profligato pudore, mentiri de Novatoribus velis, odio beatæ Virginis, ſi Sathanæ placet ductori, inflammatis. Non ædificant iſta ad unitatem, quam unicè ſpirare & procurare debes inter partes, ſi Chriſtum Ieſum ſequeris εἰρηνοποιόν.

EXER-

EXERCITATIO VIII.

SECT. I.

Cardinalis jactantia de Præsidum Syriæ Catalogo, à se contexto. Aliorum diversæ series, & rationes initæ. Tornielli error. Iosephi codex semel atque iterum correctus. Manutius, Salmeron, Appianus, notantur. Baronij & Tornielli errores. Baronij, contradictiones aliquot & ἀνιστορησίαι.

POSTQVAM Iudæa in provinciæ formam redacta, Syriæ, ad quam etiam olim, ab omni retro antiquitate pertinebat, attributa, facta est Romanis tributaria; Præsidum Syriç,& Judæç procuratorum deinceps successiones, magnum momentum afferre videbuntur, ad accuratas temporum distinctiones in Judaicâ & sacrâ historiâ: ad eventuum meliorem cognitionem, & omnem veritatem abstrusam indagandam. Gloriatur Baronius in Apparatu,de successione Præsidum Syriæ ex antiquis probatisque historicis compositâ & comparatâ, & in catalogum à se conjectâ. Satis quidem illud tolerabile. Neque enim qui præclari quicquam adinvenerunt,ob idipsum suâ meritâ laude sunt defraudandi. Sed quòd doctissimus idem vir, per imaginationem quandam falsam, Josephum à se in Historiâ dissentientem, & quosvis cum Josepho sentientes, pronuntiat erroris esse convincendos, satis illud temerè & jactabundè. *Quâ*, inquit, *successionis ratione, & Præsidum catalogo, non Iosephus tantùm, sed & alij, qui eandem successionem aliter confinxerunt, erroris redarguuntur.* Sed profectò ita est, in hoc toto negotio vir eruditus errat multipliciter, & in plerisque pueriliter. Confundit & perturbat ordinem temporum, & rerum seriem: inter Præsides Syriæ nonnullos reponit, qui nihil planè juris vel authoritatis,in Syriâ aliquando obtinebant. Sed Judæam tantummodo separatam, speciali quodam imperio regebant Procuratores: expungit rursus alios, & delet de Catalogo, qui præerant illi genti cum imperio Præsidum ordinario: quæ omnia per partes explicabuntur, ut verissimè de illo scripserit Exercitator, *Nemo ex ijs omnibus, qui multi de Syriæ Præsidibus scripserunt, gravius in illa tractatione offendit, quàm Pater istorum Annalium.* Manutius vir doctissimus Ciceronis epistolam XVII.

lib. 11. ubi enarrat, in Præsidibus Syriæ recensendis cùm ab alijs dissentit, tum etiam à Baronio: atque ideo erravit proculdubio. *Præfuerunt Syriæ*, autem, inquit ille, *ut à primo incipiam, Pompeius Consularis. Mox ab eo, provinciâ decedente, præpositus est M. Æmylius Scaurus. Prætorij, Martius Philippus, & Cn. Cornelius Lentulus. Consulares, Aulus Gabinius: M. Licinius Crassus: M. Calphurnius Bibulus. Quæstor Cæsaris, Sextus Iulius Cæsar. Decidius Saxa.* Hæc Manutius: dimidiatè partim & truncatè. Neque enim tertiam partem Syriæ Præsidum commemoravit. Perturbatè partim. Neque enim eo ordine & serie successerunt, sibi omnes quos nominavit: partim falsò, Pompeius enim Syriæ non fuit Præses, sed in Oriente contra Mithridatem res gerens, Syriam, Palæstinam, regiones alias, Romano imperio subjugavit. Verùm noluit Manutius, vir Romanæ historiæ callentissimus, catalogum contexere Syriç Prçsidum, sed tantummodò nonnullos nominare. Dissentit etiam à Baronio magnus ille & voluminosus interpres Scripturarum, Loiolitanæ familiç è capitibus primis decem unus, Alfonsus Salmeronius: à quo alij alio ordine, sed & illi delumbatè, confusè, imperfectè numerantur: & multò pejus quàm vel à Manutio, vel in Apparatu. Hoc modo: Ventidius, Varro, Titius, Saturninus, Quintilius. Sed istorum discordias non moramur: inter se transigant & componant hasce lites, prout poterint: de Præsidibus Syriæ, sic se res habet. Cicerone & C. Antonio Consulibus, anno Urbis conditæ DCXCI, Olympiadis CLXXIX. anno secundo, juxta rationes Onufrianas, Cn. Pompeius magnus, à rerum gestarum gloriâ nominatus, victo & debellato Mithridate, τὴν κοίλην Συρίαν ἕως Εὐφράτου ποταμοῦ καὶ Αἰγύπτου Μ. Σκαύρῳ παραδοὺς, καὶ δύο τάγματα Ῥωμαίων, ἐπὶ Κιλικίαν ᾤχετο. *Syriam Cavam, ad Euphraten usque flumen & Ægyptum, unà cùm duabus Romanorum Legionibus, postquam Scauro tradiderat, abijt*
Antiq. 14.8. *ipse in Ciliciam.* Ita Josephus. Verè addit Appianus; Scaurum fuisse Pompeij quæstorem: τὸν ἐν τοῖς πολέμοις αὐτοῦ ταμίαν. Hæc cùm hoc modo gesta fuisse ad hunc ipsum annum Torniellus fateatur, malè scripsit Syriam redactam in provinciæ formam sub anno mundi M. M. M. Dcccc. Lxxxviii. triennio nimirum anticipato, in sua annorum supputatione. Leviùs autem erratum est, à doctissimo antiquorum Ecclesiasticç Historiç scriptore Eusebio, si tamen is censendus est, quod nonnullis videtur, valdè aberrasse, cujus hæc sunt in VIII. libro Demonstrationis Euangelicæ verba, Ταῦτα συμβαίνει, loquitur de captis Hierosolymis, ἔτους πρώτου τῆς ρ, ο, θ ὀλυμπιάδος μετὰ τετρακόσια ἐννενήκοντα πέντε ἔτη τῆς Κύρου βασιλείας. *Contingebant porrò ista ad annũ primũ Olympiadis* CLXXIX. *post imperium verò Cyri Regis Persarum annos* CCCC. XCV. Nam quòd annum illum numeret primum, qui reverà secundus fuit, hoc, non aliunde contigisse certum est, quàm quòd rationes sequeretur Varronianas. Erravit Aldus qui Pompeium recenset inter Syriæ Præsides, & Scaurum detrudit in secundum locum. Sed eodem errore & alij nec non ipse Baronius, involvuntur, qui Agrippam, Caium Cæsarem, & Germanicum reponunt in eodem albo, qui tamen non uni Syriæ, sed universo Orienti præerant cum imperio. Secundus Syriæ Prçses apud Josephum legitur Aulus Gabinius, Lib. x. Antiq. Στρατηγὸς Γαβίνιος ἐκ Ῥώμης ἧκεν εἰς Συρίαν, *Dux & Imperator in Syriam venit Gabinius.* Missus eò nimirum à Senatu: cùm eidem provinciç, ante eum, M. Scaurus, à Pompeio impositus fuisset; sed ex relatione nequissimi bipedum, P. Clodij. Sic enim Cicero Oratione pro domo suâ ad Pontifices. *Cui quidem cùm Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, & Ciliciam ad Prætorem, item extra ordinem transtulisti.*

transtulisti. Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dedisti. Hunc Gabinium non affirmat Josephus eo loco, venisse Scauro successorem, scio; sed dixerat illud prius in α τῆς ἁλώσεως, ubi disertis verbis Σκαύρῳ διάδοχος nominatur: ubi viri virtutem bellicam prædicat, & ita rem narrat, ut nisi successor immediatus dici & existimari nequeat. Ἐδόκει δὲ ταχέως καταλῦσαι αὐτὸν, ὅς γε ἤδη καὶ τὸ καταῤῥιφὲν ὑπὸ Πομπηΐου τεῖχος ἐν Ἱεροσολύμοις ἀνακτίζειν (de Alexandro loquitur Antigoni fratre) ἐθάῤῥει προσελθὼν, εἰ μὴ Γαβίνιος εἰς Συρίαν πεμφθεὶς Σκαύρου διάδοχος, τάτε ἄλλα γενναῖον ἀπέδειξεν ἑαυτὸν ἐν πολλοῖς, καὶ ἐπ' Ἀλέξανδρον ὥρμησεν. Sed dissentit à Iosepho manifestè, & rem aliter narrat Appianus. Καὶ ἡ βουλὴ, inquit, Φίλιππον τὸν Μάρκιον ἐπὶ Σκαύρῳ καὶ Μαρκελλῖνον Λέντλον ἐπὶ Φιλίππῳ, ἄμφω στρατηγικοὺς κατ' ἀξίωσιν, ἔπεμψεν. ἀλλὰ τοῖν μὲν ἑκατέρῳ διετὴς ἐτρίφθη χρόνος, τοὺς γείτονας ἐνοχλοῦντας Ἄραβας ἀμυνομένῳ. Καὶ τοῦ δὲ χάριν εἰς τὸ ἔπειτα ἐγίνοντο Συρίας στρατηγοὶ τῶν τὰ ἐπώνυμα ἀρξάντων ἐν ἄστει, ἵνα ἔχοιεν ἐξουσίαν καταλόγου τε στρατιᾶς, καὶ πολέμου, οἷα ὕπατοι· καὶ πρῶτος ἐκ τῶνδε ἐπέμφθη Γαβίνιος. Variatũ itaque in Præsidibus Syriæ. Primus Quæstorius Æmylius Scaurus. Bini deinceps Prætorij viri: & deinde omnes Consulares, quorum primus Gabinius censebatur. Locus ille Appiani in Syriacis, insignis est, & quo non extat alius in historia Romanâ universâ, magis illustris & accommodatus, ad successionem, authoritatem, conditionem Syriȩ Præsidum stabiliendum. Et in quo dissentit à Iosepho, videtur posse temporum ratione & chronologia defendi. Venit enim in provinciam M. Scaurus, à Cn. Pompeio derelictus Præses, ad annum Urbis *691*. Gabinius Consulatum gesserat cum Pisone, ad annũ *696*. & anno sequente videtur venisse in provinciam. De Philippo & Lentulo expressa sunt verba Appiani, biennium in provinciâ utrumque exegisse: ut Scauro triennium tribuatur. Sequutus est Appianus meliores se authores: Ipse etenim alioqui nullo modo cum Iosepho comparari, vel potest, vel debet. Hanc illius sententiam ut veriorem, secutus hac in parte est Carolus Sigonius ad Fastos suos: & præter eum Aldus Manutius loco superius memorato. Multa de Gabinio Iosephus commemorat honorificè: falsum verò prorsus est, quod de eodem retulit, in cap. XI. libri XIIII. Antiquitatum. Quod illi κατὰ τὴν στρατείαν ἣν ἐφ' Ὑρκανὸν ἐστείλατο Ἀντίπατρος ὑπηρέτησε, καὶ σῖτον, καὶ ὅπλα, καὶ χρήματα: Ad expeditionem in Hyrcanum susceptam, Antipater & frumentum, & arma, & pecunias suppeditavit. Falsum, inquam, hoc est, & contra omnem prorsus Historiæ fidem. Non enim Gabinius dum Syriæ præfuit, contra Pontificem Iudæorum Hyrcanum quicquam movit vel molitus est: neque enim opus fuit. Erat enim vir sedato, quieto, certè ignavo ingenio: moribus à seditione, turbis, & tumultu abhorrentibus: quíque omnia potiùs extrema perpeti mallet, quàm armis, etiam jus suum, & hæreditates antiquas tueri. Nihil contra illum tentavit Gabinius: nedum Antipater illum contra navabat operam: sed omnia Antipater multa, & quidem præclara Gabinius in Hyrcani gratiam, contra Aristobuli & filiorum factiones perfecerant. Locus autem planissimè depravatus circumfertur. Legendum, Γαβινίῳ μέν τοι κατὰ τὴν στρατιὰν ἣν ἐστείλατο, Ὑρκανὸς καὶ Ἀντίπατρος ὑπηρέτησαν καὶ σῖτον, καὶ ὅπλα, καὶ χρήματα. *Gabinio, ad expeditionem quam susceperat, Hyrcanus & Antipater frumentum, arma & pecunias subministrabant.* Nam in α ἁλωσ. expressis verbis ita scribitur; Ἐπιτήδειοις εἰς ἅπαντα χρώμενος Ὑρκανῷ καὶ Ἀντιπάτρῳ· καὶ γὰρ χρήματα, καὶ ὅπλα, καὶ σῖτον, καὶ ἐπικούρους ὁ Ἀντίπατρος προσῆγε. Post Gabinium, Appianus M. Crassum surrogat, illum Divitis cognomine διαβόητον: sed hæsitanter. Μοὶ δοκεῖ ἐπὶ Γαβινίῳ Κράσσος ἄρξαι τῆς Συρίας. Sed Josephus hoc pronuntiat confidenter: cùm in α ἁλωσ. cap. VI. tum in 14. Antiq. 11.

 Καὶ

Καὶ Γαβίνιος ἔργα μὲν μεγάλα καὶ λαμπρὰ κατὰ τὴν στρατιὰν δράσας, ἀπῆρεν εἰς Ῥώμην, Κράσσῳ παραδοὺς τὴν ἀρχήν. Non ergo trienniũ integrũ Gabinius præfuit. M. enim Craſſus ad annũ 699. cum Cn. Pompeio Conſul, nondũ exacto Conſulatu in Syriam venit, ad bellũ gerendũ contra Parthos, provinciam illã ſortitus ad quinquennium; ſed anno ſequenti, à Parthis per inſidias interceptus, is quem exeuntem diris cum ominibus, quod Paterculus prodit, Trib. Pl. proſecuti fuerant, interemptus eſt: memorabili clade rebus Romanis illatâ. Craſſus poſtquam cum exercitu deletus eſt, M. Calphurnius Bibulus, vir nullius rei aut pretij, licet ampliſſimis honoribus functus, ſucceſſor à ſenatu datus eſt, octo annos poſtquam Conſul cum Iulio Cæſare fuerat. Venit is in Provinciam biennio elapſo à clade Craſſiana, rebus jam tranquillis, Ser. Sulpitio Rufo, & M. Claudio Marcello Conſulibus. Quietam ille provinciam tenuit, non aliquâ virtute ſuâ, ſed Parthorum inſolentiâ repreſſâ, ductu & virtute C. Caſſij, qui relliquias cladis Craſſianæ collegerat Quæſtor, Syriamque adeò in Pop. Rom. poteſtate retinuit, ut tranſgreſſos in eam Parthos, fœlici rerum eventu fugarit & fuderit. Caſſium hunc Longinum, cæde Caij Cæſaris, & Philippenſi prælio clariſſimum, recenſet inter Syriæ Præſides Illuſtriſſimus Baronius & Baronium ſecuti Bulingerus & Exercitator: ſed vir doctiſſimus explicationem addit, *Neceſſario illum, & non legitimo Imperio provinciam adminiſtraſſe.* Cardinalis confuſim hoc narrat: non addit vel explicat quo tempore velit ſubintelligi Caſſium hanc Syriacam præfecturã obtinuiſſe. Utrumne, cum Parthos repelleret ſtatim à clade Craſſiana per biennium. Quo toto tempore Præſide alioquin ordinario Syria deſtituebatur: an potius à cæde Cæſaris Dictatoris, cum obſeſſum Dolabellam in Aſiâ, manus ſibi violentas inferre cogeret. Certum eſt veniſſe in Provinciã C. Caſſium, cum M. illo Craſſo quæſtorem. Res ab illo, omnium qui unquam fuerant avariſſimo, & perditiſſimo divitiarum gurgite perditas & proſtratas, certiſſimum eſt, iſtum, animo ingenti, pari ſucceſſu & fœlicitate, virum frugaliſſimum, & ad veterem parſimoniam, ac mores antiquos compoſitum, reſtituiſſe. Craſſo interempto, ὁ μὲν Κάσσιος εἰς Συρίαν φυγὼν, καὶ περιποιησάμενος αὐτὴν, Πάρθοις ἐμποδὼν ἦν ἐκτρέχουσιν ἐπ' αὐτὴν διὰ τὴν κατὰ Κράσσου νίκην. ut Ioſephus teſtatur, Antiq. XIV. XII. Provinciam tamen, non magis ille Præſes adminiſtrabat, quam L. olim Martius Hiſpaniam, qui proſtratam rem Romanam, & tantum non conclamatam, certè quidem afflictiſſimam per interitum fratrum Scipionum, Cnei & P. recreavit. Eum tamen, equitem Romanum, neque honoribus ullis functum, Patres non tulerunt, *Proprætorem* ſe nominantem in literis, quas ad Senatum, de rebus à ſe geſtis ſcripſerat. De Caſſij autem deinceps præfecturâ, res ſe ita habet. C. Iulius Cæſar, armis, ad quæ capeſſenda iniquitas inimicorum illum impulerat, occupatâ repub. cum vir eſſet qui ſi quis alius olim in Romanâ civitate, & ipſam rem fortiter adminiſtrare poterat, & aliorum virtutibus & egregiè factis faveret (Ita quippè naturâ comparatum eſt plerunque, ut nemo aliquando, virtuti invideat alienæ, qui non prius diffidat ſuæ) Caij iſtius Caſſij præclara facinora, & in Romanâ dignitate vindicandâ aſſerendâque res egregiè geſtas adamabat. Quocirca cum poſt Civilia bella omnia profligata & confecta: poſt rempub. conſtitutam & ordinatam; ad eum modum, quem vir longè fortiſſimus & prudentiſſimus, præſenti rerum conditioni convenientiſſimum judicabat, expeditionem in Parthos ferocientes adhuc meditaretur, Syriam provinciam Caſſio Romam jam reverſo, & Prætori deſignato, deſtinabat, nimirum,

mirum, ut in Quæstura ipsi prius cognitam & exploratam; accommodatissimam rem rebus suis facturum sese arbitratus. Repugnat autem de hac Cæsaris voluntate Q. tantum Cornificius: ita enim Cicero retulit Epistola 39. lib. 11. *Bellum quod est in Syriâ, Syriamque provinciam tibi tributam esse à Cæsare ex tuis literis ad me cognovi.* Promissam igitur & destinatam vult: Forte hoc cognovit ex illius literis, non autem aliundè. In illa perturbatâ rerum scenâ provincias plerunque administrabant qui potentiâ & armis prævalebant. Cæsare autem per summũ scelus in Pompeij curiâ interfecto; & vulneribus confecto XXIIII. inter cujus Assasinatus socios atque duces, primos, promptissimos, præcipuos, C. Cassius & M. Brutus mortalium ingratissimi censebantur; Consules, M. Antonius, & P. Dolabella (namque illum sibi successorem dederat C. Cæsar, Consulatu abdicato) rempub. universam armis arreptam inter se diviserunt. Antonius invasit Gallias, decretas quidem D. Bruto Consuli designato. Dolabella, provincias sibi decrevit transmarinas: & in Asia C. Trebonium, ex interfectoribus Cæsaris unum, fraude interceptum, Smyrnæ interemit. Hanc ob rem provinciam Dolabellæ Senatus abrogavit: Quò tamen dum invito senatu contendit ire, antevertit eum vir ad omnia impigerrimus, C. Cassius. Prætextu primum usus est, Senatus authoritate: Nam propter Trebonium crudeliter excarnificatum, & Provinciæ honore privatus erat, & hostis insuper judicatus Dolabella, referente, id quod ipse alicubi ad M. Brutum in epistolis scribit, M. Cicerone. Ita enim scriptum epistolâ IIII. inter illas quas Germani nuper inventas in lucem protulerunt. *De Cassio lætor, & reipub. gratulor: mihi etiam, qui repugnante & irascente Pansa sententiam dixerim ut Dolabellam Cassius persequeretur.* Erat tum in Oriente Cassius: & accepto nuncio de Dolabellæ in Trebonium facinore, Syriam præoccupat, prius cognitam; & traditis legionibus per L. Staium Murcum, & Q. Minutium Crispum, qui res intereà eo loco administrabant, rem gerit. Tertius autem Cecilius Bassus abnuebat. Narrat ipse C. Cassius in epistolâ quâdam ad Ciceronem, Libri XII. XI. *In Syriam me profectum esse scito, ad L. Murcum & Q. Crispum imperatores. Viri fortes, optimique cives, postquam audiverunt quæ Romæ gererentur, exercitus mihi suos tradidere, ipsique unà mecum fortissimo animo rempub. administrant.* At de Basso in Epist. XII. *Bassus, misere noluit legionem mihi suam tradere.* Restitit igitur & abnuebat. Sed tandem militari consensu, a suis destitutus, coactus est & ipse in partes transire. Sequitur enim in literis illis Cassianis. *Quod nisi milites invito eo Legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset quoad vi esset expugnata. Hoc pacto,* inquit, *exercitus omnes qui in Syriâ sunt, teneo.* Et Brutus ad Ciceronem Epistola V. *Cassius noster, Syriam, & Legiones Syriacas habet. Vltro à Murco, & à Martio, & ab exercitu ipso accersitus.* Et tamen hæc sua fuisse ἀνδραγαθήματα, Lentulus gloriatur, apud Ciceronem in Epistolis, Libro XII: XIIII. *Solus Cassio & reipub. Syriam exercitusque qui ibi erant tradidi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantaque præsidia, & tam celeriter Cassio dedissem, ne ausus quidem esset ire in Syriam.* De exitu autem Dolabellæ, qui Syriam præses obtinebat, ita breviter Velleius & argutè. *C. Cassius, acceptis a Staio Murco & Crispo Martio viris Prætorijs Imperatoribus, prævalidis in Syriâ legionibus, inclusum Dolabellam, qui præoccupatâ Asiâ in Syriam pervenerat, Laodiceæ expugnat. Ita tamen ut ad ictum servi sui Dolabella cervicem non segniter daret: & decem Legiones in eo tractu sui iuris faceret.* Atque hæc est illa ratio adventus in Syriam C. Cassij: quam adhuc dilucidiorem

lucidiorem

lucidiorem faciemus. Post Craſſi interitum, de Præſide Syriæ M. Bibulo nulla extat memoria apud Ioſephum, nec de Caſſio, ut legitimo & ordinario: ſed tantum φορολογήσαντος meminit. Sed is quem proximè commemorat res in Syria geſſiſſe, Scipio fuit Pompeij ſocer. Rem narrat Lib. 14. Antiquit. 13. Cum Pompeius & Senatus relictâ Italiâ in Aſiam aufugiſſent, Cæſar Româ occupatâ, Ariſtobulum Iudæorum regem, vinctum à Gabinio miſſum, vinculis ſolutum, εἰς Συρίαν πέμπειν διέγνώκει, cum duabus legionibus, ὡς ἂν εὐτρεπίζοι τὰ κατὰ ταύτην δυνατὸς ὤν. Verùm qui à partibus Pompeianis ſtabant, veneno interceptum præveniunt, ne in Syriam veniret cum Imperio. Illo ad hunc modum interempto, Scipio, qui tunc in Syriâ agebat, Ariſtobuli filiorum alterum ſecuri percuſſit, quod factum jure tuetur Antipater apud Cæſarem, referente Ioſepho Antiquit. XIIII. XV. quod latrocinijs in provinciâ graſſaretur. Pompeio devicto, Cæſar confecto bello Alexandrino in Syriam venit, provinciam ordinaturus. Quid Scipioni: quid Bibulo factum, præſidibus Syriæ, non meminit Ioſephus. Ὁ δὲ Καῖσαρ autem διοικήσας τὰ κατὰ τὴν Συρίαν ἀπέπλευσε, quem proficiſcentem deduxit Antipater. Antiquit. XIIII. XVI. Profectus eſt autem ad bellum Ponticum contra Pharnacem, filium Mithridatis illius τοῦ πάνυ. Videtur autem præfecturam Syriæ conceſſiſſe Sexto Cæſari affini ſuo. Nam ſtatim ita commemorat in rebus Herodianis Ioſephus in τῇ ἁλώσει, cap. VIII. & diſertis verbis Dio, & Appianus: & in Antiq. XIIII. XXVII. vocat δεσπότην τὴν Συρίαν: & ἡγεμόνα τῆς Συρίας: & διοικοῦντα τὴν Συρίαν. Hunc non tantum Syriæ præfectum dedit Cæſar, ſed & alijs etiam in vicino regionibus. Tranſgreſſus eſt ergo Canonem illum Appiani Iulius Cæſar, de Syriâ non committendâ niſi viro Conſulari. Sed ſilent inter arma leges. Occiſus eſt autem à militibus ſuis, inquit Dio: apud Ioſephum verò à Cæcilio Baſſo Pompeianarum partium duce. Sed facilis eſt horum in ſpecie diſſidentium Hiſtoricorum conciliatio. Nam fuit à militibus interemptus, ſed authore cædis & procuratore Cæcilio illo Baſſo. Quod verò dicitur fuiſſe Pompeianarum partium Dux, Dio videtur refragare, qui fuiſſe illum cum Sexto Cæſare ſignificat, quod explicat adhuc illuſtrius Appianus: qui Cæcilium Baſſum relictum affirmat veluti tutorem & προστάτην à Iulio Cæſare, Sexto ſuo conſanguineo admodum adoleſcenti, à quo in provinciâ adminiſtrandâ, & belli gerendi ratione penderet. Sed ſtatuendum, fuiſſe Baſſum à partibus Pompeianis ab initio: tum Cæſaris arma ſecutum & fortunas. Ita autem refert Dio diſertim. Cæcilius Baſſus equeſtris ordinis, ſub Pompeio militans, eo in Pharſalicâ acie profligato, ἀναχωρήσας εἰς Τύρον, ἐκεῖ ἐν τῷ ἐμπορείῳ τὰς διατριβὰς λανθάνων ἐποιεῖτο. Tyrum ſecedens, ibidem occultato habitu inter mercatores deliteſcebat. Tandem multis conflictatus difficultatibus, multa diſcrimina poſtquam adierat, in Cæſaris gratiam & favorem ſe inſinuavit. Sed quàm lubrico in loco verſantur ij, qui vel proditoribus uti, vel inimicis ſubdolè conciliatis coguntur, cùm multi alij, *bellorum civilium*, non minus quàm Plancus, *deſultores*; tum Cæcilius iſte Baſſus declaravit. Poſt Sexti interitum tam nefarium, Baſſus ſe pro Præſide ferebat. Ioſephus pag. CCCCXXXV. Βάσσος Καικίλιος εἷς τῶν τὰ Πομπηΐου φρονησάντων, ἐπιβουλὴν συνθεὶς ἐπὶ Σέξτον Καίσαρα, κτείνει μὲν ἐκεῖνον· αὐτὸς δὲ τὸ στράτευμα αὐτοῦ παραλαβὼν ἐκράτει τῶν πραγμάτων. Sequitur autem apud Ioſephum: Marcum quendam ab Italiâ miſſum ad res Syriacas adminiſtrandas poſt Sextum. Μάρκος μὲν ἦλθεν εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Σέξτου. Et adhuc clarius in primo de bello. Μάρκος μὲν ἀπὸ τῆς Ιταλίας, Σέξτου παραγίνεται διάδοχος. Sed quis iſte Marcus? à quo miſſus ad hoc imperium capeſſendum?

capeſſendum? Olim correxeram Μοῦρκος: & ita legit rectiſſimè doctiſſimus Exercitator. L. enim Statius Murcus fuerat: vel ut in Paterculo legitur, L. Staius Murcus, aut Murcius: aut ut alij habent, L. Sextius Murcius. Audito etenim interitu cognati ſui per ſcelus hoc ſummum interempti, miſſus eſt ab Italia per Cæſarem, L. iſte Murcus, vir bello bonus, contra Baſſum, quem cæteri in ijs partibus Duces Cæſareani Apameæ incluſum obſederant: quos Antipater etiam è Iudæâ miſſis auxilijs, juvabat. Τῶν δὲ ἄλλων Καίσαρος στρατηγῶν ἐπὶ τιμωρίᾳ τοῦ φόνου Βάσσῳ συμβαλόντων μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως, οἷς, καὶ διὰ τὸν ἀνῃρημένον, καὶ διὰ τὸν περιόντα Καίσαρα, φίλους ὄντας ἀμφοτέροις ὁ Ἀντίπατρος διὰ τῶν παίδων ἔπεμψε συμμαχίαν. Miſſus eſt autem Murcus cum *tribus Legionibus*, inquit Interpres Appiani. Minùs rectè. Appianus enim non ſcripſit τάγμα ſed τέλη, *cohortes*, aut *alas*; non *Legiones*. Neque veroſimile eſt tantas ſecum copias Murcum attuliſſe; cùm in provincia eſſent duces Cæſareani; cùm ab Antipatro auxilia advenirent; cùm ad partes eorum è Bithyniâ adveniſſet, cum tribus alijs, non Legionibus ſed turmis, Q. Martius, vel ut alij volunt, Q. Minutius Criſpus; qui conjunctis copijs Baſſum oppugnabant: cujus obſidionis, utpote memorabilis cum primis, χρονιζομένου πολέμου, meminit Strabo lib. XVI. qui in ſuis hiſtorijs rem fuſiùs enarrarat. Hoc rerum ſtatu, interempto Iulio Cæſare à conſpiratoribus XXIIII, triennio plus minus à Sexto Cæſare necato (interea temporis ſub Baſſo, Martio, Murco res Syriacæ adminiſtrabantur) ſupervenit Caſſius, ut dixi, φορολογήσας, qui memoriâ rerum à ſe in Quæſturâ geſtarum, civitates omnes, quacunque iret, in partes & ſocietatem trahebat, inquit Dio: καὶ τὰ στρατόπεδα τότε τοῦ Βάσσου καὶ τὰ τῶν ἑτέρων προσέθετο: & exercitus omnes, cùm Baſſi tum reliquorum, id eſt, Ducum Cæſareanorum, ſibi adjunxit: quam rem ab ipſo Caſſio percepimus prius enarratam. Venit ille in provinciam primò privatus: & privatâ authoritate, ſed tamen à Cæſare deſtinatam, præfuit tum cum legitimo Imperio, ex authoritate Senatus, & decreto. Quo porro ſtatu, aut ſub quo præſide Caſſius Syriam reliquerit ad bellum profecturus Philippenſe, ignoramus. Dolabellam à Senatu, vel ſeipſo præpoſitum & Antonio, dejectis ut apparet, Baſſo, & cæteris, ad mortem ſibi conſciſcendum adegit. Murcum virum impigrum, & rebus gerendis valdè utilem unà ſecum ad bellum abduxit è provinciâ, & claſſi præpoſuit. Ille autem rebus profligatis Philippenſi prælio, & Caſſio Brutoque interemptis, cùm ad Sex. Pompeium in Siciliâ ſe recepiſſet, per ſummum ſcelus, per inſidias occiſus eſt: quandoquidem Pompeius viri virtutem, fortitudinem, & animi magnitudinem reformidaret. Eo ſic ſublato, quid Minutio Criſpo, aut Cæcilio Baſſo, cæteriſque ducibus illis factum ſit, ignoratur. Viri eruditi deinceps Syrię Pręſidem Fabium quendam ſuggerunt. Sed hęret Caſaubonus in ambiguo, utrum ille dici debeat Syrię pręſes, aut potius pro temporum illorum ratione, utpote fortaſſis ab exercitu inſtructus, magnę in Syriâ authoritatis. Illius bis meminit Ioſephus in eadem hiſtoria, in α. ἁλωσ. cap. 10. & 14. Antiquit. 20. Poſt diſceſſum Caſſij, Ἡρώδης ἀπελθὼν φάβιον ἐπορθεῖτο ἐν Δαμασκῷ στρατηγοῦντα: Nec ulterius meminit iſtius Fabij. Anno Urbis conditæ DCCXII. in prælio Philippenſi Brutus & Caſſius Romanorum ultimi occubuere. Victores Auguſtus & Antonius orbem univerſum inter ſe diviſerunt. Antonio ceſſit Oriens, & in Oriente imprimis Syria. Cujus quamdiu vixit Præſes fuit: ſed abſens per Legatos plerunque adminiſtrabat: qui revera Præſides non erant, ſed quaſi Procuratores illius Præſidis perpetui. Erratum eſt igitur à Baronio, quod ab

Exercitatore animadverſum, non excuſat Bulingerus, qui Legatos ab Antonio nominatos inter Syriæ præſides recenſuere. Primus Legatorum fuit Decidius Saxa, quem Parthi, duce T. Labieno, illo ipſo fortiſſimo viro qui ſub Cæſare magnas res in Gallia geſſerat, occiderunt. Is enim eſt Antonij Legatus quem ſic interemptum narrat Paterculus. Ita enim Florus in Epitome (quanquam Legatum αὐτοχείρως interijſſe ſcribat) *Saxa Legatus, ne veniret in poteſtatem, à gladio ſuo impetraverat.* Omiſit hunc neſcio quomodo Exercitator, & cum quinto Didio confundit, cùm hic poſtremus, ille autem primus Legatorum Antonij extiterit. Magnus nugator Bulingerus, Caſaubonias quadras tantum lingit, neque bene merito gratias agit. Succeſſit Saxæ P. Ventidius, quem ex Italia reverſus demum Antonius, rebus cum Auguſto compoſitis, ipſe Athenis & in Græcia temulentus & genio indulgens dum hæreret, ad res reſtituendas miſit. Cùm Caſaubonus ſcribat hunc ab Antonio miſſum ad annum DCCXV, miror illum non animadvertiſſe Ventidium non potuiſſe ab Antonio Legatorum primum nominari, niſi velit Syriam per quadriennium, Antonio plerunque abſente, Parthis undique ingruentibus, ſine Præſide relinqui & Curatore. Parthos autem Ventidius egregiè contudit. Labienum vel cepit, vel (nam variant auctores) interemit. Ignaviſſimo hominum M. Antonio, honori ceſſit, non Ventidio: quod non ſuis ſed alienis auſpicijs rem geſſerat, in provinciâ aliena. Hoc è Dione latiùs Carolus Sigonius comment. ſuis in Faſtos. Poſtea tamen iterum victis Parthis, & occiſo Pacoro, primus omnium de Parthis triumphavit, qui ipſe olim puer bello ſociali captus, in triumpho Pompeij Strabonis ductus fuerat. Ei ſufficiunt Syriæ legatum C. Soſium. Nam cùm motus invidiâ Antonius, Ventidium abdicaſſet, hunc ei ſubſtituit, ut narrat Dio. Multa ſunt in hoc viro admiranda: & inter cætera, quòd cùm Legatus Antonij Parthos fuderit, Syriâ expulerit, ad internecionem eo ipſo die deleverit, quo illi Craſſum aliquando interceperant, & ab exercitu amotus ab Antonio fuerit, tamen de Parthis triumphaſſe dicatur, non niſi poſt Antonij mortem: hoc eſt, poſt decem annos à victoria. Hæc Dio: & ex eo Sigonius: in quibus fateor mihi nullo modo ſatisfactū. Certè non cohærent. Soſius ſucceſſor plerunque in Iudæâ hæſit, contra Iudæos bellum pro Herode gerens. Ventidius ante illud tempus Pacorum occiderat, ut patet è Ioſepho. Nec Soſius in Syria Ventidio ſucceſſerat ſtatim. Ipſe etenim Antonius res in rem præſentem adminiſtrabat, authore eodem Ioſepho, pag. 449. Imò fortè ne quidem ſucceſſerat. Nam expugnatis Samoſatis, & πεπαυσμένου τοῦ πολέμου, Σοσσίῳ μὲν Ἀντώνιος παραδίδωσι. Sed quid: nō exprimit. Hæc oīa involutè traduntur in Hiſtorijs. Subjiciunt huic Silonē. Upedius Silo, inquit Caſaubonus in Dione. Corrigit autē Popedius: quem cōpilat nugator Bulingerus. *Vpedius*, inquit, *Silo, qui verius Popedius*: quaſi ab ipſo manaſſet, & non à Caſaubono hæc correctio. Sed nec Silo in Syriâ legationē obijt pro Antonio, ſed potius pro Ventidio Baſſo. Illud quod è Gorionide mangone citat Caſaubonus ſublectum fuit è Ioſepho. Ita enim ille, pag. 447. ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον Ἀντώνιος μὲν ἐπέμενεν ἐν Ἀθήναις. Κατὰ δὲ τὴν Συρίαν Οὐεντίδιος Σίλωνα, μεταπεμπόμενος ἐπὶ τοὺς Πάρθους, ἐπιστέλλει πρῶτα μὲν Ἡρώδῃ συλλαμβάνεσθαι τοῦδε τοῦ πολέμου. ἔπειτα δὲ καὶ ἐπὶ τὸ σφέτερον καλεῖν, τοὺς συμμάχους. Ὁ δὲ ἐπὶ τοὺς ἐν τοῖς σπηλαίοις λῃστὰς ἐπειγόμενος Σίλωνα μὲν ἐξέπεμψεν Οὐεντιδίῳ. Apparet igitur, falſum eſſe quod narrat Appianus, Saxā Marco Bibulo ſucceſſiſſe. Falſum quod de Soſio narrat Cardinalis, illum Syriæ præfectum, anno urbis conditæ 717. Poſt Soſium ſequitur Q. Didius apud Baronium,

Baronium, quem constat, inquit ille, præfuisse Syriæ saltē ad tempus Actiacæ pugnæ, quæ facta est anno ab urbe conditâ 722. quando eodem auctore liquet, Augustū partâ victoriâ venisse in Syriā. Certe mox partâ victoriâ transijt Augustus in Asiā: testatur hoc Dio Lib. 51. Et quod cōstat è Suetonio, ante susceptū bellum Alexandrinū. Sed neque potuit subsistere, aut revera diu substitit in Syria. Reliquit autē ibidem præsidē inde abiens M. Messallā. Sed de Q. Didio repetendū. Casaubonus illū cognomine Saxam indigitat: atque ita cum Decidio Saxa cōfundit: eūque sequitur, ut est semper exscriptor, & plagiarius, Cæsar Bulēgerus. Didiorū cognomētū Saxa nō fuerat, sed Curius. Familia Romæ Cōsularis erat Didiorū, è qua T. Didius Curius, de victis Celtiberis in Hispaniâ insignē olim victoriā reportavit. Si enim Saxa, quod jam dictū est, Antonij Legatus à Parthis fuerat Duce Labieno interemptus, post Ventidiū, Sosiū, & Silonē, pro Legato Antonij nullo pacto præesse poterat, nedū post istos omnes ad tēpus saltē Actiacæ Augusti victoriæ: ad annos præter propter undecim. Vult Casaubonus ad annū 714. venisse Quintū Didiū, Saxā, ut appellat, in provinciā, aut circiter: at Saxa, quisquis ille fuerat, ante Legatū Ventidiū, occubuerat. Sed profectò certū est, quanquā viris doctissimis non observatū, Quintū Didium, & Decidiū, seu Deciliū Saxā, & nomine, & familia, & rebus gestis, & temporū ratione discrepantes, diversos esse. Messalla, collega D. Augusto in Cōsulatu, anno quo pugnatū est ad Actiū, ab eodē in Ægyptū profecturo Syriæ præpositus est, anno u. c. 723. vergente jam ad finē anno illo, quo gesserat Consulatū: cujus neque meminit Iudæus Historicus: neque certe, ponitur, tāquā exploratissimū in Dione, quanquā ita Baronio videatur; multò minus narratur à Dione, illū Syriæ præfuisse usque ad annū 731. cum in Orientē M. Agrippa mitteretur, hoc est per integros annos octo. Præfecto igitur Syriæ ordinario Messallæ, successit Agrippa ordinarius. Sed meminit Iosephus alterius interjecti, Varronis nimirū, non Vari, quod deceptus Baronius opinabatur in α. ἁλωσ. xv. & Ant. xv. 13. Illi successit M. Agrippa ad annū 731. in Syria quidē illi. Nam lōge majori terrarū spatio ipsius præfectura extēdebatur, τῶ πέραν Ἰονίου, universū orientē versus. Revocatus est in urbē, inquit Baronius è Dione, anno 733. quo ipse Augustus in Syriam abijt. Sed Iosephus Cæsarē secūdò in Syriam venisse scribit sub Consulatu Arruntij & Marcelli, 731. Et cum Iosepho, invitus licet, consentit Cardinalis, dum scribit illum ibi mansisse saltem triennij spatio. *Nam sub consulatu Sentij Saturnini agebat in Oriente, componens res provinciarum.* Erat ille Consul cum Lucretio 735. Ita nolens se in veritatem induit Baronius, dum Iosephum sequitur reluctatus. Sed mirum est virum eruditum ita cœcutire potuisse, ut qui scripserat Augustum anno 733. ivisse in Orientem, potuerit etiam affirmare eum ad minimum triennium ibidem substitisse, quia sub annum 735. in Oriente erat. Augusto reverso, succedit Agrippa apud Cardinalem, statim crederes; at non est ita. Venit enim ad annum 738. Augustus reversus forte 736. aut 735. Ita saltem biennium sine præside Syria fuit. Pergit autem. Atque ita consentit Iosephus dum ait, Agrippam præfuisse annis decem. Certe Iosephus διοίκησιν illius δεκαέτη fuisse diserte scribit. Sed a quâ epoche, non narrrat. Venit ad annum 731. anno 733. *Ant. 16.6.* præsente Augusto cessavit ipsius præfectura per triennium. Reversus est Augustus, post triennium, 736. tum redijt Agrippa, & tenuit usque ad annum 741. At secundùm hunc calculum, non ultra octo annos cum præfectura fuerit. Certe verum est Agrippam venisse præfectum toti Orienti ad annum

urbis 731. Qui tamen Aſiam non adibat, ſed in Inſula Lesbo ſubſiſtens, quemadmodum antea Antonius, ita per legatos provinciam adminiſtrabat. Dio author eſt: & confirmat Ioſephus, ubi Herodem ait illum Mitylene conveniſſe, quæ Civitas Lesbi eſt. Anno 732. revocatus eſt Romam ab Auguſto, & redijt in Aſiam eodem anno, unde duo illa luſtra, quibus Aſiæ præfuit, ſunt enumeranda: uſque ad annum 741. quo anno, mortuo M. Lepido Pontificatum inijt Auguſtus. Romam reverſus, deſignatus ſtatim eſt in Pannoniam, ſed morte præreptus non obivit. Poſt reditum Agrippæ, ſuggerit Baronius P. Quirinium Syriæ Præſidem, quia *Tacitus narrat illum ſtatim poſt Conſulatum caſtella Homonadenſium in Cilicia debellaſſe: neque ulla debet eſſe dubitatio, illos conſueviſſe in provincijs res gerere, qui Conſules vel Prætores illis præerant: & Ciliciam venire ſub provincia Syriæ. Quibus rationibus* ait, *fateri opus eſt, Quirinium in Syriam miſſum, anno* 743. Sed fateri neceſſe eſt Baronium hic incuria laborare. Nam ſecundùm hunc calculum, triennium Syria ſine præſide fuit. Id enim ſequitur uti dictum eſt, hiſce à Cardinali poſitis: ſed laborat ille nimiâ rerum geſtarum illo tempore ignorantiâ, qui paſſurum hoc Auguſtum fuiſſe, quemadmodum jam dixi, opinatur. Fatendum igitur vel Agrippam eo ipſo anno non obijſſe, vel non eo anno veniſſe Quirinium in provinciam, quo dicitur veniſſe à Cardinali Annaliſtâ: vel ſaltem nequaquam ſucceſſiſſe immediatè Agrippæ in Præfecturâ. Eligat horum trium utrum velit Cardinalis; quæ ſunt ab illo prodita, non poſſunt ullo pacto excuſari. Accedat eodem quod M. Agrippa, in Magiſtratu, ut ille vocat, hoc eſt, in præfecturâ mortuus ſit, ſi non inde receſſerat priuſquam ſucceſſor, ut ille vult, P. Quirinius, conſulatu functus mitteretur. Eo enim adhuc cum magiſtratu exiſtente, diem obierat, ait Dio, M. Agrippa; & Romę obierat, non in provinciâ. Et profectò, Quirinius non ſucceſſit Agrippæ, ſed Senſius potius Saturninus: quod ſtatim dicturi & probaturi ſumus pluribus. At interea dicendum, apertiſſimè Caſaubonum hallucinari, qui poſt Agrippæ præfecturam, advocat in Syriam cum Imperio, M. neſcio quem Titium: idque etiam è Ioſepho. Nuſquam verò hoc legitur in Ioſepho. Locus quem intelligit ille eſt lib. Antiquit. XII. cap. XIV. ubi ait Ioſephus, Τὸν ἡγεμόνα τῆς Συρίας Τίτον, ἐν διαφορᾷ Ἀρχελάῳ κακῶς ἔχοντα, διήλλαξεν Ηρώδης. Ita locum correxit: aut correxiſſe videri voluit, ſequutus Bezam in Annotationibus ad Lucæ cap. III. *Vulgo editur* Τίτον, ait Caſaubonus, *corruptè, & rectè olim correxit Theodorus Beza è Strabone.* Imoverò malè, deprauatam ſecutus Strabonis authoritatem. Nam prorſus legendum, uti editur, Τίτον. M. Titium Rufum intelligi volunt, illum qui ad annum DCC. XXIII. quando pugnatum eſt ad Actium, è Calendis Maij Conſul fuerat. Sequitur hunc errorem nuperus Diatriptes magnus nugator Bulingerus. Qui niſi ubi Caſaubonum maledictis proſcindat, cavillis inſectatur, tantum non, ut in cæteris ſuis lucubrationibus ſolet aliorum, ita hic exſcripſit nobis exercitationes. Illi autem errant toto cœlo: & quod ab illis ponitur, abhorret ab Hiſtoricâ veritate. Non abnuerim M. Titium Rufum, cum Imperio proconſulari præfuiſſe; vel maritimis quibuſdam, per illa etiam tempora, regionibus, vel parti fortaſſe cuidam Aſiæ. Id enim videtur conſtare ex Inſcriptione quâdam veteri apud Onufrium. Non ut Syriæ præfuerit cum Imperio ordinario, aut ſubordinato. Hoc potius. Nam quod ſtatim dicturi ſumus, Titus ille Ioſephianus erat ſubordinatus præſidi Syriæ, C. Sentio Saturnino. Qui tamen poſt Titium Rufum Conſulem, Conſulatum adeptus eſt,

totos

totos XII. annos. Neque M. illius Titij præfectura in illa tempora cadere poteſt, quibus neceſſe eſt contingant juxta Ioſephum : ubi Archelaum Cappadociæ regem, is enim eſt quem deſignat ibidem, in gratiam cum illo reducit Herodes. Ita ſcriptum in codicibus ſuis Ruffinus invenerat: hæc ſunt illa quæ pr ę animo ille interpres agitabat, cum tranſtulit, *Syriæ Procuratorem Titium inimicum Archelai, ei Herodes amicum fecit.* Annotat Caſaubonus ad iſta, *quare maluerit Procuratorem quàm præſidem appellare neſcio.* Scio cur Procuratorem potius dixerit: non fuerat enim Præſes Syriæ. Sed cur Procuratorem Syriæ non Iudeæ ? hic rei cardo & quæſtio vertitur, de quâ debuit dubitare Exercitator. Verum eſt, ἡγεμόνα, & Præſidem notare, & Procuratorē: ſed videtur tamen hoc in loco omnino debere Procuratorem transferri, propterea quod certum eſt alium tum Syriæ præſidem præfuiſſe, Sentium nimirum Saturninum. Sed quidni, quod factum in Quirinij causâ cum Jmperio extraordinario miſſus Syriæ dicatur Procurator ? quidni indultum huic Titio ut etiam in Syriâ res procuraret ? Iudæa aliquando exempta dicitur à Præſidum Syriæ juredictione propter inimicitias inter præſidem & procuratorem, in gratiam nempè Procuratoris: & quidni Syria quâdam ex parte, ad eundem modum aliquandò fuerit attributa ? Certe Syria inter Auguſti provincias cenſebatur. Iudæa fuerat τῆς Συρίας προσθήκη, ut Ioſephus loquitur. Et qui Cæſaris rem in Iudæa procurabat, Procurator Syriæ, ſub quâ Iudæa cenſebatur, jure merito dici poterat. Erat tum Syriæ præſes Saturninus: Iudeæ procurator Titus Volumnius, non M. Titius Rufus. Is eſt quem Strabo volebat. Apud quem Τίτον non Τίτιον legendum. Neque codices Ioſephi, quod cenſuit Beza, ſunt è Strabone corrigendi, ſed contra, è ſerie hiſtoriæ Ioſephianæ, Strabonis & Ioſephi codices emendandi, & delendum ι in Τίτιον, cum reſcribi debeat Τίτον. Quod vero Cardinalis Illuſtriſſimus M. Agrippæ, reverſo in urbem ex Aſiâ, quando demum cunque reverſus eſt, ſucceſſorem Quirinium deſtinavit, propter debellatos in Cilicia ſtatim à Conſulatu Homonadenſes, idq; etiam propterea quod Cilicia ſub Syriâ cenſeretur, id omnino, cùm partibus ſuis ſingulis, tum & in univerſum, falſum eſt. Non ſucceſſit Quirinius M. Agrippæ. Non ſucceſſit M. Titius, ut hallucinantur Caſaubonus & Bulingerus, ſed Sentius Saturninus : quod mox dicturi ſumus pluribus. Falſam intereà dicimus, illam in Apparatu diſſertationem, & falſo quoque ſubnixam fundamento. Argumentum ab Hiſtoriâ Cornelianâ deſumitur ; in quâ dicitur Quirinius debellaſſe quædam caſtella Homonadenſium per Ciliciam ; cujus debellationis & Geographus meminit, libro XII, & erant Homonadenſes Ciliciæ populi montani. Et verum eſt illud quod affert Strabo, Τοὺς δὲ Ὁμοναδέας Κυρήνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ, καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε, καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις, τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ. *Cyrenius Homonadenſes expugnavit fame, & quater mille viros captivos cepit, quos in urbes vicinas colonos deductos miſit. Eorum verò regionem deſolatam penitùs & exhauſtam reliquit iuventute.* Hæc ſunt, agnoſco, Straboniana. Sed quid inde eliciet vir doctiſſimus ? Fuit ergo ſtatim poſt ſuum Conſulatum proconſul Cilicię, & res iſtas in illâ provinciâ geſſit præſes Syriæ: *ad quam provinciam, velut partem, ſpectare Ciliciam certum erat.* At hoc non poteſt hinc elici, nec ullo modo ſequitur, vir erudite. Primum non erat in moribus vel uſu receptum Romanorum, ut vel Prætores vel Conſules omnes & ſinguli exacto in magiſtratu anno, ſtatim in provincias ſortitò mitterentur. Nam nec provinciæ magiſtratibus ſuffeciſſent, ſi præſertim

per triennium, vel saltem per decennium, quod aliquando factum, in provincijs substitissent: & multis intercurrentibus annis interdum fiebat, ut absque imperio proconsulari, privati decederent magistratu. Quemadmodum nuper de M. Bibulo videbamus, qui non nisi post octennium à Consulatu in Syriam venerat Præses. Et ut hæc consuetudo fuisset κατὰ παντὸς, tamen probandum etiam fuerat adhuc viro huic illustrissimo, in Ciliciam venisse P. hunc Quirinium à Consulatu. Fieri enim poterat, ut prius in Africam mitteretur, & in illâ provinciâ rebus gerendis præfuisset, contra Marmaridas, & Garamantas. Ita enim Florus testatur in veteribus membranis Lipsianis: cui vir ille, Romanarum antiquitatum peritissimus subscribit. Id ante Lipsium suspicatus erat Elias Vinetus: in cujus codice manuscripto, non *Furnio*, ut editur, sed *Curimo* legebatur. Quem, quod Sylburgius annotavit, Iornandes expresse Quirinum notat. Gessisse verò illum res in Ciliciâ, duo summi scriptores, Strabo & Tacitus, memoriæ prodidere: neque refragamur. At enim res illas, quando gesserit, aut quo anno, neque Strabo nos docet, nec Cornelius. Conjectura est igitur nuda, & mera suspicio quam suggessit. Conjecturam cujuscunque & suspicionem, nullis subnixam historiarum testimonijs, res in historiâ præsertim permiscentem & contundentem, pari facilitate contemnere possumus, quâ obtruditur. Secundò, debebat vir doctissimus animadvertisse, posse à Novatoribus, satis oculatis & ad omnia observanda rimandaque compositis, instituì disquisitionem, an illi semper, illi soli res in provinciâ gesserant, aut gerere necessariò intelligebantur, qui erant cum legitimâ potestate, & ordinaria eò missi: eidem provinciæ Proconsules, Præsides, Procuratores præerant: & non interdum alij. L. Martius, quem modò nominavi, non præerat Hispaniæ, ne Proprætor quidem, cùm rem Romanam collabentē contra Pœnos sustineret. Non C. Cassius Syriam, nisi Quæstor, obtinebat, cum Parthos Crassi clade superbos & ferocientes contunderet, & Syriam provinciam tueretur. Uterque tamen horum, res tum gessit tam illustres, ut eorum nunquam Romanam rempub. pœnituerit. Iulium Cæsarem scimus, authore Tranquillo, privatum Româ profectum Mithridate tunc Asiam obtinente. Non erat, ne quidem Quęstor aut Legatus: cùm res magnas & memorabiles contra piratas gereret, quos classe collectâ persequebatur. Tum etiam Mithridate, quod dictum est, agente provincias & ferente, ne videretur desidere in communi periculo sociorum, in alienâ provinciâ, nullius auspicijs, regis illius præfectos aggressus, fortiter & fœliciter rejecit, & Græciâ expulit. Non est itaque perpetuum in historiâ Romanâ, ut qui rempub. in aliquâ provinciâ administravit, in illam missus cum authoritate, jurisdictionem obtinuerit ordinariam. Nedum est necessariæ consequentiæ vel ἀποδεικτικὸν, Debellavit Quirinius Homonadenses in Ciliciâ post Consulatum, fuit ergo præses, aut proconsul in Ciliciâ. Sed hæc, esto, sit legitima argumentatio, quæ quidem est miserrima: & bona consequentia, quæ nulla est, quid tandem subinfers erudite vir? Præfuit Quirinius Ciliciæ statim post Consulatum suum (qui non nimium distabat ab Agrippæ regressu) in quâ domuit castella quædam Homonadensium: ergo Syriam tunc temporis regebat præses. Negamus tibi isthoc consequentię. Ciliciæ pręfuit, ergo Syriæ. Nam planè hic contrarium verum est, ergo non Syriæ, quòd Ciliciæ. Probas autem, idque more tibi sollenni, solidissimè: scilicet, *Nulli dubium est sub uno eodemq; præside Syriam & Ciliciam solitam gubernari.* Ita quoque prius, Sect. 86. *Non debuit esse dubitatio,*

eos

eos semper solere bella gerere in provincijs, qui eisdem præerant cum legitimo imperio. Ergone populos, ubivis terrarum misisti in suffragia? Num viritim vota collegisti? At hoc, inquies, necesse non est. Nam *fateri opus est. Certum est. Nulli dubium est. Nulla debet esse dubitatio, ad Præsidem Syriæ Ciliciam pertinere.* Hæ sunt ἀποδείξεις Baronianę. At enimvero certum hoc, ne nescias, non est. Mihi dubium, incertum, imò falsum est. Imò certissimum est contrarium. Cilicię præfuit, ergo non Syrię. Et si statim à Consulatu Cilicię præfuit, tum certum est omnino, alio eum tempore, & non statim à Consulatu Syriæ provinciæ præfuisse. Erant enim, Syria & Cilicia distinctæ semper provinciæ Consulares. Nec alteri altera accedebat portio. Utranque regionem, profligato bello Mithridatico, dum per Orientęm victorijs suis omnia complecteretur, in provinciam redigerat Cn. Pompeius. Syriæ præfecit Quæstorem suum Scaurum. Ipse abijt in Ciliciam, ait Josephus. Erant itaque separatæ ab initio. Neutiquam Cilicia sub Syriâ continebatur. Potius dum Pompeius illam sibi retinet (nam quamdiu in Asiâ restitit, in Ciliciâ se continebat) Syriæ Ciliciam præferebat. Quodsi è dignitate personarum, de provinciarum statu, conditione, prærogativis, aut pręeminentijs statuere liceat, melior erat Ciliciæ quàm Syriæ conditio. Erant in secundo loco, suis distinctæ Præsidibus, & non ijsdem attributæ. Illa Scauro: hæc Pompeio. P. Lentulo Spintheri Cilicia cessit, cùm Gabinius Syriam administraret. M. deinde Bibulo obtinente Syriam: in Cilicia M. Cicero rem administrabat. Neuter tamen statim à Consulatu: quod necesse non fuerat, ut deceptus scripsit Annalium concinnator. Quodsi rerum Romanarum Annales extarent integri, & eosdem vacaret in rem præsentem perscrutari, nusquam opinor reperirentur Syria & Cilicia sub ijsdem Præsidibus constitutæ. Augustum, Antonium, Agrippam, Cajum Lucium Cæsares, Germanicum excipimus. Asiam etenim universam, multas, præter hasce, provincias, illi simul obtinebant. Tertiò, Josephus, author imprimis gravis, & in rebus Syriacis fide dignissimus, Ciliciam à Syriâ sejunxit & separavit. Quodsi doctissimus Cardinalis, M. Agrippæ successorem dedisset in Syriâ, Sentium Saturninum, & in Ciliciâ P. Sulpitium Quirinium, ab Historiâ non longè recessisset, cùm relatum sit in Annales Cornelianos, istum statim à Consulatu castella Homonadensium debellasse. P. enim Quirinius Romę, ἐπώνυμον magistratum gessit. Fasti docent. Erat autem Cilicia provincia Consularis. In provinciam Ciliciam, illum statim missum fuisse à Consulatu, certum est. Certum autem, non ut præsidem Syrię. Non, ut illius provinciæ præsidem, quicquam juris in Cilicia, ut nec Cilicię quicquam in Syriâ, obtinuisse certum est & confirmatum: Sentius quoque Saturninus Consulatum gesserat: & quidem Quirinio prior: ita ut in Saturnino non sit opus de Canone Appiani laborare illo, quo Syria dicitur viro Consulari solita assignari. Quirinius autem factus Syriæ præses post M. Agrippam, apertissimè impingit in illum Canonem. Quippe qui, non nisi post mortem M. Agrippę, aut illo saltem anno Consul fuerat, quo in vivis esse desijt M. Agrippa. Debellavit autem Homonadenses in Ciliciâ, non ante, sed post suum Consulatum, authore Tacito. Itaque post M. Agrippam Orienti præsidem, fuit Syria per biennium, secundùm rationes Cardinalitias, sine præside. Aut P. Quirinius provinciam dimisit, ut fieret Consul, & eam denuo, ubi abijt Consulatu, assumpsit: vel imponit lectori Cornelius Tacitus: vel, quod reliquum est postremò, & planè verum, inconsideratè vir eruditus Quirinium

Agrippæ

Agrippę ſucceſſorem in Syriâ nominavit. Certè non Quirinij, ſed Saturnini meminit aliquoties in Hiſtoriâ horum temporum Joſephus, Antiquit. 16. 13. Saturninus & Volumnius τῆς Συρίας ἐπιστατοῦντες, Syriæ dicuntur præſides. Et cap. 14. τῶν περὶ τὸν Σατορνῖνον καὶ Οὐολούμνιον ἐπιτροπευόντων. Et bis terve ad eundem modum in eodem libro appellat ἡγεμόνας, indefinitè: latâ & laxâ ſignificatione, cùm Præſes ille eſſet Syriæ, hic autem Iudeæ procurator. Alibi: opinor cap. 12. Herodes dicitur conciliaſſe Archelao Cappadociæ Regi, καὶ τὸν Συρίας ἡγεμόνα Τίτον. Erat autem ille Titus, Volumnius. Ἡγεμὼν non tam Syriæ, quàm Iudeæ in Syriâ procurator. Saturnino autem prænomen erat Caius. Utitur enim Joſephus in hiſce narrationibus ſuis, vocibus πολυσήμοις. Ideo in primo libro de Bello ubi propriè loquitur, appellatur iſte Volumnius ἐπίτροπος, Procurator Cæſaris in illâ provinciâ, ubi ille alter Sentius Saturninus, vir Conſularis, erat Præſes. Erat porrò illius Præfectura, utpote viri honoratiſſimi valdè, diuturnior. Nam cùm per hæc tempora præeſſet Syrię, ad Chriſti uſque nativitatem eandem provinciam obtinebat: quâ de re dicturi ſumus in ſequentibus.

SECT. II.

Agrippæ ſucceſſor Saturninus. Eidem adjuncti Legati, Caio Cæſari tutor M. Lollius. Subſtitutus eo defuncto, P. Quirinius. Baronij in eo lapſus. In præfecturâ Caij, & Quintilij Vari paradoxa. Caßiodorus correctus. Item Conſulum ſeries apud Dionem. Alius Baronij lapſus de Caio Cæſare. de M. Ambivio. in reprehendendo Ioſepho. Continuatio Præſidum Syriæ ad excidium urbis Hieroſolymitanæ. Illorum merita nonnulla, de Iudæis. Procurator quis. Catalogus Iudeæ Procuratorum, uſque ad eandem cladem.

SUcceſſit itaque M. Agrippæ non M. Titius aliquis, ut volunt Bulingerus & Exercitator, verùm Sentius Saturninus, cum Tito Volumnio Cęſaris in Syriâ procuratore. Redijt Romam Agrippa poſt imperium in Aſiâ decennale, ad annum urbis conditæ, quod refert Dio, DCCXLI. Bene autem Baronius, quod tamen reprehendit Exercitator, M. Titium prætermiſit in Præſidibus Syrię, qui nullus unquam ſucceſſit Agrippę. Legimus apud
Lib. 16. 12. Ioſephum in Antiquitatibus, ἐποιήσατο δὲ Ἡρώδης, καὶ συνθήκας εἰς Ῥώμην ἐλθεῖν, ἐπειδὴ περὶ τούτων ἐγκαλοῖτο Καίσαρι, καὶ μέχρις Ἀντιοχείας ἐπὶ τὸ αὐτὸ παρῆλθεν. ita legendum: ἐκεῖ καὶ τὸν ἡγεμόνα Συρίας Τίτον, ἐκ διαφορᾶς Ἀρχελάῳ κακῶς ἔχοντα διήλλαξεν Ἡρώδης. *Vulgò*, inquit Caſaubonus, *editur* Τίτον, *corruptè; & rectè Theodorus Beza ad Lucam olim ita correxit è Strabone.* Imò depravavit correctione ſuâ, quod vulgò veriſſimè legebatur, Τίτον, apud Joſephum, depravatè Τίτιον in Strabone. Erat enim Titus Volumnius, qui poſt abitum Agrippæ, cùm Cæſaris eſſet Procurator, antequam Sentius Saturninus adveniret, Syriam regebat cum imperio. Malè autem Titium in manuſcripto regio exaratum invenit Exercitator apud Interpretem Ruffinum, cùm in vulgatis codicibus legamus Titum. Nec mirari debuit vir eruditus, cur Ruffinus, non optimus Interpres, *Procuratorem* vertit ἡγεμόνα potiùs, quàm Præſidem:

cum

cum hac ipsâ suâ versione declaret, se non aliter invenisse apud Iosephum, & in rerum Romanarum scriptoribus. Certè vix credendum est M. Titium Syriæ præfuisse Proconsulem totos XXI. annos post gestum in urbe Consulatū. Neque fieri potuit, ut Saturnini diuturnior præfectura fuerit, si post Agrippæ obitum alter, nempe M. Titius, illum in Syriæ præfecturâ anteverterit. Diuturna præfectura vix est, ut infra decennium consistere possit. Abijt Agrippa ex Asiâ ad annum urbis conditæ 741. Successit Titius, saltem per triennium: Saturninus habuit successorem Quintilium ante necem Antipatri Herodis filij: ita erit sic contractior, hæc præfectura. Successit ergo M. Agrippæ in Syria Saturninus; cum Tito Volumnio Procuratore. Consularis enim Legatus more majorum assistentes quasi, & adjunctos habebat Legatos aliquot, etsi Cæsaris erat Provincia, qualis Syria fuit, Imperij limitanea; Procuratorē quoque Cæsaris. Itaque in rescripto Cæsareo apud Josephum, quo permissa Herodi fuit cognitio, de filiorum parricidio, ita legimus, Ἀντιχαρεῖ· γοῦν κύριον μὲν αὐτὸν καθιστὰς, εὖ μέν τοι ποιήσειν λέγων, εἰ μετὰ κοινοῦ συνεδρίου, τῶν τε ἰδίων συγγενῶν, καὶ τῶν κατὰ τὴν ἐπαρχίαν ἡγεμόνων ἐξετάσειε τὴν ἐπιβουλήν. Sequitur deinceps: paruisse Herodem edicto Cæsaris & Beryti conventum coijsse. Προκαθέζονται δὲ οἱ ἡγεμόνες, Σατορνῖνός τε, καὶ οἱ περὶ Πεδάνιον πρεσβεῖς· σὺν οἷς καὶ Βολύμνιος ὁ ἐπίτροπος. Quo in loco Pedanius non est solus Legatus: sed, Pedanius & qui cum eo insuper Legati erant Prę-sidi adjuncti Consulari. Erant autem tres ipsius Saturnini filij: ita enim Iosephus in Antiquitat. Lib. 16. cap. 17. pag. 513. Μετ᾽ ἐκεῖνον οἱ Σατορνίνου παῖδες: scilicet sententiam proferebant, εἵποντο γὰρ αὐτῷ τρεῖς ὄντες πρεσβευταί. Saturnini præfectura, fuit, uti dictum est, diuturna. Illi successit Quintilius Varus, qui prius quàm Sulpitius Quirinius, anno nimirum præcedenti Consul fuerat. Josephus hoc disertis verbis pronuntiat Antiquit. XVII. VII. ἐτύγχανεν ἐν Ἱεροσολύμοις, κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν Οὔαρος Κωντίλλιος, διάδοχος Σατορνίνῳ τῆς ἐν Συρίᾳ ἀρχῆς ἀπεσταλμένος. *Aderat eo tempore Hierosolymis Quintilius Varus, successor Saturnino in Syriæ præfecturâ missus.* Tempus autem vult, cùm Antipater Herodis primogenitus conspirationis in patrem suum reus perageretur. Erat etiam idem Varus in provinciâ adhuc post excessum Herodis, tum cùm Sabinus Cæsaris Procurator, à Volumnio proximus, veniret in Judęam: & cùm post Archelai profectionem Romam, Judęi tumultuarentur, Antiquit. 17. 12. Nec de Varo ulterius mentio opinor est apud Iosephum in rebus Iudaicis. Ἐπ᾽ Ἀντιοχείας γὰρ τὸ πλεῖστον ἦταν αὐτῷ διατρίβαι, διὰ τὸ Σύροις βασιλεῖον εἶναι. Quintilio successorem Iosephus nominavit P. Quirinium; & Sabino, Coponium Procuratorem. Vide cap. I. lib. XVIII. Antiquit. de quibus plura in sequentibus. Baronius dat Saturnino successorem, non Quirinium, sed Caium Cæsarem, Sect. LXXXVI. in Apparatu. *Anno enim urbis conditæ* DCCXLVIII. *præficitur Syriæ, totiq; Orienti Caius Cæsar. Quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur*, inquit, *nisi is qui nominatur ab Euangelistâ Quirinius: quem successisse Caio Cæsari, nulla debet esse dubitatio.* Hæc est usitata Cardinali demonstratio, *Nulla debet esse dubitatio.* Innititur autem hoc in loco authoritati Cornelianæ. Narrat is Annalium III. Post defunctum in provinciâ M. Lollium, quem veluti moderatorem juventæ filij sui Augustus esse voluerat, successit illi in eadem tutelâ P. Quirinius. Substitutus itaque non datus primum Rector. *Obtinenti Armeniam*, ait Tacitus. Non igitur in Armeniam proficiscenti. Datus ergo Rector M. Lollius. Lollio jam ad plures collecto, suffectus in locum vacuum P. Quirinius. Certè Lollij perfida & plena subdoli animi consilia ac versuti, per

l. de Bell. p. 704.

Parthum

Parthum indicata fuisse tradidit Paterculus: ejusque mortem seu fortuitam, seu voluntariam infra paucos dies secutam fuisse. Addit deinceps Cardinalis, *Defuncto in Provinciâ Caio Cæsare successor remansit Quirinius* iste. Necessario igitur sic remansit: & extra ordinem, non autem cum imperio ordinario. Itaque nihil minùs quàm successor fuerat, usque dum imperium hoc extraordinarium Imperatoris ei calculo confirmaretur. Neque enim successit Scipionibus L. Martius: aut C. Cassius in eâdem Syriâ, occiso per Parthos M. Crasso. Revocato Romam Quirinio, ita sequitur apud Cardinalem, *successor missus est Quintilius Varus. Hunc, authore Dione, constat in provinciâ mansisse ad annum* XI. *Christi incarnati, ad Consulatum Sabini & Camerini.* Hæc sunt planè paradoxa, & ingenium humanum transcendentia. Nam ut ordine retrogrado, illud imprimis examinemus quod postremo loco ponitur, de reverso Quintilio è provinciâ Syriâ, & successore illi dato, ad annum quo Consulatum gerebant Camerinus & Sabinus, hoc tale est, quod prorsus πᾶσαν ὑπερβολὴν ἀγνοίας & ἀνιστορησίας καταλείπει. Nam profectò constat ex communi omnium Historicorum consensu, eo ipso anno quo illi Consules fuere, Varum Quintilium fuisse ab Arminio deletum in Germaniâ cum tribus Legionibus ad internecionem. Atque ita mirandum in modum efficietur, ut eo ipso anno perierit Quintilius in Germaniâ, quo Syriam adhuc Præses administrabat. Hoc vix fieri poterat aliter, nisi cisijs vel per dispositos equos de Syriâ in Germaniam, paratam sibi provinciam & ornatam, advolasset; ut sic ad ipsius primum ingressum insidijs exceptus interierit. Quod ut fieri & ferri aliquando possit, cùm Dux quispiam ad exercitum ab urbe vel aliunde, absens advolaverit, ita planè de Quintilio est impossibile, & ab omni ratione alienum. Historiæ veritas & series adversatur. Statutum est enim ῥητῶς & disertis verbis apud Historicos, Dionem, Florum, Velleium, Germanos, hominis avaritia, & libidine expertâ efferatos, injurijs quàm multis maximis & rapacitate exercitos & excitatos, judiciorum iniquitate & corruptelis impulsos, quasi invitos & reluctantes ad arma, & injurias vindicandas descendisse. *Pecuniæ quàm non contemptor*, inquit Paterculus, *Syria cui præfuerat, declaravit: quam pauper divitem ingressus, pauperem dives reliquit.* Quocirca non nisi imperio diuturno, & vexationibus sibi cognitum Quintilium, adorti sunt Germani. Legerat in Dione Cardinalis, interemptum fuisse illum in Germaniâ μετὰ τὴν τῶν Σύρων ἀρχὴν, & ita interpretatus est quasi statim in Germania, Syriâ redux, fuisset interceptus. Interpres Dionis illa Xiphilini Epitomatoris, nam apud Dionem non habentur, vertit, *Post administratam Syriam*, Baronius in eum sensum accepit, quasi statim à Syriâ cõmeasset in Germaniam, ἀνιστορήτως. Secundo statuitur in Apparatu, Vari Syriacam præfecturam fuisse diuturniorem. *Nam longè maiori annorum numero præfuit quam Quirinius:* Sect. LXXXVIII. in Apparatu: Qui tamen dicitur lustris duobus ab eodem Annalistâ præfuisse. Sed juxta rationes ab eodem initas, ne quidem diuturna illius esse poterat præfectura; nedum diuturnior quam decennalis illa P. Quirinij. Nam post excessum Caij Cæsaris, non antea, præesse demũ cœperat secundâ vice Quirinius. Qui si vel unicum annũ integrũ cum imperio fuit, Vari Quinctilij illa Præfectura diuturnior, ultra quinquennium nullo modo progredietur. Cum tamen duobus saltem lustris dicatur Quirinius præfuisse. Idque ipsum ita quoque verum est, non aliter, si uno & eodem anno quo relicta Syriâ transijt Quintilius in Germaniam, ab Arminio interijt interceptus. *Ad*

annum

annum quippe DCCXLVIII, ait Cardinalis, *præficitur Syriæ totiq; Orienti Caius Cæsar.* Rectè autem. Quot annos præfuit Orienti videamus. Docet Paterculus, utrunque Cæsarem, Caium & Lucium, sub Consulatu P. Venutij in vivis extitisse. Ille autem Consul fuerat cum Alfeno Varo, ut è Fastis liquet, & tabulis Capitolinis ad annum urbis DCCLV. Secundò, Lucius Cæsar, eodem authore Velleio, inter vivos esse desierat, per unum annum antequam Caius frater moreretur. Vivebat igitur ad annum DCCLVI. obijt autem, non in Syriâ provinciâ, sed in Lycia, Lamyræ erat oppido nomen, *reluctatus, invitusq; revertens in Italiam.* Jam verò colligatur summa: ineantur numeri annorum. Præfuerit Quirinius post excessum Caij unicum tantùm annum integrum; ab anno urbis 758. quo abijt è Provinciâ decurso anno suo Quirinius, ad annum 762, quo Camerinus & Sabinus fuere Consules, quóque ipso ex communi consensu Historiarum omnium Varus perijt in Germaniâ, anni sunt intercurrentes quinque. An hęc jam præfectura dici poterit diuturnior Baronius viderit. Prçerat autem Caius octo totos annos: ut fuerit ipsius Prçfectura diuturnior. Id confirmant rationes Baronianæ. Venit enim in provinciam anno 743. Defunctus est autem in provinciâ. Non erat defunctus sub Consulatu Vinutij, ut neque frater, anno 755. supervixit fratri annum integrum: ita totos octo annos præfuit Syrię cum imperio. Et tamen interea, Consulatum gerebat Romæ cum L. Æmylio Paulo anno 754. priore anno quàm Vinutius fuerat Consul cum Alfeno. Malè enim prorsus apud Cassiodorum, quod rectissimè observabat olim Panvinius, Augustus eo anno gessisse Consulatum memoratur. Error ortus è nomine Cæsaris. Fasti enim Græci Cæsarem & Paulum habent. Consulem autem Caium istum Cæsarem & Tacitus & Suetonius agnovere: & Lapis apud doctissimum Panvinium: nec dissentit in Fastis Sigonius. Quamobrem corrigenda est illa Consulum series, quæ libro Dionis 55. in edit. H. Stephani prçfigitur. Et Baronij quoque error animadvertendus, qui Caium Cæsarem præfuisse scribit sexennio vel quinquennio Syrię, priusquam Consul fieret. Quomodo enim Consulatũ gessit Romæ, & quidem biennio saltem ante obitum, qui tum absens mortuus erat, decedens invitus è Provincia? Certè nisi obstupuerat ad vesaniam Novatorũ, adeò portentosa literis & chartę non allevisset. Sequitur autem in secundis, Nullâ ratione fieri posse nisi priùs hisce omnibus de Caio Cæsare dissipatis, Quirinium in Iudæâ egisse censum cùm Christus Dominus nasceretur, cùm Lentuli & Messallini consulatui sexennium totum Caius Cæsar supervixerit: neque ante illius obitum, Præfecturam susceperit Quirinius. Sequitur autem Quintilium in Baronio, non Quirinius, tertiò præficiendus Syrię, sed M. Ambivius. Ubi non dubitat more suo, Josephum perstringere ut hallucinatum, quòd non idem statuerit de Ambivio. Sed Ἀκηδίας ἰδόντο. Non enim hic Ambivius Syrię præfuit, sed tantummodo Iudæę procurator: quod eruditè observat contra Cardinalem Torniellus. Is successit Coponio in procuratione, & eum διαδέχεται Annius Rufus: quo procurante moritur Augustus. Atque hactenus Baronius de Præsidibus falsò pleraque & inconsideratè. Sentio Saturnino, certissimum est è Iosepho, successisse Quintilium Varum. Et successisse in extremis annis Herodianis, imò paulò ante obitum Herodis, circa annum 753. Videtur autem tenuisse præfecturam per annos octo. Ei autem successit P. Quirinius, ἡγεμονεύοντος τοῦ ἔθνους sub deportatione Archelai. Nam, quod rectissimè viri docti observarunt, Caius Cæsar Armeniæ non

Pp Syriæ

Syriæ præfuit. Eo ipſo tempore Varus aut Saturninus in Syriâ cum Imperio fuerant. Quod verò ad Quirinium deſcriptorem attinet, habuit ille imperium, ut dicemus, extra ordinem in provinciâ, non erat tunc temporis Syrię præſes ordinarius. Facturi forſan ſumus operæ pretium, ſi pergamus adhuc, & catalogum attexamus Syriacorum Præſidum uſque ad cladem Hieroſolymitanã. Proximus à Quirinio Flaccus commemoratur, quod equidem meminerim, apud Joſephum: de quo in admirandis Agrippæ fortunis mentio adhibetur. Sed ante illum priores alij apud alios commemorantur in Syriâ præſides. Anno tertio Tiberij Cæſaris, cùm mittendus eſſet in Orientem Germanicus,

Annal. 2. ad res provinciarum componendas, *Tiberius*, inquit Tacitus, *dimoverat Syriâ Creticum Silanum per affinitatem connexum Germanico, præfeceratq; Cn. Piſonem, violentum ingenio, & obſequij ignarum.* Qui ejuſdem quoque priùs meminerat, ut Syriæ præſidis. Quo tamen anno, cui ſucceſſor in provinciam iverit, ignoramus. Anno urbis DCCLX. Conſul fuerat cum Silano Nerva. Succeſſit igitur illi Cn. Piſo ad annum DCCLXXI, à Tiberio impoſitus, ut Germanico inſidiæ ſtruerentur. Sed cùm Piſo fugiens provinciâ cederet, & Germanicus è veneno foret morti proximus, agitatum eſt inter Proceres, Germanici amicos & Legatos, de Syriâ poſt ipſius obitum adminiſtrandâ. Rem narrat Tacitus Annal. III. *Conſultatum indè inter Legatos, quiq; alij Senatorum aderant, quiſnam Syriæ præficeretur. Et cæteris modicè niſis, inter Vibium Marſum, & Cn. Sentium diu quæſitum. Dein Marſus ſeniori, & acriùs tendenti Sentio ceſſit.* Ait ſeniori: Marſus enim nondum Conſulatum adeptus erat: Cn. autem Sentius Saturninus, vivente adhuc Auguſto, ante multos annos geſſerat Conſulatum. Ad hunc ergo modum, non à Principe electus, ſed à proceribus, contra Piſonem profugum, Syriam regendam accepit Cn. Sentius Saturninus, è Germanici amicis & Legatis unus. Non erat hic idem Saturninus quem Syriæ diximus præfuiſſe tum cùm in parentibus Ieſus Chriſtus deſcriberetur. Non enim ratio temporum hoc dici patietur, cùm ab illius prioris Conſulatu, ad hunc annum quo amor ille & delitiæ populi Romani Germanicus per Tiberij ſcelus interceptus obijt, anni integri interfluxerint 35. ſed, quod veroſimillimum eſt, illius ſuperioris filius, quem cum duobus alijs fratribus, Patri affuiſſe Legatum, in Syriacâ præfecturâ narravimus è Ioſepho. Undè fortè factum, ut cum Vibio Marſo contenderet vehementiùs de ſucceſſione in Syriâ Germanico Cæſari, utpote cujus notitiam haberet non mediocrem, cognitæ & exploratæ per Legationem illam paternam. Huic Sentio Saturnino, ſucceſſor datus eſt à Tiberio ille Flaccus, cujus è Joſepho fecimus mentionem: qui quidem Hiſtoricus, Silanum, Piſonem, Germanicum, Saturninum, ſi non alios, ſilentio obruit in Hiſtoriâ ſuâ: parum ſcilicet ſollicitus de Syriæ præſidibus, qui nihil habebant cum rebus Judaicis negotij vel commercij. Fuit verò Flaccus iſte Pomponius nominatus; qui ad annum urbis conditæ DCCLXIX. cum Ruſo Cæcilio Conſul aſcribitur Faſtis. Eo nempe anno quo in Syriam à Tiberio miſſus advenit Piſo. Erat hic prius Mæſiæ præfectus ſub Auguſto. Ovid. 4. de Ponto, Eleg. XIV.

Qui tenuit Myſas gentes in pace fideli,
Quique arcu fiſos terruit enſe Getas.

Videtur in præfecturâ Syriæ obijſſe diem. Tacit. Annal. VI. *Exin Flacco Pomponio Syriæ Proprætore defuncto, recitantur Cæſaris literæ queîs incuſabat, egregium quemq; & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus.* Syriam adeptus eſt,

eſt, ut plerunque fit in Aulis Principum, ubi non virtus, ſed obſequium remuneratur, malis artibus. Ita enim Suetonius in Tiberio, cap. 42. *Poſtea Princeps in ipſâ publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco, & L. Piſone, noctem continuumq́; biduum epulando potandoq́; conſumpſit. Quorum alteri Syriam provinciam, alteri urbis præfecturam confeſtim detulit.* Flaccum ſequitur L. Vitellius, nam Ælius Lamia deſignatus Præſes, provinciam non vidit. *Adminiſtrandæ Syriæ imagine exolutus, tandem, Vrbi præfuit*, authore Cornelio in Annali. VI. Vitellij meminit aliquoties Judæus Hiſtoricus, qui nec Flaccum quoque præterijt. Sed Vitellius, ſi quis alius, optimè de provinciâ merebatur. Is Pontium Pilatum, poſt decem annorum præfecturam, à Iudæis accuſatum, ad cauſſam dicendam, Romam miſit. Hujus elogium extat apud Tacitum, Annal. VI. *Eo de homine haud ſum ignarus ſiniſtram in Vrbe famam, pleraque fœdâ memorari. Cæterùm regendis provincijs priſcâ virtute egit. Vndè regreſſus, formidine Caij Cæſaris, familiaritate Claudij, turpe in ſervitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorij dedecoris habetur; ceſſeruntq́; prima poſtremis, & bona iuventæ ſenectus flagitioſa obliteravit.* Nec Dio, diſſimilia, vel Suetonius. Adeò verſantur illi in lubrico, qui Principum famulitio innodantur. Fuit in Syriâ ad Caligulæ principatum, in cujus verba jurare coegit exercitum. Succeſſit Petronius: an idem de quo multa Tacitus Annali. 16, ſanè dubito. Miſſus eſt cum exercitu contra Iudæos, anno Caij ſecundo: ut gentem illam ſtirpitùs deleret, quòd imagines non admitterent Imperatorias. Multiplex hujus mentio apud Philonem in Legatione, & apud Ioſephum in hiſtorijs. Ubi venit in provinciam, & Cæſaris adimplere mandata cogitabat, Iudæi ſe lamentis & luctui dedidere, agrorum culturâ intermiſsâ: neglectis rebus omnibus: jugula poſtremò offerebant ferienda. Quibus viſis, Petronium Ioſephus ait, in hæc verba prorupiſſe: Η τοῦ Θεοῦ συνεργοῦντος πείσας τὸν Καίσαρα σωθήσομαι μεθ' ὑμῶν ἡδέως, ἢ παροξυνθέντος ὑπὲρ τοσούτων ἑτοίμως ἀποδώσω τὴν ἐμαυτοῦ ψυχήν. *Vel Deo adiuvante, perſuaſo Cæſare, vobis & mihi vitam procurabo & ſalutem: vel ſi noluerit placari, libenter equidem vitam ipſe meam, pro tot millibus oppignorabo.* Sed cùm dilatum hoc negotium imaginarium ferret ægerrimè Caius, ſcripſit ad Petronium, Θάνατον αὐτῷ ἀπειλῶν, ὅτι τῶν προσταγμάτων αὐτοῦ βραδὺς ὑπηρέτης ἐγένετο. ἀλλὰ τοὺς μὲν τούτων γραμματοφόρεις συνέβη χειμασθῆναι τρεῖς μῆνας ἐν τῇ θαλάσσῃ, τὸν δὲ Γαΐου θάνατον ἄλλοι καταγγέλλοντες εὐπλόουν. *Mortem illi minabatur Caius, quòd ipſius mandata executioni tradere tardaſſet. Sed contigit ut qui literas iſtas portabant, treis integros menſes violentiâ tempeſtatum detinerentur; alij interim, Caij interitum nunciantes proſperrimâ navigatione uſi, illos prævenirent.* Hæc Ioſephus: qui Petronio Marſum ſucceſſorem dat, Antiquit. XIX. VI: illum ne an alium haud ſcio, qui cum Sentio Saturnino poſt Germanici interitum de Syriæ præfecturâ contendebat. Illo Syriam obtinente, Iudæa exempta fuit à præſidibus Syriæ, in gratiam Procuratoris Iudææ Cuſpi Fadi, propter graviſſimas inimicitias quæ illi cum Vibio Marſo intercedebant: ſed Fado defuncto in provinciâ, & Marſo domum revocato, antiquum obtinebat denuò. Rurſus ſub authoritate præſidum Syriæ Iudæa redibat: ſed res eo ordine tranſigebatur, ut Marſus de provinciâ prior decederet revocatus ab Imperatore: & tum demum Fadus Procurator relictus moreretur. Hoc ita contigiſſe apparet, è Ioſepho Antiquit. XX. I. Nam Marſum accuſabat rex Agrippa apud Claudium, & obtinuit ut ei ſuc-

Antiq. 18. 5.

cederetur per Caſſium Longinum. Longinum διαδέχεται Numidius Quadratus, qui Judæam procurantem Cumanum, à Iudæis poſtulatum, Romam juſſit ad cauſſam dicendam proficiſci. Illo Syriam adminiſtrante, Domitius Corbulo, Dux cum priſcis Romanis comparandus, Armeniam tuebatur contra Perſas. Quadratum excepit, ut ego quidem arbitror, Ceſtius Gallus. Tacitus in v. hiſtoriâ hujus meminit. *Sub eo*, inquit, *bellum Iudaicum ortum, & comprimere cœptantem Syriæ legatum Ceſtium Gallum varia prælia ac ſæpius adverſa excepere.* Meminit & Sueton. in Veſpaſiano, cap. IV. *Cæſoq; præpoſito, Legatum inſuper Syriæ conſularem, ſuppetias ferentem, raptâ aquilâ fugavere.* Quærit hîc doctiſſimus Lipſius quiſnam fuerit præpoſitus ille? Nam de Floro falſum eſt, & corrigendum cenſet, *cæſoque præſidio*. Sed libri ſcripti non variant. Minùs receſſerimus à librorum veſtigijs ſi legamus, *fuſoque præpoſito.* Sed non eſt illud χθὲς καὶ πρώην, quod à ſe mutuo diſſentiant, etiam in magnis, hiſtoriarum ſcriptores. Atque ita hoc loco obveniſſe reor, potiùs quàm ut aliquid ſit corrigendum. Hujus Ceſtij ut Συρίας ἡγεμονεύοντος meminit Ioſephus quoque duobus in locis, in vita ſua; ſub poſtremis temporibus reipub. & πολιτείας Iudaicæ. Poſt Gallum præfuit Licinius Mucianus, de quo viro habes apud Tacitum Hiſt. I. *Sub exitu Neronis Syriam & quatuor legiones obtinebat Lucinius Mucianus, vir ſecundis adverſiſque iuxta famoſus.* Is princeps ad partes Veſpaſiani acceſſit: & quamvis paullo antè, ex æmulatione, ſimultates cum eo exercuiſſet, Syriacum tamen exercitum in ſalutem imperij, in ejus verba jurare coëgit. Præter Mucianum & Cæſennium Pætum, non memini legiſſe quicquam ulterius de præſidibus Syriæ apud Ioſephum. ἁλωσ. VII. cap. IX. miſſum ait in Syriam ab Imperatore Veſpaſiano: Quem prius Armeniæ præpoſitum à Nerone putat Lipſius. Atque hactenus Syriæ præſides fuerunt: adjiciemus de Iudææ procuratoribus. Procuratoris vocabulum & nomen erat in repub. liberâ: *Et dicebatur Procurator*, inquit Cicero pro Cæcinâ, *qui omnium rerum eius qui in Italiâ non ſit, abſitve reipub. cauſſâ, quaſi quidam pene Dominus eſt.* Græci vocabant ἐπιτρόπους, quâ voce ſæpenumero Ioſephus utitur. Sed Ioſephi illa notio eſt poſterioris ævi: nam oppreſsâ repub. & in Cæſarum dominium rebus redactis, illi cœperunt dici Procuratores, quos in provincias mittebant Imperatores ad vectigalia, redemptiones locationeſque in fiſcum redigendas. Dio lib. LIII. Καὶ τοὺς ἐπιτρόπους, (οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας, καὶ προστεταγμένα σφισὶν ἀναλίσκοντας ὀνομάζομεν) εἰς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, τά τε ἑαυτοῦ καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει. *Procuratores (ita enim illos appellamus qui publicos reditus colligant erogantque) in omnes provincias, cum ſuas tum populi, Cæſar mittit, nonnullos ex equeſtri ordine, alios è Libertis ſuis.* Hoc erat ipſorum primarium munus, ſed quandoque in minores provincias cum ampliſſimâ mittebantur poteſtate, qui Vicepræcides vocabantur; hi vitę neciſque obtinebant poteſtatem. Atque hanc quidem Iudæę procuratores poteſtatem, poſtquam ſemel in Coponio procuratorum primo, nacti ſunt, nunquam deinceps amiſerunt. De Coponio hęc Ioſephus αὐτολεξεί. Κωπώνιός τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται, τάγματος τῶν ἱππέων, ἡγησόμενος Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. Vna cum eo miſſus eſt Coponius, ex equeſtri ordine, cum ampliſſimâ in omnes poteſtate rebus Iudaicis pręfectus. Intelligit miſſum cum Quirinio. & in β. ἁλωσ. cap. XI. μέχρι τοῦ κτείνειν παρὰ Καίσαρος λαβὼν ἐξουσίαν. Uſque ad necem inferendam, acceptâ à Cęſare poteſtate. Docet igitur Ioſephus in hiſce verbis,

bis, duo: Conditionem vitæ, & officij rationem. Quod ad primum attinet, erant omnes Equestris ordinis: ita videtur innuere Iosephus, qui expresse refert de Coponio; nunquam verò Senatorij. Sed addunt alij; vel Liberti principis. Et id quidem etiam verum est. Nam Fœlix Iudææ procurator, de quo in Actis Apostolorum, erat generis libertini, Pallantis frater, illius potentissimi Claudij Liberti. Rationem autem officij quod attinet, ea in alijs provincijs vel obtinuit vel mutavit: in Iudæam, ubi semel cum primo procuratore invecta est, ab eo ad successores perpetuò tenore devolvebatur, ut vitæ necisque haberent potestatem: nam & ita Pilatum habuisse scimus, Festum insuper & Fœlicem cognoscere possumus habuisse. Primus procuratorum, uti retuli è Josepho, Coponius fuit. Nam Volumnius & Sabinus in Syriam venerant, & non in solam Iudæam, procuratores. Coponio successit M. Ambivius, quem falsò retulit inter Syriæ præsides Annalista. Ambivium excipit Annius Rufus, quo procuratore moritur Augustus. Ei successit Valerius Gratus sub ipsa initia imperij Tiberiani. Is cùm XI. annos in provincià fuisset, Pontio Pilato rerum administrationem reliquit. Pilatus ubi tertium aut quartum annum ageret, baptizatur in Iordane a Iohanne *Lumen gentium* Christus Dominus. Pilato post decennium amoto per Vitellium, & ad caussam dicendam Romam transmisso, quis successerit in Iudæà non adeò constat; Baronius ad annum Christi XXXVIII. Marcellum quendam nominat à Vitellio impositum. Sed authorem nullum laudat: apud Iosephum quæsitum non invenio. Proximus igitur Pilato venisse videtur Cuspius Fadus: nam priusquam Pilatus Romam missus à Vitellio veniret, Tiberius fato concesserat, ait Iosephus; & ex Iosepho Cardinalis. Caius cùm Vitellio Petronium in Syrià successorem daret, ἐπίτροπον nullum Iudææ dedit; regnum enim Iudæorum Agrippæ concessit sub ijsdem conditionibus quibus olim Herodes ille primus obtinuerat. Agrippà mortuo, tum Cuspium Fadum procuratorem Claudius misit, ἁλωσ. β. cap. ιθ. à Libertis suis persuasus, qui omnia apud illum poterant. Unde sunt ista XIX. Antiquit. cap. ult. Ἔπαρχον ἐν τῆς Ἰουδαίας (ita vocat quem prius ἐπίτροπον dixerat) καὶ τῆς ἁπάσης βασιλείας ἀπέσταλε Κύσπιον Φάδον, τῷ κατοιχομένῳ διδοὺς τιμὴν, τὸ μὴ Μάρσον ἐπαγαγεῖν εἰς βασιλείαν, αὐτῷ διάφορον ὄντα. *Iudææ præfectum, & regni universi dedit Cuspium Fadum. Cui discedenti hunc honorem habuit, ut Marcus, quocum illi inimicitiæ intercedebant, nequaquam in regnum illius superinduceretur.* Inspector scilicet velut Syriæ præses. Post Fadum successit Tiberius Alexander illustris Eques Romanus, Iudæus genere, Philonis frater, Iudæorum Alexandriæ Alabarches, & sub initio Galbę præfectus deinceps Augustalis in Ægypto. Illum sequutus erat Cumanus Ventidius, de quo multa Iosephus in XX. Antiquitat. cap. III. V. Et nonnulla Tacitus Annal. XII. quo in loco quædam à Iosepho diversimodè narrat; non autem veriora, quod vult Cardinalis Iudæo historico infensissimus. Post Cumanum in provinciam venit Claudius Fœlix Imperatoris Libertus, Pallantis frater. Hunc Sigonius non Claudium sed Antonium vocat. Nec differt tamen. Nam dicebatur Antonius Claudius Fœlix ab Antonià matre Claudij: à Claudio patrono posteriore. Nam unà cum Pallante fratre, inter servitia ab Antonià ad Claudium pervenit. Hunc à Iudæis accusatum, authoritas Pallantis & gratia texit. Fœlicis successor, id quod docent sacræ Literæ, Portius Festus in provincià moritur, eumque διαδέχεται pessimus & perditissimus Albinus: nisi quòd illius desiderium apud Iudæos excitavit Gessius

Florus,

Florus, omnium bipedum profligatiſſimus. Is per conjugem ſuam Cleopatram apud Poppæam commendatus, illiuſque fœminę gratiâ ſuffultus, contra Iudæos crudeliſſimè, quanquam juſto Dei judicio, per omnem nequitiam & latrocinia graſſabatur. Illo procurante ſecundum annum, Neronis anno XII, incipit Iudaicum illud bellum, quod cum maximis & periculoſiſſimis conferendum rectè cenſuit Hiſtoricus Iudæorum. Confectum illud tandem per Titum Veſpaſiani filium, deſtructo Templo, incensâ Urbe, deſolatâ Repub. Iudęis ferro, flammâ, fame, beſtijs, omni genere crudelitatis & lanienę conſumptis, diſperſis demum & diſſipatis, ita ut ne poſt homines natos, par unquam clades aut calamitas hiſtoriarum monumentis ſit conſignata. Atque hæc de Syriæ Præſidibus, unà cum Iudæorum procuratoribus in gratiam Illuſtriſſimi Cardinalis Annaliſtæ, qui nihil minùs præſtitit quàm quod pollicebatur, exactiſſimum catalogum eorum dare.

SECT. III.

De Quirinio & ejus deſcriptione. Hæc involvit variè Baronius, non invenit involuta. Mentitur Ioſephum. Falsò committit cum beato Lucâ. Euſebij error. Baronij calumnia in Novatores. In Bezam iniquitas variè probatur. Ridicula ejuſdem argumentatio contra Ioſephum, quem aut non intellexit, aut minùs candidè interpretatus eſt. Error Baronij ubi Ioſephum accuſat erroris.

INter omnes Syriæ præſides celeberrimus eſt apud Chriſtianos P. Sulpitius Quirinius, beati Lucæ præconio in ſacrâ hiſtoriâ nominatiſſimus. De illo extat elogium Cornelij Taciti Annal. III. in hæc verba. *Nihil ad veterem & Patriciam Sulpitiorum familiam pertinuiſſe, ortum apud municipium Lanuvium, virum tamen domi foriſq; ita celebrem, ut publicis exequijs mors illius frequentaretur à Senatu, etiam principe Tiberio id petente.* Hæc ille clariſſimus Latinorum hiſtoricus, de viro ſui ſæculi cum paucis nominando: qui hodie tamen apud omnes maximam obtinet nominis celebritatem propter illam ἀπογραφὴν διαβόητον, quâ Chriſti Domini parentes, unà cum derivatis è ſtirpe Davidis cenſiti ſunt: & ipſe Chriſtus in parentibus, quaſi pars quædam mundi iſtius, & generis humani non minima portio, deſcriptus eſt. Illam ſub Quirinio ἀπογραφὴν in hæc verba refert beatus Lucas. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη, ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Hæc beati Hiſtorici Lucæ verba Baronius in Apparatu ſect. LXXX. *multis eſſe*, ait, *perplexa nodis, & involuta difficultatibus*. Sed certè Baronio, partem maximam, perplexas nos has debemus difficultates, qui ſatis aperta involvit tenebris, nodum plerunque in ſcirpo quærit, & miris modis perturbat omnia, odio, ut videtur, Novatorum. Et primò quidem illud palmarium eſt, quo Joſephum Hiſtoricum nobiliſſimum, accuratiſſimum ſcriptorem, & cenſendum cum paucis, cum beato Lucâ Euangeliſtâ, teſte apud Chriſtianos αὐτοπίστῳ, quaſi ex adverſo committit & componit. *Scriptum n. eſt à Ioſepho*, (aut mentitur ſplendidè Annaliſta) ἀπογραφὴν *illã, cuius meminit Lucas, ſub Quirinio factæ, non accidiſſe ſub principatu Herodis, quo tamen*

tempore

tempore ponitur ab Euangelistâ, imò nec sub regno eius filij Archelai, sed post Archelaum exactum, & relegatum, novem saltem annos ab Herodis obitu. Quæ si vera essent, quod pronuntiat Baronius, ut solet, confidenter, tum certè Iosephus & beatus Lucas ἐκ διαμέτρου contraria affirmant, nec eorum simul stare sententiæ possunt, nedum facilè conciliari. Atque ita certè Cardinalis, uti dixi, confidenter. Alij posse concedent, conciliari, licet admodum difficulter. Eusebius autem, tantum abest, ut Iosephum Euangelistæ contraria scripsisse putet, ut illius Historici testimonium attulerit ad sacrum Euangelij textum confirmandum. Sed Eusebij lapsum non approbamus: & doctissimi rerum Ecclesiæ scriptoris ἁμάρτημα μνημονικὸν agnoscimus. Ejus in primo historiarum hæc sunt verba: Τῆς δὲ κατὰ Κυρήνιον ἀπογραφῆς, καὶ ὁ τῶν παρ' Ἑβραίοις ἐπισημότατος ἱστορικῶν Φλάβιος Ἰώσηπος μνημονεύει. *Descriptionis autem illius sub Quirinio mentionem facit Iudæorum Historicus Flavius Iosephus.* Loquitur certè Iosephus de Descriptione quadam sub Quirinio præside transactâ. Sed non est illa, neque potest esse, cujus meminit beatus Euangelista. Hæc enim vivo Herode peracta: illa Iosephiana, exacto & deportato in exilium Archelao. Errat Eusebius, Iosephū malè intellexit; intellectum malè, præposterè citat testem Sed misso Eusebio, ad alios accedamus, cum Baronio, qui contradictionem, ut ipsi putant, inter Euangelistam & Iosephum vellent conciliatam, eamque multis modis conciliare tentant. Inter istos funem non familiam ducunt in Apparatu Novatores, in quos fulminat Cardinalis; eo quod, ut videtur ipsi, nodum non solvere sed secare volunt, ita ut Iosephi fidem atque authoritatē sacratissimo scriptori anteponant. Ad hanc tantam vesaniam, & blasphemiam audacem, *Diriguit, steteruntque comæ* Cardinali. *Mirum*, enim, *in modum* se obstupuisse ait, *ad audaciam Novatorum.* Ita hominem subitò reddidere Nioben. Imò impios homines, non solùm vesanos, qui scribere & dicere non erubescunt, Textum sacrum, corruptum, adulteratum. Sed hæc sunt irati hominis maledicta potiùs, quàm accusationes, mera quidem μορμολυκεῖα. Non enim illi volunt depravatum aliquid à Sanctissimo Spiritu profectum: non corruptum à beato amanuensi, aut adulteratum textum vel sensum Spiritus Sancti. οὐδ' ὄναρ οὐδ' ὕπαρ hoc in mentem hisce hominibus venerat, sed Librariorum indiligentia depravatum textum sacrum arbitrabantur, & scriptorum incuriâ: quia fortassis illa verba, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, in margine à quodam studioso, ut fieri solet, codicis sui scripta, in aliorum exemplarium inde diffusorum corpus & contextum transvolavere. At hoc ipsum, vir doctissime, ut ita esset, verum, tamen mera est calumnia, & non justa alicujus accusatio. Nam inter cætera, requirit accusatio nomen rei ut notes, non tantùm rem nudè, & sine teste designes. Tu intendis crimen, & immane crimen: sed reum de nomine non designas. Individuum quoddam vagum perstringis tantùm. Nam qui tandem sunt isti, blasphemi adeò Novatores? Num qui Pontifici Romano Vice-Deo non assurgunt? aut Concilium non adorant Tridentinum? Id tu scilicet libenter credi velles: quasi impij in Dei Spiritum non possent non esse, qui in Dei Vicarium non sunt, ut par erat, animati. Hinc est quòd ambages illas loquaris, *Vesaniam stupendam Novatorū.* Hiccine tuus est candor vir illustris? Sic ob crimen nescio cujus, incertum an unius: & si tamen crimen, traducis omnes, ab urbanâ fide, non enim Romanâ-Catholicâ, alieniores? Quantò rectius Alfonsus Salmeron ille, licet Iesuita, qui nos non patitur ignorare, Theodorum tantùm Bezam hoc in loco, sub

nomine

nomine & accusatione *Novatorum*, designari? Profectò stetit per Alfonsum illum, ut ne nos calumniam istam rancidam per jugulum Cardinali regereremus. Nuper enim nati, & post Bezę priores illas editiones, quæ ad manus nostras nondum pervenerunt, cùm dudum non prostent apud officinas, scire nullo modo poteramus, illum tale quicquam chartis suis allevisse. Salmeron autem ex illâ editione, quæ vixit, nunc collecta videtur, cum authore item suo, ad plures, duos commemorat errores, & utrunque conjecturalem. Primus error est, quod scripserat ibi Beza, *Fortè textum corruptum esse:* & pro Cyrenio Quintilium reponendum. Quasi per illud tempus, quando cum sponso suo beata Virgo θεοτόκος describebatur, non Sulpitius Quirinius, sed Quintilius Varus Syrię præses extitisset: factum autem esset succedentibus temporibus, ut, errore scribentis aut incuriâ, Cyrenius obrepserit pro Quintilio. Secundus autem error, Salmeroni notatus, ille ipsus est, in quem sic invadit Cardinalis: illa nimirum verba, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ &c. esse à glossemate marginali, cùm sensus, his sublatis, sit perfectus. Qui errores non sunt gemini, ut vult Alphonsus, ductus studio errores exaggerandi, sed unicus. Nam in illam recidit uterque error, si modò in ullã, ut Baronius loquitur, impietatem, *Textum Euangelistæ esse corruptum, depravatum, adulteratum.* Sed cùm ista sic ambiguè, & involutè, & tacitis nominibus delinquentium referat Baronius, nisi maliciosâ quadam reticentiâ, quod dixi, invidiam voluit creare, universæ Novatorum nationi, in illâ sum opinione; Illum, cùm in chartas suas ista referret, Bezæ locum non consuluisse: nihil præter rumorem, & illum incertum, & exaggeratum de flagitio Novatorum percepisse. Nam cur nomen illud sciens lubensque reticeret Bezæ, quod odio oderat plusquam capitali & Vatiniano? Nisi fortè, ut invidiam hoc pacto, quod dixi, conflare posset toti Novatorum nationi. Quid scriptum sit à Bezâ vel non scriptum: quibus ille vocibus usus fuerat, non possum pro certo pronuntiare, qui nondum exemplar viderim priorum illarum lucubrationum. Salmeronem tamen habeo quidem excusatum, qui in rem præsentem ivit, & Annotationes, quæ tum extabant, involavit, nec deinceps incidit, fortasse non potuit in Italiâ degens, in retractationes aliquas Bezæ, & secundas, ut fieri solet, curas accuratiores. At Cardinalem ecquis excusatum habere poterit, qui post alias correctas editiones, semel, iterum, tertiò cùm emitteret Annales suos, Bezanas non agnovit διορθώσεις, & in illas Annotationes animadversiones? Sed errorem expunctum, & exulare jussum ab authore suo retraxit: ut non jam ulterius Bezæ dici debeat, sed Annalistæ Cardinalis παραδιόρθωμα. Errare potuisse Bezam quis negaverit? in multis errasse, etiam per illas Annotationes, quis dubitaverit? At illum errantem aliquando nemo bonus, aut æquus rerum æstimator accusabit jure, qui quod parum rectè dixerat, aut ab alijs admonitus correxit, aut per se animadversum induxit. Augustinum suspicimus, idque meritò, doctorem Ecclesiæ illuminatissimum, suos lapsus & errores, etiam minutissimos, retractantem. Bellarmini, ab illius exemplo, Retractationes, quanquam interdum in pejorem partem, cum applausu tamen excipiuntur. Et sunt à Baronio in Annalibus, quod non diffitetur ipse, in iteratis editionibus correcta non pauca: quanquam pars ne millesima, quæ restant, corrigendorum. Neque credo doctissimi viri, Bellarminus & Baronius, æquo animo paterentur illa sua sibi imputari, quæ per δευτέρας φροντίδας refinxerunt. *Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.* Quæ est ergo hæc iniquitas, vir erudite, partium studio, tui adeo velle

oblivisci,

oblivisci, ut illud alteri impingas probri, quod si in te tentetur ægrè feras. Sed esto: prostarent, & incorrectæ, etiam acriter ab authore propugnatæ, priores illæ Bezæ interpretationes: age, dicito quid tandem illud sit in hâc annotatione, hoc theatro dignum & hoc tumultu? illis ἐμβροντησίαις aut horrore tuo? Ait Textum Euangelij fortè corruptum adulteratū. Euge. Non affirmat Euangelistam corrupisse, credo, mentem Sancti Spiritus. Non, scripsisse quod falsi coarguatur: vel perperam retulisse, quæ volebat Spiritus literis consignari. Non ait addidisse de suo quædam: non detraxisse quæ debebant dici, ut maledictionem ita illam incurrat, quâ, *Væ* detrahenti vel addenti denuntiatur: sed hoc tantùm, quod ille rectè, dictante Sp. Sancto conceptum in literas retulerat, ab exscriptorum aliquo negligenti vel securo, id fuisse depravatum. Quid si autem hoc Beza pronuntiarit? Non tu adeò, scio, hospes es in literis, Baroni, ut ignores solus, tantus in Israel magister, quod norunt & qui *Nondum ære lavantur*, solitos, etiam sacratissimos libros, inter rescribendum depravari à ταχυγράφοις. Solere literas pro literis, verba pro verbis describentium animo observari, calamo excidere, & in loca aliena se immiscere. Solere studiosos inter legendum, memoriæ aut animi sui gratiâ, ad oras librorum annotare quædam, quæ ipsa deinceps, in ipsam seriem authoris irrepere soleant, sensui & sententiæ interdum non adversantia, nonnunquam apertè contraria & pugnantia, prout se fors tulerit: cùm codices illi describerentur, ab hominibus incuriosis, &, maximam partem, ineruditis & imperitis. Animalia siquidem talia Librarij erant. Hoc in alijs authoribus cùm sacris tum profanis adeò frequens, si hoc quoque in loco obtinuisse Beza dixerit, quid criminis patratum vel sacrilegij? Lumen fortè Historiæ obscuratum dici poterat, quanquam & dici prælatum interdum queat, veritati certè non decedit quicquam, quæ cujuslibet Scripturæ, nedum sacræ, & vita est & commendatio. Recognosce porrò & Augustini dictum in rem præsentem, scholasticis quibusdam usurpatum. *Ibi non licet dicere, author non tenuit veritatem: sed, aut codex mendosus est, aut Interpres erravit, aut tu non intelligis.* Audisne dici, mendosum codicem? Non aliud voluit Th. Beza: sed & accessiones quasdam factas ad sacros codices; & transpositiones non inficiabere. Historiam de muliere deprehensâ in adulterio Ioh. VIII. multi olim codices non habuere, Patres olim multi non agnovere, & Eusebius in tertio Historiarum testatur, adjectum ex Euangelio Nazarenorum fuisse. Quædam prætereà apud Marcum: Narratio de sanguine grumoso apud Lucam, in multis codicibus non habebantur. De quibus vide quæ collegit vir diligentissimus Franciscus Nansius, ad Nonni Metaphrasin annotatis: In historiâ tentationis Iesu Christi in deserto, series non est eadem, nec idem ordo, apud Lucam & Mathæum. Hæc non heri & hodie loco mota fuerunt. Nam meminit Augustinus, diversitatis: Nec videtur agnoscere eundem ordinem narrationis utrobique. *Totum hoc*, inquit, *similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine*: undè incertum est quid prius factum est, utrum regna terræ prius demonstrata sint illi, & posteà in pinnam templi levatus sit: an hoc prius, & illud posteà. Sed valde probabile est, alteratum fuisse textum apud Lucam, nam Mathæi ordo genuinus est. Et aiunt vidisse Fabrum Stapulensem codices quosdam, in quibus eadem per omnia tentationum series apud Lucam, quæ habetur in Mathæo. Quinimo, vir illustris, commoveare necesse est vehementius, & attonitus obstupescas, ad audaciam Clementis VIII. Pontificis

Adā Goddā.

Tō.4. lib. 2. de Consens. Euang. 16.

Qq Romani,

Romani, authoris Cardinalitiæ tibi dignitatis : ad veſaniam Sixti quinti, cui Primas quondam Annalium conſecrabas : execrere Concilium Tridentinum Vrbanæ Fidei Συνεκτικὸν ἔρεισμα : hoc, quòd juſſerit, illos quòd curaverint, textum ſacrarum Scripturarum, in Authentica (ſi factioſis placet, contra mentem Concilij Tridentini, ſi modò Lorynes vera retulerit Marianæ) vulgari editione corrigi & interpolari. Quorſum enim illud ? Annon illi Patres & Pontifices, *Erubeſcunt dicere* (agnoſcis hæc tua verba, credo, Baroni, in noſtros Novatores) *textum Euangelij alteratum adulteratum ?* Hîc jam liberet Theocriteum illud, ὦ κύκλωψ, κύκλωψ! Sed ignoſcendum eſt obſtupeſcenti & attonito; talibus enim, umbræ montium videntur homines : Simiæ, exercitus militum. Miſſis tandem Novatoribus, quos (fatendum eſt enim quod res eſt) non tantùm immeritos, ſed etiam ridiculè exagitat vir eruditus & pueriliter, morbo quodam animi ex oppoſitione Confeſſionis, tanquam oeſtro percitus ; ad Ioſephum progreditur exagitandum, quem proculdubio, invictis argumentorũ demonſtrationibus probaturus eſt, in illâ ſuâ τῆς ἀπογραφῆς deſcriptione, graviſſimè hallucinatum. Ad rem aggreditur imprimis mirifico quodam argumento, Sect.83. exorſurus. *Quid tam novum & inuſitatum in his, ut Ioſephum erraſſe dixerimus, cum & aliàs ſæpe eundem in diverſos lapſum eſſe errores nemo non dixerit ?* Num hæc eſt illa Logica Congregationis Oratorij, à Poſſe ad eſſe ? à ſingulari uno aut altero, ad totum genus argumentari ? Errare potuit Ioſephus : erravit aliàs Ioſephus : Quidni ergo hic erravit ? ὦ τῆς ἐμβροντησίας! Probat autem vir Illuſtris conatu magno, apparatu multo, Ioſephum in alijs erraſſe. Ludos agit. Nos hoc fatemur ultro : &, ubi occurrunt, viri illius errores indicamus : ſed num propterea nuſquam, nunquam veritatem tenuit, rapſodus ineptus fabularum anilium, ſed meras Chimæras, & Tragelaphos cominiſcitur, vel neſcio quæ portenta Atellanarum ? Verùm enimverò, quicquid alibi, aliàs, in alijs fecerit, ſcripſerit, dixerit, num in ijs erravit ſingulis quæ ſunt in medium allata per Cardinalem ? Certe in ijs. Quippeni ? Id an ita ſit, videbimus in loco. Nunc te ad alia conſequemur. Erravit hîc, quia diſſentit à beato Lucâ. Certè autem erravit, & immane quantum, ſi diſſentit a beato Lucâ. Nam veriſſimè cenſet vir Illuſtris, *Beatum Lucam eſſe innumeris Ioſephis anteponendum.* Verùm, inſta, urge : Quomodo diſſentit à beato Lucâ ? Eo quòd nimirum, ἀπογραφὴν illam, actam per Quirinium, poſt Archelaum ponit relegatum, qui defuncto Herodi parenti ſuo ante novem annos, ſucceſſerat in Iudæâ. Quocircà non poteſt præfectura Quirinij in illa tempora incidere, in quibus, quod affirmat Lucas, Chriſtus, poſtquam Matri ſanctiſſimæ completæ ſunt dies ut pareret, Bethleemi editus eſt in lucem : *Dum ibi erant*, quo profecti erant ipſius parentes, ut profiterentur. Ita Joſephus : ſacræ hiſtoriæ ἀσύστατα ſcribebat : quæ nullo modo poſſunt conciliari. Hanc, *urgentem è Ioſepho*, ut ipſe appellat, *Obiectionem*, quo diluere poſſit, reſponſionem quandam Baronius accommodat, non ex animi quidem ſui ſententiâ, quam ſemper fuiſſe cujuſdam, è noſtris quos appellat Novatoribus, exiſtimabam, priuſquam liquidè ſcirem cujuſnam eſſet. Nam, *inepta reſponſio*, Cardinali cenſetur. At ſolet ille multò mitiùs cum ſuis agere, utcunque attulerint ineptiſſima. Eſt autem hæc ſententia doctiſſimi Calvini in Harmoniâ : ſed rejecta & repudiata ab ipſo Bezâ. Reſponderat autem Calvinus ad objectionem : Edictum promulgatum quidem ab Auguſto, ut omnes omnino ubique profiterentur, eo anno quo ponitur ab Euangeliſtâ,

iſtâ,

listâ, sed ob ingruentia bella quibus est vexata Palæstina, dilatam fuisse census exactionem, usque in annos XIII. At enim verò hæc responsio doctissimi interpretis, insignem primo implicat ἀντιστροφήν, & veteris memoriæ ignorationem. Historici namque omnes illius temporis nihil tale commemorant de Palæstinâ, bellis & tumultibus sub id temporis exagitatâ. Sed & nullũ alicubi memorabile prælium, nusquã arma, tumultus, tubã per illud tempus memoratur, perstrepuisse. Janũ geminum ante aliquot annos clausum, ita per aliquot quoq; annos stetisse memorat, ex Historijs quæ dudũ erant proculdubio, Paulus Orosius beati Augustini familiaris, rerũ nostrarũ doctissimus author. Pugnat etiam apertissimè cum manifestis vaticinijs Prophetarũ, quibus alta pax futura prædicebatur tum per orbem terrarum universum, cùm rex pacis, regnum pacis, Deo & hominibus pacificatis, instauraret. Postremò, refellitur evidentissimè clarissimis verbis Euangelij: *Ibant, enim* (inquit) *ut profiterentur omnes.* Voluntate sua & sua sponte, quasi non opus metu vel coactione. Actio pacifica, in rep. quietâ. Edictum exijt & statim ibant. Quocirca meritissimè ab erudito Bezâ, hæc responsio præceptoris rejecta est. Verissimum verò est quod respondit ipse Beza, non loqui de unâ & eâdem descriptione, quamvis uno & eodem describente Quirinio, beatum Euangelistam, & Josephum. Eundem esse utrobique in eâdem gente ἐξιστήν, sed rem diversam, tempus non idem, caussam aliam, ut ita nulla omnino fuerit contradictio, de quâ tantopere Cardinalis tumultuatur. Τιμητὴς & δικαιοδότης distincta obeunt munera, & in naturâ suâ, & apud Iosephum. Ἐξ ἐπιτάγματος, non est idem, mitti, atque est ex Senatus consulto. Quirinius primâ vice fuit Τιμητὴς & ἐξ ἐπιτάγματος Augusti missus: secundâ fuit δικαιοδότης, addito insuper ut esset Τιμητὴς. Tacuit illam priorem Iosephus missionem, neque enim res Iudaicas attingebat, quam solam ῥητῶς nominat Euangelista: secundæ solius mentionem facit, ad quam proculdubio intendebat Euangelista. Nam *prima* non est nisi respectu secundæ descriptionis. Hæc est sententia Bezæ & Chemnitij, & communis opinor omnium Novatorum. Quam, post ambages, Salmeron, & diverticula amplectitur: & cum illo universi eruditiores Catholici-Romani, a Bezâ edocti, velint nolint, & illius scrinia compilantes. Neque certè potest, si quis attenderit, Iosephiana illa, & hæc Euangelistæ, nisi admodum absurdè confundi, & ridiculè. Hæc enim fuit œcumenica: *ut totus mundus describeretur*: at Iosephiana particularis, ἐπὶ Συρίας παρῆν, δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος, καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. Et iterum de eâdem ἀπογραφῇ terminis ijsdem τὰ ἐν τῇ Συρίᾳ ἀποτιμησόμενος. Loquitur de negotio particulari, per Syriam provinciam, nusquam alibi, peragendo: at sub Syriâ semper ordinariè Iudæa censebatur. Secundò apud Euangelistam habetur, *ut profiterentur ibant*: id est, audientes dicto & edicto Augustali se præbebant quaquaversum, nusquam tunc temporis ad arma itum, nullibi tumultuatum. At in illâ, cujus mentio apud Iosephum, Iudas quidam Gaulonites populum dicitur concitasse, & seditiones commovisse, Antiq. 18. 1. ubi ex professo Historicus de Quirinio agit. Ἰούδας, inquit, ἀνὴρ Γαυλωνίτης ἐκ πόλεως ὄνομα Γάμαλα: adjuncto sibi Sadoc Pharisæo, populum ad defectionem sollicitavit, censum nihil aliud esse dictitans, quàm manifestam servitutis professionem. De hoc censu, hoc rebellium promacho Gaulonite & flabello seditionis, loquitur Gamaliel apud sanctum Lucam, Actorum v. Μετὰ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, καὶ ἀπέστησε λαὸν ἱκανὸν ὀπίσω αὐτοῦ. Quem Iosephus *Gaulonitem*, beatus Lucas appellat *Galilæum*. Sed non est

aliqua differentia. Nam Gaulonitis fuit pars aut regio Galileæ; & Gamala oppidum in tractu Gaulonitide: unde ortus Impostor ille Iudas; qui propter tributum tunc in illo censu exactum, turbas movit. Ideo & Iosephus ipse alibi, in β. ἁλώσ. cap. ιβ. ita loquitur, Ἀνὴρ Γαυλανίτης, Ἰούδας ὄνομα, εἰς ἀπόστασιν ἐνῆγε τοὺς ἐπιχωρίους, κακίζων εἰ φόρον τε Ῥωμαίοις τελεῖν ὑπομενοῦσι, καὶ μετὰ τὸν Θεὸν οἴσουσι θνητοὺς δεσπότας. Sed de isto rebellium buccinatore, & altero, ab illo Impostore Theudâ, multa magnopere Baronius turbat, quæ quia sunt ἀπροσδιόνυσα in præsenti, non attingemus. Tertiò non erat eadem, in hac & in illa ἀπογραφῆς caussa. Nam in illâ, cujus mentio fit apud Iosephum, certissimum est fuisse tributum exactum. Ergo δασμὸς erat & ἀποτίμησις. Et Cyrenius ipse παρῆν ἀποτιμησόμενός τε αὐτῶν τὰς οὐσίας, καὶ ἀποδωσόμενος τὰ Ἀρχελάου χρήματα. Cùm verò spectaret res in seditionem Hierosolymis, Ioazarus Pontifex persuaso populo, hanc composuit. Καὶ οἱ μὲν ἡττηθέντες τοῦ Ἰωαζάρου τῶν λόγων ἀπετίμων τὰ χρήματα, μηδὲν ἐνδοιάζοντες. In illâ autem alterâ, cujus tantùm solius meminit Lucas, nec tributi fuerat exactio, neque solutio ulla. Neque enim φορολογήσας aderat vel δασμολογήσας Quirinius, sed tantummodò ἀπογραψόμενος. Erat etenim alia Imperatori mens, & consilium aliud. Nempe ut Imperij vires recognosceret, Quot civium Romanorum capita restarent: quot populorum per Provincias, urbes subditorum; consumptis per civilia bella non paucis. Quæ facultates: quæ opes exhausto jam orbe & attrito cladibus supererant. Quot & quantos delectus, si opus esset, per singulas provincias pop. Rom. facere posset. Neque ista tantum scire volebat Augustus, sed quæ insuper affinitates cognationesque, unde genus & stirpem derivarent. Ista enim omnia, & istis simillima, scire intererat principi vigilantissimo, tum cùm clausus esset Ianus geminus, sedatę bellorum tempestates, & pacis bona, orbi terrarum communicata. Ista, fuit necessarium, ut curaret ille, qui rationarium Imperij meditabatur. Unde Lucas in Historiâ sacrâ, cùm, si quis alius scribat & loquatur Græcè ornatissimè, voce ἀπογραφῆς utatur & non δασμοῦ. Est enim ἀπογραφή, quod notavit Suidas, ἀπαρίθμησις; Budæo *Inventarium*. Latini vocant *descriptionem, professionemque*. Descriptio erat ipsa actio, ex parte ministrorum, quorum operâ utebantur præsides dum nomina, cognomina, ætatem, genus, patriam in tabulas referebant Censuales. *Professio* erat ex parte describendorum, qui illa de seipsis interrogati profitebantur. Juxta hoc Inventarium, secundùm descriptionem in ἀπογραφαῖς, tributum aliquando, quoties erat opus, exigebatur. Non enim omnis professio Nominum, supponebat census solutionem. Itaque B. Ambrosius, qui vertit, *Profiteri censum*, nimis angustè vocem cepit, & rem extulit. Neque enim censum solummodo & facultates, sed & genus, & patriam, & ætatem, & alia profitebantur. Rectius ergo *Descriptio*, aut *Professio* vocabitur, quâm *Professio census*. Illæ enim voces laxiùs, ad omnia tendunt, hæc explicatio, nimis quam coarctat. Huc accedat, quod à Suida relatum est, in dictione ἀπογραφή, ex aliquo antiquo scriptore proculdubio, qui non extat, Augustum Cæsarem xx. viros, dignitate & honoribus præcipuos, ad orbem universum describendum, veluti Legatos quosdam à latere, misisse. Inter quos erat P. Sulpitius Quirinus, qui Judæam & Syriam suscepit describendas: quanquam falli eum certum est de soluto censu, quod de sui animi sententiâ adjecit ille ad authorem. Ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγουστος ὁ μοναρχήσας, εἴκοσι ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον, καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων, ἐξέπεμψε, δι᾽ ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων, καὶ τῶν οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων προσφέρεσθαι. Tum sequitur ratio falsissima, cur

Prima

Prima descriptio diceretur. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο. τῶν περὶ αὐτῆς, τοὺς κεκτημένους τι μὴ ἀφαιρουμένων. Erat igitur imperium illud extraordinarium, cum quo Quirinius mittebatur. Ita olim in liberâ adhuc repub. ad res sociorum inspiciendas: ad caussas provincialium expediendas: fœdera & amicitias feriendas: acta Imperatorum confirmanda, Legati à Senatu mittebantur, etiam eò, ubi Consul aut Proconsul provinciam administrabat. Atque hanc ob caussam verisimile est, eruditissimum Patrem Iustinum Martyrem, ab hisce temporibus non remotissimum, Quirinium illum vocasse ἐπίτροπον, quod acutè observabat doctissimus Beza. Verba sunt Iustini in secundâ sua Apologiâ. *Pa.148.edit. Rob.Stephani.* Κώμη δέ τις ἐστιν ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων, σταδίους λε. Ἱεροσολύμων, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Ἰησοῦς Χριστός, ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν γενομένων, ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. *Vicus est Bethleem in regione Iudæorum* XXXV. *stadijs Hierosolyma distans, in quo Iesus Christus natus est: quod rescire potestis è descriptionum tabulis sub Cyrenio confectis, qui vester erat olim in Iudæâ procurator.* Vocat enim illum ἐπίτροπον, quod erat ab Augusto speciali missione delegatus, & non à Senatu cum Imperio ordinario. Procurator est enim, quod observat Asconius apud Ciceronem in Verrem, qui alterius negotia suscipit. Provinciæ enim erant vel Cæsaris vel populi. In illas Cæsar pro voluntate suâ mittebat ἡγεμόνας καὶ διοικητάς. Populus in suas provincias, στρατηγοὺς καὶ ὑπατικούς, ut docet Strabo, lib. 17. illos Iosephus semper vocat ἐπιτρόπους: quos sic describit Dio lib. 53. Τοὺς ἐπιτρόπους (οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας καὶ προστεταγμένα σφισὶν ἀναλίσκοντας ὀνομάζομεν) εἰς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, τά τε ἑαυτοῦ καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ ἐκ τῶν ἐξελευθέρων πέμπει. Erat Procuratoris officium in bona. Tacitus in Agricolâ: *Britanni conquesti, duos sibi imponi: ex quibus Legatus in corpus sæviret, Procurator in bona.* In quibusdam tamen provincijs, Procurator etiam in corpus sæviebat: quippe vitæ & necis potestatem habuit. Illa enim potestate, Iudeæ procurator præditus erat. Et falsum est quod alicubi scribit Bulingerus; *Procuratorem Iudeæ sub dispositione fuisse Syriæ præsidis ante Vespasianum*, quocunque modo intelligat, *sub dispositione.* Missus est à Cæsare, non à Præside Syriæ præpositus Iudææ procurator. Erat autem Quirinus procurator extra ordinem in rem singularem. Vocat illum Lucas ἡγεμονεύοντα. Sed nihil refert. Nam illa vox in suâ latâ significatione accipienda est. Est enim ἡγεμονεύειν præfuisse quovis modo: quomodo significat & ἐπιστατεῖν apud Iosephum; ubi de Tito Volumnio usurpatur, qui non erat tamen Syriæ præses; sed missus à Cæsare procurator, cum Sentio Saturnino præside. Post Iustinum, qui Quirinium ἐπίτροπον vocat, advocamus item testem antiquissimum Latinorum, & ad miraculum eruditum, Tertullianum, qui adversus Marcionem ita refert: *Sed & census constat nunc actos in Iudæâ per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent.* *Lib.4.c.19.* Scabrosus planè locus, Baronius inquit, nec facilè nobis superandus. Rectè. Nam revera hancce crucem hoc in loco, Historicis nostris & Annalium conditoribus Tertullianus fixit. Mirandum verò est, cur non in illum invehatur Cardinalis vehementius, cùm nemo unquam tam ἐκ διαμέτρου Euangelistæ repugnare videatur. Quirinum enim huic ἀπογραφῇ ascribit beatus Lucas: sed Sentium Saturninum Tertullianus. Fortassis autem inciderat Tertullianus in codicem aliquem, in quo illa verba, *Hæc descriptio prima facta est, cùm Quirinius esset Syriæ Præses*, non habebantur. Quod ipsum in Novatoribus quibusdam, tamquam piaculum, abominatus erat, sect. LXXX. in Apparatu, Annalista. Saltem satisfactum est doctissimi viri efflagitationi, quâ postulabat

sibi

sibi ostendi Euangelij textum, in quo nomen Quirinij ascriptum non inveniretur. Si enim ita scriptum Tertullianus invenisset, nequaquam suffecisset Saturninum. Is in caussâ fidei contra Marcionem de veritate Incarnationis Iesu Christi, provocat ad Acta publica. Non decuit hominem accuratum, & vehementem, in hoc genere ἱστορικῷ, tam supinè hallucinari, etiam tum, cùm & rectè posset, & expectaret etiam adversarios. Cùm extarent illa Acta, quæ nunc interiere, unde poterat redargui falsitatis. Ad expediendam porrò difficultatem, Iacobus Pamelius Scholiastes, in notis suis ad Tertullianum respondet, *Quirinium egisse Census per Sentium Saturninum.* Sed improbat Baronius hanc sententiam: nec injuriâ. Recessit enim longiùs à veritate. Sed rationes tamen Baronianæ id non evincunt. Quin multò certè minus sunt probandæ: *Saturnini,* inquit enim, *præfectura in Iudæâ, nullo modo poterat pertingere ad Christi tempora.* Quod si ita esset, nullo modo per Sentium, Censum agere Quirinius posset: saltem ordinarium præsidem. At cur tandem non poterat hujus præfectura, ad Christi Natales usque pertingere? *Quia post illum, usque ad Quirinij adventum, præfuisse dicitur Quintilius Varus ad multos annos.* Ita legimus sect. LXXX. Sed à quo dicitur multos adeò ille annos præfuisse? à quo Quirinius successisse Quintilio? Si Varus, eo anno quo Iudæam & Syriam reliquit administratas; venit in Germaniam cum Imperio: & eodem ipso etiam anno quo venit, ab Arminio cum exercitu deletus est, tamen ne sic quidem dici poterit, annos adeò multos præfuisse: nedum præfuisse usque ad Quirinium; primâ, secundâ, tertiâ fortè vice præsidentem. Cùm primùm præfuit Quirinius Herode vivo, & descripto Christo, non is Quintilio, sed Quintilius ipsi secundùm Baronium successit. Cum tertiâ vice præesset Syriæ, jam obierat Quintilius, occisus in Germaniâ. De relicta vice, recordare cujusnam illa sint, sect. LXXXVI. in Apparatu: *Caio verò Cæsare, ut è Dione diximus, in provinciâ defuncto, cum nullus alius substitutus legatur, Quirinium remansisse Syriæ præsidem, nulla debet esse dubitatio.* Quo in loco vir doctissimus interrogari debet, cur nulla debeat esse dubitatio? Non enim docuit, quod tamen factum oportuit. Et ad me quod attinet vehementer dubito. Credo item & alij non minùs. Cur autem, & dictum est in parte, & deinceps dicetur. Secundo, nulla debet esse dubitatio, de Syriâ Quirinio attributâ, cùm Cilicia, Armenia, Oriens; non minùs fuerint Caio Cæsari provinciæ attributæ, quàm Syria: Et illis omnibus Caius præfuerit, Curatore adjuncto cum M. Lollio, vel potius post Lollium, Quirinio. Sed ista non urgeo utcunque dicantur dissolutè: illud velim attendas, vir Illustris; *Hic autem,* nempe P. Quirinius, sic relictus à Caio Cæsare, *successorem habuit Quintilium Varum.* Itane verò Quirinius, Varum successorem, quem sectione LXXXIX, legimus antecessorem; cùm post eum, hoc est, Saturninum, usque ad Quirinium, præfuisse illic ad multos annos, Quintilius Varus dicatur. Itaque præsidum Syriæ hæc jam series habetur, Saturninus, Quintilius Varus ad multos annos. Quirinus. Et tamen alibi ponuntur, Quirinus, Saturninus, Quirinus, Quintilius, Quirinus. Et tamen sect. LXXXVI, contrarium asseritur, *Cui,* Varo Quintilio, *non Quirinius, ut Iosephus habet* Antiq. 18.3. *sed M. Ambivius est suffectus.* Ut Iosephus habet: & nuper ut Baronius etiam habuit, derepente immutatus. Sed Baroni, Iosephus id non habet loco allegato: Tantùm ait, Cyrenium, redactis rebus Archelai in fiscum, Ioazarum movisse Pontificatu, & Ananum suffecisse Sethi filium. Contigisse autem hoc, anno XXXVII. post Actiacam victoriam:

victoriam: hoc est, Nervâ Silano, & Metello Cretico Consulibus: biennio priusquam interierit in Germaniâ Varus. Insinuat hoc, ut probabile, Quirinium Quintilio successisse: non pronunciat διαῤῥήδην. Sed de M. Ambivio disertissimè, successisse illum Coponio, qui cum Quirinio venerat Procurator: quando autem successerit hoc tacet. Κωπώνιος μετ' οὐ πολὺ εἰς Ῥώμην ἐπαναχωρεῖ. διάδοχος δὲ αὐτῷ τῆς ἀρχῆς παραγίνεται Μάρκος Ἀμβίβιος. &c. sed tamen non contendit Cardinalis. Nam hypotheticôs admittit, M. Ambivium non successisse Quintilio: *Nisi velimus*, inquit, *affirmare iterum adhuc P. Quirinium, in provinciam venisse Præsidem.* Et hoc cur non admitti possit? Nam usque ad Quirinium Quintilius præfuit, sect. xxxix. Hæc mirificè dissentiunt inter se, & sunt à veritate aliena. Secundum, quod in responsione Baronij ad Pamelium habetur, illud est, Non potuisse Saturnini præfecturam, ad Christi Natales pertingere. Quæ responsio parum solida est, & veritati consentanea; quod alibi demonstratur. Tertio respondet, Inficiando, quod ponitur à Pamelio, non fuisse Quirinium Quintilio Varo usum ad censum colligendum. In quo cum suâ umbrâ vel larvis saltem colluctatur vir eruditus. Non enim scripsit: forte ne somniavit Canonicus Brugensis, Quirinium usum Quintilio collectore: sed Quirinium censum per Sentium egisse Saturninum. Nam quid Quirinio cum Quintilio, ubi lis movebatur de Saturnino? sed nec Saturninũ somniavit Quirinio collectorem. Sed, *fortè dici potuisse, fuisse illos collegas in hoc munere*; Quirinium scilicet & Saturninum. Falsò quidem Pamelius: sed non ut retur Cardinalis. Sed attende rationem, non minùs infirmam, & inficetam. *Constat enim Varum amplissimâ Consulatus dignitate, non ut Quirinius, semel tantùm, sed secundò auctum: primùm, unà cum collega Vespillo; secundò, unà cum Ælio Cato.* Argumentum igitur hinc extruitur: Illum qui erat dignitate prior, nullo modo subjici inferiori. Sed miserè succedit hæc ratiocinatio. Q. Fabius Maximus Rullanus, Consul quinquies, Dictator aliquoties, Princeps Senatus, opinor, quintùm lectus, bello & pace clarissimus Dux illâ tempestate Romanorum, filio suo Gurgiti, contra Samnites Legatus ivit, quod testatur Florus in Epitome Livianâ. P. quoque Africanus, Senatus & Reipub. princeps, L. Scipioni germano suo, ad bellum Syriacum proficiscenti contra Antiochum & Annibalem, Legatum se futurum professus est. Parum erat hoc è dignitate, virorum sui sæculi principum, sed tamen factum est ab illis & quidem liberâ adhuc Civitate. Quidni igitur Varus bis Consul ordinarius, oppressâ repub. & imminuto fastigio Consulatus per principes, in censu descriptioneque peragendâ, subjici potuit, ex voluntate Augusti, P. Quirinio, cùm & ille & iste, ex illius arbitrio, quoad dignitatem & vitam etiam penderet? Sed hîc non insisto. Respondeo secundò, Fastos tu mirificè, vir Illustris, ignoras. Certè multò magis quàm Iosephus ignoras. Nam secundum Consulatum Quintilio affingis, & quidem ordinarium, cùm ille tantùm semel fuerit Consul, ad annũ urbis conditæ DCCXLI, cum Tiberio Nerone qui postea imperavit, & non secundò, quod mirabar scriptum in Apparatu: magis autem miratus sum, cùm appositos collegas Lucretium Vespillonem, & Ælium Catum intuerer. Sentius enim Saturninus fuit cum Lucretio Vespillone Consul, non autem Quintilius Varus. Et post annos 22. idem Saturninus, vel illius potius filius cum Ælio Cato. Sed profectò, agebat aliud vir doctissimus, cùm de Quintilio hæc mandaret literis. Utrobique enim pro Varo, Sentio Saturnino reponendum erat in Apparatu; si modò Fastos sequi voluit.

voluit. Sed contextura & series disputationis, nullo modo admittet illam cõnectionem,ut ἀναπολόγητος fuerit hæc hallucinatio.Semel ergo Consul Quintilius fuit: æquè ac Quirinius semel. Sed enim si verum sit, quod à Pamedio proditur, P. illum Sulpitium qui Consulatum gessit cum L.Munatio Planco, ad annum urbis DCC.XVIII,fuisse hunc ipsum,non alium,de quo nunc agimus, descriptorem, tum longè antestabat Q. Varo dignitate, tempore, & honore. Varus enim semel; Quirinius bis erat Consul ordinarius.Multò antè Consul ordinarius primâ vice, quàm Varus fortè accesserat ad rempub. Saturnino autem æqualis fuerit per omnia: cum Censor idem esset cum Antonio, ut è tabulis Colotianis relatum ab eruditissimo Panvinio. Sed nec eo anno Consul fuerat Quirinius, ut sentiebat Pamelius. Illum enim Quirinium Onufrius harum rerum callentissimus,patrem asserit fuisse illius,qui anno DCCXLI.Consul erat. Et certè extant nummi apud Hubertum Goltzium,in quibus memoratur non semel, P.Sulpitius, P. F. P. N. Quirinius. Sed an ad istos pertineat hic noster Quirinius, salvo judicio accuratissimi Onufrij, Tacitus facit ut addubitem, qui scripsit, *illum nihil pertinere ad veterem familiam Sulpitiorum, sed ortum Lanuvino municipio.* Postquam Pamelianam loci Tertullianei expositionem refutaverat Cardinalis, suam affert ipsius, eamque explicat: ubi tantùm non agit Alchymistam, mirus sensuum artifex, & verborum carnifex, ut inauditam inde extundere posset sententiam. Totum rei & quæstionis cardinem, in duabus illis vocibus *Nunc* & *Tunc* versari contendit. Nam postquam dixerat Tertullianus Lib. IIII. cap. XIX. *Nunc actos census sub Saturnino:* cap.XXXIII. ita demum scribit, *Nemo facilè ignorari, de genere potuisset, vel recentibus Augustanis censibus, adhuc Tunc fortasse pendentibus.* Tertullianum opinatur velle, Census pendentes sub Quirinio, actos sub Sentio Saturnino. Agit censum, qui τ̃ ἀπογραφὴν consummat: qui citatis Civium & Provincialium nominibus, genus, ætatem, vitæ studium & professionem, facultates insuper inquirit: quique hæc atque alia sic inquisita, in tabulas refert. Actus ergo hic Census sub Saturnino. Hoc est,peractus, vel ut ille loquitur, exactus; qui pendebat adhuc sub Præside Quirinio. Hoc est, per quinquennium aut sexennium. Vult enim exactas non sub Præside, sed Consule Saturnino. At quænam est ratio cur tandiu penderent, nec in ærarium referrentur illæ tabulæ? Ibant enim omnes ut profiterentur. Sine turbâ,strepitu,tumultu descriptio illa facta est, inquit textus sacer, ἡγεμονεύοντος, dum adhuc esset cum imperio describendi Cyrenius. Nihil ibi de suspenso censu. Imò ita ab Euangelistâ narrantur, ut nullo modo potuerit suspendi census aut differri in aliud tempus: Nisi,quod,in Calvini interpretatione improbatum erat, id nunc admitti debet in Cardinalis; quasi propter bella ingruentia factum fuerat, & concitatas tempestates per Palæstinam. Gratis ergo dicitur, quod de suspensis tabulis,sine omni ratione,nullâ authoritate dicitur à Baronio. At incertum erat Tertulliano,an Christus in lucem editus fuerat,ante finitam Præside Quirinio descriptionem: sed ante lustrum conditum natum fuisse illum certus erat: conditum porrò fuit sub Consulatu Sentij Saturnini: nam tabulis Censualibus, de more veteri Consulum nomina ascribebantur. Esto: igitur in fine anni quo natus est Christus, erat in provinciâ descriptor Quirinius: hoc est, V.C. 751. secundùm rationes Halicarnassei. C. Sentius Saturninus cum Cato Ælio fuit Consul,ad annum 757. sex annos post Quirinium descriptorem. Ita pendentes essent census sub Saturnino,non Quirinio. Aut si non sub

illo,

illo, ſaltem, quod verum eſt, ſub Ælio Lamiâ, & Servilio Gemino. Pendent enim uſque dum claudantur tabulæ. Erant clauſæ ſub Saturnino: debebant autem claudi, luſtrum enim tunc finitũ erat, ſub Lamia & Gemino. Deinde cùm Cenſorum nomina Cenſibus actis, & tabulis clauſis ſolerent apponi, cur nos ad Conſules remittit Tertullianus? nec Conſules, ſed Conſulem? Quòd ſi moris fuiſſe probare poſſet, ut unius tantùm Conſulis nomen apponeretur tabulis, cur cùm Catus priore loco ſcribatur in Faſtis, utpote priorum ſuffragiorum Conſul, illo præterito, & non nominato, Sentium nobis Saturninum deſignat Tertullianus? Præcipuè cùm contra conſuetudinem hoc invectum eſſet, cujus erat ut callentiſſimus, ita quoque obſervantiſſimus Tertullianus. Nec ignoraret ſe erroris anſam Lectoribus præbiturum, ſi tam ambiguè loqueretur. Accedat, quòd ſect. cv. in Apparatu, Tertullianus à Cardinali inter illos authores numeratur, qui Dominum Ieſum affirmant natum in exitu anni, quo Lentulus & Meſſallinus erant Conſules. Ita planè abſoluta fuit, & exacta hæc ἀπογραφὴ ſub Conſulatu P. Vinutij & Alfenij Vari; biennio ante Conſulem Saturninum. Luſtrum enim ſpatium eſt quinquennale. Cenſuram autem ipſam ſcimus octodecim menſium ſpatio, lege Æmyliâ circumſcriptam: at ultra quinquennium, ne ab impotenti Cenſore Appio protenſam. Loquitur autem hoc in loco Cardinalis, ac ſi civium Romanorum fuiſſet iſte cenſus, & non provincialium: Ordinarius, & non extra ordinem. Acſi nunquam fuiſſet intermiſſus, à primâ ſuâ, per Servium inſtitutione, aut à primis Conſulibus, aut primis ſaltem inſtitutis Cenſoribus, ſed ſingulis quinquennijs repetitus. Atque ita anno Luſtrico & Cenſorio ordinario, natus fuiſſet Ieſus Chriſtus. Sed ad Tertulliani locum quod attinet, veritatem, quaſi per tranſennam, vidiſſe Pamelium certum eſt. Verum etenim eſt, non Sentium Saturninum ſub Quirinio, ſed Quirinium potiùs ſub Sentio Saturnino egiſſe cenſum. Fuit enim Sentius ordinarius Syriæ præſes: Quirinius extra ordinem miſſus, ἐξ ἐπιτάγματος Αὐγούστου Καίσαρος. Tertullianus qui viderat archiva Romana, in urbe forſitan jureconſultus, certè Præſidum, Conſulum, Populi acta viderat: quíque hîc, ut ſemper, accuratè, doctè, & antiquo more loqueretur, provocat ad Præſidis, magiſtratus ordinarij, acta, utpote cujus nomen tabulis apponebatur. Beatus autem Euangeliſta Lucas, qui promiſcuæ hominum multitudini ſcribebat, illum compellat authorem, qui eo in rem præſentem venerat, quem noverant omnes εἰς ἀπογραφὴν delegatum. Atque ita optimè conveniet Euangeliſtæ Tertullianus. Cenſus actus eſt per Sentium Saturninum, ſub quo præſide agebatur: hoc eſt, ſub Saturnino per Quirinium. Et quidni per Quirinium ſub illo? Fuerat enim Sentius Saturninus (de illo loquor, qui cum Q. Lucretio Veſpillone fuerat Conſul, non illo qui deinceps cum Ælio Cato) vir primariæ, ſi quis alius, dignitatis, in Romanâ civitate, Legatus Auguſti aliquando in Germaniam, & ſummæ rei ibidem præfectus, uti loquitur Velleius. Ante Quirinium per aliquot annos functus Conſulatu. Virum appellat Paterculus, *multiplicem in virtutibus, gravum, agilem, providum, militarium officiorum patientem ac peritũ pariter. Sed eundem ubi negotia feciſſent locum otio, liberaliter lautéque eo abutentem, ita tamen ut eum ſplendidum ac hilarem potiùs, quàm deſidioſum aut luxurioſum diceres. De cuius viri claro celebrique Conſulatu prædiximus.* Et certè dixerat. Nam retulerat in prioribus, ejus factum quoddam, cuilibet

veterum Consulum, ut ait, gloriæ comparandum. Ita nulla fuit Quirinio indignitas facta vel injuria, si sub tali præside ordinario censum egisset ἐξ ἐπιτάγματος. Quod si esset verum, ut retur esse Cardinalis, bis fuisse illum Consulem, tum magis adhuc foret majoris dignitatis, cùm Quirinius semel tantùm fuisset. Sed nequaquam est opus ut hoc dicamus, subjectum Saturnino Quirinium censitorem. Non enim fuerat ut minister aliquis rei peragendæ, ab illo deputatus, sed missus in illius provinciam ab Imperatore, uti & in aliorum Præsidum provincias alij mittebantur, ad rem expediendam privatim Principi, quo munere solebant aliàs Procuratores fungi. At facta est descriptio à Præside Syriæ. Iam verò magistratus erat Præses ordinarius. Certè versio Latina, *præsidem*, habet, uti codices Græci ἡγεμονεύοντα. Sed & Præses nomen generale est: & ἡγεμονεύων, quâ voce utuntur Iosephus & alij cum Euangelista, in significatione laxiori sumitur, quàm est illa restricta, pro Proconsule, Legatove. Primas enim partes obtinens: præeuns: primò & principaliter agens: aut alicui loco, & officio præsidens, præses est. Atque hanc sententiam commendant illa, quæ in Apparatu sect. 93. è Cassiodori varijs Cardinalis Annalista allegavit, *Cùm propter bella civilia, immensis orbis universus conflictatus esset cladibus, ipsaque rerum Dominia haberentur incerta atque confusa, hisce prospicere Augustus cupiens, Romanum orbem agris divisit, censuque describi voluit, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ceperat ratione solvendâ.* Hanc etiam confirmant opinionem illa quæ dicta sunt de quietâ transactione. Non enim descriptio, sed solutio, malè Iudæos habebat. Solutionem census atque exactionem vectigalium magistratus curabant ordinarij. Erant enim illæ λειτουργίαι in repub. ordinariæ. At ἀπογραφὴν, ad rationem summæ totius imperij ineundam, rem prorsus inusitatam, obierant, quidni, extra ordinem missi Curatores? Sed objici potest in contrarium. Imprimis illud, rei tam illustris & per orbem universum pervagatæ, nullam alicubi memoriam extare apud rerum authores Romanarum. Respondet Barônius: Proculdubio quosdam meminisse, quorum jam monumenta interciderunt. Vetustate, incuriâ, incendijs, barbaris, & inundationibus nationum barbararum in Europam, atque ipsam imperij arcem Italiam, myriades scriptorum interiere. Secundò, certum est fecisse aliquos, hujus ἀπογραφῆς mentionem. Nam unde sua Suidas habere poterat, quæ de 20. descriptoribus literis consignavit? Tertiò verũ est, quod prudenter & eruditè animadvertit Salmeron è 111. Annali Corneliano: *E dignitate fuisse Romani populi, res illustres Annalibus, cætera diurnis Actis mandari.* Atque ideo Iosephus, cum paucis Historicus eruditus, illius secundæ ἀπογραφῆς, ex occasione tantùm & accidenti, non autem directè commeminit, quatenus nimirum conjuncta fuerat cum rebus Iudaicis, in Archelai ablegatione. Quartò, non est frivolum quod habet idem vir eruditus Salmeron, optimâ ratione voluisse Deum, ut res sacræ fide apprehenderentur, non ut humanis constarent testimonijs.

SECT.

SECT. IIII.

De Saturnini præfectura, ad Christi tempora pertingente, vera ratio. Baronij hallucinatio de illâ. Sibi contradicit. Tertulliani locus difficillimus de Saturnino explicatus, è Cicerone & Arnobio. Alium ejusdem locū malè cepit Cardinalis. Cujus plures mirabiles ἀλογίαι & prodigiosæ hallucinationes strictim recensentur.

R.Estat disquisitio de Saturnino. Ejus præfectura nullo modo potuit ad Christi pertingere Natales: atque ideo cùm censeretur Dominus, non erat ille præses ordinarius. *Nam post Saturninum usque ad Quirinium, per multos annos dicitur Quintilius Varus Syriæ præfuisse.* Dicitur certè successisse: at à quo per multos annos successisse præterquam à Baronio? Non refert autem quid ille dicat, sed quid probare posset in rebus tam antiquis. Anni illi multi quot sunt? Sex, septem. Certè XV, ut collectum est in Apparatu. Sed esto, præfuerit ad multos annos, & ei successerit immediatè Quirinius, quemadmodum & ipse Saturnino; nihilominus Sentio satis temporis restabit, secundùm rationes Baronianas, ut pertingere possit εἰς τὰ γενέθλια, etiam ulterius, si sit opus. Varus enim perijt in Germaniâ, ait Cardinalis, falsò quidem, sed tamen ita ait, Consulibus Dolabellâ & Silano, anno urbis conditę DCCLXIII. Christus descriptus est sub Cyrinio, Cons. Lentulo & Messallino ad annum DCCLI. His ita positis, in Iudæâ potuit substitisse per XII. totos annos, & tamen Christus describi sub Saturnino. Illud enim tenendum in Baroniano calculo, eodem anno perijsse illum quo de Syriâ venit in Germaniam. Sed missis hisce ἀπλογίαις Baronianis, sic se habet veritas de Saturnino. Anno quo Herodes moriebatur, erat Syriæ præses Quintilius Varus. Testatur hoc planissimè Iudæus Historicus in Antiquit. XVII. cap. VII. ubi caussam Antipatri ventilatam docet. Ετύγχανε δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Οὐᾶρος Κυντίλιος διάδοχος μὲν Σατουρνίνῳ τῆς ἐν Συρίᾳ ἀρχῆς ἀπεσταλμένος. Ita autem de illo loquitur, tanquam qui nuper advenerat, & tum primùm Hierosolymas salutabat. Rectè. Nam in fine cap. quarti ejusdem libri, Conjurationis Antipatri in Herodem socios detectos, Romam cum vinculis mittit, Syriæ tum præfectus Saturninus. Si igitur vel per biennium tantùm hæc descriptio antevertit Herodis obitum, quem totos annos octo mortuum affirmat Cardinalis post τὴν ἐνσάρκωσιν, potuit Saturninus, ex concessis Cardinali, Syriæ præfuisse cum imperio. Huc etiam spectat, quod ne ipse Baronius devocabit in quæstionem: cùm judicio sisteretur Herodis filius Antipater, Saturninum tum interfuisse, cum legatis & Volumnio. Καὶ πρῶτος, ait Iosephus, pag. 513. μὲν Σατουρνῖνος, ἀνὴρ ὑπατικὸς, ἀπεφήνατο γνώμην. Ratione sui muneris primus censuit Saturninus, vir Consularis (non qui anno præcedenti Consul fuerat, sicut alibi erratum est in Apparatu) post illum in secundis ipsius filij, qui patri aderant in provinciâ Legati. Et tum Volumnius Procurator. Tertiò eundem Saturninum donis & muneribus aggreditur Antipater: sed frustra. vir etenim integritate singularis, & dignus elogio Velleiano, noluit pecuniâ corrumpi. Antiq. 17. 3. Quæ cùm ita se habeant de Saturnino in rebus Antipatri, & Herodis illâ domesticâ tragoediâ: cumque ejusdem præfectura, authore Baronio,

 fuerit

fuerit diuturnior, fieri potuit omnino, etiam ſecundùm rationes Cardinalitias, & factum eſt, ut Sentij Saturnini præfectura ad Chriſti pertingeret nativitatem: ut in illam inciderit ἡ ἀπογραφὴ apud beatum Lucam, quod diſertis verbis teſtatur Tertullianus. Certè hoc conſtat è Ioſepho, pag. 711. poſtquam convictus erat apud Patrem Antipater, ut qui eſſet vitæ ipſius inſidiatus, uſque ad reditũ è Româ, & quæſtionem de illo habitã, menſes tantùm VII. interveniſſe: quo tempore, inciderat in morbũ illum qui lethalis ipſi fuerat, haud multo poſt Herodes. Tunc autem recens in Syriam advenerat Quintilius Varus, & apud Herodem hoſpitio habebatur. Nodum igitur in ſcirpo quærit Cardinalis, dum ſatis ſana ſic ſollicitat, & locum Tertulliani carnificinæ tradit excruciandum. *Nunc* enim & *Tunc*, de quibus vocibus Cardinalis tantopere λεπτολογεῖ, apud ſcriptorem illum Afrum & φιλαρχαῖον, pleonaſtica ſunt, quemadmodùm in omnibus ferè linguis, non ſignificantia: aut ſaltem uſurpantur indefinitè pro *aliquando*. *Nunc onuſti cibo & vino*, (ita citant è priore de divinatione) *confuſa omnia & perturbata cernimus*. Et alibi: *Nunc verò, ea vis eſt in homine, ut ei multo quis citiùs Rhetoricam ademerit, quàm Philoſophiam conceſſerit*. Arnobius & ipſe Afer, qui proximè ad phraſin Tertullianeam acceſſit, Lib. I. contra gentes. *At verò Iupiter, ut vos fertis, & patrem habet & matrem, avos, avias, fratres. Nunc nuper in utero matris ſuæ formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem*. Atque ita voces illæ Tertullianeæ, *Cenſus acti Nunc in Iudæa* (neque enim audiendi qui reſcribunt Tunc) idem ſonant, quod, *Cenſus acti*: aut *acti aliquando cenſus*. Neque illud *Tunc*, quod deinceps ſequitur, negotium faceſcere debet. Non eſt enim referendum ad τὸ Nunc quod præceſſerat, ἐπεὶ μάλα πολλὰ μεταξὺ, ſed ut τὸ Nunc, pleonaſticè & indefinitè ipſum quoque Tunc uſurpatur. Atque ita luſit operam Cardinalis in loco Tertullianico conformando, dum ſyllabarum apices, & minutias ſequitur verborum. Dum hæc ſatagit nimis ſollicitè, in luce cœcutit meridianâ, & in viâ regiâ, & illâ quidem planiſſimâ, mirum in modum ceſpitat. Sunt & alia non pauca per ſectiones iſtas de Quirinij deſcriptione, in quibus hæſit ad metas ſtupendum in modum diligentia & doctrina Baronianæ. Sect. 91. ait certum eſſe ſecundùm Tertullianum, annum Chriſti 5, incidere in Conſulatum Sentij Saturnini & Ælij Cati. Sed Tertullianus ex ijs unus eſt apud Cardinalem, qui τὰ γενέθλια conjiciunt in Conſulatum Lentuli & Meſſalini. Ab illis Conſulibus, ad Saturninum anni ſunt ſex etiam excluſivè. Secundò, quod fatetur Cardinalis, Tertullianus agens contra Iudæos, affirmat Auguſtum ſuperviⅹiſſe annos XV: poſtquam naſcebatur Chriſtus. Sed anni ſunt XVII. non XV. à Conſulatu duorum Sextorum, quo Auguſtus obijt, ad Conſulatum Lentuli & Meſſallini, quo Dominus in lucem edebatur. Sect. 81. in Apparatu docet, Sulpitium Quirinium in Syriam profectum ad annum 743. Iulio Antonio & Fabio Africano Conſulibus: hoc eſt, ferè biennio decurſo, poſtquam ipſe cum Meſſallâ geſſerat Conſulatum. Præfuit Syriæ duobus luſtris. Nam bis cenſita ab eo Syria more Romanorum, duobus luſtris: Sect. 88. manſit ergo in provinciâ per duos annos luſtricos. Quod ne mirum cuiquam videatur, docet Varum Quintilium diutius Syriam adminiſtraſſe: & Ioſephum authorem recitat: qui tamen nuſquam hoc affirmavit. Hoc autem poſito de Quirinij præfecturâ tam diuturnâ, ſequentur iſta. Primò, annum illum quo natus eſt Chriſtus, fuiſſe luſtricum directo ordine decurrentem: ſed à quo termino, ignoratur. Ratio autem mirabilis eſt, cur fuerit luſtricus. *Nam dum eſſent*

Bethleem,

Bethleem, quò ascenderant ut profiterentur, *factum est ut pareret*. Quasi Lustricus annus esset, non is quo Lustrum condebatur, sed quo nomina &c. profitebantur. Certè cùm de Censu pendente apud Tertullianum agebatur, etiam Cardinali lustricus erat annus quintus, ut rebatur, cùm esset VII. aut sextus, quo fuit Consul Saturninus. Deinde non tantùm duobus lustris, sed etiam tribus in provinciâ Quirinius fuit; vel adventus & recessus malè sunt positi à Cardinale. Venit in provinciam ad annum 744. natus est Christus anno lustrico 751. itaque Lustrum, & quòd excurrit per biennium, compleverat in provinciâ, priusquam Christus nasceretur. Stetit autem in provinciâ secundo anno lustrico, sub Consulatu Saturnini: ita XIII. totos annos Quirinius præfuit. Ita prima descriptio sub Quirinio non erit illa, sub quâ nascebatur, contra quàm statuit Euangelium. Aut unus annus lustricus transactus est sine censu in provinciâ: *Quod non erat*, inquit Cardinalis, *è more Romanorum*. Nam sic statutum sect. 91. legimus, *census actos singulis lustris Romano more*. Sin hæc sunt ἀσύστατα, & ἀθεολογικά, tum contrahenda, & refingenda sunt tempora Quiriniana in provinciâ. Sequuntur adhuc παροράματα. Quirinio surrogatur Saturninus. Sect. 86. Quando autem: nimirum post duo lustra condita: hoc est, post Consulatum suum (nam & illud hallucinatur Cardinalis, eum esse Saturninum, cùm Cato, Consulem, qui priùs fuerat cum Vespillone) ad annum 758. Notanda sunt ista sic posita propter illa quæ mox dicturi sumus. Interim occurrit contra Quirinium & Cardinalem, non fuisse diuturnā adeò hujus præfecturam: non tot lustra: ne fortè unum substitisse ex sententia ipsius Cardinalis. Venit primùm in provinciam Quirinius, anno urbis 744. at ad annum 748, biennio priusquam primam suam descriptionem peragere poterat, successum est illi à Caio Cæsare, quod statutum est ab ipso Cardinali. Non ergo XIII. annos præfuit Quirinius, quos rectè modò colligebamus: non X. non integros sex: non tum præfuit cùm Christus nasceretur. Nam *Caius* iste *Cæsar*, ait Cardinalis, *saltem biennio in provinciâ fuit*. Venit ad annum 748, secundùm Cardinalem. Natus est Christus juxta eundem Card. 750. ergo cùm descriptio peragebatur, Syriæ præfuerat Caius Cæsar. Sed pergit. Saturninus sequitur Quirinium, cum Volumnio: non ergo Caius Cæsar: & horum præfectura diuturnior fuit. Comparativè scilicet quàm Quirinij. Ille decennio integro præfuit, ait Baronius: certè XIII. totos annos secundùm Baronij rationes. Sentius igitur XI. totos annos præfuit. Post illum advenerit Quintilius Varus, (nolumus enim summo jure cum Baronio agere, ne tum cùm sibi ipse legem dixerit, qui Caium Cæsarem & Quirinium interserit) hujus præfectura est adhuc diuturnior: puta annorum XII. Sequetur autem hisce positis, quæ certè ponuntur apud Cardinalem, Quintilium Varū nondum venisse in Syriam præsidem, postquam interierat cum exercitu in Germaniâ. Quirinius X. annos præfuit: ab urbe condita 744. Saturninus diutius annos XI. conficies XXI. Varus occisus est in Germania 762. Ita non dum præses fuerat in Iudæâ. Neque hic præfecturam Caij Cæsaris per biennium: aut illius successoris Quirinij diuturnā numeramus. Sed *Diuturnior* præfectura positivè dicatur, *diuturna*. Etiam sic in Labyrinthos inextricabiles induet sese Cardinalis. Attendite sequelas. Saturninus sequitur Quirinium. Saturninum Caius Cæsar. Caium Cæsarem tutor Quirinius. Hic habuit successorem Quintilium Varum. Non ergo condidit lustrum Quirinius. Non fuit in provinciâ ultra biennium. Redierat Romam qui advenerat Româ cum

Caio

Caio Cæſare. Nec potuit fuiſſe in provinciâ, cùm ante Caium Cæſarem, ipſi ſucceſſum eſſet à Saturnino: qui & ipſe cum ſuâ diuturnâ præfecturâ biennium non exceſſit. Præſtigiæ ſunt iſtæ & ἐμβροντησμοί. Equidem vix credo meis oculis, dum iſta lego tam portentoſa. Non ſunt excuſanda, quod Bulengerus voluit, ab intricatâ ratione Chronologicâ: in qua quidem facilè, & excuſabiliter erratur: nam meræ ſunt ἀγνοησίαι, & ad ipſius rationes ἀνακολουθίαι. Sed vir doctiſſimus ab initio, obſtupuerat ad veſaniam Novatorum, nec ſe colligere poterat, & redire ad mentem per totum hunc tractatum Quirinianum: verùm extra ſe poſitus ita deliravit.

SECT. V.

Quirinij deſcriptio. Bis eò venit Quirinius deſcripturus. In prima deſcript. non exactum tributum. Quidam falsò ſtatuunt exactum. Cur prima dicta. Ridicula ratio Comeſtoris. An orbis, an Iudæa tum primùm cenſa. An cenſus & ſolutio ſimul. Publicani exoſi. Baronius fruſtra laborat: citat authores quoſdam pro tributo prius ſoluto, & ideo cenſu exacto. Vera ſententia. tum primùm Iudæa: tum primùm orbis cenſus. Non plena. Quæ eſt: prima per Quirinium, ut Baronius, ineptè. Fruſtrà, imperitè Salmeron refellit. In ſe impingit. An & quo modo quis in eandem provinciam bis mittatur.

DE Quirinij autem deſcriptione tandem in hunc modum ſtatuamus. Nam multis illam & perplexis difficultatibus, non tam invenit Cardinalis, quod conqueritur, involutam, quàm involvit ipſe, dum Ioſephum invitum & reluctantem, in odium ſcilicet Novatorum, in ſenſum torquet alienum. Bis venit in Syriam P. Quirinius ἀπογραψάμενος provinciales. primò delegatus ab Auguſto cum imperio extraordinario, ad ineundam deſcriptionem, & conficiendam τὴν ἀπογραφὴν totius provinciæ, ſine ullâ tributi ſolutione, quæ eſt propriè ἀπογραφή, cùm Syriæ præeſſet Sentius Saturninus. Secundò cum imperio ordinario miſſus ab eodem Auguſto, ad cenſum & tributum exigendum. Sunt qui in primâ exactum docent, ut Salmeron & Barradas è Societate Theologi Ieſuiticâ. Sed eorum rationes non perſuadent. *Solvebant Iſraelitæ*, inquit Barradas è Salmerone, *tum cùm eorũ iniretur numerus, dimidium ſicli.* Itanè ſemper, quoties aliquã ob cauſſam numerabantur? quoties ad bellum delectus habebatur? Cùm reges Iuda & Iſrael, quod ſæpe factum, numeratis copijs exibant in hoſtem? Cùm David mitteret Ioab ad numerandum populum? Nugæ ſunt iſtæ. Neque enim tunc & toties ſolvebant tributum. Sed ut verum eſſet de numeratis Iſraelitis à ſuis Principibus, quid hoc tamen ad cenſum Romanorum? Quid juri Quiritium, cum Lege Dei? Legi duodecim, cum lege duarum tabularum? aut judicijs ſæcularibus cum mandato Dei? Induxit hoc tributum, devictis & in ſervitutem redactis Iudæis Veſpaſianus, ut ubicunque terrarum verſarentur, illud didrachma, quod prius ſolvebant Templo, & Deo Iehovæ, Capitolio deinceps & Iovi perſolverent: Ioſeph. in VII. ἁλώσεως. Φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε,

δύ

δύο δράχμας. ἕκαστον κελεύσας αὐτῶν ἔτος εἰς τὸ καπιτώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ναὸν συνετέλουν. Sed Vespasiani rescriptum, quid ad tempora, & ἀπογραφὴν Quirinij? De hoc didrachmate, nihil erat olim auditum in censu aut descriptionibus Romanorum. Tributa, cum imperio, vi, & contumeliâ exigebantur. Didrachma non item: sed ut εὐχαριστικόν τι, ab Ἰουδαίοις requirebatur; solvi jubebat Vespasianus Capitolio, propter τὸ quod subversum erat Templum, & nollet Iudæos vagari ἀτελεῖς. Illud autem quod sequitur apud Euangelistam πρώτη ἀπογραφὴ, quâ ratione dicatur inquiramus. In hac autem investigandâ sententia, ridiculus homo est Petrus Comestor, qui, quemadmodum citatur à Barradio, hanc descriptionem primam ideo dictam autumat, quòd ille præses Syriæ Quirinius, primus ante alios suam provinciam descripserat. Quod ita factum fuisse, quomodo Petrus ille rescìscere poterat? Quomodo verosimile est factum fuisse, cùm inter provincias Romani orbis, Syria penè fuerit remotissima? Respondet de modo: sed responsio magis multò est ridicula quàm quod profatur; *Quòd Syria sit in medio habitabilis orbis. Auditum admissi risum teneatis?* Admirabilis erat motus horum descriptorum, qui sic à centro movebant in extremitates, vel potiùs ab eccentricis, ad ipsum centrum. Magnum quoque mysterium Romani istius census, quod ante Petrum istum Comestorem nullus animadvertebat. Romani enim censores in urbe Romana describendâ, ab urbis meditullio incipiebant. Rem prorsus inauditam admirabuntur historiæ periti. Caussam scio ridebunt, quibus cerebrum in capite est, & non in calcaneo. Movebunt Comestori litem illi proculdubio, qui non Syriam sed Delphos sitos esse contendunt in medio terrarum, unde est illud Poetæ,

> ——— *orbis*
>
> *In medio positi caruerunt præside Delphi.*

Alij hanc primã descriptionẽ dictã autumant, quòd Iudæi tùnc primùm censiti fuerint & descripti. De hac opinione scriptũ reliquit Cardinalis sect. 87. *Quod Primam dixit, nemo prudens sic intelliget, tunc primùm censos fuisse Iudæos atque redactos sub tributo, factosq́, populo Romano vectigales.* Et tamen Barradius qui post Baronium scripsit in Euangelia, ad hanc inclinat opinionẽ: vel ad tertiam, nimirum vocari primã respectu generalitatis, quòd tum primùm totus orbis, & non aliàs aliquando censitus fuerat. Verisimilius est, Primam vocari, quòd ea prima fuerit totius orbis generalis descriptio: vel quòd prima fuerit quâ Iudęi à Romano Imperatore descripti sunt. Sed hic attendendum est, clarissimum Baronium non esse ferendum, qui miscet omnia & confundit, transfusis rerum & verborum limitibus, quasi *censere, describere, censum exigere, solvere, sub tributum redigere, vectigal persolvere,* idem sonarent, & ὁμωνύμως dicerentur. Fiunt enim vectigales, & tributum pendent qui sub nulla veniunt ἀπογραφῇ. Descripti sunt autem sæpe & ἀπογεγραμμένοι, qui nullum vectigal, aut tributum pensitarunt. Victoris erant partes, stipendium, tributum, imperare: exactionem, & modum solvendi, curent victi, & non victores. Cùm in Carthaginienses victos, tributum imponeret P. Scipio victor, non egit ille censum Carthaginiensium, aut per ἀπογραφὴν rationem inivit, quid quantum singuli cives pro ratione facultatum solverent. Atque hanc rationem apud cæteros observabant à se victos & subjugatos, quoties illis vel *Canonem*, vel *oblationem*, vel etiam *indictionem* imperabant. Certè duplex erat Romanis solutum vectigal, vel tributum. Prius dicebatur *stipen-*

stipendiarium: alterum erat à *Censorum locatione.* Hiſpanis, Pœnis, alijs gentibus qui victori per vim & arma ceſſerant, impoſitum eſt imprimis extraordinarium,& quaſi temerarium vectigal,quod quaſi nomine pœnæ ſolverent: tum verò annuum & ordinarium, quod propriè tributum vel ſtipendium dicebatur, quod certum fuit atque fixum, quodque ſecundùm Canonem exigebatur. Cenſoria locatio, ubi non erat certum imperatum tributum, ſed pro anni copiâ, & inopiâ uberius aut anguſtius vectigal exigebatur. Hæc erat Aſiæ indulta conceſſio per Sempronium legem: ideo Publicanorum miniſterio uſa eſt reſpub. in elocatione, & conductione tributorum. Certum eſt ab initio indultam hanc gratiam in levamen Aſiaticis. Et per ſe clarum eſt, mitiùs agi cùm illis qui tributum ſolvunt analogicum pro ratione fructuum, ubertatis aut inopiæ,quàm cum ijs quibus imperatur vectigal fixum,certum, in re tenui vel lautiori, idem & non aliud. Et tamen, ut non raro in alijs quoque fieri ſolet, quod loco privilegij prius erat, id deinceps oneri cœpit eſſe: ita factum in ratione hâc, tributa & vectigalia colligendi per Aſiam, per Publicanos, in peſtem & perniciem populorum natos. Hinc διαβέβληντο παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ τοῦ τελωνοῦ ὄνομα. Erant enim ἅρπαγες, ἀλλοτρίων πραγμάτων μερισταί, πεπαρρησιασμένη βία, ἀνεπιτίμητος ἁρπαγή, ἀναίσχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορεία. *Plurimi à paucis proſcribuntur*, aiebat Salvianus, *quibus exactio publica peculiaris eſt præda.* Unde Chryſoſtomus alicubi: *Dic mihi quid peius publicano.* Hic ab initio opus erat deſcriptione, ut ita pro ratione facultatum ſolveretur ἡ εἰσφορά. Et multo mitiùs cum ijs agebatur, quàm ubi in frugum copiâ ſeu inopiâ ſtipendium impoſitum neceſſariò ſolvebatur. Sed malitiâ hominum fiebat tandem, quod dixi, ut levamen, publica fieret carnificina. Ita enim & lex illa de repetundis apud Romanos lata bono publico provincialium, in alia omnia per nequiſſimos hominum alaſtoras commutabatur: ut Provinciæ omnes unanimi conſenſu Senatum appellare in animum inducerent, velint jubeant illam legem abrogari. Ludit autem operam Cardinalis, dum ſedulò congerit hinc inde exempla, ut probet Iudæos ante hæc tempora tributum ſolviſſe Romanis, ut tum primùm cenſeri non dicantur, & ſub tributo redigi. Non ſunt enim, cenſeri, & tributum ſolvere, æque latè patentia. Cenſebantur, non ſolventes: & ſolvebant, non cenſi. Hoc tempore nullum exigebatur tributum, cùm tamen cenſerentur. Aliàs exactum eſt, nullo tamen cenſu vel ἀπογραφῇ, inſtitutâ. Erant certè ſubacti per Pompeium: & redacti in formam quandam provinciæ Iudæi; non prorſus, ut loquitur Epiphanius. Non ab illo vel Scauro tamen cenſebantur. De ſubjectione loquuntur Cicero & Ioſephus. Hic tributum ſolutum, & libertatem amiſſam queritur: de cenſu aut ἀπογραφῇ, οὐδὲ μήν. τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν. καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. καὶ τὴν χώραν, ἣν τοῖς ὅπλοις, ἐκτησάμεθα τοὺς Σύρους ἀφελόμενοι, ταύτην ἠναγκάσθημεν ἀποδοῦναι τοῖς Σύροις. καὶ προσέτι πλείω ἢ μύρια τάλαντα Ῥωμαῖοι ἐν βραχεῖ χρόνῳ παρ' ἡμῶν εἰσεπράξαντο. Ammianus Marcellinus provinciæ meminit; tributum non memorat imperatum: nedum ex cenſu & deſcriptione. *Has quoque regiones*, inquit, *pari ſorte Pompeius, Iudæis domitis, & Hieroſolymis captis, in provinciarum ſpeciem Rectori delatâ iuriſdictione formavit.* Auguſtinus Pompeij victoriam commemorans, hoc generatim & non aliud addit, *Ex eo Iudæi Romanorum facti tributarij.* Cenſum non commemorat ab illo actum. Conſtat certè Pompeium per civilia bella, à Regibus, Dynaſtis, & Tetrarchis Aſiæ totius & Syriæ atque etiam Paleſtinæ, ingentes pecunias corraliſſe:

Lib. 1. ad Eccleſ. Cathol.

corrasisse: non constat exegisse per ἀπογραφήν: imò constat fuisse, vel *Oblationem* hoc *vectigal*, vel *Indictionem.* Constat censum neque actum tum, nec transigi potuisse, cùm starent velut in procinctu Adversarij. Scimus Gabinium, & alios etiam præsides exegisse pecunias. Scimus Cassium venisse in Iudæam φορολογήσοντα. Et eundem scimus minimè conventus egisse; ut juxta tabulas censuales à professis exigeret pensitationem. Quod certum ait esse ex Epiphanio, est, si quid aliud, incertissimum in illo Patre: locus obscurus, & proculdubio depravatissimus. Sed ut esset integerrimus omnium, nihil tamen adjuverit virum doctissimum: cùm non de Iudæâ subacta dubitetur: non sit quæstio de soluto olim, sæpiùs tributo: sed de soluto per Censum. Cùm hoc statuerit vir illustris, *Nemo prudens intelligit tunc primùm Censos Iudæos.* Est ergo dissoluta ipsius exceptio, de Judæis solventibus ante illa tempora: ideo descriptis ante Quirinium per Romanos. Barradij opinio non est certissima, Iudæos antea non censitos per Romanos. Quin probabile est aliquoties censos. Sed hanc sententiam non conficiunt rationes allatæ per Baronium; sed suâ infirmitate, confirmant illam potiùs quàm infringunt. Erat autem proculdubio generalis, & extraordinaria cùm in Iudæâ tum per cæteras Romanas provincias. De qua rectè Paulus Orosius libro 6. *Hæc est prima illa, & clarißima professio, quæ Cæsarem omnium Principem, Romanosq; rerum Dominos, sigillatim cunctorum hominũ edita descriptione, firmavit.* Huic etiam accedit Beda: quamvis incertus & dubius loquatur. *Significat*, ait, *Euangelista, hanc descriptionem vel primam esse earum quæ totum orbem concluserint, quia pleræq; iam partes sæpe leguntur fuisse censitas: vel certè primò tunc cepisse, quando Cyrenius in Syriam missus est.* Quo in loco si, pro *vel*, legamus *&*, prorsus cum Orosio idem dixerit, & quod est secundum veritatem in se: licet fortè non secundum mentem Euangelij, & σκόπον πρῶτον. Utcunque enim aliud, quod dicemus, voluerit Euangelista, tamen verum est, œcumenicam hanc ἀπογραφὴν tum primùm institutam. *Quod nunquam penitus*, ait Orosius loco quo supra, *ab orbe condito, ne Babylonico quidem vel Macedonico regno concessum est.* Rectè. Et tamen tributa pensitata sub illis regibus: quod etiam ex historiâ sacrâ liquet: ubi Reges Ægypti, Syriæ, Assyriæ, & Babyloniorum, Israelitis & Iudæis tributum imponunt. Alexander magnus devictâ Asiâ quotannis tributum percipiebat 30000 talentorum. Et extat apud Herodotum non uno in loco, quæ summæ Persarum olim Regibus, hinc inde persolvebantur: nusquam tamen mentio τῆς ἀπογραφῆς. Itaque Clemens Alexandrinus in primo Stromatûm ait, Ἐγεννήθη δὲ ὁ κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει (Augusti, à devicto Antonio, & subactâ Ægypto) ὅτε πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γενέσθαι ἐπὶ Αὐγούστου. *Natus Dominus noster est, anno vicesimo octavo, quando primùm sub Augusto imperatum est, ut Descriptio institueretur.* Et sanè verissimum est quod affirmant isti. Nunquam enim prius, cujus extat memoria, universus orbis sub uno aliquo censu & descriptione cadebat. *Vt scias*, inquit Ambrosius, *censum non Augusti sed Christi esse, totus orbis iubetur profiteri censum. Quis poterat totius orbis professionem exigere, nisi qui totius orbis habebat imperium? Non enim Augusti, sed Domini est terra, & plenitudo eius.* Erat ergo hæc descriptio ἐν μυστηρίῳ: & quasi pararia mox venturo rerum Domino. *Quid enim est, quod nascituro Domino*, inquit Gregorius homilia VIII. in Euangelia, *mundus describitur, nisi hoc, quod apertè monstratur, quod ille in carne apparebat, qui electos suos ascriberet in æternitatem?* Sed tamen propius accedunt illi ad

mentem & ſententiam Euangeliſtæ, qui dictam hanc primam deſcriptionem arbitrantur, non reſpectu, univerſalitatis, quod nunquam prius orbis univerſus, ne ab orbe quidem condito, deſcriptus fuerat, & in tabulas relatus cenſuales: non reſpectu τῆς οἰκουμένης, Iudæę nimirum, quaſi quæ tum primum, non autem prius, cenſita fuerat: ſed reſpectu Cyrenij deſcribentis, qui non unâ vice, ſed ſaltem bis, illam provinciam, licet non eadem præditus poteſtate, non in finem eundem, ut dictum eſt, ἀπεγράψατο. Hanc ſequitur, & meritò, doctiſſimus vir in Apparatu. *Primam dixit reſpectu ſecundæ, ſub eodẽ præſide factæ.* Hactenus egregiè: ubi ſi ſubſtitiſſet, εὖ καὶ καλῶς. Sed pervertit omnia in extremâ clauſulâ, quod jam oſtendimus, *more Romano quolibet luſtro cenſendo populum.* Neque enim quolibet luſtro factum. Nec Luſtricus erat annus cùm iſta expediretur. Nec potuit Cyrenius eam exigere ne ſecundùm rationes Baronianas. Nec cùm cives Romani cenſerentur, ſemper Provinciales deſcribebantur. Nec in cenſu Romano ſolvebant tributum, licet plerunque ſecundùm cenſum. Neque mos erat ille quinquennalis. Nam ut rectè Exercitator, Ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ τά τε τῶν ἰδιωτῶν, καὶ τὰ τῶν πόλεων ἀπογραψομένους. Miſit Auguſtus, inquit Dio, quoties & quando volebat alios aliò, qui & privatorum fortunas deſcriberent, & publicas. Miſit alios aliò, hoc ipſo tempore: Cyrenium verò in Syriam, ὑπηρετοῦντα τῷ ἐν τῇ Βηθλεὲμ τόκῳ. Et ideò fortaſſis illum in Syriam miſit, quòd eſſet illi prius provincia cognita, & mores hominum explorati, tum cùm Caio Cęſari datus adjutor, illo mortuo, provincias Orientales aliquandiu adminiſtravit. Deſcripſit autem Syriam & Iudęam, ſecundâ vice, cùm poſt novennium Archelao expulſo, miſſus ab Auguſto in provinciam Præſes, & ἐπιτιμητὴς, Archelai res omnes in fiſcum redigeret. Hujus meminit expreſſè Iudæus Hiſtoricus. Iſtam verò liquidiſſimè inſinuat beatus Lucas cùm primam dicat, quæ niſi reſpectu ſecundæ non fuit prima. Eſt igitur acſi diceret, Atque hæc eſt prima deſcriptio quam Quirinius cum imperio in Syriam miſſus peregit. πρώτη ἡγεμονεύοντος, id eſt, ἐπὶ Κυρηνίου ἡγεμονεύοντος. vel etiam πρώτη, pro προτέρα. Ut ſit non ſolùm, ἀπογραφῆς οὔσης ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης, ut exponit Iuſtinus Martyr: ſed etiam πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου. Refellit tamen hanc veriſſimam Baronij interpretationem, antequam Baronius quicquam ſcripſerat, opinor, Alfonſus Salmeron è Societate: non aliam opinor ob cauſſam, quam quod ad Lucæ locum, hanc interpretationem viri doctiſſimi ſecuti fuerant, quos confeſſionis ſtudio exoſos habuerat Ieſuita. Eſſe enim contra Romanorum conſuetudinem affirmat, ut in eandem provinciam idem bis cum imperio mitteretur. Hic verò Ieſuitæ ex adverſo componimus Æneæ Diomedem, doctiſſimum Annalium compilatorem. Apud quem Quirinius in Syriam mittitur, non unâ tantùm vice, ſed ſecundâ, ſed tertiâ quoque ordinariâ. Apud quem Agrippa in Orientem, bis ab Auguſto legitur delegatus. Pugnat autem hoc effatum & cum ipſius Salmeronis opinione, & ſcito. Tuetur enim ille, & rectè quidem, illam deſcriptionẽ Quirinianã, cujus fit mentio apud Ioſephũ in hiſtoriâ, non eſſe illam ſed aliam ab eâ quæ commemoratur apud Lucam in Euangelio. Utramque factam per Quirinium. Utramque factam agnoſcit in Iudæâ: non autẽ per Quirinij Legatos, ipſo interea Romæ hærente; ſed per Quirinium, in rem præſentem venientem. Ita neceſſe eſt ut ſtatuat Salmeron Quirinium in provinciam bis veniſſe, cùm tamen velit fuiſſe contra Romanorum conſuetudinem, ut idem bis in eandem provinciam cum imperio mitteretur. Ita facilè in ſe impingunt magiſtri noſtri, æſtu contra-

dictionis abrepti; & odio inflammati Novatorum. Secundò, ut maximè eſſet verum, Proconſulem, vel Conſulem, vel Legatum, ſecundùm morem Romanorum & conſuetudinem, non eſſe iterum mittendum in eandem provinciam cum imperio, facilè tamen hanc difficultatẽ expediemus. Imperium enim duplex eſt, ordinarium, & extraordinarium. Illud verò item duplex. Nam vel idem erit, vel diverſum. Eſto igitur verum, apud Romanos receptâ in mores conſuetudine, Nemo bis in eandem provinciam cum imperio mittebatur, tamen de eodem ordinario imperio interpretabimur. Nihil autem impedit, quo minùs, cum non eodem, extra ordinẽ, tertiò quartóve mitteretur. Fieri poteſt, ut rarò hoc obſervetur in Hiſtoriâ Romanâ, eundem hominem bis miſſum in eandem provinciam. Erat illud propter paucitatem provinciarum, ingentem verò numerum candidatorum. Cùm enim Provinciæ eſſent vel Conſulares, vel Prætoriæ, vel etiam Quæſtoriæ. In illas ſortiebantur illi, qui Conſulatum geſſerant finito magiſtratu: in ſecundas, qui Præturam geſſerant. Ciceronis ætate Conſulares erant paucæ. Syria, Cilicia, Dalmatia, Illyricum, Gallia ciſalpina, & tranſalpina, Hiſpania citerior & Hiſpania ulterior, quæ ſufficere nullo modo poterant examini illi Conſularium. Sed extra hanc neceſſitatem fuiſſet, nihil erat in Romanorum moribus impedimenti, quo minus idem, cum eodem imperio, in eandem provinciam mitteretur ſæpius. De miſſis in eandem, cum non eodem imperio, frequenter occurrunt, in Romanorum moribus & hiſtorijs exempla. T. Quintius Flamininus in Græciam contra Philippũ profectus eſt Conſul. In eâdem provinciâ prorogato imperio Proconſul res præclaras geſſit. Romam reverſus, de Philippo & Ætolis triumphavit. Poſt triumphum denuò miſſus eſt à Senatu in eandem Provinciam Legatus, ad inſpiciendum, & componendum Græciæ ſtatum. C. Marius in Africam Conſul profectus eſt contra Iugurtham, in quâ cum Metello Legatus prius fuerat. Sed nihil frequentius hujus conſuetudinis exemplis reperitur. Sed & olim in eandem provinciam, cum eodem imperio aliquoties mittebantur: Papyrius Curſor, Fabius Rullanus contra Samnites. Fabius Maximus Verucoſus, M. Marcellus alij contra Annibalem. In liberâ Civitate hæc in uſu fuerant, nedum in oppreſsâ per Cæſares: cùm honores, magiſtratus, provinciæ decernendæ, omnia de nutu Principum penderent, & ut ipſis libitum erat, adminiſtrarentur. Venerat in Syriam P. Quirinius, cum imperio extraordinario (nam falli docuimus Cardinalem, qui vult Præſidem fuiſſe ordinarium) Legatus ab Auguſto, ad negotium ſingulare expediendum. Venit idem deinceps in eandem provinciam poſt novennium cum imperio Præſidis ordinario, δικαιοδότης τοῦ ἔθνους, & etiam extraordinario quodã, nimirum ἀποτιμητής: ut Archelai bona Viennam relegati, & regno pulſi, in fiſcum redigeret, atque etiam ut gentem ipſam non tam deſcriberet, quàm ab illâ cenſum exigeret & tributum. Hoc non ſolebant peragere vel expedire Præſides provinciarum ordinariè. Neque ullius præterquam Quirinij mentio vel memoria extat, qui hoc perfecerit in Iudæâ. Et certè oportuit ut Imperatoris accederet mandatum ſpeciale. Nam cùm Provinciæ omnes bifariam diviſæ, vel Cæſaris eſſent vel populi, non tamen ita erant addictæ populo, ut non deberent illas Imperatores, ad libitum tranſponere vel φορολογῆσαι. Procuratores enim ſuos mittebant in populi provincias quaſcunque ad pecunias corradendas. Quanquam Syria, inter Cæſarianas cenſebatur. Cumque per provincias Aſiæ, teſtamentario jure Populi Ro. factas: perque cæteras Orientis pacatiores

Publicani ſuas nundinationes exercerent; opus non erat, ut Cenſum agerent Præſides, niſi forſan extra ordinem aliquando. Quomodo & Imperator interdum neceſſe habebat, conventus agere, cùm tributum imponeret exolvendum. Ita narrat Livij Epitomator, Lib. 134. cùm Auguſtus conventum Narbone ageret, cenſus à tribus Gallijs, quas Pater vicerat, actus eſt. Multa deinceps in Apparatu, vir doctiſſimus de Cenſu & Cenſura Romanâ, eruditè animadverſa ex authoribus rerum Romanarum producit: quę cùm nihil omnino ad hanc Quirinij deſcriptionem pertineant, parum Annalibus vel Apparatui inſervire queunt: ſed Philologis nec inſuavia nec inutilia futura ſunt. Illud certè ab eodem parum prudenter inculcatum aliquoties, de Luſtro, & Luſtricis, anno & ceremonijs; cùm in Cenſu Romano, omnia ſint incerta, & temporibus intermiſſa, & variata. Quod verò ſect. 96. Novatores neſcio quos, propter ſcelus admiſſum neſcio quod, omnibus Celſis, Porphyrijs, Iulianis deteriores blaſphemat immodeſtè, furiata mente blateronem potiùs decet, & ſcurram è trivio triobularem, quàm virum præſtantis doctrinæ, & dignitatis eximiæ & illuſtris, Cæſarem Baronium. Præcipuè cùm tam malitiosè quàm falsò effutiverit. Atque hactenus vir eruditus, in Apparatu, ea omnia complexus ſtylo & ſcriptione ſua, quæ τ̃ ἐνσάρκωσιν Ieſu Chriſti, aliquo modo contingebant, ſive à longè & remotiùs; ſeu etiam Συνημμένως in deſcriptione, & parentibus, appropinquat adhuc τῇ γενέσει propiùs, & de anno, menſe, die, conſummati illius Ευαγγελίε diſquirit, quo cœleſti internuntio allata pax bonæ voluntatis Paſtores Bethleemiticos beavit, Hodie natus eſt in Civitate David, Servator, qui eſt Chriſtus Dominus: quò illius veſtigia conſequuturi, pedem porrò promovemus.

EXER-

EXERCITATIO IX.

SECT. I.

Annus Natalis fundamentum Historiæ. In eo error Baronij. Certissimum è Lucâ de XV. *anno Tiberij. Sed controversum: tripliciter apud antiquos. Baronij, Tornielli, Scaligeri opinio, de* 31. *inito. Contra eos dissertatio Irenæum falsò citant testem. Ordo Romanus exponitur. Ignatij sententia. Contradictio Cardinalis.* πολιτεύεσθαι. πολιτευσάμενος. *explicatur. Antiquus Ignatij Interpres.* ὡσεί. ὡς. *Argumentum validum Tornielli eliditur. Cum Scaligero velitatio. Theophylacto vim facit.* ἀρχόμενος ὤν. & ἀρχόμενος ἦν ὤν. *Scholiastæ manuscripti. locus* μυστικώτερος.

ANNVM igitur Domini Iesu Natalitium, doctissimus & illustrissimus Baronius in Apparatu suo indagaturus, omnino ita verè statuit ut nihil verius, *Hæc basis quædam ac fundamentum Annalium esto. Perspecto etenim vero, quo Christus natus est anno, cæteri qui ab eo dinumerantur, veri certiq; supputabuntur. Quòd si quem in hoc vero anno aberrare contigerit, in singulis alijs errare, quisquis fuerit, licet invitus, cogetur.* Quod ipsius effatum non in alio magis verum esse patefit, quàm in ipsomet Cardinale, &, quem ille sequitur, Dionysio exiguo. Plurimorum certè in hoc argumento sudavit industria. Sententiæ penè singulares, à singulis autem discrepantes & diversæ, prodiere. Adeò ut, fieri quidem possit ut illarum nulla, omnino ut plures unâ veræ essent fieri non possit. Singulis suæ erant rationes. Certæ quidem visæ, non tamen derivatæ ab ijsdem fontibus. Illud tamen constat inter omnes, quicquid de cœlestium orbium motu, cursu, certitudine Astronomi gloriantur, nullum certius fundamentum poni posse, quàm quod positum est ab exactissimæ diligentiæ scriptore sacro B. Lucâ Euangelistâ, verbis expressissimè evincentibus, de anno XV. Imperij Tiberiani. Quem narrat ille Historicus sacer, incidisse in annum XXX. ætatis Iesu Christi, Αυτος ἦν Ἰησοῦς, ὡς ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ.

Ἰωσήφ: *Ipse autem Iesus erat*, ait Euangelium, *quasi triginta annorum incipiens, existens, ut putabatur, filius Ioseph.* At enim verò ab illo anno Tiberiano xv. si retrò annorum numerum recolligamus, qui decimum quintum illum & Christi Natalem intervenerunt, ad certum annum deveniemus, statâ Olympiade consignatum, suis Consulibus in Fastis designatum: certo anno Augustali fixum: & Herodis in Iudæa regnantis. Et tamen negari non potest, hoc jacto firmissimo fundamento & parapegmate, quo nihil clarius, illustrius nihil videri queat, nihilominus de vero anno Natalitio, adhuc inter adversantes partes concertari. Rationem non tacuit Apparatus Sect. c v i. *Horum verborum cùm multiplex sensus à Patribus afferatur, non ita facilè dignosci queat, quis potior, aut potiùs fuerit sequendus, & admittendus sensus.* Controversiæ verò totius cardo vertitur, An Christus tum cùm à Iohanne in Iordane baptizabatur, ad annum imperij Tiberiani xv, duobus Geminis Consulatum gerentibus, trigesimum annum ætatis suæ compleverat, & trigesimum primum inchoarat: an verò eundem ipsum annum trigesimum, completo tantùm vigesimo nono exordiebatur. Verba enim posita ab Euangelista cùm sint paulò obscuriora, ambiguæ cujusdam acceptionis, & interpretationis dubiæ, ab hisce in istum sensum, ab alijs in illum, prout ipsis videbatur, sunt attracta & exposita diversimodè. Cardinalis Annalista, & ex illo Torniellus Annalista alius, triplicem referunt opinionem. Sequuntur autem illam quâ constituitur, Christū cùm Iohannem baptizandus accederet, expleto trigesimo ætatis anno, trigesimum primum inchoasse. Nobilissimus Eusebij Animadversor, Cardinali nostro σύμψηφος & συμφοιτητής, quod ille per Patrum antiquorum calculos & suffragia disputabat, rationibus confirmat è Grammaticâ petitis: in qua re vehementer habuisse decori rationem, & τοῦ πρέποντος mihi videtur. Nam, quam quis norit Artem, illam exerceat: cùm & ea tractet felicissimè, quorum scientiam & cognitionem ante alia vel alios comparaverat. Cardinalis disquirit per suffragia Patrum. Fuit, inquit, sententia Epiphanij, Christum baptismi tempore sic dictum ab Euangelistâ fuisse quasi triginta annorum, ut exactis xxix. annis ac mensibus x, duobus mensibus minor fuerit ætate xxx. annorū. De altera autem opinione ait, *sed communior videtur antiquorum Patrum sententia, Christum Dominum eo anno quo est baptismate initiatus, inijsse annum trigesimum.* Citat Africanum, Lactantium, Tertullianum authores, & ante hosce omnes, quod ipse non concedit, Ignatium commemorat recitari. Tertiæ opinionis, inquit, primus assertor habetur Chrysostomus. Ipse vult Ignatium ita statuisse: Lis est omnis in loquendi modo, quo de, videbimus in sequenti. Quod ad Epiphanij opinionem attinet, doctissimus ille Pater, non unâ vice scribens contra Anoetos, in illam descendit opinionem. Ἦν γὰρ τῷ μὲν ὄντι, ait pag. 191. εἴκοσι ἐννέα ἐτῶν καὶ μηνῶν δέκα, ὅτε ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἧκε. Τριάκοντα μὲν ἐτῶν ἀλλ᾽ οὐ πλήρης. διὸ λέγει ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα. & pag. 196. μετὰ τὸ πληρῶσαι εἴκοσι ἔννεα ἔτη καὶ δέκα μῆνας, ὡς προεῖπον, τῇ δωδεκάτῃ Ἀθὺρ, πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Νοεμβρίων ἐβαπτίσθη. Et certe dixerat ita priùs, pag. 194. Observandum est autem Epiphanium, in priore illo testimonio, syntaxeos rationem hanc constituisse, ut sibi ipsi non conveniat. Ait enim, Διὸ λέγει, ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα. In quibus participium illud ὢν, apertissimè conjungit cum ἐτῶν, ὢν ἐτῶν τριάκοντα. & fortassis etiam, τὸ ἀρχόμενος. vel si distinguat ἀρχόμενος ab ὢν, necessariò oportet ut cum ijs consentiat, qui subintelligi volunt hoc in loco λειτουργίας: ut sit ἀρχόμενος λειτουργίας. utcunque: non cohærent illa pag. 194, ubi ὢν, non ad ætatem, sed ad genus

refertur,

refertur, quod omnino est necesse, ὢν υἱὸς Ἰωσὴφ, ὡς ἐνομίζετο. Quod ait Cardinalis favere huic opinioni Cornelium Iansenium vigilantissimum sacrarum literarum Interpretem, repugnat Barradius, qui de Iansenio sic, *Iansenius arbitratur, Lucam participium incipiens, non ad annos Christi, sed ad ostensionis exordium retulisse.* Volunt Epiphanium hanc sententiam mutuatum ab Irenæo. Sed falluntur Torniellus & Barradius. Apertè enim Irenæus contendit contra Gnosticos, Christum cùm baptizaretur in Iordane tricesimum ætatis annum egisse: *Quomodo uno anno tantùm Dominus prædicavit, triginta quidem annorum existens, cùm veniret ad baptismum.* Addit autem & rationem; *magistri ætatem perfectam habens venit Hierusalem.* Sed meritò dissentit ab hâc opinione doctissimus Cardinalis. Neque enim ille incipit esse tot aut tot annorũ, qui per duorum mensium intervallum illos nondum annos assecutus est. Incipit enim alicujus termini, vel decursus initium aggreditur unius, qui prioris complementum jam est adeptus. Dissentit autem imprimis Apparatus, propter ordinem Romanũ in antiquo rituali, ubi dicitur triginta annos explevisse cùm baptizaretur. Sed non docet hoc Romanus ille ordo, ex sententiâ & communi sententiâ Ecclesiæ. Obiter perstringit, & quasi aliud agens: Id quod voluit Ordo ex Ecclesiæ praxi & sententia insinuari, fuit, Christum Dominum illo ipso die, quod non negamus, baptizatum. Secundo non est αὐτόπιστος ille ordo, ut contra communem sententiam Patrum vetustiorum: & ipsam sacri contextus grammaticalem rationem, audiri debeat & obtinere. Præsertim cùm ab illo ordine antiquo, & rituali, in multis sine scandalo, aut reprehensione, etiam ab ipsâ Romanâ Ecclesiâ sit recessum. Secundò, dissentit propter Ignatij ψῆφον manifestissimè prolatum pro Romano ordine. Sed de illa claritate in sequentibus. Supposito tamen Ignatij testimonio in rem præsentem accommodato, quasi murus aheneus à Cardinali objicitur, adversus omnium adversantium oppugnationes. *Qui cùm vixerit Christi tempore, eumque in carne viderit, ut de eo testatur Hieronymus, quo potissimùm ætatis suæ anno Christus fuerat baptizatus ignorasse non potuit.* Fortè: & tamen codices ipsi depravari; sententia perverti poterat: etiam ipse decipi. Quidni enim, cùm non scriberet θεοπνεύστως: non minùs quam qui apud Irenæum, Christum Dominum tradiderunt ad quinquagesimum ætatis annum pervenisse: neque sine probabili Scripturæ sacræ testimonio? Verùm, est quod adhuc ulteriùs Cardinalem fugit. Nam eadem ipsa sectione, in qua de Ignatio gloriatur, *Huius*, inquit, *opinionis primus assertor est Iohannes Chrysostomus:* longè infra ætatem Ignatianam. Sed condonemus viro diligenti hoc παρόραμα: ad Ignatij partes accedamus. Ubi videntur Annales cum Græcis, licet hæreticis & schismaticis, & à communione Romanę Ecclesię, etiam quoad linguâ plerunque, alienis, redijsse in gratiam. Ignatium enim, quod per immensam Annalium molem raròadmodum fieri animadvertemus, Græcè sententiam rogat, Καὶ τρεῖς τῶν δεκάδας πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. *Et cùm tres annorum decadas conversatus esset*, inter homines nimirum, *baptizatus est à Iohanne in Iordane.* Urget autem in Ignatio versionem illam, *Et expletis tribus annorum decadibus*, quam licet novitiam & recentem, veram tamen contendit esse & germanam genuinam. Sed imprimis, quisquis erat author versionis illius, Vairlenius, Morellius, seu quis alius (nam Mestræus transcriptor est, & inter post-natos) vocem πολιτεύεσθαι ineptè satis reddidit, *Explere*, cùm significet versari cum hominibus: secundùm vitæ ipsorum institutum & rationem. Urget secundò

Cardinalis

Lib. 2. c. 39.

Sect. 107.

Cardinalis temporis præteriti participium, πολιτευσάμενος: quod non nisi de completo anno & termino consummato usurpetur, aut usurpari possit & debeat. *Postquam triginta annos versatus erat*, integros non currentes, *in Iordane baptizabatur.* Sed primùm, unde constat scripsisse Ignatium πολιτευσάμενος? nostræ editiones ita hodie referunt, sed fieri potest ut in Autographo suo πολιτευόμενος fuerit ab illo repræsentatum.

Multa dies, variusque color mutabilis ævi
Rettulit in peius ———

Certè vetustissimus interpres in suo exemplari videtur reperisse πολιτευόμενος, quod neque Baronius diffitetur. Ille autem, prout vetusti Interpretes omnes solent, veritatem potiùs quàm elegantiam secutus, id quod erat in Ignatio, verbum verbo reddens exprimebat. Et est ille Interpres antiquus: omnibus codicibus, qui extant hodie manuscriptis vetustior, Adone Viennensi Chronologo prior. Facilis autem lapsus est ab illo πολιτευόμενος ad πολιτευσάμενος. Sed ne solliciti de lectione loci simus. Esto autem, receptam lectionem admittamus: non tamen inde sequitur consectarium illud, Participia præteriti temporis, ita semper extendenda videri, ut completum illud tempus perfectè denotent, ad quod significandum desumuntur. Christus etenim Dominus qui à morte primus & princeps resurrexit ad æternam vitam: & nobis suâ resurrectione viam munivit, & spem consolidavit, tantùm illis profuerit hoc pacto, qui ante ipsum mortuum & resuscitatum, viam inverant universæ carnis, non illis, qui μεταγενέστεροι, ad mundi usque συντέλειαν, in fide Iesu Christi obdormiscerent. Inquit enim alicubi Paulus, 1 Cor. 15.20. Νυνὶ δὲ Χριστὸς ἐγήγερται, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων. Est enim participium temporis præteriti, uti πολιτευσάμενος, & quod plus est, non indefinitè, sed plenissimè præteriti & perfectè. Ita autem est, τρεῖς ἐτῶν δεκάδας πολιτευσάμενος, illud indicat, & non aliud quod tuemur, currente jam, ab initio suo paulisper, anno trigesimo, Iesum Christum baptizatum in Iordane. Christus in deserto conflixit cum diabolo per totos illos dies XL, per quos jejunus permansit, dum ut vulgò creditur, & rectè asseritur, comparat & componit se ad certamen. Ita enim narrat beatus Marcus, Καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. nimirum per totos illos XL. dies ἐπειράζετο: & tamen legimus apud Matthæum, cùm XL. dies jejunasset, tunc ad illum tentator accessit. Actum præsentem & continuum notat πειραζόμενος. Sed non est illa carnificina syllabarum adhibenda, quin tempus designetur indefinitum, & intelligatur ideo factum, ut tentaretur. Ita frigidum est omnino & frivolum λεπτολόγημα, quod ex Ignatio, syllabarum tortor, & apicum carnifex deducit Cardinalis, propter participium præteriti temporis adhibitum πολιτευσάμενος. Sed Ignatium ita cepit & intellexit Romanus Ordo, vel saltem, si Ignatium non consuluerant ordinis illius compilatores, ita illi capiebant beatum Lucam. *Expletis*, aiunt, *Christus quasi triginta annis, venit in Iordanem ad Iohannem.* Responsum est in parte de hoc Romano ordine: accedat cumuli loco adhuc Novatores nostros, quos oppugnat Cardinalis, qui diversam huic fovent opinionem, nequaquam magni æstimaturos Romanum illum ordinem, qui fundus est Annalibus & origo, mutatę prioris opinionis, ne tunc si constaret, hanc esse mentem illius Ordinis. At non constat esse. Dubitativè loquitur ille ordo: Quasi triginta annorum curriculis expletis. Hoc est autem Græcorum ὡσεὶ in Euangelio. Regeritur in Apparatu: *Non esse hanc phrasin dubitantis, sed potiùs disertè pronunciantis.* Nam ita

loquitur

loquitur alibi Spiritus Sanctus, Iohan. I. Καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. *Gloriam eius vidimus*: gloriam *quasi unigeniti apud Patrem.* Agnoſcimus ſententiam beati ſcriptoris. Rectè autem quoad ſenſum ſcholiaſtes meus manuſcriptus, τὸ ὡς, ἐνταῦθα δηλοῖ τὸ ὄντως. Confirmantis eſt,& non ſimilitudinis,nedum alicujus dubitationis. Eſto autem ὡσεὶ, & ὄντως apud beatum Lucam. Non repugnamus quin exponatur, *Erat certe Ieſus tunc incipiens trigeſimum annum*: vel, *annorum eſſe triginta.* Ecquid hinc lucrabitur Cardinalis? Torniellus rem profligatam videri vult argumento quodam valido, ita enim gloriatur, reſtituiſſe. Menſis Ianuarius decurrens in anno Tiberiano xv, nullo modo potuit incidiſſe, & tamen ſexto die Ianuarij conſtans & recepta eſt Eccleſiæ ſententia, nec nos mutamus, baptiſmo fuiſſe Chriſtum in Iordane initiatum. Certè verum eſt, ſi ſtatuantur τὰ γενέθλια ſub Conſulatu Lentuli & Meſſallini. At hoc ita ſtatuere, eſt in diſputatione principium petere: in Hiſtoria, Baronij & aliorum παρόραμα, contra veritatem temerè & inconſideratè propoſitum, quam Cardinalis ipſe interdum propugnabat. Quodſi Natalis ſtatuatur, ut neceſſe eſt, ſub Auguſto & Plautio Silano, annus Ieſu Chriſti xxx. inceperat ante dies VIII. quam Ianuarius in xv. Tiberij decurrere exordiretur. Neque annus ille xv, exitum ſuum & periodum ſortietur, ante menſem Sextilem ſequuturum. Ita fugerat ratio Annaliſtas noſtros. Annus Tiberianus decimus quintus exordium ſumpſerat à die XIIII. Calend. Septembrium: quo die exceſſit Auguſtus, ſucceſſit illi Tiberius in Imperio. Ad ſequentes Calendas Ianuarij, Conſulatum ineunt duo Gemini, Rubellius & Fufius: Illius menſis die ſexto, ſub initio iſtorum Conſulatus baptizatur à Iohanne in Iordane Ieſus, qui ante dies XII. inierat ætatis ſuæ triceſimum annum. Adeat faſtos Torniellus, hæc omnia ita optimè, deprehendet, cohærere. Hoc in loco ὡσεὶ non eſt στοχαστικὸν aut ὑποθετικὸν, ſed planè θετικόν. Nequaquam ignorabat vel addubitabat beatus Lucas, quot ille annos præciſè tunc agebat, ut opus illi eſſet vel dubitatione, vel divinatione, vel conjecturis. Nec tamen momentum, τὸ νῦν, & ipſam χρόνου στιγμὴν, qui facilè poterat, ita præciſè determinat, ut exactiſſimam initurus rationem. Sed quemadmodum vulgò ſolemus loqui, cùm non longè recedimus à præciſo numero (non quia dubitamus de certiſſimo illo) *Præter propter*, *circiter*, vel *quaſi*. Ita frequenter popularem hunc loquendi modum adhibent ſcriptores ſacri. Marc. 8. 9. Ἦσαν δὲ οἱ φαγόντες ὡς τετρακισχίλιοι, *Circiter quater mille viri.* Alibi Iohannes, *Quaſi quinque millia.* Et, *Erat quaſi hora ſexta.* Et Lucas, *quaſi quindecim ſtadia.* Ita pater, poſt Ignatium, antiquiſſimus Iuſtinus Martyr interpretatur: Τριάκοντα ἔτη, ἢ πλείονα ἢ ἐλάσσονα μείνας, μέχρις οὗ προελήλυθεν Ἰωάννης κήρυξ αὐτοῦ τῆς παρουσίας, καὶ τὴν τοῦ βαπτίσματος ὁδὸν προϊὼν, ὡς καὶ προαπέδειξα. Neque aliter ipſe Ignatius, ſeu πολυδόκιμος in eo legatur, ſive etiam πολιτευσάμενος. Utriuſque illa una ſententia eſt, Annum trigeſimum tum decurrentem, baptiſmati Ieſu Chriſti eſſe aſcribendũ. Eſtque hæc ipſa, ut fatetur Apparatus, *communior Patrum antiquorum ſententia.* Illorũ autem omnium, qui Chriſtum arbitrabantur paſſum anno ætatis ſuæ trigeſimo. Quod licet falſiſſimè affirmetur, veriſſimâ tamen hypotheſi innititur, de baptiſmo. Cardinalis ex Hieronymo, Tertullianum nobis nominat, & Africanum. Addere potuerat Apollinarium Laodicenum. Qui licet docuerit Chriſtum per tria paſchata functum ſuo miniſterio, ita narrat, ut intelligat annum trigeſimum initum, priuſquam prius ſuum Paſcha perageret baptiſmo initiatus. Ut neceſſe ſit illum ita cepiſſe Euangeliſtam; de anno XXIX.

 completo,

completo, & xxx. exorſo, non finito. Atque hinc ipſemet Hieronymus, in cap. 1. Ezech. pronuntiat, *Illud intelligendum quod in trigeſimo ætatis ſuæ anno Dominus venerit ad baptiſma in quarto menſe, qui apud nos vocatur Ianuarius, & eſt in anni primus exordio, præter Niſan menſem novorum in quo Paſcha celebratur.* Sed planiſſimè Irenæus, *Ad baptiſma venit, nondum qui triginta annos ſuppleverat, ſed qui inciperet eſſe tanquam triginta annorum. Ita enim qui eius annos ſignificavit Lucas, poſuit: Ieſus autem erat quaſi incipiens triginta annorum cùm veniret ad baptiſmum.* Maneat ratum & fixum in hac cauſâ, Chriſtum Ieſum incarnatum & factum hominem, ex ſententiâ beati Lucæ, ſecundùm praxim & expoſitionem communiſſimam vetuſtæ Eccleſiæ, exorſum fuiſſe ætatis ſuæ annum xxx, ante dies xii, quàm baptizaretur in Iordane, ad ſextũ diem Ianuarij, ſub Conſulatu incepto Geminorum, Fufij & Rubellij, anno Tiberiano xv, per menſes quatuor, & quod excurrit, decurrente. Unde retrò aſcendentes, ad annum Natalem deveniemus nullo negotio, celebrem illũ & conſignatum Conſulatu ἐπωνύμῳ Auguſti Cæſaris & M. Plautij, quemadmodum viri exactè eruditi, poſt Epiphanium & alios ex antiquis, Onufrius, & Savilius, heu quondam meus, ὁ πάνυ, ὁ μακαρίτης, ſtatuere. Propugnat hanc Baronij ἀντιστορησίαν doctiſſimus Temporum Emendator. Ita enim opinatur lib. vi. cap. 11. pag. 510. & in Canonibus Iſagocicis pag. 299. *Nobis ex uſu loquendi conſtat,* ait, *Chriſtum ad baptiſmum acceſſiſſe, trigeſimo anno completo, & trigeſimo uno incipiente.* Acceſſit ad partes Torniellus: & neceſſe eſt ut accedant omnes qui Lentulum & Meſſallinum Conſulem perperàm aſcribunt Nativitati; niſi velint cum Novatoribus, ad nova quædam parapegmata de menſe & die τῶν γενεθλίων, temerè & imprudenter deſcendere. Et certè nequis aliter ſentire poſſit, debeat, aut etiam audeat, cavit edicto Ioſephus Scaliger, *ſed tamen cave aliter putes,* inquit, *quàm Chriſtum triginta annorum natum fuiſſe, & tunc triceſimum primum illi iniviſſe cùm accederet ad baptiſmum.* Rationes, ex arte quam profitebatur, nempe de pulpitis Grammaticorum, petitæ ſunt: ideoque apud illum peſſimi Grammatici audiunt, qui non intelligebant quid diſcriminis ſit inter ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, & ἦν ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα. Certè, peſſimos oportet eſſe Grammaticos, cùm tantum interſit, quantum inter Ens Rationalium & Nominalium. Quis enim ita aliquando loquutus eſt, ἦν ὢν ἀρχόμενος; eleganter & grammaticè dicitur, ἦν ἀρχόμενος, non autem, niſi barbarè omnino dicitur, ἦν ἀρχόμενος ὤν. Lucas inter omnes Spiritus Sancti amanuenſis γραμματικώτατος, nunquam loqueretur tam inconcinnè aut ab omni Grammaticâ alienè. Quod ſi ſcripſerat ἐρχόμενος beatus Lucas, quemadmodum Euthymius opinatur, tum rectè ſe habet, ἦν ἐρχόμενος, ὢν ἐτῶν τριάκοντα. Cùm triginta annos eſſet natus. Sed ἦν ἀρχόμενος ὤν, non poteſt dici de eo qui init triceſimum ætatis annum. Agnoſco. Nec de eo qui triceſimo completo init triceſimum primum. Sin de eo contenderis uſurpari, advoco ſubſellia Grammaticorum, rogati ſententiam reſpondeant, Quomodo illa putant intelligenda, Incipiebat eſſe triginta annorum; ita enim illa Græca, Latinè reddidiſti. An non de illo intelligi debent, qui adimpleto anno viceſimo nono, triceſimum annum jam exorditur? Ἦν ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα; quidni ita dicatur, pro, *triceſimum annum ineunte.* Græcè non benè dicitur ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα, ſed ἄρχομαι ἔτους τριακοστοῦ. At dicitur Græcè ἄρχομαι τῶν ἐτῶν τριάκοντα, quemadmodum Græci Patres, in ſuâ opinor linguâ periti, loquuti ſunt: & per aggregationem quandam ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα. Sed an

Græcè

Græcè dicitur, ἐγώ εἰμι ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα; Pueri ſciunt, verba incipiendi, continuandi, deſinendi, cum participio ἑλληνικώτερον uſurpari. Itaque ἀρχόμενός εἰμι pro ἄρχομαι, rectè & eleganter dicitur: ſed non ἀρχόμενός εἰμι ὤν. *Pudet te Grammaticæ velitationis*, inquis. Fortè, cùm potiora & illuſtriora depromi poſſint: & tamen revolvimur ad eaſdem glandes. *Quis*, inquis, *ſanus dixerit, Eſſe triginta annorum, qui trigeſimum annum tantùm inchoaverit?* Idem ille, ſi opus eſſet, qui dixit, Filium hominis futurum treis dies, & treis noctes in corde terræ. Qui tamen plenariè non implevit illum numerum: ſed tantummodò inchoativè, & per partes. Sed ut nemo ſanus illud diceret: oportet ut inſanus ille habeatur qui dixerit, Aliquem triceſimum ætatis annum complevisse, qui eundem ipſum ſolummodò inchoavit. Nam quod Theophylactus in partes advocatur, quaſi Theologi non aliter Lucæ textum interpretarentur quàm Grammatici ſolent, doctiſſimo illi Bulgaro fit injuria. Adivi, rogavi ſententiam, reſpondet non alijs quàm hiſce verbis: Τριάκοντα μὲν ἐτῶν ἐβαπτίσθη ὁ κύριος· διότι αὕτη ἡ ἡλικία ἐστὶ τελειοτάτη, καὶ κατὰ ταύτην ὁ ἄνθρωπος ἢ δόκιμος ἢ ἀδόκιμος. Hæc, non alia Theophylactus. Fieri poteſt ut Grammatica Theologiæ vim afferat: ut is qui triginta eſt annorum: qui triginta annos agit: vel ut ille loquitur, Qui κατὰ ταύτην eſt, hoc eſt, nondum illam ſummam annorum complevit, ſed in decurſu eſt, Trigeſimum primum annum jam inceperit agere. Hoc non vult, non debuit velle Theophylactus. Αὕτη, ait, ἡ ἡλικία, annus hic ipſe XXX. non XXXI. non magis quàm XXXII. aut XXXIII. Neque aliter vetus meus Scholiaſtes nondum editus; quamvis μυστικώτερόν τι hic quæſivit in numeris quibuſdam, è quibus illa ſumma τριάκοντα conficitur in ſeptem, octo, quinque, decem. Ὁ τριάκοντα οὗτος ἀριθμός, inquit, χρόνου τε καὶ φύσεως αἰσθητῆς, καὶ φύσεως νοητῆς δημιουργὸν καὶ προνοητὴν εἰσάγει τὸν κύριον. χρόνου μὲν, διὰ τοῦ ἑπτά. ἑβδοματικὸς γὰρ ὁ χρόνος. φύσεως δὲ αἰσθητῆς, διὰ τὸν πέντε. πενταδικὴ γὰρ ἡ αἴσθησις. φύσεως δὲ νοητῆς διὰ τὸν ὀκτώ. ὑπὲρ γὰρ τὴν χρόνων ἡ τῶν νοητῶν φύσις. προνοητὴν δὲ διὰ τοῦ δέκα. διά τε τὴν δεκάδα τῶν ἐντολῶν, εἰς τὸ δεῖν εἶναι τοὺς ἀνθρώπους ἐνάγουσαν καὶ διὰ τὸ ἀρχὴν εἶναι τῆς ἀνθρωπίνης τοῦ κυρίου προστηγορίας τὸ ἰῶτα. Συντεθεὶς οὖν, τὸν ἑπτὰ, καὶ τὸν πέντε, καὶ τὸν ὀκτώ, καὶ τὸν δέκα ἀριθμὸν, τὸν τριάκοντα πληρώσεις μυστικῶς, τὸν δηλωθέντα ἀπαρτιζόμενον. Sequitur in Canonibus, nam nondum finis διηγημάτων. *Rectè dicitur, Ego ſum circiter triginta annorum. Sed quis feret, Ego incipio eſſe circiter triginta annorum.* Quis autem non? Populus feret, & communis uſus, qui quaſi quædam loquendi norma eſt. Et rectè: Præſertim cùm dies natalitius ſit ignotus, menſis autem cognitus, quod non raró fit. Et quidni ferendum ſit indefinitè pronuntiatum de initio alicujus termini, æquè atque de fine? ὡσεὶ eſt indefinitum: ἄρχεσθαι eſt determinatum: ſed non ſemper tamen: ubi quid verè certè pronuntiatur, ἄρχεσθαι eſt finitum: ſed cum στοχαστικῶς & incertò, indefinitum. Exiſtimant ergo Lucam, qui prius ſtatuerat Ieſum Chriſtum fuiſſe, quaſi triginta annorum, eò quod non ſatis perſpicuè particula illa ὡσεὶ, exactam temporis rationem & momentum deſignaverat, σαφηνείας ἕνεκα addidiſſe adhuc, ἀρχόμενος ὢν, ut doceret illud ὡσεὶ coarctandum & conſtringendum, ad priorem terminum, nempe initium & non finem aut conſummationem annorum triginta. Periodi unius nemo ἄρχεται, niſi qui terminum alterum abſolverit, *à quo*. Cùm finis unius ſit principium alterius, & è contra. & qui ἄρχεται alicujus termini, is non quemvis alium indefinitum, ſed immediatè præcedentem intelligitur abſolviſſe. Annorum ἤρχετο triginta: neceſſe eſt igitur ut abſolverit

prius annos viginti novem. Vel redundat igitur hoc in loco ἀρχόμενος: vel cum Euthymio reſcribendum ἐρχόμενος: vel ſubintelligendum, τῆς λειτουργίας, quod nulla ratio patitur; vel ſtatuendum ad extremum, quod verum eſt, inchoaſſe Ieſum Chriſtum annum ætatis ſuæ triceſimum. Præſertim cùm negare nemo poſſit ſententiam ipſam ſic diſtinguendam; Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ: ut mirum ſit virum eruditum, in ἀρχόμενος ὤν operam ſuam ita luſiſſe, & Lectori offucias feciſſe. Sed magis mirum, eundem illum qui tot nobis λεπτολογήματα effuderit, ut Chriſtum probaret inijſſe annum ætatis triceſimum primum cùm baptizaretur, ſcripſiſſe tamen in eodem loco, *Tempore Euſebij adhuc, die Epiphaniorum, & Natalis & Baptiſmus Chriſti celebrabatur, quum Lucas dicat, Quo tempore Chriſtus baptizatus fuit, eodem iniviſſe trigeſimum annum ſuum.* Nam ſi hoc Lucas dicat, quis tu, qui obtrudas viceſimum primum? Secundò, hoc non affirmat, Chriſtum eo tempore iniviſſe illum annum, quaſi eodem die: ſed περὶ πού, ὡσεί, circa idem tempus, iniviſſe. Deinde quid ſibi vult illa laxa locutio, de Baptiſmo & Natali eodem Epiphaniorum die obſeruatis, adhuc ætate Euſebianâ? Quaſi morem Eccleſia univerſalis hunc obſervaſſet: id enim ita intelligi neceſſe eſt. Et tamen reſtringitur

Col. 10. c. 11. ſtatim è Caſſiano, ad Ægypti tantummodò regionem. *Intra Ægypti regionem mos iſte antiquâ Traditione ſervatur, ut peracto Epiphaniorum die, quem provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici baptiſmi, vel ſecundùm carnem Nativitatis eſſe definiunt. Et iccircò utriuſque Sacramenti ſolennitatem non bifariè, ut in Occiduis provincijs, per univerſas Ægypti provincias dirigunt.* Diſertim dicitur ſpecialis Ægyptiaca conſuetudo: æquè diſertim, per univerſum Occidentem, diverſam conſuetudinem obtinuiſſe. Tertiò, non conſtitiſſe rationem Ægypti ſacerdotibus, utrum illo Epiphaniorum die baptizatus an natus fuiſſet Dominus: perſuaſos verò paſſim de alterutro: & ideo, ne errare poſſent, utranque ſolennitatem eâdem illa die amplexatos celebraſſe. Hæc tam incerta, & inter ſe, non minùs quàm rationi & praxi communi repugnantia, in ſcenam producunt, excipiunt cum plauſu, Novatores, quibus quieta movere magna merces: & malunt contra Eccleſiam inſanire, quàm cum eâdem rectè ſapere. φεῦ τῆς ἀσυμφίας. His ita poſitis atque conſtitutis de anno Servatoris baptiſmali, triceſimo nimirum inchoato, per XII. dies, currente anno XV. Tiberij Cæſaris: Chriſtum Dominum ſtatuimus in lucem editum, ſub Conſulatu Cæſaris Auguſti XIII. cum M. Plautio Silano Collegâ, in fine anni, paulò antequam novi ſuffecti Conſules in ſequentem annum, magiſtratum ordinarium auſpicarentur. Hoc eſt, anno urbis conditæ ſecundùm Palilia Onufriana, & rationes; ab illo editas, veriores, DCCLII. Quod ſtatuitur etiam à Paulo Oroſio lib. VII. cap. III. ſtatim in principio Olympiadis, hoc eſt, centeſimæ nonageſimæ quartæ anno tertio decurrente, nempe ante 5. menſes inchoatæ: qui erat annus Olympiadicus DCCLXXV. quo ſtadium vicit Demaratus Epheſius, ſecundâ vice. Erat annus ab Actiacâ victoriâ Auguſti, ſecundùm illam computationem quæ deducit annos Auguſtorum à fuſo & fugato Antonio, XXX. tot enim ſunt à Conſulatu Octaviani III, cum M. Meſſalla, quo anno pugnatum eſt ad Actium, quarto Nonas, vel ſecundo die Septemb. uſque ad Conſulatum Auguſti XIII, cum Plautio Silano. Secundùm verò alterã, quæ communior erat, & ipſum parapegma Chronologiæ Ægyptiacæ,

Ægyptiacæ, anni ſunt XXIX, ad natalem Servatoris. Octavius enim, victos Antonium & Cleopatram in Ægyptum perſecutus, non tamen ſtatim,& profligatis iterum eorum copijs, & captâ Alexandriâ ad XXVI. diem Martij ſequentis anni, quo quartum ipſe Conſulatum cum M. Licinio Craſſo agebat; paulò poſt utroſque, Antonium & Cleopatram, ad mortem adegit, Ægyptum redegit in provinciam, Cornelium Gallum poetam, Romanum equitem ei præpoſuit Præfectum, & rebus omnibus ordinatis, per Syriam profectus eſt in Aſiam ad hyberna: & ſequenti anno Romam avectus triumphavit. Erat autem annus, à morte Iulij Cæſaris XLIII: à primo Auguſti Conſulatu XLII: Iulianus autem,ut loquuntur, XLIIII: nempe à quarto illius Conſulatu,quem ſolus geſſit, cùm Tempora ſibi ſumeret refingenda. Hæc ferè omnia fuſiùs perſequitur Cardinalis: in quâ quidem diſquiſitione,qui laudant diligentiam, errores neſcio quot & quales deprehendunt, & vulgarem tractandi modum ſugillant,delicatuli; qui tamen ipſi non afferunt abſtruſiora. Præcipuè autem laborat Cardinalis in anno Herodiano conformando, & diſponendo ad τὰ γενέθλια. In illâ autem diſſertatione fatendum eſt infelici ſucceſſu uſum doctiſſimum hunc Hiſtoricum, ut ferè ſemper, quoties in Ioſephum, è morbo quodam animi & intemperie potius quàm è judicio deſtomachatur. Sunt autem ejus generis iſta omnia ut minimè ſimus operam luſuri, ſi nos pauliſper cum eodem exerceamus, initio ducto, ab initio principatus Herodiani, ὕστερον quidem πρότερον: cùm poſt alia omnia, in poſtremo loco inſtituerit de illo diſquiſitionem Apparatus.

EXER-

EXERCITATIO X.

Sect. I.

Iosephus defensus contra Baronium. De annis regni Herodiani. Antiquus, diligens, veritatis amator. Romæ vixit. Nicolaum Damascenum Herodis familiarem legit. Fastos, acta &c. cognoscere potuit. Ab æmulis nihil tale objectũ, quale apud Baronium repertum. Herodis genus. Parentes. Fratres. Soror. Iosephus correctus. Serarius. Pererius. Notati. Baronij calumnia, de Salome, diluitur. Soror non uxor Herodis.

Errorem illum Iosephi, si Deo placet gravissimum, quo descriptionem illam διαβόητον, in quâ Iesus Christus censebatur in parentibus suis, ἡγεμονεύοντος Συρίας Κυρηνίου: novem annos post natum Christum: quæ eodem ipso anno peragebatur, quod certissimè constat è sacris literis, quo carnem ille sumpsit à beatâ Virgine matre suâ, non aliunde promanasse Baronius arbitratur, quàm quod in annis Herodiani regni assignandis consignandisque, Iosephus ille Historicus sit turpissimè hallucinatus. Nam in Apparatu, sect. cxvii, ita paratragœdiatur vir Illustris. *Vndè & portentosus ille manavit error* (non Iosephi, Lector, sed ipsius Baronij commentum) *ut descriptionem factam à Quirinio, tempore Natalis Domini, post novem annos, factam esse describat. Quot enim annos, in obitu Herodis erravit, totidem in eadem descriptione illum errasse oportuit.* Quæ voluit igitur doctissimus Annalium author connexa & inter se invicem esse copulata, nos nequaquam tractando separemus, sed sequamur eundem præeuntem. Et imprimis, ut id quod est, inviti quamvis, dicamus, vel insignem calumniatorem necesse est esse Cardinalem, qui Iosepho Historico tam illustri, notam inussit negligentiæ tantæ & tam supinæ, ut in assignatione Chronologicâ, novennium integrum aberravisse dicat eum convictum: aut illum Historicum, indignum eâ nominis celebritate, quâ & olim apud sæculum prius ferebatur, & etiam num hodie inter præcipuos Historiæ conditores, & φιλαληθεστάτους cum paucis

paucis numeratur. Sed esse professò hanc calumniam, & non accusationem, & diximus priùs, & in sequentibus sumus probaturi. Negari autem imprimis non potest, Iosephum istum, etsi non eodem tempore vixit, quo Herodes rerum in Iudæâ potiebatur, non fuisse tamen ab illius ætate & imperio remotissimum. Vixisse quippe poterat cum non paucis, qui senem Herodem juvenes nossent. Acta populi, Regum, Præsidum, Censorum, Historias, Annales, commentarios consulere poterat dum Romæ vixit sub Flaviano imperio, & scribendæ Iudaicæ Historiæ, patriæque suæ illustrandæ incumberet sedulò, & nomen suum, atque authoritatem, contra æmulos, invidos, obtrectatores, quos expertus est non paucos, tueretur. Habuit enim, quod & ipsum est conquestus, diligentiæ & fidei ob libros de Bello, calumniatores. Isti satis semper Lyncei, erratum hominis tam crassum, tam insigne: χρονικὸν ἁμάρτημα tam portentosum non omisissent inter alia: nec tacuisset hoc Iosephus in apologiâ. Præterea, quod liquet ex Historiæ suæ quamplurimis locis, attenderat ad illa satis Iosephus diligenter, quæ scripserat ante aliquot annorum decadas Nicolaus Damascenus. Qui vir, ipsi Augusto familiaris, omnibus penè negotijs Herodianis interfuit: præcipuorum fuerat pars maxima: & in causâ filiorum disertissimus apud Imperatorem advocatus. Hîc verò dic vir Illustris, Damasceni scripta ignoravit Iosephus? Non certè. Nam & testem aliquoties in rem præsentem appellat: & refellit, non unâ vice, fide parum historicâ & sincerâ res narrantem Herodianas, in gratiam scilicet amici, mentientem. An putas Nicolaum ignorasse, in rebus Herodianis, rem adeò positam in medio, & confessam? Certè non est credibile, hominem qui vixit ab intimis consilijs cum Herode, initium & finẽ regni Herodis ignorasse. Aut ut sciens volensque hæc perverterit, ut nonnulla alia. Res secus narrare quàm oportuit, vel gestæ fuerant, nonnulli nonnunquam Historici solent, aut in odium nonnullorum & invidiam: vel rursus quibusdam χαριζόμενοι. sed in ijs tantùm quorum interest: quæ famæ labem aspersuræ: quæ notam ignominiæ inusturæ (quod fecisse Damascenum illum, Iosephus docuit) non in ijs quæ sunt ἐν μέσῳ κείμενα, nec attingunt, violantve existimationem. Initium regni vel finem Herodiani, quorsum, quid lucraturi, Nicolaus vel Iosephus dissimularent? Ignorare siquidem non poterant, tam illustres illi viri, quæ lippis erant nota & tonsoribus. Certè pudoris est profligati, & animi cujusdam plus quàm malevoli, ista de quoquam, nedum Iosepho, accuratissimo scriptore, sine causâ commisci. *At certum est*, inquit Annalium pater, *Iosephum in his ipsis beato Euangelistæ repugnare.* Nec est aliunde deducta, quàm ex hoc ipso fonte de regni Herodiani fine & principio, repugnantia. Quòdsi textui sacro contradicat Iosephus: βάλλ' εἰς κόρακας: non repugnamus: nec sit è Christianis, qui repugnat. Si contradicat autem ex hoc fonte: tum certum est hunc fontem πικρὸν καὶ ἁλμυρὸν dimanare. At beato Euangelistæ, Baroni, dic ubi tandem Iosephus contradicit? de regni Herodis initio & fine, ais. sed ποῦ κεῖται? Initium aut excessum illius Herodis ubinam designat, κατὰ χρόνους, contextus sacer, contra quàm Iosephus consignavit? Regnasse eum in Iudæâ pronuntiatur: sub illius principatum Christum natum astruitur. Mortuum eundem post Christi in Ægyptum μετοικεσίαν, & lanienam atque occisionem infantum Bethleemiticorum. Sed quoto anno sui principatus: quoto Christi καταβάσεως: quamdiu post illam lanienam, nusquam exprimitur in Scripturis sacris. Quocirca consequentias & consectaria & illationes sequatur necesse est, qui discrepantiam annorum

& Chronologiæ pronuntiat: in quibus componendis error facilis: indagandis lapsus proclivis; injuria quoque in promptu est, atque hallucinationes in procinctu. Rem ipsam ut clariùs elucidemus, cùm præsertim ad Historiam sacram cognoscendam tantopere conducat hujusce regis ortum & interitum, res quoque gestas in aperto poni, non erit credo alienum ab instituto opere, τὰ τῆς βασιλείας καὶ διαγωγῆς, quasi summa quædam capita delibare. Genus Herodis, & originem ortus, strictim & paucis salutat Cardinalis. Atque ea ipsa quæ attingit, jejunè perstringit & tenuiter, unico Iosephi contentus testimonio, ubi narrat, in Antiquitatibus Libro XVII. cap. X. de ipsius hæredibus & testamento. Parentibus igitur, ut hoc loco suo proprio reassumamus, ortus est Antipatro, & Cypro. Quorum ille natione Idumæus fuit, mater autem Arabissa: alienigena ortu utrinque fuit. Ita Iosephus in Antiquit. XIIII. II. & in ἁλώσεως, ε. Negavit hoc exertim Damascenus: & illum mentitus est Iudæum ortu: nempe ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ἀφικομένων: sed commentus est hoc in gratiam Herodis Nicolaus. Commentum crassum & insipidum, atque portentosum: quod tamen ipsum, velut ursi informes catulos, adlambunt & refingunt hodie Novatores. Erat frater Antipatro, & Herodi patruus Phalio dictus: qui in prælio occisus ab Aristobulo occubuit: eo qui pulso Hyrcano regnum in Iudæâ occupavit. Sed corrigendi sunt in hâc historiâ Iosephi codices: μεθ' ὧν ἔπεσε καὶ Φαλίων Ἀντιπάτρου ἀδελφὸς, cum quibus etiam & Phalio cæsus est, Antipatri frater. Nam perperam hodie legitur Καφαλίων, acsi nomen illi fuisset Cephalio. De matre non semel testatur Iosephus, dictã illam, Cypron, Arabissam ortu & prosapiâ. Quidam illam Cypron sic interpretantur dictam, acsi Cypro insulâ oriundam, & non de nomine designatam, falsò, & imperitè. His ortus parentibus nascebatur, Cn. Aufidio, & Lentulo Surâ Romæ gerentibus Consulatum. Fratres habuit, Phasaelum majorem natu: & minorem, Pheroram: tertium Iosephum, de quo non liquidò constat, major fuerit, an ne minor. Accedebat istis Salome soror, in historia Iosephi nominata. Hæc strictim & simul Flavius in XIIII. Antiquit. XII. Ἄγεται γυναῖκα τῶν ἐπισήμων ἐξ Ἀραβίας, Κύπρον ὄνομα. ἐξ ἧς αὐτῷ δ' ἐγένοντο παῖδες Φασάηλος καὶ Ἡρώδης, ὃς ὕστερον ἐβασίλευσε, Ἰώσηπός τε καὶ Φερώρας. θυγάτηρ δὲ Σαλώμη. Videtur hinc, Iosephus ortu minor quàm Herodes. Sed videtur. De duobus illis, certum est, ut dixi, apud Iosephum, majorem illum, hunc minorem extitisse. Phasaelus captus eo prælio, quo res Herodis accisæ erant Parthorum armis, indignatus tandem servitutem, & amissæ libertatis tædio, mortuus est eliso sibi cerebro ad parietes, relicto post se filio septenni. Fefellit hìc ratio Nicolaum Serarium, qui captum à Parthis, & interfectum retulit è Iosepho. Nam in Antiquit. Iosephianis, pag. 443. loco ipso quem Serarius indicavit ad istum modum commemoratur. Φασάηλον δ' ἄν τις θαυμάσειε τῆς εὐψυχίας. ὃς γοῦν αὐτὸν ἀποσφάττεσθαι μέλλοντα, οὐχὶ τὸν θάνατον ἡγήσατο δεινὸν, τὸ δ' ὑπ' ἐχθροῦ τοῦτο παθεῖν οἰκτειρώτατον καὶ αἴσχιστον ὑπολαβὼν, τὰς χεῖρας οὐκ ἔχων ἐλευθέρας ὑπὸ δεσμῶν πρὸς ἀναίρεσιν, πέτρᾳ προσρήξας τὴν κεφαλὴν, ἐξήγαγε μὲν ἑαυτὸν τοῦ ζῆν, τὴν δ' ἐξουσίας τοῦ κτεῖναι πρὸς ἡδονὴν αὐτὸν, ἀφείλετο τὸν πολέμιον. Non docet hìc Iosephus Phasaelum à Parthis aut hostibus quibusvis interemptum. Docet ad mortem designatum. Magnanimitatem Phasaeli ejus admiratur, qui cum se morti destinatum intelligeret, mori quidem sibi minimè molestum duxit, sed mortem cum ludibrio, ab inimicis illatam, turpem, inhonestam, & miserabilem judicans, nec manus ad mortem sibi inferendam liberas haberet, vinculis constrictus & præpeditus, capite ad petram quandam alliso, animam suam ita

demum

demum exhalavit: hostē verò, carere illâ voluptate voluit, quam, propter captivitatē & servitutē, atque ita propter potestatē se interficiendi, habiturū conceperat. Iosephus, fratrū alter, in pugnâ contra Antigonū, Hyrcani competitorē, occubuerat, ut relatū à Iosepho, pa. CCCCXLIX. Supervixit Pheroras hisce cladibus, cum Salome. Erat autē illa Medea planè aulica: & cum Pherorâ fratre, author earū omnium calamitatū, quas multas & maximas Herodes in vitâ patiebatur: quarū frequens est mentio, apud Iosephū. Hanc Salomen Cardinalis pronunciat non sororē Herodis, sed uxorē nominari à Iosepho. Vel fortè & uxorē & sororem: ad annū Christi II. sect. item II. quo in loco, ut antiquum obtineat, à testimonio in rem suam à Iosepho mutuato, libentissimè descendit ad calumniam illi gravissimā inurendā. *Verùm Iosephus*, ita loquitur Annalista, *sibi ipsi inconstans reperitur, dum sororem Herodis dicit: eandem cùm agit de eius obitu, nisi scribenti vel Typographo, vitio vel errori tribuatur, uxorem eius appellat.* Hæc ille. At mi homo, Iosephus ubique sibi constans, decem uxores Herodi ductas docet: neque inter illas decem, ullā potui reperire, Salomen nominatā. Salomen, ubique sororē prædicat: & nusquam, nunquā aliter prædicat, quàm sororē: quam, quod dixi, habuit unicam, Antipatro patre Idumæo, & Cypro matre Arabissâ genitā: fæminā illam quidem impotentis animi: domus Herodianæ alastorē & planè furiam. Idem autem Historicus, ut Cardinalē mireris, in hac suâ assertione sibi semper cōstans, eo ipso in loco, quem appinxit ad marginē suum Cardinalis, Salomen hanc ipsam sororē disertè, & non uxorem nominavit. Ιαμνίαν τε, καὶ Αζωτον, καὶ Φασηλίδα, Σαλώμῃ τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ καταλείπει, καὶ ἀργυρίου ἐπισήμου μυριάδας πεντήκοντα. *Iamniam, & Azothum, & Phaselida urbes, Salome suæ sorori, testamento*, nam de testamento loquitur, *addicit: & argenti præterea signati myriadas quinquaginta.* Atque ita sororem non uxorem nominat Salomen. ἀδελφῇ καταλείπει: non γυναικί. Sed & hoc magis quadrat Herodianis moribus. Erat enim omnium hominū φιλαδελφότατος ille. In suam autem stirpē, & uxores inhumanus & crudelis. Hoc ergo παρόραμα est Cardinalitium. Undè autem undè mutuatus illud, ego enim me fateor ignorare, videri volebat perhumaniter agere cum Iosepho, præter omnem consuetudinē suam, dum erratū ab ipso in Typographū, aut saltem, vult conjicere in librarium. Sed vetus habet verbū, ἄδωρα ἐχθρῶν δῶρα. Quocircà, apagè hanc humanitatem. τῇ ἀδελφῇ scripserat Librarius, non τῇ γυναικί. & secutus hanc scripturā, τῇ ἀδελφῇ expressit Typographus. At Baronius non audivit Iosephū Græcè loquentem, sed Latinè. Credo equidē. Nam id ita solet. At neutiquam in isthoc excusandus Baronius. Neque enim tam securus esse vel indiligens debebat, Historiam professus, tam insignē, variam, & diffusam; ut in vitio tam turpi, & hallucinatione tam enormi, Græcos codices negligeret consulendos, qui scrupulum omnem exemissent: & amputassent materiam calumniandi. Adijsset saltem Iacobum Sirmondū: erat illi ad manū Antonius Agellius: Latinus Latinius, viri valdè eruditi, qui Græcam indicassent lectionem. Quicquid sit, non potest vir illustris excusari, de tam planâ hallucinatione suâ. Verùm aliter ita cespitat, non unâ vice. Ad annū septimum Servatoris ubi nobis recenset ex Eusebio, horrendas illas calamitates, quibus tandem sub vitæ suæ exitu, barbarus & inhumanus tyrannus, justissimo Dei judicio exagitabatur: refert occisos ab illo, belluâ non homine, liberos nonnullos & uxorem. Verum quidem est illud: Mariamnem interfecit Assamonæam: & genitos ex eadem liberos, Aristobulum & Alexandrum. Sed quod annotat ad marginem Cardinalis, in nonnullis codicibus sororem repe-

riti,& non uxorē ſcriptū:ridiculū eſt prorſus,& abſurdū.Unicā habuit ſororē Salomen Herodes: illa fratri ſuo ſupervixit. Ita fruſtra notatur ad Baronij marginē, & contra omnē omnis hiſtoriæ veritatē: contra fidē excuſorū codicū Euſebij: conſenſum ſcriptorū omnium codicū quos olim in Italiâ, Romæ ſcilicet,Florentiæ,Venetijs conſuluerat vir doctiſſimꝰ,Euſebij interpres Chriſtophorſonus: contra fidē omnium quos viri clariſſimi, Scaliger,Bongarſius, Gruterus,adhibuerunt: neque quicquā tale reperitur,in noſtris præſtantiſſimi Savilij libris: in quibus omnibus γυναῖκος καὶ τέκνων, non ἀδελφῆς καὶ τέκνων, reperitur. Sed interpretū fila dum ſequitur ubique Cardinalis: authores ipſos ſuâ linguâ loquentes, dum minus audit aut non curat: non iſto ſolùm loco,non illo tantum ceſpitavit: ſunt in opere ingenti illo,hallucinationes plurimæ,graviſſimæ interdū:interdū leves & ridiculæ, quas nullo negotio conſultis authoribus vitare poterat Cardinalis. Sed non ita ſoli labuntur Cardinales. Vir & Græcè benè doctus,quod apparet,& in omni literatura verſatus cum primis, B. Pererius è Societate Theologus, in commentarijs & doctis & laborioſis ad Geneſin,ad cap. v. Acuſilaum & Hellanicū inter temporis μυθικοῦ ſcriptores nulli nō benè notos,mirabili quâdā metamorphoſi,in Elamium transformat & Ageſilaum,ſcriptores omni ævo inauditos,in loco quodā,ab hoc ipſo,qui nobis eſt præ manibus,Ioſepho mutuato. At ſecutus eſt Ruffini verſionē: & hoc nimirum reprehenſione dignū eſt, quòd ſit ſecutus. Non debuerat illum ſequi, vir valdè eruditus & Ieſuita: ſi non potiùs ſemiſomnem ipſius interpretationis exſcriptorē: præcipuè cùm utriuſque ſcriptoris, & Acuſilai & Hellanici ipſe meminerat in De Principijs naturalibus. Porrò illa ſoror Herodis Salome tribus maritis nupſerat elocata. Horum primus Ioſephus dicebatur,quem frater Herodes interfeciſſe dicitur, Archæologiæ Lib. xv. iv. inſimulatum falsò ab uxore ſuâ. Secundus erat Coſtabaras, ᾧ ζωφύλαξεν αὐτὴν ὁ βασιλεὺς ἐπὶ μοιχείᾳ τοῦ πρότερε διαφθαρέντος. Propter crimen adulterij confictum, quod Ioſephus dicebatur admiſiſſe cum Mariamne Herodis uxore. Hunc & Coſtobaram φονεύει tandem etiam Herodes. Hos ipſos duos intelligebat,licet non expreſſit, Annalium author,ex Euſebio: ad annum Chriſti primum ſectione 50. Patet autem interfeciſſe. Nam de Coſtobara,narrat ſic Ioſephus,pag. ccccLxxii. Καὶ τοὺς ἀναγκαιοτάτους φονεύει, Κοστόβαρον καὶ Λυσίμαχον. Quocirca fuit, ut & ſæpè aliàs, præpropera & præpoſtera cenſura Animadverſoris ad hunc locum Chronici Euſebiani: ubi Commentum nuncupat: ſatis inſolenter. Et mirifico prorſus utitur argumento,ut probet ita eſſe,commentum: nimirum quòd Salome viro ſuo,repudij libellum miſerat. Quod & verum eſt: & primam omnium factitaſſe, commemoratur. Quaſi utrunque verum eſſe non potuerit, ut & repudiaret maritum Medea illa: & Herodes interfecerit repudiatum à ſorore ſuâ Coſtobaran. Quin dicas repudiaſſe illam, ut libentiùs iſte interimeret repudiatum. Tertius huic ſucceſſit Alexas nomine, xvii. Archæol. i. qui unà cum uxore ſupervixit, Herodi per ſummam carnificinam mortuo. Fratrum minimus Pheroras; & ipſe cum ſorore calamitatum fraternarum cauſſa & flabellum, fratri quoque ſupervixit, habitus ab eo, non ſecus quàm Salome, indulgentiſſimè. ὃς πάσης μὲν ἐκοινώνει τῆς βασιλείας πλὴν διαδήματος: ut de illo Ioſephus pag. dcc. in e. ἁλώσεως, licet ille è contrà, ingratiſſimum caput, in fratrem conſpiraret. Hæc de generis ortu, & cognatione dicta ſunto: de liberis dicendum & uxoribus.

Sect.

SECT. II.

Vxores Herodis & liberi enumerantur. Novem ſimul utebatur. Decem autem duxerat: Fratris ſui filiam. Vxoricida. Phaſaeli ejus fratris obitus. Epiphanij locus corruptus. Herodes Antipas. Herodias. Iudæorum Polygamia. Ioſephus è Iuſtino explicatus. Contra Polygamiam reſcripta. Quomodo olim tolerata.

PRivatus adhuc Herodes uxorem Dorida privatam duxit. ἣ γένος ἦν ἐξ Ἱεροσολύμων. Antiquit. XVI. IIII. Peperit illa Antipatrum primogenitum Herodis: quem quinto ante ſuum exceſſum die, de conjuratione ſuſpectum, carceri mancipavit: convictum tandem ſecuri percuſſit. Antiquit. XIX. XXXVI. Quem priùs barbarus & belluinus pater, unà cum matre Doride κουριδίῃ ἀλόχῳ, domo ejecerat Rex conſtitutus, aliâ muliere ſuperinductâ. Poſt multos demum annos præterlapſos, revocat in familiam filium: & à filio perſuaſus, item Dorida uxorem illius matrem. Quam, detectâ filij conjuratione, ſecundâ vice domo expulit, ſpoliatam mundo omni muliebri. Antiquit. XVII. IIII. Secundam uxorem Mariamnem duxit: nobilitate præcipuam: neptem Hyrcani è filiâ Alexandrâ. Hanc virginem, principum fœminarum ſui, ut aiunt, ſæculi formoſiſſimam, ante triennium ſibi deſponſatam, in ipſa Hieroſolymorum obſidione duxit. Antiquit. XIIII. XXVII. Ex illâ, omnium dilectiſſimâ, genuit liberos quinque: Tres maſculos, Ariſtobulum, Alexandrum, & tertium cujus nomen non editur: qui Romam miſſus, ad ingenij cultum capiendum, vitam cùm morte commutavit. Femellas, binas: Salampſonem, & cognominem Herodis matri Cypron. Antiquit. XVIII. VII. Ariſtobulus ductâ in uxorem Bernice, filiâ Salomes ſororis illius Herodis, (è Coſtobarâ vel Ioſepho, nam non memini bene traditum) conſobrinâ ſuâ, ſuſcepit, ex illâ quinque item liberos, Herodem, Agrippam, & Ariſtobulum: duos ſexus muliebris, Herodiadem & Mariamnem. Errat vir doctiſſimus Nicolaus Serarius, qui agnoſcit non niſi unam. Herodes primogenitus apud Ioſephum in α. ἁλώσ. cap. ιη. pag. DCCVII. rex Chalcidis à Claudio deſignatus, poteſtatem accepit ſtatuendi de Pontificatu. Erat autem Chalcis, quod docet Stephanus, πόλις τῆς Συρίας· κτισθεῖσα ὑπὸ Μονίκου Ἄραβος. De hoc Herode gratioſo apud Claudium, Ioſeph. Antiquit. XX. I. Agrippa ſecundo loco poſitus, is eſt de quo legimus Actorum XII. Hic utranque fortunam expertus eſt. E carcere tranſlatus, & mortis metu ſub Caio, ad regnum ſub Claudio Iudæorum. θεηλάτῳ tandem plagâ, ſe hominem eſſe oblitus, percutitur, & σκωληκόβρωτος interijt. De hoc Agrippâ, mira leguntur apud Epiphanium, pag. CCCCXXXIX. Καὶ παραδίδοται σταυρῷ, ὀκτωκαιδεκάτῳ μὲν ἔτει Τιβερίου Καίσαρος· τῷ δὲ Ἀγρίππα ἐπικληθέντος μεγάλου, Ἡρώδου δὲ νεωτέρου, υἱοῦ δὲ Ἀρχελάου, ἔτος ἦν εἰκοστόν. *In Crucem agitur* (Servator) *ad annum Cæſaris Tiberij* XVIII. *Erat ille annus viceſimus Agrippæ vocati magni: Herodis iunioris, filij Archelai.* Mera ſunt oracula, & opus eſt vel Loxiâ interprete. Agrippa qui magnus dicebatur, hic ipſe de quo agimus Ariſtobulo genitus, nondum regnabat in Iudæâ, quum Pontius Pilatus adminiſtrabat. Herodes ille junior dictus Antipas, Rex non erat ſed Tetrarcha

Galilææ,non Iudææ. Filius non erat, ſed frater Archelai. Sed locus iſte, ſi non ſit erratum ab Epiphanio, aut ſi non ſit interpolatus à gloſſemate, quod arbitror (hæc enim omnia abeſſe poſſunt,quod nemo credit) inter conclamatos, qui multi in illo Patre reperiuntur,haberi debet. Tertius, horum frater, Ariſtobuli filius, & ipſe Ariſtobulus patri ſuo ὁμώνυμος, privatâ ſemper fortunâ contentus vixit, ductâ Iotape in uxorem Sampſigerani Emeſonorum regis filia. Antiq. XVIII. VII. Alexandro, altero Herodis filio è Mariamne, nupſit Glaphyra, Archelao Cappadocum Rege genita: quæ Triganem peperit & Alexandrum. Antiq. XVI. II. & α. ἁλωσ. XVIII. Herodias filiarum prior, illa ipſa eſt, quæ Philippo primùm patruo nupſit, tranſijt deinde in Herodis Antipæ domum, patrui alterius, illa ſacris literis famoſiſſima: cujus filia Salome ex Philippo, ſaltatrix impia, Baptiſtæ curaverat decollationem. Salampſo, natu minor, elocata erat Phaſaelo, genito Phaſaelo Herodis fratre: quem pater, poſtquam interierat è capitefragio, ſeptennem puerum, ſub tutelâ reliquerat Herodis patrui. Horum matrem, uxorem ſuam dilectiſſimam Mariamnem, Herodes interemit. Partim quidem ſuâ ipſius culpâ (erat enim, ut nobilis & formoſa,& mulier, moroſa nimis & pervicax) partim verò Salome ſorore calumniante, Antiquit. XV. XXII. Hujus tamen uxoricidij ipſum ſtatim pœnitebat. Tertia Herodis uxor, altera fuit Mariamne, ſacerdote Simone genita: quem fortaſſe quia ſocer erat, Pontificem maximum conſtituerat, ut jam dictum eſt. Peperit hæc Herodem ſibi cognominem, in α. ἁλωσ. pag. DCCVII. & fœminei ſexus binas. Antiq. XVII. Hanc domo ſuâ expulit Mariamnem morti proximus, in Antipatri conjuratione deprehenſam. Et Herodem illâ genitum teſtimonio expunxit,quem primis tabulis regni hæredem inſtituerat. Quartam conduxit Malthacen Samaritanam ortu; ex quâ ſuſcepit Archelaum: qui patri dicitur ſucceſſiſſe defuncto, Matth. II. & erat certè primogenitus occiſis Antipatro, Ariſtobulo, & Alexandro: Herode etiam exhæredato. Suſcepit ſecundò, Herodem alterum, illum Antipam ſacratis Hiſtoricis commemoratum, quem vulpem nominat Ieſus Chriſtus: & filiam tertiò Olympiadem, quod teſtatur pag. DCCVII. Ioſephus. Fratrem huic homini, Philippum produnt ſacræ paginæ: & Ioſephus in Antiquit. XVII. X. Quintam uxorem duxit Cleopatram Hieroſolymitanam genere,quæ peperit Herodem alterum,& Philippum alterum, teſtante Ioſepho in α. ἁλωσ. cap. XII. ſed ut verius arbitror, illum Philippum, qui beato Hiſtorico commemoratur, ut Herodes Antipas & Philippus, fratres fuerint ὁμοπάτριοι, non autem ὁμομήτριοι. Hunc diem ſuum ſupremum obijſſe, ad annum Tiberij XX. Ioſephus affirmat in XVIII. Antiquit. cap. VI. cùm præfuiſſet annis XXXVII, Trachonitidi, Gaulonitidi,& Batanææ; teſtamento paterno has poſſidebat: unde annus ipſi redditus centum talentorum conficiebatur. Βαταναία σὺν Τραχωνίτιδι, καὶ Αὐρανίτις σὺν τινι μέρει οἴκου τοῦ Ζηνοδώρου λεγομένου, Φιλίππῳ τάλαντα ἑκατὸν προσέφερε, ait Ioſephus in XVIII. Antiquit. VI. Sextam duxit Palladem: & ex illâ filium ſuſcepit Phaſaelum: quem unice, ex omnibus ſuis liberis chariſſimum habuit, propter fratris, fortaſſis, nomen & memoriam. Nam Herodes erat, quod jam diximus, omnium hominum penè φιλαδελφότατος. Septima illi uxor Phædra fuit, quæ Roxanem illi filiam peperit. Ita quoque & octava, Elpis ea fuit,unicam ſolummodò filiam peperit Salomen. Nonam duxit adhuc Phaſaeli fratris ſui filiam, cujus nomen,nuſquam quod memini,proditur à Ioſepho. Decimã quoque ut priorem, ſuam ipſius neptem: cujus & ipſius nomen non commemoratur,

moratur. Ineptus eſt Goronides, quiſquis ille fuit, qui confundit haſce duas, & ficto nomine Ærodophilen nominavit. Ex iſtis poſtremis nullam prolem ſuſcepit: è reliquis ſatis numeroſam: illorũ tamen poſteri, vix cladi ſuperfuerunt Hieroſolymitanæ. Erat itaque Herodes ille Infanticida, quod veriſſimè obſervabat doctiſſimus Cardinalis, ad annum octavum Servatoris, ut alijs sceleribus contaminatiſſimus, ita animal cum primis libidinoſum: λαγνότατος & Venereus furcifer. Ἡρώδῃ γὰρ τῷ βασιλεῖ, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον συνῴκουν ἐννέα γυναῖκες: Uno nimirum eodemque tempore novem uxoribus utebatur. Ioſephus autem, dum illa narrat, tanquam rem dicturus inauditam Græcis auribus & Romanis, adjungit, πάτριον ἡμῖν ταῖς πλείοσι συνοικεῖν. Scilicet, hoc prætextu indigebat hominis effrænata & libidinoſa intemperies, in tam multas fæminas παλλακίδας, uno & eodem tempore graſſata. Quarum nonnullarum connubia, ut cum fratris ſui Phaſaeli filiâ, lege Dei διαῤῥήδην prohibebantur. Quod Ioſephus hic pronuntiat πάτριον fuiſſe πολυγαμίαν, quaſi Iudæis omnibus conceſſam vel uſurpatam, dubium eſſe poteſt, an à captivitate huic conſuetudini aſſueverant. Verum eſt, à Lamecho ante diluvium inductum hunc morem in humanum genus, à Patriarchis, Iſaaco excepto, à Regibus in Iſrael diverſis temporibus, nec non & à privatis, quod de Elkanah conſtat Samuelis patre, olim in Iſraele uſu receptum & toleratum. Sed erat illud κατὰ παλαιόν. Neque videtur adeò inoleviſſe ad Ioſephi ſæculum, ut κατὰ τὸ πάτριον tum fuerit uſurpatum. Polygamiam in vetuſtis illis Regibus & Patriarchis; non luxuriæ vel laſciviendi cauſsâ, ſed prolis acquirendæ gratiâ toleratam invenimus. Veruntamen, ut nonnulla alia, ab improbis malo fine adinventa (quanquam Lamechum hoc in ipſo non peccaſſe, ſunt qui ſcribunt) & exemplo non laudando uſurpata, ita mos iſte malus & perverſus, in conſuetudinē abijt non laudandam. Nam, quod ſciverat ipſe ὁ νομοθέτης, *ab initio non fuit ſic.* Erunt etenim, inquiebat, Duo in carnem unam. Quum per ſe malam conſuetudinem in Dei populo non aliter rentur toleratam, quàm divinâ diſpenſatione interveniente, quam per revelationem Deus aliquam communicarat. Patres verò plerique (non ſoli Hieronymus, & Auguſtinus, quod opinantur) in typum & ſignificationē uſurpatam, τῶν κρειττόνων, & ut Græci loquuntur, ἐν οἰκονομίᾳ. Sic Iuſtinus cum Tryphone διαλεγόμενος, Οἰκονομίαι τινὲς μεγάλων μυστηρίων ἐν ἑκάστῃ τοιαύτῃ πράξει ἐπετελοῦντο. *Magnorum myſteriorum œconomiæ in ſingulis huiuſcemodi actionibus agebantur.* Hoc ille pater ita generatim. Explicat autem deinceps ab exemplo Iacobi, qui duas ſorores Labane genitas Liam duxerat & Rachelem. Τῆς ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἀπαρτίζεσθαι πράξεως τύποι ἦσαν οἱ γάμοι τοῦ Ἰακώβ. Λεία μὲν γὰρ ὁ λαὸς ὑμῶν καὶ συναγωγή. Ῥαχὴλ δὲ ἡ ἐκκλησία ἡμῶν. Quocirca ſepoſitâ hâc οἰκονομίᾳ, & diſpenſatione divinâ, prorſus erat illicitum cuicunque inter Iudæos duabus ſimul uxoribus συνοικεῖν, ſaltem poſt Chriſtum in carne repræſentatum, figurarum omnium & typorũ præcedentium ἀποτέλεσμα, ſecundùm opinionem vetuſtiorum: Et ſecundùm veriſſimam Scholæ determinationem nunquam licitum, niſi beneficio cujuſdam indulgentiæ, & diſpenſationis peculiaris. At Herodes ille, quòd eſſet πάντων ἀνθρώπων λαγνότατος, facilè ſe tuebatur, quia volebat, Phariſæorum diſpenſationibus à traditione. Illi enim, quod nos Iuſtinus docuit, cœci cœcos ſic inſtituebant. *Satiùs profectò eſſet*, ait ille Pater, *ſi vos Deum potiùs authorem ſequeremini, quàm ſtultos & cæcos præceptores veſtros, qui etiamnum quatuor uxores vel quinque, ſingulos veſtrûm habere patiuntur. Et ſiquis intuitus mulierem aliquam formoſam, illius exarſerit deſiderio, ſtatim Iacobi, qui eſt Iſrael dictus,*

dictus, cæterorumque Patriarcharum factis allegatis, nihil illos præter ius & fas affirmant agere, qui res huiusmodi perpetraverint. Erant etenim illi Israelis magiſtri, perditiſſimi plerunque nebulones, luxuque præterea omnis generis, & horrendis libidinibus contaminati. Iudæi igitur, è Rabbinorum diſciplinâ, in quorum ſcriptis portentoſiſſimæ leguntur ἀσελγεῖαι, ubicunque tandem terrarum agerent, ſecum mulieres, ſub uxorum titulo & ſpecie quotquot ipſis viſum fuerat, circumducebant. Idem Iuſtinus iterum, pag. 128. Εἰ συνεχωρεῖτο, ἣν βούλεταί τις, καὶ ὡς βούλεται, καὶ ὅσας βούλεται λαμβάνειν γυναῖκας· ὁποῖον πράττουσιν ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν ἄνθρωποι, κατὰ πᾶσαν γῆν ἔνθα ἂν ἐπιδημήσωσιν, ἢ προσπεμφθῶσιν, ἀγόμενοι ὀνόματι γάμου γυναῖκας, πολὺ μᾶλλον ἔτι ἐν τῷ Δαβὶδ τοῦτο συνεχωρεῖ τὸ πράττειν. *Si verò conceſſum fuit, ut quam quis vellet, & quomodo vellet, & quot vellet uxores acciperet, quod è gente veſtrâ homines factitare certum eſt, ubicunque terrarum peregrinaverint, aut quocunque demum tranſmiſſi fuerint, ſub uxorum prætextu mulieres ſecum circumducentes, tum certè multo magis hoc fuerat in Davide toleratum.* Atque ita, Iuſtini noſtri teſtimonio firmatur, id quod ſcriptum eſt à Ioſepho, poſterioribus temporibus, ubi Phariſæorum blaſphemiæ invaluerant, & Rabbinorum deliria poſt Chriſti ἐνσάρκωσιν obtinuerant, traditis Iudæis εἰς ἀδόκιμον νοῦν, fuiſſe illis πάτριον, & in more poſitum, pluribus ſimul uxoribus cohabitare. Repreſſerunt hanc infamem petulantiam, ad alios, ut videtur, à Iudæis pervagatam, Diocletianus & Maximianus Auguſti. *Neminem,* aiunt, *qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe vulgò patet: cùm etiam in edicto Prætoris, huiuſmodi viri infamiâ notati ſunt.* Iudæis etiam ipſis in particulari frænum & fibulam impoſuit λαγνεύουσι Theodoſius ὁ πάνυ, Lege VII. Cod. de Iudæis. Hanc impuritatem à Iudæis videntur mutuati, inter Semipaganos ſpurciſſimus nebulo Mahometes: Inter Semi-Chriſtianos noſtri ævi Gnoſtici contaminatiſſimi Anabaptiſtæ. Chriſtianorum nemo alius ut rem licitam approbavit, præter ſeniorem Valentinianũ, qui lege latâ ſancivit διγαμίαν: quod diſertè docet Socrates in hiſtorijs, licet ſint qui repugnant quàm acerrimè. Sed revertamur ad Herodem.

L. 2. Cod. de Inceſtis nup.

Lib. IIII. *cap.* XXVI.

SECT. III.

Initia regni Herodis in Iudæâ. Ab Antonio commendatus & Auguſto, Senatusconſulto rex declaratur. Error Cardinalis in Dione. Dionis error. Mala fides ipſius interpretis. Ioſephus à Baronio, Scaligero, Caſaubono, incuſatus. Aliorum opinio peregrina de initio Herodis. πρᾶγμα *verum. Finis ejuſdem.*

HIſtoria de initio regni Herodiani, ut paucis perſtringam, ita ſe habet. Fractis in Iudæâ Herodianis reb⁹, poſt exceſſum Antipatri parentis ſui per Parthos, qui cauſſam Antigoni, Ariſtobulo geniti, contra patruũ Hyrcanũ, & Romanos tuebantur: fratre Phaſaelo capto: copijs profligatis, & acciſis rebus; ubi oĩa tentaverat, deſperatis ſuis rebus, & conclamatâ ſpe, ſtatuit ad Antonium, imploraturus opem, Alexandriam navigare. Illum enim cùm ſibi favere velle opinabatur, tum fractæ fortunæ opitulari, eò quòd vivo adhuc Antipatro, amiciſſimus & benevolus cum primis videbatur.

Neque

Neque certè fefellit eum ſpes & expectatio de Antonio: quin & ultra quàm poterat imaginari, ſenſit & expertus eſt amiciſſimum. Nihil etenim tale quidem cogitanti Iudæorum ipſi regnum conquiſivit, ὡς ἐλπίζοντι αὐτῷ, ſunt Ioſephi verba, τὴν βασιλείαν περιποιῆσαι. Hoc autem partim, quòd miſeratione communis fortunæ motus, virum gnavum, induſtrium, & fortiſſimum graviſſimè doleret afflictum, cui omnes omninò τοὺς ἐν ἀξιώμασι conſtitutos, æquè atque illum ſubjacere intelligebat. Partim memor Antipatri, ipſius patris, qui dum verſaretur in Oriente, provincias obiret arma Romana circumferendo, utilem ipſi in multis navârat operam. Partim etiam quod Antigonum Herodis hoſtem & competitorem, Parthorum opibus & armis ſubnixum, frangi & debilitari magnoperè intererat Romanæ reipub. Poſtremò, & erat illud τὸ πᾶν, quòd datis muneribus Herodes ipſum in partes pertraxiſſet: modis quibus Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus onuſtus auro, poſſet aſcendere. Antonio id procurante igitur: Cæſare Octaviano ſuffragante: Atratino & Meſſallâ referentibus, Senatus conſultum factũ fuit: καὶ τὸ δόγμα εἰς Καπιτώλιον, in æs inciſum relatum, ut ratum, firmũ, & perpetuum eſſet, quo Iudæorum regnum Herodi mandabatur. Atque ab hoc tempore Ioſephus rerum exactiſſimus enarrator, haud temerè Herodem niſi Regem vocat. Ad tempus autem quod attinet quo hæc geſta ſunt, ita literis & memoriæ Ioſephus illud conſignavit Lib. XIIII. Ant. cap. XXVI. pag. CCCCXLV. Καὶ ὁ μὲν οὕτως τὴν βασιλείαν παραλαμβάνει. τυχὼν αὐτῆς ἐπὶ τῆς ρδ΄ καὶ π΄, καὶ δ΄ Ὀλυμπιάδος: ὑπατευόντος Γαΐου Δομιτίου Καλβίνου, καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πολλίωνος. Ad hunc modum hic regnum adeptus eſt: Olympiade CLXXXIIII, Conſulibus C. Domitio Calvino, & C. Aſinio Pollione, ad annũ urbis conditæ DCCXIIII. juxta rationes Catonianas. Hanc ſemel à ſe ita poſitam ſententiam, nunquam deinceps evertit Ioſephus; ſui immemor vel contrarius ſibi. Vide eundem de hâc eâdem re in α. ἁλώσ. cap. ιζ. pag. DCLXXXII. Neque hanc à Ioſepho tam expreſsè poſitam & conſtitutam ſententiam, vel negat Cardinalis vel negare poteſt. Eſt tamen hac poſitâ & firmatâ ſententiâ: altera ſupputatio annorum regni Herodis, quæ qualis ſit & quomodo ſe habeat apud Ioſephum, oblatâ dicemus occaſione. Atenim quod ſequitur apud Cardinalem de Epoche Herodianâ Dioneâ, quâ nobilis ille Hiſtoricus commemoratur, illi favere opinioni, quam propoſitam invenimus apud Ioſephum: id omnino falſiſſimum eſt. Nam in Actis ejus anni apud Dionem, quo Calvinus & Pollio fuerant Conſules; nulla uſquam de Herode habetur injecta mentio, ne tum, cùm res in Syriâ commemoret & Oriente geſtas, & Hyrcanum Pontificem Iudæorum, Herodis patronum, à Pacoro Rege Parthorum captum, abductum, & in ordinem coactum ſcribat. Verum eſt, nec inficior, in libro quem deſignat Cardinalis, mentionem fieri Herodis illius, pag. 463. edit. H. Stephani, at non ſub illis ſignatis Conſulibus; ſed Appio Claudio, & Norbano Flacco, poſt biennium. Ἐκείνους μὲν οὖν Ἡρώδῃ τινὶ ὁ Ἀντώνιος ἄρχειν ἐπέτρεψε· τὸν δ᾽ Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας· ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἐσφάξεν. ἐπὶ δὲ Κλαυδίου καὶ Νορβανοῦ τοῦτ᾽ ἔτος ἐγένετο. Dionis interpres neſcio quomodo aut cur hæc perperam tranſtulit in hunc modum. *Soſius Herodi Iudæorum regno conceſſo, Antigonum cruci alligatum, quo ſupplicio nullus unquam Rex à Romanis affectus erat, flagris cecidit, ac deinde iugulavit. Id factum Claudio & Norbano Conſulibus.* At, quid malùm Soſio id aſcribit interpres, quod Antonius dicitur perpetraſſe? Is Herodi contulit, ſed juxta Senatus conſultum prius, regnũ illud in Iudæos. Antigonũ Antonius,

&

& non Sosius, multavit modis & morte tam indignis. Sosius Antonij Legatus erat: is juxta mandatum Imperatoris sui, Herodi συστρατηγῶν, in Antigono, & Iudæis subjugandis. Antigonum misit ad Antonium. Flagris cæsum non crucifixit. Sed & à Dione ipso valdè peccatum. Ad Consulatum Claudij & Norbani retulit quod vel prius vel posterius, certè posterius, factum fuit. Nam decretum erat illi regnum biennio prius. Sequenti anno Sosius capit Hierosolymas, & Herodem in regni possessionem introducit. Dionis enim sententia duo complectitur: regnum Herodi collatum per Antonium. Illud factum Domitio & Pollione Coss. sed per Antonium procurantem Senatum Romanum authorem. Antigonum victum à C. Sosio, & ab Antonio in crucem actum. Hoc contigit Agrippâ & Caninio Coss. Est itaque in priori, biennij metachronismus, in posteriore unius anni anticipatio. Quod si instet & urgeat vir illustris, se annum intelligere Olympiadicum: atque in illa suâ computatione Dionem fuisse secutum Iosephum præeuntem, nihil dicit, & præterea fallitur. Non curat enim, non sequitur, non intendit Olympiadas Dio Cassius: sed per Consulatus tempora distinguit & consignat. Principium igitur regni Herodiani ita statuit Iosephus. Dio dissentit, sed erravit. Frustrà fuit ita Cardinalis. A Iosephi calculo hâc in re, nemo sanus recessit: nec credo recedet Cardinalis. Nam extaticos illos & φοιβολήπτους prophetas, velim & optarem ὑγιαίνειν. Atque ita sit exordium Herodiani regni constitutum. Excessum ejusdem & interitum perquàm infœlicem; secundùm eundem Iosephum jam superest ut statuamus. Antiquitat. XVII. cap. X. ita statuit, pag. DXXXII. Ταῦτα πράξας, ἡμέρᾳ ε. μεθ' ὃ Ἀντίπατρον κτείνει τὸν υἱὸν, τελευτᾷ. βασιλεύσας, μεθ' ὃ ἀνεῖλε τὸν Ἀντίγονον ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα. Quæ totidem penè verbis priùs scripserat in α. ἁλωσ. cap. XXI. pag. DCCXV. Atque hi sunt utrinque illi termini, inter quos Iosephus, Herodiani regni decursum circumscripsit. Sollicitat hosce terminos, ut non rectè positos Cardinalis: & ideò revellit, substituitque alios deteriores. Sollicitat ideò quòd contendat non posse consistere cum Iosephi historiâ, nedum Euangelicâ veritate. Nec est hæc tantummodò Cardinalis iniquitas, vir eruditissimus, ad Eusebium scribit, Iosephus hallucinatur, qui Herodem ait regnasse annos XXXVII, ex quo à Senatu rex declarabatur, cùm sint anni reverà XXXIX. Accedit ad partes Exercitator, qui Scaligeri dictata semper ferè sequitur, & veluti quid promptum ex oraculo adorat. *Epilogismus*, inquit, *rerum ab Herode gestarum, non videtur cum Euangelicâ historiâ consentire.* Ab illis & Baronio recedit longius, nuperus author Emendationum temporis: qui inter ea multa quæ exclusit paradoxa, inaudita, & portentosa, annos hosce Herodianos ab Actiacâ Augusti victoriâ numerandos & inchoandos deliravit. Sed multiplices ejus hominis vanitates refellant, qui bonas horas meliùs non possunt collocare. Nobis cum Baronio negotium erit, qui levitatem in Iosepho ac inconstantiam: qui errores nescio quos inextricabiles, & labyrinthorum mæandros ampullatur, *in quos necesse est illos*, si Deo placet, *mergi, qui de annis regni Herodiani tam facilè illi censent assentiendum.* Sed manum de tabulâ: ad sequens hæc, caput, differamus.

SECT.

Sect. IIII.

Accusatio Cardinalis ventilatur, an secundùm Iosephum, Herodes obierit ante natum Christum. Varietas multiplex in anno Natalitio Consulari assignando. Herodes regnavit annos integros 37. Scaligeri lapsus. Herodis initia. Disquisitio de eadem. Candor & modestia Melchioris Cani in Iosephum. Iosephus variè defensus contra Cardinalem Baronium. Herodes κομιδῆ νέος, *ad annum ætatis* XXV. *Iosephus correctus. Admodum juvenis quis dicatur.*

QVI sunt autem illi errores & labyrinthi bone vir? quæ illa quæ impingunt in Euangelistam? Primus error & præcipuus commemoratur sect. 112. nimirum quòd secundùm Iosephi numeros, & calculum ab illo initum, necesse sit Herodem Infanticidam, inter vivos esse desijsse priusquam carnem indueret Servator: & *Hoc*, inquit ille, *certissimum est*. Itáne verò, vir doctissime, hoc est certissimum. At verò, certissimum non est omninò: imò verò ne certum quidem, sub illis Coss. in Apparatu positis, Lentulo nimirum & Messallino Christum Iesum fuisse in lucem editum: quod tamen omnino certissimum debet esse, ex illa hypothesi Baronianâ. Non enim quicquid in literas retulit, vel chartis allevit Cæsar Baronius, id continuò apud omnes erit certissimum. Supponit vir illustris, alios sequutus viæ duces; eo anno natum nobis Servatorem. Alij in hoc ipso sequuntur illum. Sed ab illis ponitur, & poni ab eo debet, tanquam probabile, & in re antiquâ disputabile. Auferendum autem isthinc est, hoc *Certissimum*. Certissimum illud est, quod non potest controverti: quod nunquam à quoquam rectè sentiente vocatum est in quæstionem: quippe luce clarius meridianâ. Hoc de anno Natalitio non est ejus generis, ut sit certissimum: sed passum est sæpenumero contradictionem: in quæstione multùm versatum est: & litigant de eo etiamnum non pauci. Plautium & Augustum sunt qui Consules ascribunt fastis, eo anno quo Dominus nascebatur: neque illi quidem proletarij, aut infimæ classis & notæ Chronologi, sed qui præ cæteris familiam in eo genere literarũ ducunt, & in fastis Consularibus concinnandis: Onufrius, Savilius, atque alij. Tute ipse Baroni, in editione primâ, pedibus in hanc ieras opinionem. Tum verò saltem, certissimum non fuerat, sub ijs Coss. editum in lucem Servatorem. Sunt alij, quod fateris etiam ipse, qui Calvisij Consulatũ & Passieni assignant Natalitijs: qui tuam anticipant epochen unius anni spatio. Nec sunt capite-censi qui hoc ipsum opinantur. Quòd si istos authores audiamus, jam planè contrarium certissimum erit, vivo Herode in lucem editum Salvatorẽ. Nam à Consulatu Calvini & Pollionis, non sunt anni XXXVII, ad istos Consules. De illo Novatore silere præstat, qui removit Epiphania ultra quinquennium, ad Consulatum Lamiæ & Servilij Gemini. Sed nolo tecum, vir doctissime, summo jure agere, quomodo tu soles in notis hisce Chronologicis cum Iosepho. Natalitia ponamus sub Lentulo Consule cum Messallino: quod quidem falsum opinamur, sed ponamus tamen: ad annum urbis conditæ, secundùm rationes Halicarnassei DCCLI. ab illo anno numerando retro, ad annum DCCXIIII, quo Senatus-consultum de Herodi

regno conferendo factum fuit, in æs incisum, & relatum in Capitolium, non sunt anni XXXIX, quod miror scripsisse doctissimum Eusebij Animadversorem, sed solummodò XXXVIII: ita, dato quod poscitur, non sequitur tamen quod asseritur. Nam Herodes, id quod statim declaramus, superstes erit, usque ad temp⁹ paschale insequentis anni, quo Augustus & Plautius gesserant Consulatum. Atque ita in vivis adhuc agente Herode, carnem nostram induerit Servator Christus. Nam non sunt illi XXXVII Herodis anni in Iosepho currentes sed completi. Quòd si verò Natalitia constituantur, ut Novatoribus placet, non in fine anni, sed mense vel Augusto, vel Septembri, vel Octobri, adhuc diutiùs superstes Herodes fuerit. Sed non litigamus de mense alio, quàm Decembri. Sartam tectam conservamus Ecclesiæ traditionem & authoritatem, quia sacrosancta est (neque par est, nescio quos terræ filios, Ecclesiæ decreta, tot annorũ jam decursibus confirmata, & sancita refigere) & in exitu anni Natalitia figimus; nec tamen concedimus in eam sententiam, Herode jam mortuo, secundùm hanc rationẽ, in lucẽ Christũ Servatorem editũ esse; modò, quod Baronio placet, statuantur Natalitia sub Consulatu Lentuli & Messallini. Nam imprimis, quod vel pueri sciunt, ab anno DCCXIII, ad annum DCCL, anni sunt præcisè XXXVII completi, quod diximus. Secundò sic Iosephus intelligendus est, regnatum ab Herode, annos integros XXXVII, in Iudæa. Ait enim, βασιλεύσας: quæ vox notat actum jam perfectum. Atque ita circa tempus paschale sequentis anni, quo ἄρχων τῶν ἐπωνύμων Plautius obibat cum Augusto, malâ morte mulctatus interierat. Addendum pro Iosepho, quod certè liquet, non in anni principio sed potiùs fine, quo Calvinus & Pollio fuerant Consules, regnum Herodi collatum à Romanis, & fortasse vix cognitum in Iudæâ, nisi Martio & Calvisio creatis in sequentem annum Consulibus. Non hoc nudè affirmamus, quod vir amplissimus facit, sed ex historicâ serie demonstramus, & rerum accuratâ observatione. Anno enim urbis conditæ DCCXIII jam inchoato, agebat Antonius in Oriente, vel Ægypto. Interim in Italiâ, Perusia fame coacta deditur. Fulvia uxor, & L. Antonius frater, oppido capto, dimittuntur: M. Antonio apud Cleopatram hærenti hæc nuntiantur. Vix tandem is divulsus ab amoribus Cleopatræ, expeditionem apparat in Italiam contra Cæsarem. Diem profectionis non possumus certò definire, silentibus historijs horum temporum. Ponamus autem Martij mensis medium τῇ ἐμβάσει destinatum. Vix enim est ut citiùs potuerit: cùm propter amores Cleopatræ & illecebras, quam tam perditè deperibat: tum etiam propter maria clausa, & tempestates incumbentes: & res expediendas, comparandasque. In Italiam, esto, venerit per mensem Maium, idque prosperrimâ navigatione usus, jam ad finem vergentem: ubi bellum contra Cæsarem gesturus, Sipuntem capit, Brundisium obsidet. In Italiâ fuerat, per aliquot certè septimanas, priusquam Herodes Alexandriâ egrederetur. Ille enim rebus in Iudæâ desperatis, ᾤχετο φεύγων in Ægyptum, Antonium se ibidem reperturum ratus. Antiquit. XIIII.XXV. Apud Cleopatram Antonium non invenit: erat enim in Italiâ, ubi tum bellorum motus, & armorum strepitus fremebant. Verba sunt Iosephi, τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πραγμάτων ἐν ταραχῇ καὶ ζάλῳ πολλῷ δηλουμένων ὄντων. Sunt hæc eodẽ ipso anno gesta: ut non nisi confirmatâ jam æstate, potuerit in Italiam Herodes pervenisse, Iulio mense forsan exeunte. Scio, viros eruditos sic statuere, Vere ineunte Romam advenisse: qui per hyemem se in viam dederat. Sed repugnant illa quæ jam recensuimus è Dione & Iosepho.

ſepho. Sed demus Herodem, per ipſam hyemem menſe Februario navem Alexandriæ conſcendiſſe: tamen nullo modo fieri poterat, ut, quod illi volunt, vere ineunte Romam venerit, aut in Italiam. Nam expertus eſt, fatentur, tempeſtates adverſas: & Rhodi ſubſiſtere coactus, uſque dum triremē, nave fractâ & diſſolutâ, ædificaret. Ita, —*Italiam, quam tu tam rere propinquam,*

Longa procul longis via dividet invia terris.

Certè viri eruditi decepti videntur, & adducti in errorem, ex ambiguâ quâdam, & non intellectâ Ioſephi lectione. Ait enim ille Hiſtoricus: Πείσαι μὲν τοι μένειν αὐτὸν οὐκ ἐδυνήθη εἰς Ῥώμην ἐπειγόμενον, χειμῶνος τε ὄντος, καὶ τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πραγμάτων, ἐν ταραχῇ καὶ ζάλῳ πολλῇ δηλουμένων εἶ. *Herodi, ut permaneret, non potuit Cleopatra perſuadere Romam properanti, cùm mari incumberent tempeſtates, & res in Italiâ turbarum eſſe plenæ & tumultuum nuntiarentur.* Hinc imprimis non ineptè colligi poteſt, Antonium in Italiam jam adveniſſe; & in armis contra Cæſarem fuiſſe, priuſquam Herodes moveret Alexandriâ. Secundò, non ſequi quod illi volunt: qui χειμῶνα vertunt hyemem, contra ſeriem hiſtoriæ Dioneæ, & rerum à Parthis & Antonio in Iudæâ & Italiâ geſtarum. Eſt autem χειμὼν, non anni, ſed cœli hoc in loco tempeſtas. Quomodò paullò poſt de eodem Herode locutus Hiſtoricus idem, eandem uſurpavit vocem. Αναχθεὶς ἐκεῖθεν ἀπὸ Παμφυλίας, καὶ χειμῶνι σφοδρῷ περιπεσὼν, μόλις εἰς Ῥόδον διασώζεται. *Indè provectus, Herodes, validâ circa Pamphyliam tempeſtate conflictabatur, ita ut, vix tandem ſalvus pervenerit Rhodum.* Ædificatâ Rhodi trireme, tandem ſalvus pervenit in Italiam ad Antonium, confecto illo bello, ſeu Peruſino, ſeu Brunduſino; poſtquam redierat in gratiam cum Octavio. Scio Appianum diſſentire. Sed non multum fidei Appiano adhibendum, eruditi ſciunt, diſſentiente Ioſepho & Dione. Hæc cùm ita ſint, potuit Herodes, (vel adeat Faſtos, & ineat rationem ſubductis calculis, Cardinalis) ſi annos ſolummodò XXXVII. regnabat in Iudæâ inter vivos tum ſubſtitiſſe, cùm Chriſtus Dominus naſceretur: ſi cum Baronio ſtatuamus, Epiphania iſta in Conſulatum Lentuli & Meſſallini, contigiſſe. Neque eſt certiſſimum, quod pronuntiat eſſe vir Illuſtris, Ioſephi calculum in conſtituendo regno Herodiano, Chriſti nati epochen anticipare. Hinc ſe transfert ad Græcorum Olympiadas: ubi nihilo fœliciùs ſuccedit negotium, quàm priùs ſucceſſerat per Conſulatus. Chriſtum ait natum ſecundo anno Olympiadis CXCIIII, jam per ſex menſes inchoato. Nam in illum annum Olympiadicum, Conſulatus inciderat, Lentuli & Meſſallini: quo anno vergente ad finem, mortuus eſt Herodes in Iudæâ circa feſtum Paſchatis: quod verum eſt. Annus Græcorum Olympicus, ab æſtivo ſolſtitio inchoabatur. Eo anno quo natum vult Servatorem, menſe Iulio ſecundus annus Olympiadis 194. incipiebat: quo per VI. menſem decurrente, ad XXV. Decembris, in exitu Conſulatus Lentuli & Meſſallini, naſcebatur Chriſtus. Cùm Herodes à Senatu rex eſſet declaratus, anno quo Conſulatum Calvinus & Aſinius adminiſtrabant, Olympias ρπδ. CLXXXIIII, agebatur, quod expreſſis verbis Ioſephus ait. Hinc, opinor, inferre vult vir eruditus, nequaquam poſſe conſtare rationes Ioſephianas cùm anni ſint non XXXVII Herodis intercurrentes, ſed planè XL. Falsò primùm: tum captiosè. Nam ab anno ultimo Olympiadis 184, ad ſecundum annū Olympiadis 194, non anni XL, ſed tantùm XXXVIII interponuntur. Quòd ſi verò attenderit eruditus lector, renuntiatum regē Herodē in Italiâ, in ipſo planè exitu (quod neceſſe fuit è ſerie Hiſtoricâ priùs obſervatâ, & rerum geſtarum ἀκολουθία) illius Olympiadis 184: & mortuum

eundem, secundo anno 194 decurrente, resecare hæc ad vivum Cardinalem, necesse est, & rigidissimam censuram exercere in Iosepho. Addendum est ad ista: si esset vero propius, quàm omnino est, harum rerum calculos ad hunc modum subductos, hodie in contextu Iosephiano reperiri, næ tamen, vir illustris iniquus est, qui in re Chronologicâ tam ubique obscurâ, & in notis numeralibus, tam facilè depravatis, tantas solet tragœdias excitare. Venisset ei in mentem doctissimi viri Melchioris Cani, inter Tridentinos Patres censendi cum primis, qui libro II. cap. V. Locorum communium, Historicum nostrum Judæum longè mitius, honorificentiusque tractat. Fatetur enim Iosephi codices vitiosissimè scriptos circumferri, & innumeris mendis inquinatos. *Quæ ego errata*, inquit ille, *viro diligentissimo assignare nec volo neque debeo.* At Cæsar Baronius, cui non fuit satis palàm affirmare, scripsisse Iosephum Euangelio repugnantia, (qui tamen consentit & conspirat:) pergit porrò sect. CXIIII. in Apparatu, & eidem denuò impingit turpissimam aliam hallucinationem. Scribit enim Herodem apud Iosephum dici XV. annorum adolescentem, eo anno quo Iulius Cæsar confecto bello Alexandrino, tradidit Antipatro Herodis patri provinciam Iudæam administrandam: cùm tamen alibi pronunciet Historicus idem, Herodem illum vivendo attigisse annum suæ ætatis LXX. Ut eo modo, Iosepho testimonium perhibente, Herodes fuerit in vivis, annũ nonũ agente Servatore: quem prius ita circumscripserat, ut ante eum natum, fuerit vitæ suæ finem consequutus Herodes: portentosissimâ quâdam incuriâ sibi ipsi contradicendo. Sed respondeo primùm cum Melchiore Cano: Iosephi codices plurifariam esse, & quidem fœdissimè interdum, depravatos: neque par & æquum esse, ut errores & lapsus librariorum, Iosephi diligentiæ imputentur. Secundò, iniquissimè Cardinalem Iosephi calculos in hac re calumniari, de vitâ Herodis Idumæi productâ ad nonum annum τῆς συγκαταβάσεως Iesu Christi, cùm proximè accesserit ad illam rationem, qui, contrà quàm veteres & recentiores sentiebant, octavo Servatoris anno Herodem extinctum non dubitat pronunciare. Quid ergo Iosephum sic calumnijs incestat? Erat ipse non minùs meritò redarguendus, quòd in tantum illius vitam producebat: & quod plus est adhuc, quòd producebat ille vitam, qui prius ejus mortem, necessariâ quâdam, quod videri volebat, consequentiâ, in Consulatum Lentuli & Messallini contraxerat. Sed hæc Iosephi famam atque existimationem non conservant: Annalistæ τὴν σκαιότητα στιγματίζει. Nec minus illud quod adjungemus. Si Herodes erat natus, ut supponit Cardinalis calumniator, annos XV, sub confecto bello Alexandrino, hoc est, Consulibus Fusio Caleno, & Vatinio, & vixit ad annum LXX: tum fuit superstes, inquit Cardinalis, ad annũ Iesu Christi nonum, necessariâ quâdam sequelâ è Iosepho. Imò verò, mi homo, falleris ipse: superstes enim fuerat, ad annum vel XII, vel XI. De anno enim LXX. videamus. Intellexitne Iosephus annum illum inchoatum, an consummatum? Dic hoc plenè. Namque ita refert: ἄγει ἔτος ἑβδομήκοστον. & in α. ἁλωσ. cap. κα, ait fuisse illum σχεδὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα. Hoc posito, non est tamen exactè verum, quod statuitur in Apparatu, tanquam sequela Iosephiana; Herodem ad annum IX. supervixisse: Supervixit enim usque ad XII: Consulatũ nempe Camerini & Sabini: illũ annum rei Romanæ infœlicem, clade Varianâ memoratum. Quodsi velit potiùs, nam non expressit vir eruditus mentem suam, inchoatum annum LXX. Herodianum: tamen usque ad XI. Iesu Christi, non tantùm nonum, supervixisset. Utrinque sequerentur absurdissimæ conse-

quentiæ:

quentiæ: nec Archelaum ab Augusto relegatum, sed Tiberio: neque missum ab Augusto Quirinium illum δικαιοδότην, sed Tiberio: cujus tertio saltem principatus sui anno, in Gallias, Viennam fuisset Archelaus relegatus. Imò, esto ad octavum Iesu Christi annum, substiterit in vivis Herodes: quod tantopere contendit Cardinalis: illa rerum Archelai ἀπογραφὴ, sub Tiberio non Augustò instituetur. Sunt hæc ἀσύστατα, sunt ἀνιστόρητα, textui sacro repugnantia: inter se discordant ipsa: quæ tamen sequi necessariò convincuntur, ex illa Baronij Chronologicâ ratione: multò magis ex afficta Iosepho. Verùm enim verò, negari non potest, neque nos inficiamur, verba Iosephi hæc ipsa esse quæ leguntur in Antiquit. XIIII. cap. XVII. Τῷ δὲ μετ' αὐτὸν Ἡρώδῃ τὴν Γαλιλαίαν ἐπέτρεψε, νέῳ παντάπασιν ὄντι. ιε. γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. *Herodi verò, ætate Phasaelo, proximo* (erat igitur Iosepho ætate major, de quâ re memini dubitasse me in præcedentibus) *Galilæam provinciam commendavit, cùm adhuc ætate esset valdè iuvenis. Quindecim enim annos, neque plures, natus tunc temporis erat.* Hæc hoc modo leguntur apud Iosephum. Sed an ita profecta à Iosepho? Credit Cardinalis & aliquoties objectat, non semel tantummodò, gravissimo viro, & Historico diligentissimo absurdam ἀνιστορησίαν. Credunt etiam alij Becceselini, portentorum in historijs promi condi. Doctissimi viri non credunt ita scriptum à Iosepho: & locum depravatum non improbabiliter, correxerunt. Quis enim credet accuratissimum virum, in re tanti momenti lapsum tam inconsideratè, tam pueriliter, ut illo posito necesse sit, nihil penè verum esse posse, quod ab illo conjectum sit in historiam: sed omnia vana, falsa, ridicula, absurda. Atque hæc pluribus persequitur contra Cardinalem, non è Novatorum scholâ sciolus aliquis, vel Hæreticus, sed Catholico-Romanus, eruditus & diligens Historicus Italus Augustinus Torniellus, ille æmulus industriæ Baronianæ, in Annalibus suis sacris. Neque certè credibile est puero annorum quindecim Herodi, commendatam à patre suo, prudente viro, provinciam Galilæam ordinandam tot & tantisper id temporis expositam & exagitatam tempestatibus. Nec credendum est ab Herode, adhuc puëro, tantas continuò res & tam illustres tractatas & perfectas, & continuatâ quâdam serie ad exitum felicem perductas, quales sunt à Iosepho commemoratæ. Nec credibile est, utcunque concedamus hoc erratum ab Antipatro admissum paternâ quâdam suâ indulgentiâ, Cæsarem, Antonium, Senatum populumque Romanum permissuros fuisse, tam adolescenti, tanta negotia procuranda committi, præsertim ubi latronum turmis, Parthorum armis, omnia perstreperent & infestarentur. Neque fieri potest, ut illa ratio in annis Herodianis obtineret. Sexennio quippè, ab hac suâ præfecturâ, Phasaelum suum fratrem amisit Herodes, nondum præterlapso. Reliquerat ille moriens filium septennē, quem Herodes patruus paratus fuerat, ante res suas perditas in Iudæâ, Arabum regi obsidem appignorare, si pecunia ipsum adjuvisset: quod relatum à Iosepho pag. CCCCXLIII. Erat minor natu quàm Phasaelus Herodes, fortè biennio, unius saltem anni spatio: ita XV. annorũ, genitus Phasaëlus, & Herodes cum hoc pater ei imperium commendaret, XIIII. annorum ad summum puer fuit. Quæ omnia & singula cùm sint adeo absurda & à ratione aliena, confugisset potiùs Cardinalis ad illud κεκηρυγμένον imperitorum, Iosephi textum proculdubio depravatum circumferri: & scriptum ab authore, non quod habent codices ιε sed κε. Error enim facilis & proclivis, in notis literarum apud antiquos ταχυγράφους. Et error est valdè antiquissimus, ita enim legit

git olim, & etiam tranſtulit, Hieronymi æqualis Ruffinus. Sed illum interpretem non moramur. Norunt enim eruditi inſcitiam hominis & indiligentiam: quàm negligenter ſit verſatus in Græcis authoribus transferendis. Imò verò nec Baronius, pro ſua νωχελίᾳ omiſiſſet hunc errorem in Librarios tranſferre à Ioſepho, niſi animo ejus inſitum & immotum inſediſſet, Ioſephi imminuere authoritatem, cujus, utpote ſcriptoris laudatiſſimi, non levis erat exiſtimatio apud Novatores. Corrigatur, ut omninò debet, locus ille: & pro ιε. reponatur κε, & tollat hinc licet aulæum Cardinalis. Nam qui erat annus vitæ xxv, in Conſulatu Vatinij & Caleni, erit finitus LXIX, in Conſulatu Lentuli & Meſſallini. Atque ita, quod habet Ioſephi textus, ferè annorum LXX. exceſſerit è vitâ, poſt revelatum mundo illud Lumen gentium. Hoc poſito in Herodis annis fundamento, erit etiam XXXII. annorũ natus, cùm Romæ Iudæorum rex renuntiaretur. Quâ quidem ætate non eſt incredibile, illum reip. gerendæ ſuffeciſſe, & tantis rebus geſtis claruiſſe, cùm in eâdem ætate conſtitutus Alexander Macedo, terrarum orbis triumphator obiret. Non eſt incredibile commendatam fuiſſe ipſi à patre ſuo, & quidem meritiſſimè, Galilæam, annum agenti ætatis XXV. quâ ipsâ in ætate magnis rebus geſtis multi olim claruerant. Neque quicquam omninò obſtat, quòd dicatur illi Hiſtorico Herodes tum fuiſſe κομιδῆ vel παντάπασι νέος. Nam multa dicuntur reſpectivè, quæ non ita ſimpliciter dicerentur. Leonem decimum memoriâ noſtrorum patrũ, neſcio cujus commendatione, hoc ſcio, utcunque tacuiſſet Laurenti⁹ Puccius, opinor, Cardinalis, κομιδῆ νέον perveniſſe ad Pontificatum: qui tamen fuerat Herodis ætatem totum ſexennium antegreſſus: licet illam ætatem non attingeret per viginti totos annos, quæ quondam juxta vetuſtos Eccleſiæ Canones τῷ ἐπισκοπεύοντι ſtatuebatur. Nuperus hujuſce depravatæ lectionis aſſertor extaticus & φοιβόληπτος, non poterat, ut affirmat, recordari, alicubi ſe legiſſe apud bonos authores juvenem aliquem appellatum, qui vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum fuerat ſupergreſſus. Non miramur. Scriptum tamen ego memini à Polybio, authore ſatis idoneo, Libro II. hiſtoriarum, Τὴν δὲ στρατηγίαν οἱ Καρχηδόνιοι τὴν κατὰ τὴν Ἰβηρίαν Ἀννίβᾳ περιέθεσαν ὄντι νέῳ. *Admodum iuveni*, tranſtulit Caſaubonus, Livium in hâc hiſtoriâ ſequutus. Ætatem verò Hannibalis inveſtigatam reperimus fuiſſe annorum XXVI. Cùm enim ipſius pater in Hiſpaniam mitteretur, erat Hannibal, κατὰ τὴν ἡλικίαν ἐτῶν ἐννέα, novem annos natus. Ita Polybius, bis terve, nominatim Libro II, ſtatim ab initio. Hamilcar autem novem fermè annos cum Imperio fuit. Polybius in eodem libro. Διατρίψας ἐν τοῖς τόποις τούτοις ἔτη σχεδὸν ἐννέα κατέστρεψε τὸν βίον. Habemus annos XVIII. ferè natũ Annibalem, cùm pater Hamilcar excederet è vivis. Quod ſi octo anni acceſſerint huic calculo, quibus præfuit rebus in Hiſpaniâ Aſdrubal, qui terminus ſtatuitur à T. Livio diſertis verbis, & colligitur è Polybio, Hannibal reipub. & rebus gerendis admotus, cùm eſſet annos XXVI. natus, admodum dicitur adoleſcens. Atque hoc in gratiam illius Novatoris. Poſſem alijs exemplis in rem præſentem uti. Sed parco lectori, & labori meo. Ætas certè eſt ἐν τοῖς πρός τι. Ita gerræ ſunt germanæ, & nugamenta mera, quæ vir Illuſtris Annaliſta hâc in parte contra Iudæum Hiſtoricum effutivit.

SECT.

SECT. V.

De initio regni Herodiani. Nova Cardinalis opinio, derivandum illud esse ab Actiaca victoria. Cujus duplex epoche. Refellitur Card. à relegatione Archelai, & Descript. Quirinij. A Cæsarea condita. Aliunde. Initium Actiacum duplex, non animadversum Baronio. Antonij Acta. Non inter illa regnum Herodianum. Inter Augusti, ut Africanus, cujus errores notantur. Senatus revera. Alia argumenta Baronij refutata. Iosephus explicatus, correctus. Ventidius. Torniellus rectè dissentit à Baronio.

HActenus Iosephum, prout voluit, refutavit Cardinalis; nunc consequens est ut propriam sententiam ponat. Ea autem proposita, sect. CXV, & CXVII, triplex est. Regnasse revera Herodem annos XXXVII, neque plures, nec pauciores. Tum malè Iosephum retulisse initium Herodiani regni, in Consulatum Calvini & Pollionis. Tertiò illos annos XXXVIII, ab Actiacâ Augusti victoriâ numerandos. De hisce nos videamus ὕστερον πρότερον. Miror igitur imprimis doctissimum istum virum non veritum crimen innovationis. Novatoribus insultat nusquam non νεανιδόμενος, quos appellat contumeliosè: cùm tamen imprimis ipse, etiam ante alios sit Novator. Cedo enim, te rogo vir erudite, apud quem tandem vetustiorũ repereris aliquando, illam sententiam tuam, annos regni Herodiani in Iudæâ, ab Actiacâ Augusti victoriâ esse inchoandos. Mittamus antiquos: recentiorem recense, ne merito Novator audias Novatorum. Sed sententiæ penetralia introspiciamus. Cùm Sulpitius Quirinius ab Augusto in Syriam mitteretur, δικαιοδότης futurus τοῦ ἔθνους, & res Archelai relegati Viennam ἀποτιμησόμενος, jam ante novennium Archelai pater Herodes desierat esse inter vivos, in ά. ἁλωσ. cap. ια. non autem VI, ut scriptum in Apparatu. Cui sententiæ Iosephianæ περὶ ἀποτιμήσεως, & Quirinio misso, non refragatur Cardinalis. Quodsi verò istos annos Herodianos ab Actiacâ victoriâ exordiamur, non effugiet uspiam Cardinalis, quin post exemptum Augustum rebus humanis, rerum Tiberio ad minus, per biennium potiente, missus sit Quirinius in Iudæam, pulso in Gallias & relegato Archelao. Nam ab anno urbis conditæ DCCXXII quo consentiunt omnes pugnatum fuisse ad Actium promontorium, anni XXXVII numerati, desinent in annum DCCLXIX, quod jam ostendimus, quo Cæcilius Rufus, & Pomponius Flaccus, imperante Tiberio, fuerant cum Consulatu. Non possum non cum admiratione quâdam indignari Annalistam istum ἐπτίμαιον, confidenter scripsisse in Apparatu sect. CXVII. *Est igitur in numero primus annus regni Herodis sub Augusto* III. *& Messallâ Coss.* Adijsset fastos, *quos Iosephus*, scilicet, ita enim ἐκομπάζετο, *ignorabat.* Certè hoc tam portentosum παραλήρημα suum, nunquam retulisset in Apparatum. Pugnat secundò, hæc ἀνιστορησία cum clarissimo loco, & omnium confessione apertissimo, de Cæsareâ condita apud Iosephum. Cæsaream, prius dictam Stratonis turrem, Herodes in honorem Augusti nominaverat, à se constructã, consummatis operibus, & ad finẽ jam perductã.

Περὶ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον συντέλειαν ἔλαβεν ἡ Καισάρεια σεβαστὴ· ἣν ᾠκοδόμει δεκάτῳ μὲν ἔτει πρὸς τέλος

τέλος ἐλθέσης αὐτῷ τῆς ὅλης κατασκευῆς· ἐκπεσέσης δὲ τῆς προθεσμίας, εἰς κη. ἔτος τῆς ἀρχῆς. ἐπ' Ολυμπιάδος δευτέρας ϰ) ἐννενηκόστης πρὸς ταῖς ἑκατόν. Rectè autem Iosephus: nam in annum primum illius CXCII Olympiadis inciderat hæc consummatio, Quirinio & Messallâ Coss. anno urbis conditæ DCCXLI. anno regni Herodiani, à Consulatu Asinij & Calvini XXVIII: qui annus, ab Actiacâ victoriâ ratione initâ si numeretur, erit annus vicesimus: & non vicesimus octavus. Atenim verò repugnat Cardinalis hisce Iosephianis, nec se constringi patietur hac annorũ supputatione; cùm eundem illum authorem tot errorum convictum, & contradictionum teneat manifestè. Atat vir Illustris, si nemini steteris in re historicâ, nisi, qui in nullâ re erravit aliquando, quid tuæ ipsius authoritati fiet? Laboriosissimum Annalium Ecclesiasticorum opus, ad scombros delegatur & ad thus: nullius Historici sarta tecta authoritas permanebit, ne in rebus quidem manifestis, & extra omnem aleam controversiæ vel contradictionis positis. Mittat ergo errores Iosephianos, si qui sunt. Nam profectò sunt paucissimi, quos nobis indicavit Cardinalis. Doceat cur hæc ratio sit improbanda. Certum est imprimis, & ipsi Cardinali in confesso positum, Stratonis illam turrim ampliatam, Cæsaream ab Herode nominatam in honorem Augusti. Si non hoc anno perfectum opus quo describitur à Iosepho, alium designet veriùs huic operi perficiendo. Sin nullum designaverit, commentum est ineptum hominis eruditi, suâ fide, otio, diligentiâ, & eruditione abutentis, & præstereà lectorum patientiâ. Nisi igitur Iosephi calculum de Cæsareâ perfectâ σὺν λόγῳ potuerit elevare Baronius, stet oportet immotum & inconcussum, anno XXVIII. Herodiani regni manum ultimam impositam ei operi. Sed ab Actiacâ victoria Augusti si modò desumatur exordium Epochæ Herodianæ, ille annus XXVIII. incidet in consulatum Lentuli & Messallini: aut Augusti ipsius & Plautij Silani, si à morte Antonij & Cleopatræ, anni illi Actiaci numerentur, cùm multum Herodes jam recesserat ab illâ suâ olim quæ fuerat, μεγαλοψυχίᾳ, & ab omni præterea humanitate. Quando M. Agrippa fatis concesserat ante annos octo vel novem, qui tamen Cæsareâ absolutâ superstes fuerat, in Asiam venerat, & dederat rescriptũ pro Iudæis. Sed interim non oportet nos dissimulare, Iosephi codices esse in hâc ipsâmet historiâ in numeralibus notis, depravatos. Nam pro δεκάτῳ, legendũ est omninò, δωδεκάτῳ. Ita enim est alibi scriptum, & quidem verissimè, à Iosepho. Η μὲν δὴ πόλις οὕτως ἐξετελέσθη, δωδεκάτῳ χρόνῳ. Tertiò in ambiguo est, & certè vacillat hæc à Cardinali instituta comparatio, de anno Actiaco, fundo & origine regni illius Herodiani. Duplex est enim epoche Actiaca, quod nos prius notavimus, quod Chronologi observant, nec distinxit Baronius vel animadvertit. Prior ab Augusto & Messallâ Coss. quo anno ad diem Septembris II. pugnatum est ad Actium promontorium. Posterior ab Augusto IIII. Consule cum M. Crasso, (is sequens erat annus) quo victus Antonius in Ægypto mortem sibi ipsi conscivit. Et hic est revera annus æræ Actiacæ, non ille prior: quâ tamen non utitur Cardinalis; nec videtur hanc differentiam omninò animadvertisse. Ita nusquam consistit ille calculus, cujus primus, & credo solus subductor Cardinalis. Argumenta porrò quibus suam hanc nuper natam sententiam stabilire contendit Cardinalis, ista sunt. Primum est, Antonij in Actio superati, acta sunt rescissa per Senatum: & regnum itaque Iudæorum Herodi collatum inter ea acta. Nam inter ea acta censebantur. Sed nimis imperitè vel perversè hæc dicuntur. Antonij enim acta, quæ quæso dixeris? Acta sunt alicujus quæ

ab

ab illo in magiſtratu geſta, ſive privatâ ſeu publicâ authoritate. Sed frequentius tamen illa quę prout res ſe obtulerat & occaſiones: vel aliter ductus & impulſus magiſtratus privatâ geſſerat authoritate, ex animi ſui ſententiâ prętor Senatus, vel Principis voluntatem. Ita acta Cæſaris in bello Gallico. Acta Pompeij in Aſiaticâ ſuâ expeditione. Quæ confirmata volebat à Senatu, ſed L. Lucullo, Metello Cretico, & parte optimatium intercedentibus, confirmata non potuit obtinere à Senatu. Erant autem, *ut promiſſa civitatibus, aut bene meritis præmia perſolverentur*, ut Velleius loquitur. Ad eundem modum Antonij acta in provincijs erant, quæ ſolus ille ex arbitrio ſuo, non communia cum Auguſto, non geſſerat ex Senatus authoritate. Inter acta hæc Antonij nullo modo debet recenſeri promotio Herodis ad regnum Iudæorum. Per Antonij commendationem nemo negat dignitatem eam Herodem aſſequutum. Agnoſcit hoc Antonij beneficium, etiam apud Cæſarem ipſum homo neutiquam ingratus, ut videtur. Sed non erat Herodi delatum illud regnum Antonij juſſu vel authoritate, ſed juſſu Senatus: Antonij & Cæſaris commendatione. Sunt igitur qui referunt inter Auguſti acta. Africanus Chronologus nobiliſſimus: Τὸν Ἡρώδην ἀπέστειλεν εἰς Ῥώμην Ἀντώνιος κατὰ τὸν Σέβαστον Ὀκταούιον· ὃς διὰ τὸν Ἀντίπατρον Ἡρώδου πατέρα, καὶ δι' αὐτὸν Ἡρώδην, διά τε τὸ ὑπὸ Πάρθων κατασταθῆναι Ἀντίγονον βασιλέα, ἀπέστειλε τοῖς ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ ἐν Συρίᾳ στρατηγοῖς, κατάγειν αὐτὸν εἰς τὴν ἀρχήν. *Miſit Antonius Herodem Romam ad Auguſtum Octavium, qui propter Antipatrū Herodis patrem, propter ipſummet etiam Herodem, & propterea quòd Antigonus erat Rex à Parthis conſtitutus, ſcripſit ad illos Romani exercitus duces, qui in Syriâ rem gerebant & Palæſtinâ, ut in regnum illum introducerent.* Ubi tantum abeſt Africanus ut Baronio de Antonij actis ſubſcribat, ut inter ipſius Auguſti acta retulerit, Iudæorum regnum collatum in Herodem. Errat certè multipliciter in hâc narratione ſuâ Africanus: qui Antonium abfuiſſe tum in Syriâ res gerentem, vel aliubi opinatur, qui eo anno Romam redierat ex Oriente. Qui narrat Antonium tranſmiſiſſe Herodem, putà cum literis commendatitijs, ad Auguſtum, cùm tamen illi, tunc nuper redintegratâ & reconciliatâ gratiâ, ſimul agerent in Italiâ. Cùm Herodes ad Antonium, non ad Octavium profectionem inſtitueret, & emenſis Pelagi difficultatibus, perveniret. Errat inſuper qui tranſmiſſum ſcribat Herodem ab Antonio ad Octavium. Acciſis enim rebus Herodianis adhuc hoſtili animo erant in ſe mutuò affecti Octavius & Antonius. Cùm eo animo profectus eſſet ex Ægypto Antonius, ut bellum gereret cum Octavio. Longè itaque aberat à veritate, ut Octavius Antonio Herodem commendaret. Errat adhuc Africanus, in eo quod ſcribit Antipatrum Herodis patrem fuiſſe Octavio amicum: qui illum vix aut ne vix quidem de nomine, multo minùs de facie noſſet: cui notus erat nec beneficio neque maleficio. Errat qui ſcripſiſſe Octavium putet ad Duces Romanorum in Palæſtinâ, cùm non ad Octavium in diviſione orbis, ſed ad Antonium Palæſtina cum Syriâ pertineret. Errat autem eo magis quòd docuerit ipſe aliter Africanus alibi, & conſentiat cum Ioſepho. Ita enim in ſecundâ ſuâ editione veriùs. Ἡρώδης ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς καὶ Ὀκταουίου Σεβαστοῦ βασιλεὺς Ἰουδαίων ἀνηγορεύθη· καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη λδ. *Herodes ab Auguſto & Senatu Romano rex Iudæorum declaratus, regnavit annos* 34. Regni initium, vir eruditus dum iſta ſcribit, ab inito actu regno poſt captas Hieroſolymas, non autem à declarato rege Herode deducebat. Chronologus alius de eodem loquens, Romanorum beneficio, & non Antonij hoc adſcribit, ὑπὸ Ῥωμαίων, inquit, ἐγχειρίζεται τὴν βασιλείαν. Alius item

in Catalogo τῶν Ὀλυμπονικῶν ſcribit; ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς βασιλεὺς Ἰουδαίων ἀνηγορεύθη. Itaque dicuntur, Senatus, Auguſtus, Romani, dignitatis illius regiæ Herodi authores: nuſquam Antonius, quem ſolùm proponit Cardinalis, nominatur. Quid ergo de Antonij actis narrationem iſtam ingerit importunam Cardinalis? Quid reſciſſio actuum Antonij pertinet, ad auferendum regnum ab Herode Idumæo? Nec enim veroſimile eſt eos voluiſſe: neque par aut opus fuit ut reſcinderent illi acta ſua: ita magno conatu de refixis Antonij actis, nihil prorſus ἠνύσατο, ad auferendum, Antonij dono aut conceſſione, revera commendatione datum, Herodi regnum. Hoc primum eſt, & princeps Baronij Cardinalis, de inito regno, ab Actiacâ victoriâ, argumentum. Secundum quod apud illum ſequitur, hoc ſuppoſuit, & eſt quaſi ἀπόῤῥωξ ab illo ſuperiore. Ait enim, *Cùm Auguſtus ex Senatus conſulto reſcidiſſet, irritaq́ reddidiſſet quæ ab Antonio in Imperio, perduelle geſta eſſent, non licuit Herodi illos regni ſui numerare annos, quibus regnavit, poſtquam illud ab Antonio ſibi reſtitutum accepit, ſed ab eo tempore quo ab Auguſto ſibi redditum fuit, & ex Senatus conſulto firmatũ:* ſect. 116. in Apparatu. Ita δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. Non erat ſatis Cardinali hallucinari ſemel de Antonij actis, niſi iterum & tertiò idem argumentum & erratum redintegraret. Nam demonſtratum eſt, non fuiſſe hoc ipſum ex Antonij actis; ſed potiùs inter Octavij & Senatus recenſendum. Secundò, reſpondemus, ut non licuerit Herodi, ſuos annos ab hoc initio numerare, at alijs non erat tamen hoc, interdicto Principis vel reſcripto, lege, aut Senatus conſulto, aut alio quovis modo prohibitum. Imo licuit Herodi, cuicunque licuit, ab illâ epoche ſuum regnum exordiri: neque poteſt contrarium, à viro doctiſſimo demonſtrari. Sed mirabilis eſt tamen adhuc hujus Apparatus argumentatio. Quid enim illa ſibi volunt? *Poſtquam ab Antonio reſtitutum ſibi accepit?* Ain' regem, in domo regnatrici natum? Regnum à parente, & majoribus ad ſe derivatum, deinde vi, fraude, alio quovis modo ablatum, reſtituit Antonius? Regnum privato conciliavit Antonius: Regi nato, ſed ademptũ, non reſtituit. Hæc ego non intelligo: credo nec ſe expediverit Cardinalis. Sequitur Cardinalis argumentum tertium, non de meliore notâ. *Nunquam hoc Auguſto denegaſſet Herodes:* ut ne ſcilicet à Conſulatu Calvini & Pollionis, ſed ab Actiacâ victoriâ regni ſui initia derivaret; cùm Cæſarem ſuæ dignitatis authorem, & non Antonium profiteretur. Ut hoc dediſſet Cæſari roganti Herodes, non dediſſent mendacio veniam, aut tantum detuliſſent, illorum temporũ hiſtorias qui contexebant. Non enim hoc rogare voluit aut debuit, ſed nec rogavit Octavius: propterea quòd rectè reſpondiſſet Herodes: non hoc, Auguſte, inter Antonij ſolius acta referri debet, ſed inter tua ipſius, & Senatus. Quis itaque Cardinali in os illud inſuſurravit, Cæſarem eo genere officij placandum? Quis tum in rem præſentem teſtis, Cardinali renunciavit, Auguſtum hoc ipſum requiſiviſſe? Neque enim ſufficit dicere, non hoc negaſſet ſi rogaſſet; dicendum ei eſt qui rem velit expedire, non hoc negabat cùm rogaret. De re enim geſtâ, non veriſimiliter gerendâ inſtituitur diſſertatio. Sed & poteſt fieri, ut rogatus hoc negaret. Aſinius enim Pollio ab eodem Auguſto requiſitus, ut ad bellum Actiacum, unà cum ipſo contra Antonium proficiſceretur, ingenuè & liberè reſpondebat, Antonij beneficia in ſe eſſe notiora, & ſua in Antonium merita majora, quàm ut arma contra illum gereret. Et certè valdè probabile eſt, Herodem non minùs liberè fuiſſe reſponſurum, & requiſitum negaturum. Nam ut Auguſto multum debere ſe, ſemper

præ

præ ſe ferebat, ita nunquam eo devenit ingratitudinis, quin Antonij amicitiam profiteretur, multis ſibi modis profuiſſe. Quo in loco illū etiam mortuū habuerat, multa ſunt quæ demonſtrant apud Ioſephum. Cùm Templum Hieroſolymis ſpecioſiſſimum, & operis admirandi conſtrueret, turrim illam, egregiam, Barin prius dictam de amici nomine, Antoniam, diu poſt victoriam Actiacā, nominavit. Imprimis autem in hoc genere laudanda eſt oratio, quam habuit apud Auguſtum ipſum, poſtquam victo debellatoque Antonio anxius animi, ſibi metuens, dubio eventu, quòd partes adverſas Antonianas, omni ope juviſſet atque operâ, Cæſari victori ſe obtuliſſet. Ἐγὼ Καῖσαρ ὑπ' Ἀντωνίου, βασιλεὺς γενόμενος τῶν Ἰουδαίων, ἐν πᾶσιν ὁμολογῶ γεγονέναι βασιλεὺς χρήσιμος Ἀντωνίῳ· καὶ οὐδὲ τοῦτο ἂν ὑποστειλαίμην εἰπεῖν, ὅτι πάντως ἄν με μετὰ τῶν ὅπλων ἐπείρασας, εἰ μὴ διεκώλυσαν Ἄραβες. Καὶ συμμαχίαν μέν τοι γε αὐτῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, καὶ σίτου πολλὰς ἔπεμψα μυριάδας. Ἀλλ' οὐδὲ μετὰ τὴν ἐν Ἀκτίῳ πληγὴν κατέλιπον τὸν εὐεργέτην. *In α. ἁλώσεως pag. 692.* Hæc ille Cæſari, coram & in os. Herodem multa ſunt in quibus accuſes: hæc eſt inter pauciſſimas ipſius virtutes cenſenda cum primis, quòd ingratus nunquam extitit in benè meritos. Poteſt autem hic urgeri, utcunque non ſit objectum à Baronio, Diadema poſt Actiacam victoriam impoſitum fuiſſe Herodi ab Auguſto denuò. Ita enim Ioſephus narrat, loco quo ſupra, & in Antiquitat. xv. v. Καὶ τότε διάδημα αὐτῷ πάλιν περιεθῆκε, καὶ προτρεψάμενος μηδὲν ἔλαττον περὶ αὐτὸν ἢ πρότερον περὶ Ἀντώνιον φαίνεσθαι διὰ πάσης ἦγε τιμῆς. προσθεὶς ὅτι Καπίδιος γράψειεν ἁπάσῃ προθυμίᾳ τὰ περὶ τοὺς μονάρχας αὐτῷ τὸν Ἡρώδην συλλαβέσθαι. Ait Ioſephus, Diadema Herodi ab Auguſto impoſitum denuò: non quòd regnum ei prius ademerat: aut irritum Senatuſconſultū, vel acta, ſi vis etiam, Antonij fecerat, aut quòd de privato Regem, aut denuò Regem creaverat, ſed quòd regiam dignitatem, quâ fruebatur, ipſi non abſtulerat. Prudenter enim Herodes, non ex neceſſitate, cùm Auguſtum adiret, diadema depoſuerat, habitu privato, ut decebat ſupplicem, ingreſſus erat. Πλεύσας εἰς Ῥόδον, ait Ioſephus, ἔνθα διέτριβε Καῖσαρ, πρόσεισιν αὐτῷ δίχα διαδήματος· τὴν μὲν ἐσθῆτα καὶ τὸ σχῆμα ἰδιώτης, τὸ δὲ φρόνημα βασιλεύς. Itaque non eſt paſſus Auguſtus illum hoc habitu diutius infra ſuam dignitatem conſpici, ſed ἀποκαθίστησι διάδημα, reddit ei rurſus diadema: &, Ἀλλὰ σῷζου γέ φησιν καὶ βασίλευε νῦν βεβαιότερον. εἶ γὰρ ἄξιος πολλῶν βασιλεύειν. Hæc eſt rerum geſtarum ſeries apud Ioſephum, quam non convellunt, nec in quæſtionem vocant οἱ ἐξ ἐναντίας. Videant ergo quo jure, & quàm rectè, initia illius regni ab Actiacâ Auguſti victoriâ deducant: ſed inſtant pro Antonij actis. Agnoſcit ipſe Herodes & fatetur ultrò, beneficio Antonij ſe adeptum regnum in Iudæa. Et fatemur ipſi, beneficio Antonij hoc illum fuiſſe conſecutum. Non tamen ita Antonij beneficio, ut Senatus conſultum excludatur: aut ſolius Antonij beneficium agnoſcat. Niſi ita intelligatur illud *Beneficium*, fruſtra de Antonij actis interponunt, per Auguſtum reſciſſis, & Senatum. Priuſquam recedamus à Ioſepho, in illa pauliſper deflectendum, Προσθεὶς ὅτι Καπίδιος γράψειεν ἁπάσῃ προθυμίᾳ τὰ πρὸς Μονάρχας αὐτῷ τὸν Ἡρώδην συλλαβέσθαι. Quid ſibi volunt in Ioſepho illa de Capidio & περὶ τῶν μονάρχων? Quis ille Capidius in Auguſti rebus adhuc ignotus? Quinam illi Monarchæ tā importuni? qui veluti regnare vellent ubique, ita ſe in illū locū οὐδὲν διαφέροντα, intruſerunt. Sed revera Monarchæ qui volunt hic videri, ne quidem notæ melioris ſunt, licet magis noti ſint quàm nobiles. Erant enim illi qui venalem ſuum ſanguinem in arenâ exponebant. Nam pro μονάρχας reſcribendum eſt μονομάχους, gladiatores etenim intelligit, & non reges. Non tamen fortaſſis gladiatores illos quos ſuggerant nobis è Dione Antonianos: quorum aliquot,

 ut

ut apparet millia, Cyzici Antonius alebat, & instituendos curabat πρὸς τοὺς ἐπινικίους ἀγῶνας οὓς ἐπὶ τῷ Καίσαρι ἄξειν ἤλπιζε. Hi intellectâ clade Actiacâ, ad Antonium in Ægyptum opem laturi properabant. Sed ab alijs & a Q. Didio qui florentes Augusti fortunas, deserto Antonio, sequebantur impediti, cùm progredi non possent, nec se Didio τῆς Συρίας ἄρχοντι dedere vellent, Antonium ad se accersunt, ὡς ἐν τῇ Συρίᾳ, ἄμεινον μετ' αὐτοῦ πολεμήσοντα. Sed cùm ab illo ne nuntium accepissent, inviti se tradiderunt, sub conditione, ne deinceps cogerentur μονομαχῆσαι; & ut Daphnem suburbanum Antiochenum incolerent, usque dum Cæsaris resciscerent voluntatem. Hæc de ijs Dio. Doctissimus Exercitator postquam Q. Didium istum perperam cum Decidio, aut Decidio Saxâ confuderat (nam Saxam Antonij Legatum victum prælio, occiderant Parthi: & hunc ipsum disertè Didium appellat Dio, non Decilium, aut Saxam) ait se dubitare, sed tamen eo inclinat, an pro Καπίδιος rescribere debeat, Κόϊντος Δίδιος. Sed miror hominem dubitare, cùm Iosephus ipse veram lectionem in hâc ipsâ historiâ alibi repræsentet: de bello, Lib. I. cap. XV. Διὸ γάρ μοι γράφει Βεντίδιος σε πεπομφέναι πρὸς τοὺς μονομάχους αὐτῷ. Omnino rescribendum igitur Βεντίδιος. Cujus nomen non erat adeo obscurum, ut ab ignoto tenebrione Capedio obscuraretur. Homo quippe erat admirandæ fortunæ; qui olim in triumpho ductus, postea triumphavit ipse primus postremus, solus de Parthis, quos sæpius victos internecione deleverat, occiso Pacoro Regis filio eo ipso die quo Crassum illi olim vicerant: quem præclarè de repub. meritum, publico funere Romani mortuum extulere. Non memoratur apud Historicos qui extant, quos ille gladiatores, ubi, ad quid, vel conduxerat, vel oppugnarat. Quid tum vero? In tam aperto testimonio Iosephiano, ubi nihil ἀνιστόρητον, acquiescendũ. Verum est, apud Dionem in narratione illâ de gladiatoribus, nulla occurrit mentio Ventidij. Certè nec Herodis ulla, cujus tamen merita, in illo negotio hic deprædicat Octavius. Videtur autem huic sententiæ, de Herodis operâ in illos Antonij gladiatores repugnare. Herodes ipse apud Iosephũ, qui profitetur, se nequaquam victum Antonium deseruisse, sed auxilijs & consilio juvisse: & demum nisi eo interempto non accessisse videtur ad Augustum. Non est ergo verosimile, Herodem, quod & Didius & alij fecerant, in partes Cæsaris transijsse, statim à devicto, sed ab occiso Antonio, ut in gladiatorum itinere impediendo, qui properabant ad Antonium, operã suam impenderet Herodes. Sed illud potiùs arbitror, vel juvisse Ventidium in comparandis gladiatoribus πρὸς τοὺς ἀγῶνας ἐπινικίους: vel in illis gladiatoribus, post excessum Antonij disgregandis conficiendisque. Οἱ μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ Μεσσάλου, Syriæ tunc temporis præfecto, ὕστερον ἀπατηθέντες ἐπέμφθησαν, ἄλλος ἄλλοσε, ὡς καὶ εἰς τὰ στρατόπεδα καταλεχθησόμενοι· καὶ ἐκ τρόπου τινὸς ἐπιτηδείου ἐφθάρησαν. Hoc consilium, fieri potest ut promoverit Herodes: in quo tamen quas partes habere poterat Ventidius ignoratur. Sed ista obiter & ex occasione. Postremò refellunt Cardinalem quæ leguntur in historiâ Eusebianâ, pag. 6. edit. Allobrogicæ, Αὐτίκα γοῦν καὶ Ὑρκανοῦ, (εἰς ὃν ὕστατον τὰ τῶν ἀρχιερέων περιέστη διαδοχῆς) ὑπὸ Πάρθων ληφθέντος αἰχμαλώτου, πρῶτος, ὡς γοῦν ἔφην, ἀλλόφυλος Ἡρώδης ὑπὸ συγκλήτου βουλῆς, καὶ Αὐγούστου βασιλέως, τὸ Ἰουδαίων ἔθνος ἐγχειρίζεται. Duo quidem hoc in loco per Eusebium statuuntur. Primum, beneficio Senatus & Augusti, Herodis illud regnũ in Iudæos ascribendũ. Secundum, eidem hoc regnum fuisse collatũ Hyrcano capto & in Parthos abducto. Itaque valeant hæc Acta quæ Baronius comminiscitur Antoniana, nunquam enim cuiquam in mentem olim venerant, quod ingenuè fatetur Torniellus ad annum Mundi 4051.

SECT.

SECT. VI.

Altera epoche regni Herodiani apud Iosephum. Indè vindicatur Iosephus à calumniâ Baronianâ de ædificato Templo. Scaliger & Torniellus æquiores. Nova apud Epiphanium epoche annorũ Herodianorũ. Eiusdem Patris locus de Nativitate Christi ineluctabilis. In parte tentat⁹. Augusti διαστροφὴ *ab excessu avunculi, ad rempub. occupatã. Epiphanius variè explicatus. Tentatus Epiphanius. Saalina, quæ Salome.*

EST autem in annis Herodianis enumerandis, altera ab hâc epoche, cujus etiam meminit in Apparatu suo, sect. CXII. Cardinalis, & cujus meminere dum eandem sequuntur eruditi. Ineunt autem illi rationem ab illo tempore, quo ἀνεῖλε τὸν Ἀντίγονον, cùm captis Hierosolymis, extincto æmulo, Senatus beneficio frueretur. Meminit Iosephus, & hanc sequitur aliquando: & propter hoc ipsum initium, leguntur illa non uno loco adjecta ab eodem in historijs, τῆς ὅλης βασιλείας. Antiquit. XV. cap. VII, Iosephus ait pugnatum fuisse ad Actium promontorium anno VII Herodiano: Ἐν τούτῳ καὶ τῆς ἐπ' Ἀκτίῳ μάχης συνισταμένης, Καίσαρι πρὸς Ἀντώνιον, ἑβδόμου ὄντος τοῦ Ἡρώδῃ τῆς βασιλείας ἔτους, σεισθεῖσα ἡ γῆ τῶν Ἰουδαίων &c. Iam verò ab initio Herodiano, quo, Calvino Consule cum Pollione, regnum ei Iudęorum assignatum erat, anni sunt decem, non septem: at à captis per Sosium Hierosolymis, & Antigono rege securi percusso per Antonium, anni planè septem intervenere. Ita patet Iosephum hoc in loco, ad secundum illum calculum respexisse. Captę sunt autem Hierosolymę anno urbis conditę DCCXV, die Iulij XVI, feriâ tertiâ, Agrippâ Consule & Canidio. Ita narrat Iosephus Antiquit. XIIII, cap. ult. Τοῦτο τὸ πάθος συνέβη τῇ Ἱεροσολυμιτῶν πόλει, ὑπατευόντος ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Ἀγρίππα καὶ Κανιδίου Γάλλου; ἐπὶ τῆς ρπε Ὀλυμπιάδος, μηνὶ γ, τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας. Quo die ipso ante annos XXVII à Pompeio prius capta urbs & direpta fuerat. Huc respiciebat Iulius Africanus, ubi illum ait regnasse annos 34. Hâc distinctione animadversâ, de duplici parapegmate regni Herodiani, eundem doctissimum & diligentissimum Historicum Iudæorum, ab alterâ Cardinalis Annalistæ accusatione vindicabimus, quæ licet alio loco, ad annum Servatoris 31, sect. 29. interponatur, non est tamen hoc ipso in loco alienior. Verba Iosephi sunt, Antiquitate XV. cap. 14. de tempore inchoatæ constructionis templi per Herodem. Τότε γοῦν ἐν τῆς Ἡρώδου βασιλείας ἔτει, μετὰ τὰς προειρημένας πράξεις, εἰς ἔργον τὸ οὐ τυχὸν ἐπεβάλλετο, τὸν νεὼν τοῦ Θεοῦ κατασκευάζειν. *Post hæc ita gesta & consummata, operi non vulgari se accinxit: nimirum ad construendum templum Dei.* Hæc ille: qui tamen videtur sibi ipsi contraria dicere. Nam in primo de bello, cap. 16. refert hoc ipsum ad annum non 18, sed 15 Herodianum. Πεντεκαιδεκάτῳ τῆς βασιλείας ἔτει, αὐτόν τε τὸν νεὼν ἐπεσκεύασε, καὶ τὴν περὶ αὐτὸν περιετειχίζετο χώραν. Hìc malitiosè vel imperitè vir Illustris, doctissimo Iudæo obloquitur, eíque manifestam injuriam facit: *In Iosepho ergò vacillat fides Historica, atque eo magis, quòd suâ ipsius sententiâ redarguatur: quippè qui priùs dixerit, cùm de templo ab Herode constructo ageret, vetus templum integrum esse demolitum, & aliud noviter esse constructum,* &c. tum post alia sequitur, *Sed etsi hæc dicere voluerimus, nihilominus Iosephus in eo corrigendus est, quod ait, Herodem anno decimo octavo sui regni auspica-*

tum esse ædificationem templi : nam secundùm dictum numerum quadraginta sex annorum, dicere opus esset, templum cœptum esse ædificari anno decimo quinto eiusdem regis, numerando scilicet, ab Actiacâ pugnâ, ex quo tempore annos Herodis eiusdem esse numerandos supra docuimus. Ista ille vir eruditus, nunquam non iniquior in Iosephum. Rectiùs vir doctissimus Iosephus Scaliger, qui utcunque sit in Eusebium & alios ex antiquis Ecclesiæ scriptoribus malè animat⁹ plerunque, & illorũ canitiem minimè revereatur, tamen neutiquam hoc in loco Iosephũ accusat incõstantiæ, quòd videatur sibi ipsi contradicere; tantùm monet, cautè notandi sunt hujus Regis anni apud Iosephũ. Nam in libris originum ait Herodem instaurasse templũ anno regni sui 18. At in Libris ἁλώσεως id tempus confert in annum xv. nimirum prius à sexto anno Iuliano, posterius à nono anno Iuliano, & Hierosolymorũ expugnatione. Hunc sequutus Augustinus Torniellus, ille æmulus diligentiæ Baronianæ, ita annũ mundi 4032 exorditur, *Anno sui regni decimo quinto : nimirum à captis Ierosolymis : qui erat decim⁹ octavus ex quo Romæ declaratus fuerat Rex, Herodes templũ Ierosolymitanum, vetere à fundamentis sublato, novum, ampliore ambitu ac maiore altitudine augustius cœpit ædificare.* Iosephum in historiâ & diligentissimè & veracissimè versatum esse, fatentur omnes, qui non sunt præiudicatis opinionibus iniquiores. Non tamen existimandum est, illum ita versatum, ut nullo modo, locove ab exactâ temporum serie, rerum gestarum veritate declinaverit. Οὐδ' Ἀσκληπιάδαις τοῦτο γ' ἔδωκε θεός. *Difficile enim videtur Iosephum*, inquit Torniellus, *ab aliquâ temporum confusione in gestis præsertim Herodis percensendis excusare :* sed & hæc errata vel levia sunt, vel à Librarijs & non ipso profecta, vel sunt aliorum, præsertim Cardinalis παρορέματα, & non aberrationes Iosephianæ. Ad hanc igitur accusarionem, quod attinet, ex sententiâ doctissimorum virorum, & secundùm veritatem ipsam respondemus, cùm duplex esset ratio annos Herodianos computandi : prior à concesso per Senatum; posterior à possesso diademate : is qui in uno loco priorem erat sequutus, in altero amplexus est posteriorem. Secundò, ut non ita esset rectè concepta ratio, tamen aliter diluere poteramus commentũ hoc Baronianum. Nam postquam in animũ introduxerat, hujus operis egregij restaurationem, ad annũ sui regni xv : de illâ cum sacerdotibus, & populo tractabat : quos cùm videret dubios & hæsitantes, quasi sumptibus & impensis nullo modo posset sufficere exolvendis, professus est, se non prius manum demolitioni admoturũ, quàm singula & omnia parata haberet & in promptu. Triennali spatio comparatis ita atque expeditis omnibus, anno sui regni xviii, demolitionem illam templi aggressus est. Neque hoc responsum aliundè quàm ab ipsomet Iosepho mutuamur, qui ῥήτως narrat de illo apparatu triennali, priusquam templum ipsum demoliretur. Scio viros eruditos hîc dissentire : sed futili cõmento innixi dissentiunt : ut fieri solet, ubi alter alterum ἀβασανίστως sequitur, non perpensis loci circumstantijs. Abutuntur illi sacrâ Iohannis Euangelistę authoritate, cap. xi. cõmate xx, ut docemus alibi. Sequuntur hunc calculum & alij præter Iosephũ. Rectè. Nam utcunque à Romanis donatũ sibi regnũ acceperat, Senatus consulto confirmatũ : erat tamen nõ re, sed titulo tenus Rex, quamdiu ab Antigono, Parthorũ copijs suffulto & potentiâ, excludebatur. Neque novum est aut insolens ut à diversis initijs regnum Herodis vel alicujus exordium capiat. Nam ipsius Augusti principatus à multis principijs arcessebatur, quod est à Cardinali in confesso positum. Transeamus autem a Iosepho paulisper ad

Epipha-

Epiphanium, quia sunt quæ narrat conjunctissima cum præsenti disquisitione. Tomo III. pag. CCCCXXXIX contra Antidicomarianitas scribit, Ἐν τῷ λγ. ἔτει τοῦ πρώτου Ἡρώδου τοῦ Ἀντιπάτρου, γεννᾶται ὁ σωτὴρ ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας· ὅπερ ἦν τὸ μβ. ἔτος Αὐγούστου βασιλέως. καὶ ποιήσας ἔτη β, λαμβάνεται ὑπὸ Ἰωσὴφ εἰς Αἴγυπτον, διὰ τὰ ὑπὸ τῶν μάγων τῷ Ἡρώδῃ εἰρημένα, τοῦ Ἡρώδου ζητοῦντος τὸ παιδίον. κάτεισι δὲ εἰς Αἴγυπτον, καὶ τελεῖ ἐκεῖσε ἄλλα δύο ἔτη, καὶ τελευτᾷ Ἡρώδης ἔτει λζ. *Ad annum* XXXIII *Herodis primi Antipatro geniti, Servator nascitur in Bethleem Iudææ; qui erat annus* XLII. *Augusti Imperatoris. Cùm verò esset duos annos natus, deportatur à Iosepho in Ægyptum, propter illa quæ a Magis Herodi dicebantur, Herodes autem quæreret puerum ut illum interficeret. Descendit autem in Ægyptum: atque alterum tum ibi biennium egit. Moritur autem Herodes, anno sui regni* XXXVII. Christum Dominum imprimis in lucem editum docet Epiphanius, anno Herodiano XXXIII: quem vult esse Augustalem XLII: cujus imperium à nece Iulij Cæsaris exorditur, vel saltem à sequenti anno

Quo cecidit fato Consul uterque pari,

cùm accessit Octavius ad rempub. Atenim, quem tandem sequutus est authorem Epiphanius? quam inivit rationem numerandi, qui ad annũ epochæ Herodianæ XXXIII, Natalitia constituit Iesu Christi? Primus enim annus Herodis secundùm hanc initam rationem, incidet in Consulatum Pompeij & Cornificij, qui sunt sexti Consules à Calvino & Pollione exclusivè. Quod si à Plautij & Augusti Consulatu numeremus, quem calculum observasse beatum Epiphanium doctissimo placuit Exercitatori: & certè verum est, tum in Consulatu M. Antonij, & Scribonij Libonis, urbis autem conditæ anno DCCXX, figenda fuit epoche Herodiana. Tot enim sunt ab Augusto & Plautio Coss. ad istos Consules anni numerati retrò ascendentes. Utcunque autem habere se dicantur ista, redit ad Baronium insolutus demum nodus, ipso, & non alio, vindice dignus: cur initia Herodiana referat Epiphanius vel in Consulatum L. Cornificij & Sex: Pompeij, urbis conditæ DCCXIX: vel in Consulatum Antonij & Scribonij Libonis, anno urbis conditæ DCCXX. quanquam M. Antonius, quod testatur Dio, eodem ipso die quo Consulatũ inibat, se abdicabat, & substituebat sibi successorem L. Sempronium Aratinũ. Cur autem Epiphanius solus, ex omnibus quotquot extant opinor, hisce terminis regnum Herodianum circumscripsit, vellem nos docuisset vir Illustris. Proculdubiò locus ille in mendo cubat: ut sexcenti apud doctissimum illum patrem. Inter alios, insignis ille, in eâ contra Alogos dissertatione, si quis alius, obscurus & perplexus, vel ut loqui amat Cardinalis, *scabrosus*: quem, licet longiorem, hic ascribam. Sic igitur Epiphanius pag. CXCIII. Γεννᾶται μὲν ὁ σωτὴρ τῷ μβ. ἔτει Αὐγούστου βασιλέως τῶν Ῥωμαίων· ὅπερ ἦν Ῥωμαίων πρὸς Ἰουδαίους συναφείας εἰκοστὸν ἔννατον ἔτος. Βασιλεύει μὲν γὰρ Αὔγουστος, πρὶν ἢ τὴν Ἰουδαίαν συναφθῆναι τελείως Ῥωμαίοις τεσσαρεσκαιδέκατον ἔτος. Ἦν δὲ καὶ ἐξότε ἐβασίλευσεν Αὔγουστος, μετὰ ἔτη τέσσαρα τῆς αὐτοῦ βασιλείας, πλείω ἢ ἐλάσσω, φιλία μὲν Ῥωμαίων πρὸς Ἰουδαίους, καὶ συμμαχία πεμπομένη, καὶ ἐπιτρόπου καθισταμένου, καὶ μέρη φόρων, ἐπὶ πέντε ἔτεσι πλείω, ἢ ἐλάσσω, ἕως ὅτου τέλεον παρεδόθη ἡ Ἰουδαία, καὶ ὑποφόρους γενέσθαι τελειότατα, ληξάντων τῶν ἀπὸ Ἰούδα ἀρχόντων, καὶ Ἡρώδου ἐξ ἐθνῶν κατασταθέντος, προσηλύτου μέντοιγε· εἶτα Χριστοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐλθόντος τε ἐπὶ τὸ κήρυγμα· ληξάντων καὶ Χριστῶν ἡγουμένων, διαρκεσάντων ἕως Ἀλεξάνδρου ἡγουμένου καὶ Σαλήνας τῆς καὶ Ἀλεξάνδρας. Ἀ' ἵνα ταῦτα πάντα ἐτελεῖτο, ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς γεννήσεως τῆς ἐν τῇ Βηθλεὲμ ἐν τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς πάσης βασιλείας Αὐγούστου, ὃς ἦν ἔννατος ἐνιαυτὸς ἀπὸ τῆς ἐπιτροπῆς Ἀντιπάτρου τοῦ πατρὸς Ἡρώδου, ὅτε φιλία ἦν Ῥωμαίων πρὸς Ἰουδαίους, καὶ μέρη δομάτων· καὶ τέταρτον ἔτος κατασταθέντος ὑπὸ Αὐγούστου. Vult docere Christum Iesum triginta annos natum, baptizatum à

Iohanne

Iohanne in Iordane; juxta beati Lucæ Euangelium: hoc eſt etenim τὸ συμπέρασμα, pag. 194. Καὶ ὁρᾷς ὅτι τριακονταέτης ἐστὶ χρόνος. Hoc ut probet, exactiſſimam init temporis rationem, illius à Nativitate Chriſti, uſque ad lavacrum in Iordane. Hoc inſtituit per Conſules ἐπωνύμους, annorum omnium & ſingulorum à Nativitate ſub Auguſto & Plautio, ad xv annum Tiberij Cæſaris. Nam Chriſtum ſtatuit incarnatum ſub Conſulatu Octavij Auguſti XIII. & Silani: quod rectè obſervatum ſect. CI. in Apparatu. Quem annum ita variè deſcribit συμπερασάμενος illa ipſa quæ deſcripſimus in præcedentibus. Μετὰ δὲ τὸ τέταρτον ἔτος Ἡρώδου, ἐπιτροπῆς τε πέντε ἐτῶν, πλείω ἢ ἐλάσσω, Ἀντιπάτρου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, λοιπὸν παραδοθείσης τῆς Ἰουδαίας τελείως, ἕως τριακοστοῦ τρίτου ἔτους Ἡρώδου, τεσσαρακοστοῦ δευτέρου ἔτους Αὐγούστου πληρώσαντος, κρατηθείσης τῆς πάσης Ἰουδαίας, ὡς ἔφην, μετὰ τὸ ποιῆσαι αὐτὴν εἰκοσιέννεα ἔτη ὑπόφορον Ῥωμαίοις, καὶ μετὰ τὸ καταστῆναι ἐπίτροπον τὸν Ἀντίπατρον Ἡρώδου πατέρα, μεθ' αὐτὸν δὲ Ἡρώδην βασιλέα καταστῆναι ὑπὸ Αὐγούστου ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας. *At poſt quartum Herodis annum, procurationis verò Antipatri ipſius parentis præter propter annos quinque, Iudæâ deinceps tota perfectè traditâ, uſque ad* XXXIII *annum Herodis, & Auguſti* XLII *completum* (fortè enim legendum potius πληρωθέντος) *ſubacta, quod iam dixi, univerſâ Iudæâ, poſtquam* XXIX *annos facta fuerat Romanis tributaria, & poſtquam Antipater, Herodis pater, fuerat conſtitutus Procurator: & poſtquam ipſemet Herodes per Auguſtum rex fuerat ſuper Iudæos datus, ſub Conſulatu Auguſti Octavij* XIII, *& Silani, hæc facta ſunt.* Non eſt alius locus magis illuſtris, ad ſanciendum παράπηγμα illud hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, de Nativitate Chriſti Servatoris. Et primò, Faſtos adeunti, perſpicuum eſt, ab anno Tiberij xv, Conſulatu duorum Geminorum inſigni, temporis decurſum eſſe τριακονταετῆ, ad finem Conſulatus Plautij & Auguſti: ut mirari ſubeat, accuratiſſimum Annaliſtam, hoc ipſum veriſſimum parapegma ſuſtuliſſe. Ille Conſulatus eſſe dicitur annus XLII Auguſtalis: & quidem τῆς πάσης βασιλείας: non à pugnâ ad Actium, ſed remotiore epoche; Conſulatu Hirtij nimirum & Panſæ. Interfectus erat Iulius Cæſar in curiâ Pompeianâ ad diem XV Martij anni præcedentis. Octavius ab Avunculo in Græciam miſſus; Apolloniæ, opinor, accepto nuntio de illius interitu, redit Romã, atque urbem ingreſſus eſt circa XI Aprilis ad XVIII ejuſdem menſis Neapolin venit, aditurus hæreditatem. Die XXII fuit apud Ciceronem: à quo non eſt ſalutatus Cæſar, cùm à ſodalibus ita & alijs nominaretur. Ad diem XI Maij, productus eſt à Cicerone in concionem. Nihil adhuc audimus præter hominis privati διατροφήν. Calendis Septembribus ad ſigna veteranos vocat: pecuniæ ſummam viritim repræſentat: & ad XXVIII Novemb. Romam venit. Sequenti anno, quo Panſa cum Hirtio Conſulatum gerebat, decrevit Senatus, ut unà cum Conſulibus Octavius contra Antonium rei gerendæ præeſſet. Quo anno, fundamenta futuri imperij jecit. Ab hoc anno ad exortum Servatoris anni ſunt præcisè XLII. Annum autem illum natalitium, aliter adhuc περιφράζει: quod eſſet Ῥωμαίων πρὸς Ἰουδαίους συναφείας εἰκοστὸν ἔννατον ἔτος. Quâ circumlocutione videtur annum Actiacæ victoriæ deſignare: cùm occiſo Antonio, αὐτοφονίᾳ ſuâ, confirmatũ eſt Auguſto Imperium ſoli. Nam à Conſulatu Plautij Silani, & Auguſti, tot ſunt omnino anni intercurrentes. Idque ipsũ non aliunde ἐξηγεῖται quàm quod deinceps ſequitur in Epiphanio: Βασιλεύει μὲν γὰρ Αὔγουστος τεσσαρεσκαιδέκατον ἔτος, πρὶν ἢ τὴν Ἰουδαίαν συναφθῆναι τελείως Ῥωμαίοις. Ab initio autem Auguſti prius poſito, ad illam victoriam ſunt anni XIII. Quid eſt autem τὸ, Συναφθῆναι τὴν Ἰουδαίαν Ῥωμαίοις τελείως; vult redactam tum Iudæam in provinciæ formam, & prorſus

conſtitutam

conſtitutam tributariam. Ita enim deinceps explicat: καὶ ὑπὸ φόρων (ſic enim lego) γεγένηται τελειότατα. Et in illa totius recollectione, μετὰ τὸ ποιῆσαι αὐτὴν εἰκοσιεννέα ἔτη ὑπόφορον Ῥωμαίοις. Non ab illâ epoche ad Natalitia, anni numerantur XXIX. Sed annon falſum quòd tum primum dicatur Iudæa ὑπὸ φόρων; cùm Pompeius captis, ante annos XXX, & quod excurrit, Hieroſolymis, tributum ijs imperaverat: & C. Caſſius, miſſus in Syriam ad perſequendum bello P. Dolabellam hoſtem judicatum, Iudæam affligeret φορολογήσας; Certè. Sed reddit ſententiæ ſuæ rationem Epiphanius, & dubium hoc tollit, dum accuratè diſtinguit, τελείως συναφθῆναι. Nunquam perinde atque eo tempore, ſic unitam fuiſſe & conjunctam Romanis Iudæam, hoc eſt, redactam in provincię formam, atque eo tempore fuit. Nam prius ab initio Auguſti, per quatuor annos, plures pauciorésve, erat φιλία Ῥωμαίων πρὸς Ἰουδαίους, καὶ συμμαχία πεμπομένη. Explicant hæc illã priorem Chronologiam: & illa viciſſim hæc illuſtrat. Nam omnino per quartum annum ab illo initio Auguſtali, rex Herodes Iudæorum ſtatuebatur. Interea temporis φίλοι cenſebantur eſſe Iudæi: ſui juris, & liberi relicti: & inter ſocios quaſi habiti, qui Romanorum duces in Oriente & Syriâ per illa tempora auxilijs juvabant: Quique ſuum habebant ἐπίτροπον & Procuratorem, regno adminiſtrando, adjutorem & authorem Hyrcano datum. Erat is Antipater, à Iulio Cæſare, cui præclarã navarat operã bello Alexandrino, conſtitutus. Quo munere defunctus ſexennium (nam error eſt quod ſequitur, πέντε ἐτῶν, niſi corrigatur illa ἐπανορθώσει, *plus minuſve)* & tum veneno ſublatus à Malco illo interfecto ἐπιστάδιει in Iudæâ Herodes filius; Caſſij primùm authoritate. Eo autem debellato, M. Antonij juſſu, annos quinque πλείω, ἢ ἐλάσσω, uſque dum in fine anni quo Calvinus & Pollio Conſules erant, regis titulũ à Romanis eſt adeptus. Hoc interea temporis ſpatio μέρη φόρων, vel δομάτων aliquando exigebantur. Caſſius exegerat plus quàm DCC. talenta argenti. Non autem quotannis, & quaſi de more, μέρη δομάτων exigebantur: ſed ſemel, fortè iterum. Quocirca tranſponenda in Epiphanio: καὶ ἐπίτροπος καθιστάμενος ἐπὶ πέντε ἔτεσι πλείω ἢ ἐλάσσω, καὶ μερφόρων ἕως ὅτε &c. Intelligit autem Pater amicitiam illam continuatã, quam ex Iulij Cæſaris voluntate primùm, icerant Romani cum Iudæis, poſt confectum bellum Alexandrinum. Ἔδοξε, ait Ioſephus, ipſa decreti verba recitans, συνθέσθαι φιλίαν καὶ χάριτας πρὸς αὐτούς, καὶ ὅσων ἐδεήθησαν τυχεῖν, ταῦτα αὐτοῖς παρασχεῖν. Unde confirmari fortè non ineptè queat illa lectio, quam ſubſtituendã aliquando pro πεμπομένη cenſuerã in Epiphanio, ut reſcriberetur, πεποιημένη. Sed nihil tamen muto, cùm certum ſit auxilia miſſa è Iudæâ ad Iulium Cæſarem: licet non ex pacto, quod erat poſterius his auxilijs: & ex illis auxilijs naſcebatur. Ἧκεν Ἀντίπατρος, ad Iulium Cæſarem, ἄγων Ἰουδαίων ὁπλίτας τρισχιλίους ἐξ Ἀραβίας. Hinc gratiæ illæ redhibitæ per Iulium Cæſarem: quod ipſum Auguſtus, apud Ioſephũ Herodi in faciem profitetur. Καῖσαρ Ὑρκανὸν μὲν ἀποδείκνυσιν ἱερέα, contra nimirum Antigoni factionem: Ἀντιπάτρῳ δὲ δίδωσι δυναστείαν ἣν αὐτὸς προαιρεῖται, ἐπίτροπον αὐτὸν τῆς Ἰουδαίας ἀποδείκνυσι. Sed anne poſtquam Rex Herodes declarabatur, deterior fuit conditio Iudæorum? Ita ſanè cenſuit Epiphanius: & quidem multipliciter deterior. Quia deficientibus ἐξ Ἰούδα ἀρχόντων, Alienigena Herodes, (nam gentilis fuit, contra delirium virorum eruditiſſimorum) licet proſelytus, regnum in Iudæâ capeſſivit. Quia tunc in provinciam τελειότατα fuerat redacta Iudæa: & non μέρη δομάτων, ſed φόροι quotannis imponebantur. Exiſtimavit enim hic Cyprius pater, Herodem regnare juſſum in Iudæâ ob illam ſolam cauſſam & non aliam, ut vectigalia Romana collecta, & tributa

repræſentaret. Ita primus forſan ſcripſit Appianus in v. τῶν ἐμφυλίων. Ἵστη δέ πη βασιλέας, οὓς δοκιμάσειεν, ὑπὸ φόροις τεταγμένους, Ἰδουμαίων καὶ Σαμαρείων Ἡρώδην. Et ab illo fortaſſe mutuatus eſt hoc commentum Epiphanius. Sed leviſſimus ſcriptor & vanus Appianus in iſtis mentitur: cùm Antonio id aſcribat, quod decreto Senatus fiebat. Tum quod Herodem regem datum mentiatur Idumeis & Samaritanis (lego enim Ἰδουμαίων. Nam quid eſt, Ἰδουμαίους.) Tertio quod affirmet datum regem ad tributa colligenda. Nullus enim regum huic muneri deputatus, in Hiſtoriâ Romanâ reperitur. Refellitur autem hoc commentum ex ſerie rerum ab Herode geſtarum. Ex operibus profuſiſſimæ magnificentiæ. Quod amicus & ſocius appellabatur. Quod de regnis & rebus ſuis diſponendis, teſtamento, ut ipſi placuit, diſponebat. Refellitur Ioſephi & Dionis hiſtoriâ: & quod omnia omnium teſtimonia ſuperat, ſacratiſſimæ ſcripturæ authoritate; quæ & Regem profitetur, non ὑποδίκιμον, ſtipendijs vel tributis colligendis deputatum; & Iudęorum appellat Regem, non autem Samaritanorum. Nondum τελείως erat ὑπόφορος, quia nondum principes defecerant de tribu Iudâ: quos aduſque Alexandrum duraſſe vult Epiphanius, & Saalinã, quæ & ipſa Alexandra vocabatur. Alexander iſte quem deſignat, qui & Iannæus vocabatur, Hyrcani prioris filius, à carcere, & ſqualore ad regnũ aſſumebatur, operã illi ſuam accommodante Alexandrâ, Ariſtobuli fratris majoris defuncti uxore: quam deinceps ipſe ſibi in matrimonio copulavit: quæ & ipſa, à deceſſu Alexandri regnavit in Iudæâ. Græci illã vocabant Alexandram: nam patriâ linguâ Salome dicebatur. Ioſephus in Antiq. XIII. XX. Τελευτήσαντος δὲ Ἀριστοβούλου, Σαλώμη ἡ γυνὴ αὐτοῦ, λεγομένη δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων Ἀλεξάνδρα, λύσασα τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, δεδεμένους γὰρ αὐτοὺς εἶχεν ὁ Ἀριστόβουλος, Ἰανναῖον τὸν Ἀλέξανδρον βασιλέα καθίστησι. Regnavit ille annos XXVII. poſt obitum ejus regnat annos VIII Alexandra. Ioſephus in fine lib. XIII. Antiq. cui ſucceſſit Hyrcanus filiorũ natu maximus, anno III Olympiadis CLXXVII. Conſulibus Hortenſio & Metello Cretico. Antiq. XIV. I. quinquennio ante captas Hieroſolymas per Pompeium, authore in Chronicis Euſebio. Quomodo hic jam defeciſſe narrat Epiphanius principes, *Chriſtos* ille appellat Domini, qui aduſq; Alexandrũ duraverant & Salinã. Dici fortè poterat poſt Alexandri obitũ defeciſſe: cùm mulierũ ratio nulla in Dei populo haberetur: & inter fratres Ariſtobulũ & Hyrcanũ armis decertabatur de Principatu. Quod Parthi à partibus Ariſtobuli, ſe infuderant in Iudæam: & Romani per Hyrcanum advocati, tributum ἐπὶ μέρους imperarent: Regem darent Hyrcanũ: & Antipatrum Idumæum ſub Procurationis titulo & prætextu, rebus præficerent Iudæorum. Sed hæc nihil prorſus ad Epiphanium: qui duraſſe vult Chriſtos Domini, hoc eſt, inunctos Reges, ad Alexandrum & Saalinam, ſive incluſivè, non refert, ſeu excluſivè: nam utrovis modo intelligatur, ſunt illi poſiti extra terminos ab Epiphanio conſtitutos. Deinde quæ ſequuntur apud illũ Patrẽ, quomodo conſtabunt? Ὃς ἦν ἔννατος ἐνιαυτὸς ἀπὸ τῆς ἐπιτροπῆς Ἀντιπάτρου, ὅτε φιλία ἦν Ῥωμαίοις πρὸς Ἰουδαίους; Annus ille nonus procurationis Antipatreæ non eſt, neque eſſe poteſt alius quàm XLII τῆς ὅλης Αὐγούστου βασιλείας: hoc eſt, annus Natalitius Ieſu Chriſti: qui annus, nec viceſimus nonus, nec triceſimus nonus fuit ἀπὸ τῆς ἐπιτροπῆς Ἀντιπάτρου, ſed planè XLIIII. Sunt iſta in Epiphanio, meo quidem animo, conclamata, neque ullo modo expedienda ſine auxilio codicum vetuſtiorum. Interea nihil vetat opinari: fruantur qui volunt conjecturis noſtris, quibus diſplicent, diſpliceant per me. Neque enim mihi ipſi ita placent.

Quid

Quid ergo ſi locum ita conſtituamus? Ἀπηξάντων χρίστων ἡγεμόνων, διαρκεσάντων ἕως Ἀλεξάνδρου ἡγεμόνος καὶ Σαλίνας τῆς καὶ Ἀλεξάνδρας λεγομένης. ἀπηξάντων δὲ καὶ τῶν ἀπὸ Ἰούδα ἀρχόντων, καὶ Ἡρώδου ἐξ ἐθνῶν καταςαθέντος, προσηλύτου μὲν τοίγε· εἶτα Χριστοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐλθόντος τε ἐπὶ τὸ κήρυγμα. Ἅτινα ταῦτα πάντα ἐτελεῖτο ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς γεννήσεως τῆς ἐν Βηθλεὲμ γενομένης ἐν τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς πάσης Αὐγούστου βασιλείας, ὃς ἦν τεσσαράκοστος ἔννατος ἐνιαυτὸς (quanquam ut dixi, erat XLIV.) ἀπὸ τῆς ἐπιτροπῆς Ἀντιπάτρου πατρὸς Ἡρώδου. Sed in his mihimet non ſatisfacio, nedum alijs. Quod ſcriptum Σαλίνας, dicerem corruptam eſſe vocem, niſi eadem alibi reperiretur apud Epiphanium, ſemel iterum uſurpata: Neque illum ſolùm, ſed inſuper apud Euſebium: & apud Hieronymum in Danielem. Neque novum eſt aut inauditum, optimos quoſque authores, in nominibus proprijs cùm variare, tum etiam falli, & hallucinari.

SECT. VII.

De exitu Herodis, nova Baronij, & prodigioſa opinio. Anacephalæoſis omnium de initio regni Herodiani. Sequelæ portentoſæ è prodigioſa opinione de exitu, & exactiſſimâ, ut loquitur, diligentiâ. Chriſti γένεθλια *fixa in Conſulatu Auguſti & Plautij. Herodes quando præpoſitus Galileæ. Quoto anno Herodiano, natus Chriſtus. Ioſephi vel Librariorum certus error, in annis regni Herodiani. Excuſatur. Baronij mutatæ ſententiæ, rationes futiles. De Caſſiodoro multa.*

ATque hactenus initia Herodiani regni conſtituta ſunto. Exitum Cardinalis illum infelicem, ſed juſtiſſimum, viri ſine omni controverſiâ nequiſſimi, crudeliſſimi, perditiſſimi, rejecit in annum octavum nati Chriſti Servatoris, quo Romæ Conſulatum è Calendis Ianuarij Lepidus & Aruntius inierant per tres ferè menſes decurrente, illorum magiſtratu. Hic eſt ille calculus Baronianus: novus planè in Hiſtoriâ, inauditus, & omni modo paradoxus; &, quod ponitur ab ipſo in confeſſo, contra ſententias omnium aliorum ſubintroductus. Quæ ne temerè καὶ ὡς ἔτυχε ab illo in Hiſtoriâ ſuâ conſtituta putemus ad annum Ieſu Chriſti octavum, ubi loco ſuo proprio diſputantur, rejicimur ad illa, quæ, ſi ipſi credimus, diligentiâ prorſus exactiſſimâ inveſtigavit, cùm de tempore Chriſti incarnati diſputaret; hoc eſt, ad illa, quæ hîc diſputantur in Apparatu. De quâ ipſius admodum exactâ diligentiâ, quod ad initium pertinet regni Herodiani, jam nunc in præcedentibus diſquirebamus: & eam planè deprehendimus prodigioſam, &, ut illam olim Africam multorum monſtrorum parentem. Initum ei regnum ſolus arbitratur, ab Actiacâ Auguſti victoriâ. Sed cùm duplex ſit epoche Actiaca, non exprimitur in Apparatu, ab hac an ab illa deduci debeat hæc chronologica conſtitutio. Vult Herodem præpoſitum Galileæ, natum annos tantummodò quindecim fuiſſe: vitam eundem prorogaſſe ad ætatis annum LXX, & regni triceſimum ſeptimum: hoc eſt, Conſulatum Lepidi & Aruntij. Sed imprimis illorum Conſulatus, non poteſt ad hunc modum Herodi fatalis eſſe, niſi Conſules aſcriptos Natali Servatoris, extra octo iſtos annos excludamus. Niſi iterum in annis XXXVII annumerandis, & illos, & etiam Conſules Au-

guſtum & Meſſallam, hoc eſt, primam epochen Actiacam includamus. Ita excluſivè incluſivè ἀναμίξ, & prout ſe tulit impetus ſcriptoris, anni numerantur in Apparatu. Addendum tertiò, ſi modò, quod contendit vehementer Cardinalis, non niſi XV annorum erat Herodes, cùm à patre Galileæ præficeretur, tum omninò fatalis illi annus ſtatuendus, non ſub Conſulatu Lepidi & Aruntij, novennio decurrente, ab ortu Servatoris, ſed ad tres ulterius annos comperendinandus: Conſulatum ſcilicet Camerini & Sabini, inſignem clade illâ Varianâ. Non XLVIII anno, ſed LI, τῆς ὅλης βασιλείας Augusti Cæſaris. Sequetur indè, Archelaum Herodis ſucceſſorem, qui novem totos annos concedente Cardinali in Iudæâ fuerat, principatu præditus ab exceſſu parentis, vel quatuor ſolos, ad ſummum quinque regnaſſe annos in Iudæâ, vel non ab Auguſto, ſed Tiberio Cæſare relegatū Viennam in Gallias, & miſſum Cyrenium δημοσιώτην & ἀποτιμητήν. Nam à clade Varianâ ad exceſſum Auguſti, anni quinque neque integri interveniunt. Hæc & alia ſunt πορίσματα & conſectaria, exactiſſimæ diligentiæ Baronianæ: quæ non ille monſtra producet in hiſtorijs, cùm vel parum ſit ſollicitus, & negligenter agit, vel ſciens volenſq; διαστρέφει. Res eſt profectò Chronologica denſiſſimis tenebris obſita, atque involuta, & ut plurimis impedita, ita quibuſdam inextricabilibus difficultatum labyrinthis, in authorum præſertim veterum tantâ penuriâ & paucitate, qui olim cum ſummo rei literariæ diſpendio deſiderantur. De Herodianis annis, regni initijs, exitu ejuſdem, & rebus geſtis, multi in multas, & quidem diverſiſſimas ſententias abiere. Baronius cæteros omnes ὑπερακοντίζει, qui & primus & ſolus, totos octo annos Chriſto nato ſuperſtitem confinxit. Sunt qui ſupervixiſſe volunt quadriennio. Alij ſupponunt biennij ſpatium: nonnulli ſemeſtre: plures trimeſtre non amplius imaginantur. Nonnulli, ſed inviti credo, & aliud agentes, ante Chriſtum in lucem editum, hunc componunt cum patribus ſuis inter plures. Sed in confeſſo ponitur, & debet poni apud Chriſtianos, eo vivo & regnante editum in lucem Servatorem. Hoc enim conſtat è Matthæo. At nuſquam proditur apud ullum Euangeliſtam, quot annos huic Natali ſupervixerat: & veritas κεῖται ἐν ἀποκρύφοις. De totâ autem hâc ratione, & termino regni Herodiani, dicemus σὺν θεῷ δ' εἰπεῖν in loco ſuo proprio & ἀποκειμένῳ. Nunc ad annum certum & fixum, Herodiani regni initi, & propagati, conformanda τὰ θεμέλια & figenda ſunt. Conſtat è Lucâ, ut recolligamus diſperſa priùs, Chriſtum Ieſum cùm baptizaretur à Iohanne in Iordane, inchoaſſe ætatis annum ſuum triceſimum περί που, ante dies totos duodecim. Conſtat ex eâdem illâ Hiſtoriâ ſacra incidiſſe hunc ipſum annum in XV imperij Tiberiani. Annus ille, quod ponitur apud omnes in confeſſo, inſignis erat Conſulatu Geminorum, Rubellij & Fuſij. Erat annus DCCLXXXII, ab urbis Palilibus primis. Ab hoc anno ita fixo & conſtituto recolligamus retrò XXX annos, & incurrent τὰ θεμέλια in Conſulatum Auguſti XIII, cum M. Plautio Silano ad diem, quod dicemus XXV Decembris, cùm poſt dies VIII in initio anni novi Conſules Coſſus Lentulus, & Calphurnius Augur, magiſtratū τὸ ἐπώνυμον eſſent ingreſſuri. Secundùm hæc parapegmata in Hiſtoriâ Romanâ, annos regni Herodiani ſtatuamus apud Ioſephum. Erat annorum XXV cùm Galilææ præficeretur, vixit ad annos LXX. Currebat ille annus LXX, ſub Conſulatu Lentuli, ut volunt, & Meſſallini, qui ad ſequens feſtum Paſchalis, ſub Auguſto & Plautio complebatur, cùm diriſſimis tormentis excarnificatus animam fœtidam efflaret & crudelem. Sed revera producendus illi ſpiritus

adhuc

adhuc ultra, ad Consulatum Cossi, & Pisonis. Nam non est prępositus Galileæ, Consulibus Caleno & Vatinio, anno urbis DCC. & VII: sed sequenti anno, Iulio Cæsare tertium cum M. Lepido obtinentę Consulatum. Scio bellum Alexandrinum superiore anno confectum. Hyrcano collatum à Cæsare Iudęorum principatum: Antipatro Iudæę procurationem datam: sed confirmata hæc omnia sequenti erant anno. Non credidisset Herodi Galilæam Antipater, nisi certus ipse de suâ procuratione. Neque statim, & ab ipsis initijs: quod necesse factum ab illo fuisset, si à Consulatu Caleni & Vatinij, principatum illum & præfecturam arcessamus. Quocirca rectè eruditissimus χρονογράφων Sethus Calvisius, pręfecturam hanc Herodianam, in illorum, quos dixi, retulit Consulatum. Hinc anni LXX vitæ Herodianæ exitum suum sortientur & συντέλειαν sub Consulatu Cossi & Pisonis per tres aut quatuor menses inchoato, cùm per idem spatium ἐνσαρκωθεὶς Dei λόγος, & quod excurrit per XII dies (natus quippe sub Augusto & Silano,) matri suæ virgini in cunis abblandiret. Erat annus ille regni Herodiani, vel tricesimus nonus, vel etiam tricesimus sextus. Nam duplex est initium, ut supra docuimus, regni Herodiani. Prius à Consulatu Cn. Domitij Calvini II, & C. Asinij Pollionis, anno urbis DCCXIII, aut XIIII: quo factum illud Senatus consultum de regno eidem conferendo. Posterius à Consulatu M. Vipsanij Agrippę, & L. Caninij Galli, urbis conditę DCCXVII aut XVI, anno Iuliano nono, cùm in plenam concessi regni possessionem, per Sossium Antonij legatum deduceretur, Hierosolymis expugnatis, & Antigono αἰπικειμένῳ decollato. Discrepant, scio, numeri Iosephiani. Namque is doctissimus Iudæorum Historicus, a concesso regno numerat annos XXXVII, & XXXIIII ab inchoato, & possesso. Sed profectò consistere non possunt ista, cum ijs quæ necessariò statuuntur ex historiâ sacrâ. Nam utcunque benignissimè cum illo agamus, & annos illos inchoandos exordiamur, à Paschate sequenti renunciationem vel adeptionem, quod subsidium in caussâ comparavit doctissimus Sethus Calvisius è vetustâ Iudæorum consuetudine, illi tamen anni determinabuntur Consulibus Lentulo & Messallino, cùm nondum, ne juxta rationes Baronianas, Iesus Christus in lucem editus fuerat, qui non nisi sub finem illius anni nascebatur. Omnino erratum est à Iosepho: & viri eruditi jampridem correxere λθ, pro λζ. & λς, pro λδ. Sed fortassis non admittet hanc sive benignitatem, seu διόρθωσιν Historicus ipse, cùm 37 illis annis inchoandis ascribat præcisim, & disertis verbis Consulatum Calvini & Pollionis: & alteri initio 34 annorum, exertim Consulatum Agrippæ & Caninij: ita vel παρόραμα est vel παρεγχείρημα, quod codices istos Iosephianos ab omni retro antiquitate insedit. Non tamen ille lapsus sive error, Iosephi ipsius vel Librariorum tantis erat tragœdijs & vociferationibus per Annalistas excipiendus. Cùm Historici interdum laxiùs loquantur, nec solliciti sint de numeris ad perpendiculum exigendis. Præsertim cùm in illo parapegmate de anno XXV, cùm Galilæę præponeretur, exactissimam tenuerit veritatem. Non enim numerati LXX anni, ab illâ epoche terminantur, nisi sub Consulatu Cossi & Pisonis, cùm biennium Servatori decurreret, nato sub Lentulo & Messallino, quod vult Baronius: quadrimestre autem spatium, edito in lucē sub Augusti & Plautij, quod verum est, Consulatu. Hanc veritatem olim sibi propositam & propugnatam in editionibus primis, transfuga & desertor excussit in posterioribus Cardinalis. Cur tandem? en egregiam rationem: *Cassiodoro*, inquit, *potiùs acquiescimus:* scilicet quàm

Epiphanio,

Epiphanio, Tertulliano, Panvinio, alijs. Cur autem potiùs Caſſiodoro? Ratio mirifica & invincibilis redditur, & planè ut ἀνάγκη, ἀδήριτος. *Quòd Caſſiodorus homo Romanus erat.* Nimirum, qui de Nativitate hominis Iudæi, è ſemine Iacob, domo David, meliùs quàm quivis alius, quàm Epiphanius, licet eſſet ille Iudæus, ſententiam rogatus proferret. Ita genium & ingenium Romanũ, veritas quæcunque particularis, de nato aliquo & in lucem edito ſequitur, non Græco, vel Aſiatico aëre natum. Neceſſe fuerat Romanam linguam prærogativâ donatam in titulo Crucis, & Romanum quoque hominem præeminentiâ in anno Chriſti Natali eruendo. Ut periculum ſit, ne de Fide ſit & certum deinceps declarandum, hominem quemvis Romanum, Romanâ linguâ loquentem ſcribentemvè, nedum Romanum Pontificem, in aliquem errorem incidere non poſſe. Sed ille habuit τὶ θεῖον. Nam *& homo erat Romanus, & in omni genere literarum excultiſſimus.* Quì verò ſic noſti, vir erudite? Nam, credo, multa ignoravit: & barbaro ſatis ſæculo vivebat. Nec in omni genere ſcientiarum, & illo quem vocant literarum circulo Caſſiodori ſudavit diligentia. Fatemur cum Cochlæo, habere illum pietatis & eruditionis ſuæ certiſſima argumenta, in ſuis ſuper Pſalmos commentarijs. Probitatem, prudentiam, juſtitiam, integritatem, dignitatem, & variam eruditionem, è varijs & epiſtolis agnoſcimus. Non tamen hæc pertingunt ad, *Omni literarum genere excultiſſimus:* nedum ut Epiphanio antiſtet vel Tertulliano. Multò minus ad illam, quam vir doctiſſimus ſupponere debet αὐτοπιστίαν, ut in illius ſententiam ab aliorum omnibus pedibus eamus; etiam mutatâ priori, æquè ſaltem probabili, opinione. Levitatem & inconſtantiam mirabuntur, ridebunt εὐήθειαν naſutiores, qui non ignorant, illo longè doctiores, in rebus longè graviſſimis, etiam periculosè interdum erraviſſe. Inter veteres Eccleſiæ proceres, nulli unquam in majoribus rebus, & de Fide frequentius & gravius erraverunt, quàm illi qui ad res ſacras tractandas acceſſerunt, ab omni literarum genere τῶν ἔξωθεν excultiſſimi, & etiam ad miraculum eruditi. Clemens ὁ πάνυ, ὁ στρωματεύς. Origenes, Tatianus, Tertullianus, Euſebius, Arnobius, Lactantius, alij. Quodſi huc accedat, fuiſſe Caſſiodorum in re Chronologicâ verſatiſſimum, ut *qui non tantùm Faſtos compoſuerit Conſulares, ſed & librum etiam ſcripſerit de Paſchali computo,* tamen ne ſic quidem ſatis erunt iſta valida ad ſententiam Cardinalis immutandam, deducendamve. Nam te rogo, vir judicioſe, in eorum tu ſententiam continuò concedes, qui benè & eruditè de re ſubjectâ ſcripſerint, & propoſitam ſibi materiam eruditè & cum laude expediverint? Quid ſi de eodem ſubjecto, quod non rarò fit, benè ſcribant & luculenter, qui contrarias ſibi invicem defendunt, & contradictorias opiniones? Satiſne compoſuiſſe Conſulares Faſtos, ad rerum omnium & ſingularum exactiſſimam cognitionem? Conſulares Faſtos ſcripſit Onufrius: & in hoc argumento tam verſatus eſt egregiè, ut palmam non ſoli Caſſiodoro præripuerit, ſed merito etiam ſuo *Pater Hiſtoriæ* audiat à Scaligero. Caſſiodorum certè multis ille paraſangis poſt ſe relinquit. Ille tamen diſſentit à Baronio: vel ab eo potiùs receſſit, temerè ſatis & inconſideratè Cardinalis. Quàm convenienter & è dignitate ſuâ, judicent qui intelligunt quid velit, qui pronuntiat, *Re tamen ipſa diligentius inveſtigatâ, in illius ſententiâ acquieſcas oportet, qui erat imprimis in his verſatus.* Quodſi erat eruditus: erat etiam & Panvinius. Si homo Romanus: an non & Panvinius? Erat omni literarum genere excultiſſimus, & harum rerum callentiſſimus, & omnimodam Hiſtoriam profeſſus & complexus: non

tamen

tamen Onufrio, nedum Eusebio præferendus; quem ubique deserit tamen, & sine scrupulo, quemadmodum & Iosephum Cardinalis. Puderet virum eruditum & intelligentem harum ineptiarum. Sed ita est, Cassiodorus personã in hâc scenâ gerit inimicã. Non ad illum Cardinalis ex aliquo intuitu eruditionis, aut peritiæ harum rerum, sed ad Ecclesiam Romanã, ad nævos & errores illius Ecclesię, etiam non de Fide, etiam nequaquam fundamentales aut periculosos, adhærescit. *Non aliter*, Cassiodorus, *quàm Romana profitetur Ecclesia.* Vel ergo nuperrimè, & à priori Annalium editione hoc professa est mater Ecclesia Romana: vel nesciebat Cardinalis illam istius professionem per illud tempus: vel non multum de illâ professione erat sollicitus: sed correptus forsan mutavit sententiam, & illi adhæret professioni. Quid Ecclesia Romana teneat hìc & sentiat, haud equidem scio. Non est hoc in Concilio Tridentino definitũ. Fortasse contrarium sentiet deinceps & tenebit illa Ecclesia; tum quid fiet isti Apparatui? An Ecclesia Romana per ætatem Cassiodori, hoc ita senserit tenuerit: an Cassiodorus de Fide vel credulitate, an de opinione praxim Romanam amplexatus sit, Tu nos doceas vir erudite. In Chronico suo annotat ad Consulatũ Lentuli & Messallini (quem tamen ille tuus omni literarum genere excultissimus, perperam & corruptè Messallam appellat) *His Consulibus Dominus noster Iesus Christus Dei filius in Bethleem nascitur, anno Imperij Augusti* XLI. Quid si autem loco suo motam dixero hanc annotationem? Et relatam ad annum non suum? Tu refelles statim, quia annum Augustalem assignat XLI. At quid si dicatur scripsisse XLII non XLI, ut per erratũ Librariorũ & incuriam, vel exciderit ἰῶτα unum, vel etiam periodus ipsa loco pulsa & dejecta fuerit? Longè majora hoc, errata deformarunt Chronicon Eusebianum. Hujus autem generis, sexcenta penè. Neque sartum satis tutum est Cassiodori effatum. *Sub Consulatu Iulij Cæsaris quinto, & M. Antonij*, quo anno nimirum Cæsar occisus est, ille tuus excultissimus, & accuratissimus Cassiodorus appingit, Octavianum Cęsarem successisse. Satis imperitè. Deducit enim imperium Augustale, à nece Iulij Cæsaris, non à repub. occupatâ. Addit autẽ, *regnavit annis* XLVI, *mensibus sex. Per quæ tempora* (inquit, ut ne decipiamur) *fuerunt isti Consules.* Quæ quàm exactam & eruditam observent temporis initam rationem, Fasti docent, & vel pueri sciunt: à nece Iulij Cæsaris ad Augusti excessum anni interveniunt integri LVII. Qui tam insigniter lapsus est, non debet αὐτόπιστος existimari. Certè erravit Cassiodorus, positâ illa Epoche apud beatum Lucam; & errantem, ipse errans, Cardinalis sequitur: qui cùm olim κλῆσιν ἐπεῖχεν, nunc ἔξω τῆς ὁδοῦ, ab omni veritate, aberravit. Sed satis de initio, & annis Herodianis.

EXER-

EXERCITATIO XI.

Sect. I.

Ætates quædam mundi. Post Christum, sexta. Novissimi dies. Quoto anno mundi Christus natus, variatum. Pagani nonnulli, non tam longè errarunt iu annis mundi, quàm Christiani quidam. LXX *Ecclesia Dei sequitur apud Bar. id est, Romana: contrà Barradas. Cùm Patres* LXX *sequantur, undè tanta diversitas in numeris. De Editione Rom.* LXX. *Theophili calculus ab alijs, à se dissentit. Cypriani, Clementis, Hieronymi, Augustini: recentiorum è Scripturis. Eusebius de* ἀπογραφῇ *falsò postulatus. An & quatenus cum Epiphanio, &c. consentit. De illo sibi contradicit Baronius.*

QVemadmodum homo, minor ille mundus, ita rerum quoque universitas, suas certas ætates & terminos sortitur. Infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, virilem, maturam, victam & decrepitam ætatem, renovatam denuò & reflorescentem. Αὐτὴ γὰρ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Terminos ætatum istarum contraxere nonnulli, & spatijs minoribus easdem concluserunt: sed tamen usitatissima est, ab Augustino prodita & usurpata distributio Temporum. *Prima ætas,* inquit ille, *tanquam dies primus, ab Adam usque ad Diluvium. Secunda, inde usque ad Abrahamum, non æqualitate temporum, sed numero generationum. Denas quippe habere reperiuntur. Hinc iam, sicut Matthæus Euangelista determinat, tres ætates usque ad Christi subsequuntur adventum: quæ singulæ, denis & quaternis generationibus explicantur. Ab Abraham, usque ad Davidem una. Altera inde usque ad transmigrationem in Babylonem. Tertia, inde ad Christi carnalem generationem. Fiunt itaque omnes generationes quinque. Sexta nunc agitur, nullo generationum numero metienda: propter id quod dictum est, Non est vestrum nosse tempora. Post hanc, tanquam in die septimo requiescet Dominus, cùm eundem septimum diem, quod nos erimus, in seipso Deus faciet requiescere. Hæc septima erit Sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, velut octavus æternus,*

qui

qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solùm spiritus sed etiam corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus & videbimus. Videbimus & amabimus. Amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Hactenus beatus Augustinus, *de Civitate Dei*, libro & capite ultimis. Sextam autem illam ætatem, *Novissimos dies*, &, *Novissima tempora*, Scripturæ vocant. *Erit*, inquit Propheta, *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*; Esaiæ 11. Quæ ipsa descripsit in suam etiam Prophetiam Michæas, Esaiæ contemporaneus, cap.4.1. *Novissimos dies*, ait Iulianus Toletanus, *Prophetæ, Micheas & Esaias, illos, credo, intellexerunt, qui in illo regno, deficientibus de stirpe Iudâ Principibus, Novissimi approbati sunt*, Lib. 1. adversus Iudæos. Christum editum in lucem illa sextâ ætate constat. Imò Christum θεάνθρωπον in lucem è Virgineo utero prognatum, & cum hominibus πολιτευόμενον, & in cœlum denuò redeuntem, initium illi ætati dedisse, constat, quam non modò Prophetæ olim veteres, sed Apostoli quoque *Horam novissimam* appellant, *Novissimos dies, Novissima tempora*, 1 Timoth.4. 1. 2 Timoth.3.1. & 1 Iohan.2. 18. Per illam sextam & novissimam mundi ætatem, cùm Romanorum Imperatorum secundus Augustus, & Iudæorum primus Rex alienigena Herodes res administrarent, Verbum illud æternum, æterno Patri coæternum, descendit de coelo καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Quotus verò annus agebatur ab ætatis primæ primo principio, Adamo protoplasto, *cùm Stella de Iacob, Lumen gentium* oriretur, Res est, ut verissimè observabat eruditissimus Baronius sect. XCVIII. in Apparatu, *In qua sudarint & alserint, cùm antiquorum, tum etiam recentiorum ingenia.* Non solummodò ob eam caussam, quòd prisci Græcorum & Latinorum Annales, omnia fabulis intecta & involuta prodiderint. Quòd, ante (recens institutum Herculis vel Iphiti) Olympiadas, nihil certi & indubitatæ fidei ferebatur, sed temporibus vel ἀδήλοις, vel μυθικοῖς omnia offuscabantur. Quòd Ægyptij apud sacerdotes suos, Chaldei, Phryges, alij, nescio quot annorum millia vel myriadas comminiscebantur, & majorum suorum res gestas per illa etiam tempora commemorarent: Sed quòd illi qui ductorem sequuti sunt, aut ex parte sequebantur, saltem sequi poterant Spiritus Sancti loquentis in Scripturâ, in varias & inter se multum discrepantes sententias abierunt. Indignè hoc ferendum in tantâ luce divinarum literarum, cùm Pagani, quos Varro sequebatur apud Censorinum, tempus illud mythicon, à Cataclysmo, quem illi Ogygium vocabant, ad primam Olympiadem, annos circiter 1600 numerarent. In quâ quidem ratione, non plures annos quàm LXXX aberravere, cùm in epochâ Constantinopolitanâ, ut observat Scaliger doctissimus, per annos 1559, termini à Mose definiti, à conditis rebus ad diluvium usque Noachi, excedantur. Cúmque Paulus Orosius nobilissimus ille rerum Christianarum Historicus, ab ortu rerum numeret, ad res per Christum reparatas, annos 5199. Isidorus in Originibus, 5220. Nicephorus, 5520. Callistheni Chaldæos percontanti de suis originibus, respondisse illos fertur, habere se memoriæ mandatos, mille nongentos tres annos, ad captam per Alexandrum Babylonem. Non longè abfuere à veritate: ut mirum sit, Christianos modum omnem & mensuram adeò excessisse. Apparatus affirmat veteres Patres in ratione ista ineundâ Septuaginta Interpretes sequutos esse: & Dei ecclesiam, non Hebraicos codices sed illorum Græcos expressisse. Sed per Dei ecclesiam, Romana videtur intelligenda. *Sciendum*,

 inquit

inquit Anaſtaſius Sinaita, *aliter computare Hebræos, & aliter Eccleſiam Romanam.* Quorſum verò codices Hebræos illos, Dei quæ fuit Eccleſia deſerebat? *Nam aliter vulgatus Interpres,* ait Barradas, *aliter* LXX *Interpretes annos computant.* Et vulgatum illum, tantum non adorat Romana Eccleſia: ſed adjecit moleſtus, & importunus Ieſuita: *Vulgati, Hebræis codicibus conſentiens, ſupputatio & ſequenda, huiuſmodi eſt.* Apertè ex oppoſito, vulgati calculus & Septuaginta. Benè autem habet quòd ſequenda contra LXX. vulgati Interpretis ſupputatio: & quòd conſentiens Hebraicis codicibus ſit ſequenda. Spes eſt enim fore Eccleſiam illam quæ olim ſequebatur, Cardinali opinante, LXX virorum interpretationem, ſed ab illa receſſit, quia vitioſa deprehendebatur, à cæteris aliquando ſimillimis erroribus receſſuram, & veritati manus daturam. *Amen.* Sed cùm tranſlatio illa olim ſaltem fuerit una, undè factum ut inter priſcos Patres, vulgato Interprete vel antiquiores vel non eo uſos, tanta prorepſerit in annorum ratione ineundâ, diverſitas? Magnam illam nobis oſtendit Cardinalis, inter illos qui leguntur in Apparatu poſiti, ſect. CXIX. Non ſufficiunt illa in eadem ſect. *Antiqui Patres, licet diversè inter ſe, ob diverſitatem Græcorum codicum & interpretationem numerent* &c. Quæ enim tanta codicum diverſitas eſſe potuit, ut tantam anomaliam procuraret? Fugit me ratio, quî fieri potuit, ut qui duces eoſdem ſequerentur, per anfractus viarum tam diverſos, à ſe invicem tantoperè diſterminarentur. Quæro enim, num remotæ ſint, aut poſſint ſaltem omnes illæ difficultates removeri, & labyrinthi expediri, quæ olim occuparunt ſcripta veterum, poſtquam Sixti Pontificis quinti beneficio, & Antonij Cardinalis Caraffæ bibliothecarij diligentiâ, tandem Græcam,Septuaginta duorum Interpretum editionem,penè antiquatam,in lucem hæc ætas vindicavit? Num vetuſti ſcriptores illi, qui debebant errores ſuos tot tam immanes depravatis codicibus Septuaginta duûm, ſi ab Editione Romanâ Caraffæa vixiſſent, ſententias ſuas diſconvenientes refinxiſſent, & in unã aliquam probabilem, veritati viciniorem, conſpiraſſent? Dicant hoc qui poſſunt, dummodo poſſunt probare quod dicunt. Utilem ſanè operã & laudandã imprimis, editores illi Romani Bibliorũ Græcorũ, impenderunt. Sed non tamen per omnia ſatis fecerunt: non errores omnes ſuſtulerunt: nec ſe purã putam Seniorũ illorũ verſionẽ reſtituiſſe, doctiſſimi illi viri diligentiſſimíque, inter quos, niſi fallor, longè eruditiſſimus, & Illuſtriſſimus Cardinalis poſtea, Syrletus enituit, nobis aut vobis fidem fecerint. Theophilus Antiochenus, ſextus in Petri ſucceſſione, ab ortu mundi, uſque ad obitum L. Veri, cùm ſederet ipſe, intercurriſſe ait annos 5685. Certè cœpit ſedere paulò ante obitum illius Veri, authore in Chronicis Euſebio. Quod ſi verũ ſit; ſcripſit illos libros ad Autolycũ, factus jam Epiſcopus Antiochenus. Quicquid ſit, hoc certũ eſt, non eſſe illam ſupputationem apud Theophilum, quam ab illo ait initã in Apparatu. Ὁμοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου συνάγονται τὰ πάντα ἔτη εχϟε, καὶ οἱ ἐπιτρέχοντες μῆνες, καὶ ἡμέραι. Vertunt ſic: *Ac univerſum tempus uſque à condito mundo, ad mortem Veri Imperatoris, habet annos 5695, præter menſes & dies ſuperabundantes.* Non conſentit ergo Theophili interpretatio. Sed nec ipſe ſibimet Theophilus conſentit, ubi colligit ſummatim annorum mundi calculum ab exortu ad obitum L. Veri. A condito, inquit, mundo ad diluvium numerantur anni 2242. Inde ad ortum Iſaci Patriarchæ, 1036. Ab Iſaco ad mortem uſque Moſis, 660. Ab exceſſu Moſis ad Davidis mortem, 498.

Indè ad Babylonicam μετοικεσίαν 518, menſes 8, dies x. A Cyri regno ad exceſſum Veri 744: annorum ſumma 5498, quibus ſi addantur 70 illi captivitatis, erunt 5568: qui numerus non aſſurgit ad 5685, multò minus ad illam ſummam, quam deinceps Theophilus proſcribebat, in loco per Cardinalem allegato. Cyprianus ſequitur in Apparatu: qui cum eoſdem adhiberet LXXII Interpretes, tamen, immane quantum, Theophilum poſt ſe relinquit. *Sex millia annorum planè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat.* Apud Cyprianum legitur, *penè iam complentur.* Sed nihil refert. Nam ſive *planè* ſeu *penè* hìc reſtituatur, nimis quantum hæc ſumma Cyprianea, illam alteram Theophili excedit. Scripſit illam ad Martyrium exhortationem Cyprianus, anno Chriſti 255, ſi nos non fallat in Annalibus Cardinalis. Quàm ſummam ſi detraxeris à 6000, ſupererunt anni 5741. Clemens deinceps ille πολυμαθὴς in primo Stromatum pag. 145, ab Adamo ad Diluvium annos recenſet 2148. centum ὡσεὶ annos minus quàm Theophilus: tamen eoſdem ſequebatur 70 Interpretes. ἀπὸ δὲ Σὲμ ἕως Ἀβραάμ (an ab ortu Sem: an egreſſu ex arcâ, non conſtat) annos numerat 1250. Ab Iſaaco ad diviſionem terræ Chanaan, 616. Indè ad Samuelem vatem 463, & menſes 7. Exindè ad captivitatem 572, menſes 6, dies 10. Indè ad Actiacam pugnam 547, & dies 18. Indè ad Commodi exceſſum 222, & dies 22. Annorum ſumma juxta Clementem 5819, menſes 2, dies 4. Non ut Cardinalis in Apparatu, 5784. Hieronymus in epiſtola ad Titum ait, *Sex millia nec dum noſtri orbis complentur anni.* ὡσεὶ tamen. Et ille nihilominus Hebræorum videtur rationes ſecutus, apud quos, ne quinque millia potuit reperire. *Ex ſacris literis ab inſtitutione hominis*, ait Auguſtinus, *nondum completa annorum ſex millia computamus.* Ferè tamen, videtur intelligere. Ita ille de Civit. Dei XII. X, cum Hieronymo conſentit: at quatenus cum Clemente, viderit Apparatus. Epiphanius Cyprius, contra Manichæos, ab Adamo ad annum acceptabilem, hoc eſt, Ieſu Chriſti baptiſmalem, recenſet 5509. alter Epiphanius in ſecundâ Nicænâ Synodo, Natalem Domini rejecit in annum 5001. Liceat ergò cum Baronio pronunciare, Vix eſt ut in re iſta Chronologicâ duos è vetuſtis authoribus in unâ & eâdem ſententiâ concordes, reperire poſſis, qui tamen ſequebantur LXXII. *Hodie verò doctiſſimis hominibus*, inquit eruditiſſimus Scaliger, *qui multum ſtudij ad hæc diſcutienda poſuerunt, per omnia convenit, in intervallo à conditu rerum ad exodum, ab exodo item ad captum Sedechiam.* Qui enim accuratè rationem horum temporum putarunt, ab Adamo ad exodum annos ponunt abſolutos 2453. Hinc ad captum Sedechiam, annos abſolutos 907. Summa à conditu rerũ ad Sedechiam captũ, anni 3360 præcisè. Atque hæc collectio certiſſimis innititur ſacræ ſcripturæ teſtimonijs: Anni qui ſequuntur non ſunt adeò certi; viri eruditi ſupponunt 588, ut ſumma conſurgat ab exortu mundi ad natum Chriſtum, annorum 3948, Conſulatum Lentuli & Meſſallini: reverà ad ſequentes Conſules, 3949. A Diluvio illo univerſali, anni ad Natalem numerantur 2293. Ab egreſſu Iſraelis è terrâ Ægypti, 1496. à conditu Templi Salomonis, anni 1018. Erat autem annus tertius per menſes quinque ὡσεὶ, Olympiadis 193. Nam Olympiades ab æſtivo ſolſtitio exordium ſuum ſumebant. Per Olympiadas Græcorum omnia ſe clariùs demonſtraturum pollicitus Vir Illuſtris in Apparatu, in Euſebij ſententiâ acquieſcit: *Id enim*, inquit, *Euſebius ſentit.* Ita ſcilicet ἀποδείξεις hic depromit. Cujus viri authoritas, ſi ac eſſet apodictica, in alijs, hoc tamen

in loco non est problematica. Nam, quæ viri doctissimi est incogitantia, de errore admisso per Eusebium, hoc ipso in loco nos admonuit. Nam Quirinij descriptio, quæ eodem anno fuit, quo nascebatur Iesus Christus, per Librarios divulsa est à Nativitate: & Nativitas ipsa rejecta, sicut oportuit, in annũ tertium illius 194 Olympiadis: ἀπογραφὴ autem in secundum. Sed nulla est declaratio fide digna, nedum ἀπόδειξις, Eusebius ita sentiebat, ergo ita erat. Multò minus, *Ita sentiebat*, propter descriptionem anno secundo positam. Quidni etenim Eusebius æquè ac Iosephus, vel ut illi qui Herodem Regem, non libenter aut consulto consilio, tamen ante natum Servatorem de vitâ sustulerunt, contraria scriberet Euangelistæ, atque ita ipse per se, Quirinij illam τὴν ἀπογραφὴν à Christi divelleret Nativitate? Non hoc pronunciarem de doctissimo viro. Interim cùm illud aliud agenti contingere queat, quàm necesse est luxatæ sint rationes Baronianæ? Non hoc affirmo, inquam, contrarium statuo cum Apparatu potiùs, & ita contrarium, ut ne quidem Librarijs hanc accusationem, sive potiùs sit calumnia, impingam. In meo certè codice animadverto τὴν ἀπογραφὴν, ad annum Servatoris Natalitium, non ad præcedentem, nedum divulsam, annotari. Viderit ergo Cardinalis Illustrissimus, quâ fide incuset incuriam Librariorum. Eusebius autem refert, quod jam dictum est, Natalem Servatoris in annum non secundum sed tertium ejusdem 194 Olympiadis, id quod, non quemadmodum Annalista noster, ex ipso authore demonstrabo. *Colliguntur*, inquit, *omnes ab Abrahamo anni, usque ad Christi Nativitatem, duo millia quindecim.* Adi jam numeros Eusebianos, & annus ille, non, quod reris, ex Eusebij sententiâ in secundum Olympiadis 194, sed in tertium incidet. Neque ista redduntur, vel reddi possunt clariora, utcunque accuratissimè expendantur, quæ scripsit alibi idem author, de anno xv Tiberiano, incidente in annum quartum Olympiadis cci. Eusebius in Chronico, ita statuit, fateor. Quid verò statuerit Lib. x τῆς προπαρασκευῆς cap. 3. dicant illi qui quicquam de hoc negotio, & hac quæstione scriptum invenerunt in Porphyrio. Concesso tamen quod pronuntiat Cardinalis, non sequitur, quod inferre vult è concessis: nimirum ex sententiâ τοῦ Παμφίλου, natum Iesum Christum secundo anno Olympiadis 194. reminisci etenim debuerat xv Tiberiani imperij annum, Consulatum verò Geminorum Fufij & Rubellij, respondere partim anno quarto Olympiadis cci, partim verò primo ccii Olympiadis. Inierant enim Consulatum, currente anno ultimo τῆς cci Olympiadis, à Calendis Ianuarij: abierant autem magistratu in fine anni (quanquam alij intereà suffecti sunt à Cal. Iunijs: sed non erant ἐπωνύμοι) currente à Iulio Olympiadis ccii, anno primo. Regredere verò ad annum Natalem Olympiadicum; invenies autem, præter spem, Dominum natum tertio anno Olympiadis 194 currente, sub Consulatu Plautij & Augusti. Inæqualitas anni Olympiadici ad annum Romanum, inęqualem tibi calamum reddebat Baroni, & baptismũ Iesu Christi, ad completum xxx deducit, qui, tricesimo ineunte, peragebatur. Nec benignius aut fœlicius cum Eusebio agitur, ubi ad sect. ciii, in Apparatu discutitur, quoto anno Augustali nascebatur Iesus. Eusebius quid in hâc causâ sentiebat manifestissimè proposuit lib. 1. hist. cap. 5. vel, ut in Græcis habetur, 6. Ἦν δὲ ἦν τὸ δεύτερον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος τῆς Αὐγούστου βασιλείας. nempe τῆς ὅλης. Nam sequitur, Αἰγύπτου δὲ ὑποταγῆς, καὶ τῆς τελευτῆς Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, ὄγδοον ἔτος καὶ εἰκοσὸν, ὁπηνίκα ὁ σωτὴρ καὶ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ἐπὶ τῆς τότε πρώτης ἀπογραφῆς, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου τῆς Συρίας, ἀκολούθως τῆς περὶ αὐτοῦ προφητείαις, ἐν Βηθλεὲμ γεννᾶται τῆς Ἰουδαίας. En terminum Augustalem

Nati-

Nativitatis: non alium quàm qui est Epiphanij, quem authorem diversę sententiæ facit Apparatus, à suâ & Cassiodori, quam, si ipsi credimus, propugnat & tuetur, ὁ τῦ Παμφίλε. Epiphanius statuit annum Augustalem XLII: eundem statuit Eusebius disertis verbis. Illi tamen differunt apud Cardinalem: apud cæteros oēs non dissentiunt. Sed differentes tamen facilè conciliat ὁ Πολυΐςωρ Cardinalis: nam à nece Iulij Cæsaris numerare solet annos Eusebius Augustales: cùm deducat à Pansæ & Hirtij Consulatu, Epiphanius. Itáne verò, à Pansæ consulatu, vir erudite? Non oportet te hoc asserere, si tute tibi ipsi vis constare. Nam statim Epiphanius cum authoribus censetur, qui Eusebium sequuti, numerant annos Augustales à nece Iulij Cæsaris. Et ne singulos recensendo te fatiges, proponitur axioma quod est καθόλε, *Quotquot antiqui scriptores dixerunt, Christum natum anno* XLII *Augusti Cæsaris, videntur à nece Iulij Cæsaris numerare.* Hoc tam falsum est profectò, ut nihil queat esse magis. Et ut verum esset, tum auferendum est ab Apparatu illud, Epiphanium esse authorem sententiæ diversæ ab Eusebio & Cassiodoro. Nam secundùm Epiphanij rationes istas, XLII annus Augustalis, in Lentuli Consulatum cum Messallino incidet, & non in Augusti XLIII cum Plautio Silano. Unde ergo tibi constat, vir erudite, Eusebium auspicari annos Augustales à nece Iulij Cæsaris? è tuis rationibus, hoc est, merâ opinione, constat. Nam constat contrarium ex Eusebio. Ponitur etenim Octavij ingressus ad annum secundum Olympiadis CLXXXIIII. At hoc factũ est, inquis, per errorem Librariorum. Audio. Sed tu id undè rescìscis? Regnavit Augustus annos LVI & menses VI, inquit Eusebius eodem loco. Quòd si deducas hoc, *Regnavit,* à nece Iulij Cæsaris, erunt integri anni LVII, & præterea menses VI. Et certè non debuit ab interitu Iulij Cæsaris initium deduci Octavianum. Nam ut verè advertit Alfonsus Salmeron, *Cùm Cæsar occideretur, non imperabat.* Sed & Consulatus erat penes M. Antonium collegam Cæsaris, qui parricidas bello persequebatur. In sequenti anno, cùm in prælio Mutinensi victus fugeret Antonius, Consules ambo Hirtius & Pansa, unus in acie, alter paulò post, ex vulnere interiere: fraude, ut putabatur, Octavij. Brutus tum & Cassius, cum cæteris Cæsaris interfectoribus, odio populi laborabant. Hic jam Octavius, odio M. Antonij, inductus, commendatus, laudatus, armatus à Cicerone, ad remp. accessit capessendam: & factum ita est, ut viginti annorum, ὤν, juvenis, in sequentem annum Consul designaretur. Sed numeri Eusebij non sibi constant: neque de ingressu, accessu, progressu Octavij benè habent: ut mirum sit severissimum Animadversorem hoc in loco prorsus ἐχεμυθεῖν. Verùm Cardinalem refellit Cardinalis ipse, paulò post. Nam Iosephus inter eos censetur Authores qui Augusti annos à nece Iulij Cæsaris deduxerunt. Ratio istius assertionis est, quòd eundem dicat imperasse annos LVII, sex menses, & dies aliquot. Quod idem nisi cum Iosepho senserit Eusebius, (quicquid affirmetur in caussâ per Cardinalem) constat omnino, Eusebium & Iosephum non esse in eâdem classe reponendos. Multo minùs Epiphanium hisce aggregandum; quem vir idem doctissimus, ideò quòd anno Augustali XLII. in lucem editum affirmet Servatorem, inter illos reponit, qui à nece Cæsaris initium Octavij deduxerunt, & Lentulum Consulem cum Messallino, Servatoris ascribunt Nativitati. Miraberis, opinor, uti dixi, Lector, eundem virum qui fecerat Epiphanium alterius sententiæ authorem, quàm erat Cassiodorus sect. C. in Apparatu, in eodem ipso suo Apparatu sect. CIV. quasi

sui

ſui oblitum, Epiphanium ijs annumerare qui Lentulum agnoſcunt & Meſſallinum Conſules, tum cùm Ieſus Chriſtus naſceretur. Scio Epiphanium inſiſtere in anno XLII Auguſtali. Et tamen de eorum Conſulatu idem vir conſtantiſſimè pernegavit. Nam Auguſtum & Plautium aſcribit Faſtis, idque ipſe modò dederat Cardinalis, cúmque illos aſcribat Nativitati Conſules, deduxit annum Auguſtalem XLII. (vel adi Lector Faſtos, & numerum inito) ab illo anno & non alio, *Quo cecidit fato Conſul uterque pari.* Mirabilis in omnibus Annaliſta, ſed malè ſuccedunt iſta τερατώδη. Rationem porrò annectit unam, alteram, cur a Cæſaris interitu Octavij initium ſit deducendum. *Erat enim hæres*, ait, *inſtitutus.* Sed parum ſolida, ſi non & ridicula ratio. Primùm enim non erat Avunculo hæres ex aſſe, ſed tantùm ex dodrante Octavius, ex quadrante L. Pinarius, & Q. Pedius. Tum non illi Rempub. legavit Cæſar, ſed rem privatam, res ſuas. In familiam nomenque adoptavit Octavium: Sed quod de regno ſcripſit & putavit Cardinalis, ſomnians illud non vigilans opinabatur. Loquitur autem hìc non aliter quàm ſi Octavius in domo natus eſſet regnatrice, & fundato, per aliquot ſucceſſionum ſeries, imperio. Non feciſſet autem Cæſar, utcunque poterat; expectabat enim ipſe filium, è Calphurniâ uxore, cui dedit Curatores teſtamenti ſui tabulis & Tutores. Secunda autem ratio olet prorſus ἐμβροντήτως, & erat ſanè digna ab alio quovis, quàm viro tam illuſtri & erudito, uſurpari. *Ab eo tempore inchoari eius viſum eſt imperium, cum ſuprema & omnium maxima Poteſtas ei collata foret, ſenatu illum armante in Antonium.* Quæ eſt autem illa ſumma poteſtas? Imperium ne, an Conſulatus? Dictatura, an perpetua poteſtas Tribunitia? Hanc non dixeris, illam nunquam habuit. Imperium non erit: nam de Imperio quæritur, & identicam in aliquâ re probationem, eruditorum filij, imò ne ſanorum, admittunt. Conſulatus erit igitur. Et certè illam dignitatem intelligebat. Sed hìc meminiſſe oportet, Conſulatum nihil habere commercij cum imperio: neque enim Conſules erant Imperatores: nec præditi imperio ſemper Conſules. Secundò non fuiſſe teſtamento legatum ab Avunculo Conſulatum. Adeptus eſt illum de poſt-facto: quanquam non tam adeptus eſt, quàm extorſit armatus Senatui invito, nec audenti reluctari. *Conſulatum viceſimo ætatis anno invaſit*, verba ſunt Tranquilli, *admotis ad urbem hoſtiliter Legionibus, miſſiſque qui ſibi nomine exercitus, depoſcerent.* Extorſit ergo: & XX ætatis anno extorſit. Hoc ſignatè Suetonius. Natus eſt Octavius M. Tullio Cicerone, & C. Antonio Conſulibus, anno urbis DCXCI, ad diem IX Calend. Octob. Ab hoc autem anno, ad necem Cæſaris anni ſunt XVIII, non plures. Ille autem agebat XX annum, cùm poſt extinctos Hirtium & Panſam, Conſulatum ſibi & Q. Pedio fratrueli extorqueret: quo mortuo, & Octavio abdicante, ſuffecti C. Caninius & P. Ventidius Baſſus. Quòd ſi ab arreptâ hac poteſtate, numerum Imperij Auguſtalis iniverit Cardinalis, biennium penè integrum intervenerat ab occiſo Cæſare ad Calendas Septembres hujus anni, quo non ordinarium geſſit, ſed ſuffectum Conſulatum cum Q. Pedio. Iuſſus eſt quidem Octavius eo ipſo anno, prius à Senatu, procurante Cicerone, exercitui præeſſe comparato: & cum Hirtio atque Panſâ Conſulibus opem afferre D. Bruto, contra M. Antonium: ſed pro Prætore, non pro Conſule, nedum Conſul. Neque aliter M. Brutus apud Ciceronem, quem advocat in partes Baronius, intelligendus. De Conſulatu loquitur, quem vi extorſit: quem Cal. Septemb. adeptus eſt, illo anno quo Hirtius & Panſa occubuere, non quo Cæſar

occiſus

occisus est in Senatu. Et hoc ipsum habemus in confesso positum, quod mireris, sectione sequenti, *Hirtio & Pansâ in bello desideratis, idem Octavius invasit Consulatum.* Nisi ergo hoc priorem gerebat Consulatum, de quo Fasti silent, Consulatus ille, quem, non injuriâ timebat apud Ciceronem M. Brutus, non erat alius. Qui non debuerat confundi tam inconsideratè, & ad utrumque annum, Cæsaris illum, hunc Consulum clade insignem, referri tam imprudenter. Certè duplex est initium imperij Augustalis. Prius ab exercitu comparato. *Annos undeviginti natus, exercitum privato consilio, & privatâ impensâ comparavi*, ait ipse in lapide Ancyrano. Alterum, ab extorto Consulatu. Non est unius integri anni intercapedo. Tertium licet addamus ab Actiacâ victoriâ. Cujus tamen duplex habetur Epoche: vel ab eo anno quo victus Antonius cum Cleopatrâ: vel à sequenti, quo occubuit Antonius cum Cleopatrâ. A devicto Antonio anni sunt 29 currentes: ab interfecto 30. Atque hæc differentia animadvertenda est, in annis Augustalibus, à comparato exercitu in fine anni quo Iulius Cæsar est occisus: ab inito Consulatu Calend. Septemb. sequentis anni: ab Actiacâ victoriâ, vel Ægypto subjugatâ, in quibus Epochis non una vice peccavit vir Illustris in Apparatu. Omisit autem quartam quandam rationem, celeberrimam & per omnes provincias pervagatam, à VII, vel, ut alij numerant, VI *Consulatu*, quem cum M. Agrippâ collegâ gessit, ad annum urbis conditæ DCCXXVII, aut DCCXXVI: Cùm Imperium illi à Senatu confirmaretur, & daretur nomen Augusti, ad VII Idus Ianuarias. Lapis Narbonensis apud Lipsium in primo Annali Corneliano, VII *quoque Idus Ianuarias, quâ die primum Imperium Orbis Terrarum auspicatus est, Thure, Vino, supplicent.* Id quando contigerit, & quo modo, docet Paulus Orosius. *Cæsar Victor ab Oriente rediens, octavum Idus Ianuarias, urbem triplici triumpho invectus est. Hoc die primùm Augustus consalutatus est. Atque ex eo die summa rerum ac potestatum, penes unum esse cœpit & mansit, quod Græci μοναρχίαν vocant.* Videndus autem pater Romanæ Historiæ Panvinius, vir longè doctissimus, in commentarijs ad secundum librum Fastorum: à quo sua omnia transcripsit per plagium Iustus Lipsius, nunquam Onufrio compellato, id quod aliàs solet, rigidissimus in alijs ipse reposco. Natus est ergo, ut concludam omnia, Augusti anno XLIII, à nece Iulij Cæsaris, Iesus Christus. A primo ejusdem Consulatu, XLII. A devicto Antonio, anno XXX. Ab interfecto, XXIX. Ab imperio confirmato, & titulo Augusti acquisito, XXVI. *His igitur*, ait Cardinalis, *quæ ad annum Natalis Domini pertinent stabilitis, superest, ut de mense & die quibus natus est, narrationem instituamus.*

SECT.

SECT. II.

Ordo Cardinalis laudatus, & progressio, ab anno ad mensem & diem Natalem. Iniquior in illum Casaubonus: & in rem ipsam. Scaliger, quem laudat, sequitur, non audiendus de quæstione. Ejus inepta argumentatio: Scriptura non docet, ergo non fuit in usu. Item, variatum est de, ergo falsum. Theophania, Epiphania &c. Festa sanctorum Cathari damnant. Destomachatio in eorum factionem. Epiphanius explicatus. Item Euangelium de Herode. Notatus Casaubonus. De Natali multa. Applicatio ad quæstionem è beato Maximo. Tria reprehendunt Novatores. Eorum distractæ opiniones inter se.

OMnino autem laudandum est clarissimi Baronij institutum, & illa rerum narrandarum observata series, quâ in Apparatu sect. cxx, ὁδῷ βαδίζει, ab anno Servatoris Natalitio, ad mensem & diem constituendum, Quo, *Virgo quem conceperat, Virgo peperit, & permansit Virgo*, quod scitè & verè dixit sanctus Leo. Non tamen debet præteriri, cùm Conceptio & Nativitas Præcursoris Domini conjuncta sit & connexa Nativitati ipsius Domini, Exercitatorem flagellasse Cardinalem Annalistam, *curiosâ*, uti loquitur, *observatione diem Conceptionis Baptistæ inquirentem*, qui tamen paginâ statim consequenti, eundem reprehendit, de Conceptione Christi Iesu, non adeò diligenter satagentem. Vellem magis perspicuè rem tantam explicuisset. Quæ est hæc morositas vir erudite? Et tamen *Benignam*, si Deo placet, *sui traducendi materiem præbet Baronius, cùm non contentus annum & mensem conceptionis Iohannis Baptistæ tot notis insigniisse, etiam certum diem designat:* octavo Calend. Octobris fuisse conceptum post æquinoctium. Petulanter, & importunè. Et cur non Consules appositos, & Olympiadem designatam, & annum Augustalem additum reprehendit? Si conceptum Iesum Christum fateri velit, quo tempore celebratur Conceptio in Ecclesiâ, non nimium certè aberravit Baronius, *cùm sanctissimus Gabriel*, beatissimæ Virgini annuntiaret, *Ecce cognata tua Elisabet, & ipsa concepit filium in senectute suâ: Et hic mensis, sextus est illi quæ vocatur sterilis*. Diem non designat ita certum Cardinalis, quasi mordicus ad illum adhæreret: sed tantùm conjecturâ probabili investigat; fœlicius quàm si, *Elegantem Iosephi Scaligeri adhibuisset observationem*: quæ, summo supercilio & αὐθαδείᾳ, commendata, incertissimis subnititur, quod in loco dicemus, fundamentis. Certè credendum est naturam ὁδῷ βαδίζουσαν, in conceptione Baptistæ, obtinuisse. Sextus mensis agebatur ad diem Martij 25, cùm annuntiaret θεοτόκῳ sanctissimus Gabriel εὐαγγέλιον. Sextus ille mensis à Septembri decurrebat: & cur non ab ejusdem die 25? Credit hoc Ecclesia: jam olim credebat. Tu & Scaliger, qui, quanti, quos relictâ Ecclesiâ, adoremus? Scilicet hoc Scriptura Baronium non docuit. Apage nugas Atellanas: & nugatorem nugacissimum. Praxis Ecclesiæ hoc illum docuit, cui cur non assurgant & submittant fasces universa natio Novatorum. Scriptura non docuit

docuit Scaligerum, *elegantem illam obſervationem ſuam.* Sed Scriptura non repugnat Baronianæ illi aſſertioni. Scriptura non docuit, non docet, non docebit omnia in uſu & praxi Eccleſiæ frequentata. Non in illum finem ordinata, inſpirata fuerat, ut omnia doceret, αὐτολεξεὶ, vel etiam inſinuaret, quæ recepit, admiſit, adhibuit Eccleſia. Catharorum in hoc ipſo ridenda eſt fatuitas. Sufficit illa αὐταρκῶς & αὐτοτελῶς ad finem ſuum: ut *Perficiatur homo Dei in omni opere bono.* Ut, *te cognoſcant unum verum Deum, & quem tu miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ut, *Teſtimonium perhibeant de Te, ſcrutandæ ſunt Scripturæ.* Cætera quid ſi non ordinaverint? Satis eſt ſi quod in vita communi uſurpatur, Scripturæ magiſterio non contrarietur. Undè hauſit Ioſephus Scaliger, ad annũ periodi Iulianæ 4710, ephemeriam Abiæ, numero inter xxiiii octavã, miniſterium iniviſſe die xxi Iulij: unã fuiſſe è xxiiii illã ephemeriam: fuiſſe numero octavã illã ephemeriam, Scripturâ docet? Zachariam etiam cenſitum in ephemeriâ illâ: ſed illã octavã Abiæ ephemeriã ad diẽ Iulij xxi vices ſuas iniviſſe, quod ponit Scaliger, nec Scriptura docet, nec Euangeliſta inſinuat, nec ratio ſuadet, neque verũ eſt. Et tamen χθεσινοὶ Theologi, Literatores è ſcholâ Ariſtarchæâ, quaſi pro imperio Critico, obſervationẽ Eccleſiæ, ſaltem Occidentalis, imò Græcę & Romanę, quod ipſemet fatetur Exercitator, quâ per multa ſæcula Prodromi Natalis ad diem Iunij 24 celebratur, non ſolùm concutere audent, ſed & convellere, & exemplo pręire magno & Illuſtri illi hominũ nationi, qui nihil fixũ & immotũ, ſartum tectũ nihil, in uſu & praxi eccleſiaſticis ferre poſſunt: ſed omnia ad Canonas Iſagogicos Scaligerianos amuſſitanda, ad Animadverſiones corrigenda volunt, vel pro ſua futili temeritate ſurſum potiùs & deorſum agitanda. In hanc ſententiam concludit vir eruditus, *Quare nihil vetat quo minus ſalvâ reverentiâ* (& quomodo ſalva?) *quæ priſcæ debetur Eccleſiæ, de veris ſanctorum Natalibus hodiéque poſſit quæri.* Liceat, nimirum, ut cuicunque diſquirere, reluctari, refigere omnes, omnium, omnino in Calendario ſolennitates: ut quiſque ſtatuat, quiſque id agat, quod videbitur ipſi æquum, bonum, verum, utile, & denique è re ſuâ. Quo confuſio incumbat in res ſacras: aut, quòd potiùs reor, ut ſanctorum memorijs detrahatur, quo tandem, quod Puritani velint, & magno optaverint emptum, de Eccleſiâ penitus aboleantur. Miror illum literis hoc mandare auſum, & quæ ſequuntur, in illâ Eccleſiâ quæ Μαρτύρων τιμαῖς ἐπιτέρπεται, καὶ ἀθλητῶν αἵμασιν ἐπαγάλλεται, ut cum beato Nazianzeno loquar. *Variatum eſt olim ſententijs & praxi, de Natali menſe & die Servatoris.* Quid tum verò ſi variatum? Sed quomodo & quatenus nos dicemus. Etiam & de graviſſimis ſanctiſſimæ Fidei capitibus: de divinitate Ieſu Chriſti, & naturâ humanâ, variatum. Sed tamen, de illo die & menſe, non tantopere variatum ſententijs, non tamdiu, inter tot, & tales, ut rentur, Eccleſiaſticarum ſolennitatum maſtigas. Hanc quæſtionem Cardinalis Annaliſta contentus ſilentio involviſſe, rem pauciſſimis expedivit, dum vetuſtiſſimarum Eccleſiarum Græcę & Romanæ conſenſum perſtringit tantùm, non explicat aut illuſtrat. Nam & diem menſis Decembris xxv tantummodo conſtituit, & totum illud, *An aliquis eiuſmodi dies feriatus in uſu apud Chriſtianos eſſe debeat*, omiſit. Prodierunt autem diſputatores novi, ſtulti fortaſſis, certè imperiti, ſi non improbi, qui cum Petrobruïſianis apud Bernardum: cum Waldenſibus apud Guidonem in ſummâ, & Wickleſiſtis apud Waldenſem, omnia feſta tollunt & abominantur, nec in uſu patiuntur eſſe apud Chriſtianos: tanquam Iudaiſmũ redolentes: & tanquam laceras,

ut loquuntur, Papiſmi lacinias, foras ejiciunt, & amandant in Morboniam: eamque ob cauſſam, ipsâ Natali luce Servatoris aratra ducunt, agros ſtercorant, lodicinam exercent, negotia tractant, omnia ita tranſigunt, quaſi qui de induſtriâ diem cuperent illum profanare; magno & mirabili myſterio, & æterno beneficio conſecratum. At viri μεμψίμοιροι, & παντοσοφομάστιγες, meminiſſe debuerant, Diem à die, quod Siracides obſervat, non differre, cùm eodem omnes ſole illuminentur: nihilominus ſe legiſſe quoſdam Dominum Deum, & ſibi, modo addictos peculiari, conſecraſſe. Ideò, quod obſervat non uno in loco Nazianzenus, Ἄλλη μὲν ἄλλῳ πανήγυρις. Ἑορτάζει μὲν Ἰουδαῖος, ἀλλὰ κατὰ τὸ γράμμα. Τὸν γὰρ σωματικὸν διώκων νόμον, εἰς τὸν πνευματικὸν νόμον οὐκ ἔφθασεν. Ἑορτάζει δὲ καὶ Ἕλλην, ἀλλὰ κατὰ τὸ σῶμα καὶ τοὺς ἑαυτοῦ δαίμονας. & orat. VI. Τί δὲ τὰ ἄχυρα πρὸς τὸν σῖτον; Nos enim dies feſtos etiam obſervamus. Sed ὡς δοκεῖ τῷ πνεύματι. Qui paſſim multus eſt in eandem ſententiam; quemadmodum & cæteri Patres. Vide Auguſtinum de Civit. Dei, lib. x. cap. IV. Sed locus non eſt hoc in loco, λόγον λόγῳ ἐξετάζειν. Id quod factum eſt, Hiſtoria docet: non rectè factum, vel paucis perſtringit vel non omnino. De Natali Chriſti θεανθρώπου, quis non libenter audiet Nazianzeni præconium? Χριστὸς γεννᾶται. δοξάσατε. Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν. ἀπαντήσατε. Χριστὸς ἐπὶ γῆς· ὑψώθητε. ᾄσατε τῷ Κυρίῳ πᾶσα ἡ γῆ. Καὶ ἵνα ἀμφότερα συνελὼν εἴπω, εὐφραινέσθωσαν οἱ οὐρανοί, καὶ ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, διὰ τὸν ἐπουράνιον εἶτα ἐπίγειον. Χριστὸς ἐν σαρκί· τρόμῳ καὶ χαρᾷ ἀγαλλιᾶσθε. Hæc ille & plura ad eundem tenorem, quaſi tripudiante Oratione diei illius ſolennitatem proſecutus. Beatus Chryſoſtomus Oratione in S. Philogonium eandem rem latius exequitur, quæ ſic Latinè ſonant apud Briſſonium. *Appropinquat feſtum omnium feſtorum maximè venerandum adorandumque. Quod ſi quis appellet, Omnium feſtorum Metropolim, haud quaquam aberrabit. Quod autem hoc eſt? Chriſti nimirum, iuxta carnem, Nativitas. Ab hoc enim illuſtratio Dei, feſtum videlicet Epiphaniorum, ac ſacrum Paſcha, Aſcenſio, & Pentecoſte, originem & fundamentum ducunt. Niſi enim ſecundùm carnem Chriſtus natus eſſet, nequaquam fuiſſet baptizatus. Nam id eſt feſtum Theophaniorum. Nequaquam fuiſſet crucifixus. Nam hoc eſt feſtum Paſchæ. Nequaquam miſiſſet Spiritum Sanctum. quod eſt feſtum Pentecoſtes. Itaque ab hoc ceu fonte quopiam, diverſi amnes orti. Nota ſunt nobis hæc feſta: Verùm non ob hoc tantùm par eſt hunc diem cæteris anteponi, ſed etiam, ob id, quod is qui in hoc natus eſt, cæteris omnibus eſt venerabilior.* Sed cum Nazianzeno dicamus: Ταῦτα μὲν εἰς ὕστερον. Τὰ δὲ νῦν Θεοφάνια ἡ Πανήγυρις, εἴτ' οὖν γενέθλια. Nominum eorum habenda ratio eſt, quibus dies ille olim ſignabatur; Epiphania prius dicebatur. Suidas: Ἐπιφάνεια ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία. Sed non erat generalis hæc acceptatio, verùm particularis, in Diœceſi Alexandrinâ, & Eccleſijs Ægyptiacis, quibus unus idemque dies deſtinatus erat, & Nativitati & Baptiſmo. Atq; ita intelligendus eſt Epiphanius, qui cùm eſſet ejuſdem διοικήσεως, eandem tuebatur conſuetudinẽ. pag. 466. Ἐπὶ δὲ ἐν ταῖς ν ἡμέραις (nempe per totã Pentecoſten) οὐκ ἔστιν οὔτε κλισία, οὔτε νηστεία, οὔτε ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ἐπιφανίων, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ κύριος ἔξεστιν νηστεῦσαι, κἄν τε περιτύχῃ τετρὰς ἢ καὶ προσάββατον. Conſuetudinem, non Orientalis Eccleſiæ, ut Exercitator hariolabatur, ſed Catholicæ tangebat & univerſalis Epiphanius. Nam ut genu non flectebant per Pentecoſten: eodem modo neque jejunabant per Natalem Servatoris, ne quidem ſi, in diem Veneris occurreret vel Mercurij: ſed utitur phraſi particularis Diœceſis, hoc eſt, Ægyptiacæ Eccleſiæ, quibus ſolis Epiphania Natalem deſignabant: non tamen ſolùm. Nam de Orientali Eccleſiâ contrarium ſtatuit beatus Chryſoſtomus. Ὅτι μὲν οὖν, ait ille,

Sirac. 38. 7.

Orat. 44.

Ad legem. Dominico de ſpectac.

Ἐπιφάνεια, ἡ παροῦσα λέγεται ἑορτή, δῆλόν ἐστι πᾶσι. Τίς δέ ἐστιν ἡ ἐπιφάνεια αὕτη· καὶ πότερον μία τίς ἐστιν, ἢ δύο, τοῦτο οὐκ ἔτι ἴσασιν· ὅπερ ἐσχάτης αἰσχύνης ἂν εἴη, καὶ πολλοῦ τοῦ καταγέλωτος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τὴν ἑορτὴν ταύτην ἄγοντας τὴν ὑπόθεσιν ταύτην ἀγνοεῖν. Ad extremum, cauſſam ſciſcitatur, cur cum ἐπιφανεία & φανῆναι &c. dicantur de Nativitate Domini, tamen οὐχὶ ἡ ἡμέρα καθ' ἣν ἐτέχθη, ἀλλ' ἡμέρα καθ' ἣν ἐβαπτίσθη ἐπιφάνεια λέγεται. Loquitur de conſueto more Orientalis Eccleſiæ, quemadmodum Hieronymus de Occidentali in eundem ſenſum, 1 Comment. in Ezechielem. *Significat*, inquit, *baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cæli: & Epiphaniorum dies hucuſque* (nimirum ab omni retro Chriſtianâ antiquitate, quod negavit Exercitator) *venerabilis eſt. (Non, ut quidam putant, Natalis in carne, tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit) quod huic tempori congruit, quando dictum eſt, hic eſt filius meus dilectus in quo complacui.* Mira eſt confidentia Novatorum, qui cùm vel non intelligant, vel depravent uſum antiquiſſimæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, vetuſtos Patres, illi praxi perhibentes teſtimonium auſi ſint καταπλύειν, & ijſdem in os palam oggannire. Certiſſimum eſt enim apud veteres, diem VI Januarij baptiſmo Chriſti ſacrum, non autem Natalem, niſi apud Ægyptios, Epiphania, nominari. Nomen illud τὰ γενέθλια, & in confeſſo ponitur, & apertè ſatis uſum & acceptationem probat originatio vocis. Theophania dicebant, authoritate moti Paulinâ, ex epiſtolâ ad Titum: προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Illa enim ratio nominis habetur, quod explicat Orat. 37. Nazianzenus. Ῥῆσις illa longior eſt, ſed aſcribam. Τὰ μὲν νῦν θεοφάνια ἡ πανήγυρις· εἴτ' οὖν γενέθλια· λέγεται γὰρ ἀμφότερα· δύο κλήσεων προσηγοριῶν, ἑνὶ πράγματι. Ἐφάνη γὰρ Θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως τὸ μὲν ὤν, καὶ ἀεὶ ὤν, ἐκ τοῦ ἀεὶ ὄντος. ὑπὲρ αἰτίαν καὶ λόγον. τὸ δὲ δι' ἡμᾶς γενόμενος ὕστερον, ἵν' ὁ τὸ εἶναι δοὺς· καὶ τὸ εὖ εἶναι χαρίσηται. Ὄνομα δὲ τῷ φανῆναι, Θεοφάνια· τὸ δὲ γεννηθῆναι γενέθλια. τοῦτο ἐστὶν ἡμῖν ἡ πανήγυρις, τοῦτο ἑορτάζομεν σήμερον· ἐπιδημίαν Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους. ἵνα πρὸς Θεὸν ἐκδημήσωμεν, ἢ ἐπανέλθωμεν. Naſcendo enim apparuit, in Noviſſimo tempore, factus Emmanuel, nobiſcum Deus, qui apparendo in decurſu temporis, alloquutus erat priſcos illos Patres, multis modis & diverſis occaſionibus: ut ῥέοντας ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ εὖ εἶναι, πρὸς αὐτὸ πάλιν ἐπαναγάγῃ διὰ τῆς ἐνσαρκώσεως. Immortale beneficium indulgentiſſimi illius ἀπολυτρώσεως. Cujus gratiſſimam certè memoriam recolendam, omni tempore, die, horâ, nemo, non ipſe ingratiſſimum caput, pernegaverit: nedum tum imprimis & præcipuè, cùm ſit *Opus diei in die ſuo.* Nam de exodo Iſraelis ſancivit Dominus, ut eâdem nocte quâ fiebant olim illa θεοῦ μεγαλεῖα, perpetuis temporibus recolerent beneficium Iſraelitæ, ut majorem in modum, quaſi in rem præſentem manu deducti, Deum recordarentur, & colerent redemptorem. Laudatur imprimis etiam apud Paganos, uſu obtinuiſſe inter Græcos, Romanos, ipſos barbaros, ortus ſui diem quotannis celebrare. *Et Natalitium*, quod ille ait, *cognatis ponere lardum.* Epulo enim & convivijs excipiebant amicos, ſe invicem, paſſim omnes. *Hodie non deſcendit Antonius:* inquit Orator, Philip. 2. Cur? Audi rationem: *Dat Natalitia in hortis.* Et Martialis alicubi,

Sexcenti cænant, à te, Iuſtine, vocati.
Lucis ad officium quæ tibi prima fuit.

Nec ſuos tantummodò Natales, ſed & amicorum. Ita Horatius ſui Mecenatis diem: & Auſonius in epiſtola quâdam ad Paulum,

Sed feſtos quia ſæpè dies, partim ipſe meorum
Excolui, inq; vicem conviva vocatus adivi:
Natalis ſi fortè fuit ſolennis amico.

Imperatorum præcipuè: idque dupliciter. Primùm quo die in lucem editus naſcebatur Princeps. Secundò, quo aſſumptus ad Imperium. Undè apud Balſamonem juris Græci interpretem, Νατάλια, εἰς τὰ τῶν βασιλέων γενέθλια· καὶ ἡ τέτων ἀνάῤῥησις. Apud Dionem libro 53, legimus Iulium Antonium Prætorem, equeſtri certamine & venatione celebraſſe Auguſti Natalem diem: & ex Senatus conſulto, epulum eidem & Senatoribus in Capitolio dediſſe. Apud Plinium in epiſtola ad Trajanum lib. 12. de Natali imperij celebrato, hoc eſt, die principatus, habetur mentio. *Diem in quem tutela generis humani feliciſſimâ ſucceſſione tranſlata eſt, debitâ religione celebravimus, commendantes imperij tui auctoribus & vota publica, & gaudia.* Cui reſpondet in hæc verba Trajanus. *Diem imperij mei debitâ lætitiâ & religione à commilitonibus & provincialibus, præeunte te, celebratum, libenter, mi Secunde chariſſime, cognovi tuis literis.* Ita urbium imperatricum Natales Romæ veteris atque novæ frequentabant. Lex, *Dominico*, in Cod. Theodoſiano. *His adijcimus dies Natalitios urbium maximarum, Romæ atque Conſtantinopolis.* Et de urbis Romæ Natali celebrato, teſtatur Sozomenus libro v. cap. xvii. Ἐπεὶ γὰρ καιρὸς παρῆν βασιλέα δωρεῖσθαι στρατιώτας· γίνεται δὲ τῦτο ὡς ὅπίπαν ἐν τῆ Ῥωμαίων Ἱερομηνίαις, καὶ βασιλέων, καὶ βασιλίδων πόλεων ἐν γενεθλίοις ἡμέραις. Ait dona dari ſolita militibus de more quotannis, per Calendas Ianuarias, Natalitijs Principum, & urbium etiam regiarum. Nec hiſce limitibus circumſcribi volebant. Natalem enim præterea, adoptionis, ſoſpitationis, Navigationis, omnis rei proſperæ & fortunæ initium, Natalem nominabant. Hinc profecti Chriſtiani apud majores noſtros, Dies exitus Sanctorum & ἀποτῆειώσεως Martyrum, undè vitam & fœlicitatem æternam adibant, & auſpicabantur, Natales dicebant, ab antiquo: undè Tertullianus de Coronâ militis ait, *Pro Natalitijs annuâ die facimus*: hoc eſt, offerimus in commemoratione agoniſtarum. Ab hac notione, quâ principium & inſtituti alicujus exordium dicitur *Natalis*, legimus, in Martyrologijs, *Natalem cathedræ, Natalem ordinationis:* & apud beatum Eligium homil. x, *Natalem calicis. Vocatur*, ait ille, *hic dies cœna Domini: vocatur & Natalis calicis.* Cœna Domini, quia inſtituta in illo die: prorſus eodem modo, quo Epiphania Chriſti, hoc eſt, Natalis, vulgo Sol appellabatur, (quod obliti eramus annotare, cùm de lucis illius ſacratiſſimæ appellationibus ageremus) quia Chriſtus, qui Sol juſtitiæ, & Oriens ex alto nominatur, illo die ſe mundo, factus homo, communicavit.

Serm. 16. Ambroſij verba ſunt: *Benè quodam modo ſanctam hanc diem Natalis Domini, Solem novum vulgus appellat, & tantâ ſui auctoritate id confirmat, ut Iudæi etiam atque Gentiles in hac voce conſentiant. Quod libenter nobis complectendum eſt, quia Oriente Salvatore, non ſolùm humani generis ſalus, ſed etiam Solis ipſius claritas innovatur.* Aliud erat & aliûs generis, in quo luſit impietas Manichæa, apud Leonem. Celebritas porrò Natalis diei apud Paganos varia fuit. Nam, ut dixi, epulis ſe mutuo, & convivijs hilariter invitabant. Genium advocabant: illi lubentiùs & licentiùs indulgebant. Exhibet ſyllabum ſingularum con-

Orat. 38. ſuetudinum Nazianzenus, dum ad illas non vult Chriſtianum conformari. Μὴ πρόθυρα στεφανώσωμεν· μὴ χορὲς συστησώμεθα· μὴ κοσμήσωμεν ἀγυιὰς· μὴ ὀφθαλμὸν ἑστιάσωμεν· μὴ ἀκοὴν καταυλήσωμεν· μὴ ὄσφρησιν ἐκθηλύνωμεν· μὴ γεῦσιν καταπορνεύσωμεν· μὴ ἐσθῆτι μαλακισθῶμεν, ἀπαλῆ τε καὶ περιῤῥεούσῃ, καὶ ἧς τὸ κάλλιστον ἀχρηστία· μὴ λίθων διαυγείαις, μὴ χρυσῦ περιλάμψεσι, μὴ χρωμάτων σοφίσμασι ψευδομένων τὸ φυσικὸν κάλλος. Hæc ille & plurima alia, Ἕλλησι ſe ait, & Ἑλληνικοῖς κόμποις καὶ πανηγύρεσιν καταλιπεῖν. Vide eundem etiam, orat. iv. Epulū publicum plebi dabant. ἐγχώρειον δαῖτα vocat Euripides. Neque tantùm Ædiles,

&

& Prætores, ſed & alij etiam epulum publicum in Natali Principis populo dabant; quod vocabant θύειν τὰ γενέθλια. Munera invicem & dona miſſitabant. Hinc jocus ille Martialis in Clitum quendam, qui ut munera frequentius ab amicis extorqueret, ſingulis penè Calendis, *Dabat Natalitia.* Præcipuè autem per illum diem Deo, & rebus divinis vacabant. Undè ille ait,

Concipiamque pias, ore favente preces.

Sedulò etiam cavebant, ne quid mali ominis: ne quid turpe vel obſcœnum ore proferrent. Sed ut omnia bona, bono die, & εὐφήμως.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras.

Quiſquis ades linguâ vir mulierq; fave.

Cavebant enim diligenter ne triſtem redderent aut offenſum Genium, quem ſingulis annis ut candidior adveniret rogabant. Tibul. Lib. 1. El. 8.

At tu Natalis, multos venerande per annos,

Candidior ſemper, candidiorq; veni.

Itaque jurgia & lites illo die cavebant. *Natalem colimus, tacete lites.* Martial. *Lib. 10. 87.* quas per omnes feſtivitates cavebant. *Lex eſt ferijs, iurgia amoveto: eaſque in famulis operibus patratis habento,* inquit Orator, 2 de Legibus. Eodem quoque die, ab omni malo, præſertim verò à fundendo ſanguine cavebant diligenter. ut, quo die iſtius lucis uſurâ ipſi primùm fruebantur, illo neminem, ne quidem animalia, communi luce privare vellent. Faciebant ergò in Natalitijs olim, thure tantummodò & libationibus. Unde illa apud Tibullum ait,

Natalis Iuno, ſanctos cape thuris honores.

& apud Epigrammatarium,

— veſtris addimus hanc focis acerram.

Hinc factum ut non ſolùm manus carnificis feriarentur, ut neque *duci* quempiam, nec ſupplicio capitali *mactari* paterentur, ſed tanquam qui cuperent vitâ functos, & jam lumine caſſos, benignitate & liberalitate ſuâ impertiri, patibulo ſuſpenſos, crucibus ſuffixos, deponebant. Ἔθος ἦν, ait Philo in Flaccū, μηδένα κολάζειν τῶν κατακρίτων, ἄχρις ἂν αἱ ἐπιφανεῖς γενέθλιοι, καὶ πανηγύρεις αὗται τῶν ἐπιφανῶν Σεβάστων διεξέλθωσι. Itaque invehitur ille acerbius, & meritò, in Flaccum illum tanquam impium, & moris priſci violatorem, qui παρηνόμει ἐν αὐταῖς, καὶ ἐτιμωρεῖτο τοὺς μηδὲν μὲ ἀδικοῦντας. Propter hanc receptam uſu conſuetudinem apud Ethnicos, violandam, atque ideò ſibi non ſolùm infame facinus, ſed infauſtum admiſſuro, Semipaganus ille Herodes Tetrarcha apud Euangeliſtam quaſi iraſcebatur, & indolebat plurimùm, quòd temerario obſtrictus juramento, neceſſe habebat Iohannem Baptiſtam in die ſuo Natali decollare. Non enim fictè, quod volebat Hilarius & poſt illum Hieronymus, indolebat, ſed verè quidem & ex animo, quod rectiùs Chryſoſtomo videbatur. Non quod, hominem ſibi moleſtum & vehementer exoſum, non libenter optaret, etiam & procuraret è medio tollendū. Nam quem quiſque odit, periiſſe expetit. Neque ideò tantùm, quòd timeret populi furorem concitati, qui Baptiſtā habebant pro Prophetâ. Sed ideò quòd, ἔθυε τὰ γενέθλια, neque fas aut æquum erat humano ſanguine fuſo Genium ſuum ad menſam prolectare. Hæc mihi ratio triſtitiæ illius expeditiſſima videtur & omnium prima, licet nemini Interpreti, quod equidem ſciam, in mentem veniſſe recorder. Sed non diu hæc obtinuit in paganis illorum moribus ἐπιείκεια. Sequenti tempore, progrediente luxu, laſciviâ, & crudelitate etiam, ut neceſſe fuerat, in immenſum auctâ, non ſola ſacrificia pura, & ἀναίμακτα, Ludi ſcenici, ἵππων ἀγῶνες, & muſicorū commiſſiones

ones obtinuere, ſed θηείων primùm σφαγαὶ. Ita enim fieri ſolet: cùm nemo repentè ſit turpiſſimus: tum gladiatorum in arenâ vilis ſanguis, invaluit ut profunderetur. Hadrianus apud Dionem: Ἐν τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις προῖκα τῷ δήμῳ τὴν θέαν ἀπένειμε, καὶ θηρία πολλὰ ἀπέκτεινεν, ὥστε ἐφάπαξ καὶ λέοντας ἑκατὸν, καὶ λεαίνας ἴσας πεσεῖν. Et Antoninus Caracalla, ἀγῶνας μονομαχίας ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις ἐποίησε. Sed hæc barbaries ſequiorib⁹ ſæculis videtur obtinuiſſe, aut apud Principes ſanguinolentos. Nam Tertullianus qui tum vivebat, ἀναμφίλεκτως deſcribit nobis illos dies
C. 35. geniales in Apologet. *Grande ſcilicet officium, focos & choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu adoleſcere: vino lutum cogere: catervatim curſitare ad iniurias, ad impudentias, ad illecebras libidinum. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? hæccinè ſolenneis dies Principum decent, quæ alios dies non decent?* Quanquam & Auguſti ævo, hunc modũ exceſſerant interdum, quem Tiberius reduxit, & progreſſum inhibuit. Οὔτε γὰρ ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ γίνεσθαι τι, παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐπέτρεπε. Veterem autem illam conſuetudinem, quam τὸ καθεστηκὸς appellat Dio apud Xiphilinum, Euſebius in VIII Hiſtoriâ ſic deſcribebat. *Cùm anteà moris eſſet ſub Imperatoribus, ſi aliàs, ſpectacula magnifica plura ſpectatoribus exhiberi, & voluptates novorum, & peregrinorum animalium quæ vulgaria ſuperant ſpectacula, ſive ex Indiâ, ſive Æthiopiâ, ſive aliunde arceſſerentur, & artificioſis quibuſdam corporum exercitationibus, oblectationes inuſitatas, ſpectatoribus providere, id maximè temporis cum ipſe Imperator ſpectacula ederet, ludos ſplendidiores, adeóque ſupra omnem omnium expectationem ipſius Imperatoris Natali eſſe oportuerunt.* Hæc ille, & quaſi metropolis quodam modo eſſet feſtorum omnium, quemadmodum Chryſoſtomus loqueretur, Natalis dies Imperatoris. Sed quorſum iſta tam multa de Natali die, & celebritate illa apud Paganos? Dicam verbis ſancti Maximi Taurinenſis Epiſcopi, qui ſuam primam homiliam de vigiliâ Natalis Domini noſtri ſic exorditur: *Lætitia quanta ſit, quantuſq; concurſus, cùm Natalis Imperatoris mundi iſtius celebrandus ſit, benè noſtis. Quemadmodum duces eius ac principes, omnes etiam militantes accurati ſericis veſtibus, accincti operoſis cingulis, auro fulgente pretioſis ambiunt ſolito nitidius in conſpectu Regis incedere. Credunt enim maius eſſe Imperatoris gaudium, ſi viderit maiorem ſuæ apparitionis ornatum, tantoq; illum lætum futurum, quantò ipſi fuerint in eius feſtivitate devoti. Vt quia Imperator, tanquam homo, corda non conſpicit, affectum eorum circa ſe probet vel habitum contuendo. Ita fit, ut ſplendidius ſe accuret quiſquis Regem fidelius diligit. Deinde quia in die Natali eius ſciunt, eum largum futurum, ac donaturum plurima, vel miniſtris eius, vel his qui in domo eius abiecti putantur & viles, tantâ prius theſauros eius replere divitiarum varietate feſtinant, ut in quantum prærogare voluerit, in tantum prærogatio copioſa non deſit: & antè voluntas donandi deficiat, quàm ſubſtantia largiendi. Hæc autem ideò ſollicitè faciunt, quia maiorem ſibi remunerationem pro hac ſollicitudine ſperant futuram. Si ergò, fratres, ſæculi iſtius homines, propter præſentis honoris gloriam, terreni Regis ſui Natalem diem tantâ rerum apparatione ſuſcipiunt: quantâ nos accuratione æterni Regis noſtri Ieſu Chriſti Natalem ſuſcipere debemus, qui pro devotione noſtrâ, non nobis temporalem largietur gloriam, ſed æternam; ſed terreni honoris adminiſtrationem dabit, quæ ſucceſſore finitur; ſed cæleſtis imperij dignitatem, quæ non habet ſucceſſorem?* Hæc ille pluribus, vetus & eruditus Pater, ad rem præſentem accommodatiſſimè; & Catharorum fanaticam impietatem profligandam. Nam quicquid eſt devotiſſimæ pietatis: quicquid gratiſſimæ devo-

tionis: quicquid meriti divini & officij humani, tollunt illi è vitâ communi, ex hominum praxi & consuetudine, imò ex animis & memoriâ amovent, qui litem movent de solennitate Natalis Iesu Christi, vel non omnino, vel non die fixo & usurpato ab Ecclesia, celebranda: Paganis in hoc ipso deteriores, qui Deorum, Regum, Principum, Magnatum, bene meritorum: qui civitatum & regnorum: qui quoque imperij, amicorum, suos & suorum γενέθλια, omni genere lætitiæ celebrabant. Est certè Dei filij, nostrâ caussâ incarnati, συγκατάβασις, ἡ τῶν καλῶν ἁπάντων ἀκρόπολις· ἡ πηγὴ καὶ ῥίζα τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν. Qui de certo, rato, fixo die litem movent & controversiam, quantum in ipsis est, nescientes vel ex proposito animi & destinatâ perversitate scientes, Incarnationis memoriam deletam credo vellent & antiquatam. Posito enim semel hoc & concesso, non fuisse Iesum Christum illâ ipsâ die in lucem editum, quâ tuetur & defendit accuratè Ecclesia Catholica illum esse natum, consequens erit ut nulla ejus memoria recolatur. Hinc ut omnino nesciatur ortus: tandem ut planè denegetur: atque ita depereat beneficij illius immortalis memoria, quod per Filij Dei illam οἰκονομίαν in genus mortale universum, fusum est, & propagatum. Per quam nobis factus est gradus quo ad ipsum, per ipsum possimus ascendere. Ita enim, ut Hæretici apud magnum Leonem blatiunt, *Non tam novi hominis Nativitas, quàm novi Solis ortus honorabilis esse videbitur.* Quis enim inducturus est in animum suum, hunc vel illum diem, solennitati tam illustri esse addicendum, cùm refixum viderit, ab hominibus nuper natis, diem illum, quo *credebatur* ab omni retro antiquitate Verbum caro factum fuisse? Certè quod scripsit eleganter Leo, *Generatio Christi, est origo populi Christiani: & Natalis Capitis, natalis est Corporis. Renovat nobis ideò hodierna solennitas nati Iesu ex Mariâ virgine, sacra primordia. Et dum Salvatoris adoramus ortum, invenimur nos nostrum celebrare principium.* Ait autem, *hodierna Nativitas:* non erat vaga, non incerta, non indefinita. Quasi certus de die ita loquitur. Ita Chrysostomus in eundem diem: Σήμερον Βηθλεὲμ τὸν οὐρανὸν ἐμιμήσατο. Et utroque prior Nazianzenus, τὰ μὲν νῦν θεοφάνια ἡ πανήγυρις, In die suo, certi de die ita loquebantur, non ut nostri nuperi Novatores, quibus πᾶν τὸ ἀρχαῖον planè sapit ἀρχαϊκῶς, ideò refingendum, &, loquuntur ipsi, reformandũ, sed ad Lesbiam regulã ipsorũ cerebrositatẽ amussitandũ. Soli videri volunt sapere cùm tantum non insaniant contra Ecclesiam σπικομοποθρασυβομβομαχίδαι. Planè, ut Naturales illi apud Hippocratem agentes; qui quidem, ὃ φρήσσουσιν ἐκ οἴδασιν, ὃ δὲ φρήσσουσι δοκέουσιν εἰδέναι, καὶ θ' ἃ μὴ ὁρῶσιν, ἐ γινώσκουσι. Accusant omnia, innovant multa, nihil non displicet in communi usu positũ: & tamen, ut rectè magnus ille Mystes Naturæ, Ὁ ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν, ἐ πάνυ πιςότερα ἐρεῖ. Quibus ut os obstrue- *Arist. Eth.* ret Ecclesiasticæ antiquitatis promus condus, bonum factum per Annales *10.c.11.* vel illorum Apparatus, Traditionem hanc vetustissimã universalis Ecclesiæ, de Theophaniorum mense & die, contra clamores, calumnias, novitates oggannientium, elaboratissimâ diligentiâ assertam consignasset, non contentus paucis & tenuiter perstrinxisse. Certè autem illi παντομεμψίμοιροι cùm multa in hac unâ consuetudine reprehendant, tamen illa omnia, ad tria ferè capita, neque valdè incommodè, revocantur. Aiunt enim imprimis non fuisse olim ullum diem, ab initio propagati Christianismi, huic solennitati Natalitiæ fixũ & constitutum: sed incerto usu, & discrepantibus opinionum varietatibus pervagatum. Hanc verò ipsam consuetudinem in secundis, per quam, statuimus, & usurpamus Decembris XXV, non ab initio Apostolicæ & primitivæ

Ecclesiæ, ſed poſt aliquot tantùm ſæcula obtinuiſſe. Atque ideò illud tertio loco inferunt, tempeſtatem anni, menſem, diem, falſo incertoque fundamento niti, & poſſe, etiam debere non convelli tantùm, ſed penitùs aboleri. Quæ cùm ſemel inſederint opinionum vaniſſimarum falſitates, facilè deſcendunt eo Novatores, ut ipſi in multiplices ſe immergant diſtrahantque opinionum aliarum varietates, quæ cùm ſe mutuò jugulent, & conficiant invicem, tum contra Eccleſiam militant ſingulæ, & univerſæ. Subdunt nobis aliqui vernam tempeſtatem anni. Nonnulli celebrant γενέθλια per æſtatem. Plerique nunc in autumno conſtituunt. Et ſunt qui Decembrem per brumam non inficiantur: ſed de die non convenit cum Eccleſiâ. Et quod attinet ad cæteros, cùm de anni diſconveniant tempeſtatibus, tum in eadem ipsâ tempeſtate ſententijs variant diſtracti de menſe, hoc an illo non conveniunt, neque ſi convenirent, certi ſunt de die. De Septembri & Octobri autumnales litigant. De Maio & Aprili, qui vere volunt editum in lucem. Ita verum eſt quod de Philoſophis uſurpabat Baſilius, Οὐδὲ εἷς παρ᾽ αὐτοῖς λόγος ἕστηκεν ἀσάλευτος καὶ ἀκίνητος· ἀεὶ τὸν δεύτερον τὸν πρὸ αὐτοῦ καταβάλλοντος: quod omnino neceſſe eſt contingat, ubi ſemel à veritate eſt aberratum. Quapropter cùm ſe ipſi invicem conficiunt, non magnopere laborandum videtur de ἀνατροπῇ. Ἀρκεῖ γὰρ ἀλλήλοις, ut prudenter obſervabat Baſilius idem, πρὸς τὴν οἰκείαν ἀνατροπήν. Et tamen juvat Eccleſiæ Catholicæ ἐφίμους, per vetuſtas illas olim & ἀρχιγόνους majorum noſtrorum conſuetudines expatiari: & in agnoſcendis Traditionibus antiquis bonas horas utiliter collocare. Nam & eruditiores paullò inter Innovantes, qui penitus modeſtiam non depoſuere, vel pudorem expectoravere, receptæ huic, & à multis retrò ſæculis confirmatæ ſententiæ, non audent adverſa fronte & perfrictâ obluctari. Nam licet non habeatur ſcriptum apud authores ſacros, & ἀποδείξεις, illâ die, illo menſe fuiſſe editum in lucem Servatorem, meminerunt tamen Tertullianum, virum ingenij caſtigatiſſimi, longéque doctiſſimum ſtatuiſſe olim cum applauſu, de non paucis hujuſcemodi rituum, & conſuetudinum παραδόσεων, *Si legem expoſtules ſcriptam, nullam invenies: ſed Traditio prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix.* Et profectò non debuerat hæc Traditio Eccleſię, ut fieri ſolet, ita faſtidiosè reſpui, cùm illa alia, multiplicia forſitan & πολυτρόπα ſcriptis non eſſent comprehenſa, ſed de manu in manum ad poſteros pervagata, ſummę proculdubio neceſſitatis & utilitatis in Eccleſię praxi & οἰκονομίᾳ, de quibus Apoſtolus olim, cætera, ὅταν ἔλθω διατάξομαι.

Lib. 3. cap. 4. *Quid autem, ſi neque Apoſtoli*, ait Irenæus, paullò Tertulliano antiquior, *reliquiſſent nobis Scripturas? nonne oporteret ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt ij quibus Eccleſias committebant? Itaque ſi de aliquâ modicâ quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab ijs de præſenti quæſtione ſumere quod certum eſt, & re liquidum?* Quocircà ab hâc ſtatione depulſi, ne γυμνῇ τῇ κεφαλῇ audeant obluctari & contradicere antiquitati, & palam, atque in os, Eccleſiæ oggannire, & clamare Traditioni; ad illa ſe convertant quæ ponebamus, quibus clam & per cuniculos id efficere ſperant, quod vi & palam non erant ſuſtinendo. Primum autem & princeps illorum eſt antitheton, *Non fuiſſe ullum diem certum & fixum huic ſolennitati deſtinatum*: ideoque non aliquam apud veteres Patres Traditionem: ut non temerè putentur hoc aggreſſi, qui uſum hodie conſpuant & conſuetudinem Eccleſiaſticam.

SECT.

Sect. III.

Sethi Calvisij sententia. Error De Natali Servatoris die, non certatum, sed diversimodè usurpata consuetudo. De eodem & baptismali quid Hæretici Basilidiani. Catholici Ægyptij. Clementem videtur Cardinalis non rectè cepisse. Epiphanij opinio. Clemens explicatur. Calvisij & Scaligeri sententia refellitur. Mensis decimus: nonus. quis. undè. Traditio practica Ecclesiæ, non vocanda in quæstionem. Quæ illa curiositas apud Clementem Alexandrinum de disquirendo Natali die. Epiphanij sententia explicatur è Scaligero, contra Scaligerum. Nulla differentia videtur olim inter Christianos nisi verbalis. De Natali apud Paganos multa. Indè Euangelium in Herode explicatum.

SETHVS CALVISIVS, vir citra controversiam eruditissimus, & in re Chronologica familiam ducens, sed nimis pronus in partes Novatorũ, ait, *De Festo Nativitatis Christi diu fuit certatum in Ecclesiâ primitivâ, quo die esset celebrandum, ut testatur Clemens Alexandrinus.* Hæc ille, Scaligerum sequutus Dictatorem, ipse magister equitum. Vult autem, opinor, concertationem istam constitisse inter Ecclesiæ ipsius alumnos. Ait, enim, *In Ecclesiâ:* non cum Ecclesiâ, vel contra Ecclesiam. Ita excludit Ethnicos ab hoc certamine: & Hæreticorum etiam filios. Hìc quicquid certaminis reperietur, inter Ecclesiæ alumnos ipsos vertitur. Per Ecclesiam verò primitivam, intelligit illam antiquissimam, Apostolicam, Apostolis proximam: Clemente enim Alexandrino vetustiorem: utpote de cujus concertationibus, vir ille ὁ πολυμαθὴς, dicatur commemorare. Errat autem Sethus, idque dupliciter. In Clementis advocati testimonio. De certaminibus Ecclesiæ primitivæ, & antiquissimæ. De mense & die, non de usu & praxi, Natalitiorum Christi, sententijs olim & usu variatum est. Sed aliquatenus: sed aliquantisper: sed alicubi. Sed adversarum opinionum concertationibus, tanquam acie ex adversa instructi concurrerent, non est concertatum. Certatum erat olim, & quidem vehementiùs, idque cum excandescentiâ, & majori, quàm par erat, inter filios illius εἰρηνοποιοῦ, cum animorum exulceratione; de Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus rebaptizandis: de Paschali in Ecclesiâ solennitate obeundâ, etiam per Heroica illa tempora, & Apostolorum sæculo propinquiora. At de Nativitate certatum fuisse, in illum vel mitiorem modum, nullis literarum monumentis proditur, ne tum, cùm inter se Tempora τ͂ ἀναβιώσεως Iesu Christi & τ͂ ἐνσαρκώσεως cohæreant adeò, & mutuâ quâdam copulâ connectantur. Certè non legitur, nec lectum vel auditum ostenditur apud illos vetustiores, scriptis contrarijs, oppositis Synodorum decretis de die Natali, ad schisma penè concertatum. Doctissimus Cardinalis sect. cxx in Apparatu, observat Hæreticos, phanaticè, nullâ vel probabili ratione subnixos vel authoritate fultos, sed sicut & alia deliramenta sua, ex animi proprij sententia, ita & in hàc re furore percitos protulisse, quæ sic ab illo concipiuntur. *Sunt qui curiosius,*

Natali Domini, non ſolum annum ſed etiam diem addunt, quem quidem dicunt XXVIII *anno Auguſti,* XXV *menſis Pacon eſſe natum,ea eſt apud Latinos* XV *menſis Maij. Rurſus etiam quidam tradunt eum natum eſſe* XXIV *vel* XXV *menſis Pharmuthi, hoc eſt* XX *vel* XXI *Aprilis.* Hæc ab illo recitantur è Clemente Alexandrino, de Hæreticis: quæ ſunt non alia quàm αὐτότατα quæ advocantur ex eodem Stromateo, à Calviſio & Scaligero. Hoc tamen intereſt inter utramque partem, quòd Hæreticos fuiſſe velit iſtos Cardinalis, & eoſdem inſurrexiſſe contra Eccleſiam. Catholicos arbitrentur & Orthodoxos illi, qui in Eccleſiâ inter ſeſe conflictarentur. Hæreticos fuiſſe Baſilidianos opinatur Baronius apud Clementem, qui ad illam deſcendebant curioſitatem. Impios homines non ſolùm vanos, qui portenta quædam opinionum è ſentinâ Gnoſticorum in nomen invexerant Chriſtianum; dum nomine illo ut auguſtiſſimo ita ſacratiſſimo, cloacas ſuas obvelant & Camerinas. Inter omnes autem cùm abſurdas tum & impias, & Eccleſiæ contrarias & peſtilentes opinionum ſtrues, non memini legiſſe Alaſtorem illum Baſilidem, contra Catholicos invexiſſe aliquam, vel ijs litem intendiſſe de Natali Servatoris. Nihil ſimile Epiphanius, Tertullianus, Irenæus. Clemens certè commeminit, per eundem illum locum, Baſilidianorum: qui tamen nihil habent commune, vel negotij de die Natalitio: habent autem de Baptiſmali: Οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, inquit Clemens Lib. I. Stromat. καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, προδιανυκτερεύοντες ἀναγνώσεσι. *Baſilidis porrò ſectatores, diem Chriſti baptiſmalem feſtum agitant: eiuſdem diei vigiliam, per Scripturarũ lectionem concelebrant.* Prius autem dixerat de Natali, Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες. Ἣν φάσιν ἔτους κη Αὐγούστου, ἐν πέμπτῃ παχὼν καὶ εἰκάδι. Non dixit Baſiliadanos hanc conſuetudinem vel improbaſſe vel probaſſe: non ſecutos eſſe: non invexiſſe Baſilidem. Non ait αὐτὴν τὴν ἡμέραν; quaſi baptiſmum illi eodem die, quo & Natalem, celebraſſe. Sed ἀπολύτως, & per ſe, Fuiſſe qui Natalem obſervarent &c. Ita quoque ἰδικῶς Baſilidis ſectarores Baptiſmatis memoriam celebraſſe. Οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι. Quaſi rem non aliâs uſurpatam, ipſi in ſuam praxin induxiſſent, & conſuetudinem annualem. Ita opponuntur, ut termini dividentes, qui περιεργότερον Natalem obſervabant, & celebrant Baptiſmum. Erant autem Orthodoxi vel univerſim, vel etiam quidam per Ægyptum, qui de paſſionis quoque die ἠκριβολογοῦντο. Nec illa quæ ſequuntur apud Clementem, ad Hæreticos iſtos referri debent. Ναὶ μὴν τινες αὐτῶν φασὶ φαρμουθὶ γεγενῆσθαι κδ, ἢ κε. Nam τὸ αὐτῶν non ſpectat, uti clarum eſt, ad Baſilidianos, quod tamen volunt, ſed ad τινάς, de quibus dixerat indefinitè. Orthodoxos per omnia, qui tamen in hoc, ut ſæpè fit, ſervato tamen vinculo charitatis, à conſuetudine univerſalis Eccleſiæ receſſerant, & περιεργότερον, ut videbatur ipſis ἀκριβολογούμενοι, de die contra Eccleſiam ſtatuebant. Poteſt objici, apud Ægyptios, Nativitatē & Baptiſmum, uno & eodem die tunc obſervatas fuiſſe feſtivitates: ut vel hoc pacto debeat illud excuſari, quod doctiſſimus vir dicebat de phanaticis Hæreticis, diſſentientibus ab Eccleſiâ. Nam ſi Catholici per regiones illas eodem die, feſtum utrunque peragebant, tum erant Hæretici, proculdubio, qui Baptiſmum celebrabant, quemadmodum refert Clemens. ὡς ἰδίως. Sed ut ita eſſet, tamen hoc pacto cum Eccleſiâ deſcenderent in arenam: hoc eſt, cum Eccleſiâ particulari ſtantes, contra alias particulares, ſi non univerſalem, componerentur ex adverſo. Et, ut poſſet hoc inferri, falsò tamen, ſaltem dubio innitebatur fundamento. Scio, relatum à Caſſiano, collat. x.

de

de Ecclesijs Ægyptiacis: Illas, tum Natalem & Baptismum, eodem ipsô die, peregisse. Erat ergo in usu, & ecclesiæ praxi per illa etiam tempora, festa hæc in memoriam Servatoris. *Intra Ægypti regionem*, ait Cassianus, *mos iste antiquâ traditione servatur, ut peracto Epiphaniorum die, quem provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici, baptismi, vel secundùm carnem Nativitatis esse definiunt, & iccircò utriusque sacramenti solennitatem, non bifariè, ut in occiduis provincijs, sed sub unâ diei istius festivitate concelebrant.* Et tamen Epiphanius, cùm esset illius provincię Sacerdos, in Diœcesi nempe Alexandrinâ Episcopus, quíque Natalitia in illo die statuit, secundùm sententiam Ægyptiorum, baptismum anticipat per mensem Novembrem celebratum; quod non uno loco reperitur apud illum Patrem, pag. 195. Καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς πληρωθέντος τοῦ διετοῦς χρόνου· μετὰ τὸ βάπτισμα, καὶ τὴν αὐτοῦ γέννησιν, ἀπὸ Νοεμβρίου μηνὸς καὶ ἀπὸ Ἰανουαρίου. Nempe quòd per Ianuarium natus, mense Novembri baptizabatur. Nam de Novembri retulerat in præcedentibus, pag. 191. πρῶτον μὲν βαπτισθέντος αὐτοῦ κατ' Αἰγυπτίους Ἀθὺρ δωδεκάτῃ πρὸ ἓξ εἰδῶν Νοεμβρίων. Itaque authore Epiphanio, variatum erat opinionibus, de Nativitate & die baptismali in provinciâ Alexandrinâ. Ita fugerat ratio virum doctissimum Cardinalem, de Hæreticis Basilidianis apud Clementem intellectis, ab Ecclesiâ in hac parte dissentientibus, cùm inter se Catholici usu, in hac parte variarent. Videamus autem, an, quod Calvisius pronuntiat, verum sit, *Clemens illo loco testatur diu certatum fuisse in Ecclesiâ de die Natali Servatoris.* Concertatum est certè: sed nuper: sed ab Innovantibus δοκησισόφοις, & inter se & contra Ecclesiam certantibus. Testatur Clemens variatum opinionibus & praxi in Ecclesiâ: nusquam meminit concertationis, ut inter partes. Testatur Clemens fuisse quosdam qui περιεργότερον diem & mensem assignabant, nativitati Servatoris. Non tamen hinc illud consequetur, vel nullum omnino diem certum & constitutum, illi olim solennitati assignatum, vel usu Ecclesiæ veteris observatum: multò minus partium studijs discissos Ecclesiæ proceres & plebes, in diversas factiones, ab opinionū varietate, abijsse. Locus ille Stromateius priùs appositus, ita se habet, ab ἀναγνώστου, integer. Φασὶ δὲ εἶναι τὸ πεντεκαιδέκατον ἔτος τοῦ Τιβερίου Καίσαρος, τὴν πέντε καὶ δεκάτην τοῦ Τυβὶ μηνός. Τινὲς δὲ αὐτὴν τὴν ἑνδεκάτην τοῦ αὐτοῦ μηνός. Τότε πάθος αὐτοῦ ἀκριβολογούμενοι φέρουσιν; οἱ μέν τινες τῷ ις. ἔτει Τιβερίου Καίσαρος, φαμενὼθ κε. οἱ δὲ, φαρμουθὶ κε. ἄλλοι δὲ φαρμουθὶ ιθ, πεπονθέναι τὸν σωτῆρα λέγουσι. Ναὶ μὴν τινες αὐτῶν φασὶ, φαρμουθὶ γεγενῆσθαι κδ, ἢ κε. Duo colliguntur per viros doctissimos ex isto loco Clementino. Primò, non fuisse ullum certum fixum diem, ne Clemente quidem ipso opinante, apud Christianos primitivos. Imò ne quidem referre multum, ut ille opinabatur, de die certo Natalitio laborare vel sollicitos esse Christianos: cùm περιεργία, illo censente habeatur, illud satagere. Secundum est, de hac ipsâ re, sententijs fuisse concertatum: sed imprimis, responsum est de certamine, nullam hìc reperiri concertationem. Diversitas quædam erat opinionum. Alij enim suggerebant 25 diem mensis Pachon, hoc est, revera 22 Maij. Alij 25 mensis Pharmuthi, hoc est, Aprilis 22. Sed quota pars hominum? quanta portio Ecclesiæ, hâc diversitate laborabat? Τινὲς, imprimis erant illi περίεργοι. & qui 25 Pharmuthi assignabant, erant illi τινὲς τινῶν, pars portionis, non multi, scrupulosiores, schismaticoteri fortè, & singularitate quâdã rapti in trãsversum, quemadmodũ nuperi nostri Novatores. Sed ex ipsa ratione initâ à Stromateo, & textu, videtur fuisse tot, *Quot Thebarum portæ vel divitis ostia Nili.* Neque multum erant à se divulsi: obtinebant τὸ σύνεγγυς, etsi non τὸ ἀκριβές. Pharmuthi respondebat, κατὰ τὸ πλεῖστον,

Aprili noſtro : & Pachon ad eandem menſuram, Maio. Ita hærent in proximo, & ſunt ἀσχέδυροι iſti diſſidentes. Error eſt in menſe : nam de die, quod mireris, non diſſentiunt. Utrique ſupponunt 25 diem menſis ſui. Ita, reor, incerti & ignari per ignorantiam aberrabant ab Eccleſiæ Traditione univerſalis, de quâ inaudiverant neſcio quid : non pervicaces illam oppugnabant, aut ſtudijs avulſi diſſidebant, quod hodiè factitant innovantes. Audiverant Ieſum natum de beatâ Virgine, die xxv menſis noni vel decimi. Illum menſem variè, à diverſo ſcilicet parapegmate, accipiebant & interpretabantur. Nam qui menſis erat decimus, undè & nomen à numero ſortiebatur, apud Romanos December, à Martio nempe progrediendo : Ille erat nonus apud illos, qui anno & menſibus diverſimodis utebantur, & ab Aprili, ſuum calculum ordiebantur. Cùm verò numeri ſint ἐν τοῖς πρός τι : & Nonus, Decimus, Septimus, Octavus, dicantur ab aliquo primo parapegmate, Romanis December erat decimus, qui olim à Martio anni initium deducebant : illis autem, qui anno & menſibus utebantur Ægyptiacis, Maius erat decimus, Aprilis nonus, à Thoth initio deducto numerandi. Ita enim habebant ſe illorum menſes, Thoth, Phaophi, Athur, Choiac, Tybi, Phamenoth, Pharmuthi, Pachon. Quanquam ne tantopere quidem diſſidebant, ſed ejuſdem menſis eundem diem, nempe Maij 25 Natali Servatoris fortaſſis aſſignabant. Nam cum vulgo, & ex opinione communi, Thoth figatur in Septembri, quod ad initium ſpectat, ut menſis ille totus cum noſtro Septembri concurrat & coincidat, κατὰ τὸ ἀκριβὲς aliquantulum aberrat ratio : cùm 27 dies, neque plures τοῦ Thoth, in noſtro Septembri annumerentur, exordium ſuum ſumente ipſo Thoth, à 30 die Auguſti. Hinc factum, ut cùm illi, Thoth ab Auguſti parapegmate derivarent, & nomen ab initio, uſurparent, menſis Pachon eſſet ordine decimus : cùm qui Septembrem cum Thoth ἐκ παραπήγματος componebant, eundem menſem Pachon, nonum numero commemorarent. Facilè autem fuit, ubi ratio diverſa ita obtinebat, rem eandem, à non diſſentientibus, in ſpeciem diverſimodè enarrari. Sed fuerit realis iſta differentia : tamen res ſine pugnâ, ſine concertatione ullâ tractabatur. Abundabat quiſque in ſenſu ſuo. Tolerandum in illis, & in alijs, ubi Fidei diſcrimen non obtenditur, modò pax Eccleſiæ non diſturbetur. Tamen, quicquid erat illud quod ſentiebant, pauci erant illi qui ita ſentiebant. Pauci, in ipſâ, ut videtur, Ægypto. Illud autem, quomodo tolerari debeat, ut pauci in re aliquâ diſſentientes, uſu receptam communiori, & generaliori quadam conſuetudine, Traditionem refigant, aut tanquam incertam & dubiæ cujuſdam authoritatis, in jus vocent ? Hoc ſi obtineat, ecquid erit in religione ſacratiſſimâ, & pietate ſartum tectum ? Peſſum eant, neceſſe eſt, non ſolum decreta Synodalia, ſed quæ etiam Fidei ſunt, & Scripturis confirmatiſſima. Nam quod de curioſitate neſcio quid imaginantur, quaſi Clemens ita ἀποχῇ adhæreret ſuæ σκηπτικὸς, ut non putaret ferendos eſſe illos, qui diem certum, & menſem aliquem, conſignabant, toto quidem cœlo aberrant illi. Περιεργία primùm apud Clementem poſita, non eſt illa curioſitas in vitio poſita, altiora nobis ſcrutandi, & abdita quæq; divini ſenſus myſteria rimandi & penetrandi deſiderium; quam, turbas in Eccleſiâ concitaſſe, & hæreſes olim progerminaſſe, veriſſimè produnt ſancti Patres. De quâ quidem Paganus ille, *Cælum ipſum petimus ſtultitiâ :* & aliter, Οὐ μόνον τὰ ἀνθρώπων πάντα εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖα, καὶ τὰ δαιμόνια πολυπραγμονεῖν. Quos odio Deo dixit eſſe Euclides apud Stobæum.

Stobæum. Quam περιεργίαν, & πολυπραγμοσύνην, periculi plenam in rebus sacris: quam inauditâ quâdã temeritate, ad impervestigabilia impudenter grassantem, & divina omnia sursum deorsum agentem, experimur. Sed curiositas illa apud Clementẽ est, quæ, ut scripsit magnus Naturæ mystes Aristoteles, Τὰ ἐναργῆ πράγματα πειρωμένη δεικνύναι, ut ita omni modo habeantur testatissima & ἀναντίρρητα. Ut περιεργότερον προστεθῆναι, non sit aliud quàm quod statim ponit, ἀκριβολογεῖσθαι. Et certè qui descendit ad minutiora, & undique corradit omnia, præsertim in re, vel non admodum, vel minimè omnium controversâ, aut dubiâ, is & est, & nominatur esse, περίεργος. Et περιεργότερον dicuntur aliqui illud agere, cùm, quod vulgò receptum erat, & usu confirmatum, & traditione propagatum, & ideò probatione non indigebat, rationibus ipsi propugnare, & astruere illi fidem satagerent. Omnino illud est περιεργία, cùm in re minimè dubiâ, opera locatur non necessaria. Quæ si longiùs procedat, curiositas, φλυαρία quædam, & est, & debet existimari. Alienum est igitur quod hinc astruitur, nullum fuisse certum diem, Dominicæ nativitati, per illa tempora, de quibus Clemens, antiquissima, assignatum, vel ex illius sententiâ assignandum. Extabat etenim ab omni retro antiquitate, & à primis Euangelij cunabulis, quod Chrysostomus testatur, apud Occidentales Ecclesias, non illa solùm solennitas, sed die certo & fixo, eodem, 25 Decembris nimirum, observata solennitas. Cùm verò, *De Sione exierit Lex*, ab Oriente lumen illud Gentium in universum orbem fuerit propagatum, cedant, quî fieri ullo pacto poterat, ut quam veluti Traditionem Apostolicam amplectebatur Occidens, illam prorsus & omnino Oriens vel nesciret, vel haberet insuper? Sed de hac re deinceps ad Chrysostomum. Quodsi verò Clementi illa mens fuerat, divisos olim & concertantes aliquos in hac parte repertos, intellexit ille de suis Alexandrinis: non autem terminos effati sui ad Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem protulisse, putandus est. In Ægypto, variatum est in non paucis. Quidni & inter ipsos de Nativitate Christi variatum? Τινὲς αὐτῶν, non sunt alij, quod jam dixi, quàm ex illorum hominum cœtu nonnulli, qui sibi propriam, diversam ab alijs, de Natali sequebantur opinionem. Usitatior illa & magis urgens est objectio, de sexto die Ianuarij: de quo die, non unâ vice Epiphanius, pag. 194. Γεννηθέντος γὰρ αὐτοῦ περὶ Ἰανουάριον μῆνα. τοῦτ' ἐστὶ πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων, ἥ τις ἐστὶ κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς· κατὰ Αἰγυπτίους Τυβὶ ἑνδεκάτῃ (nimirum quòd à 26 Decembris suum Tybi tunc Ægyptij ordirentur) κατὰ Σύρους εἴτ' οὖν Ἕλληνας, Αὐδυναίου ἕκτῃ. Nam menses Macedonum in anno Græco, prorsus & per omnia, cum Romanis consentiebant. κατὰ Κυπρίους, εἴτ' οὖν Σαλαμινίους πέμπτου πέμπτῃ. nam à Septembri exordiebantur. Et iterum pag. 196. Εὑρήκαμεν γὰρ ἀπὸ τούτου τοῦ προποσίωνος, ἕως ἑνδεκάτης Τυβὶ, καὶ πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων, ὅτε ἀληθῶς τὰ θεοφάνια ἐγένετο. Et rursum paullò post: Τῷ μὲν ὄντι ἡ γέννησις τοῦ Χριστοῦ ἡ βεβαία Τυβὶ ἑνδεκάτῃ ἐστι. Nec à se dissentit alicubi Epiphanius. Verum est, sequutum illum in hac opinione suâ Ægyptios. Quippè cùm Cyprus, in quâ Episcopatum obtinebat, Patriarchatui parebat Alexandrino. Nusquam tamen hoc expressit, quantum memini. Nam

nec

nec in illis: Ὅμως ἐκ πανταχόθεν ἑνδεκάτῃ Τυβὶ, καθ' Αἰγυπτίους ἡ προειρημένη τοῦ Κυρίου ἐν σαρκὶ γέννησις ἐγένετο. diſtinguendum poſt Αἰγυπτίους. Non enim γέννησις ſecundùm Ægyptios eo die contingebat. Sed dies ille in quo contingebat γέννησις erat XI Tybi menſis, qui ſecundùm Ægyptios ita vocabatur. Caſſiano teſte, eodem die, ſexto (non quinto Ianuarij, nam ita corrigendum eſt in priore teſtimonio Epiphaniano) ſolennitatem Baptiſmi etiam obſervabant: à quo diſſentit apertè, quod jam diximus, Epiphanius. Sed de hâc inter eos conteſtatâ lite, litem non movemus. Videndum quid impulerit Epiphanium, ut diſſentiret, & quatenus diſſentiat à receptâ Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine; ſecundùm quem, anticipatur per dies XII integros, Ieſu Chriſti in carne οἰκονομία. Et primùm occurritur, de ſententiâ Epiphanij: citari hunc Patrem in alia omnia, nimirum pro uſitato more apud omnes, in diem Decemb. 25. Nam in Legatione Manuelis Comneni ad Armenios per Leunclavium editâ pag. 135, ex Epiphanij ſententia ita recitatur. Μᾶλλον δὲ τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου τῆς Κύπρου, ἤκουον εἶναι λόγον περὶ τούτου· ἀλλ' οὐδὲ ἐκεῖνον εἶδον. Λέγουσι γὰρ ὅτι ὁ θεῖος Ἐπιφάνιος, ἅτε ἐξ Ἑβραίων ὢν, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων γραφῆς, καὶ Ἰωσήπου τοῦ χρονογράφου, ἐβεβαίωσε Δεκεμβρίῳ κε. τὴν γέννησιν ἑορτάζεσθαι τοῦ σωτῆρος. In verſione Leunclavij, per errorem Typographi vel Amanuenſis, legitur, Natalem Servatoris, *die* XX *Decemb.* celebrandum, *pro* XXV: quem fideliter expreſſit Severinus Binius, in unâ aut alterâ editione ſuâ bibliothecæ ſanctorum Patrum. Addit Catholicus ille Armeniorum fabulam, vel fabulæ ſimillimam narrationem. τούτῳ φασὶ συμφωνεῖν, καὶ τὰς ὑπὸ τοῦ Τίτου ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ῥώμην ἀχθείσας γραφὰς· ὅτε ταύτην αὐτὸς ᾐχμαλώτευσεν. Quas autem intelligit Scripturas Iudæorum, per Titum, de captis Hieroſolymis, Romam allatas, nec ſcio, neque aliquid inaudivi: & fortaſſis nullæ erant ejuſmodi ſcripturæ: (certè non extat illarum mentio apud Ioſephum) nam Generalis ille Armeniorum non erat teſtis, quod fatetur, oculatus. Ait enim ſe nihil habere præter auditum: &, ut mihi videtur, non eſt de aliquâ homiliâ, ſed libro Paxarij, interpretandus. Nec tamen arbitror Epiphanij codices, quamvis depravatiſſimi circumferantur, in illâ relatione, de die Natali depravatos, in quibus dicitur locis Ieſus Chriſtus editus in lucem fuiſſe τῇ ἑνδεκάτῃ Τυβὶ, vel ſexto Ianuarij die. Sed Generalem illum Armeniorum exiſtimaſſe, undecimum diem Tybi Ægyptiaci, & XXV Decembris Romani, unum & eundem fuiſſe diem: atque ita ille acceperat fando ab authoribus ſuis, Epiphanij ſententiam explicatam. Et certè hoc ita verum eſt, quod duplici quâdam ratione perſuaderi poteſt. Primum, ab errore communi quodam, ἐκ τῆς πολυσήμου φωνῆς *Epiphania*. Quæ cùm propriè denotet numinis alicujus ἐπίφασιν, ad alios etiam dies & alios adhibebatur. De uſu vocis, multa doctiſſimus Exercitator: quæ tranſcripſit ad implendas chartas, magnus ille nugator Bulingerus in ſuam farraginem. Antiquiſſimam acceptionem, ab hoc uſu deductam ille opinatur, eſſe, quâ Natalem Ieſu Chriſti θεανθρώπου deſignabat. Sed profectò, quicquid de illo uſu ſit, jam diu eſt, ex quo, ad ſtellæ illius apparitionem tranſijt, de quâ beatus Matthæus in Euangelio. Rectè autem, cùm & φαίνειν, & φάσις, & ſimilia de ſtellis uſurpentur. Factum

hinc,

hinc, ut apud imperitiores, quales erant illi τινὲς, & τίνες τινῶν Clementi Alexandrino commemorati, confunderentur dies è confusâ vocis notatione: atque tandem, ut duo distincta festa, tempore, occasione, omni modo disparata, in unum atque idem coalescerent. Præcipuè quod insederat animis illorum, opinio in vulgus didita, sed quo authore? Iesum Christum baptizatum illo ipso die ad annum XXX ætatis suæ, quo ante tot annos in Bethleem Iudæę nascebatur. Secunda persuasio illa est, quòd secundùm initas à Iudæis & receptas rationes ab omni retro, ut volunt, antiquitate, dies VI vel VII Ianuarij, solstitio hyemali deputaretur: quo die, in accessu Luminis, Iesum Christum illum veram lucem genitum rebantur vetustissimi Christianæ pietatis Antistites. Non est hæc ab alio authore profecta observatio, quàm eruditissimo Scaligero, magno impugnatore illo Ordinis, usus, diei, in Ecclesiâ jamdudum receptorum. Ita enim ille vir πολυμαθέστατος Lib. I. de Temporum emendat. pag. XVI. *Attici, & omnes reliqui Græci, annum solarem in quatuor quadrantes dividebant, quæ* κέντρα *vocabant. Singulis, dies 91, horas* $7\frac{1}{2}$ *attribuentes: quod à temporibus Seleucidarum, ad hanc usque diem Iudæi constanter observant.* Tum sequuntur, quæ rem attingunt ipsam: *Itaq́ octavo Iulij erunt* τροπαὶ θεριναί. *Octobris* VII, ἰσημερία ὀπωρινή. *septimo Ianuarij* τροπαὶ χειμεριναί. *octavo Aprilis,* ἰσημερία ἐαρινή. *Quæ, cùm legis* Τροπὰς θερινὰς & χειμερινὰς, *nullas alias intellige præter istas.* Hæc ille. Quæ si vera sint, ut narrat Iosephus Scaliger, miramur non immeritò undè factum fuerit, ut tantopere ab ipso, & ab alijs, contra praxin Ecclesiæ turbatum sit, de Natali die vago & incerto: vel, apud nonnullos saltem, fixo in diem VI Ianuarij, cùm τροπὰς χειμερινὰς in eundem diem statuerent incidisse, quando Christus Dominus nascebatur. Solstitium autem hyemale, unanimi consensu, vetusti omnes, saltem à temporibus Constantini, Natalitio Christi festo ascriberent: sed solstitium non omnes in eundem diem conjicerent: imò ne quidem in eundem mensem. Ita nulla erat olim apud vetustissimos Christianismi proceres, ut tandem hanc partem absolvamus, nisi in specie & apparentia, discrepantia: nedum, quod volunt, concertatio. Eundem diem observabant, qui Christi natalem observabant, sacrum γενεθλιακοῖς solennitatibus, solstitium nimirum hyemale: *accessum*, ut loquuntur Latini Patres, *luminis*: sed non eodem modo τροπὰς χειμερινὰς, non eodem tempore, mensuratas. Quodsi autem mota fuisset olim, & partium studijs agitata hæc controversia, illa tamen & inter paucos vertebatur, & quæ versabatur illa omnis statim, consensu generali Catholicæ Ecclesiæ consopita, interquiescebat. Quod si autem propter ritus quosdam varios, & praxin alicubi discrepantem, propter opinionum diversitates, loco suo, atque statu res quævis controversæ movebuntur, cedo mihi tandem quid sartum tectum, vel in ipsâ pietate conservabitur? Religionis arcem invasam, & acropolin accepimus sacratissimam de Christo Iesu θεανθρώπῳ fidē: & terminos antiquos sæpenumero transpositos, quos Antiquus ille dierū consignaverat. Nam ubique terrarum, quocunque tempore, ab exortu usque lucis Euangelicæ, ab hominibus Satanæ locantibus operam, mysteria illa magna pietatis, contradictionum tempestatibus fuerunt exagitata.

Hoc

Hoc certum eſt, nec inficiantur; poſt Conſtantinum magnum Imperatorem, certo quodam die ab universâ Eccleſiâ, feſtum Nativitatis celebratum. Ita Sethus Calviſius Scaligerianæ novitatis hyperaſpiſtes, in prolegomenis Chronologicis cap. XLVIII. Ita ante mille annos & trecentos præterpropter poſitum eſt in confeſſo apud ipſos Novatores, illum uſum Eccleſiæ, qui nunc hodie obtinet, per Eccleſiam Catholicam obtinuiſſe. A quo tempore per Patres Græcos, Latinoſque, ad hoc uſque ſæculum, diſſeminatus propagatuſque, immotus conſtitit & inconcuſſus. Quæro autem, ecquis ferendus ſit homo novus, terræ filius γιγαντόμαχος, qui ſe in cauſsâ profiteretur adverſarium? qui contempto ſpretóque conſenſu majorum, inauditam ſæculis mundo obtruderet ſuam ipſius opinionem? πᾶν τὸ ἀρχαῖον αἰδέσιμον. Et certè ſi quid à ſanctis Patribus per illa tempora inventum, nullis majorum literis conſignatum, nullâ Traditione commendatum, nullo uſu veterum, ne veſtigijs quidem leviter impreſſis ſuffultum, per decurſum tot annorum, ad noſtra uſque tempora ſine contradictione deſcenderat, non video quid obſtare debeat aut poſſit, quo minus ἀπαραλλάκτως & ἀναντιῤῥήτως vim ſuam obtineat & auctoritatem. Nam non credendum eſt, univerſalem Eccleſiam, ne quidem in Ritibus & de Facto, in ſe & ſuis membris, paſſim & ubique, omnibus & ſingulis, per tot annorum ſæcula, deceptam, à veritate aberraſſe. Eſto, fuerat liberum apud vetuſtiores, non uno certo & eodem die, Natalitia ubique celebrare, ſed variatum fuerit pro opinionum diverſitate, apud Ægyptios quoſdam & Orientales: non perinde licuiſſe opinandum eſt, ſequentibus temporibus diſconvenire, cùm certa quædam Eccleſiæ definitio, illa prius indiſcuſſa, indeterminata, certis quibuſdam terminis conſtrinxiſſet. Illa certè tempora Conſtantiniana, propter mota certamina, & tum primùm compoſita, Paſchalina, accuratiùs temporum rationes expendebant, & excuſſis, quæ prius non liquebant, lucem clariſſimam chronicis characteribus reddidere: ut deinceps non debeant, niſi per ſummam temeritatem in quæſtionem pervenire, quæ per ætatem illam Clementis Alexandrini, ſine ſcandalo, obtinebant per diverſa loca. Non tam diſcuſſâ re Chronologicâ, nec dum conſuetudine catholicâ introductâ in contrarium, liberum erat & ſentire quæ vellent, & quæ ſentiebant liberè ſcriptis vel praxi, ſervata ſemper Eccleſiæ pace, obſervare. Quod nullo modo licuit, nec ferendum erat, poſtquam ſemel hoc ψήφισμα ſancitum obtinuit, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Nam utcunque κατὰ γράμμα per Nicænos Patres, de Nativitatis feſto non eſt definitum, ita tamen ſtatuendum, prudentiſſimos Patres, per illam accuratam paſchalium terminorum examinationem, ſequentibus temporibus ad veritatem γενεθλιακὴν amuſſitandã, quaſi facem quandam prætuliſſe.

SECT.

SECT. IIII.

Exceptio de 25 die Decemb. ut recenti instituto. Calvisij error de Episcopatu Constant. Chrysostomi. De die Natali ex eodem. Interpretatio ejusdem Patris de usu nupero 25 Decembris in Ecclesia Orientali. Ante Chrysost. ætatem certus dies Natali assignatus. Clementis Romani authoritas. Locus de eodem. Scaligeri opinio de XXIIII vicibus Sacerdotum incerta. Christus natus in accessu luminis. Nocte. Cur.

CAPUT aliud exceptionis à Novatoribus profectum & pervagatum, non hinc longè recedit, cùm contendant, diem illum Decembris, qui nunc Nativitati sacer ubique habetur, XXV, vix demum post annos CCCC à Christo nato, receptum in Ecclesiæ consuetudinem. Tempore enim Chrysostomi, ait Sethus Calvisius, Scaligerum sequutus Dictatorem, *primùm factum est, ut die Decemb.* XXV *Constantinopoli celebraretur.* Fundus illis est hujusce & fundamentum opinionis beatus Chrysostomus Orat. de Natali Servatoris, quæ habetur To. V. operum illius in Editione Etonensi Savilianâ. Sed fallitur Sethus de Constantinopoli. Nusquam per totam illam homiliam, illius urbis Regiæ & regnatricis habetur mentio: ut διοίκησις Patriarchalis ad hanc consuetudinem invita deducatur. Neque enim habebat tum Chrysostomus, cùm illam pronunciaret concionem, quicquam negotij vel commercij cum populo aut διοικήσει illa Constantinopolitanâ: erat Antiochensis Presbyter adhuc, non autem Antistes Constantinopolis. Colligi fortè poterit non levi conjecturâ, quoto anno haberetur illa homilia: certè constat habitam in Natalitijs, quando dies ille sacer, in feriam quintam incidisset. Constat nondum fuisse cum Episcopatu, sed in ordine Presbyteratus constitutum. Ἐν δὲ λοιπὸν εἰπών, ait, καταπαύσω τὸν λόγον, τῷ κοινῷ διδασκάλῳ τὸ μείζονων παραχωρήσας. Is erat Episcopus, quem ita sæpè vocat Presbyter: & erat tunc in more positum, ut presbyteri Episcopis quasi facem traderent, exponendarum Scripturarum. Falsum ergo quod supponit imprimis Calvisius, de Dioecesi Constantinopolitanâ in illa versante quorundam errore, de incerto die & festo Natalitiorum. Intelligendus est Chrysost. de Patriarchatu Antiocheno, & consuetudine Orientali. Nam certè de Constantinopolitanâ provinciâ contrarium certum est, ex eâdemmet Oratione, cùm disertis verbis scribat ὁ χρυσοῤῥήμων, Ὅτι πάλαια καὶ ἀρχαῖα ἐστι, nimirum Natalis ille dies, καὶ ἄνωθεν τοῖς ἀπὸ Θρᾴκης μέχρι Γαδείρων οἰκοῦσι κατάδηλος καὶ ἐπίσημος γέγονε. Sed erraverit, esto, in Dioecesi: non erravit in re ipsâ Calvisius tamen. Certè enim Chrysostomus διαῤῥήδην hoc affirmat, noviter fuisse usu receptum & in Ecclesiam inductum Antiochensem, ut Natalis dies Domini celebraretur ad XXV Decembris. Νέαν enim vocat, διὰ τὸ προσφάτως ἡμῖν γνωρισθῆναι. Et post non multa, Καὶ πολὺς περὶ τῆς ἡμέρας ταύτης πανταχοῦ γίνεται λόγος. τῶν μὲν ἐπιτιμώντων, ὅτι νέα τίς ἐστι καὶ πρόσφατος, καὶ νῦν εἰσενήνεκται. Quod ait

νῦν, vult intelligi, nuper, non ante multos annos. Nam, quod priùs expreſſerat, *ante annos decem non plures*, diem illum obſervare inceperunt Antiochenſes. Καίτοι γε οὔπω δέκατόν ἐστιν ἔτος ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται. Receperant autem ab Eccleſiâ edocti Romanâ, quæ ab ipſis incunabulis pietatis Chriſtianæ diem hunc ſolennitati huic deſtinatum celebraverat. Οἱ γὰρ, inquit, ἐκεῖ διατρίβοντες, ἄνωθεν καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως αὐτὴν ἐπιτελοῦντες, αὐτοὶ νῦν αὐτῆς ἡμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο. Chryſoſtomus hæc & alia in eandem ſententiam, quibus, veluti admotis quibuſdam machinis, receptam in Eccleſiâ conſuetudinem, ut novitiam, ut minimè Apoſtolicam, de ſtatu motum ſubruiſſe opinantur Innovantes. Sed imprimis Chryſoſtomo ſic reſpondemus: Non illud verſari in quæſtione, utrum illa quæ nunc obtinet conſuetudo, nunquam paſſa ſit contradictionem aliquam vel varietatem. Scimus enim & fatemur ultrò: ſed & docuimus, uſu alicubi diſcrepante variatũ. Sed illa tamen erat τοπικὴ & particularis, quâ, nec refigi debet, neque circumſcribi vel in ordinem cogi, conſuetudo œcumenica & generalis. Chryſoſtomus verſabatur in Eccleſia Antiochenâ. Pars erat ea, eximia quidem, ſed tamen pars, illius per orbem terræ diſſeminatæ Eccleſiæ. Differebat in nonnullis illa Chriſtianiſmi ritibus, quid tum, & ceremonijs, ab Alexandrinâ, Conſtantinopolitanâ, Romanâ Eccleſijs, Antiochena. Non ſufficeret, opinor, hujus ſolius authoritas, ad redigendũ in ordinem illas cæteras aliorſum abeuntes: ſi quæ fieri debeat per partes ſeceſſio, ratio potiùs flagitat, ut pauci ad plures, cæteris paribus, quàm ad plures, pauciores aggregentur. Admiſerant recenter illam Romanorum praxin Antiochenſes. Sed fieri poteſt, ut non tam noviter & tum primùm admiſerint illam praxin, quam à primis incunabulis Antiochenſis Eccleſiæ uſurpatam, deinde amiſſam atque antiquatam, in uſum denuò admoniti revocaverint. Quæro enim, cùm Lex exierit de Sione, & ὁδῷ ἐβάδιζεν ab Oriente verſus Occidentem: cumque Antiochiæ vocati fuerint primi Chriſtiani: & Eccleſia de Gentibus fuerit conſtituta; quî fieri poterat ut vel Natalem Domini ignorarent omnino, vel cognitam ſemper, habuerint inſuper, in tanto affectu pietatis & divini amoris effervèſcentiâ? Certè quod ab omni retro antiquitate, etiam ἄνωθεν, ut Chryſoſtomus loquitur, hoc eſt, ab exceſſu ipſo Ieſu Chriſti è rebus mortalibus ad æternitatẽ, obtinuerat in Occidente, videtur commeaſſe per Orientem. Sed non eſt novum, ut quod priùs obtinuerat, progrediente tempore, trecentorum ſcilicet, & quod excurrit annorum, abrogetur, & per diverſas ſubintroductas, paullatim, pedetentim, interdum confertim, & velut agmine facto, ceremonias aboleatur, in illâ præſertim, morum & ingeniorum Græcorum levitate, temporum turbis & tempeſtatibus, hominũ ſocordiâ & incuriâ, Sathanæ τοῦ ἐξ ἐναντίας, ſatagentiâ & πολυπραγμοσύνῃ. Poteſt etiam & illud forſan reſponderi, Chryſoſtomum, non omnem quidem uſum & praxin, ne in Eccleſiâ Antiochenâ abnuiſſe, ſed locutum de certo & fixo die & publicâ authoritate confirmato, ut ſolidis argumentis perſuaſo tunc primùm & conſtabilito. Ait enim, tum primùm δήλην καὶ γνώριμον hanc diem fuiſſe: & ſtatim, γνωρισθῆναι, tum primùm. Occidentales autem, quibus tabulæ Quirinij Cenſuales patebant, ἀκριβῶς εἰδότας, &

πεπλη-

πεπληροφορημένους. Non negat ergo nullam vel γνῶσιν, vel memoriam, vel etiam usum & praxim beatus Iohannes ὁ χρυσοῤῥήμων hujusce festi per illum diem observandi, in Ecclesiâ Antiochenâ extitisse: Sed negat certam & determinatam, è consensu generali & suffragio totius Ecclesiæ obtinuisse consuetudinem, nisi ante decennium, quàm Oratio illa haberetur apud Antiochenos, circa annum Domini CCCLXXVI. Postremò, ut non nisi tum primùm usus aliquis obtinuerit Antiochiæ: ut fuerit dies ille Decembris XXV apud illam Ecclesiam, ab omni retro antiquitate inauditus: tamen cùm Chrysostomus de particulari Ecclesiâ illâ loquatur, præjudicium fieri nullo modo debet, diffusæ etiam per Orientem consuetudini. Per Orientem inquam: Nam Nazianzenus Chrysostomo antiquior, diem certum & fixum observabat. Est enim homilia 38, verbum Dei in die suo. Χριστὸς γεννᾶται. de præsenti loquitur. & τὰ νῦν θεοφανία: de festo hodierno. & quod ῥήτως exprimit præsentem rei statum, ἑορτάζομεν σήμερον ἐπιδημίαν Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους. Hodiernus ille dies cur non erat Decemb. 25? Aliam diem doceant οἱ ἐξ ἐναντίας, in usu Nazianzenis vel Sasimensibus. Nam certè Antiochiæ, quod apparet è Chrysostomo, vel diem huic solennitati nullũ, vel conjunctum & communem, fortè cùm baptismali, destinaverant, quod & per Ægyptum obtinebat alicubi, ut jam dictum est. Nazianzeno antiquior erat Diocletianus. Ille dum grassatur in Christianos, Nicomediæ multos Martyres uno incendio complexus consummavit, qui tunc, ut fiebat, in Ecclesiam convenerant, ad celebrandam memoriam Dominicæ nativitatis: quod relatum à Callisto è vetustiorum monumentis lib. VII. cap. VI, historiæ suæ: & pleniùs ex actis illorum Martyrum apud Baronium: ad Antiquiores non ascendimus. Nam & pauci extant; & inter illos pauciores numerantur, qui de festis Christianorum vel ex instituto egerunt: vel panegyricis sermonibus dies illos festos excoluerunt: alijs occupati rerum negotiorumque πεϱιστάσει, & aliûs generis scriptionibus exercitati. Qui sequuti sunt Patres, & in hoc genere homilistico, & sæpiùs & cum laude versati sunt, testimonijs abundant, quod ignorat nemo, non diffitentur Novatores, de die certo & illo fixo in XXV Decembris. Qui profectò non communi quodam suo consensu, rem vel incertam, & ideò dubiam; vel controversijs agitatam, sine strepitu & tumultu commendassent, vel etiam per frequentes illas Conciones suas celebrassent, pro certo incertum Ecclesiæ Catholicæ obtrudentes. Unus tamen, & idem facilè primus Apostolorum φοιτητὴς & συμπεϱάκτωϱ non debet silentio præteriri. Est enim testis locupletissimus: & εἷς Πλάτων μύριοι, ut vetus habet verbum. Is est Clemens ὁ διαταγὰς. Quem licet delicatuli nescio qui de falso postulent, & tanquam falsarium στιγματίζωσι; nos tamen patrocinium illius contra quosvis suscipere, σὺν Θεῷ δ' εἰπεῖν, & audere nos palam profitemur: & alibi præstitimus in causâ appellatum Decimarum. Est illud in præsenti, οὐδὲ πάρεργον. Interim loquatur in hâc causâ, testis advocatus, omni major exceptione Clemens. Constitutio XIII Libri quinti, ita incipit, Τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσετε ἀδελφοί. Καὶ πρώτην γε τὴν γενέθλιον, ἥτις ὑμῖν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ ἐννάτου μηνός: hoc est, Decembris non Novembris, licet Græcè habeatur, XXV *die noni mensis*, cùm ab Αναστάσει Servatoris, vel

etiam conceptione annum exordirentur. Undè 25 Decembris qui eſt, non decimi ſed noni menſis 25, invenietur. Cùm verò illud certum & exploratum habeatur, Chryſoſtomo perhibente teſtimonium, Romanam Eccleſiam, & Occidentem univerſum, ἄνωθεν habuiſſe & γνῶσιν, & uſum iſtius ſolennitatis in illo ipſo die ſibi commendatũ, omninò μετὰ λόγου ſtatuere poſſumus, illã adeò antiquam traditionẽ, non aliundè quàm ab Epiſcopi hujus primi, vel certè principes, ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων διαδοχῆς, commendatã παράδοσιν receptam, ad cæteras Occidentales provincias propagatam derivaſſe Romanos epiſcopos & diffudiſſe. Quod ſi autẽ non aliter diſciſſus orbis in partes adverſas abijſſet de ſolennitate Natalitiâ, quemadmodum ſcimus factum in Paſchali: de quâ vehementiùs olim, & cum quadam acerbitate digladiatum eſt: non tamen deberent Novatores nuperi, terminos antiquos jam, tranſponere, & à multis retro ſæculis, & annorum centurijs fixos refigere, (qui de Paſchate ſecuri nihil movent, nec declinant ad Teſſares cai decatitas.) Nedum obnuntiare conſuetudini Eccleſię, propterea quòd Chryſoſtomus cum primis hujuſce termini, XXV Decembris, advocatus, ad illius confirmationem majorem, à falſo fundamento ſe promoverit, Pontificatu nempe ſummo Zachariæ. Ita enim continget non raro, ut vitio quodam humano, diſcernendi τὸ ἀκριβὲς, illud afferatur ad comprobandam veritatem teſtatiſſimam, quod vel vacillat & incertum eſt, vel omnino manifeſtam continet falſitatem, ſi non contradictionem planè implicat interdum. Certè, Nemeſis à tergo, quod dici ſolet; Ioſephus enim Scaliger, qui Princeps acceſſit ad hanc hypotheſin de XXV Decembris elevandam, & eluendam, & per infirmam illam rationem Chryſoſtomi, de Pontificatu Zachariæ ſatis alioquin confirmatæ opinioni inequitat & inſultat: ad eundem planè modum ceſpitavit ipſe, de vicibus ſacerdotum XXIV. Nam perinde vacillat id quod aſſumit ille gratis, vices illas omnes ab inſtitutione primâ per Davidem, ad ſuffitum factum per Zachariam in ordine vicis ſuæ, ſine omni interciſione omnino etiam per Babylonicam captivitatem; & profanationem illam Antiochenam, decucurriſſe. Quod nunquã probaverit, neque illi conceſſerit τις τῶν νοῦν ἐχόντων. Quæ cùm ita ſint, Ἃ πάλαι πατριάρχαι ὤδινον, προφῆται δὲ προὔλεγον, δίκαιοι δὲ ἰδεῖν ἐπεθύμουν, ταῦτα ἐξέβη, καὶ τέλος ἔλαβε σήμερον. quod Chryſoſtomus affirmat, ἀρχόμενος Orationem ſuam in Natalem. Dies erat ille, VIII Calendarum Ianuarij: *Quando arctum circulum Sol iam recurrens deſerit, Chriſtus tum terris naſcitur, qui lucis auget tramitem*; quemadmodum Chriſtianus ille ὑμνῳδὸς, ante annos mille & ducentos cecinit. *In acceſſu luminis*, aiunt ſancti Patres. Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomo antiquior, *Hac die incipiunt minui tenebræ, noctiſq; modi augeſcente radio ad defectum rediguntur.* Et Ambroſius ſuppar illius temporis, *Ecce in Nativitate Chriſti dies creſcit, & in Nativitate Iohannis decreſcit. Chriſto oriente lux proficit: Iohanne naſcente, minuitur.* Et in Pſal. 132 Auguſtinus, *Natus eſt Iohannes ſicut tradit Eccleſia, cùm iam incipiunt minui dies. Dominus natus eſt, quando iam dies incipiunt creſcere.* Hæc autem ideò illi factum volunt, quia πάντα ἐν τύποις etiam nunc: τὰ μικρὰ καὶ φαινόμενα, ἀντὶ μεγάλων καὶ μὴ βλεπομένων. *Non enim vacat à myſterio*, ait Beda, *quod Iohannis nativitas, cùm dies decreſcere, Domini autem cùm dies creſcere inchoant, facta memo-*

memoratur. Crevit quippe Dominus, quia per totum orbem, quòd Christus esset innotuit. Decrevit Iohannes, quia qui Christus existimabatur, quòd non Christus sed præco Christi esset, apparuit. Iure etiam nascente Domino abbreviata dies, ad crementum lucis redit. Quia ille nimirum apparuit qui lucem suæ cognitionis, quam prius sola Iudæa, & hoc ex parte habebat, cunctis gentibus aperiret, & suæ calorem dilectionis, in totũ mundi latitudinem diffunderet. Et Bedæ magister Augustinus: *Audi*, inquit, *ipsum Iohannem confitentem, illũ oportet crescere, me autem minui.* Et passiones ipsorum hoc indicant: *Dominus in Cruce exaltatus est, Iohannes cæso capite diminutus.* Et Augustini doctor Ambrosius: *Ipsa enim quodammodo tempora, famulantia partibus suis, cùm detrimentum faciunt, servus gignitur: cùm Dominus nascitur, consequitur augmentũ. Profectũ planè facit dies cùm mundi salvator oritur: defectũ patitur, cùm ultimus Propheta generatur. Scriptũ est enim, Lex & Prophetæ usque ad Iohannẽ. Atque ideò necesse erat, ut obscuraretur Legis observatio, ubi gratia Euangelij refulgebat: & cessaret Prophetia veteris testamenti, ubi novi gratia succedebat.* Et Ambrosio paulò prior Gregorius Nyssenus: *Mysterium natura exponit perspicacioribus, quidq; sibi velit docet, quod in adventu Domini dies crescit, nox decurtatur. Ego talia quædam dicentem mihi videor audire creaturã. Vides noctẽ ad summã longitudinẽ progressam esse, atq; ulterius currere, atq; proferri desistere & in contrarium resolvi. Animadverte quod impietatis nox, quoad eius fieri poterat aucta, atq; extremã nequitiæ magnitudinẽ assecuta, hodie ulterius progredi, ac sibi quasi poßidendo usucapere probibita est, atq; dehinc redigitur ad defectionẽ. Vides lucis radium diutius durare, & solem esse solito sublimiorẽ: animadverte veræ lucis adventum, quæ radijs Euangelicis orbem illuminat.* Hæc ille. Diem certum definiunt, multi, & in his, ex consensu Ecclesię Augustinus, ille accuratissimus rerũ in Ecclesiâ controversarũ, & indagator, & disceptator. Lib. 4. de Trinit. cap. 5. quæ eadem ab eodem repetita leguntur lib. 83. quæstionum, q 56. *Licet ergo cunctos dies Deus creaverit, singulariter tamen diem fecisse illũ dicitur, qui Christi Domini Nativitati sacratus est*, ait Cassiodorus. Quem cur alium statuamus quàm *In Ps. 117.* VIII Cal. Ian. cum antiquis, à multis retrò seculis, Patribus nullam caussam attulerint Novatores, ut, quemadmodũ alicubi, in diverso negotio Nazianzenus, μένωμεν ὥσπερ ἐσμέν sollicitantibus hunc ritũ insinuemus. Quicquid alijs alibi terrarũ licuit & sentire, & scribere in vetustioris Ecclesiæ contumeliam, miror vehementer in hac nostrâ toleratos Novatores, eorumque pruriginẽ scriptituriendi, quæ & ipsa cum Catholicâ Ecclesia consentit per omnia, & Traditionẽ veneratur illã sanctissimè, quâ festũ illud Christi Salvatoris in XXV Decembris celebratur. ὡς ἐκ ὀρθῶν. *Sensi enim sæpe dolens &* *Epist. 118.* *gemens*, ut de seipso Augustinus, *multas infirmorum perturbationes fieri, per* *ad Ianuar.* *quorundã fratrũ contentiosam obstinationẽ, vel superstitiosam timiditatẽ, qui in rebus huiusmodi, quæ neq; Scripturæ sanctæ authoritate, neq; universalis Ecclesiæ Traditione, neq; vitæ corrigendæ utilitate ad certũ possunt terminũ pervenire (tantum quia subest, qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in suâ patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem suam, quo remotiorem à suis, eo doctiorẽ factũ putat) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existimant.* Sed omnino sapienter & verè, ut

omnia,

omnia, diviniſſimus ille conſeſſus Patrum, & à cœtu Apoſtolico, in Eccleſiâ Chriſti princeps, ſanciebat, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Quæ per annorũ centurias immota perſtiterunt, ne loco ſuo & ſtatu per nonnullorũ δοκησισοφίαν nunc tandem dimoveantur. *Illa enim quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus,* ait ibidem quo ſupra loco, idem Auguſtinus, *quæ quidem toto terrarũ orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſiâ ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quod Domini paßio & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniverſariâ ſollennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab universâ quâcunque ſe diffundit Eccleſiâ.* Certè, quod per epiſtolam ſequentem obſervabat idem Pater, *Vna ſaluberrima regula retinenda eſt, ut quæ non ſunt contra fidem, neq; bonos mores, & habent aliquid ad exhortationẽ vitæ melioris, ubicunq; inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur.* Non eſt ejus generis quod ſequitur apud doctiſſimũ Cardinalem ſect. penultimâ in Apparatu; de die hebdomadis atque adeò horâ, quibus Chriſtus Servator naſcebatur. Neque enim Concilij cujuſvis authoritate ſancitũ, neque Traditione commendatũ, neque praxi uſurpatũ ſcimus, in Eccleſiâ Chriſti, vel particulari aliquâ, vel Catholicâ. *Fuit*, inquit Baronius, *nonnullorũ ſententia, ut eadem die, ipsâq; horâ, quâ primus homo creatus eſt, eâdem omnino, & Chriſtus qui ſecundus homo dicebatur, in lucem fuerit editus.* Ille autem primus dies creationis in primã feriam inciderit, an in ſextam, non poteſt eſſe quæſtio, cùm certiſſimè conſtet è Scripturis, Adamum ἐν παρασκευῇ, hoc eſt, Veneris die procreatũ. An verò 25 Decembris dies, in diem Veneris, aut, quod volunt alij, Solis, inciderit ſub Conſulatu Auguſti & Silani, ad calculos devocent quibus vacat per rationes Mathematicas indagare. Certè nocte natũ conſtat è beato Lucâ. Nam dum pareret in præſepi beata Virgo, *Paſtores erant in eâdem regione vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregẽ ſuum.* Author libri quiſquis erat, Sapientiæ Salomonis, de hoc ipſo tempore antelucano legitur quodammodo prophetaſſe. *Dum quietum ſilentium teneret omnia*, inquiens, *& nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens, è cœlo, è regalibus ſedibus venit. Vndè profectus* Auguſtinus in illud Pſalmi 109, *Ante luciferum genui te*, ait, *Noctu natus eſt Dominus ex utero Virginis.* Et Tertullianus in eundem modum affirmat, *Nos edimus Euangelia, nocturnâ Nativitate declarantia Dominum, ut hoc ſit ante Luciferum, & ex ſtellâ Magis intellectâ, & ex teſtimonio Angeli, qui nocte paſtoribus annuntiavit natũ eſſe tum maximè Chriſtum, & ex loco partus; in diverſorium enim ad noctem convenitur.*

Lib. 5. cont. Marc. cap. 9.

Fortaſſis an & myſticè factum ſit, ut nocte Chriſtus naſceretur: Lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris. Sed manum de tabulâ. Ne ſimus, quod Protogenes in picturâ.

FINIS.